BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Wood, Anthony à

Historia et Antiquitates Universitatis Oxoniensis Duobus Voluminibus Comprehensae

Bd.: 1

Oxonia 1674

2 H.lit.p. 76 e-1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10633332-9

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.



10633332

HISTORIA ET ANTIQUITATES VNIVERSITATIS OXONIENSIS.

Hennin inven: OXONIÆ e Theatro Sheldoniano. M.DC.LXXIV. *R:White sculpsit.*

HISTORIA

ET

ANTIQUITATES

UNIVERSITATIS

OXONIENSIS

Duobus Voluminibus Comprehenſæ.



OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO.

M. DC. LXXIV.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.



AUGUSTISSIMO MONARCHÆ

CAROLO II.

D. G. Magnæ Britanniæ,

FRANCIÆ & HIBERNIÆ REGI,

Fidei Defensori, &c.

SERENISSIME PRINCEPS,



XONIENSIS Universitatis Historiam nefas esset Patrono cuiquam inscribere præterquam ei qui illam ipsam tuetur. Clientem is excipiet, qui Togatos omnes fovet: Librum proteget, qui totas Bibliothecas sustentat: & certè Literarum Britannicarum Commentariis bene consulet, cujus auspiciis Britanniæ juxta & Literæ florent & promoventur.

Agnoscet Clementissimus Dominus veteris Hospitii jura, & tutum inter Musas refugium, quando olim Metropoli depulsus, unà cum beatissimo Parente, sine lare erraret, suoque alibi in Regno exilium pateretur.

Agnoscet ille Togatæ gentis inconcussam fidem, quæque temporum superiorum exempla facilè superaverit; cujus judicio cessit quæ armis vicerat Tyrannis; & argumentis profligata est Liga, quæ prostratæ Britanniæ laqueum intentabat.

Agnoscet

EPISTOLA DEDICATORIA.

Agnoſcet utique perpetuos fugæ ſuæ & ærumnarum participes, & non niſi reduce Se in integrum reſtitutos. Quin & in rei literariæ caſibus, Imperii ſui fata perleget, nec Academiæ adeo, quam propriam evolvet Hiſtoriam.

Pergas itaque Auguſtiſsime Princeps, & tot nominibus Tuam uſque protegas *Oxoniam.* Per Deceſſorum Tuorum munificentiſsima præſidia, venerandæ Antiquitatis auctoramentum conſecuta eſt; auſpiciis debetur Tuis, quod ſenectæ eludat injurias, & grandæva licet, nova deinceps audiat.

Et ſiquidem ita comparati ſumus, ut eorum quibus favemus imagines libenter intueamur, hanc qualemcunque Univerſitatis Tuæ adumbrationem, pro ſummâ illa quâ Principes univerſos ſuperas clementiâ reſpicere digneris, & benigna mente accipere debitiſsimum hoc obſequii pignus, quod ſuo publicoque nomine offerunt

SERENISS. MAJESTATIS VESTRÆ

DEVOTISSIMI CLIENTES,

ET SUBDITI HUMILLIMI

Procuratores rei Typographicæ
in Univerſitate Oxon.



AUTOR LECTORI.



UM ab ipsâ ineunte ætate, singulari quodam naturæ ductu Historiarum & Antiquitatum, præsertim nostræ gentis, studiis addicerer; sæpe mecum cogitabam, quomodo & in quem finem, publico saltem commodo non alienam indolem hanc meam & totius in hunc diem vitæ operam, excolere primùm, deinde collimare aliquando possim. Circumspicienti autem in quâ potissimùm rei antiquariæ parte, provincia mihi assumenda erat, tum gratitudinis & officii ratio, tum ipsius (quam nunc celebraturus sum) Academiæ fama, à quocunque alio rivali, studium nostrum facile præripuêre. Protinus ergo tam pio (ut putavi) & tam diu desiderato operi me accingens, singula Collegia, aliaque loca publica obire cæpi, inscriptiones omnigenas, sive sepulchrales sive fenestrales, necnon Fundatorum, aliorumque insignia & monumenta, quæ aut temporis, aut cœli, aut hominum injuriis opportuniora videbantur, studiosus colligendi. Horum omnium farraginem cum non exiguâ copiâ apud me coacervassem, operæ prætium duxi, Authores omnes qui nunc extant, quique vel ipsius Academiæ vel particularium Ædium Musis hic loci dicatarum Historias publicassent, perlegendo, illustrata eadem & explicata in lucem edidisse. Verùm enim verò crescente inter opus studio, pietas jam adulta flagitavit, ut hoc quicquid opellæ sub manibus institutum haberem, incrementis indies se ingerentibus, tandem ad justum volumen produceretur.

Gnarus igitur ad hunc finem perveniri non posse, ut abdita rerum multis retro temporibus gestarum consequerer, nisi calles invios nec ullius ante vestigiis tritos ingrederer, in Fastos, Tabulas & Munimenta hujus Academiæ scriniis recondita me totum immittere, & penetrare destinabam. Quorum ut inibi copiam faceret vir eruditione pariter & humanitate præstans Johannes Wallis, *S. Th. Professor, Archivorum apud nos Custos, à me rogatus, consulto Vicecancellario, non gravate concessit. Ibi autem non sine summâ animi vo-*

luptate

luptate, maximum diligentiæ meæ fructum, & copiosissimam antiquitatis segetem percepi. Cum verò methodus aliqua in quâ singula digererem à me nondum præcogitata esset, incertitudo illa laborem meum triplo graviorem reddidit. Dehinc singula Collegiorum munimenta & scrinia, ut quæ ad particularem eorundem & aliorum locorum intra præcinctus Oxon. *Historiam spectant inde exhaurirem, investigare volui. Hic vero quarundam* Societatum *suspiciosa asperitas, ab arcanis suarum ædium alienos oculos arcentium, ita me deterruit, ut incœpti me operis propemodum pœnitere, tædere certè faceret. Et sane in medio tum destitissem nisi aliorum Collegiorum (quæ & major pars erat) comitas & apertus candor animum reddidissent. Hisce postremis spero me non ingratas vices rependisse, fusiori eorum, quæ ad ipsorum famam & decus spectant, commemoratione: dum priores illæ, necessario illo, quod ab ipsis mihi indictum est, silentio, quasi ultionis ansam, quam minime cuperem, porrexere.*

Perfunctus hoc tandem labore, cui multa opus erat eundi, redeundi, expectandi patientiâ, proximè Bibliothecas Oxon. (Bodleianam *imprimis,) in quibus manuscripta ad opus hoc quovis modo conducentia reservari poterant, perlustravi. Nec iis contentus (ut omittam Urbis nostræ quædam Registra, & Ecclesiarum parochialium ibidem scrinia)* Londinum *me aliquoties contuli ad Bibliothecas* Arundellianam, Cottonianam, *& alias minoris notæ, visurus porro Monumenta sive (quæ vocant) Registra Turris* Londinensis, *necnon Heteriæ Fœcialium; Curiarum insuper Prærogativæ* Cantuarienſis, *Augmentationis, Scaccarii, Rotulorum, Chartophylacii sive Chartacei ad* Album Palatium, *Pipæ, &c. Ex hisce omnibus, cum annos aliquot iisdem discutiendis insumsissem, tandem aliquando messem aliquam reportavi, sed exiguam, & voto & operâ minorem. Fateor autem me amicorum quorundam operâ sub id tempus felicius fuisse usum, à quibus adjutus & instructus sum apographis aliquot & transcriptis, in quibus multa ad hanc Academiam spectantia continebantur, è Registris Archiepiscoporum* Cantuarienſium *& Episcoporum* Lincolnienſium, *quorum priores olim in hanc Academiam (uti & hodie in nonnulla Collegia) potestatem visitatoriam, posteriores etiam Episcopalem sive Dioceſanam exercuere.*

Hisce omnibus sic ritè & feliciter præparatis, methodus unice restabat, & tot rerum tam variarum commoda dispositio. Cui ut & melius & soli vacarem, linguam vernaculam Anglicanam prætuli, in qua Historiam hanc & conscriberem & publicarem. Et scripsissem sanè, imo rescripsissem, preloque parassem: Cum Academiæ Præfecti, quibus studium hoc noſtrum non displicuisset, oblatis conditionibus mecum transegêre, si eandem latinè factam publicari permitterem. Cum annuissem, novus inde & inopinus mihi labor videbatur recruduisse, non solum integrum Autographum in partes resolvendi, quo melius accuratiori singulorum examini, necnon versioni latinæ subjiceretur; verum etiam chartas omnes, & Bullas Pontificias, necnon ipsissima Authorum citatorum verba sive impressa sive manuscripta recuperandi prius, dein suis quæque locis fusius interserendi. Hæc enim omnia in autographo noſtro anglicano, vel contractius, vel cum relatione solummodo ad locum, ubi inveniri poterant, insperſa fuerant. Dum ergo ipsorum votis & judicio morem gererem, coactus sum sæpius Londinum *& prædicta loca revisere, ut chartas illas, &c. fidelius & accuratius exscriberem, quas prius ad sensum potius quam ad verbum, festinanti manu compilassem.*

Interea autem latina versio tardiusculè processit, impensis potissimum & auspiciis Redemtorum rei Typographicæ, quorum præcipue curæ & inspectioni, quicquid ornati huic operi inest, unicè referendum est. A quibus etiam, cum jam non modica versionis pars peracta fuisset, prelo mandata est. Verum cum non adeo pro sententiâ noſtra & tam lætis initiis procederet opus, moram illam, quam interpositam indolescebam, redimere statui, brevem commentarium perscribendo, de Viris illustribus, quotquot hujus Academiæ aliquando

quando Alumni, eandem non minus quam ſeipſos ſcriptis ſuis nobilitarunt. Hos omnes unà cum librorum catalogo, brevique de vitâ eorum & moribus notitiâ, ſuo quemque Collegio & Aulæ diſpertivi.

Sicut autem difficile eſt fugitivas olim mortuorum memorias retrahere, ſic & invidioſum recentiorum umbras inquietare. Ut ergo accuratior eorum, quæ ad eos ſpectant cognitio, mihi contingeret, utque omnem, quoad liceat, offenſam amolirer, ab eorum poſteris & cognatis, necnon à Viris doctis ſi qui nunc ſuperſunt, iis in vitâ olim amicitiâ conjunctis, in rebus ad eos ſpectantibus edoceri volui. Cum his igitur partim in Angliâ, *partim in exteris regionibus nunc agentibus, non ſine magno labore & impendio, epiſtolare commercium inſtitui. Si quid autem, poſt omnem diligentiam (quod multum vereor) vel à me, vel interpretibus, aut omiſſum, aut minus commode dictum occurrerit, præfatus veniam, roganſque ſiquid quis rectius noverit candidus impertiat, bonâ fide promitto, me in proximâ editione (ſi qua fuerit) & famæ eorum, & veritati facturum ſatis.*

Opus imprimis arduum, mihi crede, & pluſquam laborioſum, cui quantum fuerit inſudatum ut haud facile æſtimes, ita neque cito credas ſi non expertus. Veruntamen quantum animorum dempſit difficultas, tantum adjecit gloria & amor patriæ omni ratione valentior, ad tam pulchrum opus ſuſcipiendum. Et ſane quod ad hoc ſpectat, aut etiam reliqua quæ in his commentariis habentur, multo malim famæ jacturam, quam veritatis naufragium facere; ex quibus utrum ſit præoptandum, apud me diu quærendum non erat.

Porro autem cùm hic loci culturam animi acceperim, jubet me pietas cariſſimam altricem & magiſtram potius ad invidiam deprædicare, quam ingrato ſilentio contemptui habitam oblivioni tradere. Nec ideo vanis accedo Græculis, *qui ſe ſuaque ſupra modum mirati reliquas omnes gentes perhibebant Barbaras; utpote in alieno ſolo natus, facili negotio demonſtrarem, quod Univerſitas hæc noſtra plures viros egregios inſtituerit, qui rei literariæ fines feliciter protulerunt, quàm forte quævis alia, ſit verbo venia, per literatum orbem, in quo cenſu, nec* Athenas *ipſas, nec terrarum dominam* Romam, *exceperim. Quorum nomina ſi percurrere placebit, facile conſtabit quot natalibus obſcuris veram nobilitatem, & immortalem nominis gloriam ſuis ſibi ſcriptis pepererint, cùm alii contra titulis nobiles degeneri morum turpitudine, ſplendorem natalium & avitæ virtutis gloriam offuſcârint.*

His adeo, Lector, breviter præmiſſis, quibus progreſſus operis, & moras diſtinctius enarravi, priuſquam in lucem eluctaretur; paucula reſtant quæ te monitum velim. Animadvertas igitur,

Primo, verſionem hanc Latinam alienæ prorſus operæ eſſe, & non uno interprete factam, nec mihi omnino ſive ad laudem ſive ad culpam imputandam. Quæcunque autem in ipſo textu, Italicâ (quam vocant) literâ, quæcunque in margine vel ima pagina leguntur (ut omittam additamenta aliqua pro re natâ verſioni interdum inſerta) in me recipio tanquam ſcienter & cum fide ex autographis citata. In totius verò Hiſtoriæ decurſu ſi quid occurrat, quod quis ægre tulerit, ejus ego omnem offenſam & invidiam procul à me habeo, qui Divum hominumque fidem teſtor, me ſine amore & odio, omnique partium ſtudio, ſcriptorem agere voluiſſe.

II. *Me tum in ipſâ Hiſtoriâ, tum in* Chronologiâ, *quæ electiones, reſignationes, & obitus hominum & ſepulturæ tempus conſignant, Eccleſiæ Anglicanæ rationem ſequi, in quâ* VIII. *Cal.* Aprilis, *ſive vigeſimus quintus* Martii, *Annuntiationi B.* Virginis *Deiparæ ſacer, annum inchoat.*

III. *Scholarum, Theatri, Collegiorum & Aularum imagines, quas ab Academiæ ſculptore delineatas (& forte huic operi inſertas) habes, inſcriptiones ſuas, alienæ quoque operæ deberi, (exceptis ſolummodo illis quæ ſub uno vel altero noviſſimorum Collegiorum, quæque ſub ſingulis Aulis (præter* Magdalenenſem & Edmundianam) *leguntur. Si quid igitur in*

iis

iis occurrat, quod rei alicui de Collegiis Aulisve prædictis à nobis traditæ repugnare videtur, sciat Lector mihi neutiquam vitio vertendum.

IV. *Cum multa tum versionis tum preli errata, mihi inter relegendum, in occursum venerint, me appendicem brevem in calce adjecisse, ubi multa, quæ corrigenda, delenda & quæ addenda putavi inserui, quod futuræ editioni si quæ habeatur forsan non inutile, erit: in quibus omnibus perlustrandis, si eadem tibi legenti, quæ mihi scribenti, obtigerit voluptas, non erit alterutri (ut spero) aut laboris, aut impendii pœnitentiæ locus. Vale.*

Dabam OXONIÆ in
Fest. D. *Johan.* Bapt.
CIↃDCLXXIV.

Tuus

ANTONIUS à WOOD.



10633332

10633382



HISTORIA ET ANTIQUITATES Universitatis Oxonienſis.

Liber Primus.

De Literarum in Britanniâ *Origine, & Progreſſu.*



HISTORIAM celeberrimæ Univerſitatis *Oxonienſis* ab ipſis ejus primordiis, & intimâ retro Antiquitate deducturus, haud ineptè facturus mihi videor, ſi in limine pauca adnotem, de literarum in *Britannia* origine, & progreſſu; Artium illic ac Scientiarum (quæ humanæ naturæ ſumma præſidia, maximumque decus jure merito exiſtimantur) luſtro quaſi condito: ita ſiquidem ad ea quæ deinceps ſequuntur, Lectorem meum paratiorem juxta atque attentiorem effecero.

In *Britannia* ergo, non tantum naſcente *Chriſto*, ſed plurimis retro ſeculis, exaltas fuiſſe literas, fide antiquâ & indubiâ Scriptores ſocatis adſtruunt ſuffragiis; quanquam ſiquibus innotuerit, undenam illæ, aut quo primum tempore invectæ fierint, exponant velim. Mihi id unicè incumbit ut evincam, ingenuas in hac Inſula Artes *Romanorum* victorias longiſſimis intervallis prævertiſſe: quâ quidem fidagine, erroris cujuſlibet arguenti, modò is certiora attulerit, ſententia libenter ſum ceſſurus. Etenim dum evanidis dudum veſtigiis inſiſtendum, & quamplurima è ſeculis vetuſtate & caligine obductis (qualia præſertim quæ primam *Olympiadem* proxime attingunt) eruerda ſunt; à recto tramite tantillum deflexiſſe, ab eo tamen haud penitùs aberraſſe, vel inter laudes quis ſuas ponendum duxerit. Quanquam & meminiſſe par eſt, perplura in Gentium originibus occurrere, quæ oculos obitèr tantum, & in tranſitu, quod aiunt, injicienti falſa videntur, ſeriò autem acriterque intendenti eluceſcunt abundè, & veris annumerabuntur.

Sed ad propoſitum ut accingamur, conſtat imprimis C. I. *Cæſarem*, cùm eòdem, ante *Chriſtum* anno circiter ſexageſimo, tranſmitteret, *Druidarum* in *Britannia* Doctrinam deprehendiſſe; apud quem [a] legimus, *Druidæ rebus divinis interſunt, ſacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſâ concurrit; magnoque ii ſunt apud eos honore; nam fere de omnibus controverſiis publicis privatiſque conſtituunt, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controverſia eſt, iidem decernunt; præmia pœnaſque conſtituunt; ſi quis aut privatus, aut publicus, eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt, hæc pœna apud eos eſt graviſſima, &c. Diſciplina in* Britannia *reperta, atque inde in* Galliam *tranſlata eſſe exiſtimatur; & nunc, qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerúmque illò, diſcendi cauſâ, proficiſcuntur.* Druides *à bello abeſſe conſueverunt, neque tributa unà cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniúmque rerum habent immunitatem; tantis excitati præmiis, & ſua ſponte multi in diſciplinam conveniunt, & à propinquis, parentibúſque mittuntur. Magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent, neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis, privatiſque rationibus, Græcis literis utantur. Id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgus*

[a] *In lib. 6. de Bello Gallico.*

disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt literis confisos, minus memoriæ studere; quod ferè plerisque accidit, ut præsidio literarum, diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. Imprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios; atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præterea de sideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de eorum naturâ, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, & juventuti tradunt.

E quibus verbis attentus lector facilè intelliget, apud *Britannos* eâ tempestate, quando *Cæsar* illuc transmisit, imò ante plura secula, adeò ut de primordiis dubitetur, non modo levem aliquam rerum notitiam, tanquam creperam lucem barbariei tenebris affulsisse; sed artes omnes liberales, & universam Scientiarum Encyclopædiam, cognitam penitus, & excultam in hac Insula floruisse. Scil. Poeticam & versuum rationem, siquidem *Druidæ magnum eorum numerum* ediscebant, & indè *Bardi* dicebantur, quod etiamnum linguâ Britannicâ *Vatem* sonat. Astronomiam, Cosmographiam, Geometriam, Metaphysicam, & Physiologiam callebant, quandoquidem *de sideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de Deorum vi ac potestate*, iidem *disputabant*. Ethicam insuper, Politicam, Jurisprudentiam, & Theologiam profitebantur: illi enim *rebus divinis intererant, sacrificia publica & privata procurabant, religiones interpretabantur, & de omnibus controversiis publicis privatisque constituebant*. Insuper *persuasum habuêre non interire animas, hoc maximè ad virtutem excitari putantes, metu mortis neglecto*. Nec verò perfunctoriè hæc & privatis auspiciis gerebantur, sed publica & solenni institutione, quemadmodum in *Academiis* nostris nunc temporis agitur. Huc enim ab exteris regionibus, præsertim *Gallia, magnus Adolescentium numerus disciplinæ causa concurrebat, quique diligentius cognoscere volebant, plerumque illò discendi causa proficiscebantur*. Imò vero nè quid *Academiarum* juribus & privilegiis, ex præsenti rerum formula deesse videretur, studiorum causa illic versantibus indultum, ut *à bello abesse liceret, ut tributa non pendant cum reliquis, ut militiæ vacationem, omniumque rerum haberent immunitatem*. Demum eadem ferè erat, quæ nunc habetur, studiorum ratio; ut scil. post seriam & diutinam institutionem, & examen, Candidati ad gradus promoverentur, *totosque viginti annos in disciplina permanerent*: quod ferè tempus etiamnum apud nos ad *Doctoratum* requiritur. Ita ut, si singula pensitentur, non adeò veteres *Druidarum* mores, sed præsentem rerum apud nos statum descripsisse *Cæsarem* quis cogitaret: & proindè merito dixerimus, parentes nostros armis à *Romanis* victos, ingeniis non cessisse; toto licet orbe divisos, scientiarum finibus nullatenus depulsos; & cognitionis lumine profusos, illa etiam ex parte, *minima contentos* fuisse *nocte Britannos*. Promptum esset hic loci congerere, quæ *Tacitus, Strabo, Plinius, Cicero, Diodorus Siculus, Marcellinus, Origenes, Clemens Alexand. Mela, Diogenes Laertius*, aliique de *Druidarum* moribus & institutis protulêre; & comparatione habitâ cum *Indorum* Brachmannis & Gymnosophistis manifestum reddere, eadem fere utrobique fuisse placita, similem etiam vitæ & Philosophandi rationem; imò quod non tantum veteres Ecclesiæ Patres, sed & probatissimi inter Ethnicos Scriptores, passim asserunt, & validissimis argumentis comprobant, Philosophiam omnem à barbaris profectam; *Græcosque* revera Scientiarum fures, non autem bonæ fidei possessores extitisse. At manum de Tabula; neque enim Diatribam molimur, sed Historiam. Quam verò egregiè de Animarum immortalitate senserint, post *Cæsarem* enarrat *Lucanus* [a].

Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum
Sacrorum, Druidæ, *positis repetistis ab armis.*
Solis nosce Deos & cæli sidera vobis,
Aut solis nescire datum. Nemora alta remotis
Incolitis lucis; vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi *sedes* Ditisque *profundi*
Pallida regna petunt; regit idem spititus artus
Orbe alio: Longæ, canitis si cognita, vitæ,
Mors media est. Certè, populi quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget Lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum redituræ parcere vitæ.

Nomen ipsum, quo Philosophi apud *Celtas* appellati fuerint, quod attinet, quanquam veri speciem habeat, *Druidarum* illud à Græco fonte Δρῦς, id est *Quercus*, permanasse, (cum illi nimirum in sylvis sub Quercubus convenire, ibique judicia exercere, ac sacra facere consueverint, & visco præterea querno nil usquam sacratius habuerint) tamen cum à *Strabone* rectè monitum, voces barbaras à Græcis fontibus frustra peti: (*Bardorum* enim Etymon paritèr ab *Athenis* quis deduceret,) rectius à Celticâ tu *Britannicâ* voce **Deru**; quæ etiam quercum significat, originem habuisse censeamus: licet Græcas literas *Britannos* minime latuisse, certiores nos reddidit *Cæsar* loco superiùs allato, siquidem apertè profitetur, istis characteribus illos passim scripsisse. Sed & *Britannorum* Doctrinæ, licet non Religionis gloriæ tribuendum est, quod de eorum in Magia peritiâ testatur [b] *Plinius*; *Sed quid ego* (inquit ille) *hæc commemorem, in arte oceanum quoque transgressâ, & ad naturæ ima pervectâ?* Britannia *quoque eam attonite celebrat, tantisque ceremoniis, ut dedisse Persis videri possit.*

II. *Græcos* porro Insulas antquitùs permeasse, & *Britanniam* usque maritimas *Europæ* oras insedisse, è Divi *Hieronymi* [c] Quæstionibus in *Genesin* (qui & authores ibidem pervetustos allegat) manifestum fiet: *Legamus* (inquit) Varronis *de Antiquitatibus libros, &* Sicinii Capitonis, *& Græcum* Phlegonta, *cæterosque eruditissimos viros, & videbimus penè omnes insulas, & totius orbis littora, terrasquenari vicinas Græcis accolis occupatas: qui, ut supra diximus, ab* Amano *&* Tauro *montibus omnia maritima loca usque ad Oceanum possidêre Britannicum*. Qui & Insulam hanc nostram non attigisse modo *Græcos*, sed & situm ejus naturamque exploratam penitùs habuisse, indiciis bene multis conficitur. Primò enim in eo nequaquam hærebis, fidem *Athenæo* [d] si præstiteris, de navigio *Hieronis*, ex *Moschione* scriptore perantiquo differenti; quod mole stupendâ miroque artificio fabricatum prohibet, & cujus malum à Bubulco quodam *Britanno* ægrè tandem inter montosa repertum, opera *Phileæ Tauromenitani*, mecanices periti, CXL annis ante *Cæsaris* in hanc Insulam adventum, in *Siciliam* fuisse deportatum. 2°. Huc præterea facit votivum illud Altare in *Caledonia Ulysi* sacrum; cujus meminit *Solinus*, [e] & in iis plagis, quæ fossæ *Grahamensi*, seu muro *Antonini Pii* ad Boram adjacent, stetisse refert. Sed neque hæc aliquis admiretur, cum è pluribus Historiis liquido constet *Græcos* olim longè latè,

[a] *In Bell. Pharsal. lib.* 1. [b] *In Hist. Nat. lib.* 30. *cap.* 1. [c] *D.* Hieronym. *in Quæst. sive Traditionibus Hebraicis in* Genesin. [d] Athen. *Deipnosoph. lib.* 5. [e] *C.* Jul. Solinus *cap.* 35.

terra

terra marique peregrinatos fuiſſe, & ejuſmodi monumenta ac inſcriptiones, tanquam appulſûs ſui teſtes & indices ubivis fere poſuiſſe. 3°. Nec prætermittendum eſt, *Pytheam* [a] illum, cum *Romani* terras nondum Boreales victoriis eſſent emenſi, ſpatium quo *Thule* à *Britannia* diſterminatur, prodidiſſe. Quod ſi *Græcorum* naves Oceanum tam *Germanicum* quam *Britannicum* non intraſſent, quâ quæſo ratione Tabulas illi Geographicas implere, imò de *Thule*, *Britannia*, *Belgio*, (præſertim quà ad mare vergunt) vel tantillum percipere potuiſſent? Atqui non aliunde quam à *Græcis* audiviſſe *Pytheam* arbitramur, quod ultra *Britanniam* ſex dierum navigatio inſtitui poſſit. Neque *Scandia*, *Burgos*, *Nerigon*, (unde in *Thulen* navigari refert) obſeſſa tenebris glacieque nomina, aliter quam per *Græcos* in *Græciam* pertigerint. Quæ tamen antiquioribus *Græcis* clarius videntur innotuiſſe, quam vel *Plinio*, vel Scriptorum *Romanorum* alii cuivis: inde ſiquidem erat quod apud *Pomponium* [b] *Melam* habetur, Græcis nimirum literis multum celebrari *Thulen*. Quibus diſſimilia non ſunt quæ *Plinius* [c] retulit, *Britannia Inſula clara Græcis noſtriſque monumentis*. His addere liceret, quæ de *Britannicis* inſulis *Orpheus*, aut ſaltem *Onomacritus*, *Ariſtoteles*, *Pytheas*, *Dicæarchus*, *Eratoſthenes*, *Strabo*, *Polybius*; quid etiam de *Caſsiteridibus Herodotus*, *Dionyſius*, *Plinius*, aliique (ut à laudandis teſtibus in re tam certâ aliquando ſuperſedeam) perſcripſêre. Sed ſoli lucem fœnerari, meæ non erit operæ; breviter itaque dixero, his ritè præſtructis minime mirandum, quamplurimas à propagine græcâ dictiones, in linguam juxta *Britannicam*, atque *Gallicam*, *Belgicamque* irrepſiſſe; quemadmodum enim *Budæo*, *Lazaroque Bayfio* viſum eſt Gentiles ſuos Græcarum antiquitus literarum ſtudioſos ideo pronuntiare, quod in idiomate ſuo voculæ aliquot occurrant, quæ Græci nonnihil ſapere videantur; & *Hadrianus* etiam *Junius* ſe multum deamat, quoniam vocibus quibuſdam Belgicis helleniſmi quippiam ſubeſſe adinvenerit; ſic profecto, aut potiori adhuc jure, gloriabuntur *Britanni*, conſuetudinem ſibi priſcam cum gente illâ interceſſiſſe, cum in eorum linguâ dictiones penè innumeræ reperiantur, quæ græcam Originationem apertiſſime profitentur. Tametſi non ignoro, *Thomam Smyth*, Equitem Auratum, multiplici eruditione virum, & ſereniſſimæ *Elizabethæ* olim Secretarium, conjecturam [d] de *Græcorum* in *Britanniam* adventum paulo ſecus adhibere: reliquâ nimirum *Europa* bellis flagrante, eorum haud paucos acciſis domi rebus, in inſulam hanc noſtram tanquam tutiſſimum perfugii locum, convolaſſe; humano utpote generi in Aſylum à reliquo orbe diductam credentes. Verum notatu digniſſimum eſt, quod [e] *Camdenus* noſter, in antiquitatis ſtudio cum primis verſatiſſimus, in excutiendo nomine *Britanniæ* haud temerè adnotavit, **Brith** ſcilicet, ſeu **Brithon** dictam olim fuiſſe, & adjecta demum voce *Tania*, Regionem græcè apud Gloſſographos denotante, *Britanniam* coaluiſſe.

III. Cæterum nec omittendum quod *Britanni* perplures eruditè admodum de rebus variis, *Chriſto* haud dum nato, ſcripſerint; quorum primus erit *Gerion* [f] ille *Bruti* Trojani comes, qui in patriam noſtram unà cum eo delatus binos edidit libros, alterum de ritibus ſacrificiorum, de Aſtronomia alterum. Hinc *Aquila Septonius*, qui anno mundi circiter MMMLXX, cum rerum nempe in *Britannia* potiretur *Rudibraſius*, Aſtronomiæ & Poetices peritiſſimus [g] emicuit. Deinde Rex *Bladudus*, qui ab ineunte ætate bonis literis apud *Athenienſes* [h] imbutus, & poſt patris *Rudibraſii* mortem in *Britanniam* reverſus, Scholam *Stanfordiæ*, in Comitatu poſtea *Lincolnienſi*, erexit, & Præceptoribus quatuor, quos omni eruditione inſtructiſſimos ſecum adduxerat, ut ſubditos ſuos ad ſapientiam informarent, aperuit. De quibus en tibi carmina [i] *Johannis Hardingi*, operam Poeticæ ſub Rege *Henrico* VI. navantis.

Stanford **he made the** Sanford **hight this day**
In whych he made an Univerſitee
His Philoſophers as Merlin **doth ſaye**
Had Scholers fele of great habilitee
Studying ever alwaye in unitee
In all the ſeven liberal ſcience
For to purchaſe wyſedome and ſapience.

Nec reticendus *Perdix* Aſtronomus, ipſe etiam *Britannus*, quem Scientiâ Mathematicâ [k] perilluſtrem, & in contemplando cœli ac ſyderum curſu perſpicacem accepimus. His adjungo *Plenidium*, ſive *Plemydium*, græcis latiniſque literis (teſtante [l] *Pont. Virunnio*) haud leviter imbutum, Poeticen etiam, & Philoſophiam edoctum. Præter hos autem ſi *Oronium* Poetam, *Blegabridum* muſicam callentem, & *Martiam Probam*, ſolos recenſuero, quamplurimos præteribo *Britannos* ante Virgineum quoque partum ſcriptis inclareſcentes.

IV. Denique obſervatu dignum quod *Jul. Agricola*, paucis à Chriſto annis (Imperante nimirum *Tito*) Proprætorem apud *Britannos* agens, Nobilium ad ſe filios [m] accerſebat; illoſque tum ad artes ingenuas hortabatur, tum ipſe ad eaſdem erudiebat: quibus porro doctrinam avide arripientibus, hoc addebat Elogium, *Britannorum Ingenia, ſtudiis Gallorum anteferenda.*

His itaque de literarum in *Britannia* vetuſtate ſtrictim prælibatis, Antiquitatem celeberrimæ Univerſitatis *Oxonienſis* ex inſtituto aggredior; ejuſque origines, quantâ potero diligentiâ, à remotiſſimis ſeculis, fideli prorſus, nec temerè improbandâ authoritate nixus, propalabo. In quo tam arduo & difficili niſu, ſi veritatem ſponte deſeruero, quæcunque mihi intendetur à venerabili illo Antiquariorum ſenatu cenſura, ſevera ut fuerit, æquiſſimam tamen agnoſcam; quanquam à communi humani generis errandi ſorte, præſertim ubi conjecturis agendum eſt, nec me, nec oculatiſſimum quempiam eximendum fore arbitror.

[a] *Vide* Camdeni *Britann. in Capite de nomine Britanniæ.* [b] *In Coſmograph. lib.* 3. [c] *Hiſt. Nat. lib.* 4. *cap.* 16. [d] *In libro de Orthograph. linguæ Anglicanæ, edit Lutet.* 1568. [e] *In Britan. ut ſupra.* [f] Pont. Virunnius *in Hiſt. Britan. lib.* 1. & Balæus *Cent.* 1. *nu. vel cap.* 10. [g] Leland. *in* 4 *Tom. Collectaneorum MS p.*8. [h] *Ib. p.*9. [i] *In Chron. ſuo edit.* Londini, 1543. *cap.* 27. *fol.* 23. [k] Leland. *ut ſupra, p.* 13. [l] Pont. Virun. *ut ſupra lib.* 1. & Lel. *p.* 15. [m] Cor. Tacitus *in vita* Jul. Agricolæ.

De Vrbis Oxonienſis Origine, & imprimis de Scholis *GRÆCOLADÆ* & *LECHELADÆ*.

DE primâ urbis *Oxonienſis* origine, apud Scriptores noſtros hæc ferè occurrunt. Mille & ſupra ante *Chriſtum* natum annis *Mempricius* Britannorum Rex eam condidiſſe dicitur, & de ſuo nomine **Caer-Mempric** appellaſſe: quæ deinceps **Rydychen**, quod linguâ Britannicâ *Vadum Boum* ſonat, & poſtea **Bellositum**, voce latinâ à ſoli amœnitate deductâ, vocabatur. Poſt Saxonum incurſionem, lapſas *Oxonii* res Rex *Vortigerus* inſtauraſſe dicitur: quas iterum corruentes, magnus imperii & ſcientiarum ſtator *Alfredus* feliciſſimis auſpiciis, æternumque ut ſperamus duraturis, denuo ſtabilivit. Quandoquidem vero non adeo urbis ipſius quam Academiæ Origines perſequimur, literarum ad *Græcoladam* appulſum, & deinceps ad ſedes meliores receſſum, enarrare par erit; quod quidem à pleriſque hoc in negotio de more ſolenni factum obſervo, qui Univerſitatis *Oxonienſis* initia vix aliunde quam *Græcolada* accerſunt. Hiſtoriolam [a] primùm appello, ubi hæc habentur verba.

Conteſtantibus (igitur) *pleriſque Chronicis multa loca per orbis climata, variis temporibus, variarum ſcientiarum ſtudiis floruiſſe leguntur. Omnium autem inter latinos nunc extantium ſtudiorum Univerſitas* Oxonienſis *fundatione prior, quâdam ſcientiarum pluralitate generalior, in veritatis Catholicæ profeſſione firmior, & privilegiorum multiplicitate præſtantior invenitur, prout ſuæ fundationis inſinuant Hiſtoriæ Britannicæ perantiquæ. Fertur enim inter bellicoſos quondam Trojanos, quando cum Duce ſuo* Bruto *Inſulam tunc* **Albion**, *poſtmodum* Britanniam, *ac demum dictam* Angliam, *triumphaliter occupârunt, quoſdam Philoſophos adventantes, locum habitationis ſibi congruæ in ipſâ inſulâ elegiſſe, cui & nomen videlicet* **Grekelade.** *Hi Philoſophi qui Græci fuerant, uſque in præſentem diem quaſi ſui veſtigium reliquerunt. A quo quidem loco non longè Municipium* Oxoniæ *noſcitur eſſe ſitum, quod propter amnium, pratorum, & nemorum adjacentium amœnitatem,* **Bellositum** *olim antiquitas poſtmodum* Oxenfordia, *à quodam vado vicino ſic dictum, populus Saxonicus nominavit, & ad locum ſtudii præelegit. Scientiarum quippè exuberantior pluralitas ibidem evidentiùs eò cernitur, quo in aliis ſtudiis uni de pluribus ſcientiis ſic inſiſtitur, ut cùm aut plures, aut ſaltem major pars earum videatur excludi;* Oxoniæ *vero ſingulæ ſic docentur, ut ſcientia quæ illic reſpuitur, nullatenùs licita cenſeatur: Catholicæ ſiquidem veritatis ſinceritas, ita in doctrinis, divinâ favente gratiâ, eſt ibidem hucuſq; ſervata, ut hæreſis illic aliquoties pullulantis memoria non exiſtat, quam in ſui ortu non occiderit Catholicorum Doctorum ſolertia, & Præſidentium vigil cura. Hanc inſuper Univerſitatem Romanorum Pontificum, ac Diœceſanorum privilegiis multimodis adornatam ſic celſitudo Regia ſublimavit, ut Scholaſticorum ditioni etiam loci Municipes obnoxii multiplicitèr videntur. Licet autem antè, propter difficilem maris tranſitum, ac ſitum Inſulæ, fama & notitia hujus ſtudii, ſit quibuſdam diſtantibus Regionibus minus nota, non minori tamen noſcitur prærogativa habere. Ne igitur, tam antiqui, tam generales, tam Catholici, tam privilegiati, ſtatuta, libertates, privilegia, & conſuetudines ignorentur, decet & expedit, ea, modoſque eorum, quibus &c.*

Hæc ut in aliis paſſim ſcriptis obverſantur, ita potiſſimum in Hiſtoriolâ noſtrâ, quæ tempore Regum *Edoardi* III. & *Henrici* IV. Statutorum codicibus, ad Cancellarium, & utrumque Procuratorem pertinentibus, inſerebatur; cui tamen quia nonnulli fidem cenſebant elevandam, vel tanquam falſæ ſpuriæque, vel tanquam in propriâ cauſâ teſtimonium adhibenti, alios itaque, vel idem prorſus, vel tantundem nobis propugnantes, Authores adducam.

Prodeat imprimis *Joannes Roſſus*, vulgo *Rouſe*, Antiquarius dictus *Warwicenſis*, qui ſub *Edoardo* IV. Hiſtoriolæ huic noſtræ luculenter adſtipulantia conſcripſit, è variis eadem Chronicis deſumpſiſſe profeſſus. En tibi, ut reliqua omittam, diſerta ipſius in loco quodam [b] verba; ſiquidem *ut Chronicæ docent* (inquit ille) *ipſi magnæ Literaturæ viri à Græcia cum ipſo eorum Rege ſupradicto Bruto, novæ advenæ locum pro eorum habitatione congruum eligebant, cujus & nomen ab ipſis Græcis* **Greeklade** *appellatum eſt: à quo quidem loco non multùm diſtante ſitu, Medici qui erant inter eos periti locum iis appropriârunt congruum & ſitu ſalubrem, qui uſque hodie ab ipſis Medicis* **Lechelade** *appellatur:* nam **Leech** Medicum ſonat.

Adſit deinde Hiſtoria [c] Abbatiæ *Iorenallenſis*, *Joh. Roſſo* longe Antiquior, utpote ſub *Ricardo* I. contexta; quæ poſtquam retulit *Erpwaldum* Regis *Rodwaldi* filium in *Gallia* degentem, & Regno inter *Anglos* Orientales nondum potitum, (potitus autem eſt anno Salutis quaſi DCXXXII) juvenibus eruditis Scholas exædificaſſe; deinde ſubdit, *Quod ſecundum quoſdam, fuerunt ante iſta tempora duo ſtudia in* Anglia, *unum de Latino, & aliud de Græco, quorum unum Græci poſuerunt apud* **Greglade**, *qui modo dicitur* **Kirklade**, *& ibidem linguam Græcam pro tempore docuerunt. Aliud vero Latini poſuerunt apud* **Latinelade**, *quæ modo vocatur* **Leechlade** *juxta* Oxoniam, *linguam ibi* Latinam *docentes.*

Hactenus Hiſtoria, vel Annales illi à *Joh. Bramptono* ſive *Bromptono* cœnobiarchâ *Iorenallenſi* concinnati, ab iis profecto quæ de *Lechlada* deinde prodidit *Roſſus*, nonnihil diſcrepantes; quamvis enim Scholæ hic noſtræ memorentur, de iiſdem tamen ad *Bellositum* deductis, altum ſiletur.

Ad *Joannem* ergo *Lelandum* venio, Antiquitatis ſtudio egregie deditum, Scholaſque quas diximus, præfatis etiam locis poſitas [d] teſtantem; licet quis eas fundaverit, irrito ſibi conatu perquiſitum profitetur. *Erant olim* (inquit ille) *florente Britannici nominis gloria* [e] *duæ Scholæ cùm eloquentia, tum eruditione pollentes quarum utraque ſita in ipſis ripis* Iſidis *fluvii famoſiſſimi; uni nomen fuit patria lingua* **Greeklade**, *vocabulo à re nato, quod illic viri eximiè docti* Græcam *profiterentur linguam, ubi Sampſonis* Eboracenſis *poſtea-*

[a] *In A. fol.* 8. *a. B. fol.* 1. *b. C. fol.* 1. *b. &c. CC. in Bib. Cotton. D. fol.* 1. *a.* [b] *In Hiſtoria Regum Angliæ MS. in Bibl. Cottoniana ſub effigie Veſpaſiani, A.* 12. [c] *In eadem Bib. ſub effigie Tiberii MS. num. C.* 13. *edita cum aliis Hiſtoriis Londini, anno* 1652. [d] *In Tom.* 4. *Collect. an. MS. in Bib. Bod. p.* 111. *&c.* [e] Ut ex hiſtoria fidei mihi non admodum approbatæ liquet. *Hæc verba interlineata ſunt in opere hic citato, ſed utrum per* Lelandum, *dubium eſt.*

que

que Menevensis *Episcopi, obscura adhuc per versiculos extat memoria* [a]: *alteri ex* Latinæ *linguæ præceptoribus* **Latinelade** *nomen impositum; Quanquam non desunt qui pro* **Latinelade, Lechelade,** *nescio tamen an verè, scribant, adfirmentque Medicorum fuisse Scholam. Sed quis nunc Author Gymnasia illa primum instituerit, quamvis diligentissimè quæsiverim, hactenùs à nemine discere potui. Vix constat interim* [b] *quo tempore in pretio fuerint.* Johannes *tamen* Rossus Verovicensis *in libello de Academiis Britannicis, secutus authoritatem* Davidis Tavani, *aliàs* Landavensis, *scribit* Sampsonem, *qui ab* Aurelio Ambrosio *Britannorum Rege invictissimo in Archiepiscopum* Eboracensem *electus fuit,* Græcoladæ *studuisse. At posteà, ut est rerum omnium vicissitudo, utriusque Scholæ gloria,* Bellositum, *quod nunc* Oxoniam *vocant, translata fuit. De causa certè ambigitur.* Johannes *tamen* Rossus, *curiosus subinde Antiquitatis investigator, adfirmat* Græcoladenses, *tædio loci parum commodi adfectos, novas sedes quæsiviisse, allectosque pratorum & amnium amœnitate, quibus* Bellositum *tanquam fœcundo variè ludentis naturæ horto cingebatur, eò commigrasse.* Hæc *Lelandus*; qui & iis consentanea margini [c] *Polydori Virgilii,* ubi de *Oxonio* agitur, inscripsit: quibus etiam maximâ ex parte adstipulantem reperies *Balæum.*

Cæterum nec prætermittenda quæ in MS. [d] quodam Saxonico pervetusto habentur, lucemque ni fallor clarissimam Scholis hisce *Græcoladensibus, Oxonium* quoque transductis, affundunt. Ibi enim cum de prædiis ad *Monasteria* spectantibus fit sermo, (innuendum vero obiter, veteres frequenter *Saxones,* loca quælibet literis destinata, *Monasteriorum* nomine denotasse) *Græcolada* & *Oxonium* sic consociantur: ⁊ to cpecgeladæ hýpp xiv hund hiða ⁊ xv hund hiða to Oxnaforda: i. e. *Quatuor decies centum hidæ ad* Crecgeladum *spectant, & quindecies centum hidæ spectant ad* Oxenfordiam: sic vel tantillam lucem (ait *Whelocus* [e]) Historiæ antiquæ placuit admovere. Cur non autem exinde suspicemur, *Græcoladam* jam tum cum *Oxonio* primum coaluisse, & latifundia illa quæ ad *Græcoladenses* prius pertinebant, postquam studiosi verso solo *Oxonii* sedem posuissent, tanquam commune patrimonium, in censuales tabulas unà relata fuisse?

His & alia poteram testimonia subnectere, eaque abunde multa; sed ne libro Tympaniten accersam, sufficiet unicum (missis *Foxio, Broughtono, Twyno,* &c.) proferre: *Ric.* scil. *Graftoni,* [f] qui Philosophos cum *Trojanis* ingressos, & sedes suas in loco postea dicto **Greeklade** ponentes memorans, eosdem refert, alîus cujusdam loci amœnitate captos, *Græcolada* isthuc migrâsse, scilicet ubi nunc sita est *Oxonia.*

Minime vero me latet, & fuisse nonnullos, & in posterum futuros, qui *Brutum* unquam aliquem ad *Britanniam* appulisse ægrè agnoverint; apud quos quæcunque de Philosophis huc illum comitantibus, & Scholam *Græcoladæ* aperientibus traduntur, ceu febricitantium insomnia, & aniles fabulas; despuere & diffiare promptum fuerit. Hisce quidem breviter reponam, pari omnino ratione de rebus quibuslibet vetustis ambigi posse, quas sublustris plerumque traditionis obscuritas, & sententiæ sibi pariter contranitentes, præjudicium faciunt: verum melioris notæ Scriptores [g] plerique omnes agnoscunt ipsum Insulam hanc nostram primum subjugasse, & deinceps ad posteros suos solum, sceptrumque transmisisse. Conspirant in eo Annalium quamplurimi, præsertim vero [h] literæ ab *Edoardo* I. centum etiam sigillis munitæ, & ad Papam circa annum MCCLXXXIV missæ: quæ post diligentissimam, quam præ se ferunt, Antiquitatis disquisitionem, & veritatis eventilationem, apertissime *Bruti* adventum, ejusque inter filios Insulæ hujus partitionem enarrant & adstruunt. Quin & in Archivis turris *Londinensis* diploma habetur vere regium, & si quod uspiam aliud, omnibus nominibus authenticum, testimoniis nimirum munitum plurimorum *Præsulum, Comitum, & Baronum, aliorumq; fide dignissimorum gentis Anglicanæ*; nec non solenniter agnitum & admissum, *à Nobilibus, Prælatis, & Communitate totius regni Scotorum*: in quo legitimæ successionis jura *Edoardi primi in regno Angliæ, & directum in Scotos dominium,* à *Bruto,* ejusdemq; liberis, tanquam à fonte suo & origine deducuntur: cujus fere sub initio dicitur quod *rationibus evidentibus, & documentis verisimilibus & probabilibus, Rex Angliæ, jus superioritatis & directi dominii regni Scotiæ suum esse, & ad ipsum jure coronæ regni Angliæ, & dignitatis suæ regalis præeminentiâ, pertinere debere asserebat, & etiam ostendebat, incipiendo à tempore* Bruti, *& sic successivè descendendo usque ad tempus suum, sicut in antiquis chronicis, & libris in diversis* Angliæ & Scotiæ *regnorum monasteriis compertis scripta reperiebantur.* Et quidem haud temere quis rationes illas pro levibus habuerit, quas tot tantique viri pro evidentibus & probabilibus duxêre, quæque ejusmodi fuerant, ut imperii momenta, & bellicosæ gentis fata secum traherent. Plura qui velit, consulat *Tom.* III. *Collect. Prynnii, Lib.* V. *Cap.* III. XX *Edoardi* I. *pag.* 489. Quod si nec detur *Brutum* in *Britanniam* penetrasse, nec ejus Philosophos *Græcoladæ* docuisse, suppetunt tamen Authores qui Scholas ibidem viguisse testantur, licet *Bruti* res gestas haud commemorant. Imprimis autem, Græcis olim accolis inclaruisse *Britanniam,* ex superius allatis

[a] *Vide* Lelandum *in Cyg. Cantione in voce* Isidis vadum. [b] Tenui testimonio, *interlineata ut illa supra.* [c] *Vide* Br. Twynum *in Apol. Antiq. Acad.* Oxon. *lib. 2. sect. 3.* [d] *In Bib.* Cotton. *ad finem Bedæ Sax. pag. 347. lin. 26.* [e] *In Annotationibus super Hist. Ecclesiasticam Bedæ, lib. 4. cap. 2.* [f] *In Chron. sub ann.* 872. [g] Gildas Badonicus *qui claruit anno* 583. *in libro de Gestis* Britonum *MS. in Bib. Bod. fol. 2. a.* Nennius *Abbas* Banchorensis *qui clar.* 620. *in lib. de Origine & Gestis* Britonum, *MS. in Bib.* Bod. *& in Bib. publ.* Cantabr. Poeta Saxonicus, *MS. in Bib. Coll. SS. Trinit.* Cantabr. *citatus per* Abr. Whelocum *in Commentariis suis super Ecclesiasticam Historiam Ven.* Bedæ, *lib. 1. cap. 1.* Talieſin, *Poeta Britannicus, qui clar. anno* 540. *in quadam* oda *vocat.* Hanes *MS. videsis Defensionem Historiæ Britannicæ per* Joh. Priseum *militem: edit.* Londini, 1573. *pag.* 10. 27, 120. *&c.* Hen. Huntingdon, *qui vixit anno,* 1148. *in Histor. Angliæ, partim collecta ex antiquissimo codice De origine Regum Britannorum, invento in Abbatia* Beccensi *in* Normannia. Sylv. Giraldus, *in 2 lib. Distinct. MS.* Galfr. Monemuth, *in libro suo de Britanniæ Regum & Principum Origine & rebus gestis, collecto & composito ex variis Historiis in Britannico Sermone primo Scriptis, impresso per* Jo. Badium *Ascensium, anno* 1508. *Floruit iste* Galfridus, *ann.* 1152. Sigebertus, *Gemblacensis monachus, Clar. anno* 1105. Joh. Hanwill *vel* Annævillanus *in Architrenio, lib. 5. MS. Clar. anno* 1200. Alexand. Nequam *in libro de Sapientia Divina.* Ponticus Virunnius, *in Historia Britannica. Edit.* Londini 1585. p. 2. *&c.* Joh. Lelandus, *in Cygnea Cantione, Edit.* Londini *in* 4°, *circa anno* 1545. *& ibidem in* 8°, *anno* 1658. *p.* 16, 17, 18, *&c.* Joh. Priseus *Equestris ordinis Britannus, in Defensione Histor. Britan. ut supra.* Ricardus Vitus (*vulgo* White) *in libris Historiarum. Edit.* Atrebati, 1597. *lib. 1. & multi alii. Videsis alias Authoritates pro* Bruto *in libro cui Tit. est, vindicatio Chronologica Jurisdictionis Ecclesiast. Angliæ, per* G. Prynne, *Tom. 3. Edit.* Londini, 1668. *cap. 3. 20 Ed. 1. p. 490.* [h] *Inter Epistolas* Pet. *de* Vineis *in quodam exemplari ejusdem authoris MS.* Hen. Knighton *de eventibus Angliæ, lib. 3.*

omnino patet; quibus addere possim *Vellei Paterculi* [a] testimonium, qui in varias eos terras ac civitates demigrasse tradit, ut bonas literas ubique gentium proseminarent: porro & *Pontici Virunnii* [b] suffragium, qui disertis perhibet verbis, *Britannos* ante natum quoque Christum literarum amantissimos extitisse, virisque inclaruisse Insulam, tum Græcâ tum Latinâ eruditione instructissimis. *Camdenus* itidem [c] ab Authoribus antiquis, Græcos in hanc Insulam transmisisse, & sparsim cum ejusdem incolis habitasse memorat. Quod si populus noster mediâ barbarie natus docendus, non doctus fuerit, quis ei Scholas & Seminaria negabit, quibus instruendi essent, qui alios deinde instruere possent? Præsertim cum Græcorum monumentis abundaverit, & Græcismum sane plurimis vocabuls priscam *Britannorum* linguam sapere manifestum sit. Historia certè *Iorevallensis*, & *Lelandus* prone suffragantur; & quamvis iste Scholarum *Græcoladæ Lechladæque* positarum fundatores ignorare se fatetur *Lelandus*, è vetustis tamen locorum illorum monumentis *Sampsonem* Sancti *Dubritii* discipulum, ibidem studuisse asserit; quod etiam in ejusdem *Sampsonis* vitâ, etsi ex incertâ quadam auditione, [d] repetit; quem *Balæus* etiam sequitur, [e] additque, ipsum Scholas ibi quasdam instituisse. *Sampson* is ille nimirum est qui ob morbum Icteritium inter populares undique suos grassantem, solum coactus vertere, *Dolam* in *Galliâ*, Urbem Archiepiscopali sede ornatam, concessit, librosque *Britannorum* perplures eòdem [f] asportavit, interque alios Historiam *Britannicam*, quam *Walterus Mape* Archidiac. *Oxoniensis* (vel ut aliis placet, *Walterus Calenius*) tempore Regis *Ricardi* I. patriæ [g] restituit; quæ in manus *Galfredi Monumethensis* incidens, integram *Bruti* Historiam eidem suppeditavit. *Theodorus* etiam qui *Tarso Ciliciæ* oriundus erat, annoq; Dom. DCLXVIII. *Cantuariæ* sedebat, *Græcoladæ* tum studuisse, tum docuisse, quin & ipsam variis cladibus pæne convulsam recreasse memoratur: ut in valde antiquo codice MS. in manibus *Francisci Thynne* Fecialis, titulo *Lancastrensis*, tempore *Elizabethæ* Reginæ, scriptum [h] reperiebatur: istum scilicet *Theodorum*, unà cum Abbate *Adriano*, *Britannos* ad rationis & humanitatis usum revocasse, ipsamque Insulam Tyrannorum nuper feraciissimam, in Philosophiæ viridarium redegisse. Ejus insuper auspiciis eousque succrevit cultioris literaturæ amor, ac studium, ut eo quo vixit, proximisq; sæculis, viri tot eruditi emerserint, quot ante nunquam in *Britannia* comparuissent; quos inter eminebant *Beda*, *Sanctus Johan. de Beverlaco*, *Alcuinus* & *Tobias*, quorum primus [i] testatur, discipulos *Theodori* nonnullos linguam Græcam Latinamque perfecte non minus quam patriam calluisse.

Huc usque de *Græcolada* & *Lechlada*: quarum tàmen nomina aliunde alios derivare [k] dissimulandum non est; *Græcoladam* nempe non quia Græcorum locum dici, sed, quasi *Creccolada* esset, à *Crecca* deduci, apud *Zelandos* torrentem in flumen aliquod irruentem denotante; *Lechladam* vero à fluvio *Lecha* oppidum præterfluente. Verum profecto quod ad Nomenclaturam priorem attinet, vox nostras, ut & Saxonica vetus, **Creeke**, (à quâ potius quam *Zelandica* deflecti verisimile fit) nihil aliud quam crepidinem, vel sinum maris, aut fluvii saltem grandioris, denotat, qualis apud *Græcoladam* nullus est. Quod si conjecturis agendum esset, à **Kirke** sive Ecclesiâ, (quæ ibi stat *Sampsonis Mariæ*) cum *Kirkelada* priscis nonnullis scribatur, deduci possit. Sed de hisce nominibus, alteroque *Erydon*, (prout à Scriptore quodam [l] appellatur) doctiorum esto judicium; nam quod me attinet, sicut non à nominis Etymo, sed à Scriptorum illustrium authoritate testimonia congessi, ita ut pro eorum veritate nimis acriter contenderem, in animum mihi haudquaquam induxi; cum tot antiquorum sæculorum facta obscurè, nec sine contradictione plerumque, ob monumenta literarum temporis edacitate, & Rerumpublicarum everstone consumpta, posteritati tradantur. Valeant ergo quantum possunt testimonia illa, & fidem à Scriptoribus quæque suis mutuentur; mihi sufficit si probum diligentemque veri indagatorem gessero, aliisque disceptandum relinquens, an qui *Græcoladæ* studuisse dicuntur Græci, à *Theodoro* ejusque discipulis diversi fuerint necne, ad *Bellositum*, seu Musas eodem commigrantes, me propere accingam. Siqui autem Origines *Oxoniensium* altius *Græcoladâ* repetunt, id per me faciant, cui in re tam obscurâ curiosius differere, nec vacat, nec libet; Inceptores Authoresque Universitatis Illustrissimæ cimmerias inter tenebras delitescere, dolendum deflendumque arbitror: eorum vero urnas & sacros cineres ulterius sollicitare, mihi prorsus religio habetur.

De Bellosito.

DE *Græcolada* & *Lechelada* tantisper egimus. Locus jam postulat & instituti ratio ut ad *Bellositum* descendamus, Gallice (à priscis quibusdam Scriptis loquor) **Beaumont** nuncupatum, latinis vero *Belli montis* nomine designatum. Id autem *Oxonio* jam accrevit, & in borealibus ejus pomœriis *Sancti Ægidii*, & *B. Mariæ Magdalenæ* Parochias ferè complectitur.

Talem in prisca *Britannia* Urbem Oppidumve extitisse, frequentibus Authorum calculis adstruitur; & quamvis nonnulli longe alibi ponendum sentiunt, mihi tamen in promptu sunt rationes satis idoneæ quibus *Oxonium* antiquum fuisse plane convincam. *Joannes Rossus* (quem supra memoravimus) in libro suo circa annum MCCCCLXXXIII scripto, de *Mempricio* agens, rerum in *Britannia*, annis ante natum Christum novem supra millesimum, potito, hæc [m] habet. *De quo nihil boni commemoratur, nisi quod probum filium & hæredem generavit nomine* Ebrancum, *& unum nobilem urbem condiit, quam à nomine suo* **Caer-Mempric** *nominavit, sed temporum postea decursu* **Bellesitum**, *demum* **Caer-Bosta**, *tandem* **Rydychen**, *& ultimò* Oxonia *sive* Oxenfordia, *à quodam eventu de quodam vado vicino per Saxones appellata, quod nomen usque hodie retinet. Crevit ibi posteris diebus nobile studium generale ab inclyta Universitate de*

[a] *In Hist. Rom. lib.* 1. [b] *In Hist. Britan. lib.* 1. *pag.* 2. [c] *In Britannia edit.* 1607. *p.* 21. *&c.* [d] *In eod. Tom.* 4. *ut supra p.* 57. [e] *In Cent.* 13. *nu.* 51. [f] Lel. *ut supra, p.* 57. [g] *Ibid. p.* 146. [h] *Vide* Twynum *in Apol. lib.* 2. *sect.* 8. [i] *In Histor. Eccles. lib.* 4. *cap.* 2. [k] *Vide* Somnerum *in Glossario suo ad finem Scriptorum Angl. in voce* Greglade, *edit.* Londini, 1652. [l] Guil. Harrison *in Chronico suo, lib.* 2. *cap.* 3. [m] *In libro MS. de Regibus ut supra, p.* 20.

Greekelade *derivatum*: situatur *inter flumina* Thamisiæ & Cherwelli *ibi obviantia. Urbs hæc sicut* **Jerusalem**, *ut apparet, est alterata; nam mons* Calvariæ *Christo passo erat juxta muros Civitatis, & nunc infra murorum ambitum continetur*: *sic extra* Oxoniam *est modò quædam larga planities muris villæ contigua &* **Bellemont** *appellatur, quod sonat pulcher mons*: *& hoc quodammodo cum uno de antiquioribus nominibus Urbis ipsius prænominatis & præcitatis, videlicet* **Bellesitum** *convenit*: *Unde opinantur multi, Universitatem à* **Greekelade** *ad ipsum* Bellum montem *vel* **Bellesitum** *translatam ante adventum Saxonum, Brutonibus in Insula regnantibus, & Ecclesia* Sancti Ægidii *tunc sub nomine alterius cujusdam Sancti dedicata erat; locus creationis Graduatorum sicut modò est Ecclesia* Sanctæ Mariæ *infra muros.*

His vero in tantum adstipulatur *Rodolphus* [a] *Agas*, ut Civitatem *Oxoniensem* fundasse quidem *Mempricium*, *Vortigerum* autem instauasse, tradiderit. Quibus accedit etiam *Daniel Rogers* [b] vir, si *Camdenum* [c] audias, eruditione ornatissimus; qui (velut è carminibus mox annectendis liquebit) tum præfatis diserte suffragatur, tum addit insuper, *Oxoniam Bellositi* antiquitus nomine innotuisse. Sic enim se habet.

Bellositum *te rite vocant*, Oxonia, *patres*,
Namque situ bellum quid magis orbe tuo?
Rhidocæ *primis sub nomine culta Britannis*,
Quam vagus irriguis Isis *aderrat aquis.*
Non ingrata suis, queis crevit Regibus; *ortam*
Mempriso *sese*, Vortigeroque *refert.*

Siquis autem Authoribus hisce, quod non adeo antiqui fuerint, fidem abrogare sategerit, in procinctu est quod regeramus, Scriptores utique allegatos, nec ista per quietem vidisse, nec ad arbitrium finxisse, quin ab antiquis eadem codicibus desumpta recitare. Nam de *Rosso* nominatim testatur *Lelandus*, & priscos illum Scriptores, maxime vero *Davidem Tavensem*, sive *Landavensem* (quem *Balæus* [d] *Davidem Morganium* appellat, quemque temporibus *Edoardi* IV. scripsisse constat) secutum fuisse; & (quod à nobis præcipue facit) etiam ea quæ de *Græcolada* & *Bellosito* prodidit, ab iisdem mutuatum: quem porro, præter *Landavensem*, Historiolam quoque nostram, cum Chronicis Abbatiæ *Hidensis*, & id genus aliis, qui nunc periêre, in subsidium sibi accersiviisse crediderim. Si vero quis causetur Domesticos, nimiumque in partes nostras addictos Testes à nobis citari, in promptu fuerint *Cantabrigiensium* suffragia, & inter primos ipsius *Lelandi*, apud quem sic [e] legimus, --*sed quæ mea est conjectura, adducor ut credam, veteres Scholas* Isiacas *à Saxonibus latè omnia depopulantibus deturpatas fuisse, &* Græcoladensium *reliquias ab illo loco, non modò ad amæniores, verum ad tutiores sedes optimo quodam concilio confugisse. Nolo hic plurimis verbis in confirmandâ conjecturâ invalidâ laborare, ne videar velle* Rossi *authoritatem infringere* [f]. *Magis ad rem faciet si indicavero quis postea fuerit* Bellositensis *Academiæ author, in qua parte ita obliterata est antiquitatis memoria, ut ex authoribus, qui de rebus nostris scripserunt, nihil ferè certi deprehendi possit. Ego nihilominus non gravabor ea in medium adferre, quæ ratio admissa simul dictat.*

Primum cum ex authoritate Davidis Tavensis, *sive* Landavensis *constat*, Græcoladense *Gymnasium floruisse regnante* Aurelio Ambrosio, *necesse est commigrationem factam fuisse post Saxonum in* Britanniam *adventum, qui omnibus modis contendebant indigenas extinguere. Non tamen fortuna illorum crudelitati usque adeò applausit, quin mortuo* Ambrosio *Rege, cùm ab* Uthero Pendracone, *tùm ab* Arthurio, *principibus invictissimis sæpe profligarentur, quemadmodum & postea,* Constantino, Aurelio Conano, Vortiporio, *ac* Mailgone *regnantibus. Quo tempore, si literæ à* Græcolada *ad* Bellositum *commigraverunt, non dubium est, illas, non dicam maximo, aliquo tamen in pretio ibidem fuisse. At cum devicto* Ceretico *& ultra* Sabrinam *fugato, victores* Saxones *totam Mediterraneam* Britanniam *pro votis occuparent, credibile est* Bellositensis *Academiæ honorem aut prorsus concidisse, aut ita diminutum fuisse, ut posteà indies devergerit ad interitum. Quî enim aliter esse potuit imperantibus Saxonibus, hominibus barbaris, bellicosis, feris, & à fide Christi alienissimis? Hæc sors est rerum humanarum, ut nihil stabile, nihil perpetuum sit. Ubi nunc veteris Academiæ* Bellositensis *gloria? cum vix nominis umbra tenuis apud paucos admodum Antiquarios extet. Qua parte aliquanto fortunatior, quæ vel hodiè (si vera referunt) quamvis humilis pagus sit, antiquo nomine gaudet. Habet tamen* Bellositum, *licet nomen, quemadmodum multæ aliæ præclarissimæ Urbes, perdiderit, quod fortunas suas jactet, quod* Alfredus *Princeps ter maximus, sopitos literarum Cineres novis ignibus in focis suis animaverit, &c.*

Sic *Lelandus*, cum *Tavensi* asserens Scholam *Græcoladensem*, postquam *Britanniam Saxones* occupassent, sede veteri relictâ, ad *Bellositum* commigrasse; unde illius hac in re sententia liquido apparet; quæ & manifestius exinde patet, quoniam in Collectaneis [g] suis *Bellositi* nomen pro *Oxonia* creberrime usurpat. Quod quidem vel Dominum *Johannem Checum* militem, (penes quem Codices *Lelandi* olim fuerant) vel alium quempiam antiquitatis nostræ invidum, adeo urebat, ut expuncto non semel *Bellosito*, *Isidis vadum* substitui deprehendas.

Sed quoniam doctissimus *Lelandus*, ea quæ attulimus, quæque in Scriptis sæpe suis repetit, supprimere omnino non ausus, subdubitanter tamen conjectari potius videtur quam asserere; alios, & quidem illo antiquiores, testes adducemus; primumque Doctorem quem *Profundum* nuncuparunt, *Walterum Burlæum*, sæculo *Edoardi* III. Philosophicâ gloriâ inclarescentem. Hic enim in Summâ seu Analysi Problematum [h] *Aristotelicorum*, super eo cui initium, *Complexio quare rara sanior?* his verbis edisserit. *Notanda* (inquit ille) *sunt tria, quod Civitas sana erit, quæ versus boream & orientem plana est & aperta, & austrum occidentemque versus montosa, propter puritatem boreæ & orientis, & propter putredinemm austri & occidentis, sicut* Oxonia, *quæ propter industriam* Græcorum Philosophorum *fuerat ordinata.*

Neque vero me movet quod hæc *Burlæi* verba ca-

[a] *In Typo suo Urbis* Oxon. *fact. anno* 1578. [b] Dan. Rogers *regii Consistorii ac sanctioris Concilii à Secretis in Epigr. suo ad Acad.* Oxon. *in eodem Typo ut supra.* [c] *In* Britannia *in cap. de moribus & consuetud.* Britannorum. [d] *In Cent* 8. *num.* 45. [e] *In Tom.* 4. *Collect. ut supra, p.* 111, 112, *&c.* [f] Cum meam non possim interim satis constituere, utpote qui non statim admittam, fuisse tales aliquando Academias, sed mos erroribus tam receptis utcunque gerendus. *Hæc verba stant ad Marginem operis* Lelandi *hic citati, sed utrum ipsius Autographa dubitatur.* [g] *In eod. Tom. ut supra, p.* 149, 187, 232, *&c.* [h] *MS. inter cod.* Digb. *& in Bib. Coll. Magd.* Oxon. *& alibi. partic.* 2. *vide* Twynum *in Apol. lib.* 2. *sect.* 21.

villatur [a] *Londinenſis*, tanquam Hiſtoriolæ noſtræ repugnantia, quibus utique refert, *Oxoniam propter Græcorum induſtriam ordinatam fuiſſe.* Non enim vult *Burlæus* illos ipſos *Græcos* qui primi *Græcoladam* inſtituerunt, ſed eorum Succeſſores [b] & Diſcipulos *Oxoniæ* ſitum ſpectaſſe, eundem approbaſſe, Scholaſque eòdem tranſtuliſſe.

Burlæum excipient Annales [c] Cœnobii *Hidenſis*, ſecus *Wintoniam*, dicentes, Quod *Univerſitas* Oxoniæ *quondam erat extra portam borealem ejuſdem Urbis, & erat Principalis Eccleſia totius Cleri Eccleſia* S. Ægidii *extra eandem portam, modò verò eſt infra muros Urbis* Oxoniæ, *& eſt Eccleſia principalis cleri Eccleſia* S. Mariæ *infra eandem Urbem.*

Hæc aperte coincidunt cum teſtimonio *Joannis Roſſi*, ſuperius allato. Sequitur vero in iiſdem deinceps Cœnobii *Hidenſis* Annalibus, migrationem illam (à Boreali nempe Urbis latere verſus Auſtrum) anno MCCCLIV. obtigiſſe, cum lites videlicet inter Scholares & urbanos funeſtæ exardeſcerent, & Cancellario (peſſime cum Scholaribus ſuis à Civibus habito) deinceps rerum ſumma in Urbe deferretur.

In qua temporum ſupputatione, ſi Chronici iſtius Author id ſibi velit, ut profiteatur, Academicorum qui intra Urbis pomœria verſabantur, conditionem, poſt fatale illud quod refert diſſidium, in melius mutatam, allicuiſſe plurimos in ſuburbiis bellomontanis agentes, & proinde injuriis domini regionis ſuburbicariæ, ſive hundredæ portæ-borealis obnoxios, ut in loca pacatiora ſe reciperent, rem narrat veritati prorſus conſonam: nondum enim cum [d] *Damoreio*, centuriæ domino, ea tempeſtate in pacta convenerat; de quâ re inferius agemus. Si autem ea ſit Chronographi mens, Academicos tunc temporis intra urbis muros ad auſtrum poſitos ſe primum recepiſſe, graviſſimo errore eſt lapſus; quemadmodum ex poſtea dicendis evidenter apparebit. Sed iſta obiter monuiſſe ſuffecerit.

In orbitam itaque redeo, & corollarii loco ſubnectam leviora quædam indicia, ab antiquitatis tamen ſtudioſis minime contemnenda, quæ Scholis noſtris *Belloſitenſibus* lucem fœnerabuntur; indicia nimirum, quæ poſt longum ſeculorum lapſum ex locorum nomenclaturâ, ædificiorumque ruderibus etiamnum ſuperſunt; ne vel propoſito meo, vel officio, vel Lectoris denique expectationi defuiſſe ullâ ex parte videar.

Primo itaque occurrit [e] Campus ille qui inter *Belloſiti*, ſive *Belli Montis* agros poſitus, nomine *ſeptem Aſtrorum* olim innotuit; quem exinde dictum quis conjecerit, quod Aſtronomorum inibi hoſpitium antiquitùs poneretur.

II. Huic accedit alterius agri portio **Hall**, i. e. Aula Treppeniana, priſcis denominata, cui & nomini & loco apertiſſima hoſpitii veſtigia adhærent.

III. Deinde ager dictus **University Acres**, i.e. jugera Univerſitatis, de quo tamen nil certi affirmarim, cum Collegium *Univerſitatis* ad quod ſpectant, nomen iis impertiiſſe potuerit.

IV. Locus porro extat *Oxonium* à pomœriis borealibus diſterminans, **Bochord** olim, nunc **Bocardo** vocitatus; quæ quidem vox *Bibliothecam* [g] ſonat, ſive locum conſervandis libris literarumque monumentis deſtinatum.

V. Ædificiorum ad hæc rudera in ſubigendis *Belli montis* agris paſſim offenduntur; idque maxime ad *Waltonam*, vicum nuper inopem obſcurumque, quem *Lelandus* paulo ſupra pro *Belloſiti* habuit reliquiis.

VI. Habentur præterea in antiquis ſcriptis Plateæ haud paucæ, juxta Collegium *Gloceſtrenſe*, videlicet **Stockwellſtreet**, & illa *Hybernorum*, vulgo **Irishmanſtreet**; quibus adde illam ad *Waltonam* tendentem, dictamque **Waltonſtreet**. Ambigi autem non poteſt hæc omnia ad pagum aliquem, ruſticamve villam nullatenus pertinuiſſe.

VII. Platea quoque *Belli montis* [h] memoratur **Beaumontſtreet** vocata, quæ à portâ fabrili (**Smithgate**) *Romam* (locus is erat quaſi meditullium agri *Belli montis* occupans) deduxit; ubi non ita pridem à foſſoribus reperti ſunt ſubterranei quidam ſtupendæ amplitudinis meatus. Prædictæ vero ferè omnes Plateæ, imo ipſa ædificiorum veſtigia prorſus evanuêre, & ſeges eſt ubi olim ſteterat *Belloſitum.*

VIII. Deniq; occurrunt nomina Aularum ſive Hoſpitiorum in adjacentibus Parochiis S. *Ægidii*, & *Divæ Mariæ Magdalenæ*; è quibus eſt *Aula* [i] *Græca*, nec non plurimæ aliæ ſuis deinceps locis opportunius adferendæ.

Subductis ritè calculis, hæc ego tanti arbitror momenti eſſe ad faciendam fidem iis omnibus, quæ de *Belloſito* perhibentur, ut neminem fore crediderim, Antiquitatis ſtudio vel mediocriter verſatum, qui non mirabitur, poſt tot clades ac bella, hoſtiumque *Saxonum* & *Danorum* incurſiones, demum ipſius Reipublicæ ſubverſiones, de Academiâ ſive Scholis *Belloſitenſibus*, re adeo antiquâ, tam frequentia & perſpicua apud Authores vetuſtos reperiri teſtimonia. Sed ut dictis modum ſtatuam, omnia doctiſſimorum virorum *Lelandi* & *Camdeni*, ſuffragiis claudam, *Belloſito* in præſentia valedicturus. Sic autem loquitur [k] *Lelandus*, *Legi apud quoſdam miræ vetuſtatis* Britannicarum *rerum ſcriptores*, *tempore* Britonum, *tam Græcas quam Latinas Scholas ad* vadum Iſidis *floruiſſe.* Sic vero [l] *Camdenus*, *Prudens antiquitas (ut in annalibus noſtris legitur) hanc urbem etiam* (ſcil. Oxon.) Britannico *ſæculo muſis conſecravit.*

[a] *In Lib. 2. Antiq. Cant.* [b] *Vide* Twynum *in Apol. lib. 2. ſect. 22.* [c] *Chron. ſive annales Monaſterii* Hyde *juxta* Winton. *MS.* [d] *A. fol. 23, &c.* [e] *In Rot. Inquiſit. de com. & villa* Oxon. *in turre* London, *Script. 6.* Ed. I. *& in collectaneis* Nic. Biſhop, *fol. 223.* [f] *In Reg. parvo vel antiquo prioratus S.* Frideſwydæ, Oxon. *p. 100. Cart. 153. & in lib. mag. ejuſdem priorat. p. 476.* [g] *Vide in Dictionario* Saxonico, Guil. Somneri *in voce Bochord.* [h] *Reg.* Godſtow. *fol. 97. & alibi in antiquis Scriptis.* [i] Twyn. *in apol. antiq.* Oxon. *lib. 2. ſect. 25.* [k] *Vide Aſſertionem antiquitatis* Oxon. *edit. cum libro de Antiq. Acad.* Cantabrig. 1574. *p. 4.* [l] *In* Britannia *in Dobunis.*

Scholarum

Scholarum OXONIÆ, ipſis Britannorum & Saxonum temporibus, ſcilicet ante Regem Aluredum, florentium Vindiciæ.

HActenus de *Belloſito*. Proximum eſt ut de Scholis *Oxonienſibus*, ultimis *Britannorum*, primiſq; *Saxonum* temporibus, quæ reperi teſtimonia ſubjungam. Quibus equidem propoſitionem hanc perſuadere non dubito, Scholas nempe publicas, ſeu Univerſitatem *Oxonii*, ſive *Belloſiti* (vel ſi alio quovis nomine urbs noſtra inſignita fuerit) ante *Aluredi* Regis *Saxonum* tempora inſtitutas fuiſſe.

Primum ergo argumentum illuſtris ille *Aſſerii Meneveníis* locus, in libro [a] de vitâ & geſtis *Aluredi*, vel *Alfredi* Regis, ſuppeditabit. Sic enim ille ſcribit. *Eodem anno* (viz. DCCCLXXXVI) *exorta eſt peſſima ac teterrima* Oxoniæ *diſcordia, inter* Grymboldum, *doctiſſimoſque illos viros, quos ſecum illuc adduxit, & veteres illos Scholares, quos ibidem inveniſſet: qui ejus adventu leges, modos, ac prælegendi formulas ab eodem* Grymboldo *inſtitutas, omni ex parte amplecti recuſabant. Per tres annos haud magna fuerat inter eos diſſenſio, occultum tamen fuit odium, quod ſumma cum atrocitate poſtea erupit, ipſaq; erat luce clarius. Quod ut ſedaret Rex ille invictiſſimus* Ælfredus, *de diſſidio eo nuntio & querimonia* Grymboldi *certior factus*, Oxoniam *ſe contulit, ut finem modumque huic controverſiæ imponeret qui & ipſe ſummos labores hauſit: cauſas & querelas utrinque illatas audiendo. Caput autem hujus contentionis in hoc erat poſitum: veteres illi Scholaſtici contendebant, antequam* Grymboldus Oxoniam *deveniſſet, literas illic paſſim floruiſſe, etiamſi Scholares tunc temporis numero erant pauciores, quam priſcis temporibus, pleriſque nimirum ſævitia ac tyrannide Paganorum expulſis; quin etiam probabant & oſtendebant, idque indubitato veterum Annalium teſtimonio, illius loci ordines ac inſtituta à nonnullis piis & eruditis hominibus fuiſſe ſancita, ut à* D. Gilda, Melkino, Nemrio [b], Kentigerno, *& aliis, qui omnes literis illic conſenuerunt, omnia ibidem fælici pace & concordia adminiſtrantes: ac D. quoque* Germanum Oxoniam *adveniſſe, annique dimidium illic eſſe moratum; quo tempore per* Britanniam *iter fecit, adverſus* Pelagianorum *hæreſes concionaturus, ordineſq; & inſtituta ſupradicta, mirum in modum comprobavit. Rex ille inaudita humilitate utramque partem accuratiſſimè exaudivit; eos piis ac ſalutaribus monitis etiam atque etiam hortans, ut mutuam inter ſe conjunctionem & concordiam tuerentur. Itaque hoc animo diſceſſit Rex, quoſquc ex utraque parte conſilio ſuo eſſe obtemperaturos & inſtituta ſua amplexuros ſperans. At* Grymboldus *hæc iniquo animo ferens, ſtatim ad Monaſterium* Winton. *ab* Ælfredo *recens fundatum proficiſcebatur, deinde tumbam* Wintoniam *tranſferri curavit, in qua propoſuerat poſt hujus vitæ curriculum oſſa ſua reponenda, in teſtudine, quæ erat facta ſubter Cancellum Eccleſiæ Divi* Petri *in* Oxonia. *Quam quidem Eccleſiam idem* Grymboldus *extruxerat ab ipſo fundamento de ſaxo ſumma cura perpolito.*

Huc uſque *Menevenſis*; qui ab ipſo Rege *Aluredo* evocatus, Profeſſoris munus in Academiâ *Oxonienſi* geſſit; de quo pariter, ac dictis diffidiis, viriſque, quos memorat, literis ac pietati deditis (nempe *Gilda, Melkino*, &c.) plura mox dicam: de exemplari unde hæc hauriuntur, verba interim facturus, quoniam ſcilicet locus ille, eo quod in omnibus *Aſſerii* apographis non habetur, tanquam ſpurius & ſubditititius à nonnullis rejicitur. Exemplar vero iſtud non modo vindicavit in Apologiâ ſuâ *Twynus*, verum &, qui excudendum curavit, *Camdenus*, non tantum in [d] *Britannia* ſua optimum *Aſſerii* exemplar nominavit, ſed & in familiari cum amicis colloquio fidem ejus ubique aſſeruit; idque ſpeciatim ad præfatum *Brianum Twynum*, qui id ipſum manu ſuâ teſtatum reliquit. Cum enim impenſe cuperet *Twynus*, ut de exemplaris illius fideli editione ſibi melius conſtaret, XVIII *Februarii*, anno CIↃDCXXII ad *Camdenum*, *Weſtmonaſterii* in ædibus *Guliel. Heather* Muſices Doctoris degentem acceſſit, deque variis, prout ſe dabant, rebus, conſertis prius verbis, ad prædictam *Aſſerii* editionem, locumque in eâ Academiæ *Oxonienſis* antiquitatem tam obnixe firmantem, ſermonem tandem deduxit. Inſtabat autem (de *Twyno* loquor) paragraphum illum, ſiquidem nec in manuſcriptis nec impreſſis hactenus libris paſſim occurrat, à compluribus in dubium vocari, nec aliud quam Ψευδεπίγραφον cenſeri: ſummopere autem efflagitare viros doctrinâ & dignitate haud vulgari, ut, antequam ſuſpicio ea in opinionem præfractam adoleſceret, vivens ille valenſque veritatem toti orbi patefacere vellet. Ad hæc itaque *Camdenus*, id ſe jampridem effeciſſe, & plenius forte aliquando effecturum reſpondit: Te vero (inquit *Twynum* allocutus) quod attinet, ne inter fluctuantes illos ponaris, Scripta prohibent ea, quibus antiquitatem *Oxonienſem* abunde dilucidaſti, & quibus ego aſſentiendum potius arbitror, quam leviculis refragantium quorumcunque objectionibus. De loco autem, quem ſibi eventilandum ſumpſerunt ſuſpicaces iſti, (qui acerbis me cenſuris perpetim exagitarunt) ſitne genuinus an ſuppoſititius, ad cauſæ momentum parum facit: cum Te minime lateat, vel diſpuncto illo teſtimonio, argumentorum affatim ſupereſſe, quæ vetuſtatem Univerſitatis *Oxonienſis* apertiſſimam faciant. Porro autem, urgente ibi *Twyno*, diceret præciſe, num locum illum à viro aliquo acceperit, cujus fidei innixus eundem *Aſſerio* intuliſſet, an vero è probato quovis exemplari deſumpſerit; Reſpondit *Camdenus*, integram eam *Aſſerii* Hiſtoriam ad Codicis cujuſdam MS. fidem, qui penes ipſum tum erat, editam fuiſſe, in quo etiam ipſiſſima illa de quibus dubitatur, quæque in nonnullis exemplaribus deſunt, verba reperiebantur. Addidit autem, quærente *Twyno* codicis antiquitatem, ſe quidem arbitrari temporibus *Richardi* ſecundi fuiſſe ſcriptum [e]. Hæc omnia *Erianus* ille *Twynus*, diligentiſſimus priſcorum temporum rimator, ſuâ manu [f] conſcripta, & adjuratione nominis D. O. M. confirmata, memoriæ prodidit.

Cæterum ad exemplar illud *Aſſerii* quod attinet, cum à *Camdeno* primum ederetur, Dominum *Henr. Savile* de Banke ſecus *Halifaxiam* in agro *Eboracenſi*, poſſeſſorem habuit; cujus malâ fide interpola-

[a] *Edit.* Francofurti, 1602. *vel* 1603. *p.* 16. [b] Nennio. [c] *Apol. Antiq.* Oxon. *lib.* 2. *ſect.* 80, 81. [d] *In Dobunis.* [e] *Hujus etiam exemplaris, & probatæ illius fidei in latinâ* Twyni *Epiſtola ad* Camdenum, *data* Oxoniæ 24. Febr. 1622. *mentionem factam invenio. In Bib.* Cotton. *ſub effigie* Julii, *C. nu.* 5. [f] *Penes me* A. W. *in tranſcriptis ſub atteſtatione publici Notarii.*

tum fuiſſe, ingeſto qui rebus noſtris conducit loco, temere ſuſpicantur invidi aliqui homines, quos partium ſtudium in tranſverſum rapuit. Et quid ſane non ſuſpicionibus ſuis labefactare fas fuerit, cum [a] *Ingulphi* etiam verba; antiquitatem noſtram dilucidantia, tanquam prorſus fictitia pari vecordia reſpuunt,

> *Ego* Ingulphus, *pro literis addiſcendis, in teneriori ætate conſtitutus, primum* Weſtmonaſterio, *poſtmodum* Oxonienſi *ſtudio traditus ſum, &c.*

Hæc inquam rejiciunt illi, quoniam in Codice neſcio quo MS. alicubi ut perhibent (locum tamen aſſignare nequeunt) in *Anglia* conſpiciendo, nequaquam reperiuntur. At vero, ad *Aſſerium* ut revertar, in probationis noſtræ ſubſidium, quâ lectionem prædictam aſſerimus, (præterquam quod nulla in MS. *Saviliano*, de cujus fide ſcrupulus injicitur, conſpicienda eſt ſcripturæ diſcrepantia, nullus omnino Parachroniſmus, quibus maxime indiciis dignoſcitur locus quilibet adulteratus) egregie inſuper facit, quod ſub Choro, ſeu Cancello, antiquiſſimæ apud nos Eccleſiæ *Sancti Petri* in Oriente, Hypogæum *Sancti Grimbaldi* etiamnum paſſim oſtenditur: quod non temerè fieret, ſi ex nupero *Saviliani* Codicis aſſumento res tota penderet. Neq; enim *Oxonienſium* vulgus de *Aſſerio* quicquam inaudivit; multo minus fabulam exinde hauſit priuſquam ſcriberetur. Et hæc quidem candidis veri & Antiquitatis ſtudioſis vindicandæ *Aſſerii* lectioni ſufficere arbitramur, de eorum enim judicio ſolliciti non ſumus, qui dum nos doli mali inſimulant, manifeſto falſi crimine tenentur, in editione quâdam *Sigeberti Gemblacenſis*, *Alcuinum Cantabrigiæ ſtuduiſſe* referentes: verbis iſtis ex ingenio additis, contra omnium, quos videre mihi contigit, ſive Manuſcriptorũ, ſive impreſſorum codicum fidem.

Nunc autem (quod ſum pollicitus) de *Sancto Germano*, *Gilda*, *Melkino*, reliquiſque (quos *Aſſerius Oxonii* ſtuduiſſe retulit,) deque *Johanne Beverlacenſi*, *Beda*, *Alcuino*, viriſque aliis, piis juxta & eruditis, literiſque nobiſcum olim vacantibus, quæ apud authores occurrunt, maturè adjiciam. Ex illis ergo *Sanctum Germanum*, *Britannorum* Apoſtolum (qui anno CCCCXL claruiſſe dicitur) *Oxonii* aliquandiu commoratum fuiſſe, haud unicus memorat *Aſſerius*; nam idem ſubinnuit & *Gildas*[b]. *Quamvis* Vortigerus *ſibi prædicantem fugiens S.* Germanum, *locum ſuo nomine appellatum peteret, Hic tamen cum* Britannorum *Clero illum eouſque inſecutus, ibi per quadraginta dies permanſit, & totidem noctes, & ad alium locum in Demetorum Regione*, (quæ pars eſt *Walliæ* auſtralis) *ſuo etiam nomine inſignitum, quòd illic arcem condidit.* Sic *Gildas*. *Vortigerum* vero non alibi in primo *Sancti Germani* adventu quam *Oxonii* egiſſe, hinc merito conjectabimur, quoniam labefactatam nuper Urbem, & pene collapſam ille unus recreavit; immo eandem uſque adeo in deliciis habuit, ut novum ei nomen **Caer Vortigern**, id eſt, *Urbs Vortigeri*, exinde adhæſerit. Porro eódem, recognoſcendis Academicorum fidei ac moribus, perrexiſſe *Germanum*, negari vix poteſt, cùm id illi muneris demandatum à Pontifice *Romano* eſſet, ut in *Britanniam* profectus Pelagianiſmum tùm concionibus publicis impugnaret, tùm eradicandum omni ſtudio curaret: & *Oxonienſes Pelagii* jam erroribus tactos fuiſſe, pluſquam probabile ſit, in quos Papale haud ita multo poſt interdictum eo nomine intonuit. Sed enim *Nennii* [c] hic fortè verba commodè eſſent annectenda, niſi tùm de Sancto *Germano* agens, *Gildæ* veſtigiis preſſè inhæreret, tùm per integrum pene librum, quem de geſtis *Britannorum* inſcripſit, eidem conſimilia adeo traderet, ut Scriptores haud pauci, utriuſque opera uni tribuerint Authori. At vero non eſt prætermittendum plura haberi exemplaria (ſpeciatim in Cœnobio *Urovallenſi* in Agro *Eboracenſi*) in quibus laciniæ ſatis grandes aſſuuntur, ab iis quæ *Nennii* nomine vulgò circumferuntur, immane[d] diſcrepantes, quas ineptiarum anilium faſciculos rectiſſimè nuncupaveris.

Poſt *Gildam* ac *Nennium*, *Conſtantium* liceret adferre, qui in vitâ Sancti *Germani*, de eo, ſociiſque ipſius agens, hæc habet, *Erat in illis Apoſtolorum inſtar authoritas per conſcientiam, doctrina per literas, virtutes ex meritis; accedebat præterea tantis autoribus aſſertio veritatis, itaque regionis illius Univerſitas in eorum ſententiam prompta tranſierat.* Atque hæc quidem *Twynus* [e] noſter è dicto *Conſtantio Lugdunenſi* citavit, ut evinceret, *Univerſitatem* illius regionis, id eſt, *Oxonienſem*, Sancti *Germani* doctrinam pronis animis fuiſſe amplexatam. Collatis autem libri impreſſi cum [f] MS. cujuſdam verbis, vocem *illius* deeſſe reperi, & in eâ inde ſententiâ fui, *Conſtantii* verba, non *Univerſitatem*, quam vocamus, ſeu generale ſtudium, aut Academiam, ſed populum potius univerſum indigitare.

Proximus à *Sancto Germano* adſit *Gildas* cognomento *Sapiens*, qui claruiſſe fertur prope annum DLXXX, quique literarum ſtudio, uti ex vitâ ejus [g] in Biblioth. *Floriacenſi* liquet, operam *Oxonii* impendebat. Teſtimonium illud ſic habes; *Sanctus igitur* Gildas, *cum per aliquot annos in Doctrinâ Beati* Hilduti *commoratus fuiſſet, valedicens pio magiſtro venerandiſque condiſcipulis*, **Iren** *perrexit, ut & aliorum Doctorum ſententias, in Philoſophicis atque in divinis literis, inveſtigator curioſus exquireret.* Ubi ad vocem **Iren**, notatiuncula in margine habetur, ab ipſone Authore, an ab editore adſcripta, neſcire me fateor,

> **Iren** *olim Academia in majori* Britanniâ.

Iren autem hic pro **Ichen** vel **Icen** (quod facile fieret, cùm vocis maxima pars integra ſuperſit) poſitam opinor; & pro **Hyd-ichen** (*vadum-boum*, id eſt, *Oxonium* apud *Britannos* denotante) dictam; pari ratione quâ nos *Oxon* pro **Oxnaford** ſcribere conſuevimus.

Nequis vero **Iren** ibi pro **Eren**, veteri ſcilicet *Hiberniæ* nomine, ſcriptam ſuſpicetur, id nullo modo fieri potuiſſe oſtendam; quia **Iren** hoc in loco Univerſitatem alicubi in *Britanniâ* poſitam aperte denotat; quin & in noſtrate: quia, ſi notatiunculæ marginali fides, *Academia fuit in majori Britanniâ*. Addere licebit *Hiberniam* minimè indigitari, ſiquidem & in citato etiam capite ſubjungitur, *Ammericum*, apud quem tum rerum *Hibernicarum* ſumma fuit, *Gildam* ad ſe iſtum, ut doceret, non ut diſceret, accerſiviſſe; nam deinde legitur,

> Gildas *petivit Hiberniam Chriſtum prædicaturus.*

[a] *In Hiſt. ſua edit.* Francof. 1602. *p.* 903. 40. [b] *In libro* De geſtis Britannorum, *MS. in Bib. Bod. fol.* 238. *b.* [c] *MS. in Bib. Bod.* [d] Lel. *in Tom.* 4. *ut ſupra. p.* 62. [e] Twynus *in Apol. lib.* 2. *ſect.* 83. [f] *In Bib. Bodl. fol.* 16. *a.* [g] *Edit. per* Joh. *à* Boſco *è Bib.* Floriacenſi, 1605. *cap.* 6.

Vocem

Vocem ergo Iren *Oxonium* ibi ſignificaſſe manifeſtum eſt; idque nobis adſtruitur quod *Aſſerius* prodidit, *Gildam* ſcilicet literas *Oxonii* imbibiſſe.

Ad *Kentigernum* nunc, *Nenniumque*, & *Melkinum* venio, ſub eadem, aut antiquiora forte nonnihil tempora, *Oxonii*, referente *Aſſerio*, literis vacantes; quorum primus fatis apud *Scotos* conceſſit an. dom. DLXVI, ætatis CLXXXV, ſecundus claruit anno DCXX, poſtremus autem anno DLX. Sufficiat vero jam paucos è pluribus adduxiſſe, qui cum pulvere anniſque luctantes Univerſitatem iſtam glorioſe nunc æque tuentur, atque olim ornabant; matrique ſuæ, ab æmulâ quacunque impetitæ, primogenituram fortiter aſſerunt, cui nec ipſi primò erant geniti.

Atque vero, quamvis ea (quorum maximam partem ex *Aſſerio*, ſpectatæ fidei ſcriptore deſumpſimus) liquido teſtentur, Scholas ante *Alfredum Oxonii* viguiſſe, & ab illo inſtauratas tantùm fuiſſe: cùm nobis tamen ex aliis paſſim Authoribus argumenta ſuppetant, eorum nonnulla prædictis adjiciemus.

Primo itaque, teſtimonio eo haud valde innixus, quod [a] *Alexander Necham* è fatidici illius *Merlini* ſcriptis deprompſit, *viguit* ſc. *ad* vada Boum *ſapientia*, *tempore ſuo ad* Hiberniæ *partes tranſitura*, (quamvis *Nechamum* eadem apud varios Authores, aliis licet alibi verbis, referentem habeas) cum *Sancto Johanne de Beverlaco* auſpicabor, anno circiter DCCXXI diem obeunte; quem ingenuis apud *Oxonienſes* Artibus operam dediſſe, ſcripta antiqua haud pauca prodiderunt; depictis etiam feneſtrarum indiciis lucem hac in re copioſam affundentibus. Scriptor [b] enim, qui florebat an. CIↃCCCLXXIII in ejuſdem *Beverlacenſis* vitâ (cujus initium, *Antiquioribus Britonum ſola*, &c.) *Harphamiæ* inter populos *Deiræ* natum, annos autem vernantes apud cœnobium *Sanctæ Hildæ* in ſtudiis collocaſſe perhibet; primumque ex *Anglis*, Doctoris vel Magiſtri gradu ornatum fuiſſe. *Erat autem* (inquit ille) *Doctor ejus* Theodorus *Alienigena*, *qui in* Oxonia *ſummam conſcendit apicem*, &c. Quod & *Lelandus* [c] ex Authore Anonymo retulit, de *Beverlaco*, dictoque ejus loci Sancto, opere trifariam partito, ſcribente; quem ego quidem *Gulielmum* quendam *Asketellum* fuiſſe arbitror, qui regnante *Edoardo* II. eandem ſibi materiam ſumpſit, ediditque libros pariter tripartitos; multa ut opinor è *Deiracenſi*, aliiſque trans *Humbrum* Bibliothecis edoctus: cujus Regionis Monachi, cum *Angliam Dani* ubique perſultarent, Hiſtorias ſuas & Antiquitates variis perpetim cladibus ſummâ induſtriâ eripuêre [d]. Huc accedunt Sacriſtæ *Beverlacenſis*, (à prædicto etiam *Asketello* memorati) verba, *Sanctum Joh. de Beverlaco primum in Artibus Magiſtrum apud Oxonienſes* extitiſſe, memorantis; Quæ egregie etiam confirmantur ab ipſius *Beverlacenſis* imagine, in ſiniſtro Bibliothecæ *Sarisburienſis* latere, feneſtram ordine ſextam olim decorante; immo neſcio an ibidem etiamnum comparente, hac inſcriptione,

Doctor Sanctus Johannes de Beverlaco, fuit primus Magiſter Artium liberalium in Oxoniâ.

Quibus ſuffragatur aliquâ ex parte Epigraphe altera, in Collegio *Univerſitatis*, quâ *Socius iſtius Contubernii* appellatur. Quod de Collegio à Rege *Alfredo* inibi exſtructo intelligi non poteſt, verum de aliquo alio capiendum ibidem extante, antequam literas *Oxonio* reſtitueret *Alfredus*; ubi etiam eoſdem, quos *Aſſerius* retulit, nec non & alios plurimos, bonis literis dediſſe operam, nullus dubito. Poteram jam & alia proferre teſtimonia, iis, quæ de *Beverlacenſi* adducta ſunt, communiendis perquam accommoda, eaq; è Scriptoribus ante *Londinenſem* nunquam improbatis. Is quidem probatiſſimos Authores, nulla tamen ratione ſuffultus, ut animo ſuo, partibuſque quibus addictiſſimè ſtuduit, gratificaretur, diſpungit paſſim & confodit: ſed me aliò rapit ſuccincta deſtinati operis brevitas.

Feſtino itaque ad Venerabilem *Bedam*; quem ſi probaverim ætatem *Oxonii* poſuiſſe, duas juxta res aſſecutus fuero: nam & Scholas *Oxonienſes Alfredo* Antiquiores fuiſſe liquebit, & *Bedam*, quem Academiæ ſuæ *Cantabrigienſi* de alieno liberalis elargitur *Londinenſis*, almæ Matri noſtræ in genuinum filium opportunè vendicabo.

Regnante itaque *Richardo* II. graviſſimæ lites incidebant inter Collegium *Univerſitatis*, ac *Edmundum Frauncis* Aromatarium *Londinenſem*; qui dictum Collegium de Tenementis quibuſdam & latifundiis, poſitis in Urbe Agroque *Oxonienſi*, poſtulabat; Academici itaque negotium ſibi faceſſitum ægrè ferentes, libellum ſupplicem, gallicè conſcriptum, Regi & Parliamento, 7° *Ricardi* II. obtulerunt: in quo *Alfredum* Fundatorem ſuum memorantes, utque Collegii jus circa reditus quoſdam aſſereretur efflagitantes, Regem obſecrant, ut eo ſibi nomine impenſius faveret, quod viri olim ſanctiſſimi ſimul doctiſſimique (inter quos *Joh.* de *Beverlaco*, *Venerabilem Bedam*, & *Richardum Armachanum* nominant) eodem quo ipſi hoſpitio degiſſent, literarum ſtudio invigilantes. Hæc habemus inter faſciculos libellorum ſupplicum ad Parliamentum datorum, qui in Turre *Londinenſi* reponuntur, falſa tamen Inſcriptione, manu recenti 7° *Edoardi* III. notata, quo quidem anno Generalis Ordinum regni conventus nullus agebatur. Revera 7° *Ric.* II. habitum fuiſſe conſtat, ac proinde eidem anno antedictus libellus attribui omnino deberet, prout *Auguſtinus Vincentius*, *Georgiuſque Robſonius*, illarum cuſtodes teſtantur; qui ejuſdem libelli apographum Academiæ *Oxonienſi* tranſmittentes, quo bonâ fide deſcriptum liqueret, nominibus ſuis muniebant. Cæterum nec Collegii prædicti Præſidem, ſocioſque effrontes adeo fuiſſe crediderim, ut ea coram Rege & ſolenni Ordinum conceſſu affirmare ſuſtinerent, præſertim cum antagoniſta præſto eſſet, qui vanos & mendaces falſi convinceret, niſi iiſdem ſtabiliendis, argumentorum abunde, vel è codicibus vetuſtis, ſtudioſorum matriculis, libris cenſualibus, aliiſve idoneis indiciis, in procinctu habuiſſent: Quorum plerique, cùm iiſdem plagis, quibus *Johannes de Beverlaco*, & *Venerabilis Beda*, oriundi eſſent, in libros vel plurimæ antiquitatis incidiſſe poterant, qui, ut mox ante dictum, egregiâ ejus Regionis Monachorum curâ, *Danicarum* incurſionum procellis eximebantur.

Verum quia de Scholis jam agimus *Alfredo* antiquioribus, quidni teſtimonia adducamus, quæ *Alcuinum* ſeu *Albinum*, clariſſimum *Bedæ* diſcipulum, Alumnum quoque *Oxonienſem* fuiſſe adſtruunt?

Illum nimirum hic loci perinde ſtuduiſſe, ac *Pariſienſem* Academiam inſtituiſſe, è literis [g] ab Univerſitate noſtrâ ad Pontif. Max. *Joannem* XXII datis patebit; illæ vero ſic nuncupantur,

[a] *In lib. 2. de naturis rerum MS.* [b] Anonymus *MS.* [c] *In Tom. 3. Collect. in Bib. Bod. p. 153.* [d] Lel. *in Tom. 4. p. 148.* [e] *In lib. 2. Antiq. Acad.* Cantabrig. *edit. 1574. p. 212. & alibi.* [f] *Vidi etiam copiam ejuſdem petitionis in Theſaurario Coll.* Univerſitatis *in quodam Rot. pergam. Script. in Charact. de tempore Regis Ric.* II. [g] *In initio libri de exordio & progreſſu Eccleſiæ Dunelm. per* Turgotum *priorem ejuſdem, MS. in Bib.* Cotton. *(olim in Bib.* Allen.) *ſub effigie* Fauſtinæ *A. 5. Et in quodam Tranſcripto ejuſdem Epiſtolæ per Notarium publicum in Turri Scholarum* Oxon *in pixide Y. nu. 10. Vide etiam* Roſſum *Warw. in lib. de Regibus MS. p. 87.*

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino Piissimo, Domino Johanni vigesimo secundo, &c.

Deinde inter alia sic habes; --*Intelleximus siquidem quòd nuper ad studium* Parisiense *vestros misericordes oculos convertistis, & ejusdem studii Doctores, tam Philosophos quàm Theologos ad Ecclesiastica beneficia promovistis, & alios quidem immensis honoribus sublimastis, & alios verò dedistis Pastores & Doctores, in opus Ministerii in ædificationem Corporis Christi & modificationem Sanctorum. Nos autem (pater sanctissime) divina institutione formati, audemus dicere quod nostrum studium* Oxon *illi* Parisiensi *studio (quamvis excellentèr nobili) est quidem antiquius tempore, prius Origine, & prout credimus, non posterius dignitate. Constat namque* Albinum *Philosophum & Doctorem Catholicum, natione Anglum famosissimi Principis* Caroli Magni *Magistrum, & per eundem* Carolum *de* Anglia *accersitum fuisse* Parisiii studii *Fundatorem, quod Anglicæ, imò Gallicæ atque Romanæ Historiæ contestantur. Talem igitur benedictionem, qualem* Parisienses *de vestra largitate sumpserunt, etsi jure primogenituræ minimè vendicamus, de vestra tamen speciali gratiâ nobis donandam concedente Domino feliciter expectamus, &c.* dat. MCCCXXII. Quæ verba non modò pro confesso habent & profitentur, ante *Alcuini* secula Universitatem, seu studium generale, fuisse in *Anglia*: ibidemque eruditos ex hac gente omnes, & speciatim *Alcuinum* bonis vacasse literis: sed & aliud tum temporis minime extitisse præter *Oxonium*, & proinde illos eo loci bonis literis vacasse: quin & insuper conficiunt, *Parisiensem* Academiam nostræ huic originem suam acceptam referre: adeo ut penes nos hoc decus steterit, quod quemadmodum ethnica *Druidum* Philosophia, è *Britannia* petebatur, Christiana etiam exinde defluxerit. Quibuscum aliquâ ex parte consentiunt literæ illæ alteræ, ad eundem Pontificem, ante paucos tum annos, ab *Edoardo* II. conscriptæ, efflagitantes, ut "Universitas *Oxoniensis* iisdem privilegiis, quoad resu- "mendas & continuandas Lecturas gauderet, quibus "Scholæ tum *Gallicæ* fluerentur; præsertim cum *Galli-* "*canas* illas (*Parisiorum* intellige) à nostris profluxisse, "testatissimum sit. Quâ quidem in re lucis haud parum adferent *Boetii* [b] verba de *Lutetia* ante *Alcuini* seculâ locuti; Testis enim oculatus bonarum literarum vacuam plane eandem memorat; "ubi Artes liberales "ostiatim quasi mendicarent, & Philosophiæ nemo po- "cula sitientibus exhiberet, &c.

Dum hæc mecum recolo, monachis è *Sancti Benedicti* sodalitio libentius assentior, qui studia sese *Oxoniensia* promovisse gloriantur, & tantum non instituisse, scilicet si Universitatis regimen & disciplinam spectemus; præsertim cum in Epistolâ [c] unâ & alterâ ab Academiâ ad eosdem datâ, societatem illam Genetricis elogio ornet Universitas, & eo petit nomine, ut sibi Scholam S. S. *Theologiæ* meditanti, collatis pecuniis adminiculo esset. Cogitanti autem, quinam è dicto Ordine id sibi honoris præsertim vendicent, non alii occurrunt quam quos ante dixi, *Sanctus* nempe *Joh. de Beverlaco*, Venerabilis *Beda*, *Alcuinus*, cum Antiquioribus nonnullis, pauciscque sub *Alfredi* ætatem, *Plemmundo* utique Archiep. Cantuar. *Asserio*, *Sancto Grimbaldo*, *Sancto Neoto*, &c. qui cùm publicis Prælectionibus literas *Oxonienses* mire provexissent, eam inde Gloriam reportarunt, ut non tantum Instituta quædam sua pro administrandâ Universitate, in seros usque annos derivarent, sed ut eorum quoque ritu vestiti, ad capessendos Gradus accederemus. Neque enim quisquam ad Magisterium antiquitùs admittebatur, nisi *ocreatus* tum esset, (quod etiamnum in Doctoratu S. S. Theologiæ obtinet) tum *Pulla chimera* [d] indutus, & quoad reliqui habitûs colorem *Monachis* illis omnino consimilis. Id nimirum honoris, grata ac memor Academiæ pietas, bene merentibus deferendum censebat.

Quod si Universitatis per ea secula fortunam scire expetis, tessellata quodammodo illa, & rebus, nunc prospere, nunc adverse fluentibus intertexta fuit. Nam cùm *Sanctus Germanus*, ad proterendam *Pelagii* Hæresin in *Britanniam* accederet, bonis tum Legibus ac Institutis temperata Universitas, secundis omnibus auspicatissime fruebatur: verum cum *Saxonum* inde rabies, in sacra pariter ac profana involaret, dubium non est quin musas Barbari sedibus quoque suis exturbarint: immo eò quidem usque exulantes reperio, donec *Saxonum* Optimates ad humanitatem imbuti, Christo tandem nomina dedissent. Christianismum enim, cui ancillatæ perpetuo sunt comitantes Musæ *Oxonium* postliminio revertuntur; gratamque iterum vallem occupant, quam vel fastigiatis *Parnassi* apicibus prætulisse jam dudum videbantur. Atqui vertente iterum fato, ne gliscentes jam per *Britanniam Pelagii*, *Arriique* Hæreses, disputandi pruritus accenderet, *Gregorio* Pontif. maximo visum, ut Exercitiis suis publicis Academia [e] interdiceretur; unde Scholares in cœnobia passim, (vetera illa literarum, *Pictis Saxonibusq*; Insulam infestantibus, perfugia) disperguntur. Insuper factum est ut Rex *Ina* Scholam paucis post annis erudiendæ *Britannorum* Iuventuti, *Romæ* exstruxerit. Cæterum cùm Interdicti Papalis vis haud ita [g] perennaret (etsi *Rossus* [h] ad *Aluredum* usque viguisse perhibet) seniores quidam *Oxonium* se denuo conferunt, & convocatis undique discipulis, intermortuam jam disciplinam & eruditionem resuscitant; ordinibus quibusdam distinctionis gratiâ aut excusis, aut in usum revocatis; fortean iisdem quos nos hodie Gradus appellamus. Eodem res loco stetit, ad *Sanctam Frydeswydam* usque, cujus in vitâ [i] mentio facta est de *Clero Oxoniensi*, notissimâ istis, nec non & nostris seculis loqendi formulâ, quâ literati, licet laici, Clerici vocantur. *Frydeswyda* vero diem obiit an. quasi DCCXXXIX. atqui ubi effrænata inde *Danorum* Barbaries, nec ipsis cœnobiis, nedum Scholis libriſve [k] parceret, Musis iterum *Oxonio* pulsis, nox alta totam pene Insulam invasit, tenuitque in ea usque tempora, quibus pientissimus Rex *Alfredus*, impensis eam suis vigiliisque dispulit, longoque literas die donavit. Sed de eo mox fusius.

Interim, siquis rogaverit, utrum *Oxonii* his annis Generalia quæ vocant Studia floruerint, aut an Academia tum nostra, Artium & Scientiarum Professoribus, Graduumque aliquorum distinctionibus instructa fuerit: respondeo, fieri aliter non potuisse, cum *Sanctus Johannes de Beverlaco* Magistri ibidem Gradum capessiverit, & *Kenelmus* Rex *Merciæ* (qui Martyrio claruit circa annum DCCCXXI) à Pontifice *Romano* efflagitârit, [l] ut Scholares Abbatiæ *Wynchel-*

[a] *Rot. Rom. in* 11 *Ed.* II. *m.* 10. *in turre* Londini. [b] *In lib. de Scholarium disciplinâ, edit.* Lovani, *cum Commentariis* Tho. Aquinatis, *an.* 1485. *cap.* 2. [c] *In F. Epist.* 25. 249, *&c.* [d] *In quodam Tractatu de Prærogativis & Dignitatibus Ordinem Monasticum concernentibus per incertum authorem compact. cum libro cui tit. est de Origine & processu Monasterii* S. Albani, *&c. MS. in Bib.* Cotton. [e] Rossus *ut supra*, p. 74. [f] Lel. *in Tom.* 4. *p.* 44. [g] *Vid.* Twyn. *in Apol. lib.* 2. *sect.* 168. [h] *In lib. de Regibus, ut supra.* [i] *In pervetusto MS. in Bib. Coll.* Jesu, Oxon. [k] Lel. *ut supra*, p. 83. [l] *Reg. vel Historia cœnobii* Wynchelcomb. *in agro* Glouc. *MS. fol.* 7, 8.

combensis

combenſis ad Generale aliquod Studium transferrentur; quem & *Oxonium* ſenſiſſe contendo, & ſententiam hanc meam paucis confirmabo.

Richardus Kedermyſter, cœnobii *Wynchelcombenſis* primò Monachus, & deinde Abbas, *Romam* anno MD. profectus [a], in virum quendam, ſive *Scotum*, ſive *Anglum*, incidit, quocum varium ultro citroque ſermonem habuit: deinde vero cum de *Sancto Kenelmo* Martyre mentio fieret, ignotus ille librum protulit, cujus in ipſo hæc ſtatim initio legebantur. *Apud* Sanctum Joannem Lateranenſem *in pariete prope Arcam Domini, ibi in foramine reperies ſchedulam* Sancti Kenelmi *Martyris, in qua fit petitio apud Sanctiſſimum Patrem pro Scholaſticis in Generali ſtudio inveniendis.* Agnoſco ſane *Richardum* illum dictam Schedulam, magno laboris & pecuniæ diſpendio, fruſtra quæſiviſſe, & an unquam repererit, haud conſtare: verum tale quippiam & à *Kenelmo* petitum, & indultum à Papa fuiſſe; & Scholares illos *Wynchelcombenſes Oxonium*, tanquam ad Univerſitatem (quam Generale ſtudium priſci vocitabant) conceſſiſſe, negandum non video; cùm cœnobii illius Monachi, Hoſpitium olim *Oxonii* habuerint; eo ſcilicet tempore, quo Papæ de dicto commeatu & migrandi extra cœnobii confinia ad capiendum ingenii cultum ſupplicaretur. Nam ubi, regnante *Stephano*, Abbatia illa incendio prope hauſta, & Diplomata eidem pleraque abſumpta ſimul fuiſſent, Hoſpitium prædictum, quod illis multos ante annos *Oxonii* obveniſſe fertur, [b] Bullâ *Alexandri* tertii, anno MCLXXV conceſſâ, iiſdem poſtliminio redditum & confirmatum adhæſit.

Vniverſitas OXONIENSIS ab Alfredo inſtaurata.

PRioribus jam annis, Scholiſque perfuncti, ad eam deſcendimus ætatem, quâ *Aluredus*, ſive *Alfredus* ille, *Oxonienſibus* in ſecula deprædicandus, collapſas olim Artes & oppreſſas in integrum denuò reſtituit: dicturique ſumus, quoad ſuccinctè licebit, quo ille ſtudio, quibus effecit impenſis, ut, annuentibus demum fatis, reſurgerent adeo eædem, & reniteſcerent.

Tam craſſa enim Barbaries Inſulam jam noſtram occupaverat, ut ne Grammatices peritus, ad *Alfredum* primis elementis informandum, in toto occidentalium *Saxonum* regno inveniri potuerit; annoſque ille (ut quibuſdam [c] placet) jam duodecim habuerit, cum Alphabeticen aggrederetur. Rerum itaque potitus, literaſque partim à *Pleymundo* (Archiepiſcopo poſtmodum *Cantuarienſi*) partim à *Werefritho* (qui ad Epiſcopatum tandem *Wigornienſem* emerſit) edoctus, infamem hanc populi ſui inſcitiam tam ægris oculis perluſtravit, ut nil prius potiuſve haberet, quam ſi viros doctos honoribus opibuſque cumulando, ad bonarum literarum ſtudia ſubditorum ſuorum animos accenderet. Cum locus ergo imprimis deſtinandus Artibus eſſet, non aptior videbatur, quam vetus earum habitaculum, *Oxonia*, *Saxonicis Daniciſque* procellis (quarum poſtrema in annum DCCCLXXVI incidit, *Danis* nimirum ibi tum [d] hyemantibus) excidio propemodum ac ruinis data. Neque enim eo tantum perrexêre iſtius Urbis calamitates, ut Muſæ in exilium proturbarentur, ſed priſtino jam decore exuta, eam Ædificiorum & monumentorum jacturam fecit, ut funditus quaſi deleta, & inter exciſas propemodum numeranda videretur: ſtantibus tantum venerandis illis *Sanctæ Frideſwydæ* ædibus, quæ antiquum quadantenus *Oxonii* ſplendorem, ſeculis futuris indigitarent. Hortante [e] itaque *Neoto*, antiquæ Pietatis viro, Rex ille (*Anglorum decus*, *Regum Gemma*, *virtutum exemplar*, &c. paſſim apud [f] Scriptores cognominatus) erigendæ primo urbi incubuit; haud nempe ignorans prolapſas etiam literas, è ruderibus pariter ſuis proſpectaturas. Deinde vero Scholas publicas Artibus & Scientiis fundaſſe dicitur, tandem & Diverſoria recipiendis Scholaribus commoda exædificaſſe, eademque *Anglorum* partim Optimatibus repleviſſe: quos ad Ingenuas adeo Artes impulit, ut Juniores huc certatim convolarent, ætate vero provectiores, vel filios eodem tranſmitterent, vel famulorum, quotquot ad eruditionem capeſſendam promptiores reperirent, eòdem dirigerent. Quinimo, eò brevi ſplendoris accrevêre liberales Artes, ut quotquot *Anglorum* ſine literis conſenuiſſent, miſeros ſeſe ingeminarent, felices vero illos deprædicarent, quos in tardius doctiuſque ſeculum fata ſepoſuêre. Hinc magna vis Procerum juxta & Plebeiorum ſcientias efflictim deperire, *Oxonium* in dies confluere, Urbemque neglectam nuper, & Scholaribus pene vacuam, opplere; denique vel in hauriendâ eruditione, vel in aliis informandis ætatem ponere.

Johannes Roſſus Antiquarius ille *Warwicenſis* tres *Alfredum* Aulas conſtruxiſſe [g] memorat:

Primamque, *Rei Grammaticæ*,
Secundam, *Artibus*,
Tertiam, *Theologiæ* deſtinaſſe.

Prima in *Platea altâ*, vulgo **High-ſtreet** dictâ, verſùs partem Orientalem ſtetit; & in eâ Grammatici viginti ſex honeſtis ſtipendiis alebantur: cui, quod Artium infimæ dicata eſſet, *Parva Univerſitatis Aula*, nomen indebatur; eoque *Roſſi* etiam ſeculo fertur innotuiſſe.

Secundâm *Alfredus*, ad Boreale urbis latus, in *vico Scholarum*, vulgò **School-ſtreet** nuncupato, erexit; & XXVI Scholaribus ad Logicam & Philoſophiam enutriendis dedit: eamque (ut inquit *Roſſus*) *Aulam minorem Univerſitatis* appellari voluit.

Tertiam vero (quæ primæ vicinior erat, & ad Occidentem ſolem poſita, *Aula magna Univerſitatis* dicebatur) uberiori reditu ditavit: & XXVI Theologis inſtruxit, ſacris ibidem literis operam daturis.

Atqui Aulæ inſuper aliæ, variis pariter facultatibus deſtinatæ, civiumque primo *Oxonienſium*, deinde vicinorum quorundam, tandem & è longinquo habitantium impenſis ſtructæ & adauctæ, paucorum annorum ſpatio prædictis acceſſerunt.

Hæc à *Roſſo* deſumpſi, qui minime ſic eſt intelligendus, quaſi diceret Univerſitatem hanc noſtram nomen ſuum ab *Alfredi* fundatione derivaſſe. Rem è contrà ſe

[a] *Ibidem.* [b] *In eodem Reg. vel Hiſt. fol.* 13. *b.* [c] Jo. Brampton. *in Chron. ſuo in* Alfredo, *p.* 814. Flor. Wigorn. *ſub ann* 871. Ran. Hygden *ceſtr. lib.* 2. *cap.* 1. Roſſo *in lib. de Reg. pag.* 85. *& aliis.* [d] *Ex hiſtoria incerti authoris de primis* Albionis *Inſulæ inhabitantibus MS. in Bib. quondam* Alleniana. [e] *Vita S.* Neoti *MS.* Lel. *in Tom.* 3. *p.* 11. *& Tom.* 4. *p.* 108. *Antiquitates* Glaſton. *per* Gul. Malmsbury. *MS. Antiquitates etiam ejuſdem loci per incertum authorem MS. in Bib. Bod. p.* 250, *&* 251. [f] *Frat.* Adam. *Ord. præmonſtrat. in libro de tripartito Tabernaculo. Edit.* Paris. 1518. *& alios.* [g] *In lib. de Regibus ut ſupra p.* 86. *vide* Twynum *in Apol. lib.* 2. *ſect.* 172.

habere autumo. Nam quamvis cum Scriptoribus pleriſque agnoſcam, Regem *Alfredum* ſedem illam Theologorum, *Aulam* primò *Magnam Univerſitatis*, mox *Collegium Univerſitatis* dictam, recreaſſe; tamen id illi nominis impoſuiſſe plane diffiteor: quam exinde nuncupatam reperio, quoniam *Univerſitatis* ſeu Academiæ auſpiciis antiquitus adminiſtrabatur; eamque *Univerſitas*, ſeu Cancellarius & Scholares, pecuniis Magiſtri *Gulielmi* Archidiaconi *Dunelmenſis* coemerunt, & Alumnis, prout ſupremo ille teſtamento mandaverat, inſtruxêre. Conſtat inſuper cùm, poſt *Alfredi* obitum, *Britanniam Dani* cædibus & rapinis infeſtarent, & *Normannorum* deinde dominatus cladem quaſi de clade ſereret, deperditis Academiæ Regiſtris, Aulam hanc **University-Hall** dictam, Civibus *Oxonienſibus* arreptam, & in poſteros quoque eorum, hæreditario dicam jure an injuriâ tranſmiſſam fuiſſe; dominos autem oppidanos haud prius excuſſiſſe, quam *Edoardo* tertio Sceptrum capiente, reſiduis eam dicti *Gulielmi* pecuniis Cancellarius & Scholares *Univerſitatis* redemerint; &, quod Archidiaconus ille deſtinarat, percommodo Academicorum numero donârint. Quare nomine ab *Univerſitate*, cujus patrocinio curæque demandata fuerat, adſcito, *Aula* imprimis, & deinde *Collegium Univerſitatis* appellari occœpit: quam Academia in Epiſtolâ [a] unâ & alterâ ad Proceres quoſdam datis, *Seniorem ſuam filiam*, & in [b] aliâ quâdam ad Pontif. M. *Eugenium* quartum conſcriptâ, *Collegium Antiquius Univerſitatis* nuncupavit.

Porro autem dubitari poterit, utrum *Alfredus* duabus præterea Aulis nomina adaptaverit, nam & illæ iiſdem nummis coemptæ, cum majori illi pares non eſſent, *Parva* & *Minor*, quo tam ab eâ, quam à ſe invicem internoſci poſſent, appellabantur. Nec liquido conſtat, an præter Scholas quaſdam unicamque Aulam, quicquam amplius erexerit *Alfredus*; præcipue cùm in [c] Munimentis Collegii Univerſitatis, Rex ille dictum unice Collegium vel ſtruxiſſe vel inſtauraſſe memoretur: cui, prout è pluribus patet [d] Hiſtoriis, Præſidem, ſeu Magiſtrum, præfecit, eique lxxiix Scholares ſubmiſit, ad tres diſtinctim Claſſes referendos; quarum prima *Theologiæ*, ſecunda *Philoſophiæ*, tertia *Grammaticæ* operam navare tenebatur. Quod ad Aulas verò attinet, ſeculorum inde decurſu ſubnaſcentes, conſtat ingenti ſtudioſorum numero *Oxonium* convolante, civium illos domicilia incoluiſſe; donec involante in *Angliam Gulielmo Conqueſtore*, literarum ſtudia elangueſcerent; & imminutâ Scholarium frequentiâ, hoſpitia pleraque ad dominos oppidanos relaberentur.

Sed ut res paulo altius repetatur, de tempore, quo hæc præſtitit *Alfredus*, nequaquam inter Scriptores convenit; aliqui [e] enim annum DCCC nominant, XL annis *Alfredo* priorem; alii [f] autem in annum DCCCXCV, & Annales [g] *Cœnobi Hidenſis*, DCCCLXXXVI incidiſſe volunt: ſed his tarditate peccatur, cùm tempus aſſignent quo *Sanctus Neotus* & *Joh. Erigena*, Profeſſores ambo in Academiâ ab *Alfredo* recreatâ, neutiquam ſuperfuêre. *Joh. Roſſus* [h], & *Balæus* [i] de anno DCCCLXXIII & DCCCLXXIV contendunt, quanquam alius [k] quidam DCCCLXXII aſſignat, quo *Alfredus* annum à vigeſimo tertium agebat. Sed [l] *Lelando* potius aſſentiendum duco, & anno DCCCLXXIX id gloriæ deberi fatendum: cùm factis nimirum inter *Alfredum* & *Gothrunum* induciis, *Anglis* aliquandiu reſpirare datum eſt; & converſis à bello ad pacem animis, ingenuis aliquantiſper Artibus vacare.

Verum de Muſis pergo *Oxonienſibus*; quibus cùm hoſpitia eſſent refecta, de viris doctis proſpiciendum proximo loco erat, qui Diſcipulos eodem allicerent, allectoſque informarent; quam ad rem egregiam attulit induſtriam *Alfredus*, hortantibus [m] *Æthelredo* Archiep. *Cantuarienſi*, *Pleymundo* (qui ſuffectus demum illi in eâ ſede eſt) *Werefrido* Epiſcopo *Wigornienſi*; *Neoto* denique, & *Werenulpho* Epiſcopo *Legeceſtrenſi*: qui eo nimirum munere fungebantur, ut Regem ad Religionem inſtigarent, & in humanioribus literis erudirent. *Neotum* quod attinet, præcipuas in Academiâ noſtrâ partes agebat, Sacræ enim Theologiæ Prælector erat: quem vitæ tamen Monaſticæ tanta brevi cupido cepit, ut mundo ſubtractus in *Cornubiam* conceſſerit, ibidem quod reliquum ſibi dierum eſſet in rerum divinarum contemplatione poſiturus. Hunc vero nonnulli [n] filium *Adulphi*, ſeu *Ethelwolphi*, Regis occidentalium *Saxonum*, *Alfredi* autem fratrem uterinum faciunt; ab ineunte ætate auſpiciis *Sancti Dunſtani* in Cœnobio *Glaſtonienſi* educatum perhibentes. Sed ad *Alfredum* revertor, cujus equidem pietas & erga bonas literas affectus unius Inſulæ anguſtiis claudi indignabantur. Miſſo propterea in Galliam nuntio *Grimbaldum* quendam accivit, cujus mira eruditio methoduſque docendi ſingularis, *Oxonienſes* in acquirendis Artibus præcipue adjuvarent. Natus ille apud [o] *Flandros*, in Urbe *Morinorum* dicitur; ferturque in maturâ ætate conſtitutus Monachi habitum ſub *Bertino* induiſſe, ejuſque veſtigia ingreſſus in literis & pietate eo uſque profeciſſe, ut ampliſſimum Sodalitii decus emerſerit. Certe jam diu erat quod fama ejus ubique percrebuiſſet, nam cum *Alfredus Romam* proficiſceretur, monentibus ſuorum nonnullis, *Grimbaldum* in tranſcurſu inviſit; & ab eo laute comiterque tractatus illam de viro opinionem concepit, ut cum de inſtaurandâ dein *Oxoniâ* cogitaret, è *Sancti Bertini* Cœnobio accerſierit; qui, Archiepiſcopi *Rhemenſis* hortatu incitatus, in *Angliam* proinde tranſmiſit, & in hanc poſt paulo Urbem, plaudentibus Academicorum pleriſque, pervenit. De tempore quidem quo *Oxoniam* perrexit, inter Authores controverſum eſt, alii enim anno DCCCLXXXIII aſcribunt, nempe cum Pontifex Univerſitatem diplomate ſuo communiret, *Sanctuſque Neotus* mundo ſe eſſet ſubducturus; aliis interim (è quorũ numero & qui *Grimbaldi* vitam conſcripſit) adventum ejus in annum DCCCLXXXV differentibus. Verum hâc de re curioſi non erimus; ſatis eſt & nobiſcum in Theologiâ prælegiſſe, &, quâ erat tum Pietate ac eruditione, tum Prudentia ac morum gravitate inſtructus, ſummum tandem in Academiâ Magiſtratum (Cancellariatum utique) conſecutum fuiſſe. Et hic ſanè notandum obiter venit, quod velut *Alcuinus*, natione *Britannus*, alumnuſque *Oxonienſis*, in *Galliam* olim, invitante *Carolo* Magno trajecerat, & in reſtituendis promovendiſque literis operam *Lutetiæ* perilluſtrem navarat; ſic, quo gratia nobis debita rependeretur, virum huc doctiſſimum amandarunt *Pariſienſes*, qui locum apud *Alfredum* haud vulgarem obtinens, inter recreatæ Academiæ Prælectores, tempore juxta atque eruditione primos, numerari mereatur. Unde porro dilucidatur & aſtruitur, quod alicubi de progreſſu literarum dictum reperi; Artes videlicet è *Britannia* primo in *Galliam* migraſſe, deinde autem,

[a] *In F. fol.* 64. *Epiſt.* 160, 162, *&c.* [b] *Ibid. fol.* 58. *b. Ep.* 150. [c] *Vide* Twynum *lib.* 2. *ſect.* 186. [d] Grafton. *in Chron. ſuo ſub an.* 872. *& aliis.* [e] *Lib. Statutorum Coll. Univerſ. p.* 24, *&c.* [f] *Chron. incerti authoris quod ſic incipit.* Anglia quatuor partes habet *MS.* [g] *MS.* [h] *In lib. de Regibus, ut ſupra.* [i] *In Cent.* 2. *nu. vel cap.* 23. *& alibi.* [k] *Vet. MS. quondam penes Epiſcopum* Oxon, *extract. ut conjicio ex chron.* Rog. Albani. [l] *Tom.* 4. *p.* 112, *&c.* [m] Rous *ut ſupra.* [n] Leland. *Tom.* 3. *p.* 11. *Tom.* 4. *p.* 108, *&c.* [o] *Ex vita* Grimbaldi *MS. & in Tom.* 1. Lel. *p.* 21.

cum

cum ſumma pene barbaries Inſulam hanc occupaſſet, eódem poſtliminio à *Gallis* rediiſſe.

De *Grimbaldo* hactenus; cui & alii haud pauci, quos è gentibus exteris evocavit pari conſilio *Alfredus*, adnecti poſſint, niſi quod eorum nomina ignorentur: de quorum tamen tribus proditum [a] eſt, ex *Hibernis* fuiſſe oriundos, annoque DCCCXCI, parato in ſeptimum diem proventu, naviculam ſingulos vitilem, coriis circumſutam, ingreſſos, ſine velis, ſine gubernatore in *Cornubia* appuliſſe; & *Dubſlavum*, *Maecbethum*, *Maelinum*, nominibus innotuiſſe. Retulere autem ſe comitem iis adjunxiſſe quartum quendam *Suifnethum*, virum in *Quæſtionibus ſuper Aſcenſione dominicâ verſatiſſimum*; qui in ipſo tamen itineris initio, repentinâ morte correptus, intercidiſſet. Hos vero nonnulli à Rege accerſitos, & *Oxoniam*, ut juvenes ingenuis ibi artibus imbuerent, miſſos arbitrantur; cæterum alii, ut amicorum commercio abducti religioni ſe liberius dicarent, permeaſſe in *Britanniam* prodiderunt. Verum ne exteris nos prima literarum ſemina debere autumes, nobis ante *Grimbaldi* aliorumque quos dixi adventum, haudquaquam deerant viri Artium ac Scientiarum peritiſſimi, quique tam perdiſcendis quam præmonſtrandis literis nati compoſitique videbantur. Tales utpote [b] erant *Neotus*, qui in Theologiâ docuit, & *Aſſerius*, Monachus omnimodâ cognitione inſtructiſſimus, qui Grammaticam Rhetoricamque explicabat, & à Rege poſtmodum ad Epiſcopatum *Shirburnenſem* evocabatur; apud quem tam ſingularem jampridem gratiam inierat, ut cum *Grimbaldus* è *Galliâ* accerſendus eſſet, *ut literaturæ ſtudium in* Anglia *ſopitum & pene emortuum* (uti *Malmesburienſis* [c] dicit) *ſua ſuſcitaret induſtria*, unus ante alios [illegible] dignus habebatur qui Oratoris eâ in re perſonam ſuſtineret.

His addi poteſt qui Academicos in Logicâ, Muſicâ, & Arithmeticâ inſtituebat, Monachus Eccleſiæ *Menevenſis*, nomine *Johannes*, cognomento autem, ut aliqui volunt, *Erigena*; quem etiam in [d] Epitome ſuâ Hiſtoriæ Britannicæ *Scotum* appellat *Alexander Eſſebienſis*. De eo acriter contendunt Scriptores, & hi ab *Hibernis*, illi *Wallis*, alii denique *Scotis* originem duxiſſe produnt. Certe hunc *Ticini* aliquando & *Lutetiæ* docentem *Johannem Scotum* nomine innotuiſſe [e] lego; cumq; *Grimbaldo* ac aliis nonnullis *Alfredi* rogatu *Oxoniam* acceſſiſſe, literiſque ibi monſtrandis operam accommodaſſe: tametſi nec ignoro *Johannem* quendam Presbyterum extitiſſe, quem *Alfredus* cum aliis in *Galliam* [f] legabat, ut pertrahendum ad *Oxonienſes Grimbaldum* curaret. Prior autem ille ipſiſſimus eſt quem *Lelandus Scotum* [g] ſuſpicatur, quemque plures nobiſcum annos poſuiſſe, & eodem quo *Neotum* ac *Aſſerium* tempore in Artibus prælegiſſe, (reclamitent interim ſcriptores quicunque) aſſeverantèr affirmabimus: denique qui ſive *Scotus*, ſive *Erigena*, ſive *Patricius* audiat, cultiorem proculdubio literaturam percalluit, & apud Regem haud unum, honorem quem meruit cumulatiſſime adeptus eſt. *Rogerus* ſiquidem *Baconus*, ſubtilis ille rerum & Authorum trutinator, pro fidiſſimo eum & oculatiſſimo linguarum interprete (neque temere quidem, nam talis reverà fuit) [h] deprædicat; cui tribuendum porro cenſet quod libris quibuſdam *Ariſtotelicis* veris ac genuinis fruimur. *Non reliqui locum* (inquit ille *Johannes*) *nec templum in quibus Philoſophi conſueverunt componere & reponere ſua opera ſecreta, quæ non viſitavi, nec aliquem peritiſſimum quem credidi habere aliquam notitiam de ſcriptis Philoſophicis quem non exquiſivi.*

Pergamus vero nos de Prælectoribus noſtris primævis, quos inter comparet *Johannes* Monachus dictus, qui & Geometriam & Aſtronomiam docuit, & vir fuit ingenio maxime perſpicaci, dignuſque in omnimodâ eruditione familiam ducere, denique, quem *Grimbaldi* Collegam extitiſſe, nec ante adventum ejus *Oxonii* prælegiſſe invenio. Is *Lelando* [i] *Johannes Monachus ex* Saxoniâ *tranſmarinâ oriundus*, nuncupatur; appellatione enimvero diſtinctionis gratiâ potiſſimum approbandâ, cum alii *Johannem Monachum S. Meneviæ* vocitantes facillimo errori anſam præbeant, ut cum *Johanne* nimirum *Erigenâ* coincidat, qui ad *Sanctæ Meneviæ* natus eſt, monachuſque ibidem, uti à *Balæo* ac *Pitſæo* memoriæ proditum eſt, deinde evaſit: etiamſi *Lelandus* in Catalogo ſuo Scriptorum *Anglicorum* haudquaquam recenſuit.

His, aliunde partim accitis, partim domi ab *Alfredo* repertis accedunt *Oxonienſes* qui, paucis interjectis annis inclareſcere cœperunt; quique libros Theologicos (quorum aliqui etiamnum ſuperſunt) ex Latinis in Saxonicum transferentes Nobilibus *Anglis* rem gratiſſimam fecêre, linguæ utpote *Romanæ* ignaris, Scriptiſque propterea quæ prædixi frui nequeuntibus. *Alfredus* autem, quod Regibus uſu rariſſime venit, Idiomatis vernaculi pretium ac ſplendorem adaugens, librum condidit quem *Malmesburienſis* (*Aſſerii* authoritate ſubnixus) Enchiridion [k] vocat; eundem forte qui *Manuale meditationum* inſcribitur, & à [l] *Pitſæo*, *Manuale* ſimpliciter appellatur. [m] Scripſit inſuper Saxonice & librum alium, titulo *Decreta judiciorum*, ſed hunc, nobis fortuna invidit, aut pro rerum mortalium conditione ſeculorum eripuit decurſus. Huic vero accedit & alter, *de Legibus*, nuncupatus, in *Æde Chriſti Twynhamburnenſi* olim habendus; quem (cum aliis quos apud *Balæum* videre licet) *Gulielmus Lambardus*, in priſcâ vir antiquitate Legibuſque exercitatiſſimus, edendum procuravit. Cæterum quoniam de *Alfredi* jam operibus agitur, audiamus Scriptorem [n] quendam antiquum in hæc verba diſſerentem; *Religionis* (inquit ille) *per hunc diſciplina in mentibus fidelium diſſeminata convaluit, & tanquam novi ſolis claritas doctrina veritatis infuſa reluxit, cujus in Scripturis tanta legitur extitiſſe ſcientia, ut in Philoſophiæ ſtudiis ad unguem uſque perfectè diſertus Orator exiſteret, & facundus Interpres totum fere Teſtamentum in idioma linguæ paternæ transferret.* Etſi enim Patri poſtremo natus eſſet *Alfredus*, miris tamen ingenii dotibus virtutiſque ſtudio ſingulari reliquos adeo fratres antevertebat, ut de eo, puerilem hauddum ætatem egreſſo, ſpem ampliſſimam conceperit, & (quem in magna demum emerſurum expectabat,) *Romam*, pluribus militibus dona quoque ingentia ferentibus [o] ſtipatum, amandârit; eo conſilio ut Pontificiâ benedictione auctus, Sanctorum Apoſtolorum precibus commendaretur. *Romæ* tum ſedebat *Leo* IV, qui cùm fixis in pueri vultu oculis indubia probitatis veſtigia, futuræque majeſtatis indicia deprehenderet, præſagiente animo in Regem protinus inunxit; primuſque is erat è Regibus *Anglorum* quibus ſacrum obtigit oleum; ſecundum illa [o]

[a] *In quadam Hiſtoria Saxonica MS. in Bib.* Cotton. & Flor. Wigorn. *ſub an.* 892. [b] *Annales Monaſterii* Hydenſis *ut ſupra.* Rous *de Regibus ut ſupra.* Twyne *lib.* 2. *ſect.* 172, 174. [c] *In* 2 *lib. de* Geſtis Anglorum, *cap.* 4. [d] *MS. in Bib.* S. Bened. *apud* Cantabr. [e] *In Chron. incerti authoris ut ſupra.* [f] *Vita* Grimbaldi *ut ſupra.* Flor. Wigorn. *ſub an.* 872. [g] *In Tom.* 4. *p.* 118. [h] *In Gloſsis ſuis ſuper lib.* Ariſtotelis *de ſecretis ſecretorum, MS. fol.* 4. [i] *In Tom.* 4. *p.* 114. *ex Gul.* Malmesbury *de Geſtis Regum Angliæ, lib.* 2. *cap.* 4. [k] *In lib.* 2. *de* Geſtis Anglorum, *cap.* 4. [l] *In Æt.* 10. *nu.* 134. *ex* Malmesburienſi *ut ſupra, cap.* 4. [m] Osbert. Clarenſis *in vita S.* Ædburgæ *MS.* [n] *Ex tripartito tabernaculo, ut ſupra.* [o] *In quodam Chron. ab origine Gigantum in Inſula* Albion *uſque ad tempora* Ric. II. *MS.*

Rex Alfredus *erat primus Rex Angligenarum*
Unctus qui fuerat, docet ut liber Historiarum.

An de eo addam, quod cum Regno dein potiretur tam immensas opes in Sedem Apostolicam effudit, ut ejus rogatu Pontifex maximus Scholam *Romæ* Saxonicam tributo in posterum omni exemerit.

Atqui ut pietate haud vulgari instructus, ita erga literas ingenuas pene prodigus erat *Alfredus*, qui magnam census annui partem, quo Scholis & angustioris fortunæ Academicis prospectum esset, iisdem addixit. Namque, ut in summam regis optimi admirationem rapiaris, reditus ille suos bifariam primo [a] partitus, partem tantum alteram in proprias impensas reservavit, alteram quadripartitam, sacris hac ratione usibus dicavit.

I. Portionem unam pauperibus assignavit.

II. Alteram Ædibus Religiosis dedit, quas ipse fundaverat.

III. Tertiam vero reparandis Templis, vel, ut alii volunt, *Anglis* apud exteros degentibus ascripsit.

IV. Quartam autem Scholis, alendis ibidem tam Scholaribus quam Prælectoribus donavit.

At vero, postremo dictos quod attinet, non tantum constituit *Alfredus* ut stipendiis iis vivente ipso fruerentur, verum & hæredibus suis ac successoribus mandavit, ut iisdem Academici in omne ævum pascerentur. Quod non secus fiebat ad ipsum (ut plerique autumant) *Conquestorem*, qui Scholaribus, prout infra dicetur, aliquâ de causâ infensior, eorum præripuit reditus, & detinendos in posterum ordinavit.

Atqui vero insignior adhuc evasit *Alfredi* adversus Academiam benevolentia, qui Leges porro & instituta salubria, gubernandæ eidem tradidit, eamque & ipse privilegiis ornavit, chartâque regiâ stabilivit, & (quod *Neotus* prius à Pontifice [b] petiverat) à *Martino* II. circa annum DCCCLXXXIII, diplomate Papali muniendam [c] impetravit; velut hisce testatum habes, quæ è veteri quodam Poeta [d] desumpsimus;

And in the yeare viii hundred lxxx and tweyne
Martin Bishop of Rome **graunted to King** Alured
To found and make a study then againe
And an Universitee for Clerkes in to rede
The whiche he made, at Oxenford **indede**
To that intent, that Clerkes by sapience
Againe Hereticks, should make resistance.

Alfredus autem statuta quæ dixi, cum Privilegiis variis & immunitatibus, confirmavit: hâc vero in re eâdem usus est industriâ, quâ pridem in impetrando [e] à Pontifice ut Schola anglicana *Romæ* posita tributo eximeretur, usus fuisset.

Verum equidem haud facile dicas majoremne in recreandâ Universitate munificentiam, an in conservandâ diligentiam adhibuerit; nam cum lites, ut præfati sumus, *Grimbaldo* ac discipulis suis intentarent Scholares veterani, Rex ipse *Oxoniam* tantâ celeritate advolavit, ac si totum penitus Regnum in summum discrimen adduceretur; immo regiâ quodammodo majestate exutus, querimoniis utrinque audiendis tantisper vacabat, donec temperatis imperio monitis effecerit, ut sedatâ omni contentione partes inter se placide coaluerint. Desumuntur hæc ab exemplari illo *Asserii* quod *Camdenus*, anno CIↃDCII, Typis evulgavit, & cujus de fide superius egimus. Interim non est dissimulandum *Asserium* à *Matthæo* Archiep. *Cantuariensi* editum anno CIↃDLXXIV, ne fundatæ quidem, nedum instauratæ ab *Alfredo* Universitatis mentionem facere: sed utique dicendum quod ab aliis pridem observatum, librum eum mendosum & mutilum prorsus fuisse; sub finem tamen instauratæ Universitatis quasi appendicis loco, narrationem satis amplam continere, cui [f] *Balæus*, nisi me fallit conjectura, *Paralipomenon* nomen indidit. Hanc certe, qualiscunque ea fuerat, propalandam cum reliquo libro curasset Archiepiscopus, si antiquitati *Oxoniensi* paulo iniquior non fuisset. Unica subest excusatio, appendicem illam idcirco forte non editam, quoniam & ipse juxta & sacellanus ac adjutor *Joannes Josselinus* de ejusdem fide dubita verant, si quidem recentiori manu fuerat descripta. Et revera liber ille, licet prima fronte antiquitatem multam præ se ferat, mendis tamen frequentibus scatere deprehenditur, quod vel inde liquet, quod pluribus in locis vel ab ipso Archiepiscopo, vel ab eo quem dixi *Josselino* interpunctum comparet, quin & à diversis librariis exaratus videtur, postremâ parte, (quâ occurrunt nempe illa de Universitatis *Oxoniensis* fundatione) novissime, quantum ego capio, conscriptâ, suffragante mihi hac in re *Thomâ Fameslo*, qui id exemplaris apud Bibliothecam Baronis *Lumley* pervolvit anno quasi CIↃDC, quo nimirum tempore *Eclogam* suam meditaretur. Verum enimvero in ambiguo non est quin ipse liber, si integer fuisset, Academiam *Oxoniensem* attigisset saltem, de quâ in omnibus *Asserii* exemplaribus haud pauca reperias; & illo speciatim quo usus est [g] *Lelandus*, cùm in Scriptorum Anglicorum catalogo de *Alfredo* ageret; quod locupletius est uti mihi videtur quam vel illud à *Camdeno* propalatum, quandoquidem eidem insint pleraque omnia quæ per ea tempora nostram spectant Universitatem, *Camdenianum* vero, nisi quod litium *Grimbaldo* cum veteribus academicis coortarum meminerit, *Oxoniam* silentio prætervehatur.

Sed de his hactenus. Supereſt ut paucis expediamus quas fortunæ vices aut vitæ exitum habuerint egregii illi viri qui, *Alfredi* auspiciis, feliciſſimam navabant operam in literis orbi *Britannico* postliminio reddendis. *Grimbaldum* imprimis dicam, qui cum Regi aliquantisper à secretis confessionum [h] fuisset, in Cœnobium se *Hydense*, *Wintoniæ* vicinum abdidit, ibi reliquum vitæ Deo ac precibus impensurus, ubi anno redemptionis humanæ DCCCCIII octavo Id. *Julii* fato [i] functus, in Sanctos à Pontifice maximo referebatur; die quo obiit, aut quo depositus fuit, festis annumerato. Sequitur *Johannes Erigena* qui ad *Malmesburiam* se contulit, quâ vero de causâ compertum non habeo, quamvis [k] Scriptor quidam antedictis *Oxoniensium* litibus tribuerit, quas quidem haud ante secundum ab obitu ejus annum obvenisse patet. *Malmesburiæ* vero dominatũ, quem solent plerique Pædagogi, impotentem erga pueros [l] exercens, sociatis eorundem scalpellis confoditur; Cæsari (ut magna parvis) in

[a] Lelandus *ex quodam exemplari* Asserii *Menev. in Tom.* 4. *p.* 113, 114, *&c. Continuator* Bedæ *MS. fol.*251. *a. Chron.* Joh. Brompton *ut supra in* Alfredo. *Chron.* Rog. Wendover *in vit. Regis* Alfredi. [b] Lel. *in vit. Neot. in Tom.*4. Bal. *Cent.*2. *nu.*23. [c] Gul. Malmesb. *in lib. de Antiq. monasterii* Glaston. *MS.* Ranulph. Hygden, *lib.* 2. Joh. Rous *ut supra*, p. 84. [d] Jo. Harding. *in Chron. suo cap.*110. [e] *Historia Saxonico-Lat. MS. in Bib.* Cotton, *sub an.*884. *Annales de* Winchelcumba *in ead. Bib. v.* Twynum *in Apol. lib.*2. *sect.*179. [f] *In cent.* 2. *nu.* 25. [g] *In Tom.*4. *p.*113, *&c.* [h] *Idem in Tom.*1. *p.*235. [i] *Vita* Grimb. *MS. &* Lel. *in Tom.*1. *p.*21. [k] Waræus *de Scriptoribus Hiberniæ, lib.* 1. *cap.* 5. [l] Gul. Malmesb. *de Gestis Regum* Angl. *lib.* 2. *cap.* 4.

Senatu

Senatu interempto haud abſimilis, cum & Tyrannidem occupaſſe videbatur, & præter ſupplicii parilitatem, Imaginem in Templo *Malmesburienſi* (prout ſtatuas ille in Romanis) adeptus [a] eſt. *Aſſerius* ad Epiſcopatum *Sherbornenſem* evocabatur; neque enim illis accedam, qui ad *Menevenſis* ſediſſe volunt, quo avunculum à nepote haudquaquam internoſcere videntur. Sed nec diem obiit (velut Scriptori [b] cuidam placet) anno DCCCLXXXIII, nam Chartam illam ſubſignantem [c] reperio, quâ vicus **Hozdwell** Cœnobio *Abendonenſi*, aſſentiente *Edoardo* Seniori, tranſcriptus fuit, quod in annum DCCCCIII cadit. *Johannes* vero *Monachus* (qui idem cum *Erigena* falſò habitus eſt) poſt plures annos *Oxonii* poſitos, ad Cœnobiarchiam de **Ethelingey**, ſeu **Athelney** (Inſulam ea vox regalem ſonat) ab *Alfredo* [d] evehebatur.

Inſtauratam ab *Alfredo* Univerſitatem *Oxonienſem* huc uſque ex veterum ſcriptis enarravimus; ſupervacuum fortaſſe non erit, nec Antiquitatis ſtudioſis ingratum, eandem deinceps pictam, & penicillo adumbratam exhibere: nimirum quatenus vitreæ tabellæ (fragiles illæ quidem, ſed luculentæ, &, ſi injuria abſit, impendio diuturnæ) ſpectantium oculis ſubjecerint. Adumbratio illa quam deſigno, ex feneſtrâ deſumitur, venerandæ prorſus antiquitatis, quæ ante ſeculum præterlapſum in occidentali parte Eccleſiæ *B. Mariæ*, ubi conventus Academici priſcis temporibus celebrabantur, comparebat; nunc vero temporis tyrannidi & fanaticorum furoribus ceſſit & diſſipatur. Tanti autem habebatur olim apud deceſſores noſtros, ut cum lis ſatis acris orta eſſet inter Univerſitatis Præfectos, & ejuſdem in Artibus Magiſtros, de jure conſeſſus in Senatu Academico, utrum ſc. Magiſtri tectis, an apertis capitibus eidem intereſſe, & ſuffragia ibidem ferre deberent; ex indiciis hinc deſumptis, ſecundum Magiſtros ferebatur ſententia: quæ & in hunc uſque diem rata habetur, Magiſtris in conventibus publicis, qui Congregationes appellantur, coram Cancellario, ejuſq; Deputato, & univerſo Doctorum globo, pileos liberè gerentibus. Feneſtra vero ipſa in hunc modum adornabatur; in primâ ejuſdem partitione ſive Tabella (illam ſentio quæ ad auſtrum proxima erat) depictus comparuit *Alfredus Danos* Regni ſui finibus pellens, prout è carminibus cuilibet teſſellæ ſubjectis, quæ etiam ſtatim deſcribentur, apertius liquet. In ſecundâ autem erat Angelus, qui *Alfredo* mandabat ut Studium *Oxonienſe* inchoaret; quod præſtiturum illum imago tertia, quæ nuntium referebat, ſignificabat; quarto in loco Doctorum quorundam, cum Nobilibus quibuſdam rei literariæ ſtudioſis, imagines exhibebantur; in quinto autem effictus erat *Alfredus* Scholares ad ſtudia adhortatus, & operariis ſuis quid fieri vellet protenſo digito indicans; nonus erat Grammatices, decimus Logices prælector; undecima denique diſputantis Philoſophi comparebat effigies. Hi vero omnes habitu ſuo induti, in propriâ quilibet facultate, diſcipulos inſtruebant; artemque quam profitebantur exercebant. Quin & Magiſtratus Academici inſignia, Privilegiorum chartæ & diplomata, diſputationum in *parviſiis*, necnon in Artium Scholis, graduumque utrobique capeſſendorum univerſus apparatus, ſeorſim deſcribebantur: quæ ſingula carminibus, ut ferebat ſeculi iſtius genius, ulterius decoranda videbantur; illa autem in hunc modum ſe habuêre.

I. *Rex* Danos *pellit ſedibus* Angligenum.
II. *Angelus hic ſtudium juſſit ut incipiat.*
III. *Ut ſtudium incipiat nuntius hic properat.*
IV. *Lex ſacra, Nobilium doctaque turba venit.*
V. *Rex jubet ut ſtudeant, ædificatque domos.*
VI. *Et Schola jam leges libera Regis habet.*
VII. *Educit doctos ſic pia villa viros.*
VIII. *Ut diſcant artes plurima turba venit.*
IX. *Audit Grammaticam concio prima ſuam.*
X. *Imbuit hic juvenes diſcipulos Logica.*
XI. *Demonſtratoris eſt Schola dicta tui.*
XII. *Poſt Schola ſic notis fulget Arithmeticis.*
XIII. . . . . .
XIV. *Menſuris rerum imbuit iſte ſuos.*
XV. *His inſtitutis ſydera quæque ſcies.*
XVI. *Naturæ cauſas quæritis? iſta docet.*
XVII. *Infirmi cauſas medicus ecce notat.*
XVIII. *Ob tranſgreſſores hæc data pœna fuit.*
XIX. *Scripturam exponit hæc Schola facta dei.*
XX. *Virtutes mittit deſuper omnipotens.*
XXI. *Dona dei læto ſuſcipiunt animo.*
XXII. *Paſtorem ſtudii litera miſſa petit.*
XXIII. *Scripturas princeps ſuſcipit in manibus.*
XXIV. *Rex Cancellarium mittit ad* Oxonium.
XXV. *Jura petit ſummo litera Pontifice.*
XXVI. *Nuntius & miſſa litera ſuſcipitur.*
XXVII. . . . . .
XXVIII. *Cuncta animo grato jure petita dedit.*
XXIX. *Grammaticis gradum lector hic eſſe notat.*
XXX. *Hæc Schola parviſiis nomina dicta fuit.*
XXXI. *Arte Bachalaureis hæc data forma fuit.*
XXXII. *Sic pro ſumendo depoſuere gradu.*
XXXIII. *Ordine quiſque ſuo vendicat ecce locum.*
XXXIV. *Artibus Inceptor diſputat in Cathedra.*
XXXV. . . . . .

[a] Lel *in 2 Vol. Itinerar. p.* 27. [b] Godwino, *in Epiſcopis* Sarisbur. [c] *In lib. ſive Reg.* Abendon, *in Bib.* Cotton. *ſub effigie* Claudii. *C. nu.* 9. [d] *Vita* Grymbaldi *ut ſupra*, Gulielm. Malmesb. *de Geſt. Angl. lib. 2. cap. 4.*

Universitatis OXONIENSIS ab Alfredo restitutæ conspectus.

ET nunc quidem quod viatori accidit longum iter ingressuro, qui primo se mane in viam proripit, postquam aliquandiu inter crebras diverticulorum tenebrarumque moras difficulter perrexerit, callem quasi palpando retinens, maximeque obvia temere internoscens: tandem oriente sole clarâ circumfunditur luce, præsentibus non modo sed & præteritis & succesſuris interest, inque dissita lætus prospectat rura: consimili prorsus more, superata priscorum temporum caligine, & confusas per rara vestigia semitas tandem aliquando eluctatus, videor ego mihi prætoriam inire viam, aprico frui æthere, & discussâ nocte omnia deinceps circumquaque posita non pedibus modo, sed & oculis etiam lustrare & emetiri: quin & beatas musarum sedes, *Oxonii* turres, cœlorum quibus inseruntur æmulas, è longinquo cernere; ubi nihil desideratur, quod aut ad rei literariæ commoda atque usus, aut ejusdem cultum decusque aliquatenus faciat. Fuerit enim Universitas, quod quibusdam placuit, locus quo multarum gentium incolæ ad Artes & Scientias commode magis hauriendas conveniunt; fuerit Respublica, seu, quod Scriptori [a] cuidam arridet, *Universus* terrarum *orbis* in compendium coactus; talem *Oxoniam* antiquitus, scil. circa *Alfredi* secula, intueor & recognosco. Primo enim, *Hibernos* huc olim permeasse indicio erit platea quam supra meminimus, **Irishman-street** appellata. Deinde *Gallos*, *Hispanos*, *Germanos*, *Bohemos*, *Hungaros*, &c. huc certatim omnes confluxisse, in sequentibus monstrabitur. E veteribus insuper munimentis, sive [b] syngraphis patet, *Italos* hic frequenter bonis literis insudasse; quinimo in Parochiâ *omnium Sanctorum* dictâ, stetisse Aulam antiquissimam *Romanæ* titulo innotescentem: quam quidem (prope media *Henrici* III tempora, seu ante annos quasi CCGCL) mutatis temporum lapsu hospitibus, *Aulam quondam Romanorum*, nuncupatam reperio.

Si autem Universitas non adeo ab alumnis aut hospitibus, quam Privilegiis censenda sit, plurimumque illa differat à vulgaribus Academiis, Scholisq; illustribus, ubi passim mendicant literæ; nec hac ex parte destituimur. *Leo* quidem Papa appellationem illam, Latinis forte auribus minus gratam, primus indidit; nequaquam certe (ut *Erasmo* [c] allubescit) quod *universæ* ibidem eruditionis Professores floreant, sed quod *Professoribus ac studiosis literarum* (*Duarenum* [d] legis) *Corpus, Collegium, ac velut Rempublicam habere liceat, quamvis alias id jure prohibitum sit*, &c. Sic enim *Universitatem* capiunt juriſperiti; & *Oxonienſem* profecto, præ aliis, Academiam variis paulatim privilegiis dotatam fuisse, tum è supra dictis, tum ex iis, quæ deinceps adferentur, abunde liquebit.

Agnosco equidem bonarum literarum auguſtas sedes, *Universitates* barbare dictas fuisse, & quidem ad *Richardi* usque II ætatem vox ea unice invaluit: tum vero *Academia* subinde usurpari cœpit; non ita tamen ut antiquius in desuetudinem veniret nomen; extat siquidem Instrumentum [e] quoddam, factum regnante *Richardo* I, inter *Richardum Sewey*, *Oxonienſem*, & Priorem *Sanctæ Frideswydæ*, de Tenemento quodam *Oxonii* posito, in quo publici *Universitatis* sigilli mentionem invenies. Nec omittendum est alterum [f] illud, IIIo Regis *Johannis*, Domini nimirum an. CIↃCCI scriptum, pactumque continens, quo inter *Universitatem Oxonienſem*, & Prioratum *Sanctæ Frideswydæ* convenerat, & cui perinde ac prædicto appensum comparet publicum *Universitatis* sigillum, cujus imaginem hic damus.



Fateor sane, propter mancos ubique & intercidentes Annalium nostrorum vetustissimos, ostendi non posse, quo primum seculo id nominis gesserit: atqui vel hæc sufficiunt refutandæ, quæ alicubi occurrit, assertioni, *Oxonium* scilicet ante annum CIↃCCLXI, seu xlvo Regis *Henrici* III *Universitatis* [g] titulo haudquaquam inclaruisse. Sed hæc prætergressus, pro instituti ratione edisseram, siquidem à nonnullis [h] exigitur, ad *Universitatem* rite & auspicatò instituendam, ut habeatur *locus aere salubri*, fontibus nimirum ac fluviis, silvis etiam, & viridantibus pratis circumfusus undique ac incinctus; quæ res literarum studiosos (quorum plerique florentibus pariter annis fruuntur) trahunt mire aliquò, figuntque; hæc omnia *Oxoniam* nostram imprimis beant, literisque consecrant, adeo ut *Bellositum* audire ante *Vortigeri* tempora, prout supra docuimus, meruerit. Et quanquam vix integrum

[a] Johann. Gerſoni *in* 4. *parte operum, in Sermone coram* Car. *Reg.* Galliæ 6, *&c. Edit.* 1606. [b] *In thesaurario* Col. Universitatis *in fascic. chartarum de tenementis in Parochia* Omnium Sanctorum *in* Oxon. [c] *In lib. de pronuntiatione.* [d] *In* 5 *lib. de Ecclesiæ ministris ac beneficiis.* [e] *In manibus Authoris.* [f] *In turre Scholarum* Oxon. *in pix. Y. nu.* 1. [g] *De Vniversitate* Oxon. *fit mentio in Chron.* Rogeri Wendover. *qui obiit*, 1217. *& etiam in illis* Matth. Pariſ. *&* Florilegi *sub an.* 1209. [h] Jo. Boterus *in lib.* 2. *de origine urbium. cap.* 4.

erat

erat *Alfredo*, *ſtudium in Anglia* alibi *ſuſcitare*, (*Malmsburienſis* noſtri utor vocibus ſupra laudatis) quàm ubi prius *Danorum* incurſionibus *pene immortuum* jaceret; ſapientiſſimum Regem ſoli natalis ſtudio, (quod *Wantingæ*, vulgo **Wantage**, intra decimum ab *Oxonia* lapidem fuiſſe [a] fertur) agri amœnitate, nec non & Urbis dignitate ulterius allectum opinor, ut fugatas Muſas ad antiquas illic ſedes poſtliminio reduceret; præcipue cum Scriptores paſſim Academias ſolis Urbibus iiſque celebrioribus addicant: illi nimirum requirunt, ut Univerſitas *ædificiis amplis ac ideoneis* adornetur, tum recipiendæ Scholarium multitudini accommodatis, tum in Hoſpitia, Refectoria, Scholaſque diſpertitis: talia vero aut collapſa reparaſſe, aut de novo erexiſſe *Alfredum*, è prædictis penitiſſime conſtat. Porro quandoquidem ſuper hæc omnia, *de viris eruditis*, qui Præſidium, ac Prælectorum munia obire norunt, providendum fuerit, nec illic *Alfredi* ceſſavit induſtria, ſiquidem quamplurimos, propoſitis ab ipſo ſtipendiis invitatos *Oxoniam* commeaſſe, extra dubium videmur poſuiſſe.

Sed quia Apollinis non minus quam Cupidinis ſagittæ à dote veniunt, nec quiſquam fere nudam veritatem, & infami mendicatis notâ ſtigmaticas literas, velit colere; & proinde multum refert ut latifundia redituſque annui ſtudentibus deferantur: (quo ſpectat quod de Monachis quibuſdam, natione *Scotis* [b] accepimus, qui ex *Hibernia* in *Galliam* tranſvecti, & apud *Carolum Magnum* de promovendis ſtudiis agentes, præter locum ideonum, & ingenia imbibendis Artibus commode facta, proventus annuos petebant, & ita demum in ſe receperunt ſubditos ejus bonis literis informare;) ſane *Alfredus* Scholis *Oxonienſibus* reditus ampliſſimos conceſſit, tertiâ cenſus regii parte, ut ſupra oſtendimus, piis uſibus deſtinatâ; tametſi currentibus inde ſeculis Academici noſtri (quod etiam alibi in hoc opere monſtrabitur) eo inopiæ redacti fuerint, ut ſorti eorum deſcribendæ non malè quadrent ea, quæ ſcripſit olim [c] Poeta ſuo ſeculo non incelebris, & Univerſitatis hujus Alumnus, qui attenuatas ſuo tempore Muſarum fortunas in hunc modum complorabat;

Parva domus, res ipſa minor, contraxit utrumque
Immenſus tractuſque diu ſub Pallade fervor,
Et Logices jucundus amor, tenuiſque laboris
Emeriti merces, & quæ de more Sophiſtas,
Miror qua invidia fati, comitatur egeſtas.
Pauperies eſt tota domus, deſuevit ad illos
Ubertas veniſſe lares, nec viſitat ægrum
Copia Parnaſſum: ſublimior advolat Aulas,
His ignota caſis, &c.

Poſt hæc omnia, quia Otia & ſeceſſum quærunt Muſæ, nec ſine magnis auctoramentis vigent Artes, *immunitates & privilegia* iiſdem indulgeri ſolent, quibus Studia publica dignitatem ſuam & jura tueantur, & ab inferioris ſubſellii gymnaſiis ſeſe ſubmoveant. Quæ & quanta hæc fuerint, jus *Cæſareum*, nec non juris *Cæſarei* Scriptores [d], qui paſſim de Privilegiis ſtudioſorum ex inſtituto agunt, neſcire nos vetant. Recte, inquit *Caſſaneus*, nonnullis univerſalia fiunt Studia, quæ prærogativis adaugentur; qualia *Lutetiæ*, *Patavii*, *Aureliæ*, &c. *Oxonii*, *Salmanticæ*, *Bononiæ* habentur, quæ reliquis omnibus antecellunt; alii etiam loci privilegiis quibuſdam gaudent, ſed non amplioribus illis; quales *Mons Peſſulanus*, *Andegavum*, *Vienna*, &c. demum, ſunt & Studia tam vniverſalia, quam Particularia, quæ tamen Privilegiis haudquaquam dotantur, & propterea neque perennant, neque ut plurimùm florent. Poſtremo notandum quod Doctores ex Univerſitatibus ſeu ſtudiis Univerſalibus prodeuntes, iis fruuntur præeminentiis, quibus ad dignitatem & honores facilius emergunt, quam qui è Scholis ſunt, quæ privilegia quidem ſua habent, nec tamen inter Studia Univerſalia numerantur. Cæterum Regem jam toties dictum, Univerſitatem, ſeu Studia Univerſalia, apud *Oxonienſes* refeciſſe, & refecta privilegiis variis ornaſſe ac muniviſſe, opus non eſt ut hoc uberius in loco probare nitamur.

Ut ulterius progrediar, obſervandum inſuper duco, quod Univerſitas omnibus numeris abſoluta, requirit non modo viros ingenuis Artibus vacantes, alioſque ad cognitionem informantes, ut & reliqua quæ huc uſque memoravimus, ſed inſuper pro vario in literis progreſſu honorum inſignia, & dignitatis prærogativæ quædam deſiderantur, quibus & à ſe invicem literati internoſci poſſint, & cujuſque labores aliquatenus compenſari; quæ quidem nos *Gradus* appellamus, & quibus Academici ornantur pariter ac diſcriminantur. De *Gradibus* autem, an ſub *Alfredo* primum excogitati fuerint, haud acriter contendam; certe *Oxonii*, *Saxonibus* rerum adhuc potientibus, uſu fuiſſe receptos, è libro [e] Thomæ Milleſii *de nobilitate politicâ ſeu Civili* (quem à Saxonicis *Gulielmi Lambardi* legibus excerpſit) perſpicuum fit: ibi enim ſic legis,

Anð ȝiſ Leopnep ȝeðeah puþh lape þ he haþ hepðe ⁊ ðenoðe Xpe, &c.

Quæ latine transfunduntur; *& ſi Scholaſticus per eruditionem eouſque profecerit, ut* Gradus *capeſſat, Chriſtoq; famuletur*, &c. ubi haud me latet vocem Saxonicam quam nos *Gradus* vertimus, *ordines* à quibuſdam reddi, verum, præter alios, *Richardus Hackluyt* [f] nobiſcum ſtat, & voce *Gradus* transferendam omnino judicat.

Accedit ad hæc quod *Sanctus Johannes de Beverlaco* primus apud *Oxonienſes Magiſter* in *Artibus* exiitit, nec quiſpiam facile in animum induxerit ut credat, eum per ſaltum ad illud faſtigium perveniſſe, & in Cathedram nullis ſuperatis prius ſubſelliis convolaſſe. Præterea cum reficeret Academiam *Alfredus*, dicitur [g] juniores *Magiſtris* ſeu *Doctoribus Grammatices Artium & Theologiæ* erudiendos tradidiſſe, quod non aliter interpretandum videtur, quam *Johannis Roſſi* verba dicentis, *Scholas Cantabrigienſes Doctoribus ac Magiſtris Oxonienſibus regnante Edoardo ſeniore inſtructos fuiſſe*; quibus extra dubium poni videtur, Academicos noſtros ea ætate interſtinctos comparuiſſe, & gratis prorſus dictum ab illis, quod Scriptores, à quibus hæc referuntur, dictiones ſuas non ætati de quâ verba fecere, ſed quâ ipſi vixere, accommodarint. Poſtremo quid pluribus immorandum, cum abſurdiſſimum ſit Univerſalia ſtudia, ſeu Univerſitatem, ſive inſtauratam, ſive poſitam, & privilegiis præterea donatam fuiſſe, *Gradibus* vero, ad ipſam ejus eſſentiam quam intime requiſitis, caruiſſe.

Memini Scriptorem [h] quendam negare, quod à *Carolo Magno* ad *Carolum* quartum (ſpatio nimirum IV vel V Centuriarum) inter *Germanos* quiſpiam vel *Doctoris* vel *Magiſtri gradum* capeſſivit; cauſamq; adhibere eundem

[a] Aſſer. *Menev. edit.* 1602. *p.* 1. [b] *In quodam tractatu incerti Authoris de ſtudiis Philoſophorum MS. & in compendio de multiplicitate Vniverſitatis* Pariſienſis, *edit.* Paris, 1517. *fol.* 2. [c] Jo. Hanvyle *in Architrenio. MS. lib.* 1. [d] *Lib.* 14. *cod.* Theod. *tit.* 9. de ſtudiis liberalibus, *& c. leg.* 1. *cod.* Juſtin. qui ætate vel profeſſione ſe excuſant. Pet. Rebuffus, Renat. Choppinus, Horat. Lucius, And. Tiraquellus, Corn. Benicaſius, Barth. Caſſaneus, *in cat. de Gloria mundi, part.* 10. Paponius *placitorum, l.* 5. *tit. ultim. Areſto.* 1. [e] *Edit.* 1608. *p.* 134. *& de Origine Graduum Academicorum, vide* Twynum, *in Apol. lib.* 3. *ſect.* 334. [f] *In Vol.* 1. *Itinerar. p.* 126. [g] *In Annal. Monaſterii* Hydenſis, *ut ſupra, & in* Jo. Roſſo, *p.* 85. [h] Hermann. Kirchner. *in Oratione prima de viris nobilibus in Germanicis Academiis creatis & licentiatis annis ab hinc* 600, *& c.*

authorem, quia Universitatem (sine quâ *Gradus* deferri non possunt) nullam tot seculis habuere. Siquis autem (inquit ille) quenquam inter *Italos*, *Gallos*, *Anglosve* (apud quos tamen Universitates prædicto annorum decursu extitere) protulerit *Graduum* illorum alterutro toto eo temporum tractu cohonestatum, magis enimvero demirabor. Si *Gradus* equidem in *Theologia* aut *Legibus Cæsareis* velit, acclamantes nos habet; sin de *Artibus* idem perhibuerit, nullo modo assentimur, immo in hoc deinceps opere evincam id à veritate alienissimum esse, eâque tempestate complures apud nos *graduatos* in *Artibus* emicuisse; quod adeo non est mirũ, cum in facultate illâ fundatam fuisse Universitatem nostram Scripta [a] passim vetusta testentur: quin & præsens reipublicæ Academicæ status etiamnum id evincat, siquidem potestas ingrediendi domum Convocationis, nec non suffragia ferendi, penes illos est, qui in artibus aut regunt, aut rexerint: nec fas est ut quis ad munus Procuratorium admittatur, nisi in eadem facultate Magister fuerit. Et æquissimum prorsus est, ut in *Apollinis* castris imperiũ consecuti à profano Vulgi grege, imo ab iis qui prima merentur stipendia, per militaria ista dona, & honorum insignia distinguerentur, Haud abnuo quin regnum ineunte *Henrico* II. *legibusque Cæsareis* ac *Theologia Scholastica* in Universitatem receptis, frequentiores demum emerserint *Graduati*, nimirum in iis quas modo dixi facultatibus; interea tamen in *Artibus*, quibus acquirendis desudandum diutius erat, quas etiam nulla sequebantur præmia, pauciores tum ad *Gradus* aspirabant, quæ res, quanti reipublicæ literariæ steterit, deinceps intelligemus; in præsentiarum de honoribus Academicis, quibus superiores ab inferioribus submovebantur, & solennibus ritibus quibus inaugurati fuerant, ex antiquis codicibus breviter differere; quinetiam de eorundem numero ac differentiis paucis disceptare haud intempestivum fore arbitror.

Primo itaque *Scholaris* dictus est [b] à *Schola* quam frequentare tenetur, sive à græco σχολῇ, literato scil. cui vacabat otio, vocem illam supra Annalium nostrorum [c] memoriam obtinuisse constat: quanquam & *Clericum* olim ut plurimum appellatum fuisse non diffiteor, quicunque priscis seculis literas callebat: quod autem sine intermedio aliquo Gradu ad Magistralem candidatis quibusdam ascensus aliquando patuerit; ex reformato illo more, tempore *Hen.* III. discimus; siquidem Poeta [d] sub illud seculum cecinerit.

——*Sic juris regula Fuſſit.*
Nemo Magistretur *nisi primo* Discipulus *sit.*

De *Scholaribus* vero memoriæ proditum [e] est, cùm *Leges* ac *Theologia Scholastica* in Academiam nondum essent invectæ (quod non ante annum CIↃCXLIX factum constat) annos XX in *Grammaticâ*, *Rhetoricâ*, & *Logicâ* (quæ *Trivialia* vocabantur) posuisse solitos, antequam ad *Gradum* aliquem capessendũ sese accingerent; quod ab illis præsertim fiebat, qui penitiorem literarum cognitionem assequi decreverant: adeo ut qui deinceps dimidiato tempore ad *Gradum Magistralem* aspirarent, *Magistri per saltum* nuncuparentur. Sed de his plura alibi; de *Scholaribus* pergo, quorum seniores tyrones, seu qui nuperrime advenerant, cum ceremoniis quibusdam excipiebant; quemadmodum nobis jam solenne est, ut *sale* (uti loquimur) condiamus. *Athenienses* quidem lavacro *recentes* purgabant, veluti apud [f] *Gregorium Nazianzenum*, [g] *Plotium*, aliosque videre fas est; mos autem ille, aut consimilis quidam, nobiscum olim videtur invaluisse, à *Johanne Erigena* sive *Scoto* inductus, qui *Athenis* prius studebat, quam *Oxonienſibus* sub *Alfredo* prælegerit. Quin & *Magistros* nos *Athenienſium* more, *Sophos* olim nuncupavimus, qui indigne ferentes breviori se vocabulo quam *Scholares* qui *Sophistæ* antiquitus appellabantur, (tametsi eo jam nomine honestantur, qui binos saltem annos in Universitate collocarunt) vocitatos indigne ferentes, *Philosophorum* sibi nomen [h] adsciscebant, *Sophistis* unâ sic syllabâ redditi potiores.

Cæterum *Arte Sophisticâ* & fallaciarum strophis eousque pollebat, iis maxime temporibus quibus perplura alumnorum millia numerabat, Academia *Oxoniensis*, ut vel *Parisiensi*, in arenâ istâ imprimis versatæ, palmam eo nomine præripuerit; cujus in hodiernum usque diem vestigia nonnulla, effectusque minime probandi superstant, cùm *exercitia Quadrageſimalia* rariſſime peragantur, ut non *Mars Minervæ* negotium interturbârit. Quæ sane pugnas inter disputandum ciendi consuetudo, in Scholas nostras, regnante *Henrico* III, tam penitus invasit, ut non tantum *Quadrageſimalia*, sed & reliqua exercitia iisdem infestarentur; & licet publicâ nonnunquam authoritate compositæ viderentur, eâ tamen rabie subinde prorupêre, ut posse tandem è medio prorsus tolli spes omnis conciderit. Quare laudem tanto majorem promeruerunt ii, quorum nuper industria & authoritate factum est, ut quam majores nostri totis olim seculis desperarunt concordiam, eam nobis non modo gratulari, sed firmam (quantum humana potest assequi conjectura) posteris in omne ævum spondere valeamus. Certe barbarum illum bellandi ritum ab antiquo nobiscum obtinuisse, ex quibusdam libris MSS. luculentissime patet, quantumvis eundem scriptis alii, alii concionibus publicis castigarint, quanto ea bonarum Artium damno, quantoque præsultorum peccato fierent, ostendentes. Verum quoniam de *Arte Sophisticâ* jam agimus, haud abs re fuerit illa attexere, quæ *Jacobus Januenſis* de *Silone* quodam magistro *Parisiensi* [i] prodidit (qui tamen à magistro *Odone* de *Seryton*, vel *Ceriton*, anno Dom. CIↃCLXXXI florente, *Serlo* [k] nominatur.) Huic autem discipulum quendam fuisse refert *Januensis* Artis quam prædiximus studiosum adeo, ut eidem diebus quoque festis insudare non intermitteret. Ad virum hunc morbo exitiabili implicitum, extremumque spiritum trahentem, accessit *Silo*, impenseque rogavit, ut si mori eum contingeret, ad se brevi remearet, certioremque de statu ejus inter defunctorum animas faceret. Ille vero fato post paulo defunctus idem fertur præstitisse: apparuit enim Caputio, argumentis una *Sophisticis* ardentique flammâ referto, indutus, his sese præmiis, ob egregiam, quâ pollebat, fallendi arte peritiam, cumulatum ingeminans. Porro autem cum *Silo* pœnam haud ita molestam arbitratus, porrectâ manu flammas tentaret, tantis repente cruciatibus conflictabatur, ut (affirmante spectro eosdem se toto corpore pati) in animo statim decreverit, mundo valedicere, Deoque ac rebus sacris in posterum vacare; quapropter accitis confestim discipulis, hoc illis distichon abscessurus [l] donavit;

[a] *F. Epist.* 123, 154, *&c.* [b] Gul. Linewode *super constitutiones provinciales, lib.* 5 *sub tit. Magistrorum.* [c] *Impp.* Diocletianus & Maximianus, *A.A. Severino & aliis Scholaribus Arabiæ, Leg.* 1. [d] Mich. Blancpaine *sive* Cornubiensis *in libro contra* Hen. Abricensem, *MS.* [e] *Per* Sylv. Gyraldum *in lib.* 1. *Distinctionum, Cap.* 1. *MS.* [f] *In Oratione funebri* Basilii magni, Cæsariensis *Archiepisc. impressa in operibus suis*, 1583. [g] *In excerptis ex* Olympiodoro. [h] Gul. Whetley, *in Commentariis in lib.* Boetii *de disciplina Scholastica, lib.* 3. *MS.* [i] *Vide* Steph. Baronis *de Ordine Minorum in sermonibus declamatis coram Universitatem* Cantabrig. *impress. per* Winandum de Word. [k] *In speculo laicorum, cap.* 35. *cui tit. est* de Festis Sanctorum. *MS. in Bib.* Bod. [l] Joh. Waldby *in Symbolum Apostolorum MS. & in fine cujusdam MS. in Bib. Coll.* Oriel.

Linquo

Linquo coax [a] *Ranis, cras* [b] *corvis, vanaque* [c] *vanis.*
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet [d] *ergo.*

Hæc autem Fabula (neque enim alio eam nomine signandam arbitror) ad *Oxonienses* brevi, ut in pervetustis quibusdam scriptis reperio, delata, tantâ eos formidine perculit, ut *Scholaris* quidam exercitia pro Gradu præstiturus, Opponentem, argumentis fallacibus utentem, his palam verbis redarguerit, *profecto profecto Domine* Sophista, *si ita procedis, protestor coram hac concursione, quod non tibi dabo responsum*; *quæso domine memento* *discipuli magistri* Silonis, Parisiis, &c. subinnuens nimirum, quod si dolosis ejusmodi ratiociniis insanire pergeret, consimilis pœnæ discrimen adiret. Huc vero pertinet quod de *Theologo* Parisiensi *Simeone Churnay* [e], seu *Thurvay*, memoriæ datum est, qui cum posse se naturam divinam argumentis non minus labefactare, quam defendere gloriaretur, stupentibus quotquot aderant repente [f] obmutuit.

Hæc sane vera esse nequaquam spondeo; cæterum *Oxoniensium* nostrorum si non aures tantum, sed & oculos attigissent, ab inani illo *Sophismatum* studio deterriti maturius fuissent; quorum nempe animis brevi admodum inhæsit historia illa de *Silonis* discipulo, tum quod & unica erat, & fando tantum ab illis percepta, quos propterea nec admodum affecit, quin spectri id unicum habuit, è medio statim disparuisse. Illa vero *Silonis* carmina, *linquo coax, &c.* D[s] Doctor *Prideaux*, Professor in Theol. Regius, & *Vigorniensis* postea Episcopus tanti fecerat, ut Vicecancellarius Universitatis, decimo Id. *Augusti*, an. CIↃDCXXVI, magistratu se abdicaturus, loco Orationis solennis (quæ nimirum ex veteri instituto haberi consuevit in domo Convocationis, quâque exponit quilibet munus depositurus res in suo præsertim magistratu gestas) ea solum pronunciavit; id puta subinnuens, binis sese versiculis amplius dixisse, quam si sermone prælongo maximeve elaborato peroraset: quanquam Academicorum ille expectationem, qui animis sitientibus, auribusque adstabant arrectis, mire fefellit.

II°. *Baccalaureus* in *Artibus* is habetur, qui Gradu unico in *facultate Artium* honestatus est; quem quidem antiquiorem *Legum* ac *Theologiæ* in Academiam hanc ingressu, non existimaverim, quippe eo saltem temporum tractu percrebuisse comparet; nam sub *Edoardo* I. perque annos proxime fluentes, *Gradus* juxta ille ac *Magistralis*, in pretio haud exiguo fuêre. Nominis rationem quod attinet, alii [g] à *bacillo* eliciunt, ei (uti creditur) qui *Gradu* olim isto ornabatur in dignitatis & honoris insigne collato; baculis enim & fustibus primo se exercebant Milites, priusquam ad gladiorum usum admitterentur. Morem hunc à *Romanis* aliqui, à *Gothis* alii & *Longobardis*, alii à *Gallis* deducunt; perinde ac si diceretur *Bas Chevalier*, id est, eques inferior, seu tyro: sic etiam apud nos ad simplicem equestris dignitatis honorem promoti **Knights Batchelours** appellantur: nonnulli [h] autem à *Baccâ Lauri*, sacrâ olim *Apollini* ac *Musis*, originem trahendam censent: quod nimirum quotquot ad Gradum illum promovebantur, *baccâ foliisque Lauri* in corollam compactis redimiri solebant, morem poetis coronas nectendi, usque ad *Hen.* VIII. perdurantem, secuti. Atqui vocem ad Etymorum indagatores amoliti, de ipso gradu procedimus; quem qui in *Artibus* adeptus esset, in potiori olim loco habebatur, quam si in *Legibus*, vel *Medicina*, immo vel in ipsâ *Theologiâ* Baccalaureatum fuisset consecutus; donec Statuto demum cautum fieret, ne Studentes in *Theologia* Doctoratum ambire permitterentur, nisi *Regentium* in *Artibus* munus obiissent, siquidem nil tum frequentius esset, quam ut plures in *Artibus* hauddum graduati, ad Baccalaurei Doctorisque in *Theologia* Gradum aspirarent. Interea tamen *Artium facultas* Academiam tum unice administrabat, prout è variis ego [i] scriptis compertum habeo, testantibus, Conventui omni Academico, qui vel regnante *Henrico* III. agebatur, non alios quam *Cancellarium*, *Magistros*, & *Baccalaureos* aliquot in *Artibus*, interfuisse.

III. *Magister*, vel inde dicitur, quod magis cæteris possit, (uti à minus *Minister*) vel à magis [k] stando, hoc est quod major sit in statione. Quidam [l] à Græco μέγις & profluxisse vult, unde & Magistratum arcessit. Μήστωρ *Hesychio* βυλδυτὴς, ἔμπειρος, φρόνιμος, cui Μαγίστωρ, ὄπις άτης, διδάσκαλος. Verùm qui ad Gradum hunc inter nos pertingit, is non tantum authoritate, sed insuper rerum cognitione auctus existimatur; *Artes* enim & *Scientias*, quibus à primâ suâ in Academiam admissione incubuit, jam penitus subegisse, & sibi quodammodo mancipasse creditur. Magisterii autem titulo, non modo qui in *Artibus*, verum & qui in *Theologia* desudarent, antiquitus condecorabantur; donec studiosi in *Theologiæ*, *Jurisprudentiæ*, & *Medicinæ* facultatibus, peculiares sibi Gradus arrogantes, ut ab Artistis discriminarentur, *Doctoris* sibi titulum adscivere. Porro Artium Magistri, ipsis *Doctoribus* in *Theologia* usque præferebantur; donec decretum illud, quo *Regentia* in *Artibus* necessaria *Theologis* fiebat, conditum fuisset. Si causam quæris cur deinceps non multi Gradus in Artibus ambirent, sed aliis potius facultatibus darent nomina, à [m] Scriptore quodam habebis, qui hanc adfert; nempe quod *cum opes illis juxta ac reliquis facultatibus non accrescerent, Academici ad quæstuosas paulatim disciplinas convertebantur*, quales fuêre quas tritissima exprimunt carmina;

Dat Galenus *Opes*, *dat* Justinianus *honores*,
Sed Genus & Species *cogitur ire pedes.*

At vero si antiquitatem *facultatis Artium* scire expetis, eam in *Historiolâ* nostrâ enarratam habebis; quam aliunde isthic fuisse transductam ibidem reperies; quæque ea esse dicitur, in quâ fundata est Universitas, & per quam viget militia secularis, sicut in Epistolâ [n] quâdam ab Academia ad *Ducem Bedfordiensem* datâ anno CIↃCCCCXXIX perhibetur. Verum tanta pridem erat magistralis dignitas, ut siquis vel in unum aliquem peccasset, totius facultatis, immo ipsius Universitatis frequentiam ac amplitudinem læsisse putaretur. Indeque factum est ut (veluti Registra [o] nostra prodiderunt) cum *Richardus Hosborne* Bedellus, paucis quibusdam *Magistris* debitam haud præstaret reverentiam, baculus illi in Mensem integrum ablatus fuerit, nec ante redditus quam non modo veniam humillime deprecatus esset, sed & crimine ab Episcopo *Lincolnienſi*, tanquam per clavium potestatem, solutus esset. Quod si hæc de *Henrici* VI. temporibus memorentur (anno autem CIↃCCCCLIX obtigisse feruntur) quid de illis cen-

[a] *Luxuriam scil. Luxuriosis.* [b] *Avaritiam avaris.* [c] *Superbiam pomposis.* [d] *Ad religionem, ubi bene viventi non timetur stimulus mortis.* [e] *De illo vide in Histor. nostra, an.* 1168, & 1231. [f] Matt. Paris, *sub an.* 1201. [g] Rhenanus *in Scholiis suis ad* Tertullianum & Herman. Kirchnerus *in Orat. 2. quæ est de eloquentia veterum* Germanorum, *&c.* [h] Fran. Junius *de Academia, cap. 5, &c.* [i] *In Epistolis* Adami de Marisco *MS. in Epist. ad W. ministrum* Angliæ. Linewode *super Provinciales constitutiones, lib. 5.* [l] Vossius *in Etymolog. in voce* Magister. [m] Jo. Major Scotus *in 4um sententiarum impress.* Parisiis 1509. *Distinct. 49. quæst. 18.* [n] *F. ep 47.* [o] *Aa. fol. 83. a. &c.*

ſendum ſeculis, quibus ea facultas in honore longe uberiori verſabatur? Sane quidem, ut opinio mea fert, rerum non tantum ſumma apud illos & Cancellarium primitus reſedit, ſed vel ampliori tum illi cum imperio fuêre, quam eſt hodie Cancellarius, ſeu qui vicem ejus gerit, cum Doctoribus vel Collegiorum Præſidibus congregatus. Quicquid certe in Academiæ negotiis, vel abſente illâ *Artium* facultate, vel [a] reclamante, à reliquis tranſactum erat, pro irrito ac infecto habebatur; quod ipſum an. VII° *Edv.* II. à Sequeſtris illis, qui inter Academiam *Fratreſque Prædicatores* dijudicabant, ſtatutum, ſeu potius confirmatum fuit. Nec porro omittendum quod diſputationibus in *Theologiâ*, quæ pro formâ eſſe dicuntur, interdictum [b] erat, quo die diſceptatum in *Artibus* non eſſet. Denique in præferendis hoc ritu *Artiſtis*, à *Pariſienſium* inſtitutis alieni non fuimus, quorum ſimiliter Univerſitas in Facultate *Artium* fundata dicitur, unde Doctor quidam cùm concionem [c] ad ſuos in *Prov.* IX. 1. *Sapientia ædificavit ſibi domum*, &c. haberet, *Artibus* pro baſi poſitis, *Leges* & *Medicinam* parietibus, *Theologiam* vero tecto ſupremo aſſimilabat.

Cæterum Exercitia pro Gradu *Magiſtri* olim præſtanda, operoſa ſane erant & difficilia; nam & prælegere frequentius, & Lectiones publicas frequentare tenebantur qui ad hunc Gradum aſpirabant, quem pauciores propterea affectabant. Sic autem ſe res habuit priuſquam *Baccalaureatus* conſtitueretur, tum enim aliquâ exercitiorum parte ad Gradum hunc novum tranſductâ, pauciora illis præſtanda reſtabant. Quoniam vero de Scholaſticis in *Artibus* Magiſtratum ambientibus mentio incidit, ſi Prælectionum methodum ac leges paucis [d] tradidero, haud alienum à propoſito facturus videor.

Liber Metaphyſicorum per integrum annum diebus quoque Feſtis legendus erat.

Liber Ethicorum quatuor menſes, nec excluſis Feſtis vendicabat.

Geometriæ ſeptem dabantur hebdomadæ; ſed diebus Feſtis minime connumeratis.

Algoriſmo, *Sphæræ*, *Computo* } dies cuilibet octo, excluſis Feſtis dabantur.

Arithmetica Boetii tribus hebdomadis, præterquam ubi dies Feſti inciderent, legebatur.

Priſcianus magni voluminis, vel liber Politicorum, vel x libri de Animalibus, connumerando libros de motu & progreſſu Animalium, VI plenas hebdomadas, ſi dies Feſtos dempſeris, occupabant.

Priſciano etiam de conſtructionibus partium, uti & libro cœli & mundi, necnon libro meteororum, ſingulis ſinguli quotannis Termini dabantur.

Quartus liber Topicorum *Boetii*.

Item oportet quod legat II libros Logicales ad minus, unum de veteri *Logica*, & alterum de Nova, vel ambos de Nova, & unum de libris naturalibus, viz. libros IV Cœli & mundi, vel tres libros de Animalibus, IV libros Meteororum, vel II libros de Generatione & Corruptione, vel librum de Senſu & Senſato, cum libris de Memoria & Reminiſcentia, de Somno & Vigilia, vel librum de motu Animalium, cum duobus minutis libris Naturalibus.

Item oportet quod bis reſpondeat & quater arguat in ſolennibus diſputationibus magiſtrorum, nec non diſputando ad Quodlibet, viz. bis quæſtioni & ſemel problemati.

Item oportet quod unum librum *Ariſtotelis*, textum viz. cum quæſtionibus in Scholis publice rite legat, &c.

Sic peragendus erat audiendi, partimque legendi curſus, plura mehercule complectens, quam quæ deinceps in uſu apud nos fuerant. Enimvero morem vetuſtiſſimum vel exinde colligas, quod diebus quoque feſtis, audiendum legendumque fuit, cum per ſtatuta noſtra olim etiam antiquata id minime licuerit, velut è Calendariis de more præfixis ediſcas; ubi dies interſtinctos reperies per *le* & *non le*, *dis* & *non dis*, & per *le fe*; quibus *legibiles* nempe & *non legibiles*, *diſputabiles* & *non diſputabiles*, & dies *legibiles feſtinantèr* denotari ſolebant; *Le* interim & *dis* ad dies feſtos rariſſime adfixis, quibus nimirum rebus ſacris, animiſque colligendis vacandum erat. Credo autem conſuetudinem illam, quâ diebus etiam feſtis legebatur, ab Univerſitate *Pariſienſi* deſumptam fuiſſe; cujus in pleriſque ad prælectiones ſpectantibus ſequaces fuimus. Cùm *Gyraldus* enim Alumnus *Oxonienſis*, *Lutetiæ* operam literis tempore *Henrici* II. daret, poſitum tum apud *Pariſienſes* in more erat, ut prælectiones diebus non tantum feſtis, ſed & Dominicis haberentur, quibus & ipſe *Gyraldus*, magna *Magiſtrorum* & *Scholarium* frequentia [e] ſtipatus, *Decretalia* haud ſemel explicuit.

Dictis autem prælectionibus legitime perfunctus qui *Gradum Magiſtralem* ambivit, Scholas inſuper circumeundo, intrare & in iiſdem diſputare tenebatur; velut è Commentariis ad opuſculum quoddam *Pſeudo-Boetii*, ab *Oxonienſi* quodam [f] tempore *Edoardi* I. conſcriptis patet; quibus *Athenienſium*, ut præfertur, noſtraque inſtituta paſſim adumbrantur. Barbari iſtius falſarii, ſed tamen antiqui verba ſic ſe habent. *Quinto, ut quorum gratia coronandus eſt, in favore illorum Scholas peripateticè obambulet, &c.* Hic *Boetius* ponit (inquit Commentator) quintum documentum, & dicit quod quinto eſt utile ac venerabile Baculaureo in artibus licentiando ut *obambulet*, i. e. circumambulet, *peripatetice*, id eſt, ad modum peripateticorum, *Scholas illorum Magiſtrorum*, id eſt, de Schola unius Magiſtri ad Scholas alterius Magiſtri, antequam incipiat, vel ſe examinationi Magiſtrorum exponat: *quorum gratia & favore ipſe eſt coronandus* i. e. quorum Magiſtrorum gratia ipſe eſt Incepturus & licentiandus, & in Scholis illorum Magiſtrorum *opponat*, i. e. arguat *curialiter* ſine verbis probroſis, *protervientemq*; *remordeat* i. e. Reſpondentem acriter i. e. bonis rationibus & efficacibus. Et ſimiliter talis Baculaureus quaſi maturus ad Magiſterium reſpondeat, i. e. reſpondere debet diligentius pro tempore quam opponere; quia ſapientis eſt reſpondere, & neſcientis interrogare & opponere. Alibi autem aliter adnotavit Elucidator ille, dignum ubique aptans patellæ ſuæ operculum, Bachellarius *reſpondeat* Magiſtro

[a] *KK.* 249. *b. & alibi.* Artium *facultate reclamante nihil fit*: *vel ſic*, *Facultate* Artium *penitus non reclamante, pronuncict* Cancellarius *rei exitum, & Congregationem* (*ſcil. magnam*) *diſſolvat. ſic in A. fol.* 11. *a.* [b] *Aa.* 83. *a.* 93. *a. &c.* [c] *In vet. MS. inter Cod.* Digb. *nu.* 33. [d] *E quodam MS. in Bib. Coll.* Magd. Oxon. *Et in fine alterius MS. qui dicitur* Algoriſmus *in Bib. Coll.* Merton. *Item in C. fol.* 17. *b. & in D. fol.* 1. *b. & alibi.* [e] *Vita* Sylv. Gyraldi *MS. cap.* 13. [f] Guil. Whetley *in Commentariis ſuper lib.* 2. Sev. Boetii *de diſciplina Scholarium.* [redacted]

diſ-

disputanti diligentius i. e. cum magna reverentia debet ergo talis respondere, ne si sua voluntas fuerit muta i. e. ne si sederit in disputationibus sicut homo mutus, istud *imputetur*, i. e. imputari possit cæcitati ignorantiæ suæ, vel ne ascribatur temeritati i. e. fatuitati *Arrogantiæ* suæ i. e. superbiæ: quia Magistri possunt utcumque sibi objicere tempore suæ examinationis.

Demum cum ad *Magisterium* aliquis promoveretur, *Cancellarius* honoris ei insignia detulit, & ejusmodi [a] oratiunculâ ad Gradum pronunciavit admissum. *En tibi Insignia honoris tui, en librum, en cucullum, en pileum, en denique amoris mei pignus, osculum; in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Liceat mihi hoc in loco pauca subtexere, quibus majorum nostrorum non tam hebes & rustica simplicitas (etsi talem forte existimabit generosa seculi hujus improbitas) quam nuda morum integritas detegatur. Ad Gradum quippe nuper admissus perpendere inprimis adstringebatur, quænam ad fastigii, in quo collocatus erat, decus & dignitatem spectarent; totus enim ad modestiam & castimoniam componendus erat, gestu perinde ac verbis virginem viro recens enuptam referens; immo nec solitarius incedere, quin *Armigerum* sibi (vocem ipsissimam habes) vel utique socium ascisсere debuit; currente præsertim quindenâ, quâ (ut è Scriptore mox ante citato loquar in Academiæ hujus ritibus versatissimo) *Capam rotundam*, non vero *rugatam*, uti nec *Collobium*, nec *Tabardam* indutus, procedere in publicum tenebatur. Adventante autem incipiendi die, adducendi erant venerabiles aliquot *Magistri*, quorum succinctâ appositâque oratione à doctrina moribusque commendaretur (quod *Gyraldo* speciatim obvenisse constat, cum *Topographiam* suam, Regnante *Henrico* II. *Oxoniensibus* exponeret) hac interim cautione servatâ, ne vel ipsi, vel *Magistro*, cujus auspiciis inciperet, verbum aliquod ineptum vel inconcinnum excideret; quod illud nimirum totius Facultatis existimationem apud circumstantes imminueret, cum unius delictum omnibus æque *Magistris* notam inurere crederetur. Ad hæc, parum honestum *Inceptori* erat, si solus in Scholâ suâ ageret; velut à *Glossographo*, quem diximus, annotatũ est ad hæc *Pseudo-Boetii* verba; *Quid turpius quam primo separationis tempore solum destitui?* i. e. (inquit ille) à sociis eousque destitui, ut in Scholâ suâ ipse solus compareat, quo tempore ab inferiori Gradu, *Baccalaureatu* scilicet, ad *Magisterium* emergat. Huc autem exempli loco adhibet *Pseudo-Boetius*, *Flavium* quendam, qui, quod opulentus esset, & familia illustri oriundus, magnam togatorum vim certatim ad se confluxuram præfidebat; quem neque spes adeo fefellit, nam Incipientem omnes circumdedêre; elapso autem solenni illo tempore, sodalem quidem habuit, sed Auditores haud binos numeravit. Postquam enim Academici epulis pro more satiati fuissent, proripuere se statim, *Flavioque* suo (quod *Collectoribus* nostris *Quadragesimalibus* usu venit) renuntiarunt: aperte utique significantes, non expectare se ut cerebrum tam ubertim ipsis expleat ac ventriculum, ab eo autem in refectorio se malle quam in Scholis excipi. Cæterum id antiquitus inoleverat, ut si *Inceptor* aliquis, & rei simul familiaris, & literariæ penuriâ laboraret, unde mensam conquisitis de more epulis instructam habere non posset; Auditores vel prece vel pretio (uti *Flavius* supra memoratus) immo jurgiis nonnunquam ac minis, quo jure quâque injuriâ sibi corrogaret; quo turpissimam nempe dedecoris notam, & obvii cujusdam digitos, hebetem vel avarum monstraturos, evaderet. Consuetudinem ego illam *Parisiis* commeasse in *Angliam* crediderim: illi enim acerrimam olim dicuntur adhibuisse diligentiam ut Scholas potius suas Auditoribus, quam Auditorum animos scientiâ instruerent; immo quocunque in loco frequentes convenissent Academici, eo se audacter conferebant, manuque temere, ita ut quisque proximum sese offerebat, injecta, Auditores his sibi verbis vendicabant;

Hic est Clericus meus, hic intravit
Scholas meas, hic incepit sub me, &c.

Nunc autem consuetudines *Inceptorum* breviter attingam; quorum quisque in Congregatione *Vesperias* proxime antecedenti Quæstiones, quas defendendas in *Comitiis* susceperat, palam recitabat; è quibus paucas huc transcribere [b] haud incongruum fore opinor, ut exinde quæ fuerit istius seculi Poeseos cacozelia cognoscamus.

Quæstio secunda ad quam respondebit secundus noster Inceptor Dominus Johannes Littleton.

Utrum futura contingentia
Comparans ad præsentia
Prudentia Cardinalis,
Praxin regat intellectus,
Cui concors est effectus,
Appetitus rationalis.

Quæstio quinta ad quam respondebit quintus noster Inceptor Dominus Robertus Glowcestrie, *quæ de licentia duorum procuratorum, & cum supportatione hujus venerabilis Auditorii est diutius pertractanda, est hæc in forma.*

Utrum potentiarum Imperatrix,
Celsa morum Gubernatrix,
Vis libera rationalis,
Sit laureata dignitate,
Electionis consiliatæ
Ut Domina principalis. [c]

Porro adventantibus demum Vesperiis (quas in Scholis nonnunquam celebratas constat) suas quisque Theses viva voce propalabat; tum specimina quædam eruditionis, quæ *Principia* in quamlibet Quæstionem vocabantur, proferri solebant, postque illa *Introductio*, & deinde *Prologus* (ut prisci temporis idiomate utamur) haberi consueverant. Quibus peractis Respondens de more receptissimo *supponebat*, sc. *expositionem conditionemque* rei disceptatæ adhibuit; finitisque disputationibus tres porro quæstiunculæ *Inceptori* viritim cuilibet in hunc modum proponebantur

Sub quo
In quo loco
Quo in tempore } *Inciperet.*

Ad quæ sub hac formulâ dabatur responsum. *Sub me ipso, licet indigno, in Ecclesiâ* S. Mariæ *Virginis, in crastinâ die ante nonam*; deinde autem Caputium, cum dicto, in faciem demittens *Inceptor*, verecundiam suam testabatur, Artisque disputandi rudem sese agnoscebat.

Quantæ quidem antiquitatis fuerit mos ille Quæstiones rythmice disponendi, parum constat; verum quas modo exhibuimus regno *Henr.* V. inserendas

[a] *In diversis Registris Acad.* Oxon. [b] *Ex quodam MS. in Bib. Coll.* Magd. Oxon. [c] *Quæstiones Theologorum in inceptionibus suis tali modo repetitæ fuerunt.*

esse facile innotescit, quoniam *Rob. Dobbys*, *Joh. Littleton*, & *Tho. Eland*, sub eodem *Henrico* socii erant [a] Collegii *Mertonensis*, & in *Vesperiis*, quibus antedictæ Theses ascribuntur, numerum *Incipientium* quinarium implebant. Sciendum enim perpaucos hac ætate simul incepisse, partim quod vertente anno *Comitia* bis vel ter habebantur, partimque quod magni res negotii erat, exercitia ad Gradum illum requisita præstare, impensasque (quæ haud equidem jam leves erant) erogare.

IV. Ad *Doctoratum* jam devenimus, quem Gradum, quoad *Henricus* II. rerum potitus est, inter *Anglos* receptum non fuisse satis liquet; deinceps vero pariter manifestum est, tum à *Grammatices*, tum *Musicæ*, nec non *Philosophiæ*, *Artiumque* in genere Professoribus capessi solitum. Hisce nimirum post annos complures in studiis collocatos, tanquam scientiarum, in quibus occupati fuerant, egregie peritis, alios tandem informandi munus, tituluque ille *Doctoris* (ad *docendum* habilem indicans) haud immerito deferebantur. Quibus tamen Facultatibus, quod opes & honores haud perinde ac per reliquos obtinerentur, evilescere demum apud vulgus occepit *Doctoris* præfatio; adeoque unius tandem *Musicæ* Professoribus adhæsit, qui ad Gradum utique illum aspirare etiamnum sustinebant.

Doctoratus autem in *Theologia Lutetiæ*, circa annum CIↃCLI [b], enascebatur, & inde *Bononiam* haud ita multo post pervenit, ubi nimirum *Sancto Thomæ Aquinati* (qui in Divos nondum transcriptus *frater Thomas* dicebatur) compellatio ea honoraria accessit; cujus originem *Rhenanus* [c] exhibuit, qui perplures literis *Lutetiæ* attendentes priscorum *Theologorum* summas collegisse refert, quales erant *P. Abulardus*, *Joh. Beleth*, denique *Petrus Lombardus* reliquis omnibus antehabitus, unde siquis ejus scripta penitius imbibisset, *Doctoris* titulum, &, in eruditionis ornamentum, *bacillum* accipiebat. Hæc de *Doctoratûs* in *Theologia* primordiis, ejus vero ad exemplum institutus fuisse dicitur *Doctoratus Legum*, & *Bononiæ* præsertim floruisse, postquam *Gratianus* Monachus collectionem seu Rhapsodiam *Decretorum* ibidem absolvisset. Nescius equidem non sum de *Doctoratu* & *Baccalaureatu* in Sacrâ *Theologiâ* Scriptores alios diversa prodidisse; quos inter *Innocentius Gentilletus* [d] non ante annum CIↃCCXV compertos hos ullibi Gradus asserit: tum vero Concilii *Lateranensis* auspiciis adinventos, & cùm *Honorius* III. Pont. Max. annum jam integrum sedisset, ad imitationem *Doctorum* ac *Licentiatorum* in *Lege*, quam maxime tunc temporis vigentium, reliquos omnes confirmatos fuisse.

At vero, uno quasi tempore *Doctoris* Gradus, *Legesque Cæsareæ*, ac *Theologia Scholastica* in Academiam nostram recipiebantur; *Leges* nempe circa [e] annum CIↃCXLIX, *Theologia* autem vel cum illis simul, vel paucis post annis; quando, ut nonnulli scripsere, qui in illis prælegebant facultatibus, in suâ quisque *Doctoris* titulum reportabant: etsi eundem inter *Theologos* hoc annorum tractu nondum percrebuisse vel inde liquet, quod hi *Magistri* tum appellati reperiantur; nam *Robertus Grostest*, Episcopus *Lincolnienſis*, Epistolam [f] præceptis de Doctrinâ plenam, quam anno reparatæ salutis CIↃCCXXXVII ad Universitatem dabat, sic inscripsit,

Magistris Oxoniæ *in Theologia Regentibus.*

Quinetiam in *Decretis* Regni publicis (tempore *Ricardi* II. ni fallor institutis) de *Magistris* in *Theologia* mentionem invenies factam; & tamen *Sylv. Gyraldus*, cum in Epistolâ [g] quâdam ad *Gualterum Mape* Archidiaconum *Oxoniensem* se Gradum omnem suscepisse memorat, non modo *Doctoratum* reticet, sed nec *Magisterii* omnino meminit. Verum exinde ego colligendum nil amplius concesserim, quam Gradus aliquos receptos nobiscum per ea quoque secula fuisse, quinam vero sint, expresse non dici; quâ tamen in re à *Rogero Bacono* certior [h] paulo fies, qui in opere quodam suo *Doctoratum* diserte habet. Atqui hæc se quomodocunque habuerint, turbato propter Academicorum frequentiam Universitatis regimine, Gradus in Facultatibus iis capessi solebant, nullâ pene progressuum in *Artibus* habitâ ratione, donec invalescente tandem *Theologiâ Scholasticâ*, ejusdem Professores (propter laborem summum & attentionem in eâdem, more præsertim *Parisiensi*, acquirendâ) magnam ab Ecclesiæ Præsulibus gratiam inirent. Tum enim, quo *Theologi* omnibus numeris absoluti essent, statutum est [i] circa an. CIↃCCLIII, ut qui ad Gradum aliquem in eâ facultate admitti expeteret, in *Artibus* alicubi rexisse teneretur; præter librum aliquem de canone *Bibliæ*, vel *Sententiarum* illis quas præfati sumus; vel deniq; *Historiæ Ecclesiasticæ* diligenter evolvendum, & concionem præterea coram Universitate habendam. Proinde autem longiori jam annorum spatio opus esse occepit ad Gradum aliquem in *Theologia* adipiscendum; quæ omnia his mihi potissimum de causis ordinata & excogitata videntur. I. Ut *Artes* denuo reflorescerent, quæ à facultatibus, quas jam sæpe dixi, in Academiam admissis, in desuetudinem abiissent. II. Ut *Artibus* probe instructi *Theologiæ* Professores, Ecclesiæ & propugnaculo esse possent, & ornamento. III. Ne dictus *Magistri*, seu *Doctoris* in *Theologia*, Gradus, facilitate suâ quasi prostitutus, nullo numero haberetur; quod indignissimum sane foret, cum is supremus sit dignitatum Academicarum apex, quique illum attingerent, ad honores quosvis & beneficia aditum habeant expeditissimum.

Cæterum ut de *Jurisprudentia* & *Medicina* pergam, earum facultatum studioli ad *Regentiam* in *Artibus* non erant obstricti; verum (quod usque hodie obtinet) in utramvis, Congregationis nempe & Convocationis, domum minime admittebantur, priusquam *Doctoratu* essent insigniti; *Regentes* porro illi in suâ quilibet facultate appellabantur, donec annis quibusdam decursis, inter seniores haberi occiperent. Verum nequis expectet ut Exercitia pro *Doctoratu* in *Theologia*, *Legibus*, & *Medicina* præstari olim solita subjungam; sciat velim, manca adeo esse in Regiſtris etiam perfectissimis, quæ eadem tangunt, indicia, ut vel modica eorum cognitio acquiri nullo modo possit: & propterea de *Magisterio* in Artibus, cujus ritus solennes perspicue magis integreque nobis traduntur, verba succincte faciam.

[a] *Ut in Catalogo Sociorum ejusd. Collegii MS.* [b] Joh. Whethamsteed *in Historiis & Historiographis MS. part.* I. *vide* Twynum, *lib.* 3. *sect.* 333. [c] *In admonitione de quibusdam Dogmatibus ad* Tertullianum. [d] *In lib. suo cui Tit. Examen Concilii* Tridentini, *lib.* 1. *p.* 1. [e] Ric. Hauguſteldensis *in Rege* Steph. [f] *In libro Epistolarum* Rob. Grosteſt *MS. in Bib.* Bod. *Epist.* 110. [g] *Inter Epistolas suas, quibus titulus est, Symbolum Electorum ad capitulum* Herefordiense *MS. in Bib.* Cotton. [h] *In opere minore, cap.* 5. *MS.* [i] *In quodam Rot. memb. de processu inter Universitatem* Oxon. *& fratres prædicat. an.* 1311. *int. Cod.* Digb. *In Epistolis etiam* Ad. de Marisco *in Ep. quadam ad* Will. *ministrum* Angliæ, *MS. Et in A.* 100. *b. B.* 47. *a. C.* 3. *b. D.* 6. *b.*

I. Moris olim erat ut *Inceptorum* quiſque orationibus tum ſcriptis tum recitatis, de meritis juxta aliis, atque de modo præſtitis exercitiis laudarentur. Proinde cum *Sylv. Gyraldus* Topographiam ſuam regnante *Henr.* II. nobis dilucidaret, Clericorum doctiſſimi & ſolutâ eum oratione,& Carmine [a] concelebrârunt; qui quidem mos (ut obiter id moneam) ad Doctorum ſcripta tranſibat, & etiamnum in uſu frequenti eſt, libros nempe publicandos vel præfatione aliquâ, vel poemate præmunire & ornare, amicitiæ aut obſequii indicium exiſtimatur. Sub finem imperii *Henrici* III. cùm in *Theologiâ* inciperet *Thomas de Cantelupo* (Epiſcopus ille *Herefordienſis* poſtmodum evaſit) finitis primo in *fratrum Prædicatorum* Cœnobio *veſperiis*, à Doctore *Kilwarby* (publico tum ejus Facultatis Profeſſore, Archiepiſcopo vero demum *Cantuarienſi*) pro concione affatim laudabatur; immo peccati mortalis, quantum ſibi de illo innotuiſſe [b] teſtabatur *Kilwarbius*, immunis erat judicatus: cui ſi fidem non ducis adhibendam, intelliges Scriptores eſſe qui jurabunt de *Cantelupo* dici id merito potuiſſe, viro eâ ſanctimoniâ vivente, eâque pietatis opinione diem obeunte, ut à Pontifice propterea in *Divos* fuerit relatus.

II. *Inceptores* epulis haud parum lautis Academicos pleroſque, nonnunquam & oppidanorum præcipuum quemque excipiebant: quod hoc ordine præſtitit *Sylv. Gyraldus*. Primo die *pauperes* in convivium adhibuit, ſecundo *Doctores*, reliquoſque Academicos, tertio autem *Milites*, *Civeſque Oxonienſes* liberaliſſime tractavit, velut ex *Hiſtoriâ* meâ ad an. CIↃCLXXXIII uberius patebit. Rurſus circa an. CIↃCCLXVIII, quo tempore *Alphonſus de Senis* natione *Romanus*, literis *Oxoniæ* vacabat, (id enim è Regiſtro [c] quodam pervetuſto teſtatiſſimum fit) *Bonifacius de Saluciis* in Jure Civili (ni fallor) incipiebat: tum vero tanto epularum apparatu celebrata dicuntur *Comitia*, ut præteritis pene omnibus, maxime ſi ejus facultatis ſplendorem inſpicias, longe præluxerint. Etenim *Inceptores* convivarum frequentiâ, quos minime capiebant Hoſpitia Academica, adacti, magnam Cœnobii *Oſneienſis* partem, Refectorium utique & Clauſtra, præter alias ibidem ædes [d] conduxêre. Quamvis Epulas vel hiſce ſolenniores in Collegio *Gloceſtrenſi* à fratribus *Sancti Benedicti* inſtructas paucis poſt annis [e] reperio. Cum *Gulielmus* enim *de Broke*, è *Sancti Petri Gloceſtrenſis* Monachus, in *Theologia* inciperet an. CIↃCCXCVIII (is è ſuo Ordine primus erat in hac Facultate *Doctor*) *Johannes de Gamages* Cœnobiarcha, Monachi, Priores, Obedientiarii, Clerici, &c. ejuſdem Monaſterii, tot inſuper Optimates & Armigeri interfuêre, ut centum inſtar virorum equitatus (& ille apparatu ſpectabilis) adimpleretur. Quin & præſentes ſe dabant Cœnobiarchæ *Weſtmonaſterienſis*, *Readingenſis*, *Abendonienſis*, *Eveſhamenſis*, & *Malmesburienſis*, cum Prioribus, Monachiſque Benedictinis bene multis. Verum nec impenſas conferre recuſabant qui gravioribus impliciti negotiis adeſſe non poterant, quales erant Epiſcopi, Cœnobiarchæ, Priores, aliique ejus familiæ perplures, è quâ vix quiſquam erat qui munera *Inceptori* illi aut non ferebat, aut non tranſmittebat, unde convivia tam ſplendida inſtruebantur, ut Sodalitium *Sancti Benedicti* jam tum in *Angliâ* florere incipiens gloriam uberrimam conſecutum eſt; idque Collegio ſpeciatim *Gloceſtrenſi* in honorem decuſque eximium ceſſit, res enim ipſa ſplendore ſuo favorabilis; quin & tenuiores tam Laici quam Scholares haud parum ſublevabantur. Porro autem de *Laurentio Houſom*, vel *Honſome*, perhibetur, quod cum ſub *Gulielmo* antedicto (ad Prioratum *Gloceſtrenſem* jam evecto) *Doctoratum* [f] ſuſciperet, (cujus nimirum in *Veſperiis* ſacræ *Theologiæ* Baccalaureus, ejuſdemque Cœnobii Monachus pridem reſponderat) epulas quoque opimas, quanquam jam antè dictis haud æquandas, exhibuit; morem utique ſervans, qui eouſque jam increbuerat, ut *Inceptores*, quotquot conditionis non eſſent multum tenuiſſimæ, è re partim ſuâ, partim munificentiâ alienâ Academicos quam lautiſſime tractarent; quorum ſiquis loco illuſtri natus gradum capeſſeret, *Municipes Oxonienſes* cum *Prætore* ſuo pecuniæ illi ſummam ex ærario publico deferebant; fortean quod ejuſmodi *Inceptorum* conviviis intereſſe ſolebant, quos & à *Sylv. Gyraldo* exceptos memoravimus,& in *Johannem Brabanzon*, VIII° *Edv.* II. Incipientem, munera conſtat [g] profudiſſe, quorum prius dictum de viro etiam perilluſtri *Georgio Nevill* (qui in Archiepiſcopum *Eboracenſem* demum creatus eſt) proditum [h] habetur, qui menſe [i] *Octobr.* an. CIↃCCCCLII, Incipiens, epulis duos integros dies continuatis, tum *Doctores* omnes ac *Magiſtros*, tum *Cives* inſuper primarios magnifice accepit. An referam porro *Petrum Courtney* (*Wintoniæ* is deinde ſedebat) qui quintum poſt annum in *Jure Civili* Incepit, & ſplendidos quoque apparatus feciſſe dicitur. Quoniam vero de *Inceptoribus* generoſis mentio hic incidit, notandum obiter quod illis natalitiorum nomine conceſſum erat [k] exercitia è Roſtris, in Nave Eccleſiæ Beatæ *Mariæ* erectis, præſtare.

Redeo autem ad ipſas Epulas, de quarum inſtitutione primigenia ſi quæras, non aliunde quam ab humani generis indole, omniumque ubique terrarum hominum conſenſu trahendam arbitror, ſic enim ſacrorum religio, triumphorum pompa, honorum inaugurationes, quicquid demum aut lætum aut magnificum videri voluit, decus ſibi & ſolennitatem à conviviis imprimis repetebat. Operam itaque ſuam luſiſſe videtur *Gulielmus Wheatly*, qui in Commentariis [l] ſuis ad *Boetium* de *Diſciplinâ Scholaſticâ*, *Athenienſium* inſtituta hac ex parte affine aliquid cum noſtris habere contendit; duas vero potiſſimum res ab *Inceptore* præſtandas docet, ut collaudantes nempe habeat, Epulaſque inſtruat. Sic enim ille, "*Cum dies ſummæ promotio-*
"*nis* i. e. dies ſuæ Inceptionis in Artibus affuerit, vi-
"dendum eſt ut *veneranda collectio* i. e. Congregatio
"*Sophorum*, i. e. Magiſtrorum omnium commendetur,
"i. e. laudetur, brevi ſchemate, i. e. brevi ac ordi-
"nato modo loquendi, *compendioſoque affatu*, i. e. lo-
"quela brevi & facunda ipſius Magiſtri incipientis illo
"die, &c. & quod habeat bonas & efficaces rationes
"contra ſuum reſpondentem, & contra quemcunque
"alium: & ſimiliter Magiſter ejus ſub quo incipit, ha-
"beat verba ornata & fructuoſa in ſua commendatio-
"ne, ne à circumſtantibus blaſphemetur veneranda
"collectio Magiſtrorum per ipſum incipientem: nam
"vilipenſio unius Magiſtri redundat in vilipenſionem
omnium Magiſtrorum, &c. Tum quoad epulationem & veſtes Author noſter ſic ſe habet. "*Et ſi ſua fa-*
"*cultas*, i. e. ſi copia ſuarum divitiarum *ſuppetit*, i. e.
"patiatur, tunc eſt procedendum ad incrementa hono-
"ris initialis, *apparatu feſtivo*, i. e. ad modum feſti,
"quoad veſtes, viz. ut ornatè ſit veſtitus, & ſimiliter
"Magiſter ſub quo incipit, & alii Magiſtri, ſi hoc com-

[a] *Vita* Sylv. Gyraldi, *ut ſupra*, *MS.* [b] Walſingham *in hypodigm.* Neuſtriæ *edit.* Francofurti, 1603. *p.* 50. [c] *In majore lib. vel Reg. Monaſterii* Einſham, *fol.* 84. 1. [d] *Lib. vel Reg.* Oſney, *in Bib.* Cotton. *fol.* 117. *b.* [e] *In lib. vel Chron. Monaſt.* S. Petri Glouc. *fol.* 11. [f] *Ibidem.* [g] *Ex Rot. Comp. Camerar. Civ.* Oxon. *in chartophylac. ejuſdem.* [h] *Videſis in Hiſtoria mea, an.* 1452. [i] *Diſpenſatum tunc fuit cum eodem* Nevyllo *quod non teneatur ad ſtrictitudinem cujuſdam ſtatuti, quod hic infra in margine recitatur. Sic in* Aa. 66. *a.* [k] *Vide in* Aa. *fol.* 46. *b.* 80. *b.* 103. *a. &c.* [l] *In lib.* 2. Pſeudo-Boetii, *ut ſupra.*

" modè fieri poſſit, his dico *cunctis* Magiſtris, cujuſ-
" cunque facultatis fuerint, procuratis, i. e. feſtinatis &
" refectis *ſplendidè* in cibis & potibus: *vel* ſupple, ſi ſua
" facultas & rerum abundantia ad hoc ſufficere poſſit,
" ſi non, tunc ad minus videat quod Magiſtri ejuſdem
" *facultatis & ſuæ* quâ incipit, procurentur, vel admi-
" miniſtrentur, *ſplendidè* & ad libitum voluntatis.

Hæc autem è Statutis, tum noſtris, tum è Rituum codicibus, antiquatis olim & deperditis, edoctum opinor. Sciendum vero quod præterquam quod Epulas exhibebant (ut alios ſumptus, qui per [a] *Groſſa Turonenſia* æſtimabantur, omittam) *Inceptores* reliquos ſuæ Facultatis, nec non *Regentes*, *Bedellos*, & munia Academica obeuntes, veſtimentis aliiſque muneribus antiquitus donabant: quod uſu continuo vim legis obtinuit; unde qui fortunam iniquiorem experirentur, aditum ſibi ad Gradum præcludi dolentes, eò Academiam perpulêre, ut Statuto ſanciret tam graves impenſas, ab iis ſolummodo Graduatis quibus hæreditates amplæ, aut res familiaris ſuppetebat, irrogandas fore: quales haberentur, tam viri Religioſi, quibus utique à Sodalitio ſuo pecunia poſſit ſuppeditari, quam alii omnes reditu eo annuo fruentes, ut quinque de proprio ſolidos expendere liceret. Deinde itaque frequentiores emicuêre Graduati, dum tenuiores pannum duntaxat coemere tenerentur, quantum *Caputio* ac *Togæ*, *Commiſſario* deferendis, ſufficeret. Quanquam *Togam*, & *Commiſſario*, & *Procuratorum* utrîque, immo *Regentium* cuilibet (qui perpauci tamen olim erant) nonnunquam coemiſſe *Inceptorem* haudquaquam ignoro; nec me latet alios reficiendis Ædificiis Academicis ſymbola contuliſſe, aliquos porro (fratres hi maxime *Mendicantes* erant) *cultellos* tantum *Regentibus* dediſſe, nonnullos denique (id quod hodierno die in Facultatibus quibuſdam obtinet) *Chirothecas* attuliſſe. Et exinde conjecerim eveniſſe, quod *Oxonium* uſque hodie cultrorum & chirothecarum nomine ubique celebratur; nam cùm eadem venundandi occaſio ſe toties daret, in rem ſuam fore videbant opifices, ſi officinas optime inſtructas haberent, unde præterea factum eſt ut aliorum alii æmulationem accenderent.

De ipſis tantiſper Gradibus diſſerui, nunc de Inſignibus ac *Veſtitu*, eorum cuilibet competenti, inſtituendus eſt ſermo; quæ quidem *Alfredi* ſaltem tempore, ſi non & ſeculis eo prioribus, in uſu nobiſcum fuêre; & è quibus *Ocreas* ſaltem, *veſteſque de Pullâ Chimerâ*, à Monachis *Benedictinis* [b] accepiſſe nos aſſeverandum non dubito; de reliquis autem (quanquam & de omnibus propemodum juxta crediderim, neque aliquid quod me à ſententiâ dimoveat alicubi repererim) Lectoris erit dijudicare. Non tamen ignoro quod *Johannes Wolfius* de Monachis è Familiâ *Sancti Benedicti*, eorumque habitu [c] agens, in hæc verba ſcribit; *In veſtitu veteres uſi fuerunt cuculla, tunica & ſcapulari*; *cuculla* (inquit ille) *eſt cappa ſupra tunicam inferiorem, quam meloten quidam appellant, à nonnullis Tax dicitur. Scapulare etiam à Scapulis, quod Scapulas tegit.* His ille. *Cucullum* vero, *Tunicam* & *Scapulare*, quod vocat, (priſcis licet illis ampliora omnia) Academicos olim noſtros uſurpaſſe, è feneſtris perantiquis, Sigillis, aliiſque indiciis liquido mihi conſtat.

Hæc de *Veſtitu* in genere, nunc ut omnes ſpecialius explicemus, à *Togâ* auſpicabimur, quam laxe manicatam & antiquitus geſtêre, & uſque hodie gerunt Monachi *Benedictini*, quæq; pleriſq; omnibus Academicis geſtata olim erat, quamvis ab hodiernâ quoad formam variabat; nam *Tunica* fuit (ſic enim appellat *Wolfius*) ad genua tantum, vel paulo inferius demiſſa, & circa humeros parum, vel ne parum, in rugas ſeu plicas collecta; neque manicarum circuitu plus ſpatii colligebat quam *Tunica* vulgaris. Ejus autem figura ſacro amictui quem *Epitogium album* vocamus (& cui veſti *Dalmaticæ* olim nomen, à regione quâ originem habuit [d], indebatur) in exemplum ceſſit. Quod quidem veſtimentum contractius priſcis temporibus erat, licet ultra vel togarum laxitatem deinde excurrerit. Cæterum ſub *Richardo* primo ac rege *Johanne*, quod Graduati tum frequentiores eſſe inciperent, aliæ inſuper à *Veſtibus* diſtinctiones, tum Gradibus tum Facultatibus dignoſcendis accommodæ, excogitabantur. Poſtremò, *Togas* laxè manicatas *Baccalaurei* jam ſoli, & nondum graduati, qui de fundatione, uti loquimur, alicujus Collegii ſunt, geſtare ſolent, eaſque colore, velut antiquitus, nigras. Id autem in uſum rediit ex quo *Gulielmus Laud* Cantuarienſis Archiepiſcopus, & *Cancellarius* Univerſitatis (quam ut ad meliorem ſtatum redigeret, nihil unquam prætermiſit) togas pictas, aut colorum varietate promiſcuâ luxuriantes, quæ invectæ malo omine in Academiam tum fuerant, lege latâ amandandas curavit.

Dènique tametſi moris erat ut S.S. Theologiæ, Medicinæ, Legum, & Artium Magiſtri vel Doctores à veſtitu diſtinguerentur, in conventibus tamen ſolennibus, uti & perambulationibus, proceſſibuſque Academicis, omnes veſtitu conſimilis formæ utebantur, & ejus tantum colore ab invicem internoſcebantur: ſiquidem Magiſtri ſeu Doctores aut Profeſſores S.S. Theologiæ Togam gerebant laxè manicatam, eamque coccineam (non, qualis hodie in uſu eſt, rubedinis dilutioris, verum conchyliatam & purpuream, in quâ rubrum cæruleo temperabatur) prætextæ loco Murium Ponticorum pellibus, quæ Minutum varium vocabantur, adornatam. Huic ſuperinducta erat ex eodem panno habitus, ſive toga dimidiata ſine manicis, neque anterius diducenda; cui denique induebatur Caputium eâdem materiâ ſuffultum quâ togam diximus. Conſimilis erat Doctoris ſeu Profeſſoris Medicinæ ac LL. Toga, niſi quod panno diſcolori ſubſueretur; Artiſtarum verò illa nigra erat, pellibus, ſeu minuto vario obſuta, ac obverſa. Quod Baccalaureos Artium, LL, & Medicinæ attinet, togas gerebant fuſci, violacei, ſubruffi, cæruleique coloris, laxè quidem manicatas, ſed minimè obverſas. Eorum vero Caputia (habitibus enim carebant) è panno ejuſdem cum togâ coloris conficiebantur, quæ tamen haudquaquam ſubſuta, atqui pellè agninâ aut cuniculorum fimbriata tantum erant.

Proximum ſe dat *Pileus*, quæ *Cappa* nonnullis, à *capite*, cui pro tegumento inſervit, nuncupatur; tametſi vocem illam à capio fluxiſſe [e] quidam contendit, quod totum nempe hominem quodammodo *capit*, unde etiam *Capula* vocatur, dicitur *Capatus* qui habet, vel indutus eſt *Capâ*. Verum his ſuſque deque habitis, notandum quod in omni ferè ævo viri, qui in honore aliquo verſabantur, à capitis Geſtamine, & indumento decus ſibi accerſebant. Hinc omnium generum [f] Coronæ, Diademata, Tiara, Cidaris, Lemniſci, Serta &

[a] *Item tu jurabis quod non expendes in Inceptione tua ultra 3. millia Turonenſium Groſſorum, ſic in A. 10. a. C. 19. a. D. 2. b. Antiquatur hoc ſtatutum nominatim in B. 119. a. Sciendum quod duodecim Groſſi vel argentei Turonenſes, tribus ſolidis & 4. denariis noſtræ monetæ æquivalent, ut docent commentatores in illam clementinam, &* Jo. Cajus *lib. Hiſtor.* Cantabrig. *2. p. 123. & ſic 3 millia Turonenſium Groſſorum ſivè Argenteorum, æquivalent* $41^{l}\ 13^{s}\ 4^{d}$ *noſtræ pecuniæ.* [b] *Ex quodam tractatu de prærogativis Ord.* Bened. *ut ſupra MS.* [c] *In libro lectionum memorabilium & reconditarum, Cent. 6. p. 160.* [d] *Hugutio in magnis derivationibus MS. ut ſupra.* [e] Iſid. *l. 19. c. 31. Poſteriores Græci καππάδιον vocant. Meurſ. Gloſſ. Græco barb.* Cic. *de leg.* Plin. *Natur. Hiſt.* Tertul. *de Cor. Mil.* [f] *Vid. Leg. 12. Tab.*

corollæ.

Corollæ. Quin & [a] fecialium velamenta, & ſacerdotum inſulæ, imprimis verò Flaminum pilea & lanigeri apices ortum deduxere, de quibus *M.* [b] *Varro* diſertè aſſerit. *Flamines in Latio capite velato erant ſemper*; quin & ait Servius *nudis penitus eos capitibus incedere nefas fuerat.* Unde à filo quo utebantur Flamines ſunt dicti quaſi Filamines [c] Verum *feſtis diebus filo depoſito pilea neceſſe erat accipere, quæ ſecundum alios ad oſtendendam ſacerdotii eminentiam ſunt reperta.* Nec quidem Pileorum uſus [d] Græcis ignotus; ut vox ipſa Πῖλος, necnon Authorum loca, quæ paſſim occurrunt, abundè teſtantur. Pileus *Romanorum* reſtrictus admodum erat, & dormitoriis noſtris nauticiſque perſimilis: is quidem qui in literatorum Geſtamen ceſſit Græcæ videtur originis; & Pileus [e] *Theſſalicus*, ſeu Petaſus dicebatur. Petaſum omnes norunt *Mercurium* ſibi vendicaſſe, & quid ni ejuſdem filii, habitu ſuo parentem profiteantur? Pileorum forma & modus, pro temporum ratione varius erat. Antiquiores quodammodo quadratos & aliquantulum faſtigiatos fuiſſe nullus ambigo; argumentis quippe ducor ab imaginibus tum aliis, tum feneſtras perantiquas occupantibus, deſumptis: quanquam ubi *Theologia Scholaſtica*, ac *Juriſprudentia* in Academiam inveherentur; earum juxta facultatum & *Medicinæ Doctores Capas rotundas* aſſumpſerunt, quas & hodierno die omnes gerunt, modò *Theologos* excipias, qui ante ſeculum, hoc eſt à Religione apud nos reformata, quadratis rotunda permutarunt.

Refert *Thomas Vaſconienſis*, vel *Gaſcoignus*, Theologiæ Doctor in *Dictionario* [f] quod edidit, *Theologicorum Capas* rotundas ab *Alfredo* in ſua uſque tempora (annum puta CIↃCCCCLVII) *Juriſprudentiæ* ſtudioſis in uſu perpetuo fuiſſe: in quo tamen errat egregiè, nam Facultas illa regnante demum *Henr.* II, inducta in Univerſitatem comparet: immo nec ipſe ſecum convenit, qui alio in loco à ſolis Doctoribus ſeu Magiſtris in *Theologiâ*, idque tum præſertim cum ad concionandum accederent, uſurpatas tempore *Henr.* III. ſubinnuit. De *Juſtitiariis* nimirum ſententiam pro Tribunali ferentibus, deque eorum habitu (quo Epiſcopis noſtris, ſeu Doctoribus Academicis conſimiles erant) verba faciens ſic loquitur: *Et tunc ſolum Doctores in Theologiâ utebantur rotundis Pileis quando prædicabant Clero ſeu populo, & quale Ornamentum Capitis ſit Pileus declarat* S. Hieronymus *in Epiſtola ad* Fabiolam; *ſed heu jam ſunt ſigna ſine ſignatis ſeu ſignificatis in pluribus, quia non ſunt in eis bona propter quæ ſigna inſtituta ſunt, nec monent mentem hominis qualiter oportet eum agere, & ut cogitaret, qualis eſſet &c.*

At vero, nec capite velato concionabantur tantum ſacerdotes, ſed & Auditores, quotquot Clerici erant, pileis etiam indutis (more ad civilia uſque bella perdurante) ſedebant; licet nec diffiteor aliquos *Capis* antè ad capitis menſuram ductis obtectos, ex ſpeciali diſpenſatione, verbum proſeminaſſe.

Hæc ea erant quæ de *Pileo* habui dicenda; verum Mantiſſæ loco adjicere licebit antiquum Univerſitatis noſtræ ſtatutum de *Pileis* gerendis, idque è codicibus [g] vetuſtis adferre; & ſiqua fortè ibidem occurrant quæ Lectorem poſſint morari, eadem breviter dilucidare minimè gravabor. *Debent etiam omnes Theologi, præter Religioſos, Decretiſtæ, Medici, & Logiſtæ in Congregationibus, Inceptionibus, Reſumptionibus, in ſuis Pileis intereſſe. Omnes etiam Magiſtros cujuſlibet Facultatis, etiam Legiſtas ibidem eſſe ſine tenis teneri æſtimamus.*

His verò explanandis accipe hæc quæ ſequuntur.

Sine Tenis] [h] *Statutum eſt quod nullus Baccalaureus, legens, vel opponens, aut reſpondens, publicè utatur Tenâ vel birreto. Biretum* verò ſeu potiùs [i] *Birretum*, deductum à voce antiquâ *Birrus*, veſtem villoſam (è quali nautarum tunicæ & caputia fiebant) denotante, capitis erat velamentum ex ejuſmodi panno confectum, ſeu *Pileus* formâ propemodum quadratâ, multo Academicis olim noſtris in uſu, quem quod circumligabat filamentum *Tena*, voce à Tænia paulum deflexâ, dicebatur; diverſorum verò id colorum erat, prout Scripta noſtra antiquiſſima teſtantur. Porrò qui *Pileos* hoſce conficiebant vulgò **Cappers**, vel **Capperhurrers**, item *Birretarii* appellabantur; quam vocem à *Birro* profluxiſſe, niſi vel cæco conſtaret, è chartâ quâ eos in fraternitatem & Collegium erexit Univerſitas, poteram probare. Quamvis enim *Pileum* Doctorale ſeu arctius illud & rotundum, uſu antiquiſſimo, à *Theologis* maximè & *Juriſperitis*, geſtatum patet, invaluit tamen deinde, priori in deſuetudinem abeunte, Quadratum; præſertim verò inter *Cantabrigienſes*, de quo apud ſuos tempore *Henr.* VIII. recepto, ab exteris rediens *Caius* gravitèr conqueſtus eſt. Quoniam autem Petaſus ille peregrinus, quem **a felt** nuncupamus, exeunte regno *Henr.* VIII. *Caputia, Cucullos, Pileoſque* in *Angliâ* excepit, & illum Academici, novitatis, uti mortales alii, appetentes, uſurpare cœperant, viſum eſt eodem (quem *Birretum* hoc in loco nuncupari liquet) *Baccalaureos* legentes, ſeu Actum quemvis Scholaſticum obeuntes interdicere; unde patet exercitia vel diſcooperto capite, vel induto *Pileo* filamentum ſeu cingulum non habente, præſtanda *Baccalaureis* fuiſſe.

Accedendum jam ad *Caputia*, quorum equidem plura olim genera fuere, nunc verò de duobus tantum pauca notabimus. Antiquiſſimum id erat quod à tergo, ſupremæ togæ aſſutum vel alligatum, ita refluebat, ut capiti quoties liberet ſuperinduci tanquam *Cucullus* poſſit, quod, nomine à parte cui tegendæ inſerviebat aſcito, *Capa*, nonnunquam *Cappa* dicebatur, adjectâ ſæpius [k] voce *Categoricâ*, forte quia Sophiſtarum & Baccalaureorum propria fuerat. Atqui verò *Capam* pro *Epomide* uſurpatam in libro [l] quodam ſtatutorum reperio, ibi enim ſancitum eſt, ut quiſquis in *Artibus, Juriſprudentiâ*, vel *Theologiâ* incipiens publicè legeret, *pallio* vel *Capâ* clauſâ, non verò manicatâ uteretur.

Porrò ea quam nunc dixi, *Epomis* alterum illud *Caputii* genus eſt; quæ ferarum olim pellibus, hodiè verò & ante plures annos, panno holoſerico ſubtegitur; eo autem obverſo, collo circumducitur, humeriſque ornamenti & diſtinctionis gratiâ retrorſum affuſa, in maximam tergi partem pulcherrimè exundat. A priori autem *Caputio* hoc alterum oriundum eſt, quâ quoniam voce uti & *cucullo* denotatur, nonnullis [m] finitur,

[a] Liv. *lib.* 1. Dion. Halic. *lib.* 2. [b] *Lib.* 4. *de Lingu. Lat.* [c] Servius *in l.* 8. Æneid. [d] Heſiod. *in op. di.* Ariſt. *lib.* 8. *de generat. anim. c.* 5. Plat. *l.* 3. *de Repub.* Theoph. *hiſt. plant. lib.* 4. *c.* 10. [e] Athenaus *l.* 12. [f] *MS. in Bib. Coll.* Lincoln. [g] *B.* 52. *b. C.* 4. *a. D.* 3. *a.* [h] *C. fol.* 63. *a.* [i] *Veſtis ſervis permiſſa, l.* 1. *ſine except. l.* 1. *Cod.* Theodoſ. *Servos ſane omnium aut byrris uti permittimus aut cucullis.* Artemid. *l.* 2. *c.* 3. Βίῤῥον ἐν ὀνείρῳ βλεπόμενον θλῖψιν καὶ στενοχωρίαν σημαίνειν. *Hinc Aſcetarum olim veſtis* ἀπὸ μετ' εὐλαβείας τῆς βήρυς φερόντων--*Conc.* Gang. *Can.* 12. *Schol.* Ariſtoph. ταινία στενότε καὶ ὀπίμυκες ἔφασμα. *Feſtus ornamentum laneum honorati Capitis.* Clem. Alex. Ταινιῶν πινῶν ἐείῳ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμένων. Plato *in Sympoſ. de* Alcibiade. Ταινίας ἔχοντα ὅτι τ̀ κεφαλῆς πάνυ πολλάς. Pauſanias *in Attic.* [k] *In Poem.* Mich. Cornubienſis *ut ſupra ad amicum ſuum* Conradum Hembach. *MS. & in Compendio de multiplicitate Univerſit.* Paris. *per* Rob. Goulet, *ut ſupra fol.* 13. *b.* [l] *B. fol.* 50. *b.* [m] Huguitio Piſanus, *ut ſupra voce Capa MS.*

os Tunicæ, vel *alterius vestis unde caput mittitur*, & inde scilicet est quod in libro *Job* sic legis, *Caputio tunicæ succinxit me.* Certè enim restrictius fuerat, capitique ferè pro tegumento inserviebat; verum ubi Pileorum usus increbuit, *Caputium* illud in honoris tantum insigne cessit, sensimque ampliatum pellibus tandem subtegi cœpit. A scriptore [a] quodam memoriæ datum est (cur enim non referam quod in Academiæ decus abundè facit?) summorum Tribunalium Judices *cucullos* pellibus agninis, non autem scytalinis, aut Ponticorum murium exuviis, id est minuto vario subtectos induisse, quoniam scilicet per ea tempora præter Episcopos, Doctores, ac Magistros Academicos, & Dominos in Parliamento, nemo minutum varium purumve album, aut purum griseum licitè usurpavit; quod quia tenuiores facere præsumpsissent, lege [b] scitum est sub pænâ xx^{s} toties quoties numerandorum (id autem ex omni penè memoriâ factum videtur) nequis vel dictas pelles, vel Byssum, aut Holosericum subtectum *Caputiis* haberet, nisi qui à Regiâ, vel saltem prænobili familiâ genus deduceret, vel Magister aut licentiatus in aliquâ Facultate esset, denique aut in Parliamento jus suffragii haberet, aut hæreditatem beneficiumve adiisset, unde de claro expensas annuas lx marcarum facere possit.

De *Ocreis* nunc dicendum; quas etiam Monachis *Sancti Benedicti* referendas crediderim, cum & manifestum sit, [c] *Magistros* olim omnes *ocreatos* ad gradum admissos, & congruum omninò sit nos eorum in plerisque habitum fuisse amplexatos, quorum operâ & studiis, tum ante *Alfredum*, tum imperante eo, moribundis Artibus respirare & convalescere datum est. Quod *Ocrearum* vero antiquarum formam attinet, sciendum quod breviores illæ primitus erant, nec suris altius pertigerunt; in suprema quoque parte contractiores, summitate refluâ carebant, cothurnis, calceisque rusticorum parum discrepantes. Tales autem prædictis Monachis nobisque deinde in usu fuisse argumento erit, quod in Historiâ [d] Cœnobii *Winchelcombensis* habetur, quem locum incolebat Familia *Sancti Benedicti.* Ibi enim memoriæ traditum est, *Richardum Kederminster*, ibidem sub *Henr.* VII. & VIII. Cœnobiarcham, cùm decessorum forte suorum *Gyrmundi* & *Godefredi* tumulos recluderet (quorum primus ix *Gul.* II. alter xxii *Henr.* I. idem munus adiisset) Habitu sui Ordinis, Togâ scilicet & Caputio, indutos deprehendisse; quamvis utrumque è crassiore filo erat, pretiique vilioris quam quæ tempore dicti *Richardi* gerebantur; quo nomine ætatis suæ luxum reprehendit; *Antecessores* utiq; *suos, tum vestitu, tum demum moribus & conversatione longe humiliores, abjectiores, & temperatiores, extitisse*, prædicans. Deinceps vero ait prædictos *Gyrmundum* & *Godfredum*, *calceis altioribus, qui rusticorum haud absimiles, indutos fuisse.* Fateor sane hoc in loco *Ocrearum* nomen minime reperiri, cæterum eas *Calceorum* nomine denotatas fuisse credere obstinârim; à quibus admodum paulum, altitudine puta, & supremo forsan alutæ replicato labro, ablusere. Ut ut sit, certo certius est *Ocreas* (**Botys** in libris quibusdam nostris reperies) *Magistros* in *Artibus* incipientes gessisse, idque in more positum mansisse, donec *Theologiæ* & *Legis civilis* Doctoratus in Universitatem reciperentur; quod cum fieret, Gradus ille novus *Ocreas* sibi [e] rapuit, & *Magistris* placuit crepidas sibi sumere, quas **Sloppe** & **Pynsons** nonnulli, libri vero nostri vetustiores *Sandalia*, *Pincernas*, *calceos Liripipiatos*, *solutaria*, *&c.* nuncupavere. His illi tempore *Inceptionis*, durantibus nimirum *Comitiis*, immo usque dum pro iisdem exuendis dispensatum esset, utebantur; quibus & hodierni *Inceptores* in *Comitiis* utuntur, postridie autem *Comitiorum*, utique cum ad Regendum admittuntur, ex dispensatione abjiciunt.

Regum & Pontificum, aliorumque illustrium virorum de Universitatis Oxoniensis dignitate & splendore suffragia.

HAud equidem sub *Alfredo* tantum, seculisque illum prægressis, abunde resplenduit Academia *Oxoniensis*; sed continuo ætatum decursu (si tempora excipias, multis calamitatibus, crassâque caligine infamata; hoc est si *Danos Britanniam* populantes, & conquisitionem deinde *Normannicam* præterveharis) in majus majusque excrevit. Ingenuæ nimirum *Artes*, (hiemali quadantenus frigore constrictæ sæpius & oppressæ) affulgente demum benigniore fortunâ, paulatim refloruêre.

Exundat hac in re testimoniorum copia; nam imprimis, tempore *Henr.* I. *Robertus Pulleynus* sacras *Oxoniensibus* scripturas eo successu prælegit, quemadmodum refert Chron. *Osneiensis* [f] scriptor, ut per doctrinam salubrem ab illo ibidem proseminatam *Ecclesia tam* Anglicana *quam* Gallicana *plurimũ profecerit.* De eo autem fusius in Hist. meâ ad an. CIↃCXXXIV, quam adeas.

Porro autem anno quasi CIↃCLX (nisi temporibus id paulo altioribus adscribendum sit) *Senatus Bravonius* Cœnobii *Wigornienſis* Prior, ad *Clementem* Priorem de **Dsney** scribens, Oxoniam *Urbem frequentem in Scholis, Magistram in Disciplinis, &c.* [g] vocat. Qui & in aliis literis ad *Gulielm. de Tunbrugge*, haud parvi nominis apud *Oxonienses* Magistrum, datis, hæc habet; *--deambulas itaque in horto deliciarum, ubi Sacræ Scripturæ virgultum, ubi Rosa quæ redolet crescit.* Vide autem plura in Historiâ ad annum CIↃCC.

Insuper, paucis abinde annis Author [h] vitæ *Sylv. Gyraldi* (id opusculum *Gyraldo* ipsi tribuerunt nonnulli) eundem male metuisse perhibet, ne Topographia quam *de Hibernia* exarasset foras haud mature satis daretur, ideoque in animo statuisse, *eandem recitare apud* Oxoniam, *ubi clerus in* Anglià *magis vigebat, & clericatu præcellebat, &c.*

Præterea, vel ante annum MCCXVI, Oxonia *Doctorum virorum nutrix assidua* [i] nuncupatur.

Quæ certe anno Æræ Christianæ MCCIX Scholaribus adeo abundabat, ut anno illo quasi ter mille ex eadem [k] prodierint. Sed & de iis consule Historiam.

[a] Gascoigne *ut supra, part.* 2. *p.* 569. [b] *A.* 91. *b. B.* 51. *b. C.* 118. *b.* [c] *In quodam tractatu de Prærogativis Ordinem Monasticum concernentibus, ut supra MS.* [d] *Hist.* Winchelcomb. *ut supra, MS.* [e] *Vide in B.* 55. *b.* [f] Thomæ Wyke *Can.* Osney *in Bib.* Cotton. *sub Effig.* Tiberii, *A.* 9. [g] *In Epistolis suis MS.* [h] *MS. ad finem libri* 4. *distinctionum* Syl. Gyraldi. [i] Balæus *cent.* 3. *nu.* 72. [k] Mat. Parys *in Hist. vel Chron.* Angliæ, *sub an.* 1209.

Deinde

Deinde *Math. Pariſienſis*, cùm inter Scholas Chriſtianas *Lutetiæ* primas adjudicavit, *Oxoniæ* ſecundas detulit; immo hanc *Baſin Eccleſiæ fundamentalem*, &c. diſerte [a] appellat.

Demum, quod haud parvi momenti eſt, in codicillis ab *Alexandro* quarto Pontifice, ad *Anglorum* Optimates, anno quaſi CIↃCCLX, miſſis, *Oxoniam* hiſce laudibus exornatam [b] reperio. *In hoc enim Regno* (de *Britannia* loquitur) *invenitur his temporibus fons amæniſſimus Heliconis, de cujus liquore dulciſſimo non ſolum Incolæ regni ejuſdem, verum Alienigenæ ſua ſuavia ſumunt & hauriunt pocula, per quæ arida eorum fœcundantur corda, & ſitibunda reficiuntur pectora copioſe. Hic liberales Philoſophiæ artes, quibus nuda hominum eruditur Ingenia, reſident. Hinc procedit inclyta multorum Doctorum & ſanctorum proſapia, de quorum conſortio ſupremus gaudet exercitus, & coronatur in terris acies bonorum, & per quos Chriſtianus illuſtratur populus, & fides Catholica roboratur, &c.*

Denique ſi MCCLXIV, & priores reſpicias annos, unicam apud *Anglos* florentis literaturæ ſedem *Oxonii* fuiſſe poſitam, è Charta [c] fundationis Collegii *Meandoniæ*, ſeu *Maldoniæ*, in Comitatu *Surriæ*, à *Gualtero de Merton* ponendi, aperte colligitur. Id verò alibi in hoc opere habetur. *Mertonus* autem in [d] Chartâ, quâ Collegium ſuum *Oxoniam* transferendum deſtinat (quod factum an. CIↃCCLXVII comparet) *Univerſitatem ſtudentium* Oxonii *florere* refert. Fateor ſane *Italos* per hæc ſecula præcipuam ſibi in *Jure Civili* gloriam, in *Theologiâ* verò & *Artibus Pariſienſes* arripuiſſe; verum ſiquis partium immunis æquali rem animo expenderet, haudquaquam dubito quin Academia noſtra, tum *Artium*, tum vel maxime *Theologiæ Scholaſticæ* ſtudio, utrique fuerit conferenda; quâ in re Lector nec ipſe ambigeres, ſi Bullæ Papales, regumque diplomata, eruditionem & Scholares *Oxonienſes* ſpectantia, in manus forte tuas defluxiſſent.

Cæterum hic æquo diutius hæreo; & quanquam ſi omnia quæ in *Oxonienſem* cedunt laudem recenſere velim, adferendorum me multitudo fatigaret & opprimeret: Mihi tamen temperare non poſſum, quin prædictis illuſtriſſima quædam ſuffragia ſubjungam.

Locus is eſt (*Edoardum* III. de *Oxonio* locutum [e] audis) *à quo honores & commoda Nobis, & regno noſtro* Angliæ *provenerunt, & provenire ſperantur in futurum*, &c.

A qua Univerſitate (hæc idem alibi [f]) *Clerici fructuoſi & de ſcientia famoſi, pro directione Reipublicæ ante hæc tempora ſunt extracti*, &c.

Quæ Univerſitas veluti vitis abundans (ejuſdem *Edoardi* verba [g] legis) *per exercitium literarum, in ſcientiâ innumeros produxit palmites, fructuoſos viros; viz. providos & diſcretos, qui ſicut novellæ Olivarum frondentes & fœcundantes in fructum, ne dum Regnum noſtrum* Angliæ, *ſed orbem terrarum in circuitu intellectus & ſapientiæ dulcedine repleverunt*, &c.

Ex Univerſitatis noſtræ prædictæ (inquit Rex [h] idem) *& ſtudentium in eâdem doctrinâ, fides dilatatur Catholica, & Sancta dei Eccleſia, maxime* Anglicana *diluciđè roboratur, &c. --de qua etiam tot ad regendum populos, ad illuminationem multorum, Doctores hactenus proceſſerunt*, &c.

Inſuper *fœcundiſſima Vinea* ab eodem [i] nominatur, velut à [k] *Richardo* II, *hortus vireſcens rore & deliciis ſcientiæ liberalis & virtutis*. Atqui *Gregorius* II. Pontifex *Romanus* in Bullâ ſuâ contra *Wickliffum* ad Univerſitatem, anno Pontificatûs VI°, [l] Domini autem MCCCLXXVIII tranſmiſſâ, Academicos noſtros ſic alloquitur. *Mirari cogimur & dolere, quod vos qui propter gratias & privilegia veſtro ſtudio* Oxon, *ab Apoſtolica ſede conceſſa, & propter ſcientiam Scripturarum, in quarum pelago felici remigio, dante domino, navigatis, tanquam pugiles & propugnatores Orthodoxæ fidei, ſine qua ſalus animarum non provenit, eſſe deberetis, lolium inter purum triticum per campos glorioſi ſtudii veſtri prædicti, per quandam permittatis deſidiam & ignaviam pullulare*, &c.

Rurſus *Henricus* VI. in charta ſua [m] quâ latifundia quædam Academiæ tranſcripſit, anno Regni XX°, hæc de eâdem habet. *--Aſt ubi creſcit abundantius copia clericorum, illic, juxta antiquorum aſſertiones indubias & quam veras, illuſtrem ordinem militarem prævalere intimè advertentes; præmiſſiſque per nos crebrius ponderatis ad noſtram notabilem & famoſam Univerſitatem* Oxon, *quæ, velut Oliva in domo domini fructifera, quamplures palmites fructuoſos, viros viz. fructuoſos in ſcientiis liberalibus notabiliter imbutos, in ſingulas partes regni* Angliæ *diſperſos, (qui hæreſes & errores, pacem utrobique regnorum nequiter perturbantes, de vinea domini ſatagunt extirpare) à non modico tempore tranſacto hucuſque continue protulit & produxit, indieſque producere non deſiſtit, noſtræ mentis oculos dirigentes; ipſam tam notabilem Univerſitatem pro hujuſmodi ſtudii, nec non Artium prædictarum exercitii augmentatione, noſtra regia munificentia decrevimus decorare*, &c.

Alias [n] vero, *Vinea Scientiarum omnium indeſinenter producens germina virtuoſa*, ab eodem nuncupatur.

Sub eodem præterea Rege *fœcunda Mater*, & *Lucerna* [o] *Cleri* dicitur, & à *fratre* quodam *Minore*, *Tryvytlam* appellato, & ſub eodem *Henrico* vivente, *Chriſtianiſmi gloria* vocatur, &c. Is autem in libello [p] rythmico, quem *de laude Univerſitatis Oxoniæ* inſcripſit, eandem mirifice decantavit; Poema vero ipſum, ſeculi in quo vixit genium referens, ſic auſpicatur.

Ad te nunc habeo verbum ô civitas,
Quæ grandi titulo terram inhabitas,
Quæ toto ſeculo famoſa radias;
En ad te clamito ſi forſan audias.
Non Romam *alloquor urbem egregiam,*
Non villam Cecropis, non Academiam,
Verum te maximam Anglorum *gloriam,*
Alumnus invoco matrem Oxoniam.

Ut hæc finem conſequantur, breviter dicendum, Univerſitatem noſtram omnium fere ſcriptorum, ſive veterum, ſive recentiorum Elogiis paſſim exornari. Nimirum alibi *Theatrum & Emporium omnium Scientiarum, Athenæ celeberrimæ, Muſarum ſedes, Angliæ Sol* atque *Oculus* audit. Alibi vero, *bonarum literarum & Sapientiæ ſcaturigo, unde religio, urbanitas, & eruditio in omnes regni partes ubertim promanant*, ſalutatur. Sed de his hactenus.

[a] Matt. Parys, *ut ſupra, ſub an.* 1257. [b] *In lib. Abbatiæ de* Burton *in Com.* Stafford. *MS.* [c] *In Theſaur. Coll.* Merton. *in Pix.* Oxon. *A.* 1. 1. [d] *Ibid.* A. 1, 2. [e] *Pat.* 27 Ed. III. *part.* 2. *m.* 7. [f] *Pat.* 29 Ed. III. *p.* 1. *m.* 6. [g] *Pat.* 30 Ed. III. *p.* 2. *m.* 10. [h] *Pat.* 15 Ed. III. *p.* 2. *m.* 41. [i] *Pat.* 29 Ed. III. *p.* 2. *m.* 26. [k] *Cl.* 9 Ric. II. *m.* 23. [l] *Videſis in Hiſtoria noſtra ſub an.* 1378. [m] *Pat.* 20 H. VI. *p.* 1. *m.* 5. [n] *F. fol.* 44. *Ep.* 119. [o] *Ibid. Epiſt.* 205. [p] *MS in Bib.* Cotton.

Vindiciæ natalium Universitatis OXONIENSIS adversus malignantium cavillationes, & æmulorum offucias.

SOrorum rebus ita feliciter leges omnium ferè gentium prospexêre, ut supervacuæ sint ipsis de patrimonio lites, deque Primogenitură simultates; siquidem ad hæreditatem ex æquo universæ vocantur, nec nascendi ordo tantillum ad opes aut dotem facit. Apagite ergò infausta de natalium prærogativis bella; sororem Academiam minus annosam esse hac tantum de causâ cupimus, quod ne unquam senescat exoptamus; nec de præteritis annis adversus eam disceptare lubet, cùm eidem æternum in posterum voveamus ævum. At verò cum importuna nonnullorum studia sese ingessêre, quibus nihil antiquius visum est quam ut nos pro novitiis habeamur, quasi ea imprimis secula *Cantabrigiæ* accederent, quæ temporibus nostris decerpuntur; dabitur venia si veritatis simul & *Oxoniæ* peroremus causam, &, dum historiæ quam texeximus munia persequimur, almæ etiam Matris tueamur jura: quin & insuper temerariam æmulorum procacitatem eâdem pariter operâ quadantenus retundamus.

Hâc verò in palæstrâ cum iis unicè manus conseremus qui res nostras labefactare conati sunt ab anno CIↃDCVIII, seu ex quo *Brianus Twynus*, Collegii *Corporis Christi* socius, Universitatis hujus primogenituram, à *Johanne Caio* (quem *Londinensem* vocat,) in [a] libro de Academiæ *Cantabrigiensis* Antiquitatibus temere impetitam acerrimè [b] vindicavit.

Obvium verò ante alios se dat sacerdos quidam Pontificius, *Richardus Broughton* dictus, qui anno salutis CIↃDCXXXIII, librum *Duaci* edidit, quo res Ecclesiæ *Britannicæ* ad *Saxones* fidem amplexantes deducere præ se fert; & ad multam industriam impar adferens judicium, argumentis à *Londinensi* mutuatis probare satagit, gentem *Britannam* nomen Christo ante *Saxonum* incursionem dedisse; nimirum quia novem *Cantabrigienses*, Doctores & Scholares, anno CXLI, ad Christianam fidem conversi, [c] & per sacrum Baptismum in Ecclesiam recepti fuerant. Hæc autem cum non aliunde desumpta fuisse, quam è deploratæ fidei libro (Annalibus nempe Cœnobii *Eurtonensis*) prædictus *Broughtonus* fateatur, siquidem dictis fidem ipse non commodet, frustrà aliis fecerit. Porro Regis *Lucii*, *Arthuri*, *Cadwalladeri* [d] diplomata, nec non & [e] bulla *Honorii* primi, ibidem afferuntur, à quibus immunitates nescio quas dictæ Academiæ donatas fuisse legimus. Verum cum Privilegia quoque Universitati *Oxoniensi* concessisse *Lucium* idem referat scriptor (unde iisdem nos seculis quibus *Cantabrigienses* inserimur) missa hæc facienda arbitror, quandoquidem perinde fuerit, sive verum, sive falsum adferat. Atqui herclè, si qua sit dicenti fides, ob prædictum *Lucium* colendus is nobis est, nam cum Antagonistis nostris operam condixerit, plus nobis spontaneâ concessione, quam *Cantabrigiensibus* inani diplomatum farcinâ profuisse videbitur.

Proximo in loco liti huic sese immiscuit insignissimus vir Dominus *Simondsius D'ewes*, Eques Auratus & Baronettus, qui *Cantabrigiæ* olim nutritus, Parliamento, quod anno CIↃDCXL indicebatur, & posteà *longi* nomen meruit, adlectus, in delegatione *Senatoriâ* (quam nos **a Grand Committee** vocamus) cum forte de Academiis nostris disputatio incideret (utra nimirum in edicto publico primas consequeretur) oratione anno jam dicto, secundoque *Januarii* die habitâ, pro Academiæ *Cantabrigiensis* prærogativis obnixè [f] desudavit. Cæterum quod Oratio illa vel Librarii vel Typothetarum incuriâ semel atque iterum referta mendis [g] prodierat, recognita demum, & ab authore ipso repurgata anno MDCXLII excusa tertiùm est. Ultimam ergo secutus editionem, quæcunque Universitatem nostram attingunt in medium proferam, iisdem, nisi me spes multum fallit, satis deinceps facturus.

"Consurgo quidem ego litem hanc si fieri possit de-
"ponendam suasurus. Heri nimirum de voce quadam
"expungendâ disputatum acriter fuit, hodieque in
"consimilem incidimus disputationem, de voculis dua-
"bus transponendis. Quemadmodum autem *Canta-*
"*brigiæ* meæ parum exinde honoris accrevisse opinor,
"quod nuperrimæ delegationis suffragiis victoriam
"reportavit, ita nec *Oxonio* hodiè in solidam gloriam
"cessurum crediderim, si Senatorum tantùm vocibus
"superior evaserit; & quidem si ita lis sit dirimenda,
"posteriores habebit partes *Oxonium* cum neminem la-
"teat ab occidentalibus regni municipiis viros tot e-
"gregios ipsis addictos in Conventum hunc ordinum
"deputatos accedere, ut si calculorum numero, non
"rationum pondere transigatur, *Cantabrigiam* causa
"casuram vix quicquam dubitaret. Nobiliori itaque
"pacto decernendum judico, litemq; hanc non suffra-
"giis, verum eâ ratione dirimendam propono, quâ si
"*Oxonia* (cui ego sane locum in animo amplissimum
"semper concessi) superior extiterit, dignitate longe
"majori auctam crediderim, quam si suffragantium tan-
"tum vocibus potior esset, unde veram quidem æsti-
"mationem deferri non arbitror posse. Exulet autem
"ex animis nostris religio illa, quâ locum alterutrum
"impense nimis colere solemus, nudâque ac rectâ ra-
"tione agatur, quam si ego ab *Oxoniensibus* stare depre-
"henderim, ad eosdem sane lubens transibo, à quibus
"nil amplius peto, quam ut pari ipsi candore atque a-
"nimi æquabilitate ad dijudicandum accedant.

"Duo autem imprimis sunt quorum nomine Aca-
"demia altera alteri præferri mereatur.

"I°. Enim Urbs illa quæ ex ultimâ Antiquitatis me-
"moriâ floruisse ante alteram probabitur, jure opti-
"mo anteponenda videtur.

"II°. Quæ literarum Proseminium prius extitisse
"comparebit, primaria merito censenda est.

"Agite ergo, nisi *Cantabrigiam* quingentis annis
"*Oxonium* præcessisse, & inter Urbes illustrissimas lo-
"cum habuisse evicerim, cùm eo loci quo stat hodie
"*Oxonium* ne unica domus comparuerit, immo cùm
"bruta ibidem animalia depascerentur, segetesque u-
"nice provenirent; deinde nisi palam quoque fecero
"*Cantabrigiam* omnigenæ eruditionis Gymnasio in-
"claruisse, cùm Grammatices nondum elementa *Oxoni*
"commonstrarentur; victum sane me fatebor, mani-
"busque ultro datis, *Oxoniensibus* in posterum acce-
"dam. Neque tamen senum deliriis agendum statuo,
"nec ineptias illas adhibendas, quibus vel pro *Oxonio*
"suo instructus adest *Twynus*, vel *Caius* pro *Cantabri-*
"*gia*; mihi enim induxi libros quos illi in lucem du-
"dum edidere, earundem esse refertissimos. At vero

[a] *Edit.* Lond. *in* 8° *sub nomine* Londinensis *a°* 1568. *& iterum ibidem in* 4° 1574. *sub nom.* Johan. Caii. [b] *In Apologiâ suâ de Antiq. Acad.* Oxon. *Edit.* Oxon. *in* 4to, 1608. [c] *In sæc.* 2. *cap.* 4. *sect.* 4. *&* 6. [d] *Ib. in eod. sæc. sect.* 7. *& cap.* 6. *sect.* 1. [e] *Ib. cap.* 16. *sect.* 4. [f] *In duab. edit. ejusd. oration. anno* 1641. *dicitur quod enunciata fuit* 9° *mensis* Martii *eodem anno.* [g] 1641.

"argu-

"argumentis & teſtimoniis in medium productis qui-
"bus renitendum non eſt, apertum faciam, *Cantabri-*
"*giam* in Urbium *Britannicarum* Catalogo, eoque per-
"antiquo, & in quo ipſi *Londino* undecimus tantum
"conceditur, nonum ſibi locum vendicare. Et certe
"mirari proinde ſubit *Oxonienſes* ſibi perſuaſiſſe, ut
"cum illis in arenam deſcendant, quibus ante annos
"ſupra milleſimum ducentos *Londinum* ipſum ceſſiſſe
"conſtat. Hæc autem à *Gildâ Albanio* in Hiſtoriâ
"quam ſcripſit *Britannicâ*, *Pag.* 40. memoriæ tra-
"duntur, (qui anno DXX. fato functus eſt, & cujus
"ſcripta è Domesticis quæ nobis ſuperſunt
"Regeſtis antiquiſſima ſunt.) Quæ porro in Hiſtoriâ
"quam *Saxo* aliquis anonymus Latine contexuit, *Pag.*
"*63.* habentur; qui tempore *Pendæ Merciorum* Regis
"vixiſſe ſe, eique familiariter innotuiſſe memorat, an-
"no Regni ejus x°. (is autem, cum Aeræ Chriſtianæ
"DCXX fere congruit.) Catalogum denique conſimi-
"lem apud *Nennium*, in Hiſtoriâ ſuâ *Britannicâ*
"*Pag.*38.me legiſſe memini,quam is an. DCCCLXXX
"compoſuiſſe i.e. refert. **Caer-Grant** his omnibus
"appellatur; voce autem **Caer** Urbs, linguâ Celticâ,
"denotatur.

"Hiſtoriæ tres illæ Exoticæ, præſtantiſſima
"rerum monumenta, in Codicibus antiquitus conſcri-
"ptis deliteſcunt: permultis tamen innotuêre, eâque
"ſunt fide ut eorum teſtimonio refragari nemo homi-
"num poſſit. *Albanii Nenniique* probatiſſima, vetu-
"ſtiſſimaque, quæque modo citavi, exemplaria, in
"publicâ illâ *Cantabrigienſi*, Saxo autem Anonymus
"in Bibliothecâ [a] nobis jam nunc vicinâ habetur.
"Atqui Urbs ea **Caer-Grant** vocata *Cantabrigiam*
"ſubindicat, exponente tum *Alfredo de Beverlaco*,
"tum *Gulielmo de Ramſey*, Cœnobiarchâ *Crowlandenſi*
"in Hiſtoriâ manuſcriptâ de vitâ *Guthlaci*, in Divos,
"quâ erant ea ſecula ſuperſtione, relati: addente
"præterea *Gulielmo* illo à *Grantâ* fluvio nuncupatam
"fuiſſe. Quæ quidem Urbs ſub Regibus *Anglo-*
"*Saxonibus* quam maxime florebat, & in Annalibus
"paſſim Saxonicis Grantecaertep vocitatur; & licet
"Danorum ſenſerit rabiem, pluribuſque, uti Urbes
"aliæ, protrita cladibus fuerit, nihilo tamen ſecius
"in libro illo Cenſuali (ad Regeſta enim publica jam
"venio) quem **Doomesday Book** nuncupamus, in
"magno momento poſitam invenies, & cuſtodiis de-
"cem, Caſtroque ampliſſimo egregie munitam. Hiſce
"de Urbe *Cantabrigiâ*, jam olim inclareſcente, ſatis
"habeo dictum.

"De Academiâ proxime dicam, quam Doctiſſimi
"Regis *Alfredi*, nec altioribus ſeculis, inſcripſerim;
"quod nemo ſcilicet inficiabitur per ea ſaltem tempora
"complures ibidem viros ingenuis animos Artibus ex-
"coluiſſe. At vero Gymnaſium illud eâ deinde lite-
"rarum celebritate ac luce nituit, ut *Gulielmus Con-*
"*queſtor* filium poſtremo genitum *Henricum* eò ſci-
"entiis imbuendum amandârit, qui rerum tandem
"*Britannicarum* (*Henricus* primus nomine) potitus,
"cognomento *Beauclerck*, eruditi nimirum Clerici,
"propter eximiam quâ pollebat ſcientiarum cognitio-
"nem, donatus fuit. Verum equidem ſi Regeſta
"omnia alioſque indubitatæ fidei Scriptores percurre-
"rem, quibus utique literarum in eâ Academiâ incre-
"menta progreſſuſque ſplendidiſſimi traduntur, rebus
"noſtris arduis fraudem aperte facerem, à quibus ani-
"mi æquo diutius veſtri avocandi eſſent. Quapro-
"pter unicum illud adjiciam, Collegium primo *Va-*
"*lencianum* dictum, eoque amoto, *Aulæ Pembrochien-*
"*ſis* (ut è rotulis *Parliamentariis* in Turre *Londinenſi*
"adſervatis patet) nomine inclareſcens, omnium quæ
"in *Britannia* ſunt antiquiſſimum eſſe, & ante reliqua
"omnia reditibus fuiſſe dotatum. *Ea in Rot. Parl.*
"*de anno* XXXVIII *Henr.* VI. *num.* XXXI occurrunt.
"Cum itaque ex iis quæ adducta ſunt teſtatiſſimum
"ſit, primogenituram *Cantabrigiæ* multis nominibus
"deberi, (nequis tamen me tanquam Academiæ *Oxo-*
"*nienſis* dignitati derogantem accipiat) ad vos refero,
"annon ſatius fuerit ut Quæſtionem hanc miſſam in
"præſentia faciamus, Billamque iſtam eo verborum
"ordine quo exarata jam eſt comprobantes, ſummo ſtu-
"dio laboremus, quo & ſimultates inter nos ſuboritu-
"ræ præcaveri, & inter ſorores germanas malo omine
"gliſcentes conſopiri in æternum poſſint. Quod eo
"ſanè libentius concedere debetis, quoniam in poſtre-
"mo quo habentur Univerſitates edicto *Parliamenta-*
"*rio*, primas ſi bene memini *Oxonienſes* retulere.

Huc uſque vir eruditus, cujus argumentis & cum vivâ voce tradita, & cum Typis deinde mandata eſſent, acclamatum uſque adeo erat, ut *Cantabrigienſes* debellatum jam planè nobiſcum crediderint; quos ne hiſcere in poſterum auſuros exiſtimabant. At enim vero ſi *Twynus* noſter bello civili ſuperfuiſſet, & civitatem, tum turbantem, pacatam tandem & compoſitam vidiſſet, nullus dubito quin & delirii notam procul fuiſſet amolitus, & matri Academiæ (quæ ut Regi ſemper fidiſſima erat, ita eodem quo ille tempore prærogativis ſuis ſpolianda videbatur) vindicias attuliſſet. Verum illi ad irritum cecidere conſilia, qui, bellis æquum adhuc & iniquum permiſcentibus, mortem obiit; & ſi qua ſcripſit incendio illo periere, quod ab obitu ejus ſtatim prorupit. Itaque imparibus fortaſſe auſpiciis, eo tamen ſtudio, quo curas & cogitationes meas ad reliquum opus contuli, Orationem prædictam modeſtè notabo, æſtimatoribus interim peritioribus rem totam permiſſurus.

Quærere igitur primo fas eſto quid virum eximium ad provinciam tam difficilem ſuſcipiendam impulerit, an ſcil. *Twynum* & *Caium* fato dudum credidit functos? (quod quidem de *Caio* verum, alter autem annum jam LX in vivis agebat) an etiam libros eorum diſtractos pridem, & in Bibliothecis quodammodo contumulatos exiſtimans, ſe unum ſupereſſe ſperaverat qui ex hac arena palmam reportaret? Quale elogium meruerit *Caius* aliorum eſto judicium, certe adverſus noſtri ejuſdemq; ſenium alluſione Falſiſſimâ utitur, cum *Twyno* librum ſuum propalanti annus nondum XXIX decurrerit. Tandem vero poſt egregium hunc ſenum utrorumque contemptum, Illuſtriſſimus Dominus novi nil quicquam in medium profert, quin deliri iſtius *Caii* inſiſtens veſtigiis [b] id agit (quod optimum eſſe dicitur) ut alienâ fruatur inſaniâ.

Imprimis enim in eo omni ope deſudat *Caius*, ut oſtendat Urbem *Britannorum* vetuſtam **Caer-Grant** (*Saxonibus* deinde **Grantceſter**) dictam, à *Cantabrigiâ* ſua diverſam non eſſe: cum illa tamen ad occidentalem *Grantæ* ripam ſederit, *Saxonum* in *Britanniam* involantium rabie convulſa, iterumque *Bedæ* ſeculo juxta annum DCC exciſa, Hæc vero in altero fluvii margine ponatur, milliaribus quaſi duobus à priori diſterminata, longo, ut conjectantur omnes, poſt deletam *Grantceſtriam*, erecta tempore, & ab eâ, non ſitu tantum ſed & nomine, diverſiſſima. Cæterum de hiſce non alium conſules quam ipſum *Caium* in libro quem edidit de Antiquitate *Cantabrigienſi*, anno Dom. CIↃDLXXIV, *lib.* I. *pag.* 84, 89, 139, &c.

Sed hæc obiter. Obſervandum inſuper venit, quod cum Inſigniſſimus vir demonſtraturum ſeſe promiſiſſit, Urbem *Cantabrigienſem*, noſtram neſcio quot ſeculis

[a] *D.* Thomæ Cottoni *Baronetti.* [b] *Vide in lib.* I. *Antiq.* Cantab. *edit.* 1574. *p.* 48.

antevertisse, & proinde utriusq; antiquitatem juxta debucrit posuisse; hoc minime præstat. Ait solum asseritq; Urbem *Cantabrigiam per plura jam secula inclaruisse, cum ne unica domus eo loci staret quo habetur hodiè* Oxonium, *immo cum bruta ibidem animalia depascerentur, segetesque unice provenirent.* Videamus ergo ut fidem liberat; argumento sane palmario rem gerit, nam urbium *Britannicarum* XXVII Catalogum antiquum proferens, in eo *Londinum* ipsum loco inferiori quam *Cantabrigiam* positum ostendit; unde sic deinceps ratiocinatur, Urbem suam *Oxonienſi* proculdubio anteponendam esse, quod ei ipsum olim *Londinum* vetustate cessit. Quasi enimvero non Urbes illæ, prout scriptori quævis in mentem venit, sed dignitate cujusque & annis accurate perpensis, descriptæ fuissent; aut satellites atque viatores Principibus honoratiores haberentur, eo quod præcedere solerent. Præterea quòd nonam illam Urbem *Cantabrigiam* diserte nominat, temere id citra testium quos allegat fidem fecisse constat, illa siquidem **Caergrauntb**, vel **Caergrant**, in Catalogis quos citat appellatur; quas voces authores illi antiquiores, *Gildas* nimirum *Albanius*, *Saxo* anonymus, *Nenniusque* expositione nullâ dilucidare præ se tulerunt. Quod autem ad recentiores attinet, si *Alfredi* de *Beverlaco*, sub *Stephano* rege florentis, expositionem adhibeat, illum jure optimo rejiciemus, quem *Balæus* literis operam inter *Cantabrigienses* navantibus accenseri refert: pariter *Gulielmum* de *Ramsey* submovemus, sub *Henr.* II. vigentem, in Cœnobio *Crowlandenſi* educatus cum sit, è quo scilicet Monachi illi prodiêre, qui regnante *Henrico* primo literas *Cantabrigiæ* primi omnium prosemināruntc. Denique si *Henrici Huntingdonenſis* authoritate sententiam suam stabiliat, constat illum in eâdem regione sub *Stephano* vixisse, binosque quos diximus Authores, seculo suo propinquiores secutum prorsus fuisse; cujus tamen Catalogus à supradicto longe discrepat, *Cantabrigiâ* utique *Londino* postpositâ: quod cum animadverteret vir illustrissimus, ne argumenti superius prolati nervos succideret, Authorem illum intactum cautus præterivit.

Verum de hoc aliisque breviter respondeo, quòd si aut è commentis eorum, aut conjectaneis vocabuli dilucidationibus quippiam proferatur, quod Academiæ nostræ fraudi sit futurum, ampliandum tantisper, dum de eorum simul fide ac candore, quin & rationibus quibus nixi sunt apertius constiterit. Sanè autem si *Cantabrigia* tantam sibi antiquitatem gloriamque merito arripuerit, quis non demiretur in *Ptolemæi* eam & *Antonini* tabulis, quibus Provinciæ Urbesq; totius Orbis illustriores describuntur (inter quas *Londinum* & *Britannicas* alias invenies) neutiquam reperiri; sed è veteribus & exesis urbium nostrarum Catalogis, exsculpendam fore? *Camdeni* sane *Camboritum* nudâ subnititur conjecturâ, & à **Caergrant** voce tenus infinitum pene distat; quâ & Doctor *Guil. Fulke*, antiquitatis studio cum primis versatissimus, Academiæq; *Cantabrigienſis* aliquando alumnus, non *Cantabrigiam* sed *Combertonam*, tribus inde milliaribus dissitam, denotari arbitratur.

Sed ad Urbium nostrarum Catalogum redeamus, demusque paulisper **Caergrant** eandem esse illam, quam eruditus *Baronettus* maximè voluerit (quod tamen præter Scriptores præfatos, partium studio palam abductos, nemo, quod sciam, opinatus unquam est.) Quid enim vel exinde conficitur? sequitur nimirum, immo aperte sequitur, *Oxoniam Cantabrigiæ* necessariò postponendam, cui vel ipsum *Londinum* ante annos mille bis centum vetustate cessit. Optime enimvero concluſum, modo aliquis vates certiorem fecerit, inque aurem dixerit, Urbes inter se *Britannicas* de dignitate ante totidem annos digladiatas fuisse; aut *Londinum* propterea *Cantabrigiæ* cessisse, quod locum eâ posteriorem in Catalogo sortiatur. Verum evigilemus aliquantisper, & videamus annon hoc potius sequatur, Urbes nempe illas pro dignitate cujusque dispositas in Catalogis prædictis non esse, cum *Londinum* celeberrimum totius *Britanniæ* ante bis mille annos Emporium, & *Augusta* ante annos propemodum mille trecentos à splendore dicta, undecimo tantum loco in iisdem deprehendatur. Cæterum de istis ratiociniis, nobis tanquam nova essent intentatis, *Cantabrigiæ* licet ipsi pene coævis, videatur Antiquarii nostri *Apologia*, *Lib.* I. *Sect.* 63, 64, 65, 66, &c. ubi Urbes quas Eruditus *Baronettus* confundendas non dubitat, factas à se invicem diversissimas habebis.

At scilicet nec melius conveniunt calculi in computandis annis, ante quos *Londinum Cantabrigiæ* loco perhibetur cessisse: nam si ab *Albanio*, eorum qui laudantur Authorum antiquissimo, numerare velimus, cum illum anno DXX mortuum in confesso habeatur, annos tantum CIↃCC abinde patebunt defluxisse, quo tempore Oratio hæc in delegatione Senatoriâ haberetur. Adeone ergo seculorum dives est *Cantabrigia*, ut Antiquitatis suæ dispensator annos quasi LXXX, (dandos nimirum an arripiendos) in nullo prorsus momento posuerit? Tot namque propemodum annis falsum reperiemus, si vel e *Balæo*, *Pitseove* rationes ineamus, quorum uterque scriptores prope omnes secutus *Gildam* illum anno DXII obiisse prodidit.

Porro autem postquam *Gildæ* hujus *Albanii* scripta è domesticis nostris monumentis vetustissima nuncupavit vir egregius, tandem (quo non tantum veritati, sed sibi quoque à veritate hac ex parte satis alieno dissidentem habeas) trium quos allegarat Authorum Historias *exoticas* disertè appellat. Quid, *domesticos* eosdem & *exoticos*? sane spes non vana affulget coalituras fore Academias, siquidem voces tam oppositæ, tamque ab ipsis natalibus dissociatæ, in gratiam redierint.

Verum nec inter scriptores domesticos antiquissimus est *Albanius*, nam apud [a] Authores passim occurrunt, qui illum integris seculis anteverterunt. Quid enim fiet de *Gildâ Cambrio*, ad annum Aeræ Christianæ LX vigente, cujus scripta quædam nuperrime extabant, immo in hodiernum quoq; diem superesse creduntur? Quo insuper abibit *Gildas Badonicus* cognomento *sapiens*, qui anno CCCCXCIII inclaruit, & cujus opuscula aliqua usque hodie leguntur, nominatim Epistola *de excidio Britanniæ*? Denique ne alios complures recenseam, nunquamne subit de *Ambrosio Merlino*, anno CDLXXX florente, qui nonnulla scripsit vetustate nondum intercidentia? Quare liquidissime constat *exoticum* hunc *domesticum* è scriptoribus, quos jactat *Britannia* pro antiquissimo, non esse agnoscendum; quem si *Baronettus* doctissimus tot seculis auxerit, ut prædicto cuique parem faciat, caveat velim *Cantabrigienſis* Academia ne, cum forte opus illis fuerit, Centurias suas omnes prodegisse videatur.

Sed his non est immorandum. Prætereo autem illum *Nennii* historiam an. CCMLXXX compilatam referre, quam [b] *Balæus* tamen, & [c] *Pitseus*, anno DCXX scriptam retulêre; & quæro annon quis magnopere obstupescat *Cantabrigiam* nescio quot seculis inter Urbes clarissimas recensèri, *cum domus nondum unica eo loci compareret quo stat hodie* Oxonium, &c. Neque tamen de *Oxonii* primordiis vel tantillum disputari;

[a] Lelandum, Balæum, Pitseum, &c. [b] *In Centur.* I. *num.* 74. [c] *In Ætat.* 7. *nn.* 67.

cum

cum imprimis confici debuerat *Oxoniam* Urbem ea tempestate in rerum naturâ non fuisse, quâ Scriptores prædicti Catalogos suos contexebant. Operosum forte id nimis & difficile videbatur. Quin ergo nos, disquisitionem istam ita sicco pede prætermissam diligentius paulo indagemus, & gentis nostræ origines curiosius perscrutemur.

E variis profecto [a] Authoribus liquet, *Mempricium* Regem *Britannorum*, anno ante Christum natum CIↃIX. Urbem nostram fundasse, nomenque **Caer-Mempzick** indidisse; quæ tamen **Rydychen** deinde nuncupata est, eâque appellatione jam penitus innotuerat cum Regis *Arthuri* inauguratio circa annum DXVI celebranda esset; ad eam enim exornandam confluentibus undique clarissimarum Urbium Consulibus, *Boso* etiam *Rydochensis* præsentem se dicitur [b] dedisse; ubi notandum obiter **Caergzant**, seu *Grantcestriam*, neminem ad opus tam solenne demandasse, ac inde colligendum in nullo eam loco positam fuisse. Nobis autem argumentum hinc suppetit, & Urbem nostram temporibus illis inter celebriores eluxisse, & per aliqua jam secula modice saltem floruisse; cum Urbs nulla sine gradibus & incrementis ad summam repente dignitatem emergat; verum aut commercii, aut clari cujusdam facinoris nomine primò nobilitata, ad sublimem æstimationis apicem paulatim consurgat.

In promptu esset plura hic congerere, quæ primordiis nostris elucidandis inservirent, verum quia ab Antiquario *Oxoniensi* præstitum id abunde reor, hic plura attexere supersedebo; præsertim cum & Scholas nostras Catalogis supra allatis vetustiores fuisse mox ante ostenderim. Quare *Ambrosium* tantum *Merlinum* adducam his [c] verbis præsagientem;

Doctrinæ studium quod nunc *viget ad vada* [d] *Boum.*
Tempore venturo celebrabitur ad vada [e] *Saxi.*

Ubi voce *nunc* plane indicatur tempore illius *Merlini* (neque enim ii ullo modo assentiendum qui ista *Merlino Caledonio* ascribunt) circa annum viz. CDLXXX literas *Oxonii* floruisse. Urbemque idcirco nostram ante Authores quos memorat illustris *Cantabrigiensium* patronus, inclaruisse; quorum enimvero ætate bruta hunc locum animalia occupasse à veritate omnino alienum est. Dicerent forte alii, *Oxoniam* inter primas tum Urbes numeratam fuisse cùm *Cantabrigiam* ne futuram quidem opinatus quis esset, cumque Brutorum animalium fœdissima (porcorum scilicet greges) paludes sibi illas vendicarent, (à *Gronnâ* enim, ut multi [f] arbitrantur, dicta est *Granta*) sed nostrum non est conviciorum vices reponere, quâ in Palæstra superari nos libentissime patimur.

Ast iterum cum illustri Antagonistâ manus conserendæ, tanquam indubium amplitudinis *Cantabrigiensis* argumentum adferente, quod Urbs ea tempore Conquestoris in decem Regiones, Custodias, sive Wardas dispertita fuit. Subducamus itaque calculos & videamus quot domus regiones tum illæ complectebantur, quarum amplissima LIV tantum ambitu suo continebat, adnumeratis scil. XI, quæ jam penitus corruissent: decima autem ædes solummodo XXIX habuit. Ut verbo expediam, in tota Urbe ad domos ter centum & septuag. duas (vel ut [h] *Camdeno* placet CCCLXXXVII) numerabantur; præter XXVII solo æquatas, (*Camdenus* tantum XVIII habet) & Castello condendo locum cedentes; *Oxonio* interim ædibus DCCL (omissis XXIV, quæ in pomœriis suburbiisque stabant) Castroque munitissimo nuper extructo, superbiente. Quæ quidem tota (si domicilia in pomœriis ac suburbiis posita excipias) in IV regiones sive Custodias divisa iis temporibus erat, in earum vero duabus (Euro-aquilonarem, Euroque australem volo) plures domus quam in omni *Cantabrigiâ* (additis etiam quæ deletæ ibidem disparuissent) censebantur. Quare cum viro eximio multum exinde animi succreverit quoniam in libro quo *Angliæ* lustrum condidit *Gulielm.* I. Burgus de **Grantbzidge** tot Custodias habuisse dicitur, nos majori in lucro ponendum ducimus quod *Oxonium* ibi Civitas appellatur, quodque eo pariter ac elapsis tum seculis, muris incinctum, mercatus privilegio (id autem ex his verbis in eod. lib. patet, *Reddebat* **Drenford** *pro Thelonio* & *Gablo*, &c.) dotatum esset. Quod male quidem metuo de *Cantabrigiâ* probandum non iri, cum per Statuta [i] Regni cautum antiquitus fuerit, ne mercatus in locis muro nequaquam munitis celebrarentur.

Pergit vero ille, utque literas *Cantabrigiæ* sub *Alfredo* florentes exhibeat, verbis *Johannis Rossi*, ni fallor, innititur, [k] à *Caio*, [l] *Twynoque* (quos delirii male insimulavit) citatis excussisque; quibus scilicet *Rossus Edoardum Alfredi* filium studium literarum *Cantabrigiæ* aut fundasse memorat, aut instaurasse. Deinde literas ibidem sub Conquisitionis *Normannicæ* tempora viguisse hinc probat, quod *Henricus* I. eò, scientiis imbibendis, concessit: quibus tam à [m] *Twyno* pridem nostro, quam in Historiâ meâ ad annum CIↃLXXIX responsum affatim est. Quod autem asserit ante Collegia Anglicana *Valencianum* illud (Aulæ nimirum *Pembrochiensis* nomine deinceps signatum) reditibus fuisse dotatum (id vero circa annum CIↃCCCXLVII obvenit) pluribus hic ille testibus, iisque maximam partem *Cantabrigiensibus* fundendus mihi venit, obruenduque.

Primò enim contra facit [n] *Caius* (quem sequitur [o] *Fullerus*) referens Ædi divi *Petri* ad annum CIↃCCLXXX proventus fuisse assignatos. Deinde, eodem recidit quod à *Roberto Haro*, custode aliquando Rotulorum in Turri *Londinensi* repositorum, proditum [p] est, & è dictis proculdubio chartis & registris desumptum; ante annum nempe octavum vel nonum *Edoardi* I. (Æræ scil. Christianæ quasi CIↃCCLXXX) Collegium *Cantabrigiæ* nullum extitisse, quod latifundiis auctum esset, & in sodalitium accrevisset, quin Academicos in Ædibus oppidanorum conductitiis habitasse, &c. sanè autem si Historicis familiarius uteretur eruditus Antagonista, facilè intelligeret Collegium *Mertonense* quæcunque alia tempore antevertisse. Licet enim Scriptores plerique anno CIↃCCLXXIV fundatum retulerint, & secundum *Polydor.* [q] *Virgilium*, id in annum CIↃCCLXXXV cadat, verissimum tamen est primam dotationem obtigisse ad annum CIↃCCLXIV, quando utique *Maldoniæ* in agro *Surriensi* poneretur, unde *Oxoniam* deinceps translatum, & novis (velut inferiùs edocebere) an. CIↃCCLXVII, proventibus fuit locupletatum. Itaque sive de Collegii *Valenciani* origine, sive demum Ædis S. *Petri* lis ver-

[a] Joh. Rossus *de Regibus*, *ut supra*, *p.* 20. *vide* Twynum *in Apol. lib.* 2. *sect.* 13, 41, 55, *&c.* [b] Galf. Monumetens. *in Hist. sua lib.* 9. *cap.* 12. *& alibi.* [c] *Vide* Twynum, *lib.* 2. *sect.* 94. [d] *i. e.* Oxenford. [e] *i. e.* Steanford *vel* Stanford *in Com.* Linc. [f] *Vide* Lel. *in Cygnea Cant. in voce* Granta, *&* Camden. *in Icenis.* [g] *Lib.* Domes-day *in recept. Scaccarii*, *& in alio ejusdem exemplari in Custodia Thesaurarii & Camer. Scaccarii apud* Westm. [h] *In Britan. in Icenis*, *ut supra.* [i] Gul. Lambardus *in Archainomia*, *edit.* 1568. *fol.* 125. *b. & alibi ibid.* [k] *In lib.* I. *Antiq.* Cantabr. *p.* 97. *&* 138. [l] *In lib.* I. *Apol. Antiq. Acad.* Oxon. *sect.* 188. [m] *In lib.* 2. *sect.* 269, 270. [n] *In Historia Acad.* Cantab. *lib.* I. *p.* 54. [o] *In Hist. Acad.* Cantab. *in* Ed. I. [p] *In Tractatu suo de excidiis & reparationibus Acad.* Cant. *MS. in* Ed. I. *vel ex novo suo registro munimentorum*, *Acad.* Cant. [q] *In Hist. suâ*, *edit.* 1534. *lib.* 17. *p.* 320.

titur, causâ cadant oportet *Cantabrigienſes*, ipſique cum diſticho illo faceſſant, quod feneſtræ cuidam Collegii poſtremò dicti inſcriptum gloriantur:

Qua præit Oxoniam Canceſtria *longa vetuſtas,*
Primitus à Petri *dicitur orſa domo.*

Sed Quæſtionem de Collegiis fundatis, & aſſignatis reditibus, tanquam omnibus notiſſimam, prætermitto; unumque adjicio argumentum, quod quemadmodum Univerſitatis *Oxonienſis* (de Urbe enim ambigi non poteſt) dignitatem tuetur; ſic apud illuſtriſſimos regni ordines vim uti ſpero nonnullam habebit, ſi (quod anno CIↃDCXXVIII, primoque *Caroli* I. uti & ſœpius deinceps fertur accidiſſe) dubium apud poſteros de utriuſque Academiæ prærogativis oriri contigerit.

Dico itaque rationi nil magis conſentaneum eſſe, quam ut locum priorem illa ſortiatur Univerſitas, quæ eo primitus nomine & honore publicis auſpiciis & lege latâ aucta comparet, quod de *Oxonio* veriſſimum eſſe ſic convincitur. Primò notiſſimum eſt, *Alfredum*, poſtquam Scholis *Oxonienſibus* in priſtinum nitorem reſtitutis, regiminis quoque formam conſtituiſſet, literis *Romam* miſſis à Pontifice *Romano* efflagitaſſe, ut quod ipſe fecerat diplomate Papali firmaretur; ejus autem precibus obſecundaſſe Pontificem inficiabitur nemo, niſi ſiquis gratiæ quam apud ſedem iſtam jampridem collegerat Rex ille, neſcius plane fuerit. Atqui *Cantabrigiam* in Univerſitatem multis poſt annis evectam comperimus, idque ſpeciatim apud *Remingtonum* [a] antiquum Hiſtoriographum, qui ſic habet. ---*Hoc anno* (inquit ille de XI *Edoardi* II. agens) Cantabrigia *facta eſt Univerſitas ſicut eſt* Oxonium *per Curiam Romanam.*

II. Quamvis decimo tertio *Elizabethæ* utraque ſimul Univerſitas in Corpus Politicum, ſive Incorporationem (quam vocant) authoritate Parliamenti evocata fuit, cum in edicto tamen illo primus *Oxonienſi* locus deferatur, videntur non tam nobis quam ſupremæ poteſtati repugnaturi *Cantabrigienſes*, ſi eundem ſibi arrogare præſumpſerint.

Quemadmodum ergò coortis (ut refert in Dialogis *Lucianus*) inter *Æſculapium* & *Herculem* de dignitate litibus, & merita utroque ſua adverſum mortales (quibus alter Arte Medicâ, alter fortitudine crebrò ſubveniſſet) commemorante, potioremque ſibi eo nomine inter divos locum vendicante, Dii arbitri poſthabitis argumentorum ſtrophis, hoc unicum quis inter cœlites prior egerit ſedulò diſquirebant, repertoque *Æſculapium* eo priorem acceſſiſſe, ſuperiorem illi ſedem adjudicarunt: ſic *Oxoniam* ego *Cantabrigiæ* meritò anteferendam exiſtimaverim, etiamſi nulla alia ſuaderet ratio, ſiquidem lege Parliamentaria (cujus authoritati reclamandum non eſt) primo memorata, & proinde in Univerſitatem erecta ante *Cantabrigiam* fuerat. Quod adeò ratum certumque eſt, ut Generalis ille regni Conventus, ex plenitudine poteſtatis, præcipuum locum vel Juniori decernere, eamque, verſis quaſi Parcarum (modo ita viſum) fuſis, antiquiorem quodammodo efficere potuiſſet.

Hucuſque Illuſtriſſimi Antagoniſtæ argumentis reſpondimus, liceat tamen mihi quaſi ex abundanti pauca inſuper adjicere.

Primo itaque ſi *Cantabrigia* literarum antiquitùs ſtudio, & Univerſitatis titulo inclaruit; ſcire velim cur *Gualterus Merton*, Epiſcopus *Roffenſis*, Collegium ibi ſuum non fundaverit, qui non tantum ad decimum inde lapidem, nimirum apud **Gamlyngey** prædia ampla poſſidebat, quin & plura alia latifundia, *Cantabrigiæ* propiora quam *Oxonio*, habuerat, immò in ipſis oppidi confiniis villam ſive Mannerium obtinuerat? Procudant illi cauſas & comminiſcantur; nos ipſum audiamus Epiſcopum in Chartâ [b] quâdam ſuâ de fundando Collegio *Mertonenſi* factâ, perhibentem, Collegium fundare ſe in *Territorio ſuo proprio* Oxonii (nuperrimè ſcilicet coempto) *vel alibi ubi ſtudium vigere contigerit*, &c. cogitabat quippe vir prudentiſſimus, quod & poſteà accidit, *Oxonienſes* venturis ſeculis ſolum vertere, alibique ſedes figere potuiſſe: nec alumnos ſuos adeò glebæ adſcriptos voluit, ut non abeuntes Muſas comitarentur.

His verò ſatis apertè ſignificatur artes ingenuas *Oxonii* imprimis viguiſſe; quod & ante indicavit *Mertonus*, cum Collegium ſuum tertio retro anno *Maldoniæ*, vel *Meandoniæ*, in agro *Surrienſi* poneret; etenim tum etiam aſſeruit viginti ſeſe Scholares alendos deſtinaſſe, in *Scholis* (ut ipſe loquitur) *degentium* Oxon, *vel alibi*, &c. ut ſupra. Hinc autem, niſi me ratio deficit, pariter conſtat *Cantabrigiam* tunc temporis literis minimè dicatam, vel Generale ſtudium aut Academiam fuiſſe.

Prætereà verò ſi *Cantabrigia* cum primis artium liberalium Gymnaſiis, vel ante conquiſitionem *Normannicam*, vel proximis inde annis (priuſquam ſcilicet Profeſſores *Crowlandici* eo ſe contuliſſent) eminuerit, cur tam alto ab hiſtoricis omnibus ſilentio reticetur, ut ne leviſſimum ejus rei indicium alicubi deprehendatur? Certè enim ſi (quod à me factum profiteor) Authores perantiquos rimatus quam diligentiſſimè fueris, nil quicquam reperturum ſpondeo, unde literas ante dictos Profeſſores in *Cantabrigiam* immigraſſe opineris. E contra autem ſi vel *Ingulphi*, ad prætatam Conquiſitionem viventis hiſtoriam adeas, vel *Aſſerii Meneveniſis*, ſub *Alfredo Oxonii* prælegentis apographa conſulas; niſi Academiæ noſtræ per ea ſecula exiſtentis mentionem plus quam nudam deprehenderis, nullus fuero.

Denique verò ſi Schola *Cantabrigienſis* tam veteri memoriâ floruerit, edocerent utinam ejus ſententiæ aſſertores, quonam evenerit pacto, ut, malo tanquam ſydere afflata, ante *Henrici* III. ſeu potius *Edoardi* I. ætatem ſcriptores nullos illuſtres emiſerit: nam præter *Alfredum de Beverlaco* (quem tamen literis ibi ſub *Henrico* I. invigilaſſe in incerto eſt) vix alterum eâ tempeſtate invenies. Dicant prætereà *Cantabrigienſes* cur Academici *Pariſienſes* Scholas iſtas non inviſerint, quos cultioris eruditionis ſtudio allectos, *Oxoniam* tempore *Henrici* III. ſeculiſque antiquioribus confluxiſſe tum omnes norunt, tum in opere poſthac iſto fuſius tradetur. Tam arcta verò antiquitùs fuit Academiæ *Pariſienſis*, cum *Oxonienſi* neceſſitudo, ut res noſtræ hiſtoriæ *Pariſienſi*, à *Cæſare Egaſſio Bulæo* quatuor voluminibus [c] editæ, ſæpiſſimè inſerantur, & illic utramque quod aiunt, paginam impleant, (refert autem idem author [d] exiſtimare *Anglos apud* Oxon: *ab omni ævo fuiſſe literarum exercitium*) interea autem temporis rariſſima occurrit, eaque ſatis perfunctoria *Cantabrigiæ* mentio. Dicant verò prætereà Archeologiæ *Cantabrigienſis* enarratores, cur in Regiſtro

[a] *Vide* Twynum, *lib.* I. *ſect.* 205. *Et vide etiam in Hiſtoria* Petri *de* Ikham *MS. inter Cod.* Laud. *in Bib.* Bod. *ad finem*: *Et in altero exemplari ejuſdem* Petri *in Bib. Coll. S.* Benedicti, *ubi quidam in Margine inferiori hæc ſcripſit in antiq. manu.* Johannes XXII fecit Bullam de approbatione Academiæ Cantab. & habetur in Miſcellan. Cantabrigiæ. *In libro etiam quodam MS. Anonym. de defenſione Eccleſiæ* Rothomagenſ. *in prædicta bib. hæc ſcripta ſunt* A. D. MCCCXX de ſtudio Grantbrigge, facta eſt Univerſitas ſicut eſt Oxon, per Curiam Romanam. [b] *In Theſaurario Collegii* Merton. *In Pix.* Oxon. *ut ſupra*, *A.* I. I. [c] Pariſiis *anno* 1665. *in fol.* [d] *In primo Vol. p.* 225.

Eli-

[a] *Elienſi* vetuſto (quod utique ab antiquo ſcriptore de iſtius Eccleſiæ Epiſcopis ante *Edoardi* I. tempora ſedentibus compoſitum eſt) Academiæ iſtius nec vola nec veſtigium ſupereſt, cum & *Cantabrigia* in illa ſit diœceſi, & Archidiaconus *Elienſis* Scholis dein *Cantabrigienſibus* præſederit; cumque prætereà liber ille [b] alter qui ab ætate dicti Regis incipit, & ad ſuccedentia defertur ſecula, Collegiorum ac Aularum *Cantabrigienſium* rerumque omnium ad Univerſitatem illam ſpectantium frequentius meminerit. Iſtis ritè penſitatis certè difficile non erit, æquis rerum æſtimatoribus, litem hanc utcunque vexatiſſimam liquidò dirimere; quid autem partibus addictis viſum ſit minus curandum, ſiquidem illis nec fides ipſa fidem fecerit, nec ſuada perſuaſerit. Proinde his qualiacunque fuerint Lectori permiſſis, ad poſtremum juris noſtri impugnatorem delabor, *Thomam Fullerum* Theologiæ Baccalaureum, qui in Hiſtoriâ ſuâ quam de *Eccleſiâ Britannicâ* edidit *Londini*, anno MDCLVI. in Univerſitatibus nimius eſt, quamvis *Oxonienſem* quod attinet, pauciſſima quidem ad illius pertinentia honorem commemoravit, Collegia noſtra ſic præterlapſus, tanquam in nullo planè numero ponenda eſſent; huc nimirum cogitationes omnes retulit, ſi conquiſitis undique adminiculis, *Cantabrigiam* ſummâ gloriâ cumulare poſſet, & primogenituram ſorori ereptam eidem conferre. Ne officio ergo meo & inſtituto deſim, argumenta [c] quibus Antiquitatem *Cantabrigienſem* imprudens fundavit, perluſtrabo, & quoad potero concutiam, immò uti ſpero funditus evertam, à palmario eo auſpicatus quod è *Venerabilis Bedæ* [d] verbis de Rege *Sigeberto* habitis, eliciendum duxerat.

"*Sigebertus* ubi regno potitus eſt mox ea quæ in "*Galliâ* bene diſpoſita vidit, imitari cupiens, inſtituit "Scholam in quâ pueri Literis erudirentur, juvante "Epiſcopo *Felice*, (quem de *Cantio* acceperat) eiſque "Pædagogos, ac Magiſtros, juxta morem *Cantuario*-"*rum* præbente.

i. e. Anglicè ſecundum *Fullerum*.

Sigebert, **when hee had obtained the Kingdome, preſently deſiring to imitate thoſe things which he had ſeen well ordered in** France, **inſtituted a School wherein youths might be trained up in Learning,** Felix **the Biſhop (whom he had received out of** Kent) **aſsiſting him, and providing for them Teachers and Maſters, according to the cuſtome of thoſe in** Canterbury.

"Ecce (inquit [e] *Fullerus*) *Sigebertus* Rex, quo "Scholam ſuam omnibus numeris abſolutam reddat, "operam dat ut eadem

I. "Quam proximè accederet ad exterorum nor-"mam ac diſciplinam; *Gallorum* nempe, apud quos "non ipſius tantum (*Sigeberti* videlicet) ſed prioribus "quoque ſeculis Artes ingenuæ magnoperè dubio pro-"cul invaluerant, cum Sanctus etiam *Hieronymus* aſ-"ſerat [f], ſtudia ſe in *Galliis* florentiſſima vidiſſe.

II. "Voluit porro ut Schola ſua componeretur ad "domeſticorum ritus, *Cantuarienſium* utpote, qui vel "ea tempeſtate, anno nimirum Chriſti DCXXX, cul-"tioris literaturæ Profeſſores habebant, quæ tamen "poſt annos abinde XL impenſius apud illos matura-"ſcebat. Prædictus quippe *Beda* floruiſſe inter illos "ſub *Theodoro* Archiep. [g] teſtatur, qui in Geometriâ, "Arithmeticâ, & Muſicâ (iſtæ enim tum Artes de-"cori eſſe, & voluptati cœperunt) denique & in "Theologiâ docerent: indubio equidem Univerſitatis "indicio, ubi Regina Theologia famulantibus He-"roinis ſtipata eſt.

Hæc *Fullerus* temere congerit, de rei veritate parum ſolicitus; primo enim de ſtudiis in *Gallia* circa annum CD florentibus *S. Hieronymum*, tanquam oculatum teſtem, adhibere non dubitat, cujus ad *Ruſticum* Monachum verba ſi paulo attentius, ſeu revera fidelius, expendiſſet, talem ex iis ſenſum haud temere exſculpſiſſet; ea enim ſic ſe habent. *Audio Religioſam te habere matrem, multorum annorum viduam; quæ aluit, quæ erudivit infantem; ac poſt ſtudia* Galliarum, *quæ vel florentiſſima ſunt, miſit* Romam, *non parcens ſumptibus, & abſentiam filii ſpe ſuſtinens futurorum, ut ubertatem Gallici nitoremque ſermonis, gravitas Romana condiret, &c.*

Ecquidnam vero amplius exinde colligendum, quam Monachum illum linguâ vernaculâ probe inſtructum (Magiſtri puta *Gallicani* auſpiciis, & in Scholâ tantum Grammaticali, qualem Rex demum *Erpwaldus* ibidem exſtruxit) *Romam* ſe matris impulſu contuliſſe; ut Artibus viro accommodis, hoc eſt Academicis, ingenium expoliret? Quod quidem opus facto non fuiſſet, ſi Univerſitas jam tum in *Galliâ* floruiſſet. Verum aliter adeo ſe res habuit, ut Monacho iſti, ultra cognomen *Ruſtico* prorſuſq; barbaro, longum emetiendum iter, & ſuperandi fuerint Alpes ad capeſſendum ingenii cultum: nec alibi quam in ipſâ Româ, *nitor & gravitas Romani ſermonis* expectanda. Et hinc utiq; erat quod cum Scholæ noſtræ *Gregorii* Pontificis interdicto occluderentur, *Britannorum* complures *Romam*, eruditionis gratiâ, concedere neceſſe habuerint. Magna profecto literarum inopia toto *Sigeberti* Regno in *Anglia* durabat, quâ tamen *Galli* tantiſper laborarunt, dum *Carolus* tandem *Magnus*, eoque nomine major, Univerſitatem circa annum DCCXCI *Lutetiæ* fundaret. Atqui luſit profecto operam Rex ille munificus, cum ſubditis ſuis unicam erexit Academiam (Scriptorum quippe omnium ſuffragia teſtantur, haud plures in *Gallia* ſub *Carolo* illo extitiſſe) qui multas, eaſq; florentiſſimas (velut ex *Hieronymi* verbis elicit oculatiſſimus *Fullerus*) ibidem invenerat.

Sed ne in re tam perſpicuâ moras ducamus; videbimus quâ ratione oſtendat *Fullerus Sigebertum* Scholam *Cantabrigienſem* ad *Cantuarienſium*, ſive Scholæ neſcio cujus *Cantuariæ* ſub id tempus florentis, normam accommodaſſe. Certe *Beda* de integrâ Provinciâ locutus, *juxta morem Cantuariorum habet*; fac tamen *Cantuarienſium* ſenſiſſe, eorumque veſtigiis inſtitiſſe *Sigebertum*, ſi Scriptores tamen omnes audiamus, præter Pædagogium vulgare, ac documenta quædam pueros ad Religionem virtutemque informantia (quæ linguâ etiam patriâ tradi ſolebant) nil ibi viguiſſe fatendum erit; & proinde haud multum vel contra nos, vel pro *Cantabrigienſibus* faciet *Sigebertus*, quem balbutientibus puerulorum annis proſpexiſſe, proni largimur. Quod vero ſedente apud *Cantuarienſes Theodoro*, Geometriæ, Arithmeticæ, Muſicæque prælectiones *Cantuariæ* extitiſſe à *Beda*, jam ante citato, haberi refert; falſarium profecto ſe præbet nequiſſimum: cùm *Theodorus* ille ac *Adrianus* Cœnobiarcha auditores ſuos præfatis quidem Artibus imbuiſſe perhibeantur, de loco autem quo Scholas aperuerint, apud

[a] *MS. inter Cod.* Laud. *in Bib.* Bod. [b] *MS, in manibus quondam* Chriſtophori Lacy, *Arm.* [c] *In Cent.* 7. *lib.* 2. *ſub an.* 631. [d] *In Hiſtoria Eccleſiaſt. lib.* 3. *cap.* 18. [e] *In Cent.* 7. *ut ſupra, lib.* 2. *paragr.* 47. [f] *In Epiſtola ad Ruſticum.* [g] *In Hiſtor. Eccleſ.*

Bedam ne tantillum [a] occurrat; & propterea congruum videatur *Græcoladæ* id gloriæ tribuere, ubi *Theodorus*, ut superius monstravimus, aliquando prælegit. Repudietur ergo novus hic *Bedæ* castigator, *Fullerus*, & genuina Venerabilis viri dictio reponatur *Cantuariorum*: quod si ludum ille Grammaticalem (neque enim præterea quicquam nobis extorquebit) *Cantabrigiensibus* omnino suis asserendum contenderit; dandum equidem assentior: monitum tamen volo, dictiones latinas accuratius paulo exponere discat; ne ipse nimirum ferulâ digniſſimus in Pædagogium compellendus videatur.

Pergit autem *Fullerus* Scholam hanc suam sartam tectam sic reddere.

"Hæc de ipsius *Bedæ* verbis sufficiant. Appella-
"mus deinde priscorum Glossagraphorum dilucidatio-
"nes. Priscos voco qui ante lites de Academiarum
"antiquitate motas vivebant, idcoque solutis liberis-
"que affectibus scripsere; utpote qui partium haud-
"dum factarum adjutores esse non poterant.

His ergo verbis persuasum nobis vult *Fullerus*, ante Historiam à *Polydoro* conscriptam, nullas de antiquitate Universitatum contentiones fuisse exortas; qua in re ut egregie falsus est, ita sibi ipsi [b] adversatur. Cum *Nicolaus* enim de *Cantelupo*, Historiolam *Cantabrigiensem* compilasset (à *Lelando*, *Pseudohistoria antiquitatis Grantanæ* rectius [c] appellatur) conquisitis undecunq; mendaciis, & quoad originem ejus ac fundatores, fabulis pluſquam anilibus, refertissimam; opposuit [d] se *Johannes Rossus* Antiquarius *Warwicensis*; Academiæ quidem *Oxoniensis* alumnus, verum & qui *Polydorum* longe antevertebat (temporibus enim *Edoardi* IV. scripsit) & antedictas ineptias pro eo ac meritæ erant notavit. Hæc vero cum à [e] *Lelando*, [f] *Balæo*, [g] *Pitseo*que, in vitâ *Johannis Blond*, *Gulielmi Shirewode*, alibique tradantur, de dissensionibus inter Universitates jam olim concitatis, satis facient; atque unico contravenientis *Fulleri* testimonio præponderabunt. Porro autem inter Glossagraphos (quos vocat) in neutram Academiam propendentes, imprimis ponit (ut infra habebis) *Polydorum Virgilium*; de quo aliter esse sentiendum, & fuisse eum, si non *Cantabrigiensis* studiosum, nostræ saltem Universitati infensum, illico comparebit. Cum libros enim perplures manuscriptos è publicâ nostrâ Bibliothecâ mutuo accepisset, neque reddere deinceps in animo haberet, dictæ Bibliothecæ inspectores (hæc ad nos constanti famâ pervenêre) de iisdem illum libris subinde interpellabant, moraſque trahenti dicam de dicâ impingebant; unde nimirum & molestiam sibi haud levem exhibitam indoluit, & lædendæ propterea Academiæ advigilavit; obortisque inter Universitates dissidiis operam *Cantabrigiæ* condictam voluit, quam Scholâ à *Sigeberto* alicubi fundatâ de industriâ proinde donavit.

Quin ad *Fullerum* redeamus.

"Ante reliquos (ait ille) *Polydorum* [h] *Virgilium* au-
"diamus, qui è *Bedæ* verbis Academiam *Cantabrigi-*
"*ensem* à *Sigeberto* fundatam conjicit. Neque ratio-
"ne aliquâ suffultum crediderim, quod in Universita-
"tis *Oxonienſis* vindiciis [i] occurrit; *Polydorum* scili-
"cet *affectibus indulgentem*, *adamatæ studuisse Acade-*
"*miæ*; qui alienigena cum sit, & in *Italia* natus, cur
"se *Anglorum* adeo rebus immisceret ut ad *Cantabri-*
"*gienſium* partes inclinaret, non video.

Plus nimo modeste te geris *Fullere* qui è *Bedæ* verbis conjeciſſe id refers *Polydorum* quod asseveranter affirmantem habemus, *Sigebertum* nempe Scholam non modo alteram *Cantabrigiæ*, *ut* (veluti refert *Polydorus*) *ibidem pueri ab ineunte statim ætate erudirentur*, sed & alibi alias instituisse. Unde è duobus alterum necessario sequetur, vel Regem illum Academiam *Cantabrigiæ* nullam, vel complures in Regno suo Angloſaxonico molitum fuisse; quorum primo tum demum renuntiabimus, cum postremum aliquis in aperto posuerit, quod nec à Scriptoribus ullis traditum est, nec probaturos opinor *Cantabrigienses*. Verum hoc argumento absistendum reor, utpote quod ab Antiquario [k] dudum nostro probe discussum est. Subjungam vero nonnulla de *Polydoro* eo, certioremque te faciam Lector qualem Historia ejus *Britannica* fidem promereatur. Immo quid de libro illo aliisque *Polydori* scriptis decreverint Authores si aliquantisper exposuero, in ea te sententiâ futurum arbitror, nullius plane esse ponderis & momenti quæcunque ille chartis illeverit.

Hoc autem in loco *Arthurum Kelton* Cambrobritannum ante alios adducam, qui in vindicandis [l] popularibus suis *Polydorum* sic proscindit.

A boke of late there was compiled
By Polydorus in Italy borne,
Nothyng to us reconsiled,
But rather written in hatred or scorne:
Yet shall we saie, if he had sworne,
We Welshmen, with hym shall compare,
For old antiquities the truth to declare.

Eundem vero postea duodecim Strophis exagitans in hæc tandem carmina desinit,

Wee speake to you Master Polydorus,
Whose ingratitude, we greatly complaine,
Ye goe aboute to rase out the floures
Of our parentes as thynges in vaine:
And yet of truthe, ye cannot refraine,
But generally us to accuse,
No indifferency herin ye use.

Proximus aderit *Joh. Balæus*, qui in præfatione ad librum [m] quo de *Joh. Oldcastle* Equite, ad quæstionem abrepto, capiteque dein plexo agit, de *Polydoro* perhibet, in Annalibus eum suis res *Britannicas* non tantum *Romanistarum* fabulis, & mendicitate (sic loquitur *Balæus*) *Italorum* deturpasse, verum ad quadraginta & eo amplius mendaciorum, sibi quoque deprehensorum (qui unicus tamen cum sit non omnia se perspecta habere merito suspicatur) arguendum esse.

Tertium se dat nobis *Lelandus*, qui *Polydorum* scriptis tum passim aliis, sub *Codri* appellatione, perstringit; tum in eo præsertim libro [n] quem prodendis ejus circa *Historiam Anglicanam* erroribus, deditâ operâ conscripsit.

Deinde venit *Johannes Prisius* Eques auratus, qui cum *defensionem* [o] *Historiæ Britannicæ* publicavit, *Polydorum* tam in Epistolâ nuncupatoriâ quam in ipso dein libro mendaciorum postulat, reumque peragit.

[a] *In lib.* 4. *Hist. Eccles. cap.* 2. [b] *Vide in Histor. sua* Ecclesiast. *Cent.* 10. *lib.* 2. *parag.* 7. [c] *In Tom.* 4. *p.* 342. [d] *Vide* Caium, *de Antiq.* Cantab. *lib.* 1. *p.* 30. & Twynum *in Apol. lib.* 2. *sect.* 15. [e] *In Tom.* 4. *p.* 199. & 212. [f] *In cent.* 3. *nu.* 95. *cent.* 4. *nu.* 9. [g] *In Æt.* 13. *sub an.* 1248, & 1249. [h] *In lib.* 4. Angl. *Hist. Edit.* 1556. *p.* 68. [i] *Intelligit Assertionem Antiquitatis* Oxonienſis *Acad. scriptam per* Thom. Caium. *Edit.* Lond. 1568, & 1574. [k] Twyn. *in Apol. Acad.* Oxon. *lib.* 1. *sect.* 179, 180, & *seq.* [l] *In Chronico suo* Brutorum. *Edit.* Anglice, Londini. 1547. [m] *Edit.* Londini *circa finem* Hen. VIII. *in* 12°. [n] *MS. Cujus exemplar. habeo, vide in Tom.* 4. Lel. *p.* 149, 250, *&c.* & *in assertione Regis* Arturii, *per eundem* Lel. *Edit.* 1544. *aut eo circ.* [o] *Edit.* Londini, 1573. *in* 4°.

Henricus

Henricus porro *Savile* Miles, grande literarum decus & columen, in Epistolâ [a] *Scriptoribus rerum Anglicarum* præmissâ, Italo illi fabularum consarcinatori notam inussit, quam quidam Poeta [b] nostras eidem prius intentaverat.

Virgilii *duo sunt, alter Maro, Tu* Polydore
Alter; tu mendax, ille Poeta fuit.

Videmus ergo junctis Scriptorum suffragiis labefactatam penitus *Polydori* fidem, ut (nisi quod pro meritis hic suis tractatur) alterius tum *Polydori* tum *Virgilii* verbis de quolibet antedictorum scriptorum ingemere possit

Fas omne abrumpit, Polydorum *obtruncat ad aras.*

Quapropter videte annon beati estis *Cantabrigienses* tali propugnatore; an vero potius omnibus omnium calculis oppressus arbiter repudiandus nobis, ac lite submovendus, qui utique diffidiis se nostris, aut partium studio, aut insciti â, aut utroque ductus, temere ingessit, *Sigebertum Cantabrigiensis* Academiæ fundatorem primus hominum perhibiturus. Ad *Fullerum* autem revertor.

"Proximus (inquit) post *Polydorum* adsit eruditus "inter primos *Lelandus*, qui cum id muneris ab *Hen*"*rico* VIII. demandatum haberet, ut Antiquitates "*Britannicas*, quas Monasteriorum ruina disjecerat, "sedulo conquireret, Poetam [c] induens in hæc verba "fatur;

"*Olim* Granta *fuit titulis urbs inclyta multis,*
"*Vicino à fluvii nomine nomen habens.*
"*Saxones hanc belli deturbavêre procellis,*
"*Sed nova pro veteri non procul inde sita est,*
"*Quam* Felix *Monachus* Sigeberti *Jussa secutus*
"*Artibus illustrem reddidit, atque Scholis.*

"Hæc autem cum aliis eodem spectantibus apud "præfatum *Lelandum*, in *Cygnea* sua *cantione* oc"currunt.

Enimvero si vel conjectanea hæc sua haud parvi nominis Antiquarius hodiernæ affinxisset *Cantabrigiæ*, Antagonistas nostros nonnihil inde lucratos existimarem; cæterum cùm *Grantam* ille i. e. *Grantcestriam* (ut in vitâ [d] quoque *Sigeberti*) sentiat, cùmque insuper ad locum propensior sit, quo prima literarum elementa imbibisset, non video cur de ejusdem suffragio usque adeo sibi acclamitet *Fullerus*; cui tamen ego (nisi cum ratione & pudorem amisisset) permitterem, credibile an sit, Scholam *Grantcestriæ* (ut ne dicam Universitatem) floruisse, ubi haud ita multo post (*Bedæ* nimirum seculo) civitatula tantum, eaque vastata, ut ipse [e] retulit, & ab Incolis nuda, superfuit. Quamvis nec suam adhibet sententiam, neque affirmate loquitur *Lelandus*; quin potius aliorum adfert conjecturas, è citato *Bedæ* loco enascentes. *Ex hoc* Bedæ *loco* (sic [f] ille) *colligunt Scriptores* Grantanam *Academiam* Sigeberti (*cujus nos vitam scripsimus*) & Felicis *pietate initium sumpsisse.*

Quare cum *Lelandus* (sensum interim suum haudquaquam interponens) ita tantum conjeciisse Scriptores retulerit; cumque Authorum quos intelligit omnium primus compareat *Polydorus*, elatus usque & usque animo sis *Fullere*, & ejusmodi testimoniis quamplurimis instructus, quoties Academiam tuam *Sigeberto* tribuendam susceperis. Verum super hisce Antiquarii nostri *Apologiam* [g] adeat Lector.

At vero propugnatorem suum *Lelandum* nec ipsi amplexantur *Cantabrigienses*, quorum nonnullis eo nomine notatur, quod aliorum fisus conjecturis, fundatæ Academiæ decus *Cantabro* ereptum *Sigeberto* detulerit. Quinam illi sint Academicos suos haud arbitror latere; verum quoniam interesse credo ut *Oxonienses* quoque innotescant, paucos de pluribus memorabo.

Primus esto *Gulielmus Masters*, Artium Magister, & publicus Academiæ *Cantabrigiensis* Orator; qui cum in eo munere obeundo orationem [h] ad Reginam *Elizabetham*, in Collegio *Regio*, secus occidentalem Capellæ portam, v. *Augusti* an. MDLXIV haberet, litibus, quotquot inter Academicos exinde concaluêre, occasionem præbuit. In eâ autem oratione hæc verba reperies. *Hujus Author sententiæ* Lelandus *vanitatis arguendus & mendacii*, Sigebertum *Regem facit Academiæ nostræ conditorem: in quo pernicioſum reliquit exemplum nimis curiosè in historias inquirendi, & sibi quoque parum consuluit.*

Post hunc, Doctorem *Caium* [i] audies, qui nescio an sedatus magis & tranquillus, *Mevium* tantum Doctissimum Antiquarium, seu *Suffenum* alterum, inanis nempe gloriæ captatorem nuncupat.

Eundem denique *Lelandum Robertus Hare*, in scriptis quibusdam suis, super conjecturâ illâ criminatur & redarguit. Itaque ergo ut quid hac in re dijudicandum sit intelligamus, ponendus nobis ante oculos *Lelandus*, de opinione, immo nec suâ, gravissime exagitatus; ponendus & *Fullerus*, qui [k] solus è scriptoribus *Cantabrigiensibus Lelando* adstipulatur, & *Sigebertum* pro Universitatis fundatore deprædicat; statuatur dein ex alterâ parte Niger Codex, sive Historiola *Cantabrigiensis*, cui fidem *Lelandus* [l] omnem derogat, & in ea præfracte sententiâ stat (velut in vita *Sigeberti*, *Cygneâq*; *Cantione* videre licet) ineptissima esse quæ de *Cantabro* Academiam *Grantanam* statim à *Româ* conditâ fundante perhibentur. Optionem itaque jam Lectori facimus, an (quod fieri nequit) repugnantes ille opiniones probandas, an rejiciendos potius ad unum omnes existimarit, quotquot vel *Sigeberti*, vel *Cantabri* temporibus Academiam illam ascripserint. Revera prædicti Scriptores non tantum inaniissimas aut commenti sunt aut amplexati fabulas, verum & ejusdem sunt farinæ, quæ de Rege *Lucio*, *Arthuro*, *Cadwalladero*, & *Honorio* Papa privilegia Universitati illi concedentibus memorantur; & si ad *Henrici* II. ætatem adscendamus, nihil ex uberrimâ eâ Patronorum messe in horreo *Cantabrigiensi* reperiemus, præter Monachos quosdam *Crowlandiâ* adventantes, utque venerabilis Antagonistæ more ludam paulisper, juventutem ad bonam frugem inter tritici & avenæ modios adhortantes.

"Reticemus interim (inquit *Fullerus*) *Balæum* [m], "*Georgium Lilium*, *Thomam Cooperum*, pluresque a"lios in Historiis suis ad annum DCXXXVI nobis a"perte suffragantes, & *Sigeberto* tanquam fundatori "*Cantabrigiensi* una omnes voce acclamantes.

Ad hæc respondebit pro nobis ipse [n] *Londinensis*, qui de duobus à *Fullero* allegatis hæc habet; *quorum oscitante uno, oscitat & alter, nam unum* Polydorum

[a] *Edit.* Francofurti, 1601. [b] Jo. Audoenus *in lib. Epigram. ad* Arbellam Stuart, *num.* 49. [c] *In Comment. in Cygn. Cantionem.* [d] *In Tom.* 4. *p.* 69. [e] *In Hist. Eccles. lib.* 4. *cap.* 19. [f] *In Cyg. Cant. in voce* Granta. [g] *Lib.* 1. *sect.* 178, 179. *vide* Caium *de Antiq.* Cantab. *lib.* 1. *p.* 30. [h] *MS. quondam in Bib. Comitis* Dorset. *videsis in Assert. Antiq.* Oxon. *per* Thom. Caium, *edit.* 1574. *p.* 6. [i] *In lib.* 1. *Antiq.* Cantab. *p.* 26, 27. *& alibi.* [k] *In eod. libro de Antiq.* Cantab. *p.* 30, 31. & 126, 127. [l] *In Tom.* 4. *p.* 69. *in vita* Sigeberti, *& alibi.* [m] *In* Sigeberto *& rursus Cent.* 13. *in* Felice. [n] *In lib.* 1. *de Antiq.* Cantab. *p.* 30.

Authorem ſequuntur omnes, &c. Repudiato itaque tum à nobis, tum ab Antiquario *Cantabrigienſi*, *Polydoro*, Authores hos recentiores, ejuſdem veſtigia prementes, nihili plane pendendos exiſtimamus.

Atqui gratulandum nobis de inſperato cauſæ noſtræ defenſore *Fullero*, qui *Oxonienſis* alicujus perſonam indutus, partem eam tutandam ſuſcepit, & ſententiam ſuam acerrime impugnat.

"Verum plures ([a] inquit) in regno *Anglo-Saxonico* "Urbes fuêre, quæ Scholam à *Sigeberto* fundatam jure "ſibi pari ac merito aſſumere poſſint; quippe cùm lo- "cum *Beda* non aſſignârit, quo Univerſitas illa (Scho- "lam intelligis *Fullere*) exſtructa fuit, &c.

Sic nimirum patrocinatur nobis, & languentes refi- cit vir magnus. Sed eheu quam vanâ nos ſpe comple- vit! depoſitâ mox larvâ pro *Cantabrigiâ* iterum ſuâ deſudat, & objectionem (neque tamen aliam quam quæ ab Antiquario [b] noſtro in Scriptores, citata *Bedæ* verba *Cantabrigiæ* accommodantes, uſurpatur) diluere contendit.

"Quamvis (inquit ille) locum *Beda* diſertis haud "verbis indigitat, manifeſtis tamen adeo indiciis ab "eodem finitur, ut Antiquarii, quos allegavimus, pru- "dentiâ maxime deprædicandi, non alium velle locum "aſſenſerint; in eam fortean ſententiam procliviores, "quod *Cantabrigiam* annos immemoriales Gymnaſio "celeberrimo inclaruiſſe in confeſſo ſit.

Dic propere idcirco *Fullere*, quænam indicia dedit *Beda?* quibus notis *Cantabrigiam* ſe velle oſtendit? Enimvero acumine pluſquam acuto præpolleat oportet quiſquis is eſt, qui è *Bedæ* verbis *Cantabrigiam* retexe- rit, niſi eam olim vel *Sinenſi* quavis Urbe ampliorem fuiſſe ſtatueris, totumque *Orientalium Saxonum* Re- gnum, tres nempe (pro diviſione hodiernâ) Comitatus, ambitu collegiſſe. Cæterum haud ſtulte ſapiunt *Can- tabrigienſes*, qui, quod Hiſtoriolam ſuam fide caſſam intelligant, operam omnem in eo figunt ut *Sigeber- tum* ad ſe trahant; male utique metuentes, ne ad præ- fatos omnino Monachos rejiciantur, quanquam neque ſic evaſuri videntur, niſi illis longe alii ſuppetiverint Authores, quam quos hactenus attulit *Fullerus*; inter quos primos ducit ordines *Polydorus* ille, veternoſis quibuſdam ſatellitibus ſtipatus, quibus Authores quamplures acerrime obnituntur. Verum in his nimi- us fui. Ad *Fullerum* redeo, qui *Cantabrigiam* annos *immemoriales* floruiſſe aſſerendo, Academicos profecto ſuos haud adeo videtur demeruiſſe; cum tempus imme- moriale, teſtante [c] *Rebuffo*, haud plures centum an- nis denotet. Sin vero de Authoribus illa capi vult, qui *Cantabrigiam* pro antiquâ adeo Univerſitate habu- erunt, quique ante annos immemoriales diem clauſêre, næ veracem tum demum agnoſcimus: nam *Fullerus*, ni fallor, anno ab obitu *Polydori* [d] centeſimo ad mi- nimum, Hiſtoriam ſuam in lucem edidit.

Atqui favete linguis. Prodit iterum [e] *Fullerus Oxonienſem* quempiam indutus. "Finge (inquit) A- "cademiam à *Sigeberto* conditam fuiſſe, eam tamen u- "nica ſibi vendicabit *Grantceſtria*, quam nomen juxta ac "ſitus à *Cantabrigia* diſterminat, cui ultra primum "lapidem, ad noto-zephyrum adſidebat. Quare in "jus *Grantceſtrenſe* involent oportet *Cantabrigienſes*, "ſi privilegia dictæ urbi conceſſa arripuerint.

His vero obviam ſic dat [f] ipſe.

"Nil quicquam uſu magis venit, quam ut Urbes an- "tiquæ, decurrentibus ſeculis, ſedem ſuam aliquate- "nus immutent, manentibus tamen prærogativis, & "quæcunq; alia ad conſervandam Naturam numericam "ſpectant. *Babylonem* quis neſcit in **Bagdet** abiiſſe, "in *Conſtantinopolim Byſantium*, & ex antiquo *Veru- "lamio*, *S. Albani* Urbem emerſiſſe? Neque inaudi- "tum attulero, ſi dixerim magnas ſæpe Urbes, motâ "veteri ſede, tanquam ejuſdem pertæſum quodammo- "do eſſet, novam aliquam, ſed vicinam occupaſſe. "Ut exemplis agamus, *Romæ* hodiernæ latus alterum, "à priſcâ Urbis Areâ mille & eo amplius paſſus abeſt; "*Hieroſolyma* etiam monte *Sione* abſcedens, alterum, "qui ad notum eſt, & *Calvariæ* audit, jam pæne ſu- "peravit. Annon utriuſque tamen cives factam ſibi "injuriam exiſtimarent, ſi pro antiquarum Urbium In- "colis non habueris? Sufficiat ergo, quod aliqua "*Cantabrigiæ* pars *Grantceſtriæ* aream uſque hodie pre- "mit, ad vicum quoque **Howes**, Borea-zephyrum "verſus, antiquitus porrectam; eo enim nomine *Grant- "ceſtriæ* privilegia *Cantabrigienſibus*, partem ejuſdem "occupantibus, concedenda non dubito fore, præſer- "tim cum *Oxonienſes Græcoladiæ* ſibi & *Lechladiæ* "antiquitatem arripiant.

Doloſe profecto noſtratem agis *Fullere*, *Cantabri- gienſem* æquo apertius, immo ubi non erat faciendum, prodens. Quis enim Scholam, nedum Academiam, *Grantceſtriæ* à *Sigeberto* poſitam largitus eſt? præſertim cum Urbem illam, & eo perinde ac ſubſequente ſeculo exciſam fuiſſe, idque ex ipſiſſimo *Bedâ*, docuimus; quem tu adeo ſtolidum, adeoq; ſibi minime conſtantem facis, ut Univerſitatem eidem nihilò ſecius loco aſſi- gnaſſe volueris.

Verum ad argumenta *Fulleriana*, à mutatis Urbium tum ſedibus tum nominibus deducta, reſpondeo; non abnuere me quin id aliquando obtigerit, atqui ſine a- pertiſſimâ unquam ratione factum prorſus nego; cum de iis omnibus, quas memorandas cenſuit *Fullerus*, no- tiſſimum ſit ob quam cauſam mutationes ejuſmodi ſub- ierint. Cæterum probabile an eſt in *Cantabrigiam* ab- iiſſe *Grantceſtriam*, vocem neutiquam agnatam, neque analogiâ aliquâ cum illâ conjunctam? ſiquis autem Divi alicujus depoſito, vel facinori cuipiam inibi pa- trato, mutationem tam inſignem aſcripſerit, Authores quæſo accerſat, & defenſorem *Cantabrigienſibus* exoſ- culandum commendabimus. Porro neque vera ſunt quæ de Urbibus loco motis perhibet *Fullerus*; nam nec *Roma*, nec *Hieroſolyma* ſolum adeo vertiſſe com- paret, ut quævis priſcæ areæ pars à quavis hodiernæ parte mille paſſuum intercapedine dirimatur: cùm ne- mini tamen ignotum ſit, inter *Grantceſtriam Cantabri- giamque* (prædictis idcirco haud conferendas) juſtum penitus milliare, immo (ſi dignus fide [g] *Lelandus*) bis mille paſſus intercedere. Quam precario deinde (ne- quid pejus dicam) afferit, quod aliqua *Cantabrigiæ* pars veterem *Grantceſtriæ* aream etiamnum occupat? Unde enim hoc habet exploratum, quiſve illi chartam Geographicam vel *Saxonum* tempore (*Britannorum* e- nim non exigo) accurate delineatam accommodavit? Aut ſi ego in Auſtrum porro excurriſſe *Grantceſtriam*, neque *Cantabrigiam* ultimo pomærio attigiſſe affir- marim, habetne *Fullerus* unde erroris convincat? Certe qui meminerit Hundredas & Maneria, haud ſecus atque Comitatus Regioneſque, fluvii plerumque ali- cujus interluente alveo terminari; ipſi non fiet veri- ſimile, *Grantceſtriæ* limites fluvium illum, ad quem po- ſita eſt hodie *Cantabrigia*, tranſgreſſos, & ad alterum inde lapidem protenſos fuiſſe. Siquis vero *Grantce- ſtriæ* privilegia, ſumpto ab hodiernâ locorum diviſione argumento, *Cantabrigiæ* addixerit, id imperite ad-

[a] *In eodem libro, ut ſupra, Parag.* 49. [b] *In Apol. Acad.* Oxon. *lib.* 1. *ſect.* 179, *&c.* [c] Pet. Rebuffus *in Tract. de Decimis Quæſt.* 13. *vide* Cæpol. *in Tract. de Servit. Urb. præd. cap.* 19. [d] *Vide in* Balæo, *Cent.* 13. *nu.* 47. [e] *In Parag.* 51. [f] *In Parag.* 52. [g] *In Tom.* 4. *in vita* Sigeberti, *p.* 69.

modum

modum faciet; cùm à deletâ *Grantceſtriâ*, Regiuncula illa repetitis vicibus diſcerpta fuerit ac lacerata, adeo ut priſcorum limitum ne veſtigia quidem ſuperſint. Atqui dicat velim aliquis quænam erant privilegia *Grantceſtriana*. Ea fuiſſe quæ Univerſitatibus indulgentur numquis ullibi gentium inaudivit? Profecto ſi me audiant *Cantabrigienſes*, Univerſitatem hanc *Fullerianam* diruant funditus, quòd & male ſuffulta ruinam minatur, & periculum eſt ne, ſi ſponte labatur, antiquitatem quoque ſuam omnem interiiſſe pariter deprehendant; nam Hiſtoriolam in quâ fundare eam quibuſdam viſum eſt, & immunitates quæ inibi divenditantur, ſubvertiſſe *Lelandum* (ut ſupra innuimus) nemo non probe intelligit.

Pergit autem [a] *Fullerus*, &, tanquam objectioni alteri occurſurus, operam dat, quo per *Scholam*, *Univerſitatem* denotari evincat; & exinde quam *Cantabrigiæ* à *Sigeberto* erectam ſomniavit, ad Univerſitatis dignitatem evehendam colligat. Deinceps objectionem adhuc alteram [b] procudit; "*Sigebertum* nempe "haud unicam (ut à *Bedâ* proditum eſt) verum perplu-"res diverſis regni locis (ſicuti ab aliis accepimus) "Scholas inſtituiſſe; quare ſequitur (inquit) Univer-"ſitates varias *Cantabrigienſi* coævas extitiſſe, quod ab "hujus tamen alumnis nequaquam dabitur.

Ea, quibus ad hæc regerit ille, reſponſione tum demum dignanda cenſebo, cùm ex antiquis, fidemque promeritis Authoribus pro comperto habebitur, præfatam ſive Scholam, ſive Academiam *Cantabrigiæ* fuiſſe inſtitutam; quam tamen, ſi ad ſaniorem tandem ſententiam venirent, amoverent à ſe potius quàm tam avide arriperent *Cantabrigienſes*, alia ſcilicet eorum arrogata teterrimè infirmaturam. Attendite enim; Univerſitatem *Cantabrigienſem* Hiſtoriola florentiſſimam exhibet, ſex prius annis quam fundaretur à *Sigeberto* Schola *Fulleriana*. In eâ quippe reperies, quod anno Chriſti DCXXIV. *Honorius* I. Pontifex Romanus Academicis illis (quos titulis *Doctorum* & *Scholarium* compellaſſe ibidem fertur) varias indulſit immunitates. Decurſo igitur abinde ſexennio, hoc eſt anno quaſi DCXXX, Scholam, vel, ut *Fullerus* haud modico contentus decrevit, Univerſitatem ibi enutriendis puerulis collocatam fuiſſe ſi potes crede. Quid? Academiam Academiâ incluſit *Sigebertus*? An Scholâ Grammaticali Univerſitatem toto orbe celeberrimam dehoneſtavit magis quam adauxit? Denique an Hiſtoriolam *Cantabrigienſem* mendacii, an *Lelandum* & Antiquarios ipſorum prudentiſſimos (quamvis res iſta ab [d] Antiquario dudum noſtro quam optime eventilata eſt) ineptiarum poſtulabimus? Enimvero ſi mihi velitis auſcultare, hæc ratio erit quâ peritura utriuſque fides liberabitur; aſſeverandum nempe, Univerſitatem *Cantabrigienſem* tam paucis annis floruiſſe, interiiſſe, cœloque mirifice propitio revixiſſe. O Phænicem Academiam! unicam ſcilicet iis temporibus, Phæboque præcipue ſacram, éque cineribus ſuis confeſtim renatam!

Objectat [c] vero iterum à nobis ſtans *Fullerus*.

"Atqui pueros vocat *Beda*, nempe quales manum "ferulæ haud dum ſubduxerant, quibus Scholam ſuam "aperiendam voluit *Sigebertus*. Neque tanquam A-"cademicos conveniiſſe illos vel inde liquidiſſime pa-"tet, quod Pædagogos iiſdem impoſitos tradidit; "quam vocem ad puerulos, virgas & flagra nondum "eluctatos, pertinere quis eſt qui neſcit?

Ne *Fullero* hic laborandum de reſponſo exiſtimes, in promptu habet quæ ante illum *Abrahamus Wheloke*, in Commentariis [f] ſuis ad Hiſtoriam *Bedæ*, (à Doctore [g] *Caio* ſuppreſſo itidem authore eadem mutuatus) ad hunc locum attulit; quæ cùm ab Antiquario [h] dudum *Oxonienſi* refutata ſint, operâ minus noſtrâ indigent. Sed quid ego? actum eſt de *Oxonienſibus*! dilucidator hic *Bedæ* novus acùmine nos Grammaticali tranſfixit. Reperit quippe *Bedam*, hoc in loco Sacræ Scripturæ idioma imitatum, pueros ſcripſiſſe, vocem à Græco loquendi modo haud abludentem, cùm Chriſtus diſcipulos ſuos παιδία [i] appellitet. Deinde & Pædagogos eodem ſenſu dictos, quo Divus *Paulus* παιδαγωγὸς ἐν Χριστῷ [k] habet, quæ Interpretes (inquit *Fullerus*) recentiores, *Inſtructores in Chriſto* reddidere; quamvis illorum iſti inſtructores eſſent, quos Religionis prius myſteriis imbutos fuiſſe nemo adverſabitur.

Satis equidem eruditè *Fullere*! hinc enim Græcas te literas attigiſſe in aperto eſt. Verum quis tibi juravit Idiomatis ſacri uſque adeo ſequacem fuiſſe *Bedam*, aut id hoc in loco tentaſſe, quod alibi nunquam feciſſe deprehenditur? Certe ſcripta ejus à ſacri ſtyli imitatione ſatis abhorrent, nec anilibus & ſuperſtitioſis traditionibus prorſus vacant. Dic autem obſecro idne divinitus habes nuntiatum? neque enim ominari poſſumus quibus præfiſus indiciis, quo teſtimonio ſuffultus, poſt nongenteſimum demum annum *Bedæ* explicator, tam incerta, immo tam inepta, tam falſa effutire malis, quam de vetuſtis Urbibus, verbis exoletis, moribuſque jam antiquatis conjecturas ſi non appoſitas, ſaltem ſobrias, & bonas literas profeſſo non indignas adhibere. Pergit autem Hiſtorico-Gloſſographus, & Saxonicam *Bedæ* verſionem emphatice dubio procul è latino factam, vocem *pueri* yeonge menn, &c. reddidiſſe aſſerit. Quaſi ſane exemplari illi Saxonico aſſentiendum neceſſario eſſet, quod è latino imperite admodum, &, quâ erat ea ætas cæcitate, pingui plane Minerva ductum fuiſſe, præter *Fullerum* nemo hominum ignorat. Profecto ſi in egregium & hodiernum Theologiæ Baccalaureum cadit, *pueros*, Youths, ſive *adoleſcentes* reddere (quam tamen vocem *Stapletonus* [l] Children, Anglice vertendam cenſuit; neque puerulum quemvis eâ eſſe infantiâ crediderim ut aliter exponat) ecquis ſibi inducat veriſimile eſſe, Saxonicam illam verſionem (ſive *Alfredo*, ſive alteri cuipiam aſcribatur) vel accurate, vel erudite factam, vel revera fieri eâ ætate potuiſſe, quæ cum Conquiſitionem Normannicam ducentis annis anteverteret, tam craſſâ barbarie infamis erat, ut in toto occidentalium Saxonum (quibus tum imperitabat *Alfredus*) Regno, nec Grammatices peritus deprehenderetur? Interponet forte aliquis, vocem illam melius quam per adoleſcentes reddi non potuiſſe, cum ætas quâ Scholam erexit *Sigebertus* tantâ bonarum Artium inopiâ oppreſſa fuerit, ut adulti quoque primis literarum elementis informandi eſſent. Eſto quidem; cæterum quid hæc ad nos? Sexagenarii enimvero, per me licet, ſint, dum pueros agnoveris. Immo nobis haud leve hinc naſcitur argumentum; rogo enim an quiſquam adeo cerebroſus eſt ut ſibi perſuaſerit, Univerſitatem (quæ Artium duntaxat ſublimiorum, & Scientiarum receptrix eſt) fundaſſe prius Regem, quam ignorantiam illam pluſquam puerilem è ſubditorum animis eluendam curaſſet? Profecto præceptoribus inprimis abcedariis traditos in diſciplinam fuiſſe non dubito,

[a] *In Parag.* 53. [b] *In Parag.* 55. [c] *Vide* Caium *in Antiq. Cant. lib.* 1. *p.* 58. [d] *In Apol. Antiq.* Oxon. *lib.* 1. *ſect.* 186. [e] *In Parag.* 57. [f] *Lib.* 3. *cap.* 18. *p.* 208. [g] *In Antiq.* Cantab. *lib.* 1. *p.* 136. [h] *In Apol. ut ſupra, lib.* 1. *ſect.* 182, 186, *&c.* [i] Joan. 21. *ver.* 5. [k] 1 Cor. 4. 15. [l] *In* Anglican. *ſuæ tranſlatione Hiſtor.* Bedæ, *Edit.* Antwerpiæ, 1565. *lib.* 3. *cap.* 18.

bito, quos *Malmesburienſis* (inſigne illud *Sigeberti* opus collaudans) *agreſtes* in genere, & *fanaticos* [a] appellat. Atqui Antiquarium noſtrum conſulas, ſuper hiſce in *Apologia* [b] ſuâ fuſius ediſſerentem.

Inſtat vero [c] *Fullerus*, & quo pueri ſui in Ephebos, Artium & Scientiarum capaces, ex improviſo matureſcant, *Aſſerium* noſtrum *Menevenſem* accerſit, Scholares quos *Oxonii* nutrivit *Alfredus* pueros vocitantem.

"*Aſſerius Menevenſis* (inquit ille) de Univerſi-
"tate *Oxonienſi* ab *Alfredo* fundatâ verba habens, ab
"ipſo dotatam refert ſuæ propriæ gentis nobilibus *pu-*
"*eris* & ignobilibus. Rogo itaque annon jure pari priſ-
"cos noſtros *Cantabrigienſes* in ætate maturâ conſti-
"tutos opinabimur atque primævos *Oxonienſes*?

Jam tandem collineaſti *Fullere*, neque enim Ratio ipſa melius ratiocinabitur. Unum tamen eſt quod à te ſcire velim, in quonam ſcilicet codice vocem illam *pueris* deprehendiſti. Obſecro te, an quod ab Archiepiſcopo *Parkero*, an quod à *Camdeno* editum eſt, aut aliud uſpiam alibi *Menevenſis* apographum rem tibi tam gratam fecit, verboque literis aureis ſcribi digno beavit? Cave dicas, nam præter alia bene multa & exemplaria illa conſului, nec in eorum aliquo vox ea comparuit. Vis dicam quod ſentio, immo quod veritas ipſa ſi loqui dignaretur, pronuntiaret? Vocabulo illo *Aſſerium* ultro donaſti, tibi mox in lucrum ceſſuro; in id nimirum incumbenti, ut aliquid tandem proferas quod riſibilem te arguat, qui hucuſque nihil non ridendum attuliſti. Undenam vero id *Fullero* in animum veniſſe conjectabimus? Ex Antiquarii nempe noſtri *Aſſerium* citantis Apologiâ (*lib.* 11. *ſect.* 189.) voculam illam ingerendi occaſionem arripuit, Allegatur enim ibi *Aſſerius* de *Alfredo* reditûs annui portionem Religioni & ingenuis Artibus conſecrante. *Tertiam partem* (inquit Antiquarius noſter à *Menevenſi*) *Scholæ quam ex multis ſuæ propriæ gentis nobilibus & ignobilibus ſtudioſiſſime congregaverat, dedit.* Hic nihil minus quam *pueri.* Caveat ergo *Fullerus* ne æternam ſibi notam inuſſerit, qui de Hiſtoriolæ *Cantabrigienſis* (Academiam illam ſuperiori ſeculo inſerentis) fide conclamatum intelligens, in omnia involat, omnia rapit & corrogat, vera an falſa perinde habens, modò Univerſitatem ſuam à *Sigeberto* fuiſſe poſitam non probet aut demonſtret, ſed probabile quodammodo faciat, & in medio adhuc relinquendum. Cui enimvero non *Pueros* tantum, ſed & *Infantes Oxonii* priſcis temporibus ſtuduiſſe concedere auſim, ſi id *Aſſerii* ſuffragio, verbiſque apographi cujuſpiam, quantumvis mancis & fugientibus, modò ne interpolatis, confirmârit.

Porro autem duobus ille indiciis (alterum quippe in margine poſitum prætermitto) utitur, quo pueros ſuos Academicos denotare evincat; quorum poſtremum ab Antiquario [d] noſtro exinde ſumit, "Quod
"*Edoardus* V. (Princeps *Walliæ* cum eſſet) fraterque
"*Richardus*, Dux *Eboracenſis*, vivente adhuc patre
"literas *Oxonii* imbiberunt; quorum primus annos
"vix decem, alter autem quaſi novem habebat.

Ad ea autem nihil amplius reponendum quam reſponſione digna non videri: quippe cum nemini dubium ſit, quod in hoc ipſo opere deinceps patebit, vel ſeculis longe antiquioribus tum *Aulas* tum *Scholas* nobiſcum extitiſſe, inſtituendis in Grammaticâ puerulorum ingeniis conſtitutas, donec altiori eruditioni pares evaderent, idque in *Æde Chriſti*, *Collegio Novo*, necnon & *Magdalenenſi* etiamnum obtinere. Quare appoſite non minus dictos Principes *Oxonii* ſtudentes exhibuit Antiquarius noſter, quam inepte, & abs re *Fullerus*; qui egregium ſuum de hoc argumento ſermonem his verbis [e] ad umbilicum perducit.

"Verum de hac materia ſatis forte ſuperque; quam
"extra Hiſtoriam Eccleſiaſticam jacere, immo nec in
"Cœmiterum recipi debere, nonnulli exiſtimabunt.

Gratulamur profecto tibi *Fullere* probum te tandem & veridicum; neque enim certius quicquam de Tripode dictum credo, quam in hoc te argumento plus æquo fuiſſe immoratum, cui ſubtrahendus confeſtim es, ſi vel Lectori parcendum, vel famæ privatæ, vel publicæ conſulendum arbitreris. Etenim ſi Scholam à *Sigeberto* fundatam ſtrictim tantum & in tranſcurſu attigiſſes, fabulamque illam anilem nudâ ſolum narratione tradidiſſes, id vitio tibi connato donandum forte crederemus: verum dum primogenituram, Academiæ *Oxonienſi* tot ſeculis integram, eripiens, inſomniis adeo inſomnia munire, & exoletas ineptias futilibus æque argumentis ſtabilire contendis; hujus demum delicti gratiam non facimus. Quod meâ ſane refert Lector, mallem ego litibus aut intermortuis dudum aut ſaltem conſopitis manus abſtinuiſſe; cæterum cum irrequieta quorundam ingenia obducta jam ulcera perfricare, & in veteribus turbis ſatagere viderem; ſatius duxi eorum deliria notando cum illis aliquantiſper ineptire, quam ut è diutino noſtro ſilentio novum quoddam, aliiſque quotquot crepant argumentis anteferendum, Thraſones iſti depromerent. Eâ ſiquidem cauſâ perductus in *Fullerum*, origines noſtras impugnantem, animadvertendum judicavi; excuſſurus autem proximo jam loco ſum, quæ pro Academiâ ſuâ adnecti poſſe arbitratus eſt.

Miſſis ergo quæ de *Alfredo* noſtro perperam (quod partim ex ante dictis apparet, partim è deinceps adferendis liquebit) [f] retulit, quæq; de *Dunwolpho* bubulco illo *Athelnienſi* memoravit (primum hominum *Oxoniæ* doctrinâ inclareſcentem perhibens, eoque nomine nos ludos faciens) ad Academiam *Cantabrigienſem*, ab *Edoardo* ſeniore, *Alfredi* filio, ſi diis placet, recreatam, deſcendo. Ubi primo in loco ponitur pſeudodiploma [g] à dicto *Edoardo* conceſſum, ex Hiſtoriolâ *Cantabrigienſi* mendaciorum faſciculo depromptum; & ab Antiquario [h] dudum noſtro penitus eventilatum. Iſtis ſuccedunt *Johannis Roſſi* verba de Rege illo Academiam *Cantabrigienſem* reficiente, quæ ſic ſe [i] habent.

"Propterea ad Cleremoniam augmentandam, ſicut
"pater ſuus *Oxoniam*, ſic ipſe ab antiquo cum cæte-
"ris ſtudiis generalibus ſuſpenſam, deſolatam, & de-
"ſtructam *Cantabrigiam*, iterum ad primam gloriam
"erexit, necnon ibi Aulas ſtudentium, & Doctorum
"Magiſtrorumque cathedras & ſedilia, ut dilectiſſimus
"Cleri nutritor, amator & defenſor, ſuis ſumptibus
"erigi & fabricari præcepit. Ab *Oxonia* namque U-
"niverſitate, quam pater ſuus nobilis Rex erexerat,
"Magiſtros Artium quas *liberales* vocamus, pariter in
"Sacra Theologia Doctores advocavit, ibique ad
"legendum formaliter, & docendum invitavit.

Hæc *Roſſus* [k], & ab eo, ut præ ſe fert, *Fullerus*, qui revera ex Antiquarii noſtri *Apologiâ* [l] deſumpſit, à quo & alia quamplurima mutuatur, quamvis id agnoſcere ubique refugit, nec in libri ſui margine quic-

[a] *In lib.* 1. *de* Geſtis Regum, *cap.* 5. *vide* Twynum, *lib.* 1. *ſect.* 108, *&c.* [b] *In lib. & ſect. ut ſupra.* [c] *In eodem Parag. ut ſupra.* [d] *In Apol. lib.* 3. *ſect.* 192. [e] *In Parag.* 59. *in lib.* 2. *Cent.* 7. [f] *In Cent.* 9. *lib.* 2. *ſub. an.* 882. [g] *Ibid. Cent.* 10. *Parag.* 6. [h] *In Apol. ut ſupra, lib.* 1. *ſect.* 174, *&c.* [i] *In eod. Cent. ut ſupra Parag.* 7. [k] *In lib. de Regibus MS. p.* 110. [l] *In lib.* 1. *ſect.* 188.

quam

quam fatetur ab illo acceptum. Cæterum, ut id attingam, annon ex iis etiam decus haud vulgare Universitati noſtræ accrevit, quæ tot ante ſecula (ea enim in DCCCCXV. incidunt) Doctorum virorum copiâ exundaſſe uſque adeo fertur, ut naſcenti Academiæ manus obſtetricantes ſuppeditârit? Naſcenti dico, quoniam longe probabilius eſt hæc Academiæ illius primordia & ipſam originem fuiſſe, cùm idem *Roſſus* in Catalogo Comitum *Warwicenſium*, poſt Hiſtoriam Regum *Anglicorum* (unde nimirum quæ de recreatâ Academiâ agunt, decerpta ſunt) conſcripto, *Edoardum* Univerſitatem illam inſtituiſſe, non autem reſtauraſſe tradiderit; tametſi porro veriſimile non eſt, Scriptorem illum fundatorem *Cantabrigienſem* in loco tam proprio præterlapſurum fuiſſe, niſi tum primitus fundatam credidiſſet; præſertim cum in Notitiâ ſuâ Academiarum *Britannicarum*, Hiſtoriolam *Cantabrigienſem* notaverit, *Cantabrum* & *Gorbomannum*, fundatorum gloriâ elatos rejiciens, riſuque decernens proſequendos. Atqui mehercule nec video quos habent Academiæ ſuæ antiquitatis Scriptores, niſi qui inter antiquos poni non mereantur; nam *Nicolao* de *Cantelupo* (qui heſternus quodammodo, ad annum CIↃCCCCXLI. vixit, & Hiſtoriolam *Cantabrigienſem* compilaſſe fertur) priorem aliquem ſi protulerint reſtauratam tum *Cantabrigiam* commemorantem, rem profecto haud vulgarem præſtitiſſe agnoſcam. Etenim *Johannem Lydgatum*, *Cantelupo* coætaneum, quod attinet, qui id ipſum referens, *Bedam* ſe & *Alfredum* de *Beverlaco* ſecutum profitetur, falſitatis apertiſſimæ ab Antiquario noſtro, aliiſque eruditione haud contemnendâ viris, arguitur. Deinde diploma *Cadwalladero* peſſime aſcriptum, ſpurium fuiſſe, & commentis plumbeæ legendæ (Hiſtoriolam intelligo cui iſta natalitia debent) accenſendum quis neſcit? Quapropter vel quæ in Catalogo Comitum *Warwicenſium*, de fundatâ utique à Rege illo Academiâ *Cantabrigienſi*, habentur, veriora exiſtimabis; vel (quod neſcio annon ad verum propius accedat) ſcriptis *Roſſi* hac ex parte fidem duces derogandam; cujus Hiſtoria, ubi de *Alfredo* Univerſitatem noſtram reſtituente verba facit, errorum (è quibus nonnulla ſuperius exponuntur) manifeſtiſſimam notam ſubivit. Denique argumentis haud paucis, ſi id operam darem, extorquere poſſem, Academiam *Cantabrigienſem*, fundata tum fuerit necne, certe reſtauratam non fuiſſe; Scriptoreſque ſuos, & cauſæ iſtius patronos quotquot de refectâ ab *Edoardo* Univerſitate egerunt, teſtimoniis in medium prolatis promptum fuerit oſtendere, cum aliis alios depugnaſſe, contraque nitentia attuliſſe, & proinde fidem nullam promereri. Verum equidem ſuperſedendum potius ejuſmodi indiciis crediderim, quam ut in eâdem cum Antiquario [a] noſtro materiâ deſudanti, illa ipſa quæ præfatis *Cantabrigienſium* propugnatoribus competit, dica impingatur; meritoque is audiam, qui chartis meis aliorum inventa, mihi autem plagii maculam haud cito eluendam illeverim.

Diſcuſſis ita, & pro virili noſtrâ parte disjectis, quæ tum contra nos, tum pro ſuis adduxit *Fullerus*; reſtare videtur ut ad ea deveniamus, quæ de Collegiis deinceps *Oxonienſibus* prodidit; ubi deditâ operâ quamplurima omiſit iis in decus & honeſtamentum ceſſura. Verum de rebus noſtris certiorem facientium inopiam cauſatus, veniam fortaſſe nonnullam mereri videbitur: quamvis & fando haud ſemel accepi, *Oxonienſem* [b] quendam, virum omnigenâ eruditione inſtructiſſimum, quique inſtar omnium eſſe poterat, eam illi operam navaſſe, reſque ei noſtras patefeciſſe; quam tamen gratiam ſi nemo præſtitiſſet, librorum affatim habuit, unde Epiſcopos & Scriptores longe plures è Collegio quolibet noſtro emergentes commemorare in procinctu erat; atque nominatim ex antiquiſſimo illo literarum domicilio, Collegio *Univerſitatis*; è quo præter *S. Edmundum* Archiep. *Cantuar.* neminem profert. Quanquam ſi in evolvendo Hiſtoriam Epiſcopalem (ab Epiſcopo ſcilicet *Godwino* contextam) quam præ ſe fert, quamque ad perquirendos illuſtres Academiæ ſuæ viros contulerat, induſtriam adhibuiſſet; intellexiſſet *Edmundum* quoque *Lacy Exonienſem*, & *Nicolaum Ridley Londinenſem* Epiſcopos ex eodem Collegio prodiiſſe. Ad hæc Scriptorum porro aliquorum, operam literis in eodem Collegio impendentium, ex *Balæo Pitſeo*que (quos adiiſſe tamen ſe aſſerit) meminiſſe poterat; neque neceſſe habuit intercapedini quam reliquit implendæ, *pii* cujuſpiam *viri*, *& in rebus antiquis verſatiſſimi* operam efflagitare; quippe niſi in pejus ruere, & vel ſeipſum ſacrilegâ hac parcimoniâ vincere ſtatuiſſet, locum quem Epiſcopo dedit, Scriptori non denegaſſet, quin *S.* quem dixi *Edmundum* inter doctiſſimos ſui temporis Clericos, Authoreſque Anglicanos, merito ſemperque numeratum, præfato Collegio non invidiſſet. Verum equidem haud ſatis præterea mirari poſſum, *Fullerum* id laboris in peritiſſimum neſcio quem deoneraſſe, cum nemo ſupra diem heſternum ſapiat, quin (à *Pitſeo* nominatim edoctus) *Gulielmum*, *Johannem*que *Shirewodos*, viros perquam eruditos, & à ſcriptis haud parum celebrandos, eidem Collegio deberi intelligat. Immo ſi vel ad *Oxonienſis* Antiquitatis [c] Aſſertionem (quam tamen conſuluiſſe ſe refert) Hiſtoricus iſte haud ſponte caligaſſet, præter alios aliquot, eorum quos dixi alterum Collegio antedicto tribuendum didiciſſet. Cæterum non unius ille Collegii Epiſcopos, ſcriptoreſque illuſtres nequiſſimè diſſimulavit, verum nihil potius antiquiuſve habuit, quam ſi id ubique adnixus videatur; manifeſtis adeo indiciis poſitæ in eo operæ arguendus, ut Univerſitatis noſtræ gloriam quoquo modo imminuiſſe, ab ipſis etiam *Cantabrigienſibus* concedendum iri non dubitem. Sed de his, quæ ad Antiquitatem *Oxonienſem* vix ſpectant, plura nolo ſubtexere; quin & ea porro in alium locum rejicere conſtituo, quæ Collegia ſingulatim noſtra, & Academicos viritim nonnullos attingunt. Interim quod ad tinnulos & inanes jocos attinet, quibus de Antiquarii noſtri nomine, verius profecto quam opinatur, [d] ludit; Agyrtarum eos Morionibus, qui conſcenſo ſcamno ſalibus longe melioribus populum alliciunt, caſtigandos trado: niſi in vetuſtatis forte id ſuæ argumentum rapiant *Cantabrigienſes*, quod rythmicis hiſce ineptiis, antiquatis nempe Monachorum argutiis, tantopere delectantur. Utcunque, ſcias hominum ineptiſſime, Antiquarii noſtri opus, quod indigeſtam tu rerum congeriem appellandam [e] cenſes, quodque jam anni comprobarunt, etiam validioribus quam quæ tibi ſuppetunt telis impetitum, perpetuo ſtaturum, & inconcuſſum ad poſteros tranſmittendum fore: pannoſam quam de rebus Eccleſiaſticis rhapſodiam (eâ enim cenſurâ opus illud tuum caſtigavit [f] vir iſtarum rerum conſultiſſimus) pro Hiſtoriâ corrogaſti, non ultra conſimilem Eccleſiæ reiq; literariæ ſtatum, lacerum utique & inconditum, in pretio aliquo permanſuram.

[a] *Vide in Apol. ſua lib.* I. *ſect.* 188, 189, *&c.* [b] Tho. Barlow, *è Coll. Reginæ.* [c] *Edit.* 1574. *p.* 26, 27. [d] *In Hiſtoria ſua* Cantabrig. *p.* 8. [e] *Ibid. p.* 14. [f] Petrus Heylin *in præfatione ſua ad Examen Hiſtoricum. Edit.* 1659. *in* 8°.

Quonam in loco fuit ab *ALFREDI* obitu res OXONIENSIS Literaria, quoque modo haud multis inde annis deflorescere cœpit, & ad Conquestum usque Normannicum pessum inauspicato ivit.

POstquam secesserat *Grymbaldus*, aliique Professores ad dignitates & munera evocati essent, floruisse etiamnum Universitatem *Oxoniensem* ambigi haud posse opinor; regnante scilicet *Alfredo*, necnon *Edoardo* dein seniore, &, qui illum excepit, *Athelstano*; quorum uterque artibus favebat, & ad optimi parentis *Alfredi* pietatem & eruditionem, non minus quam imperium nasci videbatur. Fatendum quidem rem literariam sub patre filiisque pari splendore haudquaquam nituisse, viguisse tamen quadantenus eorum temporibus nullus dubito; siquidem constat Prætextatam pubem huc confluxisse; insuper vel è fisco regio, vel è prædiis eo dicatis, pensiones atque reditus Scholis *Oxoniensibus*, continuâ (quod suprà ostensum) serie ad *Gulielmum* usq; Normannicum Conquestorem devenisse, quare fuerint omninò oportet qui eosdem receperint studiosi, quique artibus ingenuis operam hic navârint. *Ethelwardum* enimverò Rege *Alfredo* natum, primos *Oxonii* annos in literis posuisse, & *Anglorum* etiam Optimatibus exemplum utile juxta & illustre edidisse, tum ab aliis passim [a] authoribus, tum à *Joh.* [b] *Rosso*, & *Joh.* [c] *Lelando* proditum est, quorum novissimè dicto *non infimus Istacarum Scholarum cultor* appellatur. Dignum hoc *Alfredi* seculo, dignum stirpe ingenium, quo Reges sine cæde & rapinis imperium promovent, immò in alienis etiam terris sine injuriâ dominantur, non nisi ipsius Naturæ limitibus coercendi. Verum cum *Oxoniensium* jam animi ad res magnas erigerentur, præmaturo fato ereptus est *Ethelwardus*, spesque Academica deducta cum illo, pariterque contumulata, evanuisse simul videbatur. Illum verò *Oxoniæ* alii, alii [d] in cœnobio *Hydensi* sepultum ferunt; & inde est quod scriptores nonnulli haud alium ab *Ethelwardo* juniore fecerunt.

Deinde autem cum *Edoardus* senior imperio potiretur (quem à *Lelando* Antiquarius [e] noster *Oxonii* refert studuisse) vexatæ haud rarò fuerant Musæ *Oxonienses*, sedibus imò suis aliquando exturbatæ, præsertim circa annum DCCCCII. qui præ aliis infamis, & pacis artibus addictis impendio luctuosus; quo nempe cives *Oxonienses*, qui ad *Londinensium* exemplum, à fide erga principem descivissent, in ordinem à Rege [f] coguntur. Sed non ita citò studiosorum res compositæ; tumultuantibus enim civibus, & in officio ægrè retinendis post an. DCCCCVIII (cum fato nimirum functus fuisset *Edredus Merciæ* dux) *Edoardus* sedulò invigilavit, & subditorum nulli *Londini* atque *Oxonii* præfecturam concredidit. Quamvis interim *Egelfleda*, vel *Elfleda*, *Alfredi* filia, *Edredi*que relicta, animo planè virili femina (tanquam patrem simul spiraret & maritum) reliquæ posthac *Merciæ* imperium perquam feliciter administravit.

Anno Christi DCCCCX. pavor ingens Academiam pervasit, nunciato *Danos Leicestriâ* & *Northamptoniâ* infesto agmine adventare, magnasque *Anglorum* strages ad *Hokenortonam*, locisque *Oxonio* vicinis passim [h] edidisse: & profectò ni restitisset miranda *Egelfledæ* virtus, &, protelatâ *Danorum* rabie, Academiam, sibi quodammodò agnatam, *Alfredi* utique sobolem, protexisset, dubium vix est quin ad internecionem usq; deleta fuisset. Illa verò *Oxonium* [i] munivit, quo hostes præfidentius expectarentur, recreatis undique muris, ut quidam volunt, quâ de re Poetâ, [k]

Quippe iter adversos alacris dum tendis in hostes
Oxoniam *munire brevis mora: ducere fossas,*
Instaurare manu muros & cingere vallo.

Porro autem *Edoardus* senior, quo patris erga bonas literas amorem exscriberet, filium suum *Ailwardum*, seu *Ethelwardum* (qui distinctionis gratiâ *Ethelwardus* junior, scriptoribus vocitatur) *Oxoniam* [l] cultiore literaturâ erudiendum circa annum DCCCCXIII. misisse dicitur, quod Academicos & honore simul auxit, & spe haud vulgari implevit. Principe scilicet illo tantos in literis progressus faciente, ut eruditus inter primos emerserit, librumque de gestis *Anglo-Saxonum* scripserit, cui initium, *Disertissimæ & veræ Christi Ancillæ*, &c. è quo etiam libro constat, regio *Adulphi*, seu *Ethelwolphi*, sanguine prognatum, sub *Edgaro* floruisse, quem quidem ego non alium fuisse conjicio ac *Ethelwardum Patricium*, virum eruditione suspiciendum, regiâque præterea stirpe oriundum. Hunc alii mortem ad annum DCCCCXLVI. oppetiisse volunt, alii id in an. DCCCCXXIV. rejiciendum censent; fatoque eodem anno cum Patre defunctum fuisse, & *Wintoniæ* cum *Ethelwardo* seniore contumulatum referunt. Verum de *Ethelwardis* iis, eorumque scriptis, obitu & sepulturâ, mire inter se depugnant [m] Authores, contrariisque, quas referre non vacat, sententiis in diversa contendunt.

Hic *Edoardus* senior is ipse est, quem ex historiola *Cantabrigiensi* (inexhausto fabularum penu) *Rossus* [n] *Warwicensis*, quemadmodum supra monuimus, Academiam illam circa an. CMXV. fundasse, aut si id magis placet, instaurasse refert, Doctoribus & Magistris *Oxonio* accitis; quod nobis interim in gloriam speramus cessurum. Revera tamen hac tempestate ita nobis increvisse gentem togatam, ut coloniæ deducendæ par esset, me sponsorem minimè fecerim: præsertim cum istius seculi monumenta maximam partem interciderint, quamvis nec malè adeo per ea secula res nostras viguisse, ex aliis perinde circumstantiis conjicere licebit. Siquidem apud [o] historicos legimus non tantum indigenas, sed & exteros complures, aut sponte suâ, aut

[a] Tho. Rodburne *in Chron. suo*, *MS. Annales* Winton. *MS*, *&c.* [b] *In lib. de Regibus MS. p.* 86, 87. *&c.* [c] *In Tom.* 4. *Collect. p.* 122, *&c.* [d] Th. Rodburne *in Chron. suo MS. in Bib.* Lambeth. *MS. fol.* 16. *b.* [e] Twynus, *in Apol. lib.* 2. *sect.* 208. [f] Florilegus *sub an.* 902. *& alii.* [g] Hoveden. *in* 1ª *parte Annalium*, *p.*242. Hen. Huntingdon, *lib.* 5. *p.*203. *& alii.* [h] *Ibid. in* Huntingdon. [i] Harrison *in Chron. suo*, *lib.* 1. *cap.* 11. *& alii.* [k] Rob. Burhill. *in Britannia Scholastica. MS. in Arch. Bib.* Bod. [l] Leland. *in Tom.* 4. *p.* 116. *& alii.* [m] Huntingdon, *ut supra*, *lib.* 5. *p.* 204. Flor. Wigorn. *sub an.* 924. *Continuator* Bedæ, *MS. in Bib.* Bod. Mar. Scotus, *lib.* 3. *MS. & alii.* [n] *In lib. de Regibus*, *ut supra*, *p.*110. [o] Rog. Wendover *in vita Regis* Alfredi, *&c.* Jo. Rossus, *ut supra*, *p.* 86, 87.

à Rege

à Rege accerſitos *Oxoniam*, ſtudiorum gratiâ, tunc temporis convolaſſe. Regem ad hæc *Edgarum* anno quaſi DCCCCLXVIII. Monachorum ibidem conventum (*Exoniæ* fateor id à nonnullis [a] facili lapſu tribuitur) [b] indixiſſe, quod ſanè facturum non auguror, niſi urbs noſtra & pace tranquillâ & fortunâ ſaltem non iniquâ uſa tum fuiſſet. Cum autem in rerum naturâ nil ſtabile ſit & perpetuum, cumque monumenta etiam ænea ferreo Tempus dente tandem contriverit, nec ipſis ruinis perennare detur, pulvere demum ſuo cooperiendis; tam paucis à mortuo *Alfredo* ſeculis (quibus effera barbarorum, Sacra omnia & profana perinde habentium, rabies jus faſque proculcavit) pientiſſimi Regis, & Succeſſorum ſuorum munificentiam diſparuiſſe, num quiſquam hominum demirabitur? *Gradivi* enimvero Tympanum *Apollinis* lyræ peſſimè obſtrepuit, quaſi *Martem Phœbumque* idem locus non caperet, & unica utrique laurus minime ſufficeret. Denique velut effeyato Orbe, ipſa jam Natura bello tantum & cædibus vacare videbatur, & eâdem ſecum depugnante Deâ, *Minervam* ſede ſuâ exterminavit *Pallas*.

Inter primas autem, neſcio an & præcipuas, convulſæ Univerſitatis cauſas, *Ethelredum* inauſpicatò regnantem pono; qui in *Principio regni infauſtus, medio miſer, poſtremò turpis* [c] appellatur. Quippe *Danis Oxoniam* (uti & reliquam *Angliam*) impotenti dominatu vaſtantibus, intermortuæ uſq; eò jacebant literæ, donec an. CIↃII. inito clam *Anglorum* conſilio, & hic & alibi ad internecionem pænè omnes cæſi eſſent, cum nec illis parceretur qui in *S. Frideſwydæ* tanquam in Aſylum [d] perfugiſſent, læſi temerè numinis opem implorantes, & altaria illa fruſtra prenſantes quæ ipſi toties violaſſent.

At fata non pacem ſic *Angliæ* dedêre, verum inducias breves pariter & infidas bello quam ocyſſimè recrudeſcenti ceſſuras. Etenim *Dani* ſuorum cædem ulturi, comparatis quibus poterant copiis, regionem undiq; hoſtiliter infeſtant; agros deinde vicinos populati, ipſi *Oxonio* (quamvis de [e] *Hornfoordiâ* hæc nonnulli retulerint) circa an. CIↃIX. flammas [f] injiciunt: & cum *Sueni*, ſive *Swani*, poſthæc ductu ingentes *Danorum* copiæ in inſulam hanc noſtram ſe denuò effunderent, magnaque Regni pars in Barbarorum brevi poteſtatem concederet, *Oxonium* opinione citius circa an. CIↃXIII. [g] expugnatum eſt, *Suenuſque* acceptis obſidibus, ad *Wintonienſes* contendit, eandem fortunæ invidiam experturos. Cæterum *Oxoniam* inde rediens, ibique aliquantiſper commoratus, incolis pro libidine, (uti & *Wintonienſibus*) [h] imperitabat, qui cum ad Chriſtianiſmi perinde ac bonarum literarum perniciem excubaret, in Muſas proculdubio noſtras tam infeſtum ſe geſſit, ut credibile prorſus ſit, earum cultores penitus fuiſſe exturbatos.

Secundo poſt anno, (viz. CIↃXV.) *Dani* de arduis regni negotiis conſilia cum *Anglis* in hâc urbe [i] miſcebant, ubi ex illorum Proceribus bini, *Sigeferdus* & *Morcardus*, *Edrici*, Ducis *Merciæ*, dolo (approbante licet *Ethelredo*) mactantur. *Danis* mox reliquis trepidatum adeò dicitur, ut in *Frideſwydæ* fanum loci religione protegendi (ſiquidem irrita fuerant fœderum jura) ſupplices confugerint. Id quidem ſi non undequaque verum, neque enim pariter ab omnibus res geſta narratur, interim tamen certiſſimum eſt, temeratam illam Optimatum cædem calamitatibus deinceps innumeris cauſas & fomenta præbuiſſe.

Ethelredum excepit *Edmundus*, qui cognomine *latere ferreus* dicitur. Is *Oxonii* vel à perfido eo quem prædiximus *Edrico* (vel à filio ejus, ut aliqui [k] volunt nequaquam degeneri) per inſidias an. CIↃXVIII. [l] trucidatus, *Danorum* fortean primoribus, ibidem nuper cæſis, regio ſanguine parentavit.

Edmundo ſucceſſit *Canutus Danus*, ſuæ gentis primus cujus in poteſtatem res planè decidit *Anglicana*. Religionis illum virtutiſque ſtudio adeò captum comperio, ut Mæcenatis nomen à literarum cultoribus promeritus, Scholas publicas per urbes oppidaque regni, conſtitutis è fiſco regio ſtipendiis, [m] poſuerit: quas tum Nobilium filiis, tum Plebeiorum (ibi dum ad altiorem eruditionē ſpirarent alendis) aperiendas mandavit. Quis verò ſibi inducat ut opinetur ſcientiæ illum elementis tam ſedulò proſpexiſſe, Univerſitatem tamen, perficiendis literatorum ſtudiis deſtinatam, præteriiſſe? *Romam* prætereà (referente [n] *Rad. de Diceto*) profectus eſt, an. CIↃXXXI. *Sanctoque Petro* donis ingentibus cumulato, à *Joanne* XXI Pontifice Maximo impetravit, ut Schola *Anglorum* tributo omni & vectigali ſolveretur. Fateor nullam loci in quo Schola illa poneretur factam eſſe mentionem. Atqui *Canutum* aliam ſenſiſſe Scholam quam *Oxonienſem* quis credat? Quam [o] *Rogerus Wendover*, compluribus accedens iſtorum temporum ſcriptoribus, Scholam ſimpliciter appellat, hoc addito Elogio, illam Clericis & è regionibus vicinis, & è longinquo adventantibus refertam fuiſſe. Quod ad Scholam verò attinet, *Romæ* ab *Ina* occidentalium *Saxonum* Rege extructam, cum *Alfredi* jam olim rogatu taxationibus liberata compareat, quis ineptum adeò & ſomnolentum cenſebit *Canutum*, ut idem de integro efflagitaſſe exiſtimet.

Porrò autem in *Oxoniam* bene fuiſſe animatum exinde liquet, quod plures ibi annos poſuit; ubi egiſſe etiam patet, cum Cœnobium *Abendonenſe* latifundiis quibuſdam *Oxonienſibus* Eccleſiaque [p] dotaret, cumq; ordines regni, ſanciendis *Edgari* (*Edoardi* I. ut ab aliis [q] proditum eſt) legibus ibidem [r] convocarit; quibus quidem legibus è linguâ Saxonicâ in Latinam convertendis opportuni aderant *Oxonienſes* literati, alibi, quæ ſumma fuit iſtius ſeculi barbaries, non ita facilè reperiendi.

Mortuo *Canuto* imperium ad *Haroldum* primum an. CIↃXXXVI. delabitur, brevi, ſi annos ſpectes, (plures enim quam quatuor non regnavit) ſi mala, rei præſertim literariæ illata, diutiſſimè gerendum. Quippe Univerſitatem, variis quidem nuper calamitatibus conflictatam ſub rege autem illo, dimidiâ plus parte peſſundatam refert [s] *Lelandus*. *Florebant utcunque Scholæ* (inquit ille) *ab* Alfredo *rege* Oxonii *inſtitutæ, uſq; ad tempora* Haroldi *ejus appellationis primi, qui, ut Dacus, Barbarus & immanis erat, ita ex nulla, aut levi admodum occaſione, ædes Scholaſticis conſecratas, violavit, ſpoliavit, deturpavit, & quod majus eſt, præ-*

[a] Florilegus *in exemplari impreſſo*. Mar. Scotus, Flor. Wigorn. *&c.* [b] Mat. Paris, *in Hiſtoria ſua majori, vide* Caium, *de Antiq.* Cantab. *lib.* 2. *p.* 200. Florilegus *MS. in Bib. S.* Jacobi. [c] *Per* Roſſum *in lib. de Regibus, ut ſupra, p.* 116. [d] *Ex lib. Minore* S. Frideſw. *p.* 277. [e] Rog. Hovedon. *in parte* 1. *ſuorum Annalium, p.* 247. Flor. Wigorn. *an.* 1032. Mar. Scotus, *lib.* 3. *at.* 6. [f] Hen. Huntingdon. *lib.* 6. [g] *Ibid. in* Hunt. *in eod. lib.* Hoveden *in parte* 1. *Annalium p.* 248. Ran. Hygden, *lib.* 6. *cap.* 16. Mar. Scotus, *lib.* 3. [h] Malmsbury, *lib.* 2. *cap.* 10, *&c.* [i] *Ex quibuſdam Annalibus lat-ſax. MS. in Bib.* Cotton. Malmsbury, *lib.* 6. *cap.* 6. *& in lib. ſuo de Geſtis Pontificum* Angliæ, *p.* 160, *&c.* [k] *Author prædictorum Annalium, &c.* [l] Rad. *de* Diceto. *MS. Edit.* 1652. *cum aliis Hiſtoricis.* [m] *Hiſt. aurea in parte* 2. *lib.* 22. *cap.* 28. *MS.* [n] *In Chron. ſub an.* 1031. [o] *In vita Regis* Alfredi. [p] *Reg.* Abendon *in Bib.* Cotton, *fol.* 108. *& in alio Reg. ejuſdem Cœnobii ibidem, fol.* 127. [q] Florilegus, *& alii.* [r] Rog. Hoveden, *in parte* 1. *Annalium.* Flor. Wigorn. *ſub an.* 1040. *& multi alii.* [s] *In Tom.* 4. *p.* 199.

dia omnia in honestissimos Academiæ usus data, spretâ antiquarum donationum authoritate, prorsus abstulit. Illud certè sibi visus est beneficii loco feciſſe, quod Scholasticis Collegii Universitatis *nudam domum habitandam reliquerit. Torquebat hæc Collegianos, qui præter malè reparatas ædes, usque ad imperium* Henrici III Angli, *ne unciam quidem certi stipendii habebant, &c.* Hæc *Lelandus*, quibus contraria licet prodidiſſe videantur ipsa Collegii *Universitatis* Munimenta, & liber Statutorum (quæ palam profitentur, reditus ab *Alfredo* conceſſos ad Conqueſtorem usq; *Normannicum* pensitatos fuiſſe) omninò dicendum injurias satis graves *Haroldum* intuliſſe; præsertim cum & alibi legiſſe meminerim (locus profectò animo effluxit) Universitatem eum adeo tam non foviſſe, ut rei Academicæ haud parum obfuerit, immò turbaverit omnia & permiscuerit.

Sed *Haroldum* istum, & proximum illi, *Hardicanutum* prætervecti, ad *Edoardum* cognomine *Confeſſorem* deſcendimus, ad quem an. CIↃXLII. rerum *Anglicarum* summa devenit. Pietate hic, siquis alius, & animo erga literas propenso celebrandus, edicto sancivit, [a] ut religionis Artiumque ingenuarum bona, quomodocunque interversa, veteribus dominis ad plenum reponerentur. Quare si stipendia ab *Alfredo* conceſſa *Haroldus* jampridem Universitati abraſerat, Regis hujuſce legibus in integrum fuiſſe reſtituta haud improbandum; neque dubium eſt poſt Conqueſtoris (*Edoardi* ſtatuta confirmantis) tempora, census iterum Academiæ rediiſſe, quos infensus (ut supra dictum eſt) *Gulielmus* aliquantisper subtraxerat. Cæterum poſt acceptam cum *Edoardo* pacem, Artes mox ingenuas refloruiſſe, *Oxoniamque* priſtino splendore inclaruiſſe, diffitendum non eſt. Audiamus enim quæ de seipso tradit [b] *Ingulphus*.

Ego (inquit ille) Ingulphus *pro literis addiscendis in teneriori ætate conſtitutus*, &c. ut supra in *Pag.* 10. *Col.* 1.

Hic vero poſt annos aliquot, ſtudiis ibidem insumptos, circa an. CIↃL. ad Cœnobiarchiam demum *Crowlandenſem* pervaſit, ubi doctrinam *Oxonii* hauſtam Monachis suis (inter quos exteri tum erant nonnulli) impertiens, haud vulgari illos, ut fertur, cupidine implevit eandem alibi propagandi. *Cantabrigiam* ergo concedentes, eruditionem *Oxonienſem* inſtitutis quoq; *Aurelianenſibus* interſitam in horreo quodam conductitio proſeminabant. Hæc in annum CIↃCIX. cadunt, & ex illo ſeminio, Academia *Cantabrigienſis*, ſi pleroſque audias ſcriptores, quanta quanta nunc eſt, progerminavit.

Hinc itaque argumento pene indubio liquere videtur, sub *Edoardo Confeſſore*, in Universitate nostrâ, laſſatis jam quodammodo fatis reſpirante, Scholares frequentes extitiſſe. Quâ etiam in re documento eſſe poteſt, quòd cùm tempore Conqueſtoris Urbis noſtræ census haberetur, ad IↃ. domicilia collapſa [c] deprehenderentur; quæ ad ſtudioſos, injuriâ temporum sub *Haraldo* I. ipsoque dein Normanno sedibus exturbatos ſpectaſſe, nullus quidem dubito. Si ullibi profectò in *Anglia* literæ humaniores aut poſt *Haroldum*, aut lapſis ante illum seculis viguerint, id *Oxonio* præcipue vendicandum exiſtimo, cum scilicet *Danicarum* procellarum furor ubique per Monaſteria, vetera illa in adverſis rebus Muſarum perfugia, graſſaretur. --- *Nam & nunc & aliàs* (inquit [d] *Lelandus*) *ſæpè à me monendus es*, Dacos *piratas Diis & hominibus inviſos per ducentos &* L. *ferè annos, ita totius* Britanniæ *Monaſteria ſpoliaſſe, confudiſſe, devaſtaſſe, ut inter cætera ingentia mala multis in locis, flammis omnia conſumentibus, ne pagellam quidem librorum* (*proh ſcelera!*) *non violatam reliquerint. Hinc eſt quod tam pauca extent, ſi demas* Bedæ & Flacci Albini *opera à* Saxonibus Britanniam *incolentibus ſcripta. Cum interim conſtet* Saxones *id temporis, tota quaſi* Europa *à barbarie occupata, id quod etiam* Philippus Melanchon *in quâdam oratione teſtatur, literis undiquaque floruiſſe.* Sic *Lelandus*.

Quinimo hac *Danorum* rabie factum eſt, ut *Normannici* furores in lucro fere ponendi viderentur. Illi enim (ſi *Ord.* [e] *Vitali* fides) quando huc trajecerant, *Anglos* diutinis calamitatibus fractos à re jam literariâ prorsus alienos reperiebant: qui non ita pridem *Gregorii* I. *Bonifacii*, & *Vitaliani*, Pontificum Romanorum auſpiciis, virorum Doctorum miniſterio, ad politiorem literaturam summo cum profectu informati fuiſſent; *Gregorius* scilicet *Auguſtinum* Monachum, cum aliis, *Vitalianus Theodorum* (*Cantuariæ* hic deinde sedebat) & *Adrianum* Abbatem transmiſêre, ut *Anglos* pietate boniſque literis erudiendos curarent: quæ quidem, licet poſtea in irritum ceſſerint, silentio præterire minime decuerit.

[a] Gul. Lambard *in Archainomia. Edit.* 1568. *fol.* 126. *b.* [b] *In Hiſtoria ſua, Edit.* Francofurti, *anno* 1601. *p.* 903. [c] *Lib.* Domesday, *in* Oxon. [d] *In Tom.* 4. *p.* 83. [e] *In Hiſtor. Eccleſiaſt. lib.* 4. *ſub an.* 1069.

Hiſtoria

Historia Universitatis OXONIENSIS à Conquisitione Normannica, ad Annum Domini CIↃDCXLIX.

Anno Dom. CIↃLXVI. 1° *Gulielmi* I.

AD Academiæ jam nostræ Historiam pervenio, in meridianâ quasi luce constitutam; ac propterea perspicuâ magis & constanti methodo deinceps utar, annorum videlicet seriem secutus, additis subinde etiam iis quæ ad Urbem spectant *Oxoniensem*. Verum cùm, hiantibus post Conquestorem quoque Registris, Annales, quod decuit, integros ubique & continuos exhibere non liceat, Historiam hanc nostram si (ante annum præsertim à Conquisitione Centesimum quadragesimum) interturbatam nonnunquàm reperiet, condonabit spero Lector hominem fasso, neque res temporum lapsu deperditas, & Scriptorum omnium silentio altissimo sepultas, attingere perito.

Constat itaque ex illis, quæ de vesanis *Danorum* insultibus, & sacrilegâ deinceps *Haroldi* vecordiâ memoravimus, affectam nunc literarum Rempublicam, immo tantum non deploratam fuisse. Clerici sanè plerique, (si eos dempseris, qui è *Normanniâ* nuperrime accesserant) in tenebris sese abdebant; quin & Universitatem ipsam haud exigua doctorum virorum penuria, ipsosque doctos gravis egestas oppresserant: observatum nihilo minus [a] reperio, per ea etiam secula, & regnantis inde Conqueștoris ætate, exercitia studiosorum aliqua etiamnum superfuisse.

CIↃLXVII.

Nec mirabitur quisquam nutantes saltem, si non penitus prostratas afflictasque Academiæ hujus fuisse opes, cum Urbs ipsa excidium pateretur; quod quidem hoc anno accidit. Nimirum in aquilonares *Angliæ* plagas aciem ducturus Conqueștor, *Oxoniam* obiter accessit, in transcursu scilicet expugnandam. Atqui ubi urbem cives, muro probe munitam, defendere acriter obstinarent, de eâdem obsidendâ cogitans Normannus, obeundam imprimis credidit, & undiquaque lustrandam. Ibi tum incluforum aliquis conscenso muro, & *nudato* (si cum scriptoribus [b] antiquis loqui liceat) *inguine, sonitu partis inferioris auras turbavit in contemptum* Normannorum, &c. Quæ cum ad *Gulielmum* essent perlata (Normannis enim propioribus facile innotuerant) tanquam si Notho generis dedecus exprobratum crederet, eousque statim excanduit, ut adhibito quoque juramento, injuriam se illam ulturum brevi minitaretur. Urbem itaque (ad Boream credo) omnibus copiis adortus, facilè expugnavit, excidioq; & ruinis permisit, cujus quidem cladis pubem Academicam in cumulum venisse, minimè est dubitandum.

CIↃLXIIX.

Hac ergo tempestate *urbs Oxoniensis* (titulo enim illo tum gaudebat) diruta magnam partem erat. Ædes tamen supererant [c] septingentæ & quinquaginta, demptis etiam viginti quatuor, quæ mæniis assidebant. Pendebat vero Regi, tributi & vectigalis ordinarii nomine, annuatim xx *l.* cum sex mellis sextariis: Comiti autem suo decem libras numerabat; qualis hodie reditus Feudi Firmæ vocibus denotatur. Quod ad incolas attinet, quot nimirum Urbs ista eo seculo aluerit, mihi sanè in promptu non est dicere; memoratum tamen est à variis [d] authoribus Burgenses mille ducentos, municipes volo, seu liberos (ut vulgo dicimus) homines complexam fuisse. Cum tot itaque ædes, nec non Cives vel Burgenses easdem incolentes numeraverit *Oxonium*, jus insuper cudendæ monetæ, & diversas fraternitates, sive Gildas mercatorias, quin & Præsidem seu Constabularium (quod alias edocebimus) habuerit; frequentiâ studiosorum imprimis, & illo rum gratiâ artificum, atque mercatorum concursu, eò evectam amplitudinis crediderim, siquidem nec Monachorum conventibus tunc temporis abundabat, nec in viâ aliquâ publicâ posita erat, & proinde crevisse aliter non poterat.

CIↃLXXI.

Subsederant jam pene tumultus bellici, rebusque Anglicanis maximâ ex parte compositis, afflictis musarum cultoribus amica tandem fortuna, literarumque fautores sperandi videbantur: quod contra profectò cecidit. Cùm Urbem enim istam, specie quidem subactam, revera autem præfractam, novis etiamnum rebus invigilare animadverteret Conqueștor, *Roberto D'oilly* militi Normanno præcepit, ut (ad reprimendos civium conatus) Castellum ad occidentale Urbis latus erigendum [e] curaret, cujusmodi sub id tempus *Wallingfordiæ* quoque & *Windelsoriæ*, proposito haud absimili, [f] extruebantur. Quæ res si bonis jam artibus damni nonnihil dederit, Normanni deinceps hæredibus, bello contra Barones implicitis, pejus longe vertebat.

CIↃLXXIV.

Cæterum consopitis demum bellis, animisque hominum placidè coalescentibus, Normannorum Primores, quibus latifundia passim ampliſſima obtigissent, ad Religionis mox pacisque studia conversi, de nominibus suis æternitati commendandis cogitare cœperunt. Inter quos postremus esse noluit recens nobis dictus *Robertus D'oilly*, qui cùm Baronias varias opesque eximias cumulatissimè esset sortitus, in Dei cultum, literasque politiores, easdem effudit. Hoc enim anno Ecclesiam *Sancti Georgii* collegiatam, in præfato castro fundantem [g] deprehendimus; ubi Canonicos deinde seculares ex ordine Divi *Augustini* instituit, qui (cùm à Regularibus, seu Clausstrorum disciplinâ obstrictis, alieni essent) vitæ liberiori, & proinde Academicæ, accommodatiores videbantur. Ædem illi dictam

[a] *In Hist. & Antiq.* Angliæ, *per* Tilley, *MS.* [b] Mat. Parys, *sub an.* 1067. *Chron.* Rog. Wendover, *MS. &c.* [c] Tilley *ut supra. Vide aliter è lib.* Domes-day, *sub an.* 1086. [d] Gul. Harrisonus *in Chron. suo, lib. 2. cap. 3. &c.* [e] *Chron.* Tho. Wyke, *Canonici* Osnienſis, *MS.* [f] *Reg. vel liber Cœnobii* Abendon. *incipiens*--lam inhabitantibus, *fol.* 120. *a.* [g] *In Chron.* Wyke, *ut supra.*

tam diu incolebant, dum ad Cœnobium de **Oſney** tranſducerentur; domus vero ipſa ſtudioſis ſecularibus deinceps in hoſpitium ceſſit, qui Univerſitatis Cancellario ſubjecti fuerunt.

CIↃLXXV.

Sub hæc tempora Judæos frequentes *Oxonii* reperio, quorum tum alia meminerunt ſcripta, tum ea [a] imprimis quibus *Brummannus* le *Riche*, Eccleſiæ *Sancti Georgii* modo fundatæ Canonicis prædia aliqua ſecus *Waltoniam*, in borealibus *Oxonii* ſuburbiis poſitam, addixit; eaque diſertè contra Judæorum vindicias aſſerenda recepit. De iiſdem *Rotomago* primum in *Angliam*, Conqueſtoris permiſſu, tranſmittentibus nihil impræſentiarum dico; res etiam eorum alibi geſtas omiſſurus, utpote quas & ſcriptores alii fuſiſſime tradiderunt, & quas ab inſtituti operis ratione alieniſſimas duco. Verum de *Oxonii* conſidentibus pauca habe. In præcipuis Urbis Parochiis, *Sancti* nempe *Martini*, *Edoardi*, *Aldati*que, habitacula conſecuti, magnas paulatim opes cumulabant, totque deinceps ædes in Parochiis duabus poſtremo dictis coemerunt, ut iiſdem veteris novique *Judaiſmi* nomina adaptata brevi fuerint; in earum porro alterâ Synagogam, ſive Scholam collocarunt, quâ præceptores è ſuâ gente eruditi linguam Hebraicam præmonſtrabant, & dogmata Rabbinica, haud levi Academicorum emolumento, exponebant. Clerici præterea noſtrates in aliis eorum habitaculis docebant, Aularum titulo inſignitis; & à *Lombardo*, *Moſſeio*, *Jacobo*, verpis (ut reliquos taceam) cognominatis.

CIↃLXXVI.

Hac tempeſtate ad Cœnobium *Abbendonenſe* agebat *Gulielmus* ille Conqueſtor, quo loco oblectatum impendio ferunt (præſertim [b] inſulâ illâ amnicâ *S. Andreæ* ſacrâ) ubi tum ille, tum *Gulielmus* ſecundus, frequentiùs commorabantur. Ibi primitus reſciviſſe perhibetur, fundatæ ab *Alfredo* Academiæ è fiſco regio ſeu ſcaccario penſitari ſtipendia; quod inique adeo tuliſſe [c] fertur, ut detinenda illa in poſterum & abroganda juſſerit: cùm tamen (ut ſupra dictum) *Edoardi* dudum leges [d] ſanciviſſet, quibus cautum inter alia erat, ut Scholares Clericique quacunque de cauſa ſpoliati in integrum reſtituerentur. Qui rerum cauſas rimari præ ſe ferunt, hanc male mulctatæ Univerſitatis rationem reddunt; id nimirum egiſſe Conqueſtorem, ut Concionem ad plebem linguâ nemo patriâ enuntiare poſſet; unde futurum ſperavit, ut Idioma Saxonicum in deſuetudinem brevi abiret, & ſuccreſcenti uberius Gallico locum cederet. Cum enim ab illo cautum eſſet, ne cauſæ aliquæ, lege municipali determinandæ, aliter quàm Gallicâ linguâ dicerentur, eandem apud vulgus certiſſimè invalituram credidit, ſi jura tum divina, tum humana Gallicè pariter traderentur. Sed voti tam male fuit compos, ut illo in idiomate ſcriptorem nullum, ſi aliquos legum Municipalium enarratores excipias, [e] habuerit, qui labores utique ſuos poſteris tranſmiſit: in quotidiano autem ſermone nil penè quicquam immutatum, licet interea ludi moreſque ac habitus *Gallorum* paucis ubique annis, imitatione etiamnum fatali, invaluêre. Atqui facta Conqueſtoris (ſi per latrocinium reditus Univerſitati ſubtraxerit) cum verbis peſſimè quadrabant. Memoriæ enim [f] proditum eſt, eundem in oratione ad Proceres, contra *Odonem* Epiſcopum *Baiocaſſenſem* habitâ, Regum Saxonicorum, & cum primis pientiſſimi *Alfredi*, erga Eccleſiam & literatos munificentiam obnixè deprædicaſſe. Adeóne ergo quam verbis laudavit pietatem, factis eſt averſatus? Adcóne Coronam aut cœleſtem ſibi, aut terreſtrem Poſteris ejuſmodi meritis confirmandam cenſuit? De filiis profectò nimis conſtat, paternam fortè hanc temeritatem luiſſe: quibus tamen cùm Regna bonaque moribundus legaret, Teſtamenti ſui violatores execrari non deſtitit, Anathematis diriſque *contra omnes æmulos & infeſtatores* immoriens.

CIↃLXXIX.

Conqueſtori, præter alios, natus erat *Henricus*, cognomine propter eruditionem **Beauclerk**, i. e. *bellus Clericus*. Hunc ſibi rapiunt *Cantabrigienſes*, quorum [g] Antiquarius aſſerere non veretur, illum in iſtâ Academiâ literis vacaſſe; quod rationi conſentaneum an ſit, Lectoris judicio permittatur. Certè qui fieri poſſit, ut Artes ibi *Henricus* tanquam in Academiâ hauſerit, cum non ante plures ab Adoleſcentiâ ejus annos (Regni nimirum nonum) per *Crowlandenſes* demum Monachos meſſis literaria Horreo *Cantabrigienſi* inveheretur. Accedit ad hæc, eundem, cum teneræ eſſet ætatis, ad Cœnobium *Abendonenſe*, v. tantum ab *Oxonio* milliaribus diremptum, haud raro (uti anno nominatim CIↃLXXXIV) [h] hoſpitatum, *Rob. D'oilly* Conſtabulario *Oxonienſi* ex mandato regio pecunias, ad impenſas neceſſarias, ſubminiſtrante: ubi *Faritium* præterea & *Grymbaldum*, Normannos Medicos familiariter habuit; quorum primus dicto Monaſterio præfuit, alter Medicinam *Oxonii* [i] faciebat. Cæterum nec opinor prædictum Principem Palatium ſibi & ſucceſſoribus extruendum *Oxonii* voluiſſe, niſi Urbs illa neceſſitudine quadam fuiſſet ipſi commendata. Enimvero [k] ſcriptoribus pleriſque ſi fidem habueris, haud alia re allectum cognoſces, quam pergratâ virorum doctorum conſuetudine, quam avidiſſime fuiſſe amplexatum exinde patet, quod Regem literarum rudem pro Aſino coronâ induto, eoque magis nomine ridendo, paſſim habuerit; Regumque illorum vicem & indoluerit pronus & damnârit, qui cùm naturâ haud raro magis valent, doctrinæ tamen & Prudentiæ præſidiis, quibus in ſubditorum animos irrepere, & potentius quam gladio ſceptrove regnare poſſint, acquirendis nequaquam exiſtimant inſudandum. Carmina quidem aliqua ex [l] *Lelando* dudum attulit [m] *Londinenſis*, quibus perſuadere nititur, præfatum *Henricum* bonis artibus *Cantabrigiæ* vacaſſe; ea ſic ſe habent,

Quid quod Granta *novem dicata Muſis,*
Henrici *pietate literati*
Terſis prænitet erudita linguis?
Et Checos *celebrat ſuos alumnos*
Doctam candida Smythioſque *turbam.*

Verum hercule is in ſole caligantibus annumerabitur, quiſquis hæc de *Henrico* I. ſcripta crediderit, aut eundem apud *Cantabrigienſes*, tanquam gratam altrici

[a] *In Reg.* Oſney, *in Theſaurario Ædis Chriſti* Oxon, *fol.* 9. *b.* [b] *Lib.* Abendon. *ut ſupra, fol.* 132. [c] *Lib. Statutorum Coll.* Univerſitatis Oxon. *p.* 24. [d] Gul. Lambard. *in Arcainomia. Edit.* 1568. *fol.* 126. *b.* [e] Jo. Forteſcue, *de laudibus legum* Angliæ, *cap.* 48. [f] *Per Anon. in Fragmento de* Gul. Conqueſtore, *quod præfigitur* Tho. Walſingham. *Edit.* Francof. *ex Bib.* Camdeni, 1602. *vel* --03. [g] Jo. Caius, *in Antiq.* Cantab. *lib.* 1. *p.* 97. *Vide* Twynum, *lib.* 2. *ſect.* 269, 270, *&c.* [h] *Lib.* Abendon. *ut ſupra, fol.* 122. *b.* [i] *Ibid. fol.* 132. *&* 139. *b.* [k] Gualt. Mape, *de nugis Curialium MS.* Jo. Roſſus, *de Regibus in* Hen. I. *MS. ut ſupra.* [l] *In Cyg. cantione, edit.* 1658. *in* 8°. *p.* 21. [m] *In Antiq.* Cantab. *ut ſupra; vide etiam in Hiſtoria* Cantab. *per* Tho. Fuller, *p.* 2.

Academiæ

Academiæ vicem rependentem, linguæ Græcæ & Hebraicæ Profeſſores inſtituiſſe opinabitur. *Henrico* VIII. (magno *Lelandi* patrono) tribuenda omnino ſunt, cujus munificentiæ deberi quod, cum aliis, *Checus*, *Smythius*, & *Ponetus*, in Univerſitate illâ prælegerint, à *Tho. Chalonero* in Panegyrica illa [a] oratione, quam de dicto modo Rege contexuit, diſcere poterunt *Cantabrigienſes*. Inſuper autem ſi *Gulielmum* de *Veer Alberico* de *Veer*, Comiti *Oxonienſi* è *Beatrice* uxore natum, nobiſcum per idem ævi ſpatium ſtuduiſſe perhiberem, fidem forte apud *Cantabrigienſes* facturus non eſſem, Academiam puta noſtram tum nullam agnituros. Sane vero & illud affirmabo, & indicio haud levi ſubnixus videbor: cum dictus enim *Gulielmus* ad Monaſterium *Abendonenſe* (cui inter Benefactores numerabatur ipſius pater) aut animi, aut valetudinis gratiâ, eo quaſi tempore, quo prædictus *Faritius* Cœnobiarchiam geſſit, perrexiſſet, fato ibidem functus eſt, & Epitaphio exornatus, quo, inter alia quibus laudatur, legere eſt, Muſas *devoraſſe* eum & *ſuperaſſe*; in libro inſuper alio [b] ad idem aliquando Cœnobium ſpectante, verbis honore plenis memoratur, & *ab epotatione Athenarum* deprædicatur. An alibi vero quam *Oxonii* ad Artes ingenuas inſtructus fuerit, Lectoris, immo *Cantabrigienſis* licet, (modo conjecturis hic eſſe decernendum meminerit) judicium eſto.

CIↃLXXXVI.

Habito hoc anno tectorum *Oxonienſium* cenſu, in urbe & pomœriis domicilia CCXLIII. tributum pendentia, ſeu, ut dialecto forenſi utamur, Geldum reddentia [c] deſcribuntur, præter DXXII, quæ, cum vitium uſque adeo feciſſent, ut ruinam minitarentur, vectigali non ſufficiebant. Verum cum antehac *Oxonium* XX tantum libras cum ſex mellis ſextariis pro Thelonio & Gablo per annum pependiſſe acceperimus, è codice cenſuali lx jam libras ad numerum, & XX libras ad *Ora* [d] *Gulielmo* ſolventem [e] reperio, adaucti licet tributi rationem haud facile reddiderim, quod durante quidem Conqueſtoris Regno irrogatum erat, ſenſim vero deinde imminutum. Cæterum intelligere ſi geſtis, undenam evenerit ut tot ædes ad eam demum tenuitatem laberentur, ut vectigali regio impares fierent, in has forte cauſas rejiciendum videbitur.

I. Primò, fundato nuper exſtructoque caſtello partim imputabimus.

II. In læſi Conqueſtoris impetum, & urbem vi exinde hoſtili captam rejiciemus; quam à Boreali parte oppugnatam fuiſſe veriſimile eſt: & proinde ruinis ibi præcipue factis tribuendum arbitror, quoniam cum Beatæ *Mariæ* Virginis Collegium, quod *Novum* hodie appellatur (licet multis poſt annis) extruendum eſſet, Juratores ſpatium terræ à fundatore includendum deſertum antiquitus, & incultum jacuiſſe teſtarentur.

III. Quod Ædes denique incolarum complures aut vitium fecerint, aut etiam corruerint, Scholarium infrequentiæ adſcribendum duco, ex Academia haud ita pridem exterminatorum. Ejuſmodi vero Aedium haud paucæ ad *Robertum* illum *D'oilly* ſpectabant; in libro enim cenſuali ſic legis: Robertus d' Oilly *habet in* Oxon xlii *domos* HOSPIT. *tam intra murum quam extra; ex his* XVI *reddunt Geldum & Gablum: aliæ neutrum reddunt, præ paupertate non poſſunt: & octo manſas habet vaſtas, &c.* probabile autem an ſit, voce HOSPIT. aliud quicquam atque Aulas ſeu ſtudioſorum habitacula ſubinnui, ad Gloſſographos [f] refero, quorum in id genus diſceptationibus decernere erit.

CIↃXCIX.

Tametſi viri noſtri ab eruditione celebrandi, hoc temporum tractu emergentes, quærentem ut plurimum fugiunt, ſilentio tamen ſupprimendus non eſt [g] *Gualterus Calenius*, Archidiaconatu demum *Oxonienſi* functus, qui à Scriptore [h] quodam *in oratoriâ arte atque in exoticis hiſtoriis eruditus* appellatur. Sed in Hiſtoriâ quoque domeſticâ inſtructus erat, & antiquitatum rimator indefeſſus, velut è ſcriptis ejus teſtatiſſimum fit; Annalibus utique *Britannicis*, quos ex Hiſtoriâ *Britannica*, *Doldâ* ab ipſo (id tamen *Gualtero Mape*, à [i] *Lelando* perperam tribuitur) in *Angliam* devectâ excerpſiſſe fertur; additis inſuper ſui temporis rebus memoratu digniſſimis.

CIↃCIV.

At vero nec ei ſecundus erat in hoc eruditionis genere *Gulielm. Malmsburienſis*, qui his quaſi temporibus in Academiâ noſtrâ literas percepit, velut à [k] *Twyno* colligitur ex ipſius *Malmsburienſis* [l] verbis, qui de Eccleſiæ *S. Frideſwydæ* everſione & reſtitutione agens, ſic loquitur. *Legi ego ſcriptum quod in Archivo ejuſdem Eccleſiæ continetur, &c.* Hæc ad *Sigefordum* & *Morecardum*, Danos, *Oxoniæ*, ut *Florentius Wigornienſis*, & alii retulerunt Scriptores, anno CIↃXV. trucidatos pertinent; quâ de re ſubtexit *Malmsburienſis*, in Eccleſiam *S. Frideſwydæ* confugiſſe, cumque illâ conflagraſſe qui eorum partes ſequebantur, quod quidem Templum reſtitutum deinceps ab *Ethelredo* Rege fuit; quibus ut fidem faciat, ſcriptum illud in Archivo allegat, quod de univerſâ *Danorum* cæde, anno CIↃII. perpetrata agit, inque [m] vetuſtiori perinde ac [n] recentiori iſtius Eccleſiæ Regiſtro comparet. Proinde ad veritatem propendet, Annales illos nequaquam conſuluiſſe *Malmsburienſem*, cum Hiſtoriam ſuam conderet, verum eorum quæ in Archivis ibidem legiſſet, mancas quaſdam portiunculas in animum revocaſſe; quam rem ſi advertiſſet *Twynus*, nullus dubito quin de *Malmsburienſi* tradidiſſet, quod Chartam illam ad *S. Frideſwydæ* perlegerat, cum tyrocinia inibi ſtudiorum poneret, & è familia *S. Benedicti* eſſet, quem Ordinem Domicilium ibi, bonarum literarum ſtudio dicatum, poſſediſſe dictum ſuperius habes.

CIↃCVII.

Porro autem hoc temporum tractu florebant & alii complures, doctrinâ non minus clari, quam altrici *Oxoniâ* ſuperbi. Nominandus inter primos [o] *Celſus Armachanus*, vir nullâ non cognitione penitiſſime imbutus. Deinde *Rob. Bertune*, quem *Gervaſius Dorobernienſis*, *Robertum Oxonienſem clericum* nominat. Is in Epiſcopum *Herefordienſem* creatus demum eſt, & in eam ſanctitatis opinionem apud Pontificem Roma-

[a] *Edit.* Londini, 1579. *in* 4°. [b] *In Bib.* Cotton. *qui ſic imperfectè incipit----lam inhabitantibus, ut ſupra, fol.* 134. *&c.* [c] *Lib.* Domes-day, *in offic. Recept. Scacc. Regis.* [d] XII Ora, XX *vulgo ſolidos valebant*; XX *enim denarii uni ut plurimum* Oro *reſpondebant, quamvis mutato nonnunquam valore (vel ſecundum variationem ſtandardi)* XVI *denarii* Orum *alterum æquaverit. In Comitatu autem* Oxonienſi *& præſertim* Gloceſtrenſi, XX *denarii* Orum *conficiebant, ut videre eſt in libro cenſuali.* [e] *Ibidem.* [f] *Vide* Januenſem *in Catholico*, *in voce* Hoſpitium. *Et* Lynwode *in Conſtitut. lib.* 5. [g] Twyn. *in Apol. lib.* 2. *ſect.* 278. [h] Galf. Monumetenſis, *in Hiſt. Regum* Britanniæ, *lib.* 1. *cap.* 1. [i] *In Tom.* 4. *p.* 146. [k] *In Apol. lib.* 2. *ſect.* 282. [l] *In lib.* 2. *de Geſtis Regum* Angliæ. [m] *In Bib. CCC.* Oxon. [n] *In Theſaur.* Æd. Ch. *Vide in* 1. *vol. Monaſt.* Angl. *pag.* 174. [o] Balæus, *Cent.* 14. *nu.* 84.

num influxit, ut parum abfuerit quin in Divum transcriberetur. *Gulielmus* quidam *Lanthoniæ*, prope *Gloceſtriam* poſitæ Prior (quo munere & ipſe antea *Robertus* functus fuiſſet) vitam [a] ejus conſcripſit, quam hiſce verbis auſpicatur, *Coegit me* Reginalde *Prior vis amoris, &c.*

CIↃCIX.

Memoriæ quidem prodidit [b] *Lelandus*, nec *Oxoniam*, nec *Cantabrigiam*, regnante *Stephano*, ſeculiſque proxime ante ejus tempora elapſis, omnino literis viguiſſe, quas *Danicæ* nimirum procellæ diſpulerant, & in Monaſteriis uſque perſequebantur; atqui fas eſt præter illa quæ ſuperius ſunt allata obſervare, Syngrapha diverſa hac tempeſtate facta vici *Scholarum*, i. e. **School-ſtreet**, & vici *Schediaſticorum*, i.e. **Schyd-yard-ſtreet** vel **Schedwziters-ſtreet**, frequentem facere mentionem, quorum primum ipſos Scholares exercitia præſtantes, alterum vero Librarios ſive tranſcriptores incoluiſſe certiſſimum eſt. Ne vero quis ſuſpicetur Nomenclaturam hanc priora ſolummodo ſecula reſpexiſſe, videre eſt iiſdem Syngraphis Magiſtri & Clerici titulos in poſſeſſorum deſignatione paſſim annexos. Hæc habeo de *Oxoniâ* noſtra dicenda; ſi *Lelandus* autem de *Cantabrigiæ* tantum ſuæ barbarie eſſet locutus, reclamantem me non audiret.

CIↃCXI.

Hoc anno *Wymundus*, vel *Guymundus*, Regis *Henrici* I. Sacellanus, vir, ut ea ferebant tempora, apprime doctus, jus advocationis, ſive patronatus Eccleſiæ *Sanctæ Frideſwydæ* jam prope labentis, adeptus [c] eſt, ac deinde ſeipſum ad Præfecturam ſeu Prioratum præſentandum curabat. Is exturbatis ſecularibus conjugatis, cælibes (ex Academicorum præcipue numero) in eorum locum cooptavit; ejuſdem præterea Ædificia recreavit, & Prædia inſuper inviſit luſtravitque, quæ ad dictum Prioratum aut olim aut uſque tum pertinerent, eademque induxit exercitia, quæ Academicis ætate illâ fuerant in uſu.

CIↃCXXII.

Inter alios Academicos (è quibus Prioratui iſti Canonicos Regulares ordinis Divi *Auguſtini* ſuppeditatos diximus) occurrit *Rob. Canutus*, cui primas in hoc ſodalitio detulit *Guymundus*, utpote qui ſub hæc tempora Academicorum reliquiis in Scholis videtur præſediſſe. *Balæo* [d] *Robertus Crickladenſis* vocatur, quod oppido cognomine apud *Wiltonienſes* oriundus eſſet; unde cum adultiorem haberet ætatem, ad Academiam *Oxonienſem* miſſus, eos paucis annis ſtudiorum fructus dedit, ut titulis viro literato debitis merito fuerit [e] cohoneſtatus; mortuoque demum *Guymundo* ad Prioratum *Frideſwydenſem* evectus. Inter alia ejus opera quæ ab Authoribus citatis recenſentur, occurrit liber de connubio *Jacob.* quem Author [f] etiam Eclogæ inter M. SS. libros in Bibliothecâ *Balliolenſi*, his verbis inſcripſit. *Tractatus* Roberti *Prioris* S. Frideſwydæ, *de connubio* Jacob. Ipſi autem tractatui, hæc diſerte verba initium faciunt. *Dum adhuc Scholaris Scholarum inſiſterem regimini, &c.* Quibus utique innuitur *Robertum* de quo agimus, Moderatoris ſeu Rectoris munere in Scholis *Oxonienſibus* (ubi ſuſceptum quoque ſeſe ac educatum profitetur) functum fuiſſe. Illum vero titulum non alium atque Cancellarium antiquitus deſignaſſe, *Roberti Groſteſti* ſuffragio aſtruitur, qui ſupremum Academiæ ſeu Scholarum Magiſtratum eo etiam cognomine exornatum refert, velut in Catalogo Cancellariorum, ad an. CIↃCCXCIV. perdiſces. De tempore quo floruit *Canutus*, cum *Balæo* juxta ut ſentiam, adduci non poſſum. Quantumvis enim hic eum anno plus minus CIↃCLXX. aſſignarit, ex indiciis tamen contravenientibus in ſecula priora rejiciendus videtur.

Primò enim, Prioratui *S. Frideſwydæ*, ſub reſtaurationis prædictæ tempora (quod in an. CIↃCXXII. cadit) idem *Robertus*, cognomine *Presbyter*, molendinum contulit, uti in libro [g] cenſuali dicti loci perhibetur. Quam præterea donationem à Rege dein *Stephano* ratam habitam confirmatamque in hunc modum deprehendo. Stephanus *Rex* Angliæ, &c. *Sciatis me reddidiſſe & conceſſiſſe Deo & Eccleſ.* Sanctæ Frideſwydæ Oxon. *Eccleſiam* Omnium Sanctorum *infra Civitatem, &c. & molendinum ſuper pontem* Oxon. *quod* Robertus Presbyter *dedit præfatæ Eccleſiæ quando factus eſt Canonicus, &c.*

II. Quod *Guymundum* præterea in dicto Prioratu exceperit ad annum CIↃCXLI. (tempus quo à *Balæo* viguiſſe dicitur trigeſimo anno antevertens) è ſcriptis ejuſdem Prioratus omnino liquet, uti & 1. jam annos decurriſſe ex quo rectorem Scholarum agere occœpiſſet.

Teſtimoniis hiſce perſpicuum fit, vel in errore verſari *Balæum*, vel *Robertum* hunc plurimos demum annos expleviſſe, licet mentionem ejus nullam invenerim poſt annum CIↃCXLVIII. in quo nimirum Canonici *Sanctæ Frideſwydæ*, cum Monachis Cœnobii de **Bech** in *Normannia*, de Eccleſia *Belli-montis*, prope *Hungerfordiam* in agro *Bercherienſi*, [h] diſceptarunt; de quâ cum lites aliquantiſper motæ fuiſſent, anno tandem præfato, coram *Eugenio* III. Pontifice Romano, *Lutetiæ* deciſum eſt. De *Roberto* autem iſto nihil præterea addendum, niſi primum ordinis ſui ſcriptorem inter *Anglos* emicuiſſe.

CIↃCXXIX.

Cùm *Guymundo*, ſeculares è *S. Frideſwydæ* eliminanti, applauſum à pleriſque eſſet, id aliis in exemplum trahendum videbatur; hoc itaque anno *Rob. D'oilly*, *Roberti* ſupra dicti nepos, manum Cœnobio de **Oſney** ſupremam [i] imponens, Canonicos ſeculares è Collegio *Sancti Georgii* ad Caſtellum, Regulares Societatis Divi *Auguſtini* factos, eodem tranſduxit: & poſt paulo illorum Ædes fortunæ tenuioris Scholaribus ut ſuperius dictum, incolendas conceſſit; quas ad *Henr.* uſq; VIII. ætatem deinceps poſſidebant. Cæterum ejectio illa quam prædiximus Secularium, controverſiæ videtur imputanda, inter Seculares Monachoſque ſeu Regulares *Oxoniæ Lutetiæque* coortæ, de Sodalitii nimirum utriuſque dignitate colliſos. A Clericis ſecularibus ſtabat *Theobaldus Stampenſis*, Magiſter *Oxonienſis*, & Aulę ibidem alicujus præſes, qui libellum edidit contra Regulares; cum nec interim deeſſent qui Seculares ſcriptis pariter impugnarent; *Stampenſis* autem librum ſuum *Thurſtano* Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, ut apud [k] *Twynum* videre licet, nuncupavit.

[a] *MS. in Bib. quondam Eccleſiæ* Hereford. *nunc in manibus* Silæ Taylour *generoſi.* [b] *In Tom.* 4. *p.* 149. *in vitâ* Galfr. Arturii, *ſive* Monumetenſis. [c] Malmsbury, *de Pontificib.* Angliæ, *lib.* 4. Lelandus *in Tom.* 4. *p.* 158. *Lib. Mag.* S. Frideſwydæ, *p.* 8. [d] *In Cent.* 3. *nu.* 4. [e] Leland *in Tom.* 4. *p.* 186. [f] Tho. Jameſius, *in Ecloga. p.* 27. *nu.* 151. [g] *Lib. vel Reg. Mag.* S. Frideſwydæ, *p.* 14. [h] *Ibid. p.* 269. *Vide in vol. vet. Scriptorum* Normannicorum, *Edit.* 1619. *p.* 983. [i] *Chron.* Tho. Wyke, *ut ſupra, MS.* [k] *In Apol. lib.* 2. *ſect.* 275, 276.

Eodem

CIↃCXXX.

Eodem fere tempore absolutum est Cœnobium de **Osney**, quo & Palatium *Henrici* I. in *Bello-monte* positum; qui insequenti anno eodem accessit, & festum Paschatis ibidem celebravit, voluptatem è loci pariter situ & Clericorum consuetudine haud vulgarem capiens. Quâ de re *Joh.* [a] *Rossus. Rex Henricus, novam Aulam Regiæ Mansioni congruam incœpit, in quâ an. Dom.* CIↃCXXX. *Pascha regaliter tenuit, & ibi modo est domus* Carmelitarum. Privilegia tum varia Universitati simul Urbique indulsisse creditur *Henricus*; quæ deperdita quamvis olim sint, in Successorum tamen ejus chartis aliquando memorantur. Verum agrum *Oxoniensem* quo se maxime oblectabat, ulterius condecorandum voluit; viculisque haud paucis prope *Woodstochiam* deletis circa an. CIↃCXIV. Vivarium milliaria Anglica XIV. (ut vult [b] *Rossus*) ambitu complexum, incinxit, & omni ferarum genere replevit. *Et quia pro illo nobili palatio in* Oxon. (inquit idem [c] author) *& respiratione cleri & novo parco cum novo in* **Woodstock** *palatio, ipse nobilis Rex & vir magnæ literaturæ in ipso Comitatu* Oxon. *dulce habuit morari. Mittebantur sæpe huic Regi* Henrico *ab extraneis Dominis, Leones, Leopardi, Lynces, Porcupenni, Cameli, & hujusmodi animalia; habebat novum Parcum apud* **Woodstock**, *muris lapideis circumcinctum, in quo delitias talium animalium confovebat.* Hæc *Rossus*; à *Gulielmo* [d] *Malmesburiensi, Matth.* [e] *Paris*, & *Henr.* [f] *Huntingtono*, sumpsisse visus; præsertim quæ ad *Woodstochiam* spectant, cujus vivarium, primum omnium inter *Anglos* extitisse refert; de quo locutus *Huntingtonus, locum insignem* appellat, *ubi Rex* Henricus *cohabitationem hominum & ferarum fecerat.* Quamvis vero Leones & *Rossus* & *Malmsburiensis Henrico* isti tribuerint, scriptor [g] tamen qui sub *Henrico* VI. floruit, ab eo primùm Rege in *Angliam* illatos memorat; utcunque constat *Henricum* primum, rei venatoriæ amantissimum, saltibus suis curam haud parvam impendisse; quod imprimis patet de Sylvis *Cumenorâ* & *Baggeleiâ, Oxonio* propinquis; ubi cum solis Monachis & Cœnobiarchæ *Abendoniensi* copiam venandi [h] faceret, pleniorem tamen esse haud voluit, quam ut *omnes capreolos* (ea sunt concessionis regiæ verba, prædicti *Ascetæ*) *capiant, quos ibi invenire poterunt: tamen Cervos & Cervas non accipiant nisi meâ licentiâ.*

CIↃCXXXIII.

Regis itaque, *Oxonii* jam plerumque degentis, influxu, Academia ad vigorem pristinum, post diutinum languorem paulatim convaluit; etenim sub hæc fere tempora, dictus modo *Theobaldus Stampensis*, unus sub tutelâ suâ, LX. centumve studiosos [i] habuit.

CIↃCXXXIV.

Promovendis autem præmuniendisque ibidem literis, *venit Magister* Robertus *cognomento* Pullus (ex Anonymo [k] loquor qui *Bedæ* Chronicon continuavit) *de civitate* Exoniâ Oxenfordiam; *ibique scripturas divinas, quæ per idem tempus in* Anglia *obsoluerant, præ Scholasticis quippe neglectæ fuerant, per quinquennium legit; omnique die dominico verbum Dei populo prædicavit, ex cujus doctrina plurimi profecerunt.* Quibuscum suffragantur Annales [l] **Osney**, qui Magistrum *Robertum Pulleynum* vocant, adduntque quod *ex doctrinâ ejus Ecclesia tam Anglicana quam Gallicana plurimum profecit.* Quibus, inter alia, testimoniis adductus [m] *Lelandus*, laudibus illum, de operâ in restaurandis literis navatâ, mire cumulavit; quem & in Scholis prælegisse perhibet, & omnem, quod aiunt, lapidem movisse, quo Juventus Anglicana ad linguarum doctarum cognitionem instrueretur. *Pulleynus* enim exercitâ ad aliquot annos in prælegendo industriâ, tantam studiosorum frequentiam *Oxonium* pellexit, ut exercitia, quæ negligenter adeo præstita fuerant, ut exoleviisse pene viderentur, ad vigorem pristinum revocârit. Cæterum cum fama ejus longe latèque flueret, ab *Innocentio* II. Pontifice *Romam* accersitur, à *Cælestino* deinde II. ad Cardinalitiam eminentiam sub tit. *S. Eusebii* evocatur, & *Lucio* inde VII. in Cancellarium ejus adoptatus est; Quibus juxta ac aliis in *Anglia* dignitatibus auctus, tanto statim in honore apud Regem Pontificemque fuit, ut Bullas ac diplomata, tum tuendæ Academiæ, tum administrandæ, ab iisdem dicatur impetrasse; Quamvis prærogativis illis (siquas forte nobis peperit) mulctati dudum simus; partim forte in reformandâ religione deperditis, partim à bello Baronico, quo Scholares (ut infra dicetur) cum Optimatibus stetêre, ablatis. Verum *Pulleyno*, ad hæc, in gloriam accessit, quod *Sancto Bernardo* familiariter innotuit, ut ex Epistola [n] *Bernardi* CCV. constat, ad *Ascelinum* Episcopum *Roffensem* (cujus Ecclesiæ Archidiaconatum aliquando [o] gessit *Pulleynus*) conscriptâ; ubi haud parce collaudatum reperies, addito, quantum memini, quod *Lutetiæ* fuerat educatus. *Joh. Sarisburiensem*, (coævo sibi nemini, in politiore literaturâ, cessurum) *Pulleynum* audivisse, è libro [p] suo quodam liquet; ubi discipulum se *Pulleyni* vocat, quod alibi gentium quam *Oxonii* fuisse minime putandum, tum alias ob causas, tum Præcipue quod hic potissimum informandæ juventuti *Pulleynus* vacabat, & Artes Ingenuæ alibi quodammodo exularent. Id autem Religiosorum quorundam fanaticismo tribuitur, qui cùm Artes æque omnes vilipenderent, stupidis quibusdam deliramentis quæ pro summa sapientiâ venditarunt unicè vacabant. Ut ut hæc fuerint, constat *Pulleyni* discipulos *Cantabrigiam* [q] profectos, eam largo omnigenæ eruditionis imbre feliciter irrigasse, deductamque demum eò, (modo fundatam ab *Edoardo* seniore Universitatem opinemur) jam secundam à nobis Coloniam fuisse.

CIↃCXXXV.

Demortuo jam literatorum patrono (quorum & ipse pars erat) *Henrico* primo, sufficitur Rex *Stephanus*; qui conventum Regni publicum *Oxonii* hoc anno [r] indixit, ad illa nempe confirmanda, de quibus fidem inauguratus dedisset, Investiturâ nimirum Episcoporum, & Forestis; deque Danegeldo remittendo, tributo scilicet duorum solidorum pro quâvis Terræ Hidâ, *Danis* olim, ut *Anglia* abstinerent, pensitato. Regis itaque *Henrici* fato, & Conventu ordinum *Oxonii* habito, interpellatum nonnihil studiosorum otium existimemus.

[a] *In lib. de Regibus*, p. 168. [b] *Ibid.* [c] *Ibid.* p. 169. [d] *De Gestis Regum* Anglorum, *lib.* 5. *in* Hen. I. [e] *In Hist. majori, sub an.* 1256. [f] *In* 7. *lib. Historiarum.* [g] Nic. Upton, *in lib. de Coloribus Armorum qui adjungitur libro de officio militari, MS.* [h] *Reg.* Abendon. *quondam penes Baronem* Fenton, *fol.* 146, & 170. *b.* [i] *Vide* Twynum, *in apol. lib.* 2. *sect.* 276. [k] *MS. in Bib.* Bod. *fol.* 275. *a.* [l] *Script. per* Tho. Wyke, *MS.* [m] *In Tom.* 4. *p.* 140. [n] *In Epistolis D.* Bernardi, *Edit.* Basil. 1566. [o] Ric. Tillesley *in Præfat. contra animadvers.* Seldeni. [p] *De Metalogic. lib.* 2. *cap.* 10. & *alibi.* [q] Jo. Rossus, *ut supra, vide* Twyn. *Apol. lib.* 1. *sect.* 202. [r] Rad. *de* Diceto, *ut supra.*

CIↃCXXXIX.

Stephano jam & *Matilda* (quæ Imperatrix dicta est) de jure regio contendentibus, postquam duobus regnum annis tumultibus intestinis exagitassent; iisdem componendis, ordines denuo *Oxoniam* in concilium [a] vocantur; cujus gesta, cum ab instituto nostro aliena sint, præterlapsi, in proxima tempora descendimus, propter clades rei literariæ illatas minime transilienda.

CIↃCXL.

Stephanus, dissoluto, eodem quo indictus erat anno, conventu Parliamentario, *Oxonium* relinquit, & *Matilda* (Comitissa *Andegavensis* nonnullis dicta) post paucas hebdomadas in Urbem hanc per *Robertum D'oilly*, (illius nominis in *Anglia* secundum) [b] accipitur, non sine Incolarum gaudio ac plausu. Illa vero insequente die Urbem perlustrans, tum ipsam, tum imprimis Castellum muniendum, & ne à *Stephano* obsidione gravius premeretur, frumenti copiâ, omnique belli apparatu, instruendum destinat; quâ in re perplures operam condicebant, è Scholarium maxime & Clericorum numero, utpote quòd Episcoporum Primi ad *Matildam* inclinarent, qui *Stephanum*, nec jure regno potiri, nec Religioni, nec Literis favere compertum haberent.

Sed cur in his moror? Ecce quid scriptor [c] quidam tibi tradit de Urbis Castellique per eam custodiâ & defensione, unà cum secreto ejus ab illis decessu--- *Comitissa* Andegavensis (inquit ille) *ferocem semper & inflexibilem exhalans spiritum, recepta postremo incolumitate (fuerat enim ex* Wintoniensi *dispersione quassa nimis & usque ad defectam penè fatigata) cum valida militarium virorum manu Civitatem* Oxenfordiam, *quæ suo se dominio inclinaret, devenit, suosque ad resistendum Regi roborans & confortans, plurimas equestrium alas ad prædandum quaque versum direxit fide sibi & hominio connexos, ut suo conamini enixiùs suffragarentur, scriptis & nuntiis sollicitè flagitavit castella ubicunque competentius poterat; ista ad Regales validius arcendos, illa ad suos impensius tutandos passim firmavit. Unum siquidem apud* **Woodstock**, *Regis* Henrici *familiarem privati secreti recessum; aliud apud viculum* Ratrotam [d] *fluctibus inaccessè & paludibus obseptum; tertium penes Civitatem* Cirencestriæ, *juxta piam Religiosorum Ecclesiam, tanquam alterum* Dagon, *juxta arcam Domini; quartum in villa* Bentonensi [e] *super ipsius Eccleſiæ turrim, quæ ex miro cemate stupendoqae ingenioſi laboris artificio fuit ex antiquo constructa, aliaque nonnulla diversis in* Angliæ *provinciis fautoribus firmare permisit, ex quibus gravissima populi depressio, communis regni depopulatio, belli & dissidii semina ubique pullularunt.*

CIↃCXLI.

Sed Rex Stephanus, *talibus perceptis quasi tum demum à somno experrectus, à pigritiæ torpore vivè se & audacter excussit, ascitisque suæ partis assentaneis, cum plurimo constantis militiæ apparatu Civitatem* Cirencestriæ *improvisè devenit, Castellumque custodibus furtivè dispersis evacuatum reperiens, ignibus depascendum commisit, valloque & propugnaculis usque ad imum diruto, ad* Bentonam *constantissime &* Ratrotam *exercitum direxit; alteroque cum violentia capto, altero autem ex libitu reddito, quemadmodum de* Cæsare *legimus, nil actum credens cum quid supereſſit agendum, ad* Oxenfordiam Andegavensis *Comitissæ vires impugnaturus virtuosè accessit. Est autem* Oxenfordia *Civitas tutissimè munita, aquis maximæ profunditatis undique proluentibus inaccessa: hinc vallo antemurali intentissimè circumcincta, inde inexpugnabili castello & turri eminentissima pulchrè & fortissimè roborata.*

Huc igitur cum Andegavensis *comitissa cum splendida se commilitonum manu contulisset, nimirum quidem sui suorumque secura, tum quia Castellum cum omni circumjacente provincia sub sui imperii redigebatur jure, tum propter insuperabilem loci munitionem, quæ sola est duntaxat adversantium gloria. Ecce Rex cum grandi & exercitato Comitatu assistens, ex alterâ fluvii regione subito advenit, cernensque adversarios in magnam copiam conflatos è Civitate prodisse, aliosque, solo fluvio dirimente verbis injuriosis se & suos lacessere, alios verò excussis validè de cornu sagittis suos ex adversâ fluvii parte airissimè infestare, præmonstrato antiquo, sed eximiæ profunditatis vado, cum primis seipsum audacissime immersit, transitoque confestim natando potius quam vadando meatu, virili cum impetu in hostes impegit, retroque usque ad civitatis portas cedere cogens, bellicas cum eis manus viriliſſimè commiscuit. Cumque denique sui, flumine post eum transmisso, pariter emersissent, illis fugientibus & apertis portis in civitatem se recipientibus, se etiam regales turmatim cum eis intermiscentes, intra mœnia nullo obsistente contulerunt, facibusque ubique in civitate domibus injectis, insignem de Adversariis victoriæ titulum indepti fuêre. Omnes siquidem horrendo sinistri casus infortunio pariter involuêre, alios sub redimendi conditione detentos in vincula conjecêre, istos secura dispersionis suæ latibula repetentes prodire è civitate coegêre, illos in Castellum sub festinatione cum Domina sua detrusos fortiter reclusêre.*

Rex igitur tali modo victoriâ potitus, ad obsidionem in Comitissam & suos ingerendum se constantissimè accinxit, facilè reputans discordiæ regni finem imponendum, si suis illam viribus subjugasset, per quam discordandi sumpsit exordium. Dispositis igitur sollicitis hinc inde circa Castellum Custodibus, omnes aditus nocte diligenter & die observare præcepit: tribusque mensibus (viz. à Festo *S. Michaelis* Archang. usque ad nativitatem D.) *cum plurimo ibi perendinans exercitu, usque ad impudentem famis inediam Castellum inhabitantes obsidendo redegit: verùm quoniam providentiæ Dei ejusdemque judiciorum cæcus est omnis homo & ex toto ignarus, quod Rex virtuose complere proposuit, Deus in contrarium repente immutavit: quia dum fixa obsidione usque ad ipsam captivitatem Comitissam claudere intenderet, inter tot hostes, inter tot nocturni silentii excubitores, quos Rex ex omni Castelli parte curiose disposuerat, mirandis illa modis illæsa evasit. Escis namque & omni vivendi solatio penè in Castello exhaustis, Rege quoque viribus, & animose, & machinis, ad illud obtinendum desudante, illa plurimum coarctata, venturique ex toto desperata subsidii, tribus prudentis ingenii se comitantibus Militibus è Castello noctu egreditur,*

[a] Malmesbury, *in lib. 2. Hist. Novell. p. 102. b.* [b] *Chron.* Tho. Wyke, *sub an.* 1139. *& aliud incerti Chronicon MS. in Bib. Coll.* Magd. Oxon. *cujus initium est.* In diebus Sanctissimi Regis *Edoardi, &c.* [c] *In vol. veterum Scriptorum* Normannicorum. *Edit. per* Andr. Ducheſnium, 1619. *lib. 2. p. 958, &c. vide etiam in Chron.* Rob. Montensis, *MS. in Bib.* Bod. *fol.* 136, 144, *&c.* [d] Ratcote, *in Comitat.* Oxon. [e] Bampton, *in eodem Comitatu.*

perque

perque nivem & gelu (nix enim in omni abundantiſſime terra incandeſcebat, & gelu horridiſſimè aquis indurue-rat) ſex firme milliariis cum ſummo ſui comitumque la-bore pedeſtris inceſſit, quodque manifeſti fuit miraculi indicium, per ipſas, quæ ſuper Regis ſuorumque Capi-ta, dum ad Civitatem expugnandam tranſmearent, in-undaverant, aquas, illa ſicca pedes, immadida omninò veſtes tranſmiſit, perque Regis excubias qui noctis ſilen-tia hinc Cornicinum ſtridore, inde ululantium in altum clamore, ubique rumpebantur, nullo omnino exceptis ſuis & uno tantum ex Regiâ parte conſcio, egreſſioniſque illius ſolo proditore, liberè ut dictum eſt, è Caſtello ac illæſe receſſit, Civitatemque Walingfordiam, *cum plu-rimo labore noctu advenit, &c.* Hactenus Author. Mi-lites vero die proximo vel ſecundo, Caſtellum, con-ditionibus quam fieri poterat honeſtis, dederunt; in-dignante tamen haud leviter *Stephano*, operam ſe adeo luſiſſe, & Coronæ in tuto locandæ ſpem, hoſtemque Reginam è manibus pariter excidiſſe.

Cum de anno quo hæc evenerint, diſcrepare inter Authores obſervarem (quorum alii priorem, ſubſe-quentem alii aſſignant) Antiquiores, & ſub eadem pene ſecula vigentes ſecutus, geſta illa intermedio po-tiſſimum anno (nimirum CIↃCXLI.) adſcribenda duxi; quamvis nec ignorem Annales Monaſterii *Oſ-neienſis*, à *Thomâ Wyke* ſcriptos, *Matildam* anno CIↃCXXXIX. receptam ab *Oxonienſibus*, urbemque hanc non ante CIↃCXLII. captam à *Stephano* & in-ceniam prodidiſſe.

Si culpandus hic forte nonnullis videar, quod pub-lica regni geſta privatæ inſeruerim Hiſtoriæ, ſciant velim illi, ea quidem ad rem literariam nimis perti-nuiſſe, cùm Academicos, ad reflorentes nuper artes ſedulo accinctos, diſpulerint. Neque enim credibile eſt, Cultoribus juxta avibuſque quas vocant Muſarum (Apes volo) contingere; Illarum enim examina ad Tympani pulſum, in unum conglomerari accidit, hos vero diſpergi actutum & diffugere neceſſe eſt. Sed his omiſſis, proxime adferam quæ de Judæis prope hæc tempora ex quibuſdam excerptis [a] accepi. "Illi (ni-"mirum) in Parochia *S. Martini Oxon.* commorantes "dederunt Imperatrici unum eſcambium pecuniarum, "& ſimiliter continuò poſt dederunt Domino Regi "*Stephano* tria integra pecuniarum eſcambia cum di-"midiò unius eſcambii, cum omnibus bonis cujuſdam "Judæi nuper utlegati & Apoſtatæ pro liberandis "manſis ipſorum ab incendiariis, quos ille undique, cer-"tis in locis per villam diſpoſuerat, cum antea fuiſſet "combuſtum manſum *Aaroniis* filii *Iſaac* Judæi, quod "ſitum erat inter novum hoſpitium *D'oiley*, ex parte "Orientali, & aliud meſſuagium vocatum **Boken-"hall**, (Aula *Bokeniana*) ex parte auſtrali cum omni-"bus pertinentiis in eadem Parochia, quæ duo videli-"cet Hoſpitia Clericorum propter eandem cauſam ex "tunc vacua ad tempus remanſerunt.

CIↃCXLIV.

Sub hunc annum *Oxoniam* revolant diſpalati nuper Academici, & Mæcenatum quorundam impenſis ad ſtudia muniti, lecturas reſumunt; inter alios autem, qui in literaturâ ſecundum vetera inſtituta denuo proficie-bant, *Simeonem* [b] *Dunelmenſem* offendo, ſodalitii *Sancti Benedicti* Monachum, qui in abditos Naturæ receſſus Philoſophando deſcendit, ejuſque arcana ſtu-pentibus diſcipulis patefecit; cujus tamen dogmata non omnibus arriſêre, quod id eſſet ſeculi ingenium, ut Theologiæ, tum ſubtilia Philoſophantium dogma-ta, tum ineptæ ipſorum Theologorum quæſtiunculæ, plurimum officerent; Hæreticis exinde naſcentibus, & Eccleſiam acumine à doctrinæ corruptelis petito con-fodientibus. Quæſtiones enim varias *Oxonii*, *Lutetiæ*, aliiſque per ea tempora locis vexatas [c] accepimus; *de Authoritate nimirum* Petri, *de dignitate ordinis mo-naſtici*, *de præſtantia ſacri cælibatus*, *de conceptione* Marię, *de fermento & azymo*, *de deificatione panis in altari per tranſubſtantiationem*, *&c.* Cæterum id non alio animo factum ſuſpicati ſunt Authores haud pauci, quam ut hominum oculis in res caligi-ne obſeſſas defixis, ea nemo perſpiceret quæ in me-dio ſole ponerentur; litigantium ſcilicet ſuperbiam, deſidiam, vitiaque alia quibus æque ac ſophiſmatis a-bundabant. Denique in bello illo Scholaſtico depu-gnatores utrinque emerſêre, *Nicol. Albanienſis*, *Galfri-dus Monumethenſis*, *Laurentius Dunelmenſis*, qui de ar-gumentis ejuſmodi ſcripſere; quamvis defendentium an improbantium partes ſuſtinuerint, haud facile dixe-rim. Convellendæ autem hæreſibus Eccleſiæ labo-rantis Naturæ portenta, terræ ſcilicet motus, & ex-tincti pene Solis defectus præluſiſſe videbantur; quæ omnia in annum CIↃCXL. incurrunt. Et profecto, à ratione non abhorret, ut concuſſâ fide, quam moven-dis loco montibus parem accepimus, vacillaret unà Terrarum orbis, & ipſa Naturæ fundamenta trepi-darent.

CIↃCXLV.

Per hæc tempora variæ in *Galliâ* gliſcebant opinio-nes; & factio repente nova *Britanniam* à *Pariſienſi-bus*, quibus & priorem peſtem debuimus, afflavit. Ve-rum neque deerant nobis interim veritatis propugna-tores, inter quos erat *Johannes Sarisburienſis*, cui Ec-cleſia vindicias ſuas per ea ſecula [d] referebat, quanquam acceptior pleriſque non erat; adeo Rationis quoque lumen defeciſſe, magnaque humani generis pars, te-nebris obſeſſa videbatur. Prodeunte autem in publi-cum tenebrionum horum altero, qui Artium tum tri-vialium, tum quadrivialium ſtudia improbabat, contra repente ſe dedit *Sarisburienſis*, virique, fictitio *Cor-nificii* nomine notati, audaciam, libris, quos de *Me-talogicis* inſcripſit, fortiſſime contudit. *Gallus* ille *Anglus* ne fuerit haud dicam, verum, cuicunque Genti imputandus, inter conſectaneos principatum obtinuit; cùmque *Lutetiæ* ante annos aliquot errores ſuos pro-palaret, obnitentes habuit *Gilbertum Carnotenſem*, Magiſtrum *Theodoricum*, *Bernardum Carnotenſem*, *Sancti Bernardi* nomine vulgo notum; cum *Palati-nenſi Peripatetico*, qui *Petrus* quoque *Abulardus* voci-tatur. His accedit *Adamus* Peripateticus, qui cum ejuſdem dogmata diſpunxiſſet, ſanioribus gratiſſimus evaſit, aliorum tamen haud paucorum calculis preme-batur. Nec omittendus *Gulielmus* de *Conchis*, alias *Shelley*; quem *Sarisburienſis Lutetiæ* audivit, quemq; *Grammaticum* de *conchis* [e] appellat, utpote rem Gram-maticam juxta ac Philoſophicam præmonſtrantem. Hi autem junctis operis prorumpentes errores reprimere conabantur, bonaſque literas in priſtinâ aliquantiſper luce collocabant; verum aliis ex aliis (ut ſuo loco di-cetur) emergentibus malis, haud ita penitus convaluit ſanioris doctrinæ ſtudium; quin Sophiſtis demum ſuc-cubuit vera Philoſophia, ſcientiamque excepit in-ſcitia.

CIↃCXLIX.

Quoad uſque regnavit uterque *Gulielmus* jus Ci-vile receptum in *Anglià* non erat; neque enim *Pan-*

[a] *Viz.* Nigelli *Fratris de Regali loco* Oxon. *MS.* [b] Balæus, *Cent. 2. nu. 98, &c.* [c] *Ibid. Cent. 2. nn. 74. in App.*
[d] Jo. Sarisburienſis, *in lib. 1. Metalog. &c.* [e] *Ibid. lib. 2. cap. 10.*

dectæ ante annum Chr. CIↃCXXIX. à [a] *Lothario* Imperatore restituebantur. Atqui, testante *Gervasio Dorobernensi*, cùm *Henricus* I. rerum potiretur, *Irnerius Bononiæ*, *Oxoniique Vacarius*, Jus illud explicabant. *Regnante* (inquit *Gervasius*) Henrico I. *leges & Causidici in* Angliam *primo vocati sunt*, *quorum primus Magister* Vacarius *hic in* Oxenfordiâ *legem docuit*. Hæc vero anno CIↃCXLIX. cecidisse perhibemus, plurimorum [b] authoritate suffulti, qui memoriæ mandarunt, Magistrum *Rogerum Vacarium* seu *Baccalaureum*, natione *Longobardum*, & deinceps *Becci* in [c] *Normanniâ* Abbatem, *Oxonium* perrexisse, legemq; ibi Romanam seu Civilem, quam ipse secum advexerat, exposuisse. Ad *Vacarium* vero illum Scholares, novæ eruditionis avidi, certatim convolabant; qui posthabitâ conditionis ratione, generosos æque ac Plebeios informavit, & in tenuiorum dein gratiam, è Codicibus ac Digestis libros novem contexuit, litibus plerisque omnibus dirimendis haud impares. Atqui si accersiti in *Angliam Vacarii* rationem quæsiveris, controversiæ tribuimus inter *Theobaldum* Archiepiscopum *Cantuariensem*, & *Henricum Blesensem*, *Wintoniæ* sedentem, componendæ; quorum primus Legati munus, à Pontifice *Romano* sibi & Successoribus delatum, vendicabat, alter, emergenti semel de causâ concessum, & impotentius administratum, arripere laborabat. Hanc itaque litem compositurus *Vacarius*, *Oxonium* (uti diximus) concessit; ubi legum deinceps prælector primus hominum extitit; quo mortuo Jus Civile in *Galliam* primum, inque Academiam ibi *Montis Pessulani*, CIↃCXCVI. à *Placentio* invectum [d] liquet. Quid itaque fiet Antiquario *Cantabrigiensi*, qui Juris-peritos Universitati suæ sub *Henrico* etiam I. [e] tribuens, haudquaquam erubuit, asserere porro non dubitans, coortis inter illos, anno Chr. CIↃCIII. & IIIº Regnantis *Henrici* I. dissidiis authoritatem regiam intercessisse, comitiaque illis celebranda, feudaque Bedellis persolvenda statuisse: cùm *Henrici* tamen V. seculo hæc unice competant, ut è regio ipsius [f] Brevi (quod vocant) patet, cujus prima verba & postrema si lubet accipe.

> Henricus *Dei gratia*, *Rex* Angliæ & Franciæ, & *Dominus* Hiberniæ, *universis & singulis Baccalaureis & aliis Scholaribus Juris Canonici & Civilis*, *in Universitate nostrâ* Cantabrig. &c. *Teste meipso apud* Westmonasterium, XXIV Aprilis, *anno Reg.* III. Dom. CIↃCCCCXXV.

Sed ad *Vacarium* ut revertar, illum scriptor [g] Gentis nostræ, clari ut qui maximè nominis, obnixe celebrat; pro *Rogerio* illo habens, qui inter Jurisperitos Italicos ex *Irnerii* Scholâ prodeuntes recensetur, quique Tractatum de *Præscriptionibus*, haud parvi apud Interpretes nostros momenti, edidit; illius etiam summæ Authorem arbitratus, unde suam desumpsit *Placentius*, suamque itidem *Azo*, reliquis quibuscunque, à Scriptoribus Juris Civilis antehabitam. Postremo, celeberrimum illum *Vacarium* existimat, qui à prælegendo apud *Anglos* Jure Civili ad Cœnobiarchiam *Becci* in *Normannia*, mortuoque inde *Theobaldo*, ad Archiepiscopatum *Cantuariensem* evocatus est; quamvis huic Dignitati vitam Monasticam præ-

tulerit, & Monasterio dicto præsidens diem clauserit, anno partus Virginei CIↃCLXXX.

CIↃCLI.

Verum ut res paulo altius repetatur, Legum in *Anglia* studium, tum apud Clericos, tum Laicos invaluisse brevi deprehendimus; immo eo propediem obtinuisse, ut Artistæ eruditionem suam evilescere sensim indigne ferentes, querelas ad Regem detulerint; malaque legibus illis complura tribuentes, tanquam cum Anglicano ingenio pessimè habentes criminarentur. Denique à Rege dicuntur impetrasse, ut silentium *Vacario* publice imponeret, scitoque suo cautum haberet, nequis dicti Juris libris aut frueretur Ipse, aut aliis in posterum prælegeret; uti à *Sarisburiensi* [h] accepimus, qui *Vacarium*, *Nostrum* appellat, haud obscure subinnuens, se quoque literis apud *Oxonienses* incubuisse. Quin & *Rogerus Baconus*, vir in proximo seculo omnimoda eruditione instructissimus, in easdem Leges animò non ita propenso fuisse videtur: qui de inhibito earundem studio, agens, sententiam ita suam [i] tradidit.

Omne Regnum habet sua jura quibus laici reguntur ut jura Angliæ *&* Franciæ: *& ita fit justitia in aliis Regnis per constitutiones quas habent*, *sicut in* Italia *per suas. Quapropter cum jura* Angliæ *non competunt statui Clericorum*, *nec* Franciæ, *nec* Hispaniæ, *nec* Alemaniæ, *similiter nec jura* Italiæ *ullo modo. Quod si debeant Clerici uti legibus Patriæ*, *tunc est minus inconveniens ut Clerici* Angliæ *utantur legibus* Angliæ, *& Clerici* Franciæ *utantur legibus* Franciæ, *quapropter maxima confusio Clericorum est*, *quod hujusmodi constitutionibus laicalibus subduntur colla. Rex quidam* Angliæ Stephanus, *allatis legibus* Italiæ *in* Angliam *publico edicto prohibuit*, *ne ab aliquo retinerentur. Si igitur laicus Princeps*, *laici principis alterius leges respueret*, *multo magis omnis Clericus deberet respuere leges laicorum. Addo etiam quod magis concordant jura* Franciæ *cum* Angliæ, *& è converso propter vicinitatem Regnorum & communicationem majorem partium istarum*, *quam* Italiæ *& illarum. Quare deberent magis Clerici* Angliæ, *subjicere se legibus* Franciæ, *& è converso*, *quam legibus* Lombardiæ, &c.

Sic *Baconus*; qui cum politiori Literaturæ impendiò studeret, exolescere jam eandem, Scholarium quamplurimis in Juris studio occupatis, iniquo animo tulit. Labem porro artibus, professorum imperitiâ aspersam prædicabat; quod illi, delibatis tantum sanioribus literis (quibus seriam antea operam dare consueverant) & novis jam curis abducti, ad invectas nuper ineptias raptim transirent. Sane quidem, certissime constat, plerosque jam Clericos industriam omnem ad leges transtulisse, utpote à quibus præsertim dignitates sibi opesque pollicerentur. Quinetiam cum scriptores hujus seculi celebriores (quales *Joh. Sarisburiensis*, *Petrus Blesensis*, *Gyraldus Cambrensis*, &c.) leges Cæsareas libris suis abunde illustrassent, exinde fiebat ut restincto Theologiæ, Artiumque amore, Scholarium turba ad easdem deflecteret; & doctorum propterea multorum querelæ prorumperent, ipsis legibus dicam impingentium.

[a] Gerv. Dorobernensis, *in Act. Pontif.* Cantuar. *Edit. inter Scriptores Histor.* Angliæ, 1652. *in vita* Theobaldi. [b] Rob. Montensis, *in Chron. suo MS. in Bib.* Bod. *fol.* 140. *a. Col.* 2. *Vol. vet. Scriptorum* Norman. *ut supra*, *p.* 983, *&c.* [c] *Anno* 1148. *obiit* Bechardus 6. *Abbas* Becci *cui successit* Rogerius *Magister* Waccarius. *Sic in Scriptoribus* Normannicis, *ut supra.* [d] Pasq. Recherch, *lib.* 9. *cap.* 37. Duckius *de authoritate Juris Civilis*, *lib.* 2. *cap.* 8. *part.* 2. *sect.* 27. [e] *In Histor.* Cantab. *lib.* 2. *p.* 125. *vide etiam in* Angl. *Historia* Cantab. *per* Fullerum, *p.* 5. *an.* 1110. [f] *Reg.* Markant Cantab. *& ad finem Vitarum Archiep.* Cantuar. *per* Mat. Parker, *in Bib. S.* Jacobi. [g] Jo. Selden, *in Dissert. ad* Fleet. *cap.* 8. [h] *In Polycratico lib.* 8. *cap.* 22. [i] *In opere minore MS. cap.* 4. *& alibi.*

Poste-

Postea Jus Civile apud *Gallos*, & alibi in magno pretio esse cœpit; quod cum *Parisienses* Theologi animadvertissent, in tantas ut vocant utrumnositates se conjecerunt, ne propter rerum suarum exilitatem ab aliis contemnerentur, ut omnino immemores sui ipsum S. Scripturæ textum deserentes, summulis atque sententiis totos se traderent: quam legendi rationem *Rog. Baconus*, ita gravissimè [a] reprehendit. *Baccalaureus* (inquit) *qui legit textum, succumbit lectori sententiarum* Parisiis, *& ubique in omnibus honoratur & præfertur: nam* Parisiis, *ille qui legit sententias habet principalem horam legendi secundùm suam voluntatem, habet & socium & cameram apud Religiosos: sed qui legit Bibliam caret his & mendicat horam legendi secundùm quod placet lectori sententiarum: & qui legit summas disputat ubique & pro magistro habetur, reliquus qui textum legit non potest disputare, sicut fuit hoc anno* [b] Bononiæ, *& in multis aliis locis, quod est absurdum: manifestum est igitur quòd textus illius facultatis subjicitur uni summæ Magistrali: sed propter hoc est statutum cujuslibet facultatis, nam omnis alia facultas utitur textu suo solo, & legitur textus in Scholis, quod scito textu sciuntur omnia quæ pertinent ad facultatem propter quam textus sunt facti, & longè majus est quod textus hic de ore Domini & Sanctorum allatus mundo, est ita magnus, quod vix sufficeret aliquis Lector ad perlegendum eum in tota vita sua: alibi Magistri textum legunt, demum facti Doctores, nec usi sunt nisi hoc textu, neque sapientes anti-qui quorum aliquos vidimus ut fuit dominus* Robertus [c] *Episcopus* Lincoln. *& frater* Adamus *de* Marisco, *& alii maximi viri, &c.* Ita de Lectionibus *Baconus*.

CIↃCLIV.

Inter clariores hujus ævi Jurisperitos recensetur [d] *Albericus* de *Veer*, Comes *Guiennensis*, Regisque *Stephani* Procurator Primarius, quem *Matth. Paris* [e] *Cæsarum varietatibus exercitatum* retulit; Deinde & *Laurentius Dunelmensis*, quem nonnulli [f] Theologum appellarunt, è scriptis [g] tamen fide dignissimis constat, in Jure Civili probe fuisse versatum. Is cùm *Româ* in Patriam reverteretur, inter *Gallos* obiit CIↃCLIV; ejusque dein ossa ad Urbem usque *Dunelmensem* deportata, in Monachorum Cœmiterio deposita sunt.

CIↃCLVI.

Circa hæc tempora *Oxonii* studuit *Rogerus Infans*, inque Astronomum ac Mathematicum insignem emicuit; cujus inter Scripta (quorum aliqua in Bibliothecis hodiernis supersunt) librum hac Inscriptione [h] deprehendo; *Computus Magistri* Rogeri Infantis, *in quinque libros divisus.* Quem se tractatum, ad an. CIↃCLXXVI. confeciss̃e, Mathematices præterea Lectorem extitisse, annosque nonnullos *in Regimine Scholarum* posuisse, is ibidem commemorat. Ea autem indicio esse possunt, non tantum *Oxoniensem* fuisse illum, sed & locum *Cancellarii* tenuisse, quem supra (ad an. CIↃCXXII.) Rectorem Scholarum illo temporum tractu nuncupatum ostendimus. Antiquarius noster *Rogerum* hunc, *Herefordiensem* illum fuisse, qui à [i] Mathematicis & Astronomis in pretio habitus est, arbitratur. Id autem probabile esse putat, quoniam & eodem seculi spatio floruisse, & de uno uterque argumento scripsisse dicatur; qui exinde pro binis haberi poterant, quod (ut à *Lelando* [k] edocemur) viri tum docti, bina sibi cognomenta (unde posteros in errorem duci contigit) pro more adsciscerent. Temerarius ergo Historicus [l] *Cantabrigiensis*, qui *Lelando*, *Balæo*, *Pitseo*que subnixus, *Robertum* hùnc inter suos ponit; quod nullo eum jure feciss̃e, palam facere conabimur.

Imprimis, de *Lelando* [m] constat, *Rogeros* ab illo binos numerari, *Herefordensem* alterum, alterum *Herefordum* vocitatum; quorum priorem (quem ad se trahunt *Cantabrigienses*) anno CIↃCLXX. viguisse [n] tradit, neque tamen illum Academiæ suæ largitur: alterum sub Rege *Ricardo* II. vixisse refert, & conjecturis tantum [o] agens, *Cantabrigiæ* nutritum suspicatur; quem (si ex duobus alterum habere statutum est) *Cantabrigiensibus* forte donabimus.

Deinde *Balæus* unum tantùm [p] profert, quem iisdem annis inserit, quibus Antiquiorem è suis *Lelandus* adscripserat; quemque literis apud *Cantabrigienses* vacasse tradit. Denique vero de *Pitsei* testimonio non moramur, *Balæum* tantum sequentis. Quærimus autem an male compositi *Roberti Balæum*, an perperam divisi *Lelandum* postulabimus? Profecto ad Lectorem provocamus, annon *Lelando* potius adhibenda sit fides, quam illi, qui & maximam scriptorum suorum partem à *Lelando* desumpsit, & eundem sine causa deseruisse videtur?

CIↃCLVII.

Hic annus *Richardum*, à *Corde Leonino*, vulgo **Coeur de Lyon** cognominatum, *Anglis* donavit; *Oxonii* nempe die Assumptionis Beatæ *Mariæ*, inque Palatio Regio in *Bellomonte* sito [q] natum; speciatim vero in illâ Camerâ, cujus Areæ fratres *Carmelitani* Campanilem deinde Turrim superstruxerunt (postquam scilicet Mansionem illam ab *Edoardo* II. dono accepiss̃ent) quam animis haud parum elati, viatoribus deinceps ostendere solebant. Verum ne à *Ricardo* aberremus, vir ille erat, qui ad Virtutis robur invictum, animum bonis literis propensissimum attulit; quique *Oxonium*, ubi in lucem prodire contigerat, Prærogativis adauxit; deperditis licet jampridem illis, & in literis tantum, quas *Inspeximus* vocant, comparentibus.

CIↃCLVIII.

A *Richardo* descendimus ad *Thomam* illum de *Becket*, Clericum *Londinensem*, & à *Theobaldo* (*Cantuariæ* sub *Stephano* sedente) in *Italiam* [r] amandatum; ut *Bononiæ* nimirum instructior in Jure fieret, Patriæque inde suæ operam haud ingratam navaret. Is autem in *Angliam* hoc velut anno reversus, ad LL. Doctoratum *Oxoniæ* [s] promovetur, deque ejus aliorumque exemplo, ad eundem complures gradum spirabant. Et hinc deinceps evenit, ut cum ad Archiepiscopatum *Cantuariensem* elatus esset, *Oxonienses* ad ampliss̃ima frequenter munera evocârit, & *Gualterum* (nominatim) de *Constantiis* Archidiaconum nuper *Oxoniensem*, in Archiepiscopum *Rotomagensem* evexerit.

[a] *In opere majore ad* Clem. 4. *in cap. de* 4°. *Theologorum peccato.* [b] 1267. *aut eo circiter.* [c] Robertus Grosteſt. [d] Selden, *ut supra, in dissert. ad* Fletam, *cap.* 7. *sect.* 7. [e] *In Hist. sive Chron. sub an.* 1139. [f] Balæus *cent.* 2. *nu.* 98. *& alii.* [g] *In lib. de Antiquitate Monasterii* Dunelm. *MS.* [h] *In Bib.* Bod. *inter Codices* Digbeianas. *MS.* [i] *In quibusdam notis suis penes me*, A. W. [k] *In Tom.* 4. *p.* 199. [l] Tho. Fuller, *in Hist.* Cantab. *sub. an.* 1170. [m] *In Tom.* 4. *ut ante.* [n] *Ibid. p.* 185. [o] *Ibid. p.* 297. [p] *In Cent.* 3. *nu.* 13. [q] Jo. Rossus, *in lib. de Regibus, ut supra. p.* 236. [r] Gervas. Dorobern. *in vita* Theobaldi. [s] Twyn. *lib.* 2. *sect.* 282.

CIↃCLX.

Status jam Doctrinæ quoad Theologiam & Philosophiam calamitosus plane erat. Causæ autem Artium neglectarum (quemadmodum viri eruditione celebres testantur, & inter illos *Gyraldus*) [a] sic se habebant. *Causam* (inquit ille) *tanti defectus hujus & tam generalis hanc esse noveritis, quod literaturæ radicem & fundamentum eatenus inconcussum Leges Imperiales in Regnis occiduis jam propemodum, immò præter modum, hodie suffocarunt. Tempus enim de quo* Sibyllæ *vaticinium olim mentionem fecit (quod Magistrum* Menervium, *principalem* Petri Abulardi *discipulum, & Rhetorem incomparabilem, eximium in auditorio suo,* Parisiis *coram multitudine Scholarium recitantem audivimus, & plangentem, damnisque futuris valde compatientem) jam advenit, erat autem vaticinium tale:*

Venient dies, & væ illis, quibus leges oblite-rabunt scientiam literarum.

Secunda literaturæ defectus causa est (inquit ille) *quod Scholares diebus istis in Trivio studentes, prætermissis omnino fere duabus facultatibus perneccssariis, quarum prima rectè, secunda verò lepidè loqui docet & ornatè, ad studium Logices & garrulæ loquacitatis apparentiam, quatenus acuti videantur & diserti, se cursu veloci transferre deproperant; Cathedramque Magistralem solum triennii spatio seu quadriennii, quatenus quod male didicerunt & imperfectè, doctrinâ prorsus inutili cæteris insinuent, & ut Magisterii nomine tumescant, & ad Leges aut Physicam, lucrosas scil. pro tempore scientias illico transeant, scandere non erubescunt; quod nos quidem & coætanei nostri tempore sereniore pariter & feliciore, donec non solum in trivio, verum etiam in authoribus & Philosophis, nec non & metricis ac dictaminum studiis massati plenius essemus & consummati, xx annorum aut plurium labore continuo non attentavimus.* Ita is. Defloreſcentibus itaque Artibus tum in [b] Trivio, tum in Quadrivio [c] positis; succrevit paulatim (ut paucos post annos dicemus) adulterina ea eruditio, quæ barbariem unice invectura videbatur.

CIↃCLXI.

Cæterum per istum ut complures arbitrantur, *Theologiæ, Artium*que, eandem communientium, neglectum Hæretici varii Opiniones suas disseminandi occasionem amplexabantur. Horum de numero erant *Gerardini*, quorum xxx è *Germaniâ* [d] & *Vasconiâ* in *Angliam* sub hæc tempora migrantes, miramque Sanctimoniam præ se ferentes, novas de Sacramentis Opiniones spargebant; quæ eousque post paulo invaluere, ut ipsam pollui Academiam, fidemque inde totâ pene *Britanniâ* adulterari contigerit.

CIↃCLXIV.

Post tres inde annos, prorupêre [e] *Waldenses*; *Publicani* nonnullis dicti; qui, inter alia, sensisse dicuntur Pontificem *Romanum*, in meretrice quam *Babylonicam* vocamus præmonstratum fuisse; quinimo nec illi aut Episcopis obedientiam aliquam præstandam esse dopræ-dicabant; sacris autem ordinibus initiari, Bestiæque Apocalypticæ nomine inuri, tantundem esse. Vitam insuper Monasticam, Missas, Purgatorium, Ecclesiarum dedicationes, Sanctorum cultum, & pro demortuis preces, acerrime impugnabant. Cæterum eorundem dogmata perpauci *Anglorum* benigne acceperunt, quamvis impense laborarent præpotentiores nonnulli, ut in Academias quoque inducerentur.

CIↃCLXVI.

Deteguntur duobus inde annis prædictorum bene multi, & apud *Oxonienses* [f] detinentur, donec per Doctores Academicos examinati, & Hæreseos coram Rege & Episcopis comperti, frontem candenti ferro notatam reportarent. Hos, nisi me fallo, *Walterus Mape*, à *Newbricensi* [g] mutuatus, *Publicanos* vocat; quos tamen *Paternos* rectius, à patiendo, appellitandos existimat, quod eorum xxvi. & ignis & flagrorum notis, fronte ac Tergo impressis, mulctati fuissent.

CIↃCLXVIII.

Sub hæc tempora inter *Oxonienses* vigebat *Herbertus* de *Bosseham*, *Bossæ* (locus ille à *Pseudo-saxonum* Apostolo nomen [h] sumpsit) in *Sussexia* natus: qui in Archiepiscopum dein *Beneventinum* emersit, & à *Lucio* III. ad Cardinalitiam eminentiam evectus erat; de quo præterea [i] *Balæus*; *liberalium Artium ac Scholasticæ Theologiæ Magisterium* Oxoniæ *adeptus est*. Subnectendus proxime *Gulielm. Petroburgensis*, qui inter Academicos quoque Theologos floruisse [k] dicitur, & distinctiones Theologicas edidisse; cui accedat *Alanus Teuxburiensis* qui sub *Ricardo* I. inclaruit. Hi Theologiam Scholasticam *Oxoniæ* professi sunt, quod *Cantabrigiæ* factum, ante *Vincentii Conventriensis* (is vero ad annum CIↃCCLIX [l] vixit) ætatem, nullibi reperio.

Exolevit jam indies politioris Literaturæ studium, & Orationibus Declamatoriis in desuetudinem abeuntibus, quotquot Legibus nomina non dederunt, Theologiæ, mille jam nodis implicitæ, ætatem impendebant; unde deperditis mox Linguæ Romanæ nitore & elegantiâ, & influente in Academiam superbâ quâdam Barbarie, Latinæ nemo dictionis puritatem retinuit, quam adeptum tamen sese nemo non gloriaretur. Horridam illam & salebrosam Theologiam *Balæus* inprimis notavit, qui ut seculorum istorum superstitiones ubique corripit, sic tetricum hoc Theologorum Idioma pari asperitate [m] proscindit; ---*Et stultior est* (inquit ille) *hæc sententiariorum Theologia, ex hoc Centaurorum biformi conflata genere, quam sunt scripta fabulosa* Hesiodi & Orphei *Theologorum Gentilium, &c.* Quam & alibi [n] appellatam habes, *Theologiam ineptiorem quam erat antiqua illa Gentilium sapientia, Poetica & fabulosa, &c.* Verum si censuram hanc acerbam plus nimio existimes, memineris *Balæum* sub ea tempora vixisse, quibus de reformandâ Religione agebatur; suaque inde scripta aculeis gravioribus armasse, quod Theologia illa linguam non tantum Latinam Barbarismis, sed & doctrinam etiam Evangelicam corruptelis variis adulteraſſet; quæ cum in Quæstiun-

[a] Sylv. Gyraldus *in lib.* I. *Distinctionum, MS. cap.* I. [b] Grammatica, Dialectica & Rhetorica, *dicuntur* Trivium *quâdam similitudine, quasi triplex via ad eloquentiam.* [c] Arithmetica, Musica, Geometria & Astronomia, *quadam similitudine dicuntur* Quadrivium *quasi quadruplex via ad sapientiam. Sic* Lynwoddus *in glossis ad Tit. de* Magistris. [d] Pits. *Æt.* 12. [e] *Ibidem.* [f] *Hist.* Tho. Walsingham, *p.* 446. Balæus *cent.* 2. *nu.* 97. Pitsæus *Æt.* 12. *nu.* 213. *in nota ibid.* [g] Walt. Mape, *in nugis curialium Distinct. p.* I. *cap.* 30. *MS. in Bib.* Bod. [h] Leland. *in Tom.* 4. *p.* 176. [i] *In Cent.* 3. *nu.* 15. [k] *Ibid. cent.* 3. *nu.* 22. & Lel. *in Tom.* 4. *&c.* [l] Bal. *cent.* 4. *nu.* 12. [m] *In cent.* 4. *nu.* 82. [n] *In cent.* 5. *nu.* 11.

culis

culis futilibus occupata præsertim esset, & plebi Christianæ fructus parum, & Deo Gloriæ nil pene quicquam accrescere exinde videbatur.

Cæterùm Theologiam hanc disputatricem peperisse dicitur *Petrus Lombardus*, congestâ eâ Sententiarum Summâ, cujus vel Analysi, vel dilucidationi perplures postea insudarunt. Id primi fecêre *Parisienses*; deinde & nostratium aliqui, qui ut Gallica eruditione instruerentur *Lutetiæ* agentes, Theologiam hanc novam in *Angliam* transduxêre. Ea vero paucorum annorum decursu apud *Oxonienses* tantopere percrebuit, ut tempore *Edoardi* I. & II. nullibi magis invaluisse videatur; cùm nulla alia Universitas, tot viros eo nomine deprædicandos, unius ævi spatio (vel intra centum annos) produxerit. Quis enim præterea locus *Invincibilem Halesium, Mirabilem Baconum, Solidum Middletonum, Scotum Subtilem, Burlæum Approbatum, Baconthorpium Resolutum, Singularem Occhamum, Firmum* ac *Indefessum Holcotum, Profundum Bradwardinum, &c.* eodem pene seculo exhibuit? *Romam, Lutetiam, Bononiam*ve frustra nominabis; apertum quippe est (neque enim primus assero) & disciplinam Academicam accurasse *Anglos*, & Theologiam Scholasticam exacuisse; quæ cùm ad id quicquid est fastigii apud nos perveniset, *Lutetiam* primo & in alia *Galliæ* loca transivit, deinde in *Italiam* quoque & *Hispaniam* [a] perrexit; adeo ut si *Roma* acceptum à se Christianismum *Britannis* exprobret, propugnatricem ejusdem Theologiam iisdem referre meminerit. Sed de his satis; infiniti enim operis esset, Gentis nostræ Authores omnes recensere, qui scriptis per ea secula Theologicis apud omnes gentes inclaruêre.

CIↃCLXX.

Jam Rex liberiorem in clerum dominatum exercere cœpit, & connivente Pontifice *Romano*, Tributa iisdem gravissima irrogare; unde fiebat, ut perplures, verso solo, ad *Philippum* Illustrissimum *Galliæ* Regem [b] confugerint; qui ab eo benigne accepti, & (quod ambitionis summa erat) in Cœnobia societatis *Cisterciensis* alendi disponuntur. Quare dubitare non est, disciplinam apud nos Monasticam inclinasse, & afflictas gravius ab exactoribus regiis quam à receptis legibus [c] Artes fuisse, immo Sacram quoq; Paginam legi desitam, & quicquid apud Deum hominesve laudem promereatur evilescere cœpisse. Porro autem, eidem ni fallor migrationi tribuendum est, quod Schola seu Collegium *Anglorum, Lutetiæ* sub id seculi exstructum fuerit; ubi nostratium haud pauci (inter quos [d] *Sylv. Gyraldus*) annos aliquot in literis ponentes, inque patriam inde remeantes, Sophismata non tantum & ineptias Gallicanas, sed & inquinatos pariter mores secum advexêre; id enim vitæ genus inter *Parisienses* agebant, ut illius seculi [e] scriptor, *Anglos* advenas, tanquam aut virtutibus, aut vitiis maxime conspicuos, ejusmodi carminibus enarrarit.

Pexus & ablutus tandem progressus in urbem,
Intrat in Ecclesiam vota precesque facit.
Inde Scholas adiens secum deliberat, utrum
Expediat potius illa vel ista Schola.
Et quia subtiles sensu considerat Anglos
Pluribus ex causis se sociavit eis.
Moribus egregii verbo vultuque venusti
Ingenio pollent, consilioque vigent.
Dona pluunt populis & detestantur avaros,
Fercula multiplicant & sine lege bibunt.
Washeyl & Drynkheil *nec non persona secunda,*
Hæc tria sunt vitia quæ comitantur eos.
His tribus exceptis nihil est quod in his reprehendas,
Hæc tria si tollas, cætera cuncta placent.

His ille, natione quidem *Anglus*, sed qui *Lutetiæ* iisdem annis studebat, popularium suorum mores perstringit.

CIↃCLXXV.

Verum equidem, re probe perpensâ, comperies *Anglos* intempestive admodum in *Galliam* transvolasse, ubi errores haud pauci circa hæc tempora pullulabant, inter quos notissimi erant, qui *Petro Lombardo* tribuuntur. *Alexandrum* enim III. Pontificem *Romanum*, literas, quasi hoc anno, ad *Gulielmum* Episcopum *Senonensem* dedisse [f] constat; mandantes, ut Suffraganeis suis & Magistris in Theologiâ *Lutetiam* convocatis, hæreticam illam propositionem abrogaret, *Christum* scilicet *secundum quod est homo, non esse aliquid.* Neque tamen in promptu habeo dicere, an eundem nostrates errorem amplexati fuerint; quanquam *Lombardi* Sententiis addictissimos fuisse in ambiguo non est; varioque errores à *Gallis* indubiè acceptos, *Oxonii* deinceps publice improbatos inferius dicetur. Sane quidem notissimum est, tum per transmigrantes quos dixi nostrates, tum per frequenter posthæc trajicientes *Gallos*, turpissimas doctrinæ labes in *Angliam* appulisse.

CIↃCLXXX.

Sub hæc tempora *Sanctæ Frideswydæ* Reliquiæ, è Templi eidem nuncupati obscuriore loco, in magis conspicuum deportantur, Rege ipso, Episcopis, Regnique Optimatibus translationem illam condecorantibus; pluribusque interim, (si fidem [g] referenti tribueris) è Laicorum perinde & Clericorum numero, mirifice sanatis. Quâ virtute cum *Frideswyda* deinceps etiam pollere crederetur, ejusdem brevi fama longe lateque gliscebat.

CIↃLXXXIII.

Dubium non est quin *Sylv. Gyraldus* primos *Oxonii* annos posuerit; quamvis *Lutetiam* deinde (quod *Anglis* etiam ante annum CIↃCLXX. usu venisset) migrârit, aliasque tandem *Europæ* plagas inviserit. *Henrici* autem II. jussu in Patriam reversus, in eam repente gratiam apud eundem influxit, ut Legati munere, septem vertentibus annis, functus creberrime fuerit; cumque *Henrici* filius *Johannes* in *Hiberniam* mitteretur, Secretarii officium sub eodem gesserit. In eâ vero Insulâ aliquantisper moratus, Regionem, quâ erat Industriâ, peragravit, eamque chartis Geographicis sedulò [h] descripsit; quas in *Walliam* rediens, accurate perpolivit, inque ordinem commodiorem digessit; & ut Author vitæ ejus refert, --- *processu temporis, opere completo & correcto, lucernam accensam non sub modio ponere, sed super candelabrum ut lu-*

[a] Alex. Minutianus *in Epist. quadam. Vide* Pitsæum *æt.* 13. *in* Alex. Hales. [b] Rad. Niger. *in Chron. suo MS. fol.* 99. [c] *Liberalium Artium exercitia evanuerunt occasione ambitiosi quæstus ob quem curritur ad leges seculi & decreta & Physicam. Ita* Rad. Niger, *ut supra.* [d] Bal. *Cent.* 3. *nu.* 59. [e] Nigellus Wireker, *in speculo* Brunelli *MS.* [f] Matth. Parys, *sub an.* 1175. [g] Philip. *Prior* Sanctæ Frideswydæ, *in lib. M.S. de miraculis* S. Frideswydæ. [h] *Ut in vita* Sylv. Gyraldi, *ad finem libri* 4. *Distinct. MS. & in alio exemplari ejusd. vitæ in Bib.* Cotton. *cap.* 28. *p.* 38.

ceret erigere cupiens, apud Oxoniam, *ubi clerus in* Anglia *magis vigebat, & clericatu præcellebat, opus ſuum in tanta audientia recitare diſpoſuit; &, quoniam tres erant in libro ſuo diſtinctiones, qualibet recitata die tribus diebus continuis recitatio duravit. Primoque die pauperes omnes oppidi totius, ad hoc convocatos, hoſpitio ſuſcepit & exhibuit. In craſtino verò Doctores diverſarum facultatum omnes, & Diſcipulos famæ majoris & notitiæ, tertio die reliquos Scholares, cum militibus, oppidanis, & Burgenſibus multis. Sumptuoſa quidem res eſt & nobilis, quia renovata ſunt quodammodo antiqua & authentica in hoc facto Poetarum tempora: nec rem ſimilem in* Anglia *factam, vel præſens ætas vel ulla recolit antiquitas.* Inſuper autem clariſſimi viri variis *Gyraldum* laudibus, de facto illo egregio cumulabant; eumque inter alios haud infrequentes Sanctus Magiſter *Robertus* de *Bello fago*, Canonicus *Sariſburienſis*, oratione ſoluta [a] celebravit; *Walterus* vero *Mape*, Archidiaconus *Oxonienſis*, & prælegentem audivit, & pro concione laudavit. Quod ad morem hunc attinet, quo ipſe Author ſcripta ſua voce vivâ publicaret, is apud Poetas juxta & Hiſtoricos, ut poſt alios fuſiſſimè docet [b] *Voſſius*, antiquitus increbuit; Poetis enim illud ſolenne erat, quoties vel eundem perplures Heroem (quod *Mauſolo* obtigit) certatim decantarent, vel de Ingenii laude contenderent. Hiſtorici autem, præcipue Græci, libros ultro ſuos populo legebant. Quippe *Herodotus* antiquiſſimus Hiſtoricus Græcus, ut dicitur, libros ſuos muſarum nomine inſcriptos in *Panathenæorum* panegyri recitavit. *Thucydides* etiam cum *Herodotum* libros ſuos publicè recitantem, ſive *Olympiæ*, ſive potius *Athenis*, in *Panathenæis* audiviſſet, ad ſcribendum fuit excitatus. *Timagoras* autem ita huic methodo unice intentus erat, ut Hiſtorias quas ſcripſit poſtquam recitaſſet [c] ſtatim combuſſit. Sed cum ejuſmodi innumera prope occurrant exempla, operæ pretium non duco plura hic adferre; neque de *Gyraldo* dicere amplius pergam, quam quod à prælectione ejus morem promanaſſe indubium pene ſit, quo liber nullus, præſertim de Jure Canonico, ſeu Civili, in lucem ſub hæc tempora prodierit, niſi approbante Doctorum virorum delectu, quorum imprimis inſpectioni permittendus erat; quodque Patres noſtri exhibitas ab eodem epulas in exemplum trahentes, Academicos excipere conſueverint, quoties in facultate aliquâ Inciperent. Haud tamen dicam an à *Pariſienſibus* edoctus ſcripta ſua ea ratione publicârit *Gyraldus*, ad quos ſtudiorum gratiâ ter fertur tranſmeaſſe.

CIↃLXXXV.

Circa hæc tempora literis *Oxoniæ* incubuit *Daniel Morleius*, ſeu *Merlacus*, unde *Lutetiam*, quod in morem jam ierat, conceſſit; verum cum Matheſeos ſtudio [d] caperetur, in *Arabiam* profectus eſt, ubi florere eas Artes haud parum audiverat. Sed cum certior brevi fieret ſcientiam eam *Toleti* in *Hiſpania* vigere, eodem contendit; ibique cognitionem haud modicam adeptus, libriſque permultis inſtructus in Patriam redit, ubi & Matheſin docuit, & de eadem inde tractatus elucubravit, *Johanni Oxonienſi*, *Nordovici* tum ſedenti nuncupatos. Quamvis autem tanto ſudore eruditionem nobis Arabicam comparaverit, non tamen aliud fecit atque ante illum *Atheraldus Bathonienſis*, & *Rob. Retinenſis*; neque amplius præſtitit quam *Joh.* deinceps *Baſyngus*, *Oxonienſis* itidem, parique labore *Athenas* [e] protectus; ubi cum multos annos literis inſumpſiſſet, in *Angliam* demum regreſſus, Græcæ tum Linguæ, tum diſciplinæ monumenta, *Oxonio* intulit.

CIↃCLXXXVIII.

Varii per hos annos viri comparebant, qui vel Theologiæ Scholaſticæ, vel Legum, vel Philoſophiæ, Philologiæ itidem, Artiumq; peritiâ magnum ſibi nomen peperêre; quamvis à politiori, uti dictum eſt, eruditione deſcitum à pleriſque, & ad Legum ſtudia tranſcurſum jam eſſet; Author enim nobis eſt [f] *Sylv. Gyraldus*, hujus ævi ſtudioſos, quamprimum ipſa literarum rudimenta ſuperaſſent, verborumque Syntaxin & Accentus paulum modo didiciſſent, libros Imperiales, lucri ſpe abductos, confeſtim arripuiſſe; nec Inſtitutionibus tantum & Elementis, verum Digeſtis quoque, Codici & Authenticis feſtinam operam addixiſſe. Prædictus nobis *Merlacus*, ſuper eodem, ni fallor, argumento differens, de ſeipſo [g] refert, quod, cum inter *Hiſpanos* ageret, inque Patriam revocatus, iter eſſet inſtructurus, certior illico factus eſt, Artes apud nos Ingenuas ſilentio mulctatas, proque *Ariſtotele* & *Platone* ſolum *Titium* & *Seium* ſtudioſorũ in manibus verſari; quam rem tam ſollicitum habuiſſe ſe memorat, ut reditum in *Angliam* aliquantiſper diſtulerit; *& tamen* (inquit ille) *ne ego ſolus inter Romanos Græcus remanerem, ubi ejuſmodi ſtudium florere didiceram, iter arripui.* Profecto deſultorium illud Academicorum ingenium, quo ad nova protinus ſtudia præcipites ferebantur, viros ubique prudentes plurimum angebat. *Gyraldus* enim quem diximus ſaltum hunc à bonis literis ad Leges peſſime factum oſtendens, Narratiunculam [h] de Clerico *Oxonienſi*, nomine *Martino*, haud ineptam inſtituit; Leges *Bononiæ* imbibiſſe perhibens, *Oxoniam*que regreſſum, in eas ſimultates cum Juriſconſultis noſtris incidiſſe, ut quoties cauſa aliqua per Procuratores adminiſtranda coram Judice eſſet, & *Martino* omnes, & omnibus *Martinus* perpetuo contravenerit. Addit inſuper *Gyraldus*, quod, cum cauſam die quodam diceret *Martinus*, & in lege quâdam à reliquis allegatâ, ejuſque ſententiæ expreſſis ut videretur verbis repugnanti, hæreret; conclamabant una voce omnes, tanquam triumphato illudentes: *Per hanc legem* Martine *ſalies ſicut & Simiæ ſaltanti dici ſolet, perque legem iſtam velis nolis ſaltum facies.* Quibus indignabundus mordaciter tamen & lepidè ſatis reſpondit in hunc modum; *ſi ſaliendum eſt mihi, ſaliam quidem, ſed non ſaltum quem vos feciſtis omnes, à cum animadverterem* (locum ea verba in Jure allegato auſpicabantur) uſque *ad Imperatoriam Majeſtatem*, (quæ ibidem etiam occurrunt;) *ſi rumpi debeatis & crepere medii, id nec feci revera, nec faciam.* Hæc in Juriſperitos, *Pauperiſtas* dictos, maxime intentabantur, quorum perplures *Oxonii* tum erant, à libro *Pauperum*, nomen ſortiti: is vero in multo jam uſu liber erat, uti & ſeculo proxime currenti conſimilis ille alter, *Theſaurus Pauperum* nuncupatus, à *Petro Tuſculo* conſcriptus, qui *Romæ* deinceps, nomine *Johannis* XXII ſedebat. Neque vero ſaltui iſti ſcriptis tantum refragabantur noſtrates, ſed & exterorum haud pauci eidem reclamabant; inter quos, tempore, non eruditione poſtremus, *Petrus Ramus*, rem fuſiſſimo riſu

[a] *Ibidem, & in Anon. MS. in Bib. Coll.* Magd. Oxon. *de geſtis & ritibus Cler.* Cambrenſis. [b] *In lib.* 1. *de Hiſtoricis Græcis, cap.* 1. [c] *L.* Seneca, *lib.* 3. *de Ira, cap.* 23. [d] Lel. *Tom.* 4. *p.* 192, *&c.* [e] *Ibid. p.* 204, *&c.* [f] *In lib.* 1. *Diſtinct. cap.* 1. *MS.* [g] *In Præfatione ad Philoſophiam ſuam ſive lib. de naturis inferiorum & ſuperiorum. MS.* [h] *In Prefatione ſua ad lib.* 1. *Diſtinct.*

excipiendam

excipiendam [a] arbitratur, ut *Parisienses* loco annorum integrorum, Philosophiæ nempe studiis olim insumptorum, totidem vix mensibus in iisdem collocatis, inde Magistri, si Diis placet, appellationem confestim sibi arrogarent; quos *Magistros* utique per *Saltum* nominandos haud immerito existimat.

CIↃCLXXXIX.

In aperto jam est Artium ingenuarum cognitionem, Legum partim studio, partim Religiosorum infantiâ, eodem fere tempore in *Angliâ* perinde ac in *Galliâ* depravatam fuisse; quod *Johannis* etiam *Sarisburiensis* [b] testimonio ulterius astruitur, qui Rempublicam literariam, tum *Lutetiæ*, tum præsertim *Oxoniæ* labefactatam, graviter hac ætate testatur; cui astipulatur *Daniel* [c] *Merlacus*, qui Professorum *Parisiensium* inscitiam passim criminatus, in libro superius dicto, his eosdem verbis uberius proscindit. --*Cum dudum ab* Anglia *me causa studii cepissem, &* Parisiis *aliquamdiu moram fecissem, videbam quosdam bestiales* (eo verbo utendum censet) *in Scholis gravi authoritate sedes occupare, habentes coram se scamna duo vel tria, & descriptos codices importabiles aureis literis* Ulpiani *traditiones repræsentantes, nec non & tenentes stylos plumbeos in manibus, quibus asteriscos & obelos in libris suis quadam reverentia depingebant; qui dum propter inscitiam suam locum statuæ tenerent, tamen volebant solâ taciturnitate videri sapientes, sed tales cum aliquid dicere conabantur, infantissimos reperiebam, &c.* Cæterum quantamcunque Divinarum Humanarumque literarum Professores nostri in legendo inscitiam prodidêre, parem eorundem discipuli in discendo pigritiam ostendebant; utque Author est [d] *Lelandus*, inculta quædam Barbaries summæ eruditionis per hæc secula loco habebatur: quod quidem ego Docentium fatuitati præcipue ascribam. Cùm enim tam incondita disciplinæ rudimenta jacerentur, mirum non est solidi nil quicquam superstrui potuisse; dum hebetiores aliquali cognitione inflarentur, qui judicio verò & indole magis pollerent, cœpti tam inauspicato itineris pertæsi, ad veram eruditionem perveniendi spem omnem abjicerent. Quippe Clerici nunc *Anglicani* in triplici ponebantur differentiâ; ut à *Radulpho Beluacensi* proditum [e] est, qui in re Grammaticâ, humaniorique universim literaturâ, coætaneis omnibus facile præluxit. Primos *Superseminatos* vocat, illos denotans, qui nullum Artium fundamentum ponentes, in earum tamen tabulatis tectisque erigendis satagebant, quorum omnes propterea conatus in irritum necessario cadebant. Proxime istos, *Pannosos* (uti nuncupat) collocandos censuit; quos doctrinam *particulatim & quasi per panniculos* arripuisse perhibet, Apophthegmatum & sententiarum collectores, nullâ Scientiâ instructos; utpote quibus è versiculo illo persuasum videretur;

Artes per partes, non partes disce per Artes.

Tertio autem in loco ponit, quibus *Massatis* nomen fecit. Hos ad paucos recidisse queritur; qui nimirum basi profunde jactâ nitentes, Artem juxta omnem & scientiam solidissime superstruebant.

CIↃCXC.

Hoc anno, miserabili fato, flammis pene haustum [f] est *Oxonium*, venerando etiam illo *S. Frideswydæ* Ædificio unà deflagrante. Quapropter Cives, cùm incendio illo, tùm aliis quæ sub *Stephano* rege prorupissent edocti, & *Londinensium* sese ad exemplum componentes, lignum & stramentum rejiciunt, domosque suas è saxo reficientes, regulis ac imbricibus easdem supersternunt; dum tenuiores, quiq; tantas facere impensas nequibant, sextum quodque septimumve domicilium lapideo muro interstruunt. Sub id Aulas complures fabricatas reperio, *lapideas*, *tegulatasque*, quo ab aliis internoscerentur, vocitatas; tametsi appellationes ejusmodi antiquiores fuisse haud ignoro, Aulis fortean impositas, quæ post miserandum illud, quod regnante *Stephano* contigit, incendium recreabantur. Reliquæ autem Aulæ (præsertim si aliæ tegulis superstratæ viciniores iisdem essent) *Aulæ cum stramine coopertæ*, ut in Syngraphis [h] videre est, nominabantur; cui dissimile non erat, quod (cum vitrum nempe in fenestris primitus usurparetur) obtinuit; ut ea scilicet quæ vitro ante reliquas exornata erat (cancellatæ enim omnes antiquitùs fuerant) **Glazen-Hall**, sive Aula *Vitrea* nuncuparetur: cui respondet quoque mos ille Aulas *Plumbeas* (id enim nominis in chartis vetustioribus occurrit) nominandi, quibus vel Tecti pars, vel aqualicula tantum è plumbo constarent. De Aulis *Stapulinis*, sive Aulis cum *Stapellis* (ita uncum vocamus ferreum cui immitti solent pessuli) parum forte liquere videatur: quamvis priscis enim seculis **Latch & Catch** obdendis Aularum ostiis sufficerint, & ab excogitato dein ferramento **Staple** dicto, novi id nominis adscitum crediderim, tamen oppidanis hac in re nostris haud facile persuadebo, qui *Oxonium* celebri olim Emporio, quale *Stapulam* vocamus, floruisse opinantes, Aulas hasce, cum aliis pluribus, reponendis mercibus destinatas fuisse arbitrantur. Cæterum de hac re haud acriter contendam; licet si eam mihi indulsissent, quam alibi plerumque concessam habui gratiam, ut Regesta nimirum omnia, chartasq; urbis antiquas pervolvere liberum sit, (nam partim illas, idque secretò, legi) & ejusdem Urbis Antiquitates Academiæ me hisce annexurum, & id nominis aliunde quam volunt illi deducturum, nequaquam dubito: quamvis *Oxonium* Emporio olim satis commodo, non sane usque adeo inclaruisse, viguisse tamen modice, libenter concedam.

CIↃCXCIV.

Floruit circa hunc annum *Mauritius Somerset*, è Cœnobio *Fordensi* in *Devoniâ* Cisterciensis, cujus Sodalitii scriptor primus apud *Oxonienses* emersit. *Gulielmus* etiam de *Monte* (à monte *S. Genovefæ* apud *Parisienses*, ubi prius legere solebat, cognomen [i] mutuatus) eodem quasi tempore Academiam nostram illustrabat; hinc autem *Lincolniam* contendens, Theologiam ibidem (ubi & Archidiaconatu [k] fungebatur) magno cum audientium plausu prælegit: nescio an tamen & Scholæ illius sive studii primus fuerit institutor. Constat sane clarissimum nostrum *Gyraldum*, cùm destinatum ad *Parisienses* iter, per bellum inter Gentem illam nostramque conflatum, suscipere non posset, *Lincolniam* secessisse, ibique *Gulielmum* de *Monte* in magnâ discipulorum frequentiâ legentem audivisse. Ad hos, per idem tempus, *Joh. Hantivill*, seu *Hanvil*, Philosophiæ Artiumque Magister *Oxonii* enituit, *Architrenius* à libro quem *Architrenium* inscripsit cognominatus, quem *Bostonus Burienſis* in Bibliotheca *S. Edmundi Burienſis*, suo seculo haberi prodi-

[a] *In Schol. Mathemat. Edit.* Basil. 1569. p. 8. [b] *In lib.* 1. *Metalog.* [c] *In Præfatione ad Philosophiam, ut supra, &c.* [d] *In Tom.* 4. *p.* 187. [e] *Apud* Gyraldum, *ut supra, in Lib.* 1. *Distinct. cap.* 1. *fol.* 5. [f] *Chron.* Tho. Wyke, *MS.* [g] *Vide in Rubr. lib. Civit.* Oxon. *fol.* 84. [h] *In Reg.* Osney, *in Bib.* Cotton. *fol.* 111. *a. & alibi.* [i] *Vita* Syl. Gyrald. *ut supra, MS.* [k] Richardi *etiam de* Montibus *Cancellarii* Lyncoln. *meminit* Jo. Pitseus *in Append. sed nescio an idem sit cum* Gul. *de* Monte, *cujus mentionem facit in Æt.* 13. *&c.*

dit, licet eundem *Johan. Sarisburienſi* falſo [a] tribuerit. *Gulielmum* vero illum Scriptores noſtri in *Angliâ* natum tradidêre, quamvis haud me latet & hunc pariter & *Gulielmum* [b] de *Conchis* (cujus diſcipulus aliquando extitit modo dictus *Sarisburienſis*) *Normannia* oriundos à *Lelando* [c] perhiberi.

CIↃCXCIIX.

Venio jam ad ultimum Regis *Richardi* I. annum, qui rei literariæ impenſe adeo favebat, ut Clericos perplures (inter quos exteri comparebant nonnulli) è fiſco ſuo Regio in Univerſitate noſtrâ [d] aluerit. Verum nec animo ille erga Urbem, quâ in lucem ſeſe editum meminerat, amico minus gratoque quam in Academiam erat; quin privilegia varia ac immunitates civibus quoque concedens, aſtrictos adeo ſibi eoſdem habuit, ut captus in *Germaniâ* detentuſque cum eſſet, quo è manibus Imperatoriis redimeretur, oppidani *Oxonienſes* ingentem pecuniæ vim alacres contulerint. Cæterum ſi de literarum ſub illo ſtatu rogites, teſſellatum ſane quodammodo reperies: Quamvis enim Theologia Scholaſtica eò jam apud nos accreviſſet, ut vel *Pariſienſis* Academiæ invidiam excitârit, neque Legum eâ ætate peritiâ celebrati minus eſſemus; tamen & Sophiſtarum ineptias *Lutetiâ* in *Oxoniam* receptas Philoſophiam deturpaſſe, & obtinente propediem Barbarie Linguarum ſtudium exaruiſſe, dolendum erat.

CIↃCC.

Atqui vero Academia noſtra, Theologiæ juriſque nomine toto pene orbe tantopere percrebuit, ut ſi exterorum aliquis literas tum nobiſcum, tum apud *Pariſienſes* delibaſſet, Magiſtri ſtatim Doctoriſque celeberrimi loco apud ſuos haberetur. Idque nec immerito, nam binæ illæ Univerſitates inter totius Orbis Generalia quæ vocabant Studia, primas facile obtinebant, *Oxonium*que Facultatum quas dixi ſplendore in tantum nuper inclaruerat, ut priorum annorum [e] Author, his eam laudibus dignam exiſtimârit.

Urbs illa (de *Oxonienſi* loquitur) *erat frequens Scholis, Magiſtra in diſciplinis. Quod & nobis propono propter adjacentem urbem, in quâ abundant prudentes eloquii myſtici, ponderantes verba legis, proferentes omni poſcenti de Theſauro ſuo nova & vetera.* Hæc *Senatus Bravonius* in literis ad *Clementem* Priorem de **Oſney** ſcriptis, quem Cœnobiarchiam ibidem adiiſſe anno CIↃCCV. [f] comperimus. Eundem vero *Bravonium*, in aliâ Epiſtolâ, Academiam noſtram copioſe laudantem offendo, *Hortum* enim *deliciarum pretioſum* appellat, *ubi Sacræ Scripturæ virgultum, ubi Roſa, quæ redolet, creſcit, &c.* (ut ſupra, p. 28. col 2.) Hæc ad *Gulielmum* de *Tunebrugge*, Magiſtrum *Oxonienſem* haud incelebrem, dedit, quem à rerum ſacrarum curioſâ nimis indagatione dehortatur, exemplo *Oxonienſem* quendam ſibi ignotum proponens, cujus libellum nuper de SS. Trinitate prodiiſſe refert, hoc initio, *Inviſibilia Dei à creatura, &c.* [g] audacem vero illum redarguit de ſacratiſſimâ ibidem Triade præfidenter nimis diſputantem, immo inexplicabile numen dogmaticè præfinientem, captuique humano curioſis paſſim quæſtionibus adaptantem; quod uſque adeo facere eum dicit, ut Naturam divinam ab intellectu noſtro eo longius abduxerit, quo propius admovere conatus eſſet. *Exponit autem ipſe (Bravonium* legis) *ſed dubiæ ſui interpres; dum propria cudit, Orthodoxæ fidei documenta deludit. An pater & filius vivant, an vivi ſint viventes, in quæſtionem ponit: & quid hoc niſi in dubium ponere. an Deus, qui eſt vita omnis, habeat vitam in ſeipſo? &c.*

CIↃCCII.

Hæc nobis tempora nobilitarunt viri perplures ingeniis cultiſſimis clari; inter quos *Benedictus* [h] *Petroburgenſis*, Societatis *S. Benedicti*, quæ *Cantuariæ* erat, frater, eorumque quatuor, qui Quadrilogium *Tho. Becketi* contexebant, unus. Perfectiſſimam ille in Theologiâ cognitionem adeptus, inter celeberrimos ſuæ ætatis viros habebatur. Deinde adeſt *Rogerus* [i] *Hovedenus*, nominis à Re Hiſtoricâ ampliſſimi, nec vulgaris, ut alibi dictum, in Theologiâ lectionis. Neque reticendus nobis eſt *Mauricius Morganius*, ſive *Marigenitus*, famæ haud obſcuræ Orator, ſimul & Poeta, meritoque ſiquis alius à *Sylv. Gyraldo* collaudatus. Reliquos prætereo brevitati ſtudens.

CIↃCCIV.

Influxit jam in Academiam nova quædam prædicandi methodus, à viris quibuſdam doctis excogitata; quibus in morem recipiebatur, Theſin aliquam è Sacrâ paginâ deſumere, *& uti inductione Thematis* (*Tho. Vaſconienſis*, ſive *Gaſcoigni*, verba [k] ſunt) *per narrationem materiæ quæ concludit verba Thematis repetiti & recitati, & tunc diviſiones facere, quo modo antiqui Sancti non utebantur.* Ea res Juventuti quidem in fructum uberiorem ceſſit, ſiquidem dogmata perſpicuo magis ordine diſpoſita memoriæ facilius mandabant, in quam rem deinceps *Stephani Langtoni*, Archiepiſcopi *Cantuarienſis* opera feliciter acceſſit, qui Sacras Scripturas per Capita & Commata diviſit. Nihilominus Seniores Academici Recentiorum inventa repudiantes, *S. Auguſtini, Hieronymi, Bernardi*, aliorumque Patrum veſtigiis inſiſtere præ ſe ferentes, ſuo etiamnum more verbum divinum explicabant, poſtillando nempe, voceſque, eo quo currebant ordine, dilucidando; illi autem Patres nonnunquam prædicabant *non poſtillando* (ut inquit citatus in margine [l] ſcriptor) *nec exponendo textum alicujus capituli, ſed declarando, quoniam declarabant articulos pertinentes illis materiis, quas abſq; aliquo Themate proponebant, coram clero ſeu populo declarantes, per rationem & per ſcripturam.* Qua nimirum ratione, à nullâ ſcripturæ ſacræ portiunculâ exorſus D. *Auguſtinus* concionem ad Clerum & ad populum quadringenties habuit. Revera mos ille alter *poſtillandi*, qui in hæc uſque tempora deſcenderat, à priſcis Eccleſiæ Doctoribus originem traxit, qui, ut inquit, quem præfati ſumus, *Vaſconius* [m], *prædicabant populo & clero aliquando eodem modo, ſeu exponendo textum alicujus capituli ſecundum ordinem textus inferendo & exponendo.* Idcirco quibus ita facere ſolenne erat *Poſtillatorum* tandem, i. e. ut *Vaſconio* [n] placet, *Textus poſt Textum*

[a] Boſt. Burienſ. *In Catalogo ſuo minore, MS.* [b] *Vid.* Balæum, *Cent.* 13. *nu.* 30. [c] Lel. *In Codro, ſive in libro contra* Polydorum. [d] *Rot.* Pipe *in Scaccar. de an.* 7 & 10 Ric. I. [e] Senatus Bravonius *in Epiſtolis ſuis MS. Epiſt.* 4. [f] Tho. Wyke, *in Chron.* Oſney, *ſub an.* 1205. *& alibi.* [g] Achardus *Canonicus* Bridlingtonenſis, *librum ſcripſit de S. Trinitate paulo ante hæc tempora.* Rob. Pulleyne, *etiam ſcripſit ſententias de Trinitate libris octo. Sed horum quis fuit hujus libri Author, neſcio.* [h] Bal. *Cent.* 3. *nu.* 52. [i] Rob. Perſonius, *in lib. ſuo cui tit. eſt*, The Warnword, Encount. 2. *cap.* 1 *Vide* Twynum *in Apol. lib.* 2. *ſect.* 282. [k] *In Lex. Theolog. MS. part.* 1. *p.* 404. [l] Gaſcoignus, *ut ſupra.* [m] *Ibidem in* 2ª. *parte Lex. Theol. p.* 447. [n] *In* 1ª. *parte p.* 455, *&c.*

illatorum

unde od in qui- xpli- nem ioſtri ariis lium int ; ſſimi ple- non Dr. pri- ret, mâ re- idi. ndo de na- In- In rc. ſe- iſ- ii- r: n- a, or & ſ- iit e- m. d e- ie r- e- r t- i. n - - - à - - s s a - s , , , ,

nec ſapientiæ magnitudo, ſed infinitâ puerilis ſtultitia & vilificatio ſermonum dei; ſicut præcipuè expoſui in peccato ſeptimo ſtudii Theologiæ in opere ſecundo, & in peccato octavo in hoc opere tertio, quam curioſitatem deus ipſe auferat ab Eccleſia ſua, quia nulla utilitas prædicationis poteſt fieri per hunc modum, ſed excitantur audientes ad omnem curioſitatem intellectus, ut in nullo affectus eleventur in bonum per eos qui talibus modis utuntur in prædicatione. Sed licet vulgus prædicantium ſic utatur, tamen aliqui modum alium habentes infinitam faciunt utilitatem, ut eſt Frater Bertholdus Alemannus, *qui ſolus plus facit de utilitate magnifica in prædicatione quam fere omnes alii fratres utriuſque* [e] *ordinis.* Ex his abunde liquet qualis fuerit concionandi ratio ſub *Henrico* III. quam tamen ſub *Henrico* V. immutatam valde, & ab hâc pariter ac prædictis omnibus alieniſſimam reperio factam. Eam quidem accurate delineare non poſſum, quoniam & librum MS. in quo de re illâ legi, apud me in præſentiâ non habeo, & cum haberem, de hâc materiâ operi huic meo quicquam inſerere minime ſtatueram. Interim conſulat lector, ſi liber, Catalogum ſcriptorum, quos in hoc libro ad finem allegamus.

CIↃCCVI.

Florebant his quaſi annis apud *Oxonienſes*, viri eruditionis famâ celeberrimi complures; eoſque inter, *Adamus Barching* [f] è ſodalitio *S. Benedicti* Monachus *Sherbornenſis*, qui Commentarios in utrumque Teſtamentum ſcripſit, & conciones ad populum frequentes habuit. *Robertus Curſonus*, qui poſt annos aliquot *Oxonii* [g] poſitos, gradum Doctoralem *Lutetiæ* capeſſivit: inque eam apud *Gallorum* Regem influxit gratiam, ut ad Cardinalitiam tandem eminentiam ſub Tit. S. *Stephani in Cœlio monte*, vocatus fuerit, miſſuſq; deinde à Pontifice maximo in *Angliam* Legatus. Summam Theologiæ, & tractatum de æternâ *Origenis* ſalvatione conſcripſit, præter lectiones haud paucas ſolennes, aliaque haud exigui momenti opera. Nec omittendi *Gualterus* [h] *Conventrienſis*, & *Gervaſius* [i] *Melkely*, quorum alter Hiſtoricus illuſtris emerſit, alter Poetices, Matheſeos, & Philoſophiæ peritiſſimus. De ſcriptis autem eorum alibi perdiſcas.

CIↃCCIX.

Annus iſte caſu quodam nefario infamatur [k]. Clericus enim *Oxonienſis*, dum colligendi animi cauſâ corporis exercitationi vacaret, mulierem inauſpicato occidit, pœnæque metu trepidus aufugit. Quâ re per oppidum ſparſâ, concurrunt illico Prætor & Burgenſes, & reperto demum ad quam Aulam Hoſpitiumve cædis author ſpectaret, eodem convolant; cumque illum reperire non poſſent, Clericis ejuſdem Hoſpitii tribus, quid factum eſſet ignorantibus, manus injiciunt, omniſque culpæ inſontes in carcerem compingunt. Hæc Regi *Johanni*, *Woodſtochiæ* tum agenti, denunciantur; verum ille ut erat animo erga clerum iniquiori, abripi protinus omnes (binos tantum [l] nonnulli habent) extraque urbem in libertatis Eccleſiaſticæ invidiam, ſuſpendio juſſit necari. Cæterum id tam ægre tulerunt Academici, ut Magiſtri juxta ac Scholares, ad tria millia, ne uno ut proditum eſt reliquo, ex urbe protinus migrarent, ſeque *Cantabrigiam* partim, partim *Readingum*, *Maydſtoniam*que in *Cantio*, contuliſſe dicantur.

[e] S. Dominici & Franciſci *fratres intelligit; conſtat enim alium hæc ſcriberet* Baconus. [f] Bal. *Cent.* 3. *nu.* 72. [g] *Idem in* 77. [k] Rog. Wendover, *ſub an.* 1209. *MS.* Mat. Parys *ſub* naſt. *in floribus Hiſtor. impreſſ.* Londini, 1570. *ſub. an.* 1210, *&c.*

CIↃCCX.

Quamvis hæc â ſcriptoribus variis memoriæ ſic tradantur, dubiumque non ſit ſeceſſionem hanc rei literariæ incrementis plurimum offeciſſe, tamen verum non eſt, Scholares univerſos *Oxonio* ſeceſſiſſe. Nam licet ut pœnas luerent *Burgenſes*, Pontifex maximus Scholaribus edixiſſet, ne actus aliquos Academicos *Oxonii* præſtarent, Magiſtri nihilo ſecius nonnulli, tum hoc anno, tum inſequentibus, *irreverenter*, (de mandato nempe Papali nil penſi habentes) ibidem legiſſe memorantur; Quos per literas propterea (de quibus plura ſtatim) Legatus Pontificius Prælegendi poteſtate in tres annos privavit.

CIↃCCXIII.

Atqui Civibus jam dolor haud vulgaris inceſſit, utpote non tantum commercio prohibitis, annuoque hoſpitiorum proventu carentibus, ſed ab omni rerum quoque ſacrarum uſu excluſis. Cùm hoc itaque anno *Nicolaus* Epiſcopus *Tuſculanenſis*, Legatus à Papâ in *Angliam* mitteretur, ad eundem, *Weſtmonaſterii* agentem, [a] concurrunt, genibuſque advoluti, crimen deprecantur, & abſolutionem à ſede Apoſtolicâ ſupplices efflagitant; quâ repetitis votis ægrè tandem impetratâ, in Eccleſiam tum demum reſumendi pronunciantur, cùm has pœnas debito ordine perſolverint. Burgienſibus nimirum injungitur, ut ſingulas Civitatis *Oxon* Eccleſias depoſitis indumentis, pedibuſq; nudis, flagella vero in manibus portantes adirent, ibiq; à Presbyteris Parochianis abſolutionis beneficium cum Pſalmo quinquageſimo impetrarent: ſed nec licuit eis niſi diebus ſingulis ſingulas petere Eccleſias, ut tam ipſi quam alii talia præſumere formidarent.

CIↃCCXIV.

Hæc ſanè ad ignominiam ipſis inurendam, & formidinem aliis incutiendam ſatis videbantur. Atqui magnam ſupplicii partem hauddum enarravimus; nam in [b] Bullâ dicti Legati, datâ *Ramſeiæ* VII. Cal. *Julii*, & multatos gravius ipſos reperio, & pœnas ad eorum quoque poſteros hunc in modum derivatas.

" *Nicolaus* Dei gratia *Tuſculanus* Epiſcopus Apo-
" ſtolicæ ſedis Legatus, dilectis in Chriſto filiis Bur-
" genſibus *Oxon*, ſalutem in Domino. Cum propter
" ſuſpendium Clericorum à vobis commiſſum, manda-
" tis Eccleſiæ per omnia ſtare juraſſetis, Nos volentes
" agere miſericorditer vobiſcum, ſtatuimus quod à Fe-
" ſto *S. Michaelis*, anno ab Incarnatione Domini
" CIↃCCXIV. uſque in decem annos ſequentes, Scho-
" laribus *Oxon* ſtudentibus condonetur medietas mer-
" cedis Hoſpitiorum omnium locandorum Clericis in
" eadem villa, mercedis (inquam) taxatę communi
" conſilio Clericorum & noſtro ante receſſum Schola-
" rium propter ſuſpendium prædictum Clericorum.
" Finitis vero prædictis x annis, aliiſque decem an-
" nis proximè ſequentibus, locabuntur Hoſpitia ſub
" mercede Cleri (ut prædictum eſt) taxata. Hoc de
" Hoſpitiis conſtructis & taxatis antè præfatum Cleri-
" corum receſſum: conſtructa verò poſtmodùm vel
" conſtruenda, aliaque prius conſtructa ſed non taxata,
" arbitratu IV Magiſtrorum, & IV Burgenſium taxa-
" buntur, & prædicto modo per utrumque decennium
" locabuntur. Communia quoque ejuſdem villæ an-
" nuatim dabit LII ſol. diſpenſandos in uſum paupe-
" rum Scholarium, per manus Abbatis de *Oſeneya*, &
" Prioris Eccleſiæ *S. Frydeſwydæ* [c] de Conſilio vene-
" rabilis Fratris *Hugonis*, tunc Epiſcopi *Lincolnienſis*,
" & ſucceſſorum ſuorum, vel Archidiaconi, loci ſive e-
" jus Officialis, aut Cancellarii, quem Epiſcopus
" *Lyncoln.* Scholaribus ibidem præficiet, ita ſcil. quod
" XXVI ſol. ſolventur annuatim in Feſto *Omnium San-*
" *ctorum*, & XXVI ſol. in Capite *Jejunii*. Præter hæc
" autem, eadem communia paſcet centum pauperes
" Scholares in pane, cerviſia, potagio, & uno ferculo
" piſcium vel carnium, ſingulis annis in perpetuum
" die *S. Nicolai*, quos Epiſcopus *Lyncoln.* vel Archi-
" diaconus loci, ſive ejus Officialis, aut ipſe Cancel-
" larius, vel alius ab hoc Epiſcopo *Lyncoln.* Deputa-
" tus providerit. Jurabitis etiam quod victualia, &
" alia neceſſaria, juſto & rationabili pretio Scholari-
" bus vendetis, & ab aliis vendi fideliter procurabitis,
" & quod in fraudem hujus proviſionis graves non fa-
" cietis conſtitutiones vel oneroſas, per quas condi-
" tio Clericorum deterioretur. Si verò contingat ali-
" quem Clericorum capi à vobis, ſtatim cum fueritis
" ſuper eo requiſiti ab Epiſcopo *Lincoln.* ſeu Archi-
" diacono loci, vel ejus Officiali, vel à Cancellario,
" ſeu ab eo quem Epiſcopus *Lyncoln.* huic officio de-
" putaverit, captum ei reddetis; nec aliquo modo
" machinabimini in his vel aliis, quod præfati *Lyncoln.*
" Epiſcopi juriſdictio elidatur, vel jus ſuum, vel Ec-
" cleſiæ ſuæ in aliquo minuatur. Jurabunt autem
" quinquaginta de Majoribus ex vobis pro ſe & com-
" munia, & hæredibus ſuis quod hæc omnia ſupra-
" dicta fideliter obſervabunt, & hoc juramentum quo-
" libet anno renovabitis ad mandatum Epiſcopi *Lyn-*
" *coln.* per quot idem Epiſcopus voluerit citra nume-
" rum prætexatum, chartam quoque ſigillo communi
" ſignatam ſub prædictis articulis facietis aſcribi, &
" Venerabili Fratri [d] *Hugoni*, nunc Epiſcopi *Lyncoln.*
" liberabitis cui voluerit in cuſtodiam [e] committen-
" dam. Hoc autem vos & Hæredes veſtri facietis, ut
" honor & reverentia Clericis eo exhibeatur abundan-
" tiùs, quo magis per vos fuerant dehoneſtati. Ma-
" giſtri verò qui poſt Scholarium receſſum *irreveren-*
" *ter* legerunt *Oxoniæ*, ſuſpendentur per triennium ab
" officio legendi ibidem. Omnes autem qui de ſu-
" ſpendio Clericorum fuiſſetis confeſſi & convicti, ve-
" nietis ad mandatum Venerabilis Fratris *Hugonis*
" nunc Epiſcopi *Lyncoln.* cùm interdictum fuerit re-
" laxatum ad ſepulchra Clericorum diſcalceati & di-
" ſcincti ſine capis & palliis ſequente vos communia,
" & ipſorum corpora deferetis in Cœmiterio ſepeli-
" enda, ubi clerus providerit. Præſtito ſibi ut præ-
" dictum eſt à vobis Juramento, & charta communi
" confecta & Venerabili Fratri *Hugoni*, nunc Epiſcopo
" *Lyncoln.* liberata, licentiam habeant Scholares &
" Magiſtri *Oxon* redeundi, & ibidem legendi, exce-
" ptis his qui per triennium ſunt ſuſpenſi de quibus eſt
" permiſſum. Si verò contra Statuta noſtra & pro-
" prium veneritis juramentum, & ipſo facto ſciatis

[a] M. Parys, *ſub. an.* 1213. [b] *In turri Scholarum in pix. PP. faſcic.* 12. *nu.* 2. *&.* 3, *&c. A. fol.* 47. *a. B. fol.* 4. *a CC. in Bib.* Cotton. *D. fol.* 19. *a. & b. Lib.* Oſney *in Bib.* Cotton. *fol.* 33. *b.* 34. *a, &c. Collectan.* Nich. Byſhopi, *fol.* 41, *&c.* [c] *Annualis iſta ſumma paulo poſt ſoluta fuit per Cœnobium* Enſhamenſe *in agro* Oxon, *ut conſtat per obligationem* Adami *Abbatis, & ejuſdem loci conventus: quæ quidem ſumma, una cum* 16 *ſol. &* 8 *den. pro refectione cent. Scholarium, per illos fact. uſque ad generalem ædium religioſ. ruïnam; ordinatum fuit per D. Canc.* Angliæ, *& Regis Concilium* 38 Hen. VIII. *quod Univerſitas recipe-ret eaſdem ſummas è manibus generalis receptoris vectigalis regis Augmentationis. Ita eſt in tur. Scholarum in Pix. PP. faſc.* 12. *nu.* 5, 6, *&.* 7. [d] *Intelligit* Hugonem Uvallis, *qui renuntiatus eſt Epiſcopus* Lyncoln. *anno dom.* 1209. [e] *In quadam nota adjecta in antiqua manu in A. & D. hæc verba occurrunt.* Memorandum quod hæc charta ſigillata eſt in theſaurario *Lyncoln. ſtant in margine hujus Chartæ.*

" vos

" vos excommunicationis vinculo innodatos, & Vene-
" rabilis Frater *Hugo*, nunc Episcopus *Lyncoln.* & suc-
" cessores sui vos & villam vestram reducant in pri-
" stinam suspensionis sententiam. Vobis igitur au-
" thoritate legationis qua fungimur mandamus, in re-
" missionem peccatorum firmiter injungentes, quate-
" nus hanc constitutionem nostram recipiatis ad man-
" datum Venerabilis Fratris *Hugonis Lyncoln.* Epi-
" scopi fideliter adimplendum.

Bullam hanc Pontificiam integram, consignatamq; etiamnum [a] possidemus, cui tam pronis animis obtemperabant cives, seu Burgenses, ut post datum à Legato diploma, solenni confestim Chirographo, ad ea quæ mandarentur præstanda, in hunc se modum obstrinxerint.

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Philippus [b] *major,& communia* Oxon. *salutem. Noverit universitas vestra, quod cum propter suspendium Clericorum mandatis Ecclesiæ per omnia stare jurassemus, secundum statutum Venerabilis Patris Domini* Nicolai *Tusculani Episcopi,* &c. Sequuntur post hæc Articuli omnes in quos juratse se profitentur, quos brevitatis causa omitto. Sub finem sic dicunt, *juraverunt etiam* [c] *quinquaginta de majoribus ex nobis pro nobis omnibus & hæredibus nostris, quod hæc omnia supradicta fideliter observabimus. Quocunque etiam ex illis quinquaginta mortuo, hæres ipsius, vel alius qui hæreditatem suam habuerit, semel idem præstabit juramentum, & sic deinceps de hærede in hæredem. Is vero qui pro tempore fuerit Major* Oxon. *pro se & communia jurabit singulis annis in Festo* S. Michaelis, *coram Archidiacono loci, & Cancellario Scholarium* Oxon. *quem Episcopus constituerit, vel Ecclesia* Lyncoln. *cum pastore vacaverit, vel coram altero eorum si ambo non interfuerint, quod ordinatio à Domino* Tusculano, *Episcopo Apostolicæ sedis Legato, pro suspendio Clericorum facta, & authentico suo confirmata, fideliter ab ipsa communia observabitur, &c. Hoc idem facient Præpositi* Oxon. *singulis annis in Festo* S. Michaelis, *coram jam dictis, &c. Item Ballivi qui pro tempore fuerint sub Præpositis constituti de quindena in quindenam ad assisam villæ custodiendam, jurabunt, quod assisam super victualibus in authentico Domini Legati contentam fideliter observabunt.*

Chirographum autem illum civium Primores, nominibus subscriptis, sigillisque appensis confirmabant, quorum primi erant *Petrus Galfridi* filius, *Radulphus Halegod, Walterus Inge,* & *Adamus Vinetarius.* In ipsâ denique Chirographi calce hæc scripta sunt: *Excipiatur* Thoraldus *Alutarius, eo quod misit pro se ad curiam Romanam, si excipi potest cum pace & indemnitate negotii. Sin autem, apponat ipse sigillum suum cum aliis.* Postea sequitur alia subscriptio, quæ sic se habet. *Sigilletur Charta ut dictum est, & literæ patentes directæ Domino Legato, & Domino Archiepiscopo & suffraganeis ejus. Sigillentur sigillo communi & nobis una cum Charta mittantur.*

Compositis ergò diffidiis, Legatique Pontificii mandatis effectum sortientibus (quod ut certius fieret, Legatus secundas literas Universitati dirigebat, priorum executionem maturantes) Scholares exundante civium lætitiâ *Oxoniam* revolant, & majorum instituta revocantes, Lecturis disciplinæque veteri insistunt; cumque Regiæ Majestati nunciatum esset, Academiæ quoad privilegia non satis esse provisum, variæ nobis immunitates indulgentur, interque alias ut non ad externa compelleremur fora, sed Universitatis Cancellarius cognosceret in causis, ubi una pars esset Scholaris, seu ejus serviens.

CIↃCCXVI.

Secundo quasi abinde anno, *Gualo* Legatus alter Pontificius in *Anglia* appulit; cumque *Oxonium* deinde accederet, querelæ de non factis Episcopi *Tusculani* imperatis, ad eundem deferuntur. Is autem re probè ventilatâ, compertoque Hospitia Burgensium nonnulla quæ ad Ædes Religiosas (Cœnobium nominatim *Osneiense*) primario spectarent, sub prætextu constitutionis Legatinæ prædicti *Nicolai*, ita fuisse taxata, ac si ad Burgenses pleno jure pertinuissent, quod Cœnobio in fraudem cessit: Hospitia ista eo onere levanda decrevit, Bullamque [d] in eam rem promulgavit, dat. *Oxoniæ* v. Id. *Martii* sic incipientem. Gualo *miseratione divinâ, titulo* S. Martini *Presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, dilectis filiis Magistris & Scholaribus* Oxon. *commorantibus, salutem in Deo. Cum Venerabilis Pater* Nicolaus *Tusculani Episcopus,* &c. Ex lite istâ de Hospitiorum taxatione motâ, & *Gualonis* interpretamento satis liquet, *Tusculani* Episcopi decretum, executioni diligentissimè fuisse demandatum: ne vero quis miretur recognitionem factam à Municipibus, (qui voce satis barbarâ *Communiæ* appellantur) singulis capitibus rescripti Legatini minime respondisse: nimirum ibidem nullam mentionem occurrere, pensionis annuæ Academicis solvendæ: notandum duco, Oppidanos, quo plenius læsis Scholaribus satisfacerent, & perpetrati facinoris invidiam lenirent, id protenus egisse, ut prædiis domibusve transcriptis, aut pecuniis numeratis, summæ impositæ perpetuam solutionem redimerent; & eandem à Cœnobiarchis *Einshamensi, Osneiensi,* & *S. Frideswydæ,* præstandam paciscerentur: unde minime opus ut ea de re in instrumento postmodum facto quicquam diceretur. His ita ut diximus gestis, conciliati jam erant Academicorum Civiumq; animi, istis ad bonarum literarum studium, illis ad lucri, cui non minus invigilabant, incrementa & profectus se accingentibus. Verum cum regerminare denuo viderentur literæ, sydus eadem iniquum extemplo afflavit. Cum *Johannes* enim Rex *Oxonium*, ubi Barones suos conveniendos decrevisset, [e] accederet, nuncium ibi accepit nolle illos Rescripto regio morem gerere, sed *Brackleiæ* in Comitatu *Northamptonensi* ubi jam convolassent, donec de libertatibus suis, legibusque *Edoardi* Confessoris transigeretur, expectaturos: Bellum inde civile, quod *Baronicum* appellamus, ingenti rei literariæ (uti posthac dicetur) detrimento, confestim exarsit. Porro autem turbas mox novas Academiæ memoratur dedisse projectissimæ vir audaciæ *Fulco* de *Brent*, qui Castellum *Oxoniense* (sic enim scriptores plerique retulêre, quamvis ego de *Exoniensi* intelligendum crediderim) regi *Gallorum* prodidit: quæ si vera sint, molestiam studiosis haud parvam exhibuisse necesse est.

CIↃCCXIX.

Hoc temporum tractu virorum Doctorum non magnam reperio frequentiam, siquidem veluti scriptores [f] perhibent, spinosæ Sophistarum argutiæ veram eruditionem pessime subvertebant, alioque belli ap-

[a] *In Pix. P P. ut supra, fasc.* 12. *nu.* 4. [b] Philippus Molendinarius, *vel* le Mulner, *vulgo* Miller. [c] *Modus quo Burgenses* Oxon. *ab initio Sacramentum fidelitatis Universitati præstiterunt.* [d] *Quondam inter munimenta* Osney, *in Thesaur.* Ædis Christi Oxon. [e] Mat. Parys, *sub an.* 1216. *& alii.* [f] Lel. *Tom.* 1. *p.* 210. Bal. *Cent.* 3. *nu.* 67, *&c.*

paratu graſſabantur. Eminebat autem eximium *Alexandri Nechami* ingenium, Poeticâ, Rhetoricâ, Matheſi, Philoſophiâ, Theologiâ, quid pluribus, omni Arte & Scientiâ mirificè ſupra coætaneos inſtructi. Canonicus hic primò Regularis, deinde Cœnobiarcha *Exonienſis* erat; etſi nonnulli [a] tradiderint, muneribus illis functum *Cirenceſtriæ* [b] fuiſſe, ibique in Abbatiæ Præſidem anno CIↃCCXIII. [c] aſſumptum. Cæterum tametſi illum ſcriptores perplures ſolidiſſimâ eruditione virum agnoſcunt, clariſſimus tamen *Baconus* (omnibus quidem ejus ſeculi viris anteferens, & utilia haud pauca ſcripſiſſe taſſus) & illum pariter, & *Albertum*, errorum Grammaticalium frequenter [d] coarguit, cumque probatis Authoribus connumerandos inficiatur. Inter plura verò quæ ſcripſit, quæq; viri docti citarunt ſæpius pariterque laudarunt, habentur v. libri *De Naturis rerum*, de quo argumento & ante & poſt illum diſſeruêre *Athelardus Bathonienſis*, & *Alfredus Anglicus*. Concionem præterea edidit in laudem B. *Mariæ*, cujus conſcribendæ rationem accipies à *Johanne Ronray* Theſaurario *Linicien.* coram Synodo *Baſilienſi*, die conceptionis Deiparæ Virginis, anno CIↃCCCCXXXV. ſermonem [e] habente. Hic autem *Nechamum* Doctoris *Oxonienſis* appellatione denotans, de eo tradit, quod cum in diſputationibus die proximo habendis Feſti iſtius religionem convellere ſtatuiſſet, cruciatibus immenſis de nocte correptus, animam propemodum acturus videbatur; quodque dolores illos divinitùs ſibi immiſſos arbitratus, ab incœpto deſtitit, & mutatâ ſententiâ Retractationem eam, *Fiat Lux* inſcriptam, contexit. Cæterum *Nechamus* ibidem de ſeipſo [f] addit, quod cum acerrimè contenderet, diem conceptæ Virginis inter annua Feſta nequaquam eſſe numerandum, ideoque eodem, quem pro nefaſto habuit, *Oxonienſibus* prælegere deſtinaret, morbo repentino implicitus cruciatibus tantis conflictabatur, *ut nullo modo* (nam ea ſunt ipſius verba) *ſuſceptum Magiſterii officium exequi valeret.* Sed cum eandem fabellam alii Scriptores de ſeipſis paſſim narrant, & ſuperſtitionem ante LXXX jam annos nutu divino inter nos vappeſcentem ſapiat, eidem non immoror; permiſſurus ut fidem apud Lectores quam meretur inveniat.

CIↃCCXXI.

Sed alia hic nobis ſubnaſcitur materia: nam cum invaleſcerent paſſim novæ de doctrinâ Evangelicâ opiniones, ideoque laborarent Eccleſiæ Præſides, ut eaſdem omnibus modis extinguendas procurarent; Religioſi quidam, *Itali* & *Hiſpani*, ſub *Dominici* & *Franciſci* auſpiciis coeuntes, ad Pontificem Romanum contendebant, flagitantes ut ipſius authoritate in ſodalitia conſtituti, in varias gentes dimitterentur, veritatem Chriſtianam vitâ & concionibus propugnaturi. His itaque poſtulatis à Papâ impetratis, adſcitiſque *Dominicanorum* & *Franciſcanorum* cognominibus (quos Fratres plerunque *Nigros*, vel *Prædicatores*, *Griſeoſque* appellamus) per *Europam* undique diſperguntur, Apoſtolicam quodammodò poteſtatem nacti, quâ populos nempe ab Hæreticis quemadmodum ferebatur doctrinis, jam ubique naſcentibus, ad fidei ſanitatem revocarent. Ex iis autem, *Dominicani* primùm in confratriam, quam vocant, decreto Pontificio coaleſcebant, inque varias gentes æſtuante Zelo abrepti, ad *Anglos* anno quaſi CIↃCCXXI. tranſmiſêre. *---Anno quinto Regis hujus* (viz. *Henrici* III.) hoc eſt an. Dom. CIↃCCXXI. (loquor ex quodam Chronico [g] rotulario) *miſſi ſunt à B.* Dominico *Fratres prædicatores in* Angliam *numero XIII. qui habentes priorem* Gilbertum *de* Fraxineto, *&* Stephano *Archiepiſcopo præſentati, ab eo recepti ſunt, qui poſteà apud* Oxoniam, *in loco eis à Rege aſſignato, extra muros Eccleſiam ſibi conſtruxerunt.* Hæc autem ad rei veritatem non ſunt exactè memorata (primam enim *Dominicanorum* ſive Fr. *Prædicatorum* ſedem poſitam intra muros fuiſſe ſtatim edocebimus) ex Annalibus [h] vero *Nicolai Trivetti* deſumpta crediderim, qui de Fratribus illis verba faciens, ad ann. CIↃCCXXI. ſic loquitur. *Hoc anno miſſi ſunt Fratres prædicatores in* Angliam, *qui numero tredecem, habentes Priorem Fratrem* Gilbertum *de* Fraxineto, *in comitiva venerabilis Patris Domini* Petri *de* Rupibus Winton. *Epiſcopi, venerunt* Cantuariam; *qui cum ſe deinde* Stephano *Cantuarienſi Archipræſuli præſentaſſent, audito quod Fratres prædicatores eſſent, ſtatim Fratri* Gilberto *impoſuit, ut coram ſe ſermonem faceret in Eccleſia, in qua ipſemet eodem die propoſuerat prædicare: cujus verbis admodùm ædificatus Pontifex, toto ſuo tempore religionem Fratrum prædicatorum, & officium, proſecutus eſt gratia & favore. Progredientes autem Fratres de* Cantuaria, *venerunt* Londoniam *in Feſto* S. Laurentii, *& ulterius* Oxoniis *in Feſto Aſſumptionis B. Virginis, in cujus honore oratorium poſuerunt, & habebant Scholas, quæ nunc* S. Edwardi *dicuntur, in cujus Parochia locum acceperant, in quo tempore aliquo morabantur: ſed cum non eſſet opportunitas locum ſufficienter dilatandi, ſe tranſtulerunt ad locum à Rege eis conceſſum, ubi nunc habitant extra muros.* Hæc *Trivettus* illius quoque ordinis Frater: qui de primo eorundem ad *Pariſienſes* adventu an. CIↃCCXVIII. ſic habet [i]. *Eodem anno cum Fratres* (Prædicatores ſcilicet) Pariſiis *miſſi ſtarent in quadam porta conducta, inter domum Epiſcopi & domum Dei, univerſitas attendens eorum religioſam converſationem, & vitam ſtudioſam acceptans, contulit eiſdem domum* S. Nicolai [k] *ubi nunc manent, cujus uſq; in præſens penes ſe retinent patronatum.* Hæc ille. Non enim ignoravit iſte ordo recens tunc exortus, quantum ſuâ intereſſet, ut duobus celeberrimis totius orbis terrarum Gymnaſiis, *Oxoniis*, viz. & *Pariſiis*, ſe probaret; ſiquidem hinc ad alias Academias minùs celebres, facilem ſibi aditum patere exiſtimabant. Sed fas nobis etiam Fratres illos *Oxoniam* deducere, qui cum ab urbe haud longius abeſſent, conceptis ad deum precibus magnoperè flagitabant, ut quam benevolentiam inter *Anglos* paſſim alios experti fuiſſent, eam apud Academicos quoque conſequerentur; quorum nec incaſſum cecidêre vota, nam cum Academiæ Primoribus, deinde *S. Frideſwydæ*, Cœnobiique *Oſneienſis* Canonicis, tandem præcipuis etiam civibus ſupplices ſeſe exhiberent, gratiam quam maximam apud omnes conciliarunt; quorum poſtremò dictis pietatis, reliquis verò eruditionis nomine commendatiſſimi erant. Immò locum in *Judaiſmo* brevi impetrarunt, eo ſcilicet conſilio, ut Judæos tum morum ſanctitate, tum verbi (quâ imprimis facultate pollebant) deprædicatione, ad amplexandam fidem Chriſtianam perducerent. In hâc ſede obtinendâ opem iis haud exiguam accommodabat *Iſabella* de *Bul-*

[a] *Antiq. Anon. MS.* Boſt. Burienſis, *in Cat. lib. MM. SS.* [b] *Obiit Mr.* Alex. Nequam *Abbas* Cirenceſt. *anno* 1217. *ſic author Chronici de* Tewkesbury, *MS. ſed falſo proculdubio, intelligit forte, an.* 1227. [c] *Annales* Dunſtapliæ, *MS. fol.* 11. [d] *In opere ſuo minore, MS. cap.* 7. [e] *Inter Sermones in Concilio* Baſiliæ, *MS. vol.* 1. *p.* 541. *& in vol.* 4. *p.* 588, *&c.* [f] *In lib. ſuo in laudem B. Virginis, MS. in Bib.* Bod. *lib.* 1. *cap.* 3. [g] *MS. In pergam.* [h] *MS. in Bib. Coll.* Merton. *fol.* 62. *a. ſub. an.* 1221. [i] *Ibid. fol.* 60. *b.* [k] S. Jacobi *in impreſſo exempl.*

beck,

beck, *Roberti Vere*, Comitis *Oxonienſis*, Conjux; quæ illius nuper ordinis Fratrem ſibi, ut à ſecretis confeſſionum eſſet, aſſumpſerat. Neque eâ tantum ex parte adjumento illis erat, verum & aream quandam à *Stephano Simeonis* filio coemptam, iiſdem tranſcripſit; cumque inſuper Domus in qua hoſpitarentur deeſſet, pecuniam eidem conſtruendæ neceſſariam libentiſſimè contulit. Atqui nec reticendus *Gualterus Malclerk*, ſive *Malclericus*, Epiſcopus *Carleolenſis*, qui ut Fratres hoſce in ſummo habuit pretio, ita iiſdem, ſedem *Oxonii* hauddum commodam adeptis, aream alteram ſive placeam terræ in *Judaiſmo*, & bina extra portam Auſtralem molendina benignè detulit; de cujus pariter atque Comitiſſæ modò dictæ munificentiâ, è Rotulo Inquiſitionis [a], captæ VI & VII *Edoardi* I. ſuper donatione & venditione meſſuagiorum & latifundiorum in oppido Agroque *Oxonienſi*, ſatis liquebit. Ibi enim ſic legis. --*Item Fratres prædicatores habent unam placeam ex dono* Iſabellæ *Comitiſſæ* Oxon, *quam dicta Comitiſſa emit à* Stephano Simeone, *& aliam placeam quam dedit eis Epiſcopus* Caerleolenſis, *& dictus Epiſcopus emit eam cum duobus molendinis ab* Henrico *filio* Petri, *& dictus* Henricus *habuit eam ratione hæreditatis: quantum valet neſcitur.* Quibus conſimilia prodidit *Trivettus*, in Annalibus [b] ſuis ad annum CIↃCCXXIII. de Epiſcopo *Carleolenſi* hæc perhibens: ---Walterus Manclerk (*Malclerk* intelligit) *Epiſcopus* Caerleolenſis, *qui poſt aliquot annos impetratâ à D. Papa cedendi licentiâ, ordinem Fratrum Prædicatorum ingreſſus eſt, nulla ſibi de Epiſcopatu proviſione penitùs reſervata; qui inter Fratres in conventu* Oxon *religioſa converſatione conſeneſcens, multa in ædificiis & aliis memoranda recluſit.* Commemorandi præterea Canonici *Frideſwydenſes*, qui latifundia illis varia, cum tenementis etiam nonnullis, vilius elocabant; qualia erant quæ **Iſward**, **Sewynechild** ſive **Swynechild**, & **Eylwine Cuſſe**, in Rentalibus eorum appellabantur, quæque ad Prioratum *Frideſwydenſem* jam olim ſpectarant. Spatii itaque abundè ſatis nacti, Hoſpitium extruunt, pecunias ipſis, inter alios benè multos, conferentibus Epiſcopo & Comitiſſâ paulò ante memoratis, è quibus illa anno quaſi CIↃCCXXVII. Oratorium iiſdem exædificavit, addito inſuper Cœmiterio, tumulandis dicti ſodalitii Fratribus deſtinato. Sed cum vel integrum Oratorium, vel ſaltem pars ejus aliqua in Parochia *S. Aldati* ſtaret, (cujus Eccleſiæ medietas ad eoſdem Canonicos ſpectabat) ideoque niſi impetratâ prius Canonicorum *Frideſwydenſium* veniâ excitari non debuerat, lites de eodem intentari continuò cœperunt: quas tamen & præpotentium aliorum, & *Gregorii* ſpeciatim noni interceſſio, poſt paulo diremit, proviſionibus, uti vocant, ſeu compoſitione, tum de hâc re, tum aliis Canonicorum quos dixi, tenementis, mox inde conditis, quas hic ex ipſo Autographo [c] tranſcribere non pigebit. viz. *Quod Fratres prædicatores dederunt Priori & Canonicis* S. Frideſwydæ *xl. ſol. pro bono pacis in recompenſatione eſcaeti quod poſſit eis aliquo tempore contingere de terris, quas tempore hujus proviſionis habuerunt de feudo Canonicorum, & ſi contigerit prædicatores terras prædictas relinquere nolentes in illis habitare, nihil fiet in præjudicium Prioris & Canonicorum* S. Frideſwydæ *de eiſdem, nec ipſi prædicatores admittent aliquem Parochianum* S. Aldati, *ad oblationem ſcienter: & ſi quis de Parochianis illis ad altare oratorii aliquid obtulerit, illud Eccleſiæ* S. Aldati *reſervetur. Habebunt autem Prædicatores duas tantum Campanas mediocres ad oratorium. Si quis autem voluerit conferre prædicatoribus terram aut manſionem ad ampliandum Oratorium vel Cœmiterium, hoc ordinationi Domini Epiſcopi* Conventrienſis (viz. *Alexandri* de *Savensby*, in hoc negotio per Papam delegati) *relinquatur, qui ſuper hoc indemnitati eorum providebit quando voluerit. Ut autem hoc in dubium non revocetur, prædicti proviſores* (viz. Abbas de **Oſney**, *Gulielmus* Archidiaconus *Wigornienſis*, & Magiſter *Silurus* Rector Eccleſiæ *S. Michaelis* in *Oxon*) *huic Scripturæ ſigilla ſua appoſuerunt anno gratiæ* CIↃCCXXVII. *in craſtino* B. Mariæ *apud* S. Frideſwydam, *ubi prædicti Canonici ſecundum prædictam formam conceſſerunt Prædicatoribus Cantariam & Cœmiterium ſecundum tenorem mandati Apoſtolici. His teſtibus, &c.* Adhæc, Scholam manſioni annexam adepti ſunt, (quam nonnullos eandem cum præfato Oratorio facere ſat ſcio) à munifico præſertim Pari, nobis jam toties memorato, poſitam; In qua multi accuratiſſimè legerunt & docuerunt. Verum cùm nec illa, nec reliqua eorum domicilia exundantem diſcipulorum frequentiam reciperent, ad Inſulam amnicam in ſuburbiis Auſtralibus jacentem, ſitu quidem amœniſſimam, & Fratribus ab *Henrico* III. circa annum CIↃCCLIX. conceſſam, tranſitum fecêre, de quâ migratione fuſius nonnihil diſſerendum arbitror.

De eorum Manſionibus. Satis conſtat è prædictis, Fratres hoſce in *Judaiſmo* primitùs, paroeciâ nimirum *S. Edoardi* in Euro-Auſtrali urbis Cuſtodiâ, conſediſſe; ubi (quod obiter duco inſerendum) Parliamentum, cui *Inſani* nomen indebatur, anno CIↃCCLVIII. eorum in hoſpitio [d] celebratum fuiſſe dicitur. Hoc autem in loco tranſactis XL tantùm annis, ſedem vertebant, & ad Inſulam ſe contulêre in Paroecia *S. Ebbæ*, & juxta portam aquaticam, vulgo **little Southgate**, vel **water-gate** poſitam. Cœnobii hujus novi ut ſitum paulo accuratius & ad ſeculi noſtri captum perſequar, obſervo imprimis, ad orientem à vico **Grandpont** (unde via publica ad Fratres ſubſtructa patebat) fluento exiguo diſtinctum fuiſſe; rivuloque altero, à vico *Lumbardi* Judæi, **Slaying-lane** prætereà dicto, ad Boream diſterminatum; Auſtrum vero & occidentem verſus perplures *Iſidis* alveolos ſubluentes habuiſſe, & rura late ſpectaſſe. Verum ſuper familiâ illâ eodem migrante pauca liceat adnectere cognitu forte haud indigna.

I. Scriptis proditum eſt maximam amnicæ Inſulæ partem, quam in novas ſedes deligebant ſibi Fratres, *Henricum* III. apud quem iſtius ſodalitii nonnulli gratiâ plurimum valebant, elargitum fuiſſe.

II. Poſtquam ejuſdem Inſulæ copia facta eſſet, quaſi veterum pertæſi, quicquid terræ in *Judaiſmo* poſſiderent, id pene totum domino *Ricardo* filio *Hamonis*, XL Marcis [e] vendidêre prædicti Fratres: id quidem IV Meſſuagia complectebatur, à viâ regiâ ad Paroeciam *S. Edoardi*, ſi in longum menſuretur XV perticas, in latitudine autem octo. Vendidêre inſuper Scholam & Tenementa, quæ poſtea *Alanus Mey*, à Prioratu *S. Frideſwydæ*, in terminum annorum præfinitum redimebat.

III. Defuncto quem prædiximus *R. Hamone*, prædium illud cum Meſſuagiis, ad Fratrem ipſius *Joh. Hamonem* [f] devolutũ eſt; qui cum circa an. CIↃCCLXV. diem obiret, corpus ſuum ſecundùm Fratrem *Richar-*

[a] *Rot. gen. inquiſit. Com. & Villæ* Oxon. *capt. an.* 6 & 7 Ed. I. *repoſit. int. munimenta in turri* London. [b] Trivettus, *ut ſupra, MS. fol.* 63. *b.* [c] *In Theſaurario* Æd. Chriſti Oxon. *in Pixide* S. Ebbæ, *& in lib. mag. Prioratus* S. Frideſwydæ, *p.* 386, 387. [d] Mat. Parys, *ſub an.* 1258. [e] *Reg. Mag.* S. Frid. *ut ſupra, p.* 376. [f] *Ibidem.*

dum in Monaſterio *Frideſwydenſi* recondi voluit, dicta vero prædia ejuſdem Canonicis teſtamento legavit; quorum ſeiſinæ traditio facta [a] iiſdem comparet III Cal. *Aug.*

IV. Conflatâ tum è divenditis prædiis, tum è piorum hominum Benevolentiâ pecuniæ vi ſatis magnâ, Fratres prædicatores habitaculum ſibi bene ſpecioſum in commemoratâ Inſulâ erigebant; cui ampliando poſthæc & reficiendo, *Edoardus* I. anno Regni ſui XXXI. Lapicidinæ in Parochia de **Wheately** *Oxonio* conterminâ, **Cherlegrave** dictæ, portionem quadratam, inque centum quaquaverſum pedes protenſam, [b] donavit.

V. Poſtremò, *Edoardus* III. Regni anno XLI. Fratres hoſce, tranſcriptione agelli cujuſdam, ædibus ipſorum dilatandis muniendiſque percommode adjacentis, ulterius [c] ditavit; diploma ipſum ſic ſe partim habuit. ---*Nos conſiderantes deſtructiones & damna Conventus Prædicatorum* Oxon, *per ripariam ſive aquam noſtram* Thamiſiæ, *juxta auſtralem partem habitationis ipſorum, priori & conventui ibid. illata, &c. Ut igitur dicti prior & Conventus ab impetu ripariæ, ſive aquæ prædictæ habitationem prædictam ſuam melius defendere & præſervare valeant in futurum, dedimus & aſſignamus pro nobis & hæredibus noſtris, quantum in nobis eſt, eidem Priori & Conventui de riparia, ſive aqua noſtra* Thamiſiæ, *juxta auſtralem partem habitationis ſuæ, ubi & prout ipſa ſolum dictæ habitationis in longitudine verſus auſtrum quacunq; parte attingit, viginti pedes in latitudine à ſolo illo verſus filum ripariæ ſive aquæ ejuſdem continue computandos, habend. & tenend. &c.* Atqui cùm Prætor & Ballivi *Oxonienſes* è re minime ſuâ futurum animadverterent, ſi fratres prædio illo fruerentur, litibus eos variis uſque eo exercebant, dum *Edoardus* delatis ad ſe querimoniis permotus, tum illis, tum Quæſtori ſuo per [d] Breve *Oxoniam* tranſmiſſum edixerit, fratres de conceſſâ à ſe terrâ ne ulterius poſtularent, quin eâdem libere deinceps frui permitterent.

De eorum Scholis patet, primas Hoſpitio eorum in *Judaiſmo* fuiſſe conterminas, quas in gratiam *Jo.* de *S. Ægidio*, ejuſdem ſodalitii fratris, extructas [e] ferunt; & poſt diſceſſum Prædicatorum, cum per aliquot annos vacuæ jacuiſſent, ad Academicos tandem devolutas, ac, nomine à Parochiâ ſumpto, Scholas *S. Edoardi* nuncupatas fuiſſe. In novâ vero ſede Scholas ampliores diſtinctaſque habuêre, alias Theologiæ, Philoſophiæ alias dicantas; illius enim facultatis Actus omnes & ſolennia in Templo domoque capitulari, hujus autem in Clauſtris memorantur præſtitiſſe. Utriuſque autem Facultatis Scientiâ inclareſcebant brevi Fratrum haud pauci, ſi vel eos ſpectes qui vitam in eo conventu agebant, vel qui in Academiam ipſam adipiſcendæ eruditionis gratiâ tranſibant. In prioribus Scholis, viz. illis in *Judaiſmo*, primus omnium legebat jam ante dictus *Ægidius*, quem [f] *Math. Pariſienſis, in Arte peritum Medicinali & Theologiâ lectorem elegantèr eruditum & erudientem* nuncupat. Hic ſibi *Roberti Groſteſti*, ſive *Capitonis* animum mirificè conciliabat, à quo ut Epiſtolas [g] perplures accepiſſe liquet, ita dubium non eſt eum ad eaſdem reſcripſiſſe. Cæterum (quia prolixum foret omnes recenſere) paucos adjiciam fluentibus inde ſeculis ex eo ordine inclareſcentes.

Primus erit *Rob. Baconus*, Clariſſimi *Rogeri Baconi*, ſive frater natu major, ſive, quod promptius credam, avunculus; *qui ex magnâ ad* Dominicum *devotione, Prædicatorum ordinem ſenex ingrediebatur, & poſt ingreſſum ordinis lectiones ſuas* (ut *Trivettus* [h] habet) *in Scholis* B. Edoardi *per plures annos continuavit.* Obiit CIↃCCXLVIII. & ſepultus videtur fuiſſe in hoc conventu.

II. Proximus eſto coævo nemini ſecundus *Ricardus Fiſacrius*, qui ipſo ætatis flore, *operam hic literis* (ut inquit [i] *Lelandus*) *ſtrenuam navavit, nullo non genere eruditionis animum exercens, qui labor tam fœlix illi fauſtuſque fuit, ut inter doctos doctiſſimus haberetur. Præter cæteros* Ariſtotelem *mirum in modum coluit; illum legebat, ſuſpiciebat, in ſinu gerebat. Inde ad Theologos ſe transferens, ubcrrimum utrinque fructum accepit; nam & inſignis Philoſophus & Theologus fuit, quibus nominibus tam charus erat* Roberto Bacon, *viro undiquaq; doctiſſimo, ut comes illi individuus adhæreret. --- Quid? quod ut in vita ſocii conjunctiſſimi fuêre, ita ne morte quidem dividi potuerunt. Nam ut turtur ereptam ſocium lugens commoritur, ita extincto* Bacono, *nec potuit, nec voluit ſupereſſe* Fiſacrius.

III. *Rob. Kilwarby*, Archiepiſcopatu demum *Cantuarienſi*, & Cardinalatu *Oſtienſi* merito ornatus, qui cum *Oxonii* prælegeret, Academicos ad ſe mire trahebat; ad Archiepiſcopalem quoque eminentiam evectus, in comitiorum veſperiis gradum ſuſcipiente *S. Tho.* de *Cantelupo* diſputationis Præſidem, & Moderatorem (Doctorem Cathedralem, hodie appellamus) agere nequaquam [k] dedignabatur, circa an. CIↃCCLXXIII.

IV. Dicendus etiam *Henricus Eſſeburne*, qui *Philoſophiæ ac Theologiæ monumenta, eo in loco* (ut *Lelandus* [l] habet) *ſollicitis colluſtravit oculis, quo* Iſidis vadum *vel, ut nunc vocant,* Oxonium, *eruditorum fovet amat celebratque numerum. Compoſuit quoſdam divinarum Scripturarum Commentarios, à ſe olim* Oxonii, *atqui alibi lectos, & illos poſteritati reliquit*; circa annum CIↃCCLXXX.

V. *Gul. Makclesfeild.* Is ad Baccalaureatum in Theol. *Lutetiæ*, & Doctoratum inde nobiſcum perrexit; vir conſpicuâ ſimul pietate & eruditione, & à *Benedicto* XI. quocum vivus amicitiam coluiſſet, ad eminentiam Cardinalitiam præpoſtero honore poſt obitum ſub tit. *S. Sabinæ* evocatus.

VI. *Gualterus Joyce*, ſive *Jorſe*, pietate & doctrinâ cum primis deprædicandus; qui cum hic aliquantiſper docuiſſet, in Archiepiſcopum *Armachanum*, & totius *Hiberniæ* Primatem, anno plus minus CIↃCCCVII. emerſit.

VII. *Thomas Joyce*, *Gualteri* frater germanus in Cardinalem *S. Sabinæ*, à *Clemente* V. elatus, *vir morum gravitate, religionis integritate, vitæ innocentia, & eruditionis eminentia valde venerandus, imò verò planè admirandus.*

VIII. Nic. Trivettus, *natalium ſplendore conſpicabilis, genitorem* [m] *habebat* Thomam Trivettum, *Equitem auratum, atque olim Regis Juſtitiarium, in Scho-*

[a] *Ib. p.* 377. *& in parvo vel antiquo libro ejuſdem Prioratus Cart.* 96. [b] *Inter Inquiſit. in turre* London. [c] *Rot. Clauſ.* 41 Ed. III. *in tur.* Lond. [d] *Pat.* 50 Ed. III. *& in quodam faſcic. variarum ſcript. in ſcriniis Civit.* Oxon. [e] *Per* Lelandum *in Tom.* 4. *collect. p.* 196. & Nich. Trivettum *in annal. ſuis, &c.* [f] *In Hiſt. majori, Edit.* 1640. *ſub. an.* 1253. [g] *Int. Epiſt.* R. Groſteſt. *MS. Ep.* 10, *&c.* [h] *In Annalibus, ut ſupra.* [i] *In Tom.* 4. *ut ſupra, p.* 211. [k] Tho. Walſingham, *in Hiſt.* Angliæ, *Edit.* Francofurti, 1603. *p.* 50. [l] *In Tom.* 4. *ut ſupra, p.* 238. [m] *Ib. in* Lel. *p.* 243.

lis

lis disceptando, & in Templis declamando, illustris Magister habebatur. Moritur an. CIↃCCCXXVIII.

IX. Adest deinde alter *Ric. Fisacrius*, S. T. P. vir Judicio acri, & copiosâ lectione; demum pius juxta ac eruditus. Floruit [a] an. CIↃCCCXXX.

X. *Hugo* de *Ditton*, vel de *Ductona* (ut *Leander Bononiensis* [b] habet) S.T.P. *literatura ingenti præditus. Consecravit monumenta posteritati.* Claruit an. CIↃCCCXL.

XI. Gul. Encourt, *qui inter suos aliquando, tum* Oxonii, *tum* Cantabrigiæ, *prælector Sacras Scripturas* [c] *exposuit, & apud populum frequentes Sermones habuit.*

XII. *Rob. Holcot*, de quo *Lelandus* sic [d] habet. *Nunquam aut labori, aut oleo pepercit, quo literas tandem, quarum amore totus conflagrabat, assequeretur: quanquam, quæ illa fuerunt tempora, partim barbaries, quæ tum latè dominabatur, partim etiam veterum authorum inopia, qui in remotis Bibliothecis pulvere & situ obducti, immo quod magis est incogniti jacebant, non parum retardaverunt honestum hominis impetum, quo ille ad extremum scientiarum scopum maturabat.* Hujus etiam fit mentio in concione [e] habita ad concilium *Basiliense*, de conceptione B. Virginis absque originalis peccati labe; sic autem ibidem habetur: ---*In sententiam hujus propositionis* (viz. de conceptione B. *Mariæ, &c.*) *concordant Doctores qui sequuntur*; *primo* Alexander Nequam *Doctor* Oxoniensis *in sermone incipiente*, Fiat Lux. 2°. Rob. Holkot *ordinis Prædicatorum in Determinatione* Oxoniensi, *qua incipit, Utrum Doctrina* Anselmi *debeat rationabiliter reprobari, & determinat quod non.* Fuit iste *Holcotus* primo Justiciarius, postea Frater Prædicator, & S.T.P. *Oxoniensis*, ut alibi manifestum est.

XIII. Gulielm. Jordan, *qui audaci fronte polluit inter Magistros* Oxonienses, *multa ostentatione jactabundus: & velut alter* Ismael (sic habet [f] *Balæus*) *omnibus infestus erat, ab omnibusq; infestatus. Scripsit diversa contra positiones* Wiclevi, *& contra* Utredum *de mendicitate.* Claruit an. CIↃCCCLXX.

XIV. *Tho. Ringsted*, vel *Ringostadius*, ut *Lelandus* [g] habet, *sui seculi clarus Theologus.* Primo in Academia *Cantabrigiensi*, deinde in hac operam literis dedit. Fit Episcopus Bangorensis, an. CIↃCCCLVII.

XV. Jo. Bromiard, *inter Dominicanos vir eximiæ famæ* [h] *fuit*; Isidis Vadum, *urbem eruditorum nutricem, excoluit. Legum consultissimus fuit, & in Theologia feliciter versatus.* Floruit an. CIↃCCCXC.

XVI. Rogerus Dymmock, *vir exacti Judicii, non modo in rebus quæ Philosophos spectant,* (ut idem *Lelandus* [i] dicit) *verum etiam in ipsis Theologiæ mysteriis quæ ad fidem pertinent: multos annos in* Isidis Vado *non sine gloria exegit*; *è quibus ille fuit maximè celebris, quo publico Academiæ suffragio pugil invictissimus designatus est qui* Uvigoclevi *sectatores debellaret.* Floruit an. CIↃCCCXC.

XVII. *Rob. Humbleton*, qui *Wicliffo*, & sectatoribus ejus inimicissimum se pluribus scriptis testabatur.

XVIII. Deniq; prætermittendus non est *Joh. Skelton* S.T.P. de ordine Prædicatorum *Oxon.* Ex quadam alterius Theologi illius contemporanei replicatione in inceptione sua *Oxoniæ*, *Skeltonum* nostrum in librum sententiarum scripsisse [k] constat, & anno CIↃCCCC. floruisse.

Hos ego præter Theologos, Philosophos, & Canonistas, tanquam è plena messe manipulum colligendos censui. Pergo itaque ad fratrum istorum *Bibliothecam*, de quâ certe perpauca habeo dicere; neque enim amplius disquirenti occurrit, quam sui Ordinis Authoribus instructam probe fuisse, fundatore interim, & Benefactoribus quos habuit, nullibi comparentibus: etsi [l] *Lelandus*, paulo ante Cœnobiorum dissolutionem neglectam jacuisse subinnuit.

De Templis vero illorum melius constat. Proditum quippe est, Ecclesiam in Insulâ amnicâ, oratorio quod in *Judaismo* habuissent longe ampliorem, exstruxisse eos, atque an. CIↃCCLXII. in die *S. Viti & Modesti*, à *Ricardo* seu *Benedicto Gravesend*, Episcopo *Lincolniensi*, consecrandam & dedicandam memoriæ *S. Nicolai* [m] curasse; indeque fuisse quòd sedis illius Episcopi, quoties *Oxoniæ* adventabant, cum fratribus hisce diversari fere solebant. Certe à vero non discrepat, Ecclesiam hanc *S. Nicolao* dicatam fuisse, cùm Ordo ille uno eodemque anno *Bononiæ Lutetiæque* [n] receptus, ibi Templum, hic vero Hospitium eidem Divo consecratum habuerit. Quod superest, nomina apponam nonnullorum, aut in Oratorio prædicto, aut in Templo de quo nunc agimus contumulatorum; illis interea nec omissis, quorum loculi è dicto Oratorio transferebantur; Quales nempe erant *Isabella* de *Bulbeck*, & *Gualterus Malclerk*, de quibus jam sæpe: *Ric.* denique *Fisacrius* S.T.P. de quo semel mentionem fecimus, quique Prædicatorum *Anglorum* primus in librum sententiarum commentabatur. *Maloclericus* & *Fisacrius* diem obiêre anno CIↃCCXLVIII; Comitissâ vero *Oxoniensis* (referente *Matth.* [o] *Paris*) postridie purificationis B. *Mariæ* anno CIↃCCXLV, & in Cryptâ dicti Oratorii perangustâ primùm condebatur. Horum autem Corpora ad Ecclesiam Interamnem transvecta solenni cum pompâ memorantur, cujus sub occidentali pariete *Fisacrius* denuo [p] sepultus jacuit. Porro *Tho. Jodocus*, vulgo *Joyce*, sub ejusdem Ecclesiæ choro inhumatus fertur, an. CIↃCCCXI; qui in Martyrologio [q] quodam secundum ordinem fratrum Prædicatorum, *F. Tho. Theobaldus* appellatus occurrit, & in Monasterio *Oxiensi* (repone *Oxoniensi*) in *Angliâ* contumulatus. Adest etiam *Piers*, vel *Petrus* de *Gaveston*, *Cornubiensis* Comes, quem *Edoardus* II. tantùm non oculis suis chariorem habuit. Infelicem sane, cui vel Regius favor in perniciem vertebat! Constat enim cumulatâ inde sibi Optimatum Invidiâ, ab iisdem XXIX *Junii*, an. CIↃCCCXII. ad **Blacklawhill**, (alii ad **Gaverisshiche** habent) in Comitatu *Warwicensi*, capite fuisse truncatum. Unde rythmica [r] illa,

Dum Petrus *sævit, propriam mortem sibi nevit,*
Nunc patet ut nevit, truncatus ab ense quievit.

Quanquam haud ita diu in Templo isto *Dominicanorum* quievit; nam *Edoardus* tertio post anno, Episcopis cleroque reliquo stipatus (fremebundi quippe Proceres sese subduxerant) erutum ipsius cadaver, cum ampliſſimis honoris indiciis, ad **Langley** *Regis* in agro *Hertfordiensi* [s] deportabat; ibique in Ecclesiâ fratrum Prædicatorum deposuit: quibus pensionem

[a] *Ecloga* Oxon. cant. *lib.* 2. *p.* 31. [b] *In lib.* 4. *de illustribus viris. Ord. Prædic.* [c] Bal. *Cent.* 5. *nu.* 53. Pits. *æt.* 14. *nn.* 430. [d] *In Tom.* 4. *ut supra, p.* 269. [e] *In primo Vol. Sermonum in Concilio* Basil. *MS. pag.* 588. [f] *In Cent.* 6. *nn.* 54. [g] *In Tom.* 4. *ut supra.* [h] *Ibidem.* [i] *Ibid. pag.* 277. [k] *Ut in MS. in Bib. C. C. C.* Oxon. *quondam in Bib. Ecclesiæ Cathedralis* Exoniensis. [l] *In* 4. *Tom. p.* 245. [m] *Continuator* Bedæ *de adventu* Anglorum *in* Brit. *MS. in Bib.* Bod. *Med.* 20. [n] Ant. Senensis, *in Chron. Fratrum Prædicatorum, Edit.* Paris, 1585. *p.* 30. *b.* [o] *In Hist. sub an.* 1245. [p] Leland. *in Tom.* 3. *p.* 58. [q] *Edit.* Venetiis, 1582. *in Catal. Card nu.* 11. [r] *In Historia Abbatum & Priorum* Eborac. *MS. in Bib.* Bod. *fol.* 184. *b.* [s] Uvalsingham *in Ypod.* Neustriæ, *Edit.* 1603. *p.* 106.

eo nomine peculiarem addixit, ut pro deceſſorum perinde ſuorum, atque *Gaveſtoni* ſui animâ, Deum frequenter obſecrarent. Nec præteribo *Thomam Golafrey* Armigerum (natus is erat *Joh. Golafrey* de *Fyfield*, in Comitatu *Bercherienſi* militi, ex *Elizabetha* filia & hærede *Jo.* de *Fyfield* armigeri) benignum hujus familiæ Mecænatem; qui *Radleiæ* prope *Abendoniam*, menſe *Aug.* anno CIↃCCCLXXVIII. fato functus, maximâ cum exequiarum celebritate in Eccleſiâ illâ Prædicatorum contumulabatur. Nec reticendus *Petrus Beſills*, de **Lee** *Beſillorum* propter *Abendoniam*, miles, ibidem anno CIↃCCCCXXIV. ſecundùm patrem ſepultus. Is inter præcipuos dictæ Eccleſiæ Patronos numeratur, cujus & Borealem Alam conſtruxiſſe, & ſex in eadem feneſtris exſtruendis cxx *l.* legaſſe dicitur. Dicendus poſtremo *Steph.* de *Valle*, alias *Wale*, Epiſcopus *Midenſis* in *Hibernia*, ſepultus menſe *Nov.* an. CIↃCCCLXXIX. Sed prolixum ſane foret omnes recenſere: quippe cùm non tantum in diſſolvendo Cœnobio, temploque diruendo complurium deprehenſi ſunt tumuli, verum hodie etiam ſubinde effodiuntur loculi ſaxei viros includentes, annulos in digitis, pectore Calicem, & de collo muniſmata geſtantes, chartulaſque pergamenas, cum appenſis ſigillis, juxta habentes. Atqui & corda nonnunquam eruuntur, velamentis plumbeis, caput humanum exæquantibus, involuta; è quibus alterum anno CIↃDCXLIV. cum Inſcriptione ab Hortulano quodam effoſſum, & ad *Carolum* I. *Oxoniæ* tum agentem delatum, intuente Rege tegumento ſuo nudabatur; quodque admirationem haud parvam habuit, recens pene & incorruptum videbatur.

De Benefactoribus ut breviter dicam, præter Comitiſſam *Oxonienſem*, Epiſcopum *Carleolenſem*, *Tho. Golafreium*, *Petrum Beſills* militem, &c. paulo ante memoratos, reperiuntur *Petrus Toraldus*, *Robertus Oein*, *Henricus* filius *Henrici* fil. *Simeonis*, *Philippus* le *Mullner*, cum Civium *Oxonienſium* primoribus haud paucis: qui non modo dona illis frequentia detulêre, ſed pro fratribus fide jubentes, eoſdem à litibus & injuriis tutabantur, cùm ſedi primum in *Judaiſmo* coemendæ operam impenderent. Sequitur deinde *Ric.* le *Miller*, ſive *Mullner*, qui exeunte *Henrici* III. Regno, terram illis in Parœcia *S. Aldati* [a] conceſſit; cumque *Henrico* de *Wycombe* nepoti ſuo Meſſuagii propinqui partem donaret, id eâ conditione fecit, ſi ipſe & ſucceſſores ipſius quatuor annuatim ſolidos penderent, ad ſuſtentandum luminare coram altari *B. Mariæ* in Eccl. *S. Nicolai* ubi fratres Prædicatores habitant. *Gualterus* Epiſcopus *Carleolenſis*, poſtquam depoſito Epiſcopatu illius ſe ordinis voto adſtrinxiſſet, molendina bina extra portam Auſtralem ab *Henrico* filio *Petri Oxonienſis* coemit, dictoque ſodalitio donavit; quare haud multo poſt *Henricus* ejuſdem *Henrici* filius & Hæres, jure ſuo omni, prout *Gualterus* exoptavit, publice renunciavit; eademque cum toto ſtagno, & tota aqua tam ſupra quam infra, fratribus hiſce confirmabat; quod & ab *Edoardo* inde III. fiebat [b] anno reparatæ ſalutis CIↃCCCXXXVI. *Durandus* etiam de *Bugwel*, Meſſuagium in vico vocato **Grandpont**, Portæ per quam in fratrum illorum Hoſpitium ibatur adſidens, iiſdem legavit an. CIↃCCCLII. cum hac exceptione, ut *Alicia* conjux dum viveret uſu fructu gauderet. Sed ne in his nimius eſſe videar, addam tantum, xl. ſolidos à Collegio *Dunelmenſi* (quâ de cauſâ dicant alii) l. quoque Marcas à Rege, ad placitum uti loquuntur, quotannis accepiſſe; quodque reliquis pariter Ordinibus uſu venit, teſtamentariis morientium donis locupletatos fuiſſe.

Reſtat ut de *Diſſolutione* breviter attingam, quæ ſub *Henrico* VIII. obtigit, communi reliquorum in *Angliâ* Cœnobiorum fato. Tum enim hoſpitium illud cum totâ clauſurâ terræ, tres acras ad orientem ſolem ambitu colligente, lucus etiam ad occidentem poſitus, una cum pertinentiis omnibus, Meſſuagium inſuper ſupradictum portam ipſorum attingens, fratrumque Griſeorum ſedes vicina, ab *Henrico* VIII. anno Regni XXXVI°. pro CIↃXCIV. libris divendebantur *Ricardo Andrews* de **Hayles** in Comitatu *Gloceſtriæ* Armigero, & *Joh Howe* Generoſo coemptoribus. Apud hos tamen haud ita diu reſidebant, quin aliquanto poſt *Guil. Freere Oxonienſi* & *Agneti* conſorti [c] venundabantur; qui rationibus id ſuis conducere credentes, diruto templo maximâque Cœnobii parte, Lapides, Plumbum, Vitrum, Campanas, &c. viliſſimo pretio, niſi ſacrilegium unà æſtimemus, vendidêre. Atque ſic evanuit prorſus fratrum Prædicatorum ſedes *Oxonienſis*, attamen reconditi nonnunquam Theſauri, & aliqua priſcæ vetuſtatis monumenta effoſſa ibidem eruuntur.

Illos autem memoriâ æternùm inſidere fas eſt, qui haud ſine ingenti rei Academicæ emolumento nobiſcum agebant; dum Eccleſiæ quoque Præſules eorum ſimul doctrinâ & inculpato vitæ inſtituto allecti, honores & munera depoſuerint, Regulamque illam ſuſcepturi, *Oxoniam* frequentes commearint. Sub hæc tempora *Stephanus Lexinton* Oxonienſis, *vir nobilis genere, & ſcientia & moribus nobilior*, Academicos [d] numero ſeptem, è Scholâ (ut opinor) quam vir digniſſimus *Edmundus Rich Abendonenſis*, infraque memorandus, nobiſcum poſuerat, deſumpſit, & ad *Quadrariam*, vulgo **Quarerar**, in Inſulâ *Vectæ* delatos in *Ciſtercianum* ordinem cooptavit; eo quidem conſilio quo *Gualterus Gandavenſis*, Cœnobii *Oſneienſis* frater, ſcientias *Oxonienſes* deducendas pariter arbitratus, Monaſterium *S. Auguſtini Walthamiæ* poſitum Monachis *Oſneienſibus* jam ante [e] compleverat.

CIↃCCXXII.

XV° Cal. Maii *Stephanus Langtonus*, Archiep. *Cantuarienſis* Synodum Generalem habuit [f] in Eccleſiâ *Oſneienſi*; in quâ conſtitutiones frequentes fiebant, & confirmabantur, de Eccleſiâ *Anglicanâ*, vitâque Monaſticâ reformandis. Præter alios, in jus protrahebantur ſacerrimi duo nebulones, (quorum alter Androgynus fuiſſe dicitur) & de aſſumptâ Chriſti perſonâ, & ementitis divini corporis vulneribus condemnati, *Adderburiam* vel *Ebberburiam*, XVIII velut inde milliaria diſſitam abducti, conſimili cum Beato Jeſu ſupplicio mactabantur: novo quidem ritu Sacrilegi, qui non Templum, ſed ipſum numen expilare ſuſtinerent; quanquam inter fures iſtos cruci affixos Chriſtum quis inſanus quæſiverit? An vero & ſtolidas commemorabo mulierculas, quæ pro binis ſeſe *Mariis Virgine*, & *Magdalena* venditantes, morte quoque mulctabantur.

De iis ita Scriptores [g] nonnulli. Verum hanc rem alii paulo ſecus tradiderunt; mulieres nempe binas, totidemque viros adductos coram Archiepiſcopo fuiſſe; virorum vero alteri intentatum, quod Chriſtianus cum eſſet, & præterea Diaconus, *Iſraeliticæ* cujuſdam amore correptus, fidem ejurârit, præ-

[a] *Lib. ſive Reg. parv.* S. Frideſwydæ, *p.* 51. [b] *Pat.* 10 Ed. III. *part.* 1. *m.* 35. *in Tur.* Lond. [c] *Vide in* 4 *parte Orig.* 36 H. VIII. *Rot.* 51. *in offic. Scacc.* [d] *Annales* Dunſtapliæ, *MS. fol.* 17. [e] Geru. Dorobern. *in* Hen. II. & Rog. Hoveden, *an.* 1177. [f] Matth. Paris, *ſub an.* 1222. *Et Chron. incerti authoris MS.* Nic. Trivett, & Rad. Coggeſhall, *ſub eodem anno.* [g] *Annales* Burton *MS. ſub an.* 1222.

putium

putium ſibi abſcindi paſſus; qui Apoſtaſiæ propterea damnatus, & Diaconatu exutus, Judici ſeculari in manus tradebatur; & à famulo quodam *Fulconis* de *Brent*, Conſtabularii ſub hæc tempora Caſtri *Oxonienſis*, concrematus erat. De altero illo perhibetur, juniorem fuiſſe eum, & temeratæ pridem Religionis poſtulatum, quod in crucem ſponte actus quinque vulnera ad imitationem Beatiſſimi Salvatoris accepiſſet; mundique inde Redemptorem præ ſe ferens, pro eodem à mulierculis illis enuntiari longe late curaſſet. Harum vero altera, cùm inclinatâ jam eſſet ætate, veneficii coarguebatur; & Adoleſcentis mente excuſſi, & ad immane id facinus adacti convicta, cum ſociâ, fame pariter enecandâ, circumducto muro includebatur. Mitto perplures leviorum criminum accerſitos, (quos inter fuêre Academici haud pauci, qui Rectorias in Agro vicino obtinebant, eoque nomine coram Synodo citabantur,) ad ea ſiquidem pergam quæ rem noſtram propius attingunt.

CIↃCCXXIV.

Sodalitium illud *S. Dominici* novæ jam familiæ præluxerat, viamque aperuerat; nam ad annum hujus ſeculi XXIV pertinet Fratrum Minorum, ſive *Franciſcanorum* in *Angliâ* appulſus: de quibus, ſedes tum alibi paſſim, tum *Oxonii* tandem obtinentibus, diffuſius fortaſſe quam operis noſtri ratio poſtularet, non tamen uti ſpero ſine Lectoris fructu, verba ſum proxime facturus.

Confirmatâ hoc anno ab *Henrico III. B. Franciſci* Regulâ, Fratres novem, quatuor nempe Clerici & v Laici, *Angliam* ſtatim cogitabant; inque feria poſt nativitatem B. Virginis tertia *Dubrim* [a] appellebant: quos ut acceptiores paulo Lectori reddamus, notitiam eorundem aliqualem viritim præfabimur.

I. Primum ſibi locum vendicat Frater *Angnellus*, ſeu *Agnellus* de *Piſa* Diaconus, triginta quaſi annos jam natus. *Is in proximo generali capitulo (ut* Eccleſtonus *dicit) à* B. Franciſco *deſtinatus fuit miniſter provincialis* Angliæ; *fuerat ſiquidem cuſtos* Pariſienſis, *& ita prudenter ſe geſſerat, ut tam fratribus quam ſecularibus famoſæ ſanctitatis merito plurimum complaceret.* Prædicto *Lutetiæ* munere fungens conventum inibi ſuo ordini [b] excitavit; animoque tam demiſſo fuit, ut à Diaconatu ad Sacerdotium aſpirare abnuerit, niſi Generali ordinis ſui Capitulo licentiam prius permittente. A ſtabilito denique in *Anglia* Fratrum iſtorum ſodalitio, Regi cooptatus eſt à Conſiliis (ut quidam [c] refert) & tantæ apud omnes erat authoritatis ut plurimum inter Regem & Magnates, in litibus longe difficillimis ſopiendis valuerit.

II. Proximus erit Frater *Ricardus* de *Ingewurde*, ſive *Ingeworth*, natione *Anglus*, ſacerdos & Prædicator *Agnello* ætate provectior, primuſque ſui Ordinis qui populis Tranſalpinis, hoc eſt citra *Italiam* degentibus, verbum Dei [d] enuntiabat; *& proceſſu temporis ſub bonæ memoriæ Fratre* Johanne Parente, *miſſus eſt Miniſter Provincialis in* Hiberniam. *Parens* ille erat qui Miniſterium *Hiſpaniæ* gerens, Fratrem *Helyam* in Generali hujus Ordinis Miniſterio excepit. Cæterum ad *Ingevorthum* ut redeam, *Agnelli* vicem ſupplevit, ad Generale illud Capitulum Proficiſcentis, quo de tranſferendis *B. Franciſci* Reliquiis agebatur: & à Fratre *Alberto* in Generali Capitulo ab obeundis muneribus liberatus, rudeque quodammodo donatus, ad difficiliorem tamen Chriſtianæ militiæ partem ſeſe accinxit. Incredibili nimirum promovendæ fidei amore accenſus in *Syriam* perrexit, ubi ſtipendia præclara faciens diem ſuum clauſit. Hunc enimvero pro [e] *Lelandi*, adeoque [f] *Balæi* [g] *Pitſei*que, *Ricardo Kingesthorpio*, vel *Cuningsthorpio* habendum duco, nam eo nomine ſcriptor aliquis, vel hujus vel alterius cujuſpiam ſocietatis indaganti mihi nequaquam deprehenſus eſt.

III. Tertius erit Frater *Ric. Devonienſis*, annis adhuc immaturior, *Angliſque* pariter oriundus, & ordine, uti appellatur, Acolythus. Perplures ille gentes inviſiſſe dicitur; poſt quindecennalem vero peregrinationem, corpuſculo febribus Quartanis jam pene abſumpto, ad **Romenhale** ſeceſſiſſe, ibique vitæ quod reliquum erat tranſegiſſe memoratur.

IV. Clericorum poſtremus eſt F. *Gulielmus Eſſebienſis*; qui & *Anglus* erat, & quamvis Novitius adhuc, poſthæc tamen in gerendis Muneribus, inſigne Patientiæ, Obedientiæ, Charitatis, Humilitatis, &c. exemplar emicuit. An vero de illo referam, quòd à *Gregorio Galliæ* Miniſtro rogatus, num ad *Anglos* mitti vellet, [h] reſponderit, *ſe neſcire ſi vellet*; & Miniſtro reſponſi novitatem demirante, ſubjecerit, *ideo ſe neſcire quid vellet, quia voluntas ſua non erat ſua, ſed Miniſtri, unde voluit quicquid Miniſter voluit ipſum velle.* Non me præterit *Gulielmum Etonum* à quibuſdam [i] vocitari; tradentibus inſuper Domicilii Fratrum Minorum in *Oxonio* primum extitiſſe Guardianum ſive Cuſtodem, Sacerdotio quoque functum, in Scholis *Oxonienſibus* docuiſſe; denique, ut caſtitatis votum quo ſe obligarat certius impleret, teſticulos ſibi [k] execuiſſe. Verum conſtat luculentiſſime, eundem *Gulielmum Eſſebienſem* etiam cognominatum, inculpatâ morum probitate haud paucis induxiſſe, ut dignitatibus renuntiantes Fratrum iſtorum habitum ſuſciperent. Quin ad Laicos nunc deſcendo.

I. Primus eorum venit Fr. *Henricus* de *Cerniſe*, vel *Cerviſe*, à *Longobardis* genus ducens; vir altâ prudentiâ, & pietate perſpectiſſimâ, ideoque in Guardianum demum Domus Fratrum *Londini* evocatus. Id muneris cum aliquot annos mirâ induſtriâ nec minori integritate procuraſſet, eodem ſe exuit, & in patriam remeavit.

II. Frater *Laurentius* de *Belvaco*, cognomentum à loco natalitio ſortitus. Is annis quibuſdam in munere hic ſuo ſtudioſe collocatis, in *Italiam* ad *B. Franciſcum* revertebatur, apud quem in eam tandem gratiam influxit, ut eidem vir ille ſanctus Tunicam ſuam moriens donarit. Atqui *Laurentius Londinum* denuo rediiſſe, ibique diem obiiſſe ſupremum fertur.

III. Fr. *Gulielmus* de *Florentiâ*; qui receptis in *Angliam* fratribus ſtatim in *Galliam* regreſſus eſt.

IV. Quarto loco erit F. *Melioratus*; de quo nil adeo memorandum occurrit.

V. Neque de quinto ſane, *Jacobo Ultra-montano*, amplius referendum, quam novitium tunc temporis, & inter familiæ probatitios fuiſſe.

Adjungunt his comitem [l] nonnulli *Albertum* quendam de *Piſis*, quem *Agnello* in Generali *Angliæ* miniſterio ſucceſſiſſe, immo è Generalibus hujus ſodalitii Miniſtris tertium poſtmodo evaſiſſe perhibent. Ve-

[a] Tho. Eccleſton, *In Hiſtoria Fratrum Minorum* Angliæ *MS. in collatione* I. [b] Barth. *de* Piſis, *in libro Conformitatum* B. Franciſci, *edito per* Jerem. Bucchium, *an.* 1590. *lib.* 1. *fol.* 94. *b.* [c] Franciſ. *à* S. Clara, *in Hiſtor. Minor.* F. Minorum *Provinciæ* Angliæ, *edit. in Tom.* 1. *Operum ejus* Duaci, *an.* 1665. *p.* 1. *col.* 2. [d] Eccleſton, *ut ſupra.* [e] *In Tom.* 2. *p.* 296. *& Tom.* 4. *p.* 196. [f] *In Cent.* 10. *nu.* 63. [g] *In append. ad illuſtr. Scriptores* Angl. *Cent.* 3 *nu.* 87. [h] Eccleſtonus, *ut ſupra, Coll.* 1. [i] *Viz.* Leland. *in* 2 *Tom. Collect. p.*296. *ex quodam exemplari* Tho. Eccleſton *MS. & aliis.* [k] *Vide* Balæum, *Cent.* 10. *nu.* 63. [l] Barth. *de* Piſis, *ut ſupra, in lib. Conformitatum.* B. Franc. Antoninus *in Chron. ſuo, part.* 3. *Tit.* 24. *cap.* 7. *ſect.* 2. *&c. & alii.*

rum profecto vel Ministrum Provincialem, vel cum imperio saltem & dignitate aliquâ jam tum fuisse, è *Tho. Eccleſtono* conjectura non levis est, cum ille Minorum [a] Historiam persecutus, *Alberti* frequenter illius meminerit; semelque tradiderit, à primo statim adventu Lectorem illum *Londini* alterum, alterum (fratrem nempe germanum) *Cantuariæ* constituisse. Cum *Rodolphus* autem *Toſſinianenſis* de fratribus iis [b] differens, suppresso *Agnello*, Fr. *Albertum* cum tribus Sociis Religionem B. *Franciſci* in *Angliam* deduxisse prodidit; quis non aperte videt Fratres illum duos pro eodem habuisse? Sed rem ego istam haud tanti æstimo ut de eâ digladiari pergam. Subjungam itaque, testatissimum esse Fr. *Albertum Pisanum* Etruscum in *Angliam* elapso saltem anno CIↃCCXXIV. accessisse; quem scriptor [c] quidam (cujus ego fidem suspectam nihilosecius habeo) primum in *Anglià* Provincialem, quartum vero sui ordinis Generalem Ministrum (acsi *Agnellus* tertius fuisset) extitisse asserit.

Ad fratres autem redeo Clericos Laicosque, sumptibus Monachorum de **Felcamp** in *Normanniâ*, *Dubrim* transvectos; unde *Cantuariam* progressi dies binos in Prioratu S.S. *Trinitatis* agebant, & postea bifariam partiti, *Ingevuorthus*, *Devonienſis*, *Cerviſus* & *Melioratus Londinum* contendebant; reliquis ad Xenodochium Presbyterorum *Cantuarienſium* profectis, ubi tantisper commorabantur, dum in Cameram quandam ludi literarii dispositi fuerint, cumque Pueris agentes religiosis eosdem colloquiis ad pietatem informarint. Post hæc *Alexander*, dicti Xenodochii præpositus sive Magister, aream vel placeam terræ Oratorio etiam decoro (quod scilicet & ipse extruendum curavit) satis ornatam, iisdem concessit; quæ Municipii sive Communitatis *Cantuarienſis* nomine (quoniam Fratribus nil suo jure possidere fas erat) in eorundum usum tenebatur; quos D. *Simon* de *Longeton*, Archidiaconus *Cantuarienſis*, D. *Henricus* de *Sandevico*, & potissimum Comitissa quædam illustris, *Domina Incluſa* de **Bagyngton** *Eccleſtono* [d] nominata, summo propediem favore & benevolentiâ complectebantur. Porro cum Fr. *Albertus*, *Agnello* in Provinciali *Angliæ* Ministerio suffectus, fratres suos hospitium *Cantuariæ* tam auspicatò nactos intelligeret, *Henricum* fratrem quem dixi germanum, ut iisdem prælegeret, eodem amandavit; quem *Rob. Groſteſti Oxonii* docentis auditorem fuisse præsumendum existimo. At vero ne hic diutius hæream, de Fratribus iis si plura, & speciatim quæ ad eorum inde translationem spectant cognoscere velis, ad scriptorem uberrimum *Guil. Somnerum* [e] remittendus es.

Ad illos jam recurro quos iter *Londinum* versus instituisse prædixi; quò cùm perrexissent, à *Dominicanis*, tanquam si ejusdem essent familiæ, hospitio & alimento in diem usque decimum quintum excipiebantur; quibus decursis vir bene animatus *Johannes Trevers* domicilium iis, in vico vulgo vocato **Cornhull**, in Cellas commode divisum conduxit; *Cantariâ* tamen in æstatem subsequentem carebant, quòd Altaria erigendi, sacraque celebrandi data hauddum ipsis licentia esset. Primus habitaculi illius Guardianus erat Laicus quidam *Longobardus* (puta *Hen.* de *Cerviſe*) fratris *Agnelli* Vicarius in *Anglià* dum ad Generale quoddam apud exteros Capitulum proficisceretur. Porro autem, sedem tandem in Parœcia *S. Nicolai* in Custodia *Faringdonia*, vulgo **Faringdon Ward within** consecuti, ad dissolutionem usque sodalitii ibidem commorabantur.

Priusquam de Fratribus illis *Oxonii* admissis plenius edisseram, lubet perplures eorundem profectiones strictim percurrere. Ante Festum *Omnium Sanctorum*, & *Agnellum Londinum* adventantem, *Oxoniam* adibant *Ingevuorthus* & *Devonienſis*; hinc vero *Northamptoniam* [f] concedentes, & in Xenodochium quoddam recepti, construxerunt ibidem Domum in Parochia *S. Ægidii*, cujus primus erat [g] Guardianus Fr. *Petrus Hiſpanus*. Tandem mansionem *Oxoniæ* adepti *Cantabrigiam* petebant, & à Burgensibus Synagogam pervetustam carceri publico contiguam in habitaculum [h] obtinebant; sed cum ab incarceratorum viciniâ sacra ipsis interturbarentur, Aream sive terræ placeam sibi comparabant (acceptis in eam rem è scaccario Regio decem Marcis) & oratorium in eâ perobscurum exstrui curabant, quale nimirum unius diei spatio faber lignarius compingere poterat; ubi fratrem *Thomam* de *Hiſpaniâ* Guardianum deinde habebant. Demum, Scholam quoque consecutis prælegebant Magistri & Baccalaurei haud incelebres permulti; quorum cùm LXXIII abinde ad centesimum ante dissolutionem annum compererim, nihil attinet omnes percensere. En vero tibi [i] nonnullos.

I. Primum se dat Frater *Vincentius* de *Conventria*; quem *Rob. Groſteſti* sequacem imprimis reperio, multoque cum plausu prælegentem. De eo enim liber [k] citatus ---*Intravit tunc temporis* Vincentius *de* Coventry, *qui non multum post Germanum ſuum Magiſtrum* Henricum, *ad intrandum ordinem cooperante gratia Jeſu Chriſti, diligenter induxit. Intravit enim in die converſionis* S. Pauli, *cum Sanctæ memoriæ Magiſtro* Ada *de* Oxonia [l] *& Domino* Willielmo *de* Eboraco *ſolempni Baculario, &c.*

II. Fr. *Guliel. Pictavenſis.*

III. Fr. *Euſtachius* de *Normanvyle.* Is, postquam *Oxoniæ* legerat inceperatque, Lecturas *Cantabrigiæ* resumpsisse, & *Oxoniam* remeans, in Cancellarium Academiæ delectus fuisse perhibetur.

IV. Fr. *Joh.* de *Weſtona.*

VI. Sextum in Catalogo locum habet Fr. *Tho.* de *Eboraco*; qui cùm *Oxoniæ* incepisset, & in conventu ibi suo legisset, jubente Ministro Provinciali lecturas *Cantabrigiæ* resumpsit.

XII. Duodecimus est Fr. *Adamus* de *Merſton.*
XIII. Fr. *Henr.* de *Briſingham.*
XV. Fr. *Tho.* de *Bungey.*
XXIII. Fr. *Gualterus* de *Knolle.*
XXIX. Fr. *Adam* de *Howeden*, vel *Hoveden.*

} Qui inceperunt *Oxoniæ.*

XXXI. Fr. *Ric.* de *Conyngton*, qui incepit *Oxoniæ* & resumpsit *Cantabrigiæ.*

Fratres ergo isti, *Cantabrigiæ*, uti jam dictum, & *Oxoniæ*, velut mox dicetur, sede fixâ potiti, brevi admodum in primarias *Angliæ* Urbes & oppida passim derivantur.

Herefordiam primo nominabimus; ubi Prælectore [m] utebantur Fr. *Gulielm.* de *Leiceſtriâ*, è Scholâ suâ *Oxonienſi* prodeunte. Deinde erit *Ceſtria* (ea enim in exemplari [n] quodam *Eccleſtoni* habetur, quanquam

[a] *In Collat.* 10. [b] Pet. Rod. Tossinianensis, *in lib.* 2. *Seraphicæ religionis.* [c] *Author Regiſtri Domus Fratr. minorum in* Londonia *MS. in Bib.* Cotton, *fol.* 68. [d] *In Collat.* 3. [e] *In Antiquitatibus urbis* Cantuarienſis, *Edit.* Anglicè, 1640. *p.* 100. [f] Eccleston, *ut ſupra, coll.* 2. [g] *Ibid. in coll.* 5. [h] *Ibid. in coll.* 3. [i] *In imperfecto exemplari* Tho. Eccleston, *MS. in Bib.* Cotton, *coll. ult.* [k] *In coll.* 3. [l] *In altero exemplari* Ad. *de* Exonia *ſcribitur.* [m] Eccleston, *coll.* 10. [n] *Apud* Lelandum, *in Tom.* 2. *p.* 296.

in

in alio [a] *Leiceſtriam* deprehendo) ubi Fr. *Gregorius* de *Boſellis*, è Schola pariter *Oxonienſi*, prælegebat: Quod & *Briſtolliæ* fecit Fr. *Gilbertus* de *Cranford*, ex eâdem Scholâ. *Slopisburiam* poſtremo dicam, quâ ego quidem *Salopiam* intellexerim, tametſi *Lelandus* [b] è veteri *Eccleſtoni* codice *Salisburiam* habet. Ibi vero civis quidam *Ricardus*, in areâ quadam Fratribus à Rege conceſſa, Eccleſiam ipſis crexit; cui acceſſit *Laurentii* cujuſdam pietas, qui tum domicilia iis neceſſaria excitavit, tum fatiſcentis dormitorii parietes recreavit. Ut breve faciam, in Urbem poſthæc illam à Burgenſibus admiſſi, eandem incolebant ad *Henricum* uſq; VIII. Religioſorum familias ubiq; exturbantem.

Sed de his tantiſper. Ad *Ingeworthum* jam & *Devonienſem* redeo *Oxoniam* contendentes; qui cùm eâdem haud longe abeſſent, locorumque ignari viâ aberraſſent, propter appetentem jam noctem, fluvioſque copioſis imbribus exundantes, ad villam ruſticam, ſeu Grangiam quandam Benedictinorum *Abendonenſium* ſex mille paſſus ab *Oxonio* diſtantem, [c] deflectebant: quæ cum in immenſa ſylvarum ſolitudine, interque *Baldonam* & *Oxoniam* poſita dicatur, vel *Miltona magna* fuerit oportet, ad ſecundum quaſi à *Baldonâ* lapidem, ubi ſupra dictorum Monachorum Grangia quædam, Eccleſiæ ad Auſtrum vicina [d] ſtetit; vel *Culhamia*, *Abendoniæ* ad primum milliare propinqua; quam potius amplector conjecturam, quia ſitus eidem ſylveſtris & mediamnicus rectiſſime competebat. Quocunque demum loco erat præfata Benedictinorum cella, ad eandem fratres ruente jam nocte accedebant, & pulſato leviter oſtio, admitti ſupplices in Dei amorem petebant, quippe frigore aliter fameque interituri. Oſtiarius is erat cui preces haſce fundebant, qui miſerum illud Fratrum Par, è pannoſis veſtibus, vultuum ſquallore, & Idiotiſmo exotico, mimos quoſdam ſeu perſonatos conjectatus, nuntium ad ipſum Priorem deferebat, haud ſane ingratum; Ille enim cum Sacriſtâ, Cellario, Monachiſque duobus junioribus ad januam properans, eoſdem ultro invitabat, geſticulatoriis ſeſe ludicriſque artibus excipiendum ſperans. Cæterum cum Fratres tetrico compoſitoq; vultu affirmarent, ſpem illos inanem concepiſſe, neq; ejuſmodi ſe homunculos eſſe, verum Deo famulantes Apoſtolicæ vitæ inſtitutum elegiſſe, *Benedictini* expectato ſe riſu fraudatos ægre ferentes, indignis Fratres modis habitos, calcibuſque & pugnis conciſos, foras protrudunt; Qui tecto jam caſſi, conſiliique inopes oberrabant; & ſub arbore mox aliquâ ad ſomnum ſeſe erant compoſituri, niſi Deus Monachorum juniorum alteri in animum indidiſſet interituris proſpicere. Hic utique à Janitore impetravit, ut conſopitis Priore reliquiſque Monachis, miſellis iis in ſui gratiam oſtium aperiret; quibus in fœni metam receptis alimentum ipſe ſubminiſtrabat, precibuſque eorum commendatus, in diverſorium ſuum redibat. Subdubito hic an attexam Adoleſcentuli illius ſomnium, haud omnibus forte arriſurum; ſed quia indicio ſaltem eſſe poteſt, in pejora jam devergente ſeculo, aliquorum tamen mentes Religionem etiamnum numiniſque metum occupaſſe, tradere ſtatutum eſt. Cùm Juvenis itaque ille, ſeu Monachus junior, in ſomnum jam eſſet devolutus, viſus ſibi eſt (ut ſcriptor [e] quidam habet) Chriſtum pro Tribunali ſedentem, judiciumque ſupremum exercentem conſpicere; iſtiuſque ſubinde loci (Grangiæ nimirum prædictæ) patronos ſiſti coram ſe jubentem, exaudire. Dehinc prodibat illis è regione pauperculus quidam, habitu Fratrum Minorum indutus, qui Priorem cum tribus aliis ejuſmod oratiunculâ accuſabat: "Ulciſcere ô Judex Juſte fa-
"mulorum tuorum ſanguinem, quos barbara virorum
"iſtorum feritas frigori & inediæ noctiſque acerbiſſi-
"mæ periculis expoſuit. Memor eſto ô Domine vul-
"garia hos vitæ præſidia, quæque morionibus ſuppe-
"ditaturos ſeſe profiterentur, ſervis tuis, mundanas
"voluptates ejurantibus, animaſque pro quibus tu
"mortem perpeſſus es lucraturis, denegaſſe.

Poſthæc, Chriſtus ad Priorem converſus voce iracundâ rogabat, ad quem ille Ordinem ſpectaret, eoque perhibente *S. Benedicti*, à *Benedicto* tum prope adſtante quærebat Dominus verumne id eſſet; cùmque ille reſponderet Inſtituti hos ſui nequiſſimos eſſe everſores, juſſiſſe enim ſe ut Domicilia ſua Hoſpitibus quibuſcunque ſemper paterent, lata ſtatim ſententia eſt, Priorque cum Sacriſta & Cellario de Ulmo vicinâ ſuſpenduntur. Cum Chriſtus poſthæc Monachum illum alterum conſpiceret, cujus beneficio ſalvi erant duo Fratres *Franciſcani*, rogaretque è quonam ille Ordine eſſet, ſubveritus ille ne ſi *Benedictinos* agnoſceret, in ſupplicii ſocietatem veniret, S. ſe *Franciſci* de Ordine fuiſſe reſponſabat; quare Salvator à paupere confeſtim illo, quem *Franciſcum* eſſe jam conſtabat, ſciſcitatur, id verum an eſſet; ille autem ad Juvenem Monachum decurrens, meus eſt inquit Domine, meus eſt, quem ab hoc tempore in Ulnas meas & familiam recipio; pariterque tam arctis Adoleſcentem amplexibus conſtringebat, ut ſomno repente ſolutus, raptiſque temere veſtibus ad Priorem diſcinctus tranſvolârit. Atqui & illum & reliquos Monachos ſuffocatos tam prope reperit, tanquam ſi vero ſuſpendio perituri eſſent; quos mortem quodammodo eluctatos, multoque labore expergefactos, ad inſomnii illius narrationem ingens formido occupavit; verum cum Pius dein Juvenis ad hoſpites ſuos in fœni metâ properaret, elapſos modo intellexit, utpote qui ne à Priore deprehenderentur, præcavendum cenſebant. Denique, is inde timor & religio mentes Fratrum Minorum inceſſit, ut non tantum Adoleſcentulus modo dictus, (nam de illo id teſtatiſſimum eſt) verum & Cœnobiarcha *Abendonenſis*, cum ea omnia reſciviſſet, *Oxonium* haud ita multo poſt perrexiſſe; habitumque *S. Franciſci* indutus, fratribus ſeſe ipſius, Hoſpitium paulo poſt conſecutis, adjunxiſſe memoretur.

Nunc autem ad *Ingeworthum* & *Devonienſem* revertor, ſummo mane *Oxoniam* verſus iter facientes, deumque interea cumulate celebrantes, votaque nuncupantes, ſi modicam ipſis Benevolentiam apud *Oxonienſes* conciliaret. Neque ſurdum habuere numen; ad Urbem enim pertingentes, rectaque ad *Dominicanorum* in *Judaiſmo* pergentes hoſpitium, quod ſperare vix erant auſi, ſummo ſtudio & charitate ab iiſdem tractantur, immo, tam amicos hoſce quam iniquos *Abendonenſes* experti, in diem uſque octavum Refectorii Dormitoriique participes [f] fiunt.

At vero inſtituti interim ſui haud immemores, Manſionem proxime cogitabant, quâ ſe ad ſeveram *S. Franciſci* normam exercere deberent; ideoque domicilium in Parochiâ *S. Ebbæ*, inter Eccleſiam Portamq; aquaticam poſitum [g] conducentes, ibidem in æſtatem inſequentem ſine Cantariâ commorabantur. Has ipſis, ni fallor, ædiculas, *Ricardus* le *Mercer*, municeps *Oxonienſis* prædives, locabat; quas multi probi Bacculaurii & nobiles intrabant, vitamque pariter agebant: cumque iſtorum jam, aliorumque propediem *Franciſcanorum*, ſeu Fratrum Minorum, adventus per Urbem & Academiam reſonaret, magna virorum turba, vel communi rerum novarum cupidine ducta,

[a] *In illo quod ſæpius hic citavi, coll.* 10. [b] *In Tom.* 2. *ut ante p.* 297. [c] Barth. *de* Piſis, *ut ſup. fol.* 94. *b.* [d] Lel. *in* 2 *Vol. Itin. MS. p.* 10. [e] D. Antonin. *Archiep. in Chron. ſuo, edit.* Lugd. 1586. *in part.* 3. *Tit.* 24. *p.* 752. *ſect.* 2. [f] Eccleſton, *ut ſupra, coll.* 2. [g] *Ibid.*

vel peregrinam Regulam pernoscere cupientes, eòdem perpetuo confluebat. Post hæc iidem fratres, Evangelium publice annuntiantes, secutique in eo *Hugonem* de *Baldock*, *Philippum* de *Longeton*, & *Gulielm. Essebiensem*, qui ordinis istius primi in *Anglià* [a] prędicabant, popularem adeo gratiam brevi reportabant, ut plures terræ portiunculas, Mansioni suæ adjacentes obtinuerint. Quippe *Ric.* le *Muliner*, vel *Miller*, domum prædiolumque in propinquo, quæ fratribus primo istis locaverat, secundo post anno Municipio *Oxoniensi* in usum *Franciscanorum* consignavit. Deinceps ubi crescente post *Agnelli* adventum Sociorum numero, sedem suam ampliorem reddere necesse haberent, Aream unam à Domino *Thoma Uvalonges* accipiunt, & à Magistro *Richardo* de *Mepham*, & *Agnete Guidonis* relictâ binas; attestante [b] Inquisitione sub an. CIↃCCXXI. citatâ, quam de his talem in formâ reperio. ---*Item Fratres Minores tenent unam placeam quam dedit eis D.* Thomas Uvalonges, *in puram & perpetuam eleemosynam, & aliam placeam ex dono Magistri* Rich. *de* Mepham, *& tertiam placeam de dono* Agnetis, *quondam Uxoris* Guydonis, *quam dicta* Agnes *habuit per descensum à prædecessoribus, & reddunt inde* Waltero Aurifabro *unam libram cumini: quantum valet nescitur, &c.*

De *Uvalongio* illo proditum est, virum fuisse opulentum, nomenque sibi haud incelebre per finitimas partes peperisse; alia autem donaria in Fratres Minores transfudisse. *Mephamus*, cùm aream illam iisdem deferret, Archidiaconatum *Oxoniensem* tum vel paulo post gerebat; postea vero in Decanum *Lincolniensem* evasit, velut in Chronicis [c] *Osneiensibus* habetur. ---*Eodem anno* (viz. CIↃCCLXXII.) *circa nativitatem* B. Mariæ, *obiit* Willielmus *de* Lexinton *Decanus* Lyncoln, *cui successit Magister* Ricardus *de* Mepham *Archidiaconus* Oxon. *vir concilii & magnæ literaturæ.* Postremo, *Agnes* illa familiam hanc tam impense fovebat, ut maximâ tandem agelli parte (prout è scriptis liquet vetustis) donarit, quod *Paradisi* postmodo sibi nomen adscivit.

Fortunis itaque auctiores *Franciscani* secum in animis versabant, si Domicilium jam erigere possent, recipiendæ, quam sortiti essent, auditorum multitudini haud incommodum; locoque designato quo *Mulineri* domicilium steterat, (quod extra Urbis mœnia erat, jactuque velut lapidis à primo eorum habitaculo distabat) haud deerat illis virorum complurium facultatibus præpollentium benevolentia; è quibus etiam non pauci vel eandem jampridem Regulam susceperant, vel subinde erant suscepturi. Eorum vero nonnullos huc inferere fas esto.

I. Primus dicetur *Rodolphus* de *Maydston*, magnus ille Episcopus *Herefordiensis*. Is depositâ, ex dispensatione *Gregorii* IX. dignitate, Fratribus sese Minoribus adjunxit, anno CIↃCCXXXIX. quod nempe sic ipsi per quietem præceptum fuisset, si animæ suæ saluti prospectum vellet. ---*Egregie profecit* (inquit [d] *Leland*) *in bonis omnibus disciplinis quibus* Isidis Vadum (*Oxoniam* intelligit) *nomen Academiæ celeberrimæ retinet. Amplior postea in eisdem homini huic fuit profectus* Lutetiæ Parisiorum, *ubi ingenii acrioris periculum frequens in Scholis exhibuit publicis. Hujus insignem eruditionem*, Matthæi Parisii *Historia luculente exprimit. Reversus ille domum, fit* Henrico III. *cognitis-simus, à quo &* Herefordiensis *Episcopus constitutus est. Sextus jam ab accepta dignitate Pontificia agebatur annus, ecce arctioris vitæ studium, eum ab Episcopatu ad Collegium* Franciscanorum *deduxit, &c.*

II. *Johannes Radyngus* Cœnobiarcha *Osneiensis*, qui anno CIↃCCXLI. *cordis pusillanimitate* (verba *Math. Paris* habes) *detrusus, relicto ordine magni Doctoris* Augustini, *ad ordinem Minorum, novitatem volens experiri, transmigravit.* Verum licet illum aliqui *Franciscanis Oxoniensibus* annumerent, à scriptore [e] tamen quem ea latere vix poterant, quia eum novit, *Northamptoniensibus* accensetur. *Eodem anno* (ait ille, viz. CIↃCCXXXV.) *recepit frater* Johannes *primus, Abbas* Osney, *habitum Ordinis Fratrum Minorum apud* Northampton, *feria IV. post Festum* S. Michaelis, *& electus est frater* Joh. *de* Leeche *in Abbatem* Osney, *&c.*

III. Cœnobiarcha *Abendonensis*, qui eodem se voto adstrinxisse fertur.

IV. Postremus erit Monachus ille Juvenis *Ingeworthi* & *Devoniensis* in summâ calamitate sublevator.

Sed nec alios adhibeo bene multos, quos Authores tradiderunt muneribus se ultro exuisse, dumque Conventus ante dictus exstrueretur, mirificâ animi demissione, cœmento lapidibusque portandis humeros [f] submisisse.

Peracto demum Hospitio, quo securius tranquilliusque ætatem transigerent, cogitationes omnes ad ampliandos prædiorum fines referunt, deque sollicitando Rege *Henrico* III. imprimis cogitant; apud quos cum esset *Agnellus* qui eximiâ tum pietate, tum Papali, quâ munitus erat, authoritate in summam gratiam influxerat, dubitare non erat, quin votorum, nisi immensa plane forent aut illicita, compotes fierent. Quod quidem supplicantibus comprobatum est; nam iisdem ille primò diplomate [g] suo, dato XXII *Decemb.* anno Regno XXIX concessit, *ad majorem quietem & securitatem habitationis suæ, ut possint includere vicum qui extenditur sub muro* Oxon. *à porta quæ dicitur* Water-gate, *in Parochia* S. Ebbæ, *usq; ad parvum posticum ejusdem muri versus Castrum, ita quod murus Karnellatus similis reliquo muro ejusdem municipii* (viz. Oxon) *fiat circa præfatam habitationem, incipiens ab occidentali latere dictæ portæ de* Water-gate, *& se extendens versus austrum usq; ad ripam* Thamisiæ, *& inde extendens super eandem ripam versus occidentem usque ad feodum Abbatis de* Becco, *in Parochia* S. Bodhoci [h] *iterum reflectatur versus aquilonem usquequo conjungatur cum veteri muro præfati Burgi juxta latus orientale prænominati postici parvi. Rex etiam concessit eisdem ad continuandum locum novum cum veteri, quod possint prosternere de muro antiquo quantum extenditur habitatio ipsorum infra eundem, salvo tamen semper illo & hæredibus Regibus* Angliæ, *libero transitu per medium novi loci in quolibet adventu nostro ibidem.*

II. Porro autem Rex idem x *Febr.* proxime labentis, [i] concessit, *ut vicus qui extenditur sub muro* Oxon. *à porta quæ dicitur* Water-gate, *in Parochiæ* S. Ebbæ, *usq; ad parvum posticum ejusdem muri versus castrum, claudatur propter majorem securitatem, & quietem Fratrum Minorum juxta dictum vicum habitantium, quamdiu Domino loci placuerit, &c. concedimus etiam* (in-

[a] Eccleſt. *in Coll.* 5. [b] *Rot. gen. Inquisit. comitat. & villæ* Oxon. *Capt.* 6. *&* 7. *Regis* Ed. I. *in turr.* London. [c] *MS. in Bib.* Cotton. [d] *In Tom.* 4. *p.* 216. [e] Tho. Wyke, *in Chron.* Osneiensi, *MS. sub an.* 1235. [f] Barth. *de* Pisis, *ut supra, lib.* I. *fol.* 94. Antoninus *ut supra, & alii.* [g] *Rot. Pat.* 29 Hen. III. *m.* 9. *in turr.* Lond. [h] *Alibi* S. Benedicti. [i] *Pat.* 29 Hen. III. *m.* 10.

quit

æfato
omi-
lebet,
tis ut
poſ-
mo-
bita-

ran-
ni-
in-
ent
de
us,
rici
tem
ur-
lem
lli-
de-

vo
at,
el-
em
ad
o-
At
ti,
n-
e
â
-
)
-

munitus erat authoritate commendaretur; iſtiſque nominibus, plurimum tam apud Regem quam Academiam acceptiſſimus audiret. Porro autem, licet *Agnellus* literas vix aliquas, nedum Academicas, attigiſſet, Fratres tamen ſuos ad decretalium lectionem ac ſtudium compulit. Die utpote quodam Scholam ſuam intraſſe [c] fertur in animo habens ſi intelligere poſſet quantum Scholares ſui in literis profeciſſent. Cæterum cum eventilatam quæſtionem ſtatim audiret, *Utrum eſſet Deus?* (cui nempe Lectiones *Groſteſti* occaſionem præbuerant) exclamavit vir bonus; *Hei mihi! hei mihi! fratres ſimplices cælos penetrant, & literati diſputant utrum ſit Deus!* quæ cum indignabundus protuliſſet, foras ſeſe confeſtim proripuit, graviterque angebatur, quod Scholam Quæſtionibus ejuſmodi diſcutiendis ædificaſſet. Verum ſedato inde animo, x. Marcas ad curiam *Romanam* tranſmiſit, quibus emendata Decretalia conſecutus, diſcipulos ſuos adegit, ut miſſis inanibus Sophiſtarum diſceptationibus, (in pretio utcunque jam & admiratione habitis) ad eorum unice ſtudium animos adjicerent. Ad *Groſteſtum* revertor, cujus doctrinâ & præceptis magnum Fratribus illis in diſputando perinde atque concionando emolumentum [d] accrevit. Succeſſit ei in hoc munere Magiſter quidam *Petrus* nuncupatus, qui cùm eodem egregie fungeretur, & doctrina juxta ac pietate inclareſceret, inter Epiſcopos *Scotiæ* [e] aſſumptus eſt. Illum haud ſponte ſuâ, ſed *Groſteſti* rogatu, excepit *Rogerus* de *Weſenham* [f], Archidiaconus *Oxonienſis*; qui provinciam illam aliquantiſper procuravit, & à dicto *Groſteſto* ad Decanatum *Lincolnienſem* evectus, à Rege demum Epiſcopus *Conventriæ* & *Leichfieldiæ* creatur. Huic in eâdem Scholâ ſubrogatur [g] *Thomas Walleus* ſeu *Wallenſis*, *Pariſius* quondam ſtudioſus, vir doctrinâ inſignis, ideoque haud ita multo poſt, obeunte Magiſtro *Roberto* Archidiacono *Lincolnienſi*, in demortui locum, & in ejuſdem ſimul Eccleſiæ Præbendarium à *Groſteſto* [h] ſuffectus; pauciſque abinde annis (anno ſcilicet CIↃCCXLVII.) ad Epiſcopatum *Menevenſem* evectus; reditibus licet tanto clerico dignis per ea ſecula carentem. *Groſteſti* [i] Epiſtolam quandam vidiſſe memini ad *Wallenſem* illum datam, quâ perſuadere ipſi præſertim annititur, ut prælectionibus ſe Scholaſticis ſubtraheret, curamque animarum ſuſciperet. Ibidem *Wallenſis* doctrinæ & virtutis nomine cumulatiſſime celebratur, pluraque occurrunt ad eundem ſpectantia, quæ tamen impræſentiarum referre prætermitto.

Porro autem nec reliquos ad unum prælectores memorare attinet, qui operam in hac Scholâ cum tanto fratrum commodo impendebant, ut paulo poſt frater *Elyas* illius ordinis Generalis Miniſter, *Philippum Wallenſem*, virum cum primis eruditum, & *Adamum* de *Eboraco* ad ſe [k] accerſierit, eo nempe conſilio, ut *Lugdunum* in *Gallia* amandati, ſcientias hic acceptas, ibidem proſeminarent; ubi *Wallenſem* publici Profeſſoris munus obeuntem, & Philoſophiam ac Theologiam annis aliquot præmonſtrantem [l] reperio. Ex hâc etiam Scholâ *Oxonienſi* Fr. *Vincentius* de *Conventriâ*, mediæ ætatis annos nondum ſupergreſſus, & prælegentis *Groſteſti* ſedulus auditor, à Fr. *Alberto* Generali Miniſtro *Londinum* [m] accitus eſt, in Conventu *Franciſcanorum* ibi tum collocato lecturus; qui exinde tamen, ut ante dictum eſt, *Cantabrigiam* poſt paulo conceſſit. Denique, an memorabo, ex illâ pa-

glia. *vel de adventu primo illorum in* Angl. *Coll.* 10. Leland. *ut ſupra, lib.* 1. *& per* Antoninum, *ut ſupra, part.* 3, *&c.* [d] *Imperpl.* Eccleſtoni, *Coll.* 10. [f] *Ibidem.* [g] *Ibidem.* [h] *In Epidem.* [k] *Perfect. exempl.* Eccleſton. *Coll.* 10. *Imperfect. Coll.* 11.

riter Scholâ [a] prodiiſſe Fr. *Henricum* præfati *Alberti* germanum fratrem, cujus etiam juſſu prælectiones *Cantuariæ* habuit:

Atqui vero per ea tempora quibus *Uveſenhamus*, & *Thomas Uvallenſis*, fratres illos, quod prius dixi, prælegendo erudirent, parva eorum Schola transferebatur ad novam Manſionem nuper erectam, & non mole tantum ſed & numero aucta duplex audiebat, à Theologiâ & Philoſophiâ ductis cognomentis diſcriminata. Schola Theologica in parte Eccleſiæ inferiori erat, quâ Inceptores veſperias nonnunquam celebrare conſueverunt; Philoſophica autem in Clauſtro habebatur, & in ea Baccalaurei nonnulli legebant. Quin & Inceptorum in Artibus hic etiam legentium, annexam narrationem infra habebit lector. Porro haud ignarus ſum *Lelandum* de eorum nonnullis tradidiſſe, quod inibi legerint Doctoratum in Theologiâ ſuſcipientes.

I. Primum obtinet locum [b] *Adamus* de *Mariſco*, *Groſteſti* familiaris. Ibi ille quamdiu prælegerit non habeo dicere; certe è literis [c] *Groſteſti*, quo tempore Archidiaconatum *Leiceſtrenſem* gerebat, ad *Agnellum* Fratrum Minorum & Conventus eorum in *Oxonio* Miniſtrum datis conſtat, quanto *Adamum* hunc in pretio habuerit; cùm illius à *Sancto* (ſic appellare placuit) *Agnelli Collegio*, atque adeo ab *Oxonio* diſceſſum ægre ſe ferre teſtetur. Verum *Adamus* nonnullis abinde annis Doctoris apud nos gradum capeſſivit; cujus in veſperiis cùm *Groſteſtus* cathedram doctoralem [d] occuparet, & orationem ſolennem haberet (quam ſic auſpicatus eſt, *Exemplum eſto fidelium in verbo, &c.*) Inceptorem patrio affectu adhortabatur, debitiſque, pro more, laudibus [e] ornavit: qui quidem eruditione tandem tam variâ, tamque reconditâ ingenium excoluiſſe comparuit, ut apud Scholares *Doctor Illuſtratus* vulgo audierit, & ab Authore [f] quodam inter ſui ordinis ſcriptores *Oxonienſes* primo loco poſitus fuerit, cum id honoris *Alexandro* de *Hales* è Doctoribus *Pariſienſibus* collatum jam ante fuiſſet. Facile enimvero complura ſubnectere poſſim de clariſſimi hujus viri laudibus, quæ ex *Nicolao Trivetto*, ſodalitii Prædicatorum Fratre, deſumere fas eſſet: tametſi nec me latet, *Rogerum Baconum* ſcriptorum cenſorem acerrimum, de illuſtribus hujus ſeculi authoribus agentem, Fratrem hunc noſtrum *Adamum*, & quicquid ediderit, in parvo pretio habuiſſe.

II. Fr. *Rodolphus* de [g] *Coleburg*; qui cum apud *Pariſienſes* in Artibus regeret, ſummam doctrinæ ſuæ opinionem concitavit; poſthæc vero Generalis miniſtri juſſu *Oxonium* profectus, Regentiam ibi in Theologiâ abſolvit, eximiam tum ſibi tum Ordini ſuo exiſtimationem lucratus.

III. Fr. *Euſtachius* de [h] *Normanvill*, qui priuſquam Ordinem *S. Franciſci* intraret, ut cum Authore [i] loquar, *multum nobilis & dives fuit.* Magiſter deinde in Artibus, & Magiſter ſeu Doctor Decretalium, poſtremo Univerſitatis Cancellarius evaſit. *Tertius prælector* (*Lelandi* [k] verba ſunt) *fuit* Euſtachius Normanovillanus, *qui ante acceptam Franciſcanæ ſectæ veſtem, Liberales Scientias coluerat, ac ſummum gradum inter Pontificiæ Legis Profeſſores conſcenderat, cui etiam acceſſit & Archigrammatei inter* Iſaicos *dignitas.*

IV. Fr. *Tho.* de [l] *Eboraco.* Is poſtquam *Oxonii* incepiſſet, & lectiones ibi abſolviſſet, *Cantabrigiæ* eaſdem reſumpſit. Seculum ille ſuum ſcriptis exornavit, quorum tamen pleraque omnia deperiiſſe jampridem creduntur. Ingruente ſenectute, pedem ad natale ſolum, *Eboracum* utique, retulit, ibique ætate reliquâ in hoſpitio Ordinis ſui decurſâ, è vitâ migravit circa annum CIↃCCLX. De viro illo perilluſtri prætermittendum non arbitror, quod cùm gradum Magiſtri ſeu Doctoris in Theologiâ ſuſcepturus nobiſcum eſſet (id circa annum CIↃCCL. contigit, Fratre *Petro* de *Maners* Cathedram Doctoralem in veſperiis poſſidente) aditus illi ad gradum præcludebatur, ſiquidem non ſecundum Academiæ Statuta in artibus prius rexerat, quâ de re Fr. *Adamus* de *Mariſco* literas [m] ad Fr. *Gulielm.* de *Notyngham*, Provincialem Miniſtrum ſcripſit, quibus *Thomam* illum tam obnixe concelebrat, ut aliqua ipſius verba hunc in locum tranſcribenda cenſuerim. ---*Actum eſt* (inquit ille) *viciſſim per vii dies ante confectionem præſentium apud Cancellarium & Magiſtros Univerſitatis* Oxon. *ut de benedicto eorum aſſenſu chariſſimus Frater* Tho. *de* Eboraco (*ſit benedictio divino nomini*) *propter eminentiam moris, ingenii, literaturæ, & experientiæ apud magnos & multos commendabilis, Cathedram ordinariè regendi in Sacris Scripturis aſcenderet: extitit autem obtinendi difficultas, objicientibus eidem aliquibus quod nequaquam in liberalibus rexit cathedraliter: anceps expectabatur eventus ſuper hoc in profectione portitoris præſentium, &c.* Qualem ea res exitum ſortita eſt, è literis aliis ad eundem F. *Gulielm.* de *Notyngham* tranſmiſſis liquet; in quibus reperio, quod ſupplicante Fratre *Thomâ*, Cancellarius & Artium Magiſtri cum Baccalaureis nonnullis ejuſdem facultatis, in unum convenerint, & ſeptem è ſuorum numero compromiſſarios deligentes, ſtatuerint, *quod ſicut petitum eſt hac vice Frater* Thomas *inciperet, non obſtante impedimento objecto eidem, ſcilicet quod in Artibus non rexerit, &c.*

V. Fr. *Ricardus* [n] *Rufus*, *Corinianus*, teſte [o] *Lelando*, *non modo* Iſidis *in* Vado, *ſed & Inſulâ quoque* Pariſiorum *tanta cum felicitate melioribus invigilavit artibus, ut latè ejus* [p] *orbi fama innoteſceret. Notius eſt hunc profectum fuiſſe in* Franciam *una cum* Haymone *de* Faverſham *viro undiquaq; laudatiſſimo, quam ut in præſentiæ inſinuatione indigeat ulla. Juvat tamen hic* Thomæ [q] *Franciſcani verba in medium adferre, non quod eloquentiam ſed fidem potius ſpirent.* Richardus Rufus, *Cornubienſis* (dicit ille) *qui eo tempore, quo Fr.* Helyas *religionem turbavit*, Pariſiis *ingreſſus eſt, ubi poſtea curſoriè legit ſententias, &* Admirabilis Philoſophus *judicatus eſt. Ricardus* ille *Rufus* non alius eſt à *Ric. Ruys*, qui à *Pitſeo*, in appendice [r] ad librum de ſcriptoribus *Anglicanis*, floruiſſe anno CIↃCCLXX. perhibetur.

VI. Fr. *Joh.* [s] *Uvallenſis*, ſive *Guallenſis*, *Philoſophiam & Theologiam magnâ cum laude in hac Schola* Franciſcanorum [t] *profeſſus eſt. Relicta tandem illa*, Pariſiorum *Academiam petiit, ubi tantam curam, diligentiam, operam eruditis ſtudiis adhibuit, ut tandem apud illos doctrinæ excellentis nomine ter maximus haberetur. Quoque major fides his noſtris verbis accedat mentiar niſi* Trithemius *ſcribat hunc à* Pariſiis Arborem vitæ *fuiſſe appellatum. Ea enim erat ut tum fere-*

[a] *Ib. in* Eccleſt. [b] *Ib. Coll.* 10. [c] *Int. Epiſtolas* Groſteſti, *ut ſupra, Ep.* 2. [d] Tho. Gaſcoigne, *in Lex. Theologico, part.* 1. *p.* 663. *MS.* [e] *Ut in MS. quondam in Bib. horum* Minorum *apud* Oxon. [f] Guil. Widford, *adverſus Trialogum* Wickleſi. [g] Eccleſt. *Coll.* 10. [h] *Ibidem in ead. Collat.* [i] *Idem* Eccleſton. [k] *In Tom.* 4. *Collect. p.* 236. [l] Eccleſton *in imperfect. Exempl. Coll.* 11. [m] *Inter Epiſtolas* Adami *de* Mariſco, *MS.* [n] Eccleſton, *ut ſupra.* [o] *In Tom.* 4. *p.* 213. [p] *Tam* Oxon, *quam* Pariſiis *fama clariſſimus fuit, ut* Eccleſtonus *in Collat.* 3. *dicit.* [q] Thomam Eccleſtonum *intelligit.* [r] *In Cent.* 3. *nu.* 92. [s] Eccleſt. *in imperf. exempl. ut ſupra.* [t] Leland, *ut ſupra, Tom.* 4. *p.* 232.

bant

bant tempora, facundiâ, eâ ingenii promptitudine, acrimoniâ, felicitate etiam, ut de quacunque re non dicam ornatè, eloquenter, ſplendidè, ſed acutè, graviter, doctè potuerit diſſerere. Quæ virtutes ſi pleno copiæ cornu adſint, non video quin inter eloquentiæ flores quamvis ad miraculum varios, ſuum, & merito quidem vel hac noſtra ætate, locum habeant. Quid ſi in noſtrum incidiſſet Guallenſis *ſeculum? nam multum refert, ut inquit* Plinius, *in quæ tempora ingenia incidant. Certe qui* Pariſiis, *apud quos literas profitebatur, maximus fuit, nobis, quantum ad linguarum puritatem pertinet, aurcam planè ætatem habentibus major eſſet. Sed ne videar nimium munus ornare, tantum jam indicabo quos libros ſcripſit.* Hactenus *Lelandus.* Edidit in Philoſophiâ & Theologiâ xx quaſi volumina, quæ, ut plurimi teſtantur Authores, ſummâ diligentiâ elaboravit. Floruit anno CIↃCCLX, & *Lutetiæ* inter fratres ſuos ſepulchrum nactus eſt.

VII. Fr. *Thomas Dochingus,* [a] vulgo *Docking, Franciſcanam juvenis ſecutus* [b] *eſt inſtitutionem, idque in* Iſidis Vado, *ubi longo temporis uſu tam multa feliciter didicit, ut, ceſſante* Johanne Guallenſi, *homine ſui ordinis impenſe literato, Theologiam publicè profiteretur. Clarum mehercule talem habuiſſe in lectione ducem; multo tamen clarius ſuum ita ſecutum fuiſſe ducem, ut ſi eum non ſuperaverit in eruditione, ſaltem æquaverit. Si autem quiſquam ſit qui velit hoc dictum exquiſitius trutinare meum, is inquam ad ejus libros rectà ſe conferat, inventurus meam in hac parte fidem haud dubiam.* Porro *Thomas Vaſconienſis* in Dictionario [c] ſuo Theologico, verbo *Epiſcopus*, mentionem Doctoris hujus haud incelebrem facit; *---uſque quo ero apud vos,* Lucæ *ix cap. Apud Judæos erat Chriſtus per corporalem præſentiam, per miraculorum efficientiam, per neceſſariorum prudentiam, per infirmitatis ſuſtinentiam, per imperitiæ inſtructionem: omnibus his modis debet prælatus eſſe cum ſubditis. Hæc Mr.* Thomas *quidem communiter vocatus* Dockyng *ſuper* Lucam, *& eſt optimus Doctor inter modernos Doctores, quoniam in* B. Jeronymo *verſatiſſimus; quocum non novi aliquem expoſitorum æquiparandum.* Hæc ille. In quo, authorem iſtum *Thomam Dockyng* Oxonienſem, *Lyncolnienſi* ſuo, viz. *Groſteſto*, (quod mirum) præferre plane videtur: tamen idem alibi in eodem [d] Dictionario, agnoſcit *Hugonem* de *Vienna* ſecundùm *Jeronymum* optimum fuiſſe interpretem: & rurſus alibi [e] de eodem *Dochyngo* ſic ſe habet; Thomas Dockynge *Doctor Theologiæ Ordinis Minorum in opere egregio ſuper* Job.

VIII. Fr. *Henricus Briſyngham*, celeberrimi nominis *Franciſcanus* (ut *Lelandus* [f] habet) *Iſiacos*, chorum eruditiſſimum, *Iſiacus* & ipſe coluit. Seculum vero in quod incidit non erat infelix, niſi quod infinita Elenchorum vis aliquantò importunius ſe in Scholas ingeſſiſſet. *Franciſcani* primas in Sacrarum Literarum interpretatione Cathedras ſibi dari poſcebant: & erant certè digniſſimi illa majeſtate. Prælegebat id temporis in Schola *Franciſcana* (ut idem Author habet) *Tho. Dochingus*, Philoſophus ſuorum opinione, atque Theologus accuratè doctus. Sed ut arcus intenſus aliquando remittendus; ſic & aſſiduus *Dochingi* in prælegendo labor quiete reficiendus. Adfuit *Henricus*, & vices ejus multa induſtria, diligentia quoque, & alacritate planè expeditiſſimâ ſupplevit. *Iſiaci* eruditiſſimo applaudebant Doctori, tum præterea ut ejus merito aſſurgebant, ſic & autoritati multum detulere: quibus una cum prælectione Theologica in Scholis (quam operam ille numero inter ſuos octavus exegit) inſigniter aucta eſt *Franciſcanorum* gloria. Præter alia quamplurima, ſcripſit librum [g] cui titulum fecit *Summa de ſacramentis.* Hæc in annum CIↃCCLXI. cadunt, cum Prælectoris nimirum partes *Oxonii* inter *Franciſcanos* ſuſtineret.

IX. Fr. *Guliel.* [h] *Hedelegus*, vulgo *Hedley*, præſtantiſſimis tam Theologis quam Philoſophis accenſendus; *quem* Edoardus Longus *in* Aſſyriam *profecturus concionatorem* [i] *delegerat.*

X. Fr. *Thomas* de [k] *Bongeia*, vulgo *Bongey*, *apud* Icenos *ortus propter ripas* Avonæ *in Emporiolo ſui nominis, quod tunc* Bigotianæ *ditionis erat, maturis ſtudiis Franciſcanus annis in* Iſidis Vado (verba ſunt [l] *Lelandi*) *& uſq; adeo ſtrenuè Philoſophiæ ac Theologiæ incubuit, ut ab opere gloriam vel æternam ſibi comparuit. Crediderim &* Lutetiæ *de more illuſtrium* Anglorum *eum aliquando Scholas frequentaſſe publicas, curâ quidem magnâ, nec ſucceſſu minori. Cedebat occupatiſſimus ſed doctiſſimus* Heddelegus, *munere interpretationis Sacræ Scripturæ, non aliâ tamen ratione ullâ, quam ut expeditum & in eâdem parte exercitatum pulchre, commodè ſubſtitueret. Erat ille quidem inter prælectores Collegii Franciſcani, tum propter* Vadum Iſidis *celeberrimi, à primo nonus. Loco vero ſuo ſtatuit* Bongeium *imprimis doctum, cujus, præter cætera, tanta in Matheſi & tam recondita cognitio fuit, ut perficiens arte multa, ingenioque longe acerrimo majora, quam ſimplex tenuiter literatorum turba rectè expendere vel intelligere facile potuerit, crederentur* [m] *ea Cacodæmonum facta concilio & infami ſtudio. Adducor ut credam eum in ejuſmodi naturalium rerum experientia uſum fuiſſe adprobato* Baconis *judicio, qui eam magicæ partem, libris accuratè ſcriptis, poſteritati conſecravit. De dignitate Magiſtratus quo inter ſuos functus eſt, ſatis conſtat. Erat enim* Franciſcanorum Angliam *incolentium, ut conſueto utar vocabulo, Miniſter. Catalogus illuſtrium* Franciſcanorum *magnifice meminit libri à* Bongeio *in ſententiarum lucem ſcripti, &c. Cantabrigiæ* tandem legiſſe deprehendo, annis autem onuſtum *Northamptoniam* ſeceſſiſſe, fatoque ibi defunctum inter *Fratres* ſui Ordinis funeratum [n] fuiſſe.

XI. Fr. *Johan.* de [o] *Peccam*; de quo *Lelandus* [p], Joh. Pechamus *Franciſcanæ ſectæ ſtudioſus imitator, videns id quod frequentiuſculè accidere ſolet, paucos in ſua patria illuſtres, etiam ſi merita accedunt, multos vero foris cum per literas, tum per alias virtutes plurimas, Clariſſimos fuiſſe, fauſto ſydere* Lutetiam Pariſiorum *petiti. Ibi tam diu ſtudiis, quæ in* Anglia *rectè inchoaverat, inſiſtebat, donec à doctis & haberetur & eſſet magnus Philoſophus juxta ac Theologus, &c. --poſt hæc unde abiit rediit, id eſt ad ſuos* Anglos, *& in* Iſidis Vado *publicè prælegebat (proximus à* Bungeio *excellentis famæ viro) non ſine totius Academiæ cum ap-*

[a] *Imperfect. exempl. ut ſupra.* [b] Lel. *ut ſupra, p.* 236. [c] *MS. in* 1 *parte, p.* 415. [d] *Pag.* 547. [e] *Pag.* 644. [f] *In Tom.* 4. *p.* 238. [g] *MS. Inter codices* Laud. [h] *Imperf. exempl. ut ſupra.* [i] Lel. *ut ſupra, p.* 238. [k] *Imperf. exempl. ſive Fragmentum* Eccleſ. *ut ſupra.* [l] *In Tom.* 4. *ut ſupra, p.* 229. [m] *Magia naturalis Necromantiæ nomine notata: Et quod quidam* Rob. Anglicus *ſcripſit de magia præſtigioſa in quod opus incidit* Corn. Agrippa, Lelandus *in vita* Rob. Anglici, *in Tom.* 4. *p.* 233. *agnoſcit: de quo ſilet* Balæus, *ſed forte ille fuit* Rob. *perſcrutator.* [n] *Reg.* Fratrum Minorum *London. fol.* 68. [o] *Imperf. exempl. ſive Fragm.* Eccleſton. *ut ſæpius ante.* [p] *In Tom.* 4. *ut ſupra, p.* 232.

plauſu, tum etiam admiratione. Hanc enim virtutem Franciſcani *omnes libenter agnoſcebant, & facto conventu Collegiis ſuis, quotquot in* Anglia *erant, illum Gubernatorem ſtatuerunt. Non longum tamen apud ſuos manſit, quin accerſitus* Pariſios *reviſeret. Deinde fama advocante* Romam *principem rerum urbem adiit, ubi lector, ut vocant, Palatinus conſtitutus eſt. Circiter hæc tempora* Robertus Chilvuarbius *Archiepiſcopus* Cantiorum *à* Gregorio *Pontifice Ro. factus eſt Cardinalis & Epiſcopus* Portuenſis. *Quare Romanus Pontif.* Pechami *virtutes novis honoribus illuſtrare volens, authoritate ſua, ſed per violentiam illum* Cantiis *Archiepiſcopum deſignavit. Hæc fere omnia, ſed non tam dilucide,* Nicolaus Trivettus, *in* Edoardo *Cogn.* Longo *ſcripſit. &c.* Ita *Lelandus.* Deprædicant virum hunc egregium Scriptores alii perplures; quorum [a] unus dicit, quod ille pro defendendis fidei Eccleſiæque dogmatibus *Pariſiis* cum beſtiis depugnavit, ſed paucorum hoc in loco teſtimonia adferre ſufficiet. Primum eſto *Gulielmi* [b] *Widefordi*, ex eodem Sodalitio Fratris, cujus in Reſponſionibus ad *Vuiclevum* hæc habentur; *Frater Minor factus Archiepiſcopus* Cantuarienſis, *ſicut olim Fr.* Joh. Pecham, *qui fuit ordinatus Epiſcopus antequam hoc ipſe ſcivit vel cogitavit, remanſit in ſubſtantiali voto paupertatis per eum prius facto: ipſe namq; non fuit Dominus Civilis bonorum ad Epiſcopatum illum pertinentium, ſed ipſe fuit diſpenſator iſtorum ſicut Apoſtoli diſpenſatores fuerunt bonorum ad pedes poſitorum. Bartholomæum* de *Piſis*, ejuſdem Inſtituti fratrem non adduco, quia *Pechamum* licet noſtrum [c] concelebrarit, id tamen (more ſuo) perridicule frivoléque potius quam rhetoricè præſtitit. Atqui omittenda non ſunt Provincialium Catalogi [d] verba. *Frater* Johannes Pecham *Doctor* Pariſius, *& reſumpſit* Oxoniæ (Lecturas intellige) *Lector Curiæ, & poſt Archiepiſcopus* Cantuarienſis *fuit, jacet inter Monachos.* Denique, ut breve faciam, Fratrum iſtorum, quos inter à teneris annis educatus *Oxonii* fuiſſet, immemorem ſeſe haudquaquam geſſit: nam ad Archiepiſcopatum *Cantuarienſem* pertingens, frequentia in ipſos dona effudit, & munera haud raro publica, Eccleſiarum præſertim *Oxonienſium* curam, iiſdem conferrendam curavit. Obtulere ſe mihi literæ [e] ejus ad Priorem & Canonicos *Sanctæ Frideſwydæ*, anno CIↃCCXCI. conſcriptæ, quibus petit, ut ſiquando Eccleſiam *S. Petri* in *Ballivo* vacare contingeret, cuidam è Societate Fratrum Minorum Beneficium illud deferrent; hâc poſtulati ſui ratione adhibitâ, *quia nos* (ut ipſius verba legas) *in domo Fratrum Minorum* Oxon. *ſuperioris naturæ, quæ naturans communiter appellatur, hauſimus naturali pondere potiorem, &c.*

XII. Fr. *Henricus* de [f] *Appletrey.*

XIII. Fr. Rob. *de* [g] Cruce, *Chordigeræ ſectæ fraterculus celebris ſuo ſæculo non modo eruditionis* (ait [h] *Lelandus*) *ſed & religionis quoque titulo: nec caruit virtus ejus præmio plane honorifico. Fit promagiſter in* Anglia *ſui ordinis: quod ſemel injunctum ei munus tanta pertractavit cum dexteritate, ut laudem, quod raro accidit, ſine ulla invidia magnam facile acquireret. Neque moriens famam ſui nominis, aut iniquam, aut obſcuram doctæ reliquit poſteritati. Scripſit enim aliquot libros, conſpicuum animi erga ſacras literas optimè adfecti indicium: quorum unus Commentarios in Naturalem* Ariſtotelis *Philoſophiam, alter in ſententias* Longobardi *continebat, teſte illuſtrium Franciſcanorum Catalogo.* Theologiæ Doctor *Oxonii* emerſit, & decimus tertius extitit in illo Fratrum Minorum hoſpitio Prælector. Mortuus eſt apud *Aquæ pontanum*, vulgo **Bridgewater** in agro *Somerſetenſi*, & inter ejuſdem familiæ Fratres ibidem [i] ſepultus.

XIV. Fr. *Radulphus* [k] de *Toſtis.*

XV. Fr. *Alanus* [l] de *Rodano.*

XVI. Fr. *Rogerus* de *Merſton. Oxonii* Doctoratum tandem in Theologiâ ſuſcepit, & Provincialis miniſtri honorem ſortitus eſt. Diem obiens, *Nordovici* in Conventu Fratrum Minorum [m] contumulatur.

XVII. Fr. *Alanus* [n] de *Wakerfield.*

XVIII. Fr. *Nicolaus* de *Occam* (*A.* de *Occam*, in fragmentis jam ſæpius allegatis, vocatur) ſeculum ſuum variis ſcriptis decoravit. *Franciſcanorum* (ait [o] *Balæus*) non modicus Doctor, imò præ aliis multis amatus, decimus octavus *Oxonii* apud eos in Cœnobio prælector publicus, tempeſtivè (inquit *Lelandus*) ſuo nunc loco accidit. Claruit anno CIↃCCCXX. ſub *Edoardo* II.

XIX. Fr. *Gualterus* [p] de *Knolle.* Inter *Cantabrigienſes* lecturas ſuas poſtea reſumpſit.

XX. Fr. *W.* de [q] *Hertipoll. Gualteruſne* an *Gulielmus* prænomine incertum. Conſtat certe Authorem noſtrum, in Prælectorum iſtorum nominibus erroris frequenter arguendum; mihique propterea perſuaſerim virum iſtum ab *Hugone Hertipoll*, vel *Hartelpol*, diverſum non fuiſſe, qui Doctoris nempe gradum nobiſcum capeſſivit, & in *Italiam* deinde perrexit; ibique tandem diem obiens, *Aſſiſii* inter Fratres Minores [r] reconditus eſt. Plura de eo habebis *lib.* 11. ubi de Collegio *Balliolenſi* agetur.

XXI. Fr. *Ꝼ.* de [s] *Perſora*, vulgo *Perſhore.*

XXII. Fr. *Joh.* de [t] *Berewyco* (vel *Bervicanus*, ut *Lelandus* [u] habet) *ſynchronius fuit R.* Nicolai Ochami, *& veſtigiis ſtudioſe inhærebat, eo quo* Iſis *fluvius famoſiſſimus loco* Vadum *patitur. Collaudat eruditorum inter* Franciſcanorum *ejus in* Longobardum *elucubrationes. Scripſit inſuper libellum de formis. Stanfordiæ* in Comitatu *Lyncolnienſi* [x] ſepultus jacet.

XXIII. Fr. *Thomas* de [y] *Barnabye.*

XXIV. Fr. *Adamus* de [z] *Lyncolne*, poſtea D. Theologiæ *Oxon*, & miniſter Provincialis, [a] miracula plura edidiſſe fertur, ſepultus vero eſt *Lyncolniæ.*

XXV. Fr. *Guliel.* de [b] *Geynsborough, liberalibus Artibus ex communi* Ariſtotele *competenter inſtructus. Ad palæſtricæ Theologiæ* (inquit [c] *Balæus*) *ſtudia ſe convertit, cæpitque ſtatim eloquiis Sanctorum Sanctiſſimi Papæ inhærere.* Erat hic in Scholâ *Franciſcanâ* viceſimus quintus ſuæ ſectæ Prælector, & *Romæ* tandem Sacri palatii lector ut *Tho. Eccleſtonus* habet. De eo Catalogus [d] Provincialis, Fr. *Gulielm. Geynsborough* Dr *Oxon, Lector Curiæ & poſt Epiſcopus* Wygornienſis, *jacet apud* Belvacum.

XXVI. Fr. *Joh.* [e] *Baſſet.*

[a] Rod. Toſſinian. *in Hiſtor. Seraph. Religionis, lib.* 1. [b] *In ſuis reſponſionibus contra* Wiclevum, & Lollardos *in Quæſtione* 64. *MS.* [c] *In libro conformitatum B.* Franciſci, *ut ſupra, lib.* 1. *fol.* 154. *a.* [d] *In Reg. Fratrum Minorum* London. *fol.* 68, *&c.* [e] *In Reg.* Peccam, *fol.* 140. [f] *Fragm. vel Imperfect. exempl.* Eccleſtoni, *ut ſupra.* [g] *Ibidem.* [h] Leland. *in Tom.* 4. *ut ſupra, p.* 242. [i] *Reg. Fr. Minorum, ut ſupra, fol.* 68. [k] *Fragm. ut ſupra.* [l] *Ibidem.* [m] *Reg. Fr. Min. ut ſupra.* [n] *Frag. ut ſupra.* [o] *In Cent.* 5. *nu.* 17. [p] *Fragm. ut ſupra.* [q] *Ibidem.* [r] *Reg. Fr. Min. ut ſupra.* [s] *Fragm. ut ſupra.* [t] *Ibidem.* [u] *In* 4 *Tom. Coll. p.* 242. [x] *Reg. Fr. Min. fol.* 68. [y] *Fragm. ut ſupra.* [z] *Ibidem.* [a] *Reg. Fr. ut ſupra.* [b] *Frag. ut ſupra.* [c] *In Cent.* 4. *nu.* 91. [d] *In Reg. Fr. ut ſupra.* [e] *Fragm. vel Exemp. Imperfect. ut ſupra.*

XXVII. Fr.

XXVII. Fr. *Tho.* [a] *Rondel.* Funeratur *Londini*, inter Fratres Minores.

XXVIII. Fr. *Adamus* de [b] *Howden.* Legit deinde *Cantabrigiæ.*

XXIX. Fr. *Phil.* de [c] *Briddilton.*

XXX. Fr. *Pet.* de [d] *Baldeswell.*

XXXI. Fr. *Joh.* de [e] *Horley.*

XXXII. Fr. *Martinus* de [f] *Alnewick*, (*Alaunnovicanus* [g] Lelando de quo refert quod *Franciſci* notiſſimus imitator fuit) Scripſit de more omnibus ejus ſeculi Theologis receptiſſimo, Commentarios in *Longobardum.*

XXXIII. Fr. *Albertus* de [h] *Beverlaco.*

XXXIV. Fr. *Rich.* [i] *Connyngton* (*Lelandus Covendunum* [k] vocat) Chordiger *Iſidis* in *Vado* doctiſſimorum uſus eſt conſuetudine. *Tales etenim illud ſeculum genuit fratres, quales ſi poſteritas vidiſſet* (loquor ex *Lelando*) *amaſſet, celebraſſet, ſuſpexiſſet. Sed eorum omnium eſt mutatio. Conſtat hujus tantum apud ſuos tum doctrinæ, tum continentiæ titulo exiſtimationem fuiſſe, ut miniſtri præficeretur muneri. Cantabrigiæ* etiam legebat (quo in loco ſepulturam cum Fratribus ſuis nactus eſt) & Provincialis [l] Miniſter extitit.

XXXV. Fr. *Tho.* de [m] *Pontefracto.*

XXXVI. Fr. *Petrus* de [n] *Sutton.* Jacet ſepultus apud *Stanfordiam.*

XXXVII. Fr. *Ranulphus* de [o] *Lockeſley*; de quo ſic [p] *Lelandus*: Rodulphus Loccheſlegus *inter Franciſcanos, ad* Iſidis Vadum, *celebris erat cum Philoſophiæ tum Theologiæ calculo, tantorum igitur in ſtudiis laborum præmia accepit digniſſima, relatus videlicet in claſſem Theologorum ſupremam. Tum ille, ut novæ dignitati belle reſponderet,* Longobardi *præſcriptâ conſuetudine libros Commentariis donavit, &c.* Jacet [q] ſepultus inter Minores *Uvigorniæ.*

XXXVIII. Fr. *Will.* de [r] *Shirebourne.*

XXXIX. Fr. *Gulielmus* de [s] *Notyngham.* Prælectoris munere functus, D^num^ *Rich. Conyngtonum* in officio Provincialis Miniſtri excepit; quorum Miniſtrorum in [t] Catalogo hæc de eo occurrunt. Fr. Willielmus Notyngham *Doctor* Oxon, *qui fecit ſolennem poſtillam ſuper unum ex quatuor evangeliis, jacet* Leyceſtriæ. Obiit an. CIↃCCCXXXVI.

Fuit porro & alius quidam *Gulielm. Notyngamus*, tertius (ut in Appendice meâ, vel in Catalogo MSS. videre eſt) Provincialis Miniſter, de quo [u] *Eccleſtonus* ſic loquitur. *Floruit* Guliel. *de* Notingham Oxoniæ, *tempore* Johannis *de* Parma, *octavi Miniſtri generalis, cui ſucceſſit* Bonaventura *magnus ille Theologus. ---Fr.* Gul. *de* Notyngham, *& Fr.* Petrus *de* Tewkesbury, *Oſtenderunt D. Papæ* Innocentio IV. *quæ ſuus ſtatuerat prædeceſſor. ---Fr.* Hamo, *per unum annum miniſtravit in* Anglia, *& poſtea in Generalem electus eſt, --ſucceſſit autem ei Vicarius ſuus Fr.* Guliel. *de* Notyngham *germanus,* Innocentio IV. *familiaris, fit poſtea Epiſcopus* Laodicenſis. *--Igitur poſtquam circiter quatuordecem annos idem* Gulielmus *Provinciam* Angliæ *rexiſſet, in capitulo* Metenſi *abſolutus eſt, pauloque poſt* Januæ (*id eſt* Genuæ) *ex peſte* [x] *obiit.* In Catalogo Miniſtrorum Provincialium *vir Sanctiſſimus* nominatur; fertur etiam *Januæ* occubuiſſe, & *Maſſiliæ* ſepultus fuiſſe. Inſuper vero cùm *Notynghamus* uterque (ſenior autem potiſſimum) inter Scriptores ſui temporis clariſſimos emineret, hinc factum eſt ut à *Balæo* & *Pitſeo* pro uno eodemque habiti ſint. *Lelandus* [y] quidem non niſi ſeniorem commemorat, quæque de eo habet ab *Eccleſtono* ſupra citato mutuatus eſt; quamvis inter libros quos ſcripſiſſe memorat, titulos nonnullos ad Juniorem ſpectantium recenſuerit.

XL. Fr. *Johannes* de [z] *Wylton.*

XLI. Fr. *Joh.* [a] *Crombe. Oxonii* ſepultus jacet.

XLII. Fr. *Gulielm.* de [b] *Alnewyke*, de quo [c] *Lelandus*, Guliel. Alannovicus *ſecta* Franciſcanus, *à literarum apud* Iſiacos *enituit dignitate. Illi videntes maturo quodam judicio hominem in Sacris ſtudiis pulcherrimè proceſſiſſe, inſignia Theologi ſuprema omnibus ſuffragiis ei contribuerunt.* Hæc ille. Poſtea apud montem *Bononiæ Neapoli* legit, & demum factus dicitur Epiſcopus *Terræ de labore.* Obiit *Avenione* an. CIↃCCCXXXII.

XLIII. Fr. *Gul.* de [d] *Herberd*, *Franciſcanæ inſtitutionis Philoſophus*, ut [e] *Lelandus* dicit, *idemque Theologus inter* Iſiacos *floruit uſque adeo ut prælegendo, & concionando, famam inſignem latè ſibi comparaverit, quam ut ampliorem faceret, ſcripſit de more Scholaſtico Quodlibeta. Commentarios quoque in* Deuteronomion *&* Apocalypſin. Obiit *Herefordiæ*, an. CIↃCCCXXXIIV.

XLIV. Fr. *Thomas* de [f] *S. Dunſtano.*

XLV. Fr. *Joh.* de [g] *Radingia.* Jacet ſepultus *Avenione.*

XLVI. Fr. *Jo.* de [h] *Jornton*, vel *Yornton.*

XLVII. Fr. *Rich.* de [i] *Drayton.* Jacet *Salopiæ.*

XLVIII. Fr. *Rob.* de [k] *Leyceſtriâ.* De eo *Lelandus* [l] ſic ediſſerit; Robertus Legrocaſtrenſis *ſplendidam ex literis gloriam ſibi comparuit, quo titulo in Franciſcanis totus eluxit. --Colligo hunc fuiſſe* Guliel. Herberdi *Syncronium, inſtructus ſerie Catalogi de ſcriptoribus Franciſcanis eruditis.* Mortem ejus *Balæus* & *Pitſeus*, ad annum CIↃCCCXLVIII. referunt; ante tamen occubuiſſe conjicio: nam computus [m] ipſius, *Richardo Swinefeld*, Epiſcopo *Herefordenſi* nuncupatus, anno CIↃCCXCIV. uti è capite ejuſdem VII edocebere, ſcriptus comparet.

XLIX. Fr. *Gualterus* de [n] *Foxiſley.*

L. Fr. *Henricus* [o] *Cruche.*

LI. Fr. *Jo.* de [p] *Ratforde.*

LII. Fr. *Joh.* de [q] *Preſton.*

LIII. Fr. *Gualt.* de [r] *Certhanton*, vel *Certanton.*

LIV. Fr. *Joh.* de [s] *Ridevans.* Ad quem ni fallor hæc [t] *Lelandi* pertinent; Johannes Redovallenſis *è ſodalitio Franciſcanorum humanioribus juxta ac divinis literis ſe totum vel lubentiſſimè obtulit, tanta non potuit ſuo carere alacritas ſucceſſu. Nam hominem gloriæ fugientiſſimum fama percelebravit. Hinc neceſſe habuit libros ſcriptitare, quibus tantum luculentiſſimis indicibus ſpecimen non protritæ cognitionis palam faceret. Concinnavit igitur Commentarios elaboratos in XII libros* Auguſtini *de Civitate Dei, &c.*

LV. Fr. *Laurentius* [u] *Briton.*

[a] *Fragm. ut ſupra.* [b] *Ibid.* [c] *Ibid.* [d] *Ibid.* [e] *Ibid.* [f] *Ibid.* [g] *In Tom. 4. p. 224.* [h] *Fragm. ut ſupra.* [i] *Ibid.* [k] *In Tom. 4. ut ſupra, p. 246.* [l] *Reg. Fr. Minorum, ut ſupra, fol. 68.* [m] *Fragm. ut ſupra.* [n] *Ibid.* [o] *Ibid.* [p] *In Tom. 4. p. 222.* [q] *Fragm. ut ſupra.* [r] *Ibid.* [s] *Ibid.* [t] *In Reg. Fr. Min. ut ſupra.* [v] *In Hiſt. ſua de primo adventu FF. Min. in* Angliam, *ut ſupra. Vide etiam in Tom. 2.* Lelandi p. 298. [x] *Circa an. ni fallor,* 1258. [y] *In Tom. 4. p. 221.* [z] *Fragm. ut ſupra.* [a] *Ibid.* [b] *Ibid.* [c] *In Tom. 4. ut ſupra.* [d] *Fragm. ut ſupra.* [e] *In Tom. 4. p. 230.* [f] *Fragm. iterum.* [g] *Ibid.* [h] *Ibid.* [i] *Ibid.* [k] *Ibid.* [l] *In Tom. 4. p. 230.* [m] *MS.* [n] *Fragm. ſive Imperfect. exempl.* Eccleſtoni, *ut ſupra.* [o] *Ibidem.* [p] *Ibid.* [q] *Ibid.* [r] *Ibid.* [s] *Ibid.* [t] *In Tom. 4. p. 226.* [u] *Fragm. ut ſupra.*

lvi. Fr. *Joh.* de [a] *Rudinton.* Ætatis ſuæ ornamentum haud vulgare; quod & ſcripta ejus aliqua, quæ & ipſe vidi, abunde declarant. De eo autem [b] Catalogus Miniſt. Provincialium; *Fr.* Joh. Rodyngton *Dr.* Oxon, *vir ſanctiſſimus, jacet* Bedfordiæ.

lvii. Fr. *Joh.* de [c] *Howden.*

lviii. Fr. *Tho.* [d] *Stanchaw.* De illo [e] *Lelandus.* Tho. Stanſhawe *inter eruditos Franciſcanos qui* Iſidis *incolebant* Vadum *educatus, evaſit tandem eo loci in Philoſophicarum & divinarum rerum cognitione ſublimi quidem illa, ut & ipſe eruditus cum diceretur, tum haberetur. Poſtremo ut ſtudiorum fructum ſuorum communem faceret, unde & liber enatus titulo* Curſus moralis *alterq; in* Lucam, *videlicet Collectanea.* Sic *Lelandus.*

lix. Fr. *Edmundus* de [f] *Grafton.*

lx. Fr. *Stephanus* [g] *Sorel.*

lxi. Fr. *Adamus* [h] *Wodeham* (aliis *Godham.*) Adamus Odohamus *Franciſcanus* (ſic [i] *Lelandus*) *Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor celebris inter* Iſiacos *famam ex libris editis illuſtrem ſibi comparuit.* Obiit CIↃCCCLIIX. Quidam Scotiæ [k] ſcriptor illum *Occamo* æqualem prædicat eruditione.

lxii. Fr. *Rob.* de [l] *Redeclive.*

lxiii. Fr. *Tho.* [m] *Ratford.*

lxiv. Fr. *Joh.* [n] *Went*, vel *Guent*; de quo etiam [o] *Lelandus* ſic ſe habet: Cambriæ *fuit Alumnus, celeberrimus* Franciſcanorum *Scholas in* Iſidis Vado *ſitas tanto animi ardore coluit, ut ſuis omnibus in penitiore reconditæ prudentiæ cognitione ſe vel admirabilem oſtenderit.* Catalogus Miniſtrorum de quo ſupra, hæc verbatim de illo loquitur: *Fr.* Joh. Went *Doctor* Oxon. *qui fecit miracula in vita: Jacet* Herefordiæ.

lxv. Fr. *Thomas* [p] *Ottirbourne* (*Lelando* [q] *Oderoburnus*) imprimis Philoſophiæ & Theologiæ inſudavit, in quibus cum pedem felicius promoviſſet ille, putabat & ſuas eſſe partes hiſtoriæ cognoſcendæ ſtudere, quæ vitam facile rectam informet, & à flagitiis alieno deterreat exemplo. Præſtitit hoc integrè inter alia ſeverioris notæ negotia: atque ea quidem diligentiâ inſigni, ut & ipſe Hiſtoriam rerum anglicarum in ſeriem eleganter redactam conſcriberet, atque uno & eodem opere in lucem produceret. Claruit anno CIↃCDXI.

lxvi. Fr. *Joh.* [r] *Vilers.*

lxvii. Fr. *Rich.* [s] *Malevile.*

Hi ſunt quos liber mihi jam ſæpiſſime allegatus, continuâ ſerie deſcriptos exhibet; eos ſpeciatim enarrans qui incipiunt (uti ibidem habetur) ut Magiſtri, quiq; ut Baccalaurei. De ſucceſſoribus quos in eodem deinceps munere habuerint (videntur enim iſti non ultra *Ricardi* II. tempora pertinere) nil plane occurrit. Perpaucos equidem fuiſſe ſuſpicor, cùm Familia nimirum hæc à priſtinâ virtute veterumque Inſtitutis ſenſim jam delaberetur. Negari tamen non poteſt viros porrò doctrinâ inſignes, aut ejuſdem hoſpitii ſocios, aut in illâ ſaltem ſcholâ enutritos complures fuiſſe; quorum aliquos etiam hic ſubtexere nequaquam pigebit. Auſpicabor cum Fr. *Vincentio Coventrienſi*, de quo ſupra mentionem fecimus. i. *Franciſcanorum* ille omnium primus *Cantabrigiæ* legebat. ii. Secundus erit Fr. *Gulielmus* de *Ware*, qui primum hic, deinde *Pariſiis* gradum SS. T. obtinebat. Inter cæteros diſcipulos celebreſque Doctores qui ex ejus Scholis prodierunt, [t] numeratur *Johannes Duns* Scotus *Doctor* ille *ſubtilis.* iii. Fr. *Rogerus Bacon*, *Doctor Mirabilis* tum ab his, tum à *Mertonenſibus* (quorum primis Sociis in Catalogo [u] Sociorum ſuorum, quam vere non dico, accenſetur) cognominatus. *Balæus* præſtigiatorem appellat, *Wierus* [x] autem inter homines deplorati ingenii ponit. iv. Fr. *Gulielmus* de la *Mare*, diligens D. *Bonaventuræ* ſectator, in multis S. *Thomæ* de *Aquino* adverſabatur. v. Fr. *Ricardus* de *Mediâ villâ*, vulgo *Middleton*, *Doctor ſolidus* & *fundatiſſimus* plerumque vocatus. *In difficillimis S. Scripturæ locis exponendis adeo fuit exercitatus, ut ſeculo ſuo* (inquit [y] *Lelandus*) *vix quiſquam repertus fuerit, qui reconditos ſenſus acutius penetraverit, ſubtilius diſcuſſerit, vel clarius expoſuerit.* vi. Fr. *Gualterus Brynkley*, vulgo [z] vocatus *Doctor bonus*, & *Sophiſta* & *Doctor antiquus.* vii. Fr. *Franc.* de S. *Simone* de *Piſis*, dictus de *Empolim*, ſcripſit [a] quaſdam doctas & reſolutas determinationes. Quando hic floruit neſcio. viii. Fr. *Joannes Canonicus*, *Doctoris ſubtilis* diu fuit auditor, ſemperque imitator, ut *Balæus* [b] habet. ix. *Guliel. Occham*, author Nominalium. x. Fr. *Tho. Eccleſton*, has Scholas & publicas diu frequentavit, & (ut *Lelandus* [c] dicit) *doctus ſupra vulgarem ſtudioſorum morem ſucceſſu temporis evaſit.* xi. Fr. *Rob. Cowtonus*, *Doctor amœnus* vulgo [d] vocatus: xii. *Johannes Rodyngton*, de quo Catalogus [e] Provincialis, Fr. *Johannes Rodyngton Doctor* Oxon. *vir ſanctiſſimus jacet* Bedfordiæ. xiii. Fr. *Rogerus Conway* Doctor *Oxon.* jacet ſepultus inter Minores *Londini. Hic ſtrenue* [f] *defendebat Ordinem* (Franciſcanorum) *in curia contra* Armachanum. xiv. Fr. *Joh. Hylton*, qui in Scholis laudem non mediocrem obtinuit, &c. *In cauſa ordinis ſui aliquando controverſiam habuit* [g] *cum* Utredo Bolton, *Monacho Benedictino, contra quem ſcripſit ſolennes quaſdam determinationes.* xv. *Johannes Somer*, in Mathematicis & Philoſophicis ſcientiis ita maxime floruit, *ut iis temporibus* (inquit [h] *Lelandus*) *vix quenquam habuerit* Anglia *cum illo conferendum.* Aſtronomiæ quoque peritiſſimus fuit, quam ſane materiam erudite admodum tractaſſe videtur, prout illa teſtantur quæ *Gul. Worceſtre* Aulæ *Cervinæ* Scholaris tempore *Henrici* VI. ex iiſdem colligit. Calendarium [i] ipſius vidi hoc titulo. *Calendarium ſecundum Fratrem* Johannem Somer, Princ. *Iſtud Calendarium ſubſequens fuit factum ad meridiem Univerſitatis* Oxon, *anno Dom.* CIↃCCCLXXXVII. xvi. *Johannes Tiſſington*, de quo ſic [k] *Lelandus.--& quanto* Oxonium, *fructuoſa urbs bonarum Artium exercitatione cæteris præſtat urbibus, præcipue* Verolamio, *tanto clarior mihi videtur eſſe* Tiſſyngtoni *eruditio: ut qui magno animo auſus ſit ſuam de Sacramento Altaris aſſertionem, præſente numeroſâ eruditorum coronâ pronuntiare. Londini* in Eccleſia Fr. Minorum ſepultus eſt, an. CIↃCCCXCV. xvii. Fr. *Gulielmus Wydford*, de Ordine Minorum *Oxon*, vulgo dictus *Hæreticorum extirpator.* Jacet ſepultus [l] ſub lapide cruce exarato

[a] *Fragm. ut ſupra.* [b] *In Reg. Fratrum, ut ſupra, fol.* 68 [c] *Fragm. iterum.* [d] *Ibid.* [e] *In Tom.* 4. *p.* 267. [f] *Fragm. ut ſupra.* [g] *Ibid.* [h] *Ibid.* [i] *Tom.* 4. *p.* 273. [k] Jo. Major, *in lib.* 4. *de Geſtis* Scotorum, *cap.* 21. [l] *Fragm. ut ſupra.* [m] *Ibid.* [n] *Ibid.* [o] *In Tom.* 4. *p.* 272. [p] *Fragm. iterum.* [q] *In Tom.* 4. *p.* 264. [r] *Fragm. ut ſupra.* [s] *Ibid.* [t] Bal. *Cent.* 4. *nu.* 37. [u] *MS. in Bib. Coll.* Merton. [x] *De præſtig. Dæmonum, lib.* 2. *cap.* 4. [y] *In Tom.* 4. *ut ſupra.* Bal. *Cent.* 4. *nu.* 77. [z] Hen. Willottus *in Athenis ſodalitii Franciſcani. Edit.* Leodii, 1598. *p.* 83. *&c.* [a] Toſtinian. *in lib.* 3. *Hiſt. Seraph.* [b] *In Cent.* 3. *nu.* 5. Pitſ. *æt.* 14. *nu.* 463. [c] *In Tom.* 4. *ut ſupra, p.* 226, *&c.* [d] *In* Bal. *Cent.* 5. *nu.* 65. [e] *In Reg. Frat. ut ſupra.* [f] *Ibid.* [g] Bal. *Cent.* 6. *nu.* 55. [h] *Ut ſupra, in Tom.* 4. *& in* Bal. *Cent.* 7. *nu.* 8. [i] *MS. inter Cod.* Laud. *B.* 27. [k] *In Tom.* 4. *ut ſupra,* Bal. *Cent.* 7. *nu.* 13. *Reg. Fratrum Minorum, ut ſupra.*

exarato in Eccleſia Fr. Minorum *Londini* ad dextram tumuli Fr. *Gulielmi Goddard* Doctoris egregii,& ordinis ejuſdem in *Anglia* Miniſtri. XVIII. *Nicholaus Fakenham*, vel *Fachinham*, in omnibus tum ſacris tum profanis ſcientiis inſigniter eruditus. De cujus ſcriptis [a] *Balæum* conſule. XIX. *Gulielmus Butler* quem (ſecundum *Balæum*) *præcipuum Univerſitatis ſuæ florem reputaverunt olim* Oxonienſes. Obiit CIↃCDX. XX. *Petrus Philardus* vir undiquaque doctus. Erat origine *Cretenſis*, patre incerto [b] natus,à quodam *Franciſcano*, dum puer victum oſtiatim quæreret, perſpecta ipſius indole in ordinem iſtum adſcriptus: Ab eodem in *Italiâ* Grammaticam & Logicam edoctus, inde ad Academiam *Oxonienſem* amandatus, ubi in hoc Collegio *Franciſcanorum* Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis per plures annos [c] incumbens, inſignem utriuſq; ſcientiæ cognitionem adeptus eſt, quam deinde *Pariſiis* docens in Commentariis in libros ſententiarum acute ſcriptis patefecit. Poſtea procurante *Joanne Galeatio, Mediolani* Duce, Archiepiſcopus *Mediolanenſis*, demum ab *Innocentio* VII. Cardinalis, & tandem Pontifex ſub nom. *Alexandri* quinti creatus eſt. Denique, ne omnes commemorem, ex eodem ſodalitio erat *Henricus Standiſh*, qui poſt annos complures literarum ſtudio cum *Franciſcanis Oxonienſibus* inſumptos, Doctoratum [d] hujus Academiæ adeptus, Guardianus Minorum *Londinenſium* emerſit; deinceps vero Provincialis Miniſter, & tandem Epiſcopus *Aſaphenſis*. Plura de eo reperies inter Lites quaſdam ſelectiores à *Rob. Keilwey*, anno CIↃDCII. *Londini* propalatas, vide *fol.* 181, *&c.* ubi pro Clericis à temporali (quod vocant) judicio eximendis diſputantem habes; cui rei occaſionem præbuit Concio ad Crucem *Paulinam*, per *Ric. Kederminſter* Abbatem *Wynchcombenſem* VII *Henrici* VIII. habita. Ibi porro Articulos aliquos,contra eundem *Standiſhium* exhibitos, ſubnecti deprehendes.

Bibliothecæ Fratrum Minorum *Oxon.* Duas in eodem Hoſpitio habuerunt, alteram, prout ab Authore [e] quodam accepi, *Librariam Conventus*, alteram *Librariam Scholarium* vocitatam: è quibus illa Graduatis tantum, hæc autem Scholaribus quos ſeculares nuncupabant, inter Fratres illos eruditionis gratiâ commorantibus, patebat. Quiſnam illas exſtruxerit ignorare me fateor, cæterum *Groſteſtum* fuiſſe opinor; Hic ſiquidem fratribus illis libros à ſe compoſitos, ſuâ etiam pleroſque manu exaratos, moriens legavit. ---*Anno Dom. CIↃCCLIII.* (*Trivettum* [f] legis) *moritur* Robertus Lyncolnienſis *Præſul, qui cognominatus à pluribus eſt* Groſſum caput: *hic excellentis vir ſapientiæ fuit ac lucidiſſimæ doctrinæ, totiuſq; exemplar virtutis; qui licet de ima gente* Southfolciæ, Norwicenſis *Dioces. Originem traxit, tamen bonam naturæ indolem præceptis Scripturarum exercens produxit animum generoſum. ---Hic Fratres ordinis tam Prædicatorum, quam Minorum, ſincera charitate complectens, eos continuè in comitivâ ſua habuit, delitias computans cum eis de ſcripturis conferre: præcæteris autem familiarem habebat Fratrem* Adamum *de* Mariſco, Bathonienſis *Dioces. Ordinis Minorum in S. Theologia Doctorem eximium & famoſum, ob cujus affectionem, libros ſuos omnes conventui Fratrum Minorum* Oxon. *in Teſtamento legavit*, &c. Huc uſque *Trivettus*. Fit autem veriſimile, & aliorum Scriptorum quotquot habuit Libros, iiſdem detuliſſe. Ipſum vero tot volumina edidiſſe quæ juſtam conficerent Bibliothecam nemo demirabitur: quippe cùm *Didymus* Grammaticus ad quater mille Libros ſcripſiſſe referatur, annon virum hunc Scientiâ & Doctrinâ celebratiſſimum, bis centum contexuiſſe crediderimus? Præterea, ſi, quod à *Boſtono Burienſi* traditum [g] eſt, *Euſebius Pamphili Cæſarienſis* Epiſcopus Bibliothecam voluminibus tricies millenis inſtructam habuerit, fide dignum eſt Epiſcopum hunc Doctum perinde ac Divitem ad bis ſaltem mille coacervaſſe. Utcunque fuerit, dubium non eſt quin magni illius viri donum *Franciſcanis* illis utilitatem haud vulgarem attulerit. Acceſſere autem Fratris *Rogeri Baconi* opera, quem *Balæus* centum condidiſſe Tractatus perhibuit; neque deerant aliorum ejuſdem Ordinis Scriptorum volumina, quæ numerum certe haud exiguum compleviſſe arbitror. Ad ſummum, Bibliothecas haſce omnimodo Eruditionis apparatu refertiſſimas fuiſſe, vel exinde conjecerim, quod cujuſque ordinis Fratres, maxime autem *Franciſcani*, omnia literarum monumenta, præſertim vero ad Theologiam & Juriſprudentiam ſpectantia, comparare undecunque tam ſedulo conſuevere,ut id ſecularibus viris(quibus arduum inde erat libros aliquos conſequi) fraudi fuiſſe viri prudentes exiſtimarent. "Item eſt (*citra* [h] *authorem non loquor*) ad "damnum tam grave, quod tendit ad conſumptionem "ſeu evacuationem doctrinæ in ſecularibus cujuſlibet "facultatis, ſcilicet quod iſti Ordines mendicantium, "propter infinita lucra quæ mediantibus privilegiis "prædictis de confeſſionibus, & ſepulturis, & aliis "quæ adquirunt, tantum multiplicati ſunt in con"ventibus & perſonis conventuum, quod non reperi"tur in ſtudiis communibus de facultate Artium, S. "Theologiæ, & Juris Canonici, (ut fertur à pluribus "de facultate Medicinæ, aut Juris Civilis) niſi rarò, "aliquis utilis multùm liber venalis, ſed omnes e"muntur à [i] Fratribus; ita ut in ſingulis conventibus "una grandis eſt & nobilis Libraria, & ut ſinguli ha"bentes ſtatum in ſtudiis quales ſunt modo innumeri, "nobilem etiam habeant Librariam; unde ego de mi"hi ſubditis Rectoribus tres aut quatuor miſi ad ſtu"dium, & dictum eſt mihi, quòd quia nec Bibliam "eis utilem, nec alios libros Theologiæ venales eis "congruos ibi poterant [k] reperire, ad ſuam patriam "ſunt reverſi, aut unus ſaltem iſtorum jam rediit. Si "iſta non ſit grandis in clero jactura, nulla poterit "eſſe in ipſo, cum ad exitum talem (ut videtur) in"tendat, quod Clerus in Eccleſia nullus remaneat "præter Fratres,&c. Ita *Ricardus Armachanus* in opere ſuo hic citato. *Groſteſti* & *Baconi* volumina pleraq; argumentum Aſtrononicum & Mathematicum tractarunt,præter nonnulla ad linguam græcam ſpectantia Fratres autem iſti, quod è ſcriptis quibuſdam antiquis edoctus ſum, Hebraica deinceps haud pauca, à Judæis ex *Angliâ* turbatis, promercabantur; utque verbo expediam, quicquid raræ uſpiam aut conſpicuæ erat doctrinæ,id omni operâ conquirebant. Quorſum vero evaſere tot virorum inſignium impenſæ & labores? Dici ſane vix poteſt ſeculis inde ſequentibus quam turpiter degenerarint Fratres illi Pietate primitus, & ſci-

[a] *In Cent. 7. nu. 29.* [b] *Vid.* Papyr. Maſſon, *in libro de Epiſcopis Urbis, fol.* 338. *a.* [c] *Fuit Bac. S. Theol.* Oxon, & Doctor Pariſiis, *ut ipſe Papa in Concilio* Piſano *dixit* Thomæ Sposforth *Abbati* S. Mariæ Eborac. *Sic* Tho. Gaſcoigne, *in Dict. Theol. MS. in voce* Papa. [d] *Reg. Fr. Min. ut ſupra, fol.* 68. [e] Tho. Gaſcoigne, *ut ſupra in Dictionar. ſive Lex. Theologico. part.* 1. *p.* 258, 403, 519, *&c.* [f] *In Annalibus MS. fol.* 72. *b.* [g] *In ſuo Scriptorum Catalogo ex Didaſcalico Hugonis MS.* [h] Ricardum *Archiepiſ.* Armachiæ, *in quodam ſermone facto* Avinionæ, 8 Nov. *anno* 1357. *MS. in Bib.* Bod. *Tamen* Ricardus Philobiblus *Religioſos à Librariis iſtis comparandis valde laudat, cap.* 5. *&c.* [k] *Statutum Univerſitatis* Oxon. *nihilominus extat in veteri libro Statutorum, D. fol.* 75. *ſcil. quædam ordinatio facta, anno D.* 1373. *de exceſſiva multitudine* [illegible]*endantium libros Univerſitati* Oxon. *minime juratorum.*

entiâ nobilitati. Quoties enimvero hæc mecum recolo, & immensas veterum Gazas posteritatis incuriâ seu malis potius artibus deperditas in animum revoco, temperare mihi haud possum quin cum *Erasmo*, frequentes exterorum incursiones Patrum nostrorum scripta pessundantes memorante, in questus prorumpam. Is à lacrymis se abstinere vix posse profitetur, ubi Priorum temporum Catalogos pervolvens, tot præclara literarum & ornamenta, & adminicula intercidisse animadverteret, cum interim scripta prorsus putida, fabulisque tantum anilibus plena (quæ tamen magnorum virorum nomina præ se ferrent) etiamnum supereſſent. Sed ne temeratos musarum penates plorando ab instituto absistam, ad *Franciscanos* regredior, qui labentibus inde annis, quicquid primævi Societatis suæ Patroni eodem congesserant, aut magno scelere vendiderunt, aut furtim auferentes aliò transduxerunt. Pro comperto enim habeo [a] è scripto quodam Fratrum istorum sigillo subsignato, librorum suorum aliquos Doctori *Thomæ Vasconiensi*, vulgo *Gascoigne*, Academiæ olim Cancellario, vel donasse Minores, vel pretio addixisse circa annum CIↃCCCCXXXIII; quorum è numero erat *Augustinus* de civitate Dei, cum notis *Grosteſtianis* margini ubique insperſis. Consimili flagitio & libros complures alios, prout quisquam eruditionis amantior pecuniam satis amplam offerret, distrahebant; *Vasconius* autem quos coemerat, Bibliothecis Collegii *Lincolnienſis*, *Dunelmenſis*, *Balliolenſis*, & *Orielenſis* ascripsit. Cum Antiquarium nostrum clarissimum *Lelandum* fratrum Bibliothecas videndi cupido, & quidem summa, invaderet (hæc circa an. CIↃDXXXV, paulo nimirum ante ejusdem hospitii dissolutionem, cadunt) mirum quam falsâ spe lactatum se demum expertus est! Dicat sane ipse qui optime novit, suisq; loquatur [b] verbis: -- "Quo-
"rum (*librorum intelligit*) videndi desiderio plane
"maximo cùm longiusculè detentus fuissem, nuper
"contigit justa occasione (nam id temporis fui *Oxonii*)
"ut copiam peterem videndi Bibliothecam *Francis-*
"*canorum*, ad quod obstreperunt Asini aliquot ruden-
"tes, nulli prorsus mortalium tam sanctos aditus &
"recessus adire, & mysteria videre, nisi Gardiano (sic
"enim Præsidem suum vocant) & sacris sui Collegii
"Baccalaureis licitum. Sed ego urgebam, & Principis
"diplomate munitus, tantum non coegi, ut sacraria illa
"aperirent. Tum unus ex majoribus Asinis multa
"subrudens, tandem fores ægre reseravit. Summe
"Jupiter, quid ego illic inveni? Pulverem autem in-
"veni, telas aranearum, tineas, blattas, situm deniq;
"& squalorem. Inveni etiam & libros, sed quos tri-
"bus obolis libenter non emerem. Sic mihi quærenti
"Thesauros, Carbones se obtulerunt. Atque adeò
"hæc sunt sacrosancta mysteria quidem illa quæ tam
"religiosè à *Franciscanis Oxonii* observantur. Nam
"*Roberti Grosteſti*, Episcopi volumina & exemplaria
"omnia, ingenti olim pretio comparata, furto ab ipsis
"*Franciscanis* huc illuc ex præscripto commigranti-
"bus, aut ut verius loquar, vagantibus sublata sunt.
"Ite nunc Pontifices, & hujusmodi fraterculis libro-
"rum Thesauros conservandos ex testamento com-
"mittite. Sic nimirum ille irrito labore indignabun-
dus discessit, qui veneranda ejusmodi Antiquitatis monumenta conspicienda sibi pollicitus fuerat, quæ & animum earum rerum appetentissimum explerent, & eam ex improviso religionem sibi incuterent, quam *Glastenburienſis* nuper Biblophylacii recondita impressisse [c] testatur. Verum nec æquiores sensit fraterculos *Baconus* quam *Grosteſtus*, cujus perinde libros nefariis consiliis dispergebant, *& cujus opera omnia Graphicè* (ut quidam [d] inquit) *manuscripta & fortiter compacta, ab ignaris hominibus, ut erat temporum aliquot superiorum deflenda barbaries, qui se tamen sciolos habere volebant, non intellecta, & pro necromanticis damnata, longis clavis affixa tabulatis, in Bibliotheca* Franciscanorum Oxonii, *blattas & tineas pascentia, situque & pulvere obducta miserè computruerunt.* Sic *Joh. Twynus*, *Briani* Antiquarii *Oxonienſis* clarissimi avus. De *Bacono* autem liquet, doctissima ejusdem opera pari omnino infortunio, & aliis passim locis interiisse; etenim *Lelandus* de spectatissimâ magni viri doctrinâ edisserens, *ingentem* ([e] inquit) *librorum numerum scripsit, qui olim in multa exemplaria diffusi, religiosissimè per totam* Britanniam *in bibliothecis servabantur; nunc autem pudet dicere* (inquit ille) *partim è suis forulis excisi, & furto Custodum negligentia sublati, partim mutili, direptis hinc inde quaternionibus facti, tam raro comparent, ut facilius sit* Sibyllæ *folia colligere, quam nomina librorum quos scripsit.* Et vero mehercule verius est *Baconi* non tantum illa, sed & opera quæcunque alia, quotquot aut græcis literis consignata essent, aut hebetem indoctorum Fraterculorum captum superarent, vel discerpisse illos, vel perpetuo aliis rationibus silentio damnasse; qua de re *Lelandus*, Bibliothecas per *Angliam* omnes lustrandi potestatem, regio diplomate munitam sortitus, frequenter conquestus [f] est. Sic itaque Bibliothecam, nulli in *Anglià* cessuram, cujus porro ex apparatu [g] scriptores, uti dictum est, apprime literati testimonia haud infrequentia (quod mihi satis est compertum) desumpsere, deploratâ *Franciscanorum*, in pejora quotidie labentium, nequitiâ & socordiâ, imminutam demum disperditamque constat. Et sane, ne ulterius in hoc ingrato argumento hæream, familia illa cujus olim alumni inter præcipuos Christiani orbis Doctores, & Pontifices Romanos numerari solebant, eam æstimationis jacturam sensim faciebant, ut in socordes porcorum, corpore simul & ingenio pinguescentium greges, referri merito occœperint.

Eccleſia Fratrum Minorum, cùm parva imprimis & humilis esset, Capellæ nomen accepit, eoque unice innotuit; cujus primi Mecænates & fundatores numerantur, Regia Majestas, *Agnellus* de [h] *Pisa*, *Rodulphus* Episcopus *Herefordienſis*, cum aliis nonnullis. Cæterùm *Ricardi* Regis *Romanorum*, & conjugis suæ *Beatricis*, aliorumque, ibidem deinde funeratorum, impensis aucta & ampliata, splendescere haud parum videbatur, nitidaque satis perstitit usque ad *Henrici* VIII. tempora, cujus exeunte imperio diruta demum fuit, & solo pene complanata.

In hac Ecclesia sepulti jacebant viri complures illustrissimi, quorum aliquos memorare constitui. Primum sibi locum vendicat Fr. *Agnellus* de *Pisa*, Fratrum apud *Anglos* Minorum Minister primus Generalis; sic enim scriptori [i] cuidam videtur, quanquam id *Alberto Pisano* tribuendum esse jam alibi ostensum est. Diem obiit *Agnellus* quem dixi in crastino [k] B.

[a] *In quadam nota præfix.* Augustin. *de Civitate Dei, MS. in Bib.* Bod. *A.* 5. 1. *A.* 14. 5. *th.* [b] *In Tom.* 4. *p.* 219. [c] *Ibid. p.* 34. [d] Jo. Twinus *in Comment. de rebus* Albionicis, *edit.* Lond. 1590. *lib.* 2. *p.* 130. [e] *In eod. Tom. p.* 198. [f] *Inter doctos Monachi* Cantuarienses (*inquit ille*) *Græcos Codices in eorum Bibliotheca non intellectos, & latinos pra senio ipsis parum amabiles, in foricarum usus (ut nihil vilius dicam) discerpserunt.* Sic Lel. *in Tom.* 4. *p.* 227. [g] *Author Trialogi MS. lib.* 4. Tho. Walden *de Sacramentis, Tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 77. *MS.* Tho. Gascoigne, *in opere supra citato, & alii.* [h] *Ædificavit etiam primam Infirmariam quam hi Fratres hic habuerunt.* [i] Barth. *de* Pisis, *ut supra, lib.* 1. *fol.* 94. [k] Pet. *de* Ikham, *in Hist. sua MS.*

Gregorii

Gregorii Papæ, anno CIↃCCCXXXV. *& ſepultus eſt in capſa lignea: cujus corpus volentes Fratres tranſferre ad ſepulchrum è pulchro lapide præparatum, invenerunt* (ut *B.* de *Piſis* [a] tradit) *ejus capſam plenam liquore olei lucidi & odoris balſami, & oſſa carne reſoluta ſupernatare ſuaviſſimo oleo, ac ſi aurâ tenui moverentur. Cumq; Fratres minus cautè vellent oſſa ejus cum capſâ levare, fundum capſæ terræ adhæſit, & cum odore nimio, liquor vel oleum funditur, & oſſa ad ſepulchrum prædictum cum gloria tranſportantur.* Ad ejus tumulum, potiſſimum vero poſt tranſlationem mox ante dictam, varia (ſi referentes fidem promereantur) edita ſunt miracula, ſpectantium multitudine in admirationem haud parvam raptâ. Immo non hærent aliqui Fratrem iſtum Pietatis nomine, factiſque tum à vivo, tum à mortuo miraculis, vel B. *Franciſco*, Patri Seraphico, & ipſius Ordinis fundatori, pluſquam ſupparem deprædicare. II. *Beatrix* de *Falkeſton Alemanniæ* Regina, & *Ricardi* Regis *Romanorum*, & *Alemanniæ* conjux tertia, pro Magno Altari ſepulta eſt. Occubuit, velut è Chronico quodam [b] *Oſneienſi* habeo, in Vigilia Divi *Lucæ* Evangeliſtæ anno CIↃCCLXXV, cùm *Lelandus* tamen ex [c] Anonymo quodam, & *Franciſcus Thynne*, in Catalogo ſuo Protectorum, eodem utrumque die, anno autem CIↃCCLXXVII. obiiſſe tradiderint. Secundum hanc honorifice depoſitum [d] eſt Cor præfati Regis *Romanorum* (*Henrici III.* Fratris) ſub ſumptuoſâ & mirandi operis Pyramide. E vitâ autem migraſſe refert [e] *Walſinghamus* in Caſtro **Berkhamſted**, quinto Nonarum *Aprilis*, anno CIↃCCLXX. tametſi [f] *Trivettus* mortem ejus aſſignat IV. Non. ejuſdem menſis, anni vero CIↃCCLXXII. Funebria conſecutus eſt in Cœnobio de **Dales**, in Comitatu *Gloceſtrenſi*. III. Fr. *Rogerus* [g] *Baconus*, mortuus eſt, an. CIↃCCXCII. cujus lapis ſepulchralis erutus dicitur (quam vere neſcio) ante annos LXXIII. *Lelandus* obiiſſe [h] memorat an. CIↃCCXLVIII, verum in errorem incidit, occaſione conſanguinei ejus *Rob. Baconi*, ad annum jam dictum occumbentis deceptus. Atqui & *Pitſeum*, qui annum CIↃCCLXXXIV. nominat, devium perinde eſſe manifeſtum deinceps fiet. Hic ille erat qui ita diligenter in omnis generis authoribus verſatus fuit, ut ſui ſeculi unicum plane miraculum diceretur. *Joh. Balæus* in editione primâ [i] libri cui titulum fecit, *De ſcriptoribus majoris Britanniæ ſummarium*, ex recepto conviciandi more, *Præſtigiatorem & Magum Necromanticum* appellat, *non in timore Dei, ſed operatione malorum Spirituum, &c.* Cæterum ad ſaniorem deinde ſententiam veniens, cum librum excudendum denuo [k] curaret, verba illa expungi voluit; utpote cui perſuaſum jam erat, virum doctiſſimum non à literato quopiam ſed ab infami potius ex imâ plebe convitiatore depingi ſic debere. Et ſane obtinet in hæc uſque tempora conſuetudo, ut inſigniſſimi Doctores *Baconus* & *Bongeius* in Triviis paſſim, flebili quotidie Elegidio, pro miſerandis Artis Magicæ imitatoribus decantentur. IV. *Guliel. Golafrey* Armiger, *Johanni Golafrey* militi, ex *Elizabethâ* filiâ & hærede *Johannis Fyfeld* in Comitatu *Bercherienſi* Armigeri, poſtremo natus; mortuus eſt, & in Eccleſiâ illâ ſepultus [l] ſub finem Regni *Henrici* V. v. *Joh. Golafrey* miles, è filiis etiam *Joh. Golafrey* equitis, ibidem [m] funeratus an. CIↃCCCLXXIX. Is cum prolem legitimam non haberet, è concubinâ *Johaneta Pulham* nuncupatâ, filium filiamque ſuſcepit; Hæc nomine *Alicia*, Prioriſſa demum de **Burnham**, propter *Windſoriam* extitit; Ille autem *Johannes* appellatus, miles evaſit & Dominus de **Langley**, & *Philippam* Dominam *Fitzgualter* in uxorem duxit; mortemque *Walingfordiæ*, anno ſalutis CIↃCCCXCVI. oppetiens, *Weſtmonaſterii* prope tumulum Regis *Ric.* II. inhumatur. Relictam vero ipſius in uxorem dein aſſumpſit Dux ille *Eboracenſis* qui in prelio *Agincortenſi* interemptus eſt. Ad hos autem, & viri magni nominis bene multi in Eccleſiâ illâ tumulum adepti ſunt; quos tamen (de referentium fide parum certus) annectere ſuperſedebo. De ipſâ vero Eccleſiâ quæ notatu porro digna exiſtimarim ſubtexere non gravabor. I. In illâ plerumque celebrabantur Veſperiæ Fratrum quoties in aliquâ facultate inciperent; quas, (primis potiſſimum ſeculis) Scholares aliunde adventantes, cum magno ſuo fructu, frequentabant. II. Conſitiſſima marmora ſepulchralia, ſparſim per eandem collocata, Eccleſiam hanc ſplendidiſſime ornarunt; quæ poſt ejuſdem diſſolutionem, haud ſine transferentium ſcelere, in uſus viliſſimos convertebantur. III. Eo loci confluxerat aſſidue è regionibus circumjacentibus magna hominum vis, ducti maxime, prout conjicere licet, religionis gratiâ ad Fratris *Agnelli* ſepulchrum; & hinc inſuper fuiſſe opinor, quod Provincialis Miniſter à Diœceſeos Epiſcopo efflagitârit, ut Fratres XXII Conventui huic decernerentur, accipiendis advenientium confeſſionibus, iiſdemque abſolvendis. Regiſtrum [n] quo de rogatu illo ſermonem invenio, quod rem gratam legentibus facturus videor, paulo fuſius exhibebo.

Memorandum quod VII. Calend. Auguſt. *anno Dom. CIↃCCC. apud* **Dorcheſter**, *Fr.* Hugo *de* Hertelpol, *Miniſter Provincialis Fratrum Minorum Provinciæ Anglicanæ, coram Epiſcopo* (Lincolnienſi) *præſentialiter conſtitutus, præſentavit eidem patri XXII. Fratres de Ordine ſuo, ſcil. Fr.* Jo. *de* Codyngton, *Gardianum*, Adamum *de* Hoveden, Philippum *de* Bridlyngton, *S. Theologiæ Doctores*, Willielmum Mincy, Will. *de* Newport, Rogerum *de* Barnton, Rob. *de* Gaddeſtyn, Joh. *de* Weſtburg, Rob. *de* Mogynton, Joh. *de* Stapleton, Adam. *de* Corf, Petrum *de* Todworth, Will. *de* Shirebourne, Pet. *de* Baldeſwell, Martinum *de* Alnewyck, Joh. [o] Douns, *Fr.* Walt. Boſevile, Rob. *de* Couton, Rog. *de* Alncwyke, Joh. *de* Horley, Rich. *de* Conyngton, Tho. *de* Pontefracto, *ab ipſo ut dicebat electos pro confeſſionibus audiendis. Et cum quæreretur ab eo an eos præſentaret pro omnibus conventibus in dioceſ.* Lyncolnienſi *exiſtentibus, vel pro aliquo, vel aliquibus, conventu vel conventibus de eadem, reſpondit quod eos pro conventu* Oxon. *ſolummodo præſentavit. Deinde habita deliberatione ſuper numero Fratrum præſentatorum per eum, tandem Epiſcopus dicebat IV. Fratres ſufficere pro quolibet conventu de diœceſi, ſed propter concurſum populi ad municipium* Oxon, *& loci eminentiam conceſſit ſe admiſſurum VI. Fratres, ſibi per dictum miniſtrum de dicto numero præſentandos. Et cum idem miniſter præſentationi omnium diceret ſe inniti, quia inter cæteros præſentatos duo erant S. Theologiæ Doctores, Epiſcopus propter prærogativam perſonarum eorundem numero ſenario Fratrum, addidit illos*

[a] B. *de* Piſis, *ut ſupra, &* Eccleſton. *in Coll.* 13. [b] *MS. in Bib.* Cotton. [c] *MS. in Bib. Coll.* Lync. *vide in* 2 *Tom.* Lel. *p.* 341. [d] Roſſus *de Regib. p.* 246. [e] *In Hiſt.* Angliæ, *Edit.* 1603. *p.* 471. [f] *In Annalibus, ut ſupra, fol.* 84. *b. MS.* [g] Roſſ. *ut ſup. p.* 91. [h] *In Tom.* 4. *p.* 198. [i] *Impreſſ.* Gippeſwici *in* Anglia, *an.* 1548. 4°. *fol.* 114. *b.* [k] Baſiliæ, 1559. *in fol.* [l] Leland. *in* 4 *vol. Itinerar.* [m] *Ibid.* [n] *Reg. ſive memoranda* Io. Dalderbye *Epiſc.* Lyncoln. *fol.* 13. [o] *Proculdubio* Ioh. Duns *Scotum.*

duos, unde nominatis Episcopo per Ministrum prædictum sex Fratribus de omnibus primitus præsentatis, scil. Will. Mincy, Will. *de* Newport, Rog. *de* Barnton, Rob. *de* Gaddestyn, *vel* Gaddesby, Jo. *de* Westburg, *&* Rob. *de* Mogynton, *Episcopus ipsos etiam duos Theologiæ Doctores, scil.* Adamum *de* Hoveden, *&* Phil. *de* Bridlyngton *admisit, & concessit quod iidem octo de licentia, gratia, & beneplacito ipsius Episcopi, possent in Archidiaconatu* Oxon. *confessiones audire, ac beneficium absolutionis confitentibus impendere, & iis pœnas injungere salutares, in casibus quibus absolutio Curatis vel Parochianis sacerdotibus est à jure concessa.* Hinc autem edocemur quod cùm Fratres XXII. audiendis populi confessionibus Diœcesano commendarentur, id ille muneris, re seriò perpensâ, tantum octo è Fratribus demandarit; qui prærogativâ illâ, haud sane contemnendâ, in Archidiaconatu *Oxoniensi* fruerentur. Quam autem ille gratiam *Franciscanis* fecerat, cum Episcopatum *Lincolniensem* adiret, eam successores ejus confirmare solebant, adaucto præterea, Fratrum audiendis confessionibus destinatorum numero; quod quidem haud pauci (in Fratres mendicantes pejus nonnihil animati) velut multis nominibus pernicioſum, ægre ferebant. *Ricardus Armachanus*, supra nobis memoratus, cum concionem [a] coram Pontifice & Curiâ *Romanâ* ad *Avenionem* haberet, VIII *Novemb.* CIↃCCCLVII. in privilegia Fratribus mendicantibus indulta acerrime invectus est, licentiæ autem, Confessiones accipiendi, præcipue adversabatur. "---Item ex abusu (inquit ille) privilegiorum Fratribus concessorum incommoda multa proveniunt in "clero: primò quoniam occasione privilegiorum suorum super confessionibus audiendis, Juvenes quasi "omnes in studiis generalibus, & in domibus parentum suorum, in quibus quasi ubique Fratres propter "facultatem audiendi confessiones tanquam familiares "existunt, Fratribus confitentur, qui Juvenes Fra"trum fraudibus & munusculis datis allecti (quoniam "homines provectæ ætatis circumvenire non possunt) "eorum ordines ingrediuntur, nec postmodum per"mittuntur, ut fama laborat, quod exeundi ab or"dine habeant libertatem, sed cum eis detinentur in"viti, donec profiteantur in ordine; imò nec permit"tuntur (ut dicitur) quòd cum patre & matre loquan"tur nisi sub Fratrum custodia & timore; super quo, "isto die in exitu mei hospitii unus probus homo de "*Anglia*, &c. Vide proxime sequentia in Historia mea, sub an. CIↃCCCLX. pergit vero *Armachanus* nonnullis interpositis sic. *---Item consequitur grave damnum in clero, in hoc quod jam in studiis regni* Angliæ, *propter talem puerorum substractionem à suis parentibus, laici ubiq; retrahunt suos filios, nec mittunt eos ad studium, quoniam potius eligunt facere eos cultores agrorum, eos habendo, quàm sic in studio eos taliter amittere, & sic quòd ubi in studio* Oxon. *adhuc meo tempore erant* Triginta Millia Studentium, *non reperiuntur sex millia his diebus, & major hujus imminutionis causa sive occasio, præmissa puerorum circumventio æstimatur; & quid est isto damno gravius toti clero, non video*, &c. vide sequentia *pag.* 77. *col.* 2. Cæterum in *Armachanum* surrexit *Gul. Widford* inter Minores *Oxonienses* Frater, qui in [b] *Defensorio suo*, contra octavum *Armachani* librum *de mendicitate Christi* maxime scripto, ut pueros clam ipsorum parentibus in Ordinem suum allicerent fas esse obnixe contendit, & viros perplures, doctrinâ & scriptis illustres, à mendicantium in *Angliam* adventu exortos ostendit. *--Post ingressum etiam Fratrum* (inquit) *scripserunt opera magna sapientiæ multa Inceptor* Ockam, *Inceptor* Uvarus, *Inceptor* Cowton, *Inceptor* Chatton, *quorum opera permanent ad utilitatem Ecclesiæ, & multi alii præclari Doctores Theologi fuere post ingressum Fratrum, quos longum esset enumerare; & manifestum est quod in Decretis fuerunt Doctores plures post ingressum Fratrum quam unquam prius fuere, &c.* Illic etiam commemorat *Robertum Kilvuarby, Bradvuardinum, Grosteſtum, &c.* sed omittit *Rog. Baconum* (quod mirum est) *Franciscanum.*

Benefactores Fr. Minorum *Oxon.* numerum quidem haud exiguum confeciſſe fatendum; cæterum cùm, præter *Golafreios*, in obscuro plerique sint, culpandi ne simus quod complures prætermittamus. Constat certe L. solidos à Guardiano & Monachis de Collegio *Dunelmensi Oxon.* annuatim accepisse illos, velut è libello [c] comparet, in quem relati sunt, anno *Henrici VIII.* XXVI° collegiorum in utraque Universitate reditus annui; licet quisnam hoc eos censu primus donarit, plane nescio. Accessere L. Marcæ ab *Henrico VIII.* ad placitum [d] pensitatæ. Has ille (decessorum credo suorum exemplo) à primo regni anno ad Hospitii usque dissolutionem quotannis numerabat. At vero id amplius erat quod à morituris provenerat; nam illi in condendis ut plurimum testamentis Mendicantis alicujus Fratris operâ utebantur; Familiæque ad quam pertineret ille, pecuniam, frumentum, armenta denique, aliaque bona legabant.

Dissolutio Franciscanorum. Hospitium illud postquam ab an. CIↃCCXXVIII. ad XXXI *Henrici VIII.* (Dom. nimirum CIↃDXXXIX.) haud mediocriter floruisset, aliorum demum fato dissolutum est; Guardiani tum munus gerente *Edoardo Baskervyle*, S. Theologiæ Doctore, Fratresque Mendicitatem quam præ se prius ferebant, nunc demum revera experiuntur; dum *Henricus* Ordinem illum ad *Francisci* institutum diserte nimis redigeret, & Fratres dispergendo, ipsum famulitium instaurare quadantenus videretur. Ædificia cum areis suis, & luco peramœno quinque ambitu jugera complectente (Insulâ nimirum ipsis ab *Henrico III.* transcriptâ) elocata [e] sunt *Gulielmo Freer* & *Johanni Pye* Aldermannis *Oxoniensibus*, pro XX. solidis Regi per annum reddendis; Clausura vero (quæ Cœmiterium quoque vocabatur) *Ricardo Gunter* ejusdem Urbis Aldermanno concessa est, pro III s. VI d. per an. pendendis. Pomarium denique seu hortus, cui nomen *Paradisus*, cum alio horto **Botetham**, sive **Bateham** vocitato, *Gulielmo Thomas*, alias *Plomer*, *Oxoniensi*, pro VI s. VIII d. Ex iis annua sic pecunia ad Regem redibat, donec anno Regni XXXVI. Christi autem CIↃDXLIV. *Ricardo Andrews*, & *Johanni Howes* (quorum in *Dominicanorum* Historiâ meminimus) ab eodem divenderentur; à quibus *Ric. Gunter* modo dictus, cum *Johannâ* conjuge, prædicta omnia haud multo post coemisse [f] memoratur. Succisis autem brevi arboribus, & protritis ubique viridariis, diruta porro Ecclesia est, lapidesque cum imaginibus & quantivis pretii monumentis alio confestim distrahuntur.

Ite nunc bellorum duces dominique terrarum, nominaque à devictis gentibus sumpta marmoribus insculpite; frustra, mihi credite, frustra triumphos ita vestros æternitati commendatis; periissent utpote

[a] *MS. ut supra.* [b] *MS. in Bib. Coll.* Magd. [c] *In Record. vel lib. primit. & Dec.* 26 Hen. VIII. [d] *In quibusdam Calendariis Recordorum in curia Rotulorum in vico* Cancellariæ *apud* London. [e] *In quibusdam Compot. in curia Argument.* [f] *In 4 parte orig.* 36 Hen. VIII. *Rot.* 40. *in dors. in Offic. Scaccarii.*

funditus

funditus ſeculi haud unius ornamenta, viri doctrinæ gloriâ inſigniſſimi, niſi memoriam ſui ſcriptis potius quam Inſcriptionibus ad poſteros derivandam voluiſſent. Nec mirum id profecto videbitur, ſi memineri-mus, mortem quoque pati ſepulchra, quibus utiq; fatorum nos fruſtra invidiam evaſuros ſomniamus; & graviſſimâ mortales lege interimus, quibus nec id poſtremo ſupereſſe datur, quo vel interiiſſe indigitemur, ſiquidem lethum ipſum ſuo fruitur poſtliminii jure, & poſt funera,

Mors etiam ſaxis Nominibuſque venit.

CIↃCCXXVI.

Ut ad intermiſſam jam annorum ſeriem revertar, vigebat magis magiſque per hæc ſecula Univerſitas; quod *Dominicanis* equidem & *Franciſcanis* civitate Academicâ donatis non ita imputandum, quaſi antiqua ſtudiorum ratio exoleſceret, nec in liberioribus Scholarum ſpatiis cœnobiorum addicta clauſtris habitaret ſapientia. Hac tempeſtate extra illos limites inclareſcebat *Edmundus Ryche*, qui *Oxonii* his annis in maximâ celebritate [a] vixit, & nomine S. *Edmundi* Archiepiſcopi *Cantuarienſis* deinde inclaruit. Scholas ille propriâ inſtituit impensâ, & in Theologiâ ac Philoſophiâ ſine pretio erudivit, quotquot ſub illius auſpiciis ad eruditionem aſpirarent; inter alia autem, *Ariſtotelis* Elenchos explicuit, quos primus omnium in Academiâ noſtrâ enucleaſſe [b] fertur. At vero tantus erat divitiarum contemptor, ut ſiquis diſcipulorum de accipiendo minervali importunius inſtaret, & nolenti obtruderet, dejectam ſub feneſtrâ pecuniam ſuperfuſo pulvere [c] integebat; pro terrenis nimirum utrumque habens, non aliam capſulam Opibus recondendis adhibuit: iis tamen ita negligenter habitis ſociorum alii per jocum & ludos, alii autem ſerio nimis & ſcelerate ſuffurari ſolebant. Inter diſcipulos numerabat, I. S. *Sewalum* Archiepiſcopum poſthæc *Eboracenſem*, virum Legum & Theologiæ conſultiſſimum, quem S. *Edmundus*, vitæ ejus ſeveritatem conſpiciens, Martyrio fore coronandum præſagiebat. II. *Richardus* Epiſcopus *Ciceſtrenſis* Theologus & Canoniſta, qui non tantum ſub illo didicit, verum in Academiâ quoque *Pariſienſi* & *Bononienſi* ingentem ſibi famam doctrinâ comparavit. Cæterum reticendus non eſt *Rog. Baconus*, cum aliis pleriſque memoratu digniſſimis, qui Academiæ noſtræ tum libris, tum acutiſſimis diſputationibus, tantum conciliarunt ſplendorem, ut iis juxta ac mendicantium familiæ referre debeamus, quod ſub hæc tempora Univerſitas *Oxonienſis* titulo *Emporii optimarum diſciplinarum* merito [d] ſuperbierit.

CIↃCCXXVII.

Sic autem jure optimo nuncupatam fuiſſe fatebere, cum dixerim his quoque annis ibidem (præter alios haud paucos) floruiſſe *Richardum* cognomento [e] *Anglicum*, in Philoſophicis verſatiſſimum, & à *Symph. Camperio* Medicis inſigniſſimis annumeratum: deinde *Henricum* [f] *Bractonum* & *Joh.* [g] *Brittonum*, illum Legis Cæſareæ, hunc utriuſque Profeſſorem, & ſupremum deinceps *Angliæ* Juſtitiarium: porro *Richardum Theologum* & *N.* [h] *Farnhamum*, quorum poſtremus poſtquam annos plures in Logicâ & Philoſophiâ Naturali apud noſtrates poſuiſſet, ad exteros ſe contulit, & *Bononiæ* ac *Lutetiæ* ſedulam Medicinæ operam dedit. In *Angliam* poſtremo rediens, Theologiæ ſtuduit, & dignitatum gradibus haud paucis decurſis, in Epiſcopum tandem *Dunelmenſem* evectus eſt.

CIↃCCXXIIX.

Horum æqualem invenio Doctorem *Robertum Groſteſtum* qui ad Epiſcopatum poſtea *Lincolnienſem* evocatus eſt; vir ſane ingenio ſingulari, ſed vitæ pietate multo illuſtrior. In Comitatu *Suffolciæ*, parentibus perobſcuris natum prodidere [i] ſcriptores; quamvis *Rich. Bardinenſis* S. T. B. qui de vitâ [k] ejus ſcripſit anno CIↃDIII. ad **Stowe** in agro *Lincolnienſi* editum in lucem perhibet; cui fidem ego nullam adhibeo, cum fabulas de eodem craſſiſſimas conſarcinârit. Cæterum de *Roberti* illius nomine variatur haud parum apud Authores, Romano perinde ac Anglico ſermone ſcribentes. Latinis appellatur,

I. *Lincolnienſis*, [l] & hoc ut plurimum nomine occurrit, in excuſis æque libris ac manuſcriptis.

II. *Robertus* [m] *Lincolnienſis.*

III. *Rob. Groſſum* [n] *caput.*

IV. *Rob.* [o] *Capito.*

V. *Robertus* [p] *Groſſa teſta*, compoſitâ è Latino & Gallico appellatione.

VI. *Rupertus* [q] *Lincolnienſis.*

VII. *Rob.* [r] *Groſhedius.*

Neque minus diſcrepant Anglicanæ ipſius (in libris tum impreſſis tum manu exaratis repertæ) nuncupationes. Vocatur enim,

I. *Groſſeteſte.*	VII. *Greathead.*
II *Groſteſt.*	VIII. *Groſtheved.*
III. *Groſtet.*	IX. *Greatheved.*
IV. *Groſthead.*	X. *Groſehede.*
V. *Grouthead.*	XI. *Grokede.*
VI. *Groſtede.*	XII. *Groſchede.*

E quibus nominibus primum illud Gallicanum, ſeptimum vero Anglicum ad literam eſt; reliquis omnibus Librariorum vel imperitiâ vel incuriâ, errores, quos vides, ſubrepſerunt. *Epiſcopum* plerumque *Lincolnienſem* appellatum deprehendo; quanquam apud exteros, rerum utpote noſtrarum ignaros, *Epiſcopus Lancaſtrenſis* audit, uti *Gabrieli Naudæo*, Cardinalis nuper *Mazarini* Bibliothecario [s] nominatur. Quinetiam à peregrinis haud raro *Epiſcopus Lincolnienſis* vocitatur, ut in [t] operibus *Johannis Hus* paſſim contingit. Sic etiam ille qui commentarium *Groſteſti* ad *Ariſtotelis* Poſteriora [u] edidit, in graviorem adhuc errorem, & non niſi temporum illorum caligini donandum, inductus, *Robertum Linconienſem* Archiepiſcopum *Pariſienſem* vocat. Denique in libro quodam M S. [x] perantiquo, M^rum^ de *Lunochiâ*, præpingui Amanuenſis inſcitiâ, nuncupatum offendo.

Primos autem annos *Groſteſtus Oxoniæ*, quæ tum

[a] Balæus *cent.* 3. *num. vel cap.* 96. [b] *Per* Rog. Bacon *in compendio ſtudii Theologiæ MS. in bib.* Cotton. [c] Capgrave in *Legend. Sanctorum edit.* Londini *per* Winandum Word 1516. *fol.* 104. [d] Bal. *cent.* 3. *nu.* 74. [e] Pits. *Æt.* 13. *ſub an.* 1230. [f] Lel. *Tom.* 4. *p.* 223. &c. [g] Bal. *cent.* 4. *vide* Lel. *Tom.* 4. *p.* 171. [h] Bal. *cent.* 4. *nu.* 3. [i] Nich. Trivettus *in annal. ſuis MS. fol.* 72. *b.* Leland. *Tom.* 4. *p.* 217. Balæus *cent.* 4. *num.* 18. &c. [k] *MS.* [l] *In quodam MS. inter cod.* Laud. *F.* 12. *&* *E.* 44. *&* *G.* 21. *ibidem & alibi paſſim.* [m] *Ibid. int. cod.* Laud. *E.* 52. [n] Trivet. *ut ſupra*, & Rog. Bacon *in* 3. *parte operis Majoris*, *MS. cap.* 1. [o] Bal. *cent.* 4. *nu.* 18. Pits. *æt.* 13. *nu.* 359. [p] *Ibidem.* [q] *Catal. Teſtium veritatis lib.* 16. *& alibi.* [r] Harpesfeild. *Hiſt. Eccleſ.* Angliæ *ſæc.* 13. *p.* 476. [s] *In Hiſt. ſua Art. Magicæ, edit. Gallice, cap.* 18. [t] *Edit.* Noribergæ 1558. *Tom.* 1. *p.* 17. 56. &c. *&* *in Tom.* 2. *p.* 88. &c. [u] *Impreſſ. Venet. per* Otinum Papienſem *anno* 1497. *&* *ibid. iterum per* Hieron. Scot. 1552. [x] *In bib.* Bod. *H.* 7. 13. *theol.*

impenſe florebat, in Grammaticâ, Logicâ, & Philoſophiâ poſuit; idque tam ſedulo, ut, narrante *Joachimo Vadiano*, *ſummi* demum *Philoſophi* nomen [a] ſortitus fuerit. Verum cum penitiorem linguarum cognitionem optaret, in *Galliam* trajecit, & doctiſſimi cujuſque *Anglorum* exemplum ſecutus, *Lutetiam* conceſſit; ubi non tantum in literis Græcis & Hebræis eruditus emicuit, verum Gallicum quoque ſermonem perdidicit, prout liber, quem titulo *le chaſteau d'amour* contexuit, ſatis teſtatur. Theologiâ inſuper, omnique Scholarum Gallicarum doctrinâ locupletatus, in *Angliam*, & ad matrem dein *Oxoniam* rediit, ubi recluſis Scientiæ theſauris populares ſuos, tum ſcriptis, tum Lectionibus uſque adeo ditavit, ut eximiam brevi famam apud omnes gentes conquiſierit. Magiſter cum eſſet, in librum Poſteriorum ſuccincte commentatus [b] eſt; edidit præterea tractatum de Sphærâ, deque arte computi, cum Philoſophicis aliis, rei literariæ ſtudioſis in uſum haud exiguum ceſſuris. Suſcepto Doctoratu, complura è fontibus Hebræis elicuit & propalavit; nec pauca de Græcis in Latinum transfudit, è quibus erant libri *Dionyſii* (quorum noviſſimam verſionem commentariis additis illuſtravit) & Teſtamentum XII. Patriarcharum; in hoc autem uſus [c] eſt operâ *Nicholai Græci*, qui *Oxoniæ* primo, & *Lutetiæ* poſtmodo ſtuduiſſe, tandemque S. *Albani* cœnobiarcha extitiſſe perhibetur. Atqui Teſtamenta illa, cum in Judæorum manus cecidiſſent, in Chriſtianorum invidiam multos annos ſuppreſſa [d] delituere. *Rogerus Baconus* (quod præter conſuetudinem ſuam fecit) in *Groſteſti* laudibus permultus eſt; de probi enim Interpretis virtutibus ediſſerens, hæc [e] habet; —— *Nam oportet quod Tranſlator ſciat ſcientiam quam vult transferre, & ſciat duas linguas à quâ & in quam transferat: ſed nullus ſcivit linguas niſi Dominus* Robertus *Epiſcopus* Lyncoln. *per longitudinem vitæ & experientiæ, & ſtudioſitatem ac diligentiam; quoniam ſcivit Mathematicam & perſpectivam, & potuit omnia ſcire; ſimul cum hoc quod tantum ſcivit de linguis, quod potuit intelligere ſanctos, & Philoſophos, & ſapientes antiquos, ſed non bene ſcivit linguas ut transferret, niſi circa ultimum vitæ ſuæ, quando vocavit Græcos, & fecit libros Grammaticæ græcæ & alios congregari.* &c. In opuſculo vero alio, quod *de Mathematicis* [f] nuncupat, ad *Groſteſtum* ſic delabitur —— *Ideò nullus poteſt pervenire ad notitiam iſtius ſcientiæ per modum vulgatum, niſi qui ponat* XXX. *vel* XL. *annos, ut planum eſt in iis qui floruerant in his ſcientiis, ſicut Dominus* Robertus *fælicis memoriæ nuper Epiſcopus* Lyncoln. *Eccleſiæ, & Fr.* Adam *de* Mariſco; *& M^r* Johannes Hendover, *& hujuſmodi, & ideo pauci ſtudent in hâc ſcientiâ*, &c.

Artis magicæ à quibuſdam inſimulabatur; quod ſeculi quo vixit tenebris (quibus Spectra nimirum, aliaque noctis terriculamenta præcipue graſſantur) aſcribendum eſt. Tantâ enim barbarie infamis oppreſſa erat ætas illa, ut (veluti alicubi adnotavit *Eraſmus*) ſiquis Græcas calleret literas, magiæ ſtatim ſuſpicionem ſubiret; quod ſi Hebraicas intelligeret, nulla mora quin de cacodæmonum conſortio peragere-

retur. Quare cùm *Groſteſtus* ad utriuſque Linguæ peritiam Aſtronomiam adferret, mirum non eſt à populi eum vulgo, Monachiſque pariter indoctis, inter Artis illius ſectatores connumeratum fuiſſe. Et ſane tale quiddam apud *Johannem* [g] *Gower*, à Poetâ, ſeu Bardo Cambro-Britanno, tempore R. *Richardi II.* ſcriptum reperio; ubi & Aſtrologus appellatur, & caput æneum, voce porro donatum, elaboraſſe dicitur; cujus Rythmos, quales quales ſunt, accipe.

For of the greet clerk Groſteſt
I red how redy that he was
Upon Clergy an hede of braſſe
To make, and forge it for to tell
Of ſuch things as befell,
And ſeven yeres byſineſſe
He layd, but for the lackneſſe
Of halfe a minute of an houre
fro firſt that he began labour
He loſt all that he had doe.

Bacono autem ut plurimum aſſuitur fabula ea de capite neſcio quo æneo. Certe *Groſteſto* ſufficit ad ejuſmodi maculam eluendam, quod à viris & ſeculi ſui & ſubſequentium doctiſſimis, Pietatis ſimul & ſcientiæ nomine concelebratur; præter vindicias quas illi hac in re ex profeſſo præſtitit [h] *Naudæus.*

Cæterum id genus teleſmatis, & veteri cuidam monacho (*Gerebertus* ille [i] exiſtimatur, qui P. R. nomine *Sylveſtri II.* fuit) attribuitur; qui *certa inſpectione ſyderum, cum videlicet omnes planetæ exordia curſus ſui meditarentur*, eundem inchoavit. Quæ quidem verba, quo ſenſu accipenda ſint, non video, niſi talis poſitio intelligatur, quâ, ſecundum Thema [k] mundi, veteres quidam collocandos ſomniarunt Planetas id autem ex verâ calculatione fieri omnino vetat chronographiæ incertitudo. Sed ineptias iſtiuſmodi Aſtrologis relegamus, qui ipſi à bene ordinatâ Republicâ, fortaſſe etiam hiſtoriâ, exulare meruerunt.

Libri, quos in Theologiâ conſcripſit, perplures erant, & in pretio quam maximo habebantur; ſcripta porro Doctoris *Nicholai* de *Lyrâ* in *ſenſu hiſtorico & in opere ſuo Morali ſuper Bibliam*, mole [l] ſuperabant; quibus ſimul atque aliis ab ipſo concinnatis, tantum ſibi nomen in Republicâ literariâ peperit, ut (*Joh. Tiſſyngtono* [m] aſſerente) illum cum Doctoribus hodiernis conferre, eſſet *veluti comparatio ſolis ad Lunam quando eclipſatur.* Sed nec majorem doctrinæ laudem quam Sanctitatis & morum promeruit; nam cùm Pontificis in *Anglia* tyrannidem animadverteret, non deſtitit & literis eum palam corripere, & Antichriſti cognomento inter familiares notare. —— *Innocentius* IV. *Papa Romanus* (inquit [n] *Gaſcoignus*) *miſit in* Angliam *Archidiacono* Cantuarienſi *& Magiſtro* Innocentio *Collectori ipſius Papæ in* Anglia *exiſtenti, literas ſuas apoſtolicas, dantes iis autoritatem &*

[a] *Vide etiam in 4. Tom.* Lel. *p.* 217. [b] Trivet. *ut ſupra fol.* 72. *b.* [c] Mat. Paris. *ſub an.* 1242. [d] *Ibid. &* Lel. *Tom.* 4. *p.* 283. [e] *In lib. de utilitate ſcientiarum, MS. cap.* 39. *In* 3^a *parte operis majoris MS. cap.* 1. *Et in op. min. ad* Clem. 4. *cap.* 10. *& alibi.* [f] *MS. in bib.* Cotton. [g] *In confeſſ. Amantis lib.* 4. Conradus Geſnerus *dicit etiam quod R.* Groſteſtus *ſcripſit lib.* 1. *de Aſtrologia & lib.* 1. *de Necromantia & Goetia.* [h] *In hiſt. magicæ ut ſupra cap.* 18. [i] *Vide G.* Malmsbury *de Geſt. Regum lib.* 2. *cui* Gerebertus *iſte* (*contra quam aliis*) *eſt Joh. pp.* XV. [k] *De themate mundi; conſule* Petrum Alliacens. *apud* Picum Mirand. *adverſus Aſtrolog. lib.* 5. *cap.* 9. [l] Tho. Gaſcoigne *in Lexico ſive Dict. Theologico MS. in voce* Deus *p.* 251. [m] *In faſciculo zizaniarum* Tho. Vualdeni *MS. fol.* 33. *a. in confeſſione ibidem* Johannis Tyſſyngtoni. [n] *In quibuſdam Fragmentis per eum ſcriptis MS.* &c. *Hanc eandem Hiſtoriam recitat idem* Gaſcoignus *in* 2. *parte Dictionarii in verbo* Papa *pag.* 190. *ad calcem ſic dicens. Illa epiſtola reſponſiva D.* Lyncoln *Doctoris* Roberti Groſteſt *eſt* Oxoniæ *in Collegio* Exoniæ *in libraria, & in Monaſterio S.* Salvatoris *in* Syon *in* Anglia, *& poſtea p.* 551. *in verbo* Rector *eandem Hiſtoriam repetit ex chronica* Eveſhamiæ.

man-

mandatum inducendi unum Juvenem nepotulum ipſius Papæ, nomine Fredericum, *in corporalem poſſeſſionem canonicatus & præbendæ Eccleſiæ* Lincolnienſis, *ſi qua vacuerit in eâdem Eccleſiâ, à tempore quo literæ ipſius Papæ ſcripta de iſtâ receptione ac proviſione Epiſcopo* Lincolnienſi *præſentatæ fuerunt, qui fuit tunc Magiſter* Robertus Groſteſt *Dr S. Theologiæ* Oxonienſis, *ut patet in litera Univerſitatis* Oxon *miſſa* Clementi IV. *Papæ, cujus copia eſt prope* Oxoniam *in Abbatia de* Oſney *in nigro libro. Et prædicta litera* Innocentii *Papæ data fuit per eundem Papam in Civitate* Perufii *octavo Calend. Februar. pontificatus ſui* X. *Et Dominus* Lincolnienſis *videns hoc factum eſſe contra Dei voluntatem & cultum, reſtitit prædicto Archidiacono & Collectori Papæ, reſcribens iis reſponſionem* [a] *ad Bullam Domini Papæ, cujus reſponſionis tenor ſequitur.*

Noverit diſcretio veſtra quod mandatis Apoſtolicis &c. Cætera brevitatis cauſa omitto.

Hæc ſcripſi ego Magiſter Tho. Gaſcoigne *Doctor S. Theolog.* Oxon *ex copia unius libri Eccleſiæ Chriſti* Cantuariæ *quem vidi* Oxoniæ *an. Ch.* CIↃCDXXXIX. Tum ſequitur exemplar * Bullæ Papalis, quam ob eandem cauſam omitto.

Unde quoniam Papæ (inquit *Gaſcoignus*) *in præfato facto obedire noluit, excommunicatus, appellavit à ſententia* Innocentii *ad Tribunal Chriſti, præfigens Papæ terminum, & in illo termino Anachorita, & duo Cardinales, Romæ viderunt* Innocentium IV. *percuſſum à Domino* Lyncoln. *qui illum diem ad reſpondendum coram deo, Papæ præfixit; & accuſatus coram Deo pœnalem ſententiam* Innocentii *anima tunc à corpore ſeparata accepit. Hæc patet partim in* Ceſtrenſi *Chronica, ſed plenam Hiſtoriam habebis in quodam libro qui dicitur* Speculum Laicorum [b] *in capitulo de excommunicatione, & eſt inter Fr. Minores* Oxoniæ. *Hæc ſcripſi Magiſter* Tho. Gaſcoigne &c. Plura hunc in locum de Epiſcopo longe digniſſimo adferrem, niſi in alium adducenda reſervarem; & ad ſequentes proinde annos tranſeundum ducerem.

Hoc anno coorta [c] eſt diſſenſio inter Scholares & Laicos tam acerba, ut Cives in Scholarium hoſpitia vi irrumperent, & crebra utrinque vulnera acciperentur; quare municipes Epiſcopus ſacris interdixit, urbe ipſâ ad Regem devolutâ; & durante aliquandiu Excommunicatione, quotquot interea Civium occubuere in biviis extra opidum funerabantur. Verum in hæc demum convenerat, ut qui Scholaſticos adorti eſſent, *Romam* tranſmitterentur, deque iis in Curiâ Pontificiâ quæſtio haberetur; res etiam Clericis ereptæ redderentur, penſitatis præterea L marcis, quas Magiſtri inter Scholares pauperiores dividerent. Conſtitutum inſuper jam erat, ut ſi ejuſmodi in poſterum inimicitiæ prorumperent, Laici ſupremis quatuor Magiſtris rem totam dijudicandam permitterent, & abſque ulteriori provocatione, pœnas canonice irrogatas libenter ſubirent.

CIↃCCXXIX.

Lutetiæ hoc anno gravis [d] exarſit de pretio vini inter Academicos & cives ſeditio; unde tam fervide excandeſcebant Scholares, ut exercitia ſibi Scholaſtica interdixerint, & *Andegavum* partim, partim *Rhemos* & *Aurelias* migrantes, Poetæ cuidam hos verſus condendi occaſionem præbuerint, qui perſonam Univerſitati alteram, alteram ejuſdem Bedello deſtinat.

Univerſitas

Clere tremiſce metu, quia vis dimittere me tu,
Defluo jam fletu, propter mea nunc fleo, fle tu.

Bedellus

Heu morimur ſtrati, cæſi, victi, ſpoliati,
Mentula Legati nos facit iſta pati.

Hæc autem eo demum prolapſa ſunt, ut *Henricus III.* Rex *Angliæ*, ſemi-Gallus, & majorem ſibi *Franciæ* partem jure uxoris vindicans, id è re ſuâ forte opinatus, *Pariſienſes* literis [e] patentibus (autographum [f] ego ipſum ſigillo regio firmatum vidi) *Readingi* eodem anno datis, in *Angliam* invitarit in hunc modum. Henricus *Dei gratia Rex* Angliæ, *Dominus* Hiberniæ, *Dux* Normanniæ, Aquitaniæ, & *Comes* Andegaviæ, *Magiſtris & Univerſitati Scholarium* Paris, *ſalutem. Tribulationibus & anguſtiis non modicis, quas ſub iniqua lege* Pariſiis *eſtis perpeſſi, humiliter compatientes, ob reverentiam* Dei & *S. Eccleſiæ vobis piè ſubveniendo, ſtatum veſtrum cupimus ad debitam reduci libertatem. Unde veſtræ duximus Univerſitati ſignificandum, quod, ſi vobis placet, ad regnum noſtrum* Angliæ *vos transferre, & in eâ cauſâ ſtudii moram facere, Civitates, Burgos, vel villas quaſcunque velitis eligere, vobis ad hoc aſſignabimus, & omnimoda ſicut decet libertate & tranquillitate, quæ Deo placere, & vobis plenè ſufficere debeat, vos gaudere faciemus. In cujus rei teſtimonium, has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud* Ra-dinge XIV. *die Julii anno regni noſtri* XIII. *i. e.* Dni. *CIↃCCXXIX.* His promiſſis allecti *Pariſienſes*, in *Angliam* ad mille uſq; (vel ut aliqui volunt ad diverſa millia) [g] trajecerunt, & (quemadmodum ab Authoribus pleriſque teſtatiſſimum fit) inter *Oxonienſes* ſedem poſuere; hujuſque dein gratiæ memoriam tam perpetuam retinebant, ut cum Rex *Henricus* viginti poſt annis *Lutetiam* accederet, geſtientibus eum animis, pompâque ſolenni [h] exceperint.

CIↃCCXXX.

Hâc denuo tempeſtate [i] accidit controverſia inter Academicos *Oxonienſes*, & Fratres *Prædicatores*, qui quamvis pedem in Urbe hac vixdum fixiſſent, à Poteſtate tamen, quam in Exercitiis Scholaſticis obtinebant, Privilegia ſibi nova arrogare cœperunt. Quo pacto res illæ coaluerint non ſatis conſtat; cæterum [k] liquet Capitulum Provinciale, jam primùm in *Angliâ* ab ipſis habitum, *Oxonii* circa hæc tempora celebratum fuiſſe; & vel inibi enatas lites haſce, vel in præſentia conſopitas. Utcunque fuerit, certiſſimum eſt, concertationes Academicorum cum fratribus mendicantibus ab hinc uſq; ad annum CIↃCCCLX. identidem incaluiſſe, concitatas utpote de exercitiis, & immunitatibus; & propter variantes Pontificum circa Fratrum illorum mendicitatem & conſtitutionem, ſententias, haudquaquam compoſitas: quamvis neſcius non ſum inimicitias haſce leviores nobiſcum fuiſſe, quam quas inter Fratres & *Pariſienſes* iiſdem de cauſis extitiſſe ſcriptores haud pauci tradiderunt. Occurrit hoc inſuper anno memoriâ dignum, quod exundante jam Scholaribus Academiâ, & illis turbas quam-

[a] *Eſt in Epiſtolis ſuis, MS. in bib.* Bod. & Cotton. * *Ibidem* [b] *MS. in bib.* Bod. *Sed hac narratio in eo capite non ibid. extat: forte per Pontificium ſcribam de induſtriâ omiſſa.* [c] *Chron. ſive Annales prioratus* Dunſtapliæ *MS. fol.* 25. [d] Math. Paris *ſub an.* 1229. *Hiſt. aurea MS. lib.* 10. [e] *Rot. pat.* 13. Hen. III. *memb.* 6. Harus *in lib. memorabilium Univerſ.* Oxon. *MS. fol.* 1. *a.* [f] *In Turri Scholarum* Oxon. *in pix. E E. nu.* 4. [g] Paul. Æmilius *lib.* 7. *Centuriarum ſcriptores.* Tilletus & *alii.* [h] M. Paris *ſub an.* 1254. [i] Bal. *cent.* 5. *n.* 94. *in Appendice.* [k] *In* Trivett. *ut ſupra, ſub an.* 1230.

plures cientibus, Rex, petente Cancellario, Prætori urbis & Ballivis per literas [a] præcepit, ut Carcerem publicum Cancellario Universitatis accommodarent, in quem Clericos rebelles pro excessibus suis compingere possit: quo jure etiamnum utimur.

CIↃCCXXXI.

Magna jam hominum vis, à diversis juxta Regni partibus, ac ab exteris nationibus *Oxonium* indies, studiorum gratiâ, confluxit. Quòd ubi Rex rescivit, probe cognoscens id in suum, populique sui decus & fructum tendere, cives vero præsertim *Oxonienses* magnum exinde commodum percepturos; Brevi [b] suo, dato *Oxonii* Maii III. ad Prætorem & Burgenses, mandavit nequis domicilia graviori pretio licitaretur. —— *Satis constat nobis* (inquit ille) *quod apud villam nostram* Oxon *studendi causa è diversis partibus tam cismarinis quam transmarinis confluit multitudo, quod valde gratum habemus & acceptamus, cum exemplum toti regno nostro commodum non modicum & honor nobis accrescat: & vos specialiter, inter quos fideliter conservantur studentes, non mediocriter gaudere debetis & lætari. Audivimus autem quod in hospitiis vestris locandis tam graves & onerosi estis Scholaribus inter vos commorantibus, quod nisi mensurabilius & modestius habueritis erga ipsos in hac parte, exactione vestra faciente, oportebit ipsos villam nostram exire, & studio suo relicto à terra nostra recedere, quod nullatenus vellemus,* &c. Quare cum jussa cives regia summâ cum observantiâ perficerent, eousque crevit Academicorum numerus, ut illi recipiendis iisdem & Urbis limites extendere, & desolata præ vetustate habitacula recreare cogerentur. Ex istâ vero quæstuosâ oppidanorum benevolentiâ effectum est, ut supra modum augesceret Studiosorum frequentia (quos *Gallos* præcipue supra dictos fuisse arbitror, præter *Hibernos* & *Scotos* nobiscum jam ante literis vacantes;) immo tanta Universitati facta est accessio, ut (quod Scriptores quamplurimi in hac Centuriâ memorarunt) Academicorum jam instar tricies mille censerentur; inter quos tamen irrepsere sceleratissimi quidam ganeones, qui studiorum obtentu stupris & rapinis & flagitiis omnimodis invigilarent. Omnis illi disciplinæ legibus soluti, Tutores nomine quidem tenus habebant, & Lectionibus ordinariis nonnunquam intererant, verum hæc eo consilio facta sunt, ut quoties flagitiosi quippiam patrarent, Scholarium immunitates in jus trahentibus opponerent. Quanquam vero id maxime agebat Cancellarius, ut nefarios hosce quoquo modo in ordinem cogeret, tamen conatus ejus in irritum semper cecidere; usque dum post varias ea de re querelas ad regem delatas, Vice-Comiti demum in Mandatis [c] daretur, ut ipse proborum quorundam & Legalium ope usus, regio nomine promulgandum in Urbe *Oxonio* curaret, nequis clericus aut Scholaris ultra quindenos dies in eadem Urbe commoretur, qui non magistro Scholarum alicui, tanquam Tutori se subjiceret: si qui autem secus fecerint, post præfinitum tempus in Urbe deprehensi, iidem carceri demandentur.

De *Parisiensibus* quidem non satis liquet quamdiu nobiscum commorati fuerint; certum vero est ex hoc convictu hospitalia quædam jura, mutuamque benevolentiam & necessitudinem, inter ipsas Academias accrevisse. Quin & nostri, ut vices rependerent factorum ad nos itinerum, *Parisios* frequentes perrexere: adeo ut non satis in literis excultus videbatur, qui non utrobique annos aliquot in literis posuerit: unde minime mirandum, de amplissimis circa hæc tempora viris haud paucis *Lelandum* perhibere, utramque illos Universitatem *de more Illustrium Anglorum* adiisse. Immo mutuum jam adeo invaluit inter utramque Academiam commercium, ut quicquid uni cognitum esset, alteri repente innotesceret; velut [d] Poeta quidam cecinit, in hunc modum,

Et procul & proprius jam Francus & Anglicus æque
Norunt Parisiis *quid feceris* Oxoniæque.

Hæc nobis arctissima consuetudo intercessit ad *Johannem* usque *Wicliffum*; tum enim Academici nostri Theologiæ Scholasticæ studium abrumpentes, Polemicis se totos lucubrationibus dedere, omnemq; operam in refellendis ejus opinionibus, & proturbandis mendicantium ordinibus absumebant. Exorto deinde in *Gallia* bello, & civilibus postea inter familiam *Eboracensem* & *Lancastrensem* discordiis *Angliam* misere infestantibus, commercium illud *Oxoniensium* cum *Parisiensibus* in totum pene desuevit. Atqui finitis demum bellis intestinis, nostrates eloquentiam & Linguarum peritiam affectare cœperunt, & iisdem acquirendis in *Italiam* contendebant, quò iter ab *Oxoniensibus* quibusdam primitus susceptum reperio, è quibus erant.

I. *Robertus Flemmyng* Decanus *Lincolniensis*, qui *Ferrariæ* in literis Græcis & Latinis industriam exercuit, & utilitatem haud parvam cepit ex Lectionibus *Bapt. Guarini*, Oratoris & Poetæ clarissimi, uti e *Lelandus* his verbis testatur. —— *Hæc ejus ad amæniores literas expedita alacritas, eo tandem processit, ut luculento Eruditionis titulo celebris esset, & Ecclesiæ* Lindocollinæ *Decanus institueretur.* Deinde Italiam *petiit aviditate cognoscendi puritatem utriusque linguæ, ac* Bapt. Guarini *Oratoris & poetæ, ut illa tulerunt tempora, diserti, prælectionibus tam Latinis tam Græcis* Ferrariæ *interfuit*, &c. Crevit etiam gloria ejus, ut his aperte etiam verbis, ex funebri oratione *Carbonis* desumptis, constat. Robertus Flemmyng *Decanus* Lincolniensis *Ecclesiæ, qui ob singularem in studiis humanitatis præstantiam atque exercitationem, inclyti* Anglorum *Regis Procurator* Romæ *factus est.*

II. *Gulielmus Grey* [f] Episcopus *Eliensis* Collegii *Balliolensis* aliquando alumnus, & ejusdem inde *Guarini* discipulus. Linguarum ille, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ Scientiam penitissime adeptus est; libros porro MSS. (quod in Collegii *Balliolensis* Historiâ perdisces) diligentissime perquisivit.

III. *Joh. Free*, [g] Episcopus electus *Bathonensis & Wellensis*, è Collegio quoque *Balliolensi*, & *Guarini* pariter discipulus, à quo in Rhetoricâ, Philosophiâ, aliisque disciplinis erudiebatur.

IV. *Johannes* de *Guntheri Sylva*, [h] vulgo *Gunthorp.* Hic *Balliolensis* etiam erat, & sub *Guarino* cum præfatis studuit: doctus autem insigniter emersit, & egregium patriæ ornamentum.

VI. *Johannes Tipetotus* [i] vel *Tiptoftus* Comes *Wigornensis*, in eodem collegio tyrocinia posuit, & *Ferrariæ* cum prædictis sub *Guarino* tam egregie profecit, ut Nobilibus *Anglis* splendorem quam maxime accersierit.

[a] *Rot. claus.* 15. Hen. III. *dors. in Tur.* Lond. [b] *R. cl.* 15. Hen III. [c] Harus *ut supra fol.* 1. *a. ex cl.* 15. Hen. III. *Dors. in Tur.* Lond. [d] Mich. Cornubiensis *alias* Blancpaine *in versibus contra* Hen. Abricensem. *Normanum MS.* [e] *In Tom.* 4. *p.* 333. [f] *Ibid. p.* 334. [g] *Ib. p.* 337. [h] *Ib. p.* 335. [i] *Ib. p.* 344.

Hi ergo

Hi ergo cum *Oxonienſibus* aliis (quos omnes ſi commemorarem, nimius hoc in loco eſſem) primi omnium Eloquentiam & Linguarum peritiam ex *Italiâ* in *Angliam* invexere, & barbariem nobis exterminarunt. Iiſdem quoque annis *Cornelius Vitellius*, [a] cum *Italicæ* gentis aliis haud paucis, *Oxonium* acceſſere, quo eruditionis noſtræ inſtituta condiſcerent.

Sed, ad *Gallos* ut redeam, fatendum ſane eſt eorum conſortium ex uſu noſtro haud parum fuiſſe, verum & ex aliquâ parte damna nobis propter gentis iſtius innatam levitatem intuliſſe, & quæſtus à lectionibus noſtris in Academiâ ipſorum habitis, uberiores multo collegiſſe, quam dediſſe, aſſeverandum non dubito; quippe cùm viris, quibus tum fructi ſumus, clariſſimis attendentes, eorum doctrinam ſedulo imitati ſunt, quorum certe omnium in relatione conſeneſcerem, ideoque paucos tantum recenſebo, ut de reliquis promptiſſime conjicias.

I. *Robertus Pulleynus* [b] in omnes nobiſcum diſciplinas primo incubuit, in quibus eouſque profecit, ut ſcientiis divinis ſimul & humanis optime inſtructus, *Pariſienſium* egregie commodis legendo inſervierit.

II. *Johannis Hanwillenſis*, [c] ſeu *Hantivillenſis*, rem Poeticam, audiendo, legendo, & ſcribendo tantopere inter illos adauxit, ut eorum ita ingenia ad eloquentiam mire informârit. Floruit autem anno Dom. CIↃCC.

III. *Sylveſter Gyraldus*, Scholam Artium in Collegio *Anglorum Pariſienſi*, jure optimo [d] gubernabat, rerum apud nos potiente *Henrico II.*

IV. *Simon Churnay* vel (ut alii habent) *Thurvay*, ſummâ cum noſtrâ laude, in Scholis Theologicis ibidem [e] regebat.

V. *Gulielmus* de *Lyceſtriâ*, vulgo *Guliel.* de *Monte* dictus, quod *Lutetiæ* in monte S. *Genovefæ* [f] prælegeret; præclaræ indolis vir, & à Theologis *Pariſienſibus* in multo honore habitus.

VI. *Alexander Nequam*, ſeu *Neckam*, de quo [g] *Lelandus*, —— *cujus in bonis artibus cognitio, non modo ſuis* Britannis, *verum etiam* Gallis *&* Italis, *apud quos olim claruerat, atque adeò orbi ferè univerſo, incredibili admiratione ita innotuit, ut ingenii miraculum diceretur.* Moritur Anno CIↃCCXXVII.

VII. *Stephanus Langtonus*; ad bonas literas factus, & ardenti erga eaſdem affectu incenſus. *Anglorum* is more *Lutetiam* petivit, & *ita omnes* (ut ait [h] *Lelandus*) *ibidem diligentiſſimi hominis partes adimplebat, ut inter præcipuos Dialecticos, Philoſophos, & Theologos haberetur.* Eccleſiæ S. *Mariæ* ibidem Canonicus ſecularis fuit, & illius deinde Univerſitatis Cancellarius. Mortuus eſt anno CIↃCCXXVIII. cùm Archiep. *Cantuariæ* ſederet.

VIII. *Alanus Beaucliffus*, tam doctè ibidem in Philoſophiâ [i] legebat, ſacrumque Textum tam ſcienter expoſuit, ut ab eruditis *Gallis* inter præcipua Academiæ ſuæ ornamenta poneretur. Claruit anno CIↃCCXXX.

IX. *Richardus Theologus.* Hujus in laudem ſic ſcribit [k] *Lelandus*; —— *Is diſcendi quodam ſtudio ardentiſſimo actus, relicto natali ſolo impiger* Pariſios *petiit, ubi partim legendo, partim etiam docendo ac ſcribendo, talem ſibi gloriam comparavit, quam nec ætas hæc noſtra cantitare ceſſat.* Ad S. ſe *Victoris* collegium nobiliſſimum juxta ac antiquiſſimum poſtea recepit, ubi ætatem tantâ cum pietate tranſegit, ut Canonicatu tandem inter ſocios ejuſdem donatus, & præfecturâ vicariâ auctus deceſſerit. Magnum ſui deſiderium obiens reliquit, cùm nec minora illis Pietatis quam Doctrinæ exempla præſtitiſſet.

X. *Alexander* de *Hales*, Pariſienſibus *Doctor Irrefragabilis* vulgo [l] appellatus. Cathedram ibi Theologicam, titulo Profeſſoris Regii, obtinuit; in magnam vero doctrinæ ſuæ adminiſtrationem Lectores pariter ac Auditores trahebat, præter *Rogerum Bacon-num*, cui ex omnibus uni ſcripta ejus [m] improbantur.

XI. *Michael Blaunpainus Cornubienſis*; qui clariſſimus ſui temporis Poeta in *Angliâ* juxta & in *Galliâ* [n] exiſtimatus eſt. Floruit anno CIↃCCL.

XII. *Joh.* de *Sacro boſco.* Claruit [o] apud *Pariſienſes* in Matheſi & in Philoſophiâ, regnante in Angliâ *Henrico* III.

XIII. *Joh. Ægidius.* Philoſophicâ ſcientiâ præminebat; & deinde *Philippo* Galliæ Regi ad curandam valetudinem accitus eſt. Philoſophiam & Medicinam *Lutetiæ* primo, poſtmodo in *Monte peſulano*, in ſummo auditorum confluxu, præmonſtrabat. Suſcepto deinceps S. *Dominici* habitu, *Lutetiæ*, duabus in Scholis, ipſi illum in finem [p] extructis, Fratres ſuos alioſque perplures ad Artes, præſertim vero ad Theologiam, informabat.

XIV. *Hamo* de *Faverſham*, Philoſophiæ *Ariſtotelicæ* ante coætaneos [q] peritiſſimus, qualem ſe, *Lutetiæ*, *Bononiæ*, *Paduæ*, & *Romæ* oſtendit. *Anagniæ* annorum plenus diem obiit, eo prius honore ornatus, quod *Innocentius* IV. Pontifex Max. ægrotantem [r] inviſerit.

XV. *Laurentius Anglicus* S. T. P. Anglicani apud *Pariſienſes* Collegii [s] Præpoſitus; ubi ſcriptis, Concionibus, aliiſq; ſcientiæ documentis, publicis æq; ac privatis, famam ſibi haud vulgarem comparavit. Mortuus eſt circa annum CIↃCCLX.

XVI. *Stephanus* de *Lexinton.* Altricem habuit *Oxoniam*, & cœnobiarcha *Clarevallenſis* tandem [t] evaſit. Scholam porro *Lutetiæ* fundavit quam **Chardenai** appellitant. Vide de eo plura in anno CIↃCCXXI.

XVII. *Joh. Gualenſis*, *tantam curam ac diligentiam* (*Lelandi* [u] verba ſunt) *eruditis ſtudiis adhibuit, ut tandem apud illos* (*Pariſienſes* intelligit) *doctrinæ excellentis nomine ter maximus haberetur.* Nomine autem *Arboris vitæ* ſalutatum reperio.

XVIII. *Radulphus* de *Coleburg. Lutetiæ* in Artibus cum laude [x] regebat, & multam ibi doctrinæ ſuæ admirationem excitavit.

XIX. *Richardus Rufus*, è *Cornubiâ*; ad bonas Artes tantâ cum diligentiâ, *Oxonii* primo, deinde *Pariſiis* enitebatur, ut fama ejus per orbem terrarum [y] decantaretur; & Sententias *Pariſienſibus* curſorie explicans inſignis Philoſophi gloriam reportarit.

XX. *Alfredus*, ſeu *Aluredus Anglicus*, parem in Philoſophiâ, quam ibi exercuit, non invenit, meritoq; *Philoſophi* apud illos cognomentum aſſecutus eſt.

[a] Pol. Virgil. *in Hiſtor. Edit.* Baſil. 1534. *p.* 600. [b] Pits. *Æt.* 12. *nu.* 203. [c] Leland. *in Tom.* 4. *p.* 199. Bal. cent. 3. *nu.* 49. [d] *Ib. in* Bal. *cent.* 3. *nu.* 59. [e] *Ib. cent.* 3. *nu.* 47 [f] *Ut in vita* Syl. Gyraldi *ad finem lib.* 4. *Diſtinct. MS.* [g] *In* Tom. 4. *ut ſupra p.* 189. [h] *Ib. in* Lel. *p.* 194. [i] *Ib. p.* 197. [k] *Ib. p.* 210. [l] *Ib. p.* 196. *&* Bal. *cent.* 3. *nu.* 91. [m] *In cap. de* 3°. *peccato Theologorum MS.* [n] Bal. *Cent.* 4. *n.* 10. [o] Lel. *ut ſupra p.* 259. Pits. *Æt.* 13. *nu.* 363. [p] *Ibid. in* Lel. *Tom.* 4. *p.* 196. *vide in Annal* Nic Trivetti *MS. in bib. Coll.* Merton. *p.* 62. [q] *Ibid. in* Lel. *p.* 215. Bal. *cent.* 4. *nu.* 27. [r] Tho. Eccleſton *ut ſupra MS. Coll.* 12. [s] Bal. *cent.* 4. *nu.* 30. [t] Mat. Parys *in Hiſt. majori ſub an.* 1255. [u] *In Tom.* 4. *p.* 232. [x] Eccleſton *ut ſupra, Coll.* 10. [y] Lel. *Tom.* 4. *p.* 213.

Illum Author [a] vetuſtus in libro quem *de Primis Philoſophis* ſcripſit, eorum qui ante ætatem ſuam percrebuere præcipuis annumerat; nam capite v. (quo de priſcorum *Arabum* & *Hiſpanorum*, deque ſui temporis conſpicuis maxime Philoſophis agit) hæc habet: —— *Sunt & alii quamplures eximiæ Philoſophiæ viri, quorum etſi philoſophiam inſpeximus, nomina tamen vel ignoramus, vel non ſine cauſa reticemus, quanquam &* Johannem Peripateticum, *&* Aluredum, *modernioreſque* Alexandrum *minorem, atque Abbatem Colonienſem, & Philoſophos eximios cenſendos reputemus, non tamen pro authoribus habendos*, &c.

XXI. *Richardus Kylwarby*, aliter, (ut [b] *Lelando*) *Childwardeby*, doctrinâ cum *Gallis* adeo inclaruit, ut inter Doctores Sorbonenſes jure optimo reciperetur.

XXII. *Tho. Borſtallus*, in Sorbonenſium quoque numerum [c] admiſſus, & publicus Theologiæ prælector factus. Floruit anno CIↃCCXC.

XXIII. *Joh. Peccam*, magnam ſcientiæ commendationem *Lutetiæ* [d] adeptus eſt, & *Kylwarbeium* quem dixi in Archiepiſcopatu *Contuarienſi* excepit.

XXIV. *Rich.* de *Mediâ villâ* (*Middleton*) è Sorboniſtarum quoque numero [e] fuit, cui propter egregiam eruditionem *Doctoris Solidi, copioſi & fundatiſſimi* titulus obtigit.

XXV. *Johannes* Duns *Scotus*, Univerſitatis quoad ibidem ſtuduerit, lumen & gloria. *Coloniæ* ſepultus eſt, ejuſque tumulo Diſcipulorum aliqui hæc carmina inſcripſerunt.

Pariſii *plora, mæſtis incede lacernis*,
Hic perit in toto quod volat orbe Deus:
O Sorbona tuis humiles compone Cathedras,
Cujus ab ingeniis fons ſacer Artis abeſt.

Sed anno CIↃCDLXII. hanc habuit inſcriptionem, in lapide ſuper ſepulchrum ejus *Coloniæ* exaratam, quod ex libro quodam MS. edoctus ſum, quem mutuo accepi ab *Obadiâ Walker* Artium Magiſtro & ſocio ſeniori Collegii *Univerſitatis*.

Hic lector Scotus *ſubtilis ſic bene notus*,
Doctor humi ſtratus hac ſubque vola tumulatus.
Clauditur hic rivus, fons Eccleſiæ, via, vivus
Doctor juſtitiæ, ſtudii flos, Archa Sophiæ,
Ingenio ſcandens, ſcripturæ condita pandens,
In teneris annis fuit, ergo memento Johannis.
Hunc Deus ornatum fac cælitus eſſe beatum,
Propatre tranſlato modulemur pectore grato.
Dux fuit hic cleri, clauſtri lux, & tuba veri.

XXVI. *Joh. Goldeſtonus*, Rabbinicâ ibi ſcientiâ [f] celebratus; floruit anno CIↃCCCXX.

XXVII. *Joh. Walſinghamus*, *Guliel. Altonus*, *Rob. Cowtonus*, *Tho. Suttonus*, Doctores è Sorbona [g] inſigniſſimi.

XXVIII. *Joh. Baconthorpius*, *Averroiſtarum Princeps* à *Pariſienſibus* vulgo vocitatus.

XXIX. *Osbertus Pyckenhamus*. De eo ſic loquitur [h] *Lelandus*, ---*ubi* (*Lutetiæ* nimirum) *cùm diſcendo, tum docendo, tantus non modo Philoſophus, verum etiam Theologus evaſit, ut ingens auditorum numerus ad ejus prælectiones tanquam ad ſacroſanctum oraculum convolarent. Communibus igitur Academiæ ſuffragiis pileatorum Theologorum numero adſcriptus fuit.* Fato functus eſt circa annum CIↃCCCXXX.

XXX. *Gualterus Burley*, ab acutis in eorum Scholis diſputationibus magni ingenii opinionem [i] nactus eſt, *Doctor Planus & perſpicuus* creberrime dictus.

XXXI. *Nicholaus Gorhamus*, cum tantâ ibidem exiſtimatione [k] florebat, ut de eo diſceptârint Authores, *Angliſne* fuerit an vero *Gallis* tribuendus.

Hi ſunt, quos ex innumeris propemodum commemorandos duxi, qui *Lutetiæ* decora extitere, & rem literariam apud *Pariſienſes* promovebant; plerique enim omnes inter Academicos *Oxonienſes* potiori jure numerari poſſunt & debent. Quod enimvero facit ut demirari ſatis nunquam potuerim, quidnam Antiquarium [l] *Cantabrigienſem* impulerit, Academiam noſtram ſuamque his verbis conferre; *de literis autem ſi experimentum cupis, Hiſtoricos* (ita enim ampullatur ille) *excute omnes, faſtos omnes & tempora evolvito mundi, & ſuperiores, aut ſaltem pares ſemper invenies* Cantabrigienſes. Quæ ſane cùm imprimis perlegerem, ſcire magnopere cupiebam, inclareſcentes illi per orbem *Cantabrigienſes* quinam demum eſſent; Atqui ſperanti mecaſtor & exploranti tam non occurrunt in ſcriptis vetuſtis prægrandia *Cantabrigienſium* ejuſmodi nomina, ut ante *Henrici IV.* (& ab illo quidem ſeculo perrari comparent) vix unum & alterum deprehenderim ſtipendia apud exteros facientes.

CIↃCCXXXII.

Teterrima, ineunte anno, nata eſt inter Scholares & Municipes diſſentio, & illorum quamplurimis (præcipue Scholaribus) vulneratis, reque ad Regem delatâ, [m] juſſuque ipſius exploratâ, qui ſeditionis authores extitiſſe deprehenduntur oppidani, & in Carcerem conjiciuntur; nominatim vero *Joh. Culet*, *Adamus Cruſte*, *Adamus Feteplace*, *Thomas Cruſte*, ... *Eſcote*, *& Gualterus Chaplere*; qui cum à Ballivo clam dimitterentur, comprehenſi denuo in cuſtodiam regiam cum *Petro* de *Elmlegh* contruduntur. Cæterum quid de illis poſtremo factum eſt, nullibi invenio.

Sub id autem *Johannes Blonde* (Academiæ olim noſtræ alumnus) *Oxoniam Pariſiis* acceſſit, cum ibidem inter clariſſimos *Anglos* literarum ſtudio imcumbens, Profeſſoris, ſeu Doctoris in Theologiâ, gradu ornatus [n] fuiſſet. Hunc vero ante annum ſecundum, cum *Pariſienſibus* huc migrantibus adventaſſe reperio, & penſionem honeſtam in Theologiâ nobiſcum legenti conſtitutam fuiſſe. Obeunte *Rich. Wetherſhed* Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, ab illius Eccleſiæ Monachis in demortui locum electus eſt, *ex conſenſu Dni Regis, & aliorum tam cleri quam populi* (ut habet [o] *Thomas* Vuiccius vulgo *Wyke*) *favente ſibi maxime Epiſcopo* Wintonienſi *tunc magnæ authoritatis viro:* Cæterum Pont. Romano electionem non approbante, Poeta [p] quidam *Oxonienſis*, qui cum præfato *Blondo* congreſſus familiariter *Lutetiæ* fuiſſet, ejus in gratiam ad Papam (Minervâ tamen parum arridente) his verſibus ſcribit;

[a] *MS. in bib. Coll.* Merton. [b] *In Tom.* 4. *p.* 220. [c] Bal. *cent.* 4. *nu.* 58. [d] Lel. *ut ſupra p.* 232. [e] Bal. *cent.* 4. *nu.* 77. [f] *Ib. cent.* 5. *nu.* 10. [g] *Ibid. cent.* 4. *nu.* 97. *cent.* 5. *nu.* 29. 65. 69. [h] *In Tom.* 4. *p.* 249. [i] *Ibid. p.* 260. [k] *Ib. p.* 260. [l] Cajus *in lib.* 1. *de Antiquit* Cantab. *p.* 19. [m] *Rot. clauſ.* 16. *H.* III. *memb.* 11. [n] M. Parys *ſub* 1232. *an. Chr.* *Wyke ſub eod. an.* [o] *Ibidin Chron. ſuo* Oſneienſi. [p] Mich Blaunpaine *ſeu* Cornubienſis *in ſuis poemat. MS.*

De

De quo si dubitas an perpetraverit ille,
Oxoniæ *crimen quod pars adversa notavit,*
Quis nisi Conventus, nisi Cives, & nisi Clerum
Totius Oxoniæ, *poterit producere testes?*
Nec modo Conventus, Cives, Cleruſque, sed ipsi
Abbates; ipse & præfectus, & ipse Decanus
Attestantur ei, quia vitam duxit honestam.

Illum porro dictus Poeta, Librorum *Aristotelicorum* lectionem in Universitatem nostram intuliſſe refert; quod iisdem annis ascripserim, quibus S. *Edmundus* Philosophum de Elenchis explicavit. Atqui hæc in ambiguo cùm sint, in annum CIↃCCLXXII. rejiciam. Proximo anno cassata erat electio (ut [a] *Vuiccius* inquit) eâ de causâ, quia duo habuit Beneficia sine dispensatione Summi Pontificis; verior tamen causa fuit, quod maxime fovebat partes Regis *Johannis*, cum utriusque gladii dominium sibi vindicaret.

CIↃCCXXXIII.

Oxonii jam, ut manifestum [b] est, Rex agebat, ubi Comitia Parlamentaria habere decreverat; verum Nobiles scripto regio haudquaquam parentes, convenire recusabant. Interea *Robertus Baconus*, coram Rege & Clero concionari liberius (multo tamen cum plausu) [c] solitus, asserere palam non refugiebat, conquieturum nunquam *Henricum* aut pace fruiturum, quoad usque *Petrum* de *Rupibus* Episcopum *Winton.* (animum ille regium in plerisque dirigebat) *Petrum*que de *Rivallis* ejusdem filium, aut consanguineum, à se longius abegerit. Fertur porro (sed minus vere) quod *Rogerus Baconus*, *Franciscanus*, vir ingenio admodum faceto, ad *Roberti* sententiam accedens, apud Regem affirmarit, meminisse eum oportere, *Petras* & *Rupes* (sumptâ nimirum ab Episcopi nomine allusione) navigantium exitio infames esse. Sic *Baconi*, Academiæ tum nostræ ornamenta, monitis alter seriis, jocosis alter, more uterq; suo, *Wintonienſem* perstrinxisse memorantur; de quo tamen longe aliter sensisse videtur Poeta [d] supradictus, qui de ejus nomine ita cecinit,

Petra *tenes puppes, talis* Petra *quid nisi* Rupes?
Rupes *multarum radix & origo* Petrarum.

Sed hæc non sine causâ dixit Poeta, de eo quem Patronum suum perbenignum in Epistolâ ad eundem datâ agnoscit, quâ & librum se illi *De Gestis* S. *Birini* dicasse subindicat. *Michael Cornubienſis*, seu *Blaunpaine*, vel *Blancpaine* is erat (Decanum se *Trajectenſem* appellat) qui *Oxoniæ Lutetiam* contendebat, & huc inde reversus, illius (ut ante dictum est) seculi Poeta præstantissimus utrobique habebatur.

CIↃCCXXXIV.

Hoc anno (inquit [e] *Tho. Wyke*, Canonicus de Osney) *factum est Taylagium ex regio edicto de urbibus, principaliter & specialiter de Regis Tenentibus, utpote de* Lundon, *de* Wynton, *de* Oxon, *& de aliis, Procurantibus hoc quibusdam Consiliariis & commensalibus Domini Regis, qui in hoc magis consulerant bursæ suæ quam Regis honori vel regnis.* His ille; de *Oxonio* autem non satis constat, an scilicet id tributi à [f] Religiosorum domiciliis, an à Clericorum hospitiis (primò enim dictis *Gualo* Legatus Bullâ suâ immunitatem concesserat) redire debuerit; certum equidem habeo, Academicorum habitacula paucis abinde annis prædicto tributo levata fuisse. At vero pensitationibus novis si unici oppidani premerentur, Scholares interea molestiâ, eâque (ut ipsis videbatur) gravissimâ, vacui non erant. Etenim cum Academicorum quamplurimi, à *Gallis* (quod creditum est) hic etiamnum magnâ multitudine agentibus labem contrahentes, amoribus sese meretriciis addicerent, Rex quotidianis querimoniis permotus, [g] Breve suum *Oxoniam* transmisit de iisdem penitus exterminandis; ipsius autem verba accipies.

Rex Majori & Ballivis suis Oxon *salutem. Sciatis quod pietatis intuitu concessimus, quod omnes publicæ meretrices & Concubinæ Clericorum quas cepistis & in prisona nostra detinetis, eo quod contra provisionem nostram inventæ fuerunt in villa vestra* Oxon; *deliberentur sub tali forma. Quod publicæ meretrices statim post deliberationem suam, villam nostram exeant; Concubinæ vero Clericorum tenementa habentes in eadem villa, si juramentum vobis præstiterint, & securitatem vobis fecerint, quod de cætero honestè se gerent, non habito accessu ad Clericos, cum quibus sic captæ sunt & detentæ, post deliberationem suam liberè & sine impedimento stent in eadem villa, & ibidem morentur. Aliæ vero, domos aut possessiones in eadem villa non habentes, villam exeant ibidem ulteriùs non moraturæ. Et ideo vobis præcipimus, quod tam publicas meretrices quam Concubinas Clericorum in formâ prædicta deliberetis. Teste meipso apud* Westmonasterium *x. die Julii anno Regni nostri xviii.* Hoc est Domini CIↃCCXXXIV. de quo nunc agimus.

Promulgatis literis regiis, haud paucæ meretricum Urbe exturbantur; sed cùm præ exundante incolarum frequentiâ, peccantes deprehendere, multoque adhuc magis deprehensos ad supplicium pertrahere, propter tumultuantes Clericos, difficile esset; res ad exitum perducta tam minime est, ut præfervida *Gallorum* ingenia libidinem utcunque suam, omnibus (quod aiunt) viis & modis explerent. Hæc in annum incurrunt ante adventum Legati à Latere *Othonis* quartum, qui ad reformandas Academicorum (summâ libidinis, si Antiquario saltem *Cantabrigienſi* fidem adhibueris, infamiâ laborantium) mores missus, verum tumultuantium studiosorum seditione exclusus, & Concilium *Londini* peragere coactus est. Certe *Atho* [h] Glossagraphus, in procœmio ad constitutiones illas super voce *statuenda*, rem sic enarrat: *--- quæ statuta edita fuerunt præsidente isto* Othone *Legato in Octavis S.* Martini *in Ecclesiâ S.* Pauli Londin. *an. CIↃCCXXXVI.* (potius CIↃCCXXXVIII. *ut patet in libro chronicorum qui dicitur* Flos Historiarum *sub isto anno.*) Earum autem Constitutionum una est, *De uxoratis à Beneficiis amovendis*, ubi Scholarium tum *Oxonienſium* tum *Cantabrigienſium* nulla prorsus mentio habetur; vetitum illic refert, *ne Clerici, & maxime in sacris Ordinibus constituti, in domibus*

[a] *Th. Wyke ut supra.* [b] Mat. Paris *sub an.* 1233. [c] *Ibidem.* [d] M. Blaunpaine *ut supra.* [e] *In Chronico suo, MS.* [f] *De Tallagio non capiendo de Tenementis Dom. Religiosorum in* Oxon: *vide Reg. vel librum* Osney *in bib.* Cotton. *fol.* 62. *&c.* [g] *Claus.* 18. Hen. III. *memb.* 16. *in turre* Londin. [h] Jo. *de* Athon *in comment. suis super Constitutiones Legatinas* Othonis & Octoboni *Edit.* 1506. *fol.* 3

ſuis vel alienis, detineant publice Concubinas, &c. ad vocem autem *detineant* ſic pergit Gloſſator: *Intellige ubicunque infra loca Legationis ipſius ſtatuentis: ſi enim beneficiatus Dioceſis* Eboracenſis, *ſtudens forte* Oxoniæ, *quæ eſt in alia Dioceſi & Provincia, ubi contra conſtitutionem iſtam teneret publice concubinam; nihilominus dicerem eum privatum, in tantùm quod exequi poteſt hunc Canonem Dioceſanus beneficii, quia ſententia hic lata eſt Canonis, non puri hominis: ſecus enim ſi privandus eſſet, vel aliter puniendus per proceſſum & ſententiam hominis*, &c.

Quid autem? (ut ad reſcriptum regium redeamus) num è Brevi prædicto exſculpi poſſit quæſtionum de Incontinentiâ cognitionem & punitionem, quam Juris Eccleſiaſtici fuiſſe arbitramur, ad Forum ſeculare, Prætorem nempe & Ballivos, ſpectaſſe? aut poteſtatem habuiſſe illos cauſas ejuſmodi in municipali curiâ, Letæ nimirum, aliave dijudicandi? Juriſdictione certe tali per hæc tempore inſtructos non fuiſſe Cives, aut quoſcunque laicos teſtatiſſimum eſt. Inſtabit forte aliquis, & [a] chartam *Edoardi III.* allegabit, ad Majorem & Ballivos, de conſervandis libertatibus nundinarum S. *Frydeſwidæ* tranſmiſſam, datamque apud *Weſtmonaſterium* III. *Octobr.* a° Regni III°. quâ conſtitutum eſt, quod *Prior & Canonici S.* Frideſwydæ, *durante feriâ prædictâ, claves portarum Civitatis prædictæ habeant in ſignum Cuſtodiæ Civitatis ejuſdem, ex liberatione Majoris & Ballivorum Civitatis illius, & Cuſtodiam aſſiſæ panis, vini & ceriviſiæ in eadem Civitate & ſuburbiis ejuſdem, & omnimodos aſſiſæ illius fructus, & liberam curiam ſuam cum amerciamentis & attachiamentis omnibus; necnon attachiamenta tranſgreſſorum, punitionem meretricum, & captionem felonum & latronum ac deliberationem eorundem.* &c. Agnoſco equidem ex his verbis arguendum videri, quod per hæc tempora punitio Meretricum ad Cives pertinere videatur (quanquam id juris utrum legitime conceſſum, an arreptum potius fuerit & uſurpatum, exinde non patet.) Veriſimile quidem, ex immemoriali præſcriptione non hic modo, ſed *Londini* etiam à civili magiſtratu in ſcorta & meretriculas animadverſum; ubi quaſi prærogativâ quadam ſpeciali ſine juris formulâ Plauſtro urbe deportantur. Utcunque tamen, ex pacto [b] quo inter *Oliverium Suttonum Epiſcopum Lincolnienſem* & Univerſitatem, ſub *Edoardo I.* convenerat, abunde liquet; poteſtate omni judiciali de incontinentiâ diſquirendi, Epiſcopum præfatum & Officiales ſuos aut potitos fuiſſe, aut ſibi ſaltem vindicaſſe; præter id juris, quod Cancellarius vel vi conſuetudinis, aut præſcriptionis receptæ, vel poteſtatis ab Epiſcopo eidem commiſſæ, ſibi depoſceret. Et hoc ſane manifeſtum adhuc magis fit, ex compoſitione [c] qua Univerſitas cum Archidiacono *Oxonienſi* tranſegit an. CIↃCCCXLV. Quæ quidem compoſitiones, aut ſi quæ adhuc vetuſtiores ſunt, reſciſſæ penitus fuere, cùm P. M. *Bonifacius* ſive VIII. ſive IX. Univerſitatem Epiſcopali ditioni exemerat; vel ſaltem cùm Pontificiâ pariter Authoritate, Cancellarius confirmatione quam ab Epiſcopo prius expetere tenebatur, exſolveretur. Nam quoniam ea erat confirmationis ejus natura, ut authoritatem exercendi muneris à Diœceſano Cancellarius acciperet, apertum eſt Epiſcopum poſtquam ea ſe poteſtate abdicaſſet, provinciam prædictam, pleno deinceps jure adminiſtrandam Cancellario reliquiſſe.

CIↃCCXXXV.

Sub hæc tempora *Oxonienſis* ſtatus conturbatus fuit per diſcordiam, quæ inter Clericos & Laicos contingebat, orta ni fallor propter violationem cujuſdam compoſitionis nuper factæ, in qua permulti ſunt ſauciati.

Id ubi Regi innotuit, *Simonem Normannum*, & Mareſchallum ſuum *Joh. Gubandum*, cum lites haſce dijudicandi authoritate *Oxonium* [e] miſit, quorum diligentiâ in tumultuum authores animadverſum eſt. Sub anni finem miſerabili incendio *Oxonia* propemodum univerſa deflagravit; de qua ſtatim calamitate exploraturos [f] amandavit Regia Majeſtas *Gubandum* mox ante dictum, cum *Joh.* de *Lexinton*, *Eardulpho* de *Ceſtreton*, tribuſque aliis; verum cum diſquirentium relationem vidiſſe nondum contigerit, rem fuſius explicare nequeo. Proditum tamen eſt Cives exinde muros pleroſque lapideos exſtruxiſſe, & ſupernas domiciliorum partes, tegulis è ſaxo, aut lateritiis imbricibus contra flammarum rabiem, quod fieri prius non conſueverat, muniviſſe.

CIↃCCXXXVI.

Hic etiam annus Scholarium civiumq; diſſenſionibus infamis eſt; de quibus [g] M. *Paris*, *Eodem anno orta eſt contentio inter Clerum* Oxoniæ *& Cives, & vix procurantibus Rege & Magnatibus, Epiſcopis quoq; & aliis viris authenticis, lis poſt magnum tempus ſopita, & Univerſitas priſtino ſtatui reſtituta*, &c. Hæc ille; atqui turbæ iſtæ an de Privilegiis, an de illatis injuriis ſuſcitatæ ſint, incertum; verum hinc potius ortas crediderim, quoniam verberibus utrinque ſævitum eſt, & utriuſque partis haud pauci carceribus mancipati ſunt: quorum è numero erat *Joh. Curoy* ſive *Curry* Scholaris, è *Scotiâ* oriundus, & duobus abhinc annis, ſurgentium contra *Othonem* Legatum Academicorum, præcipuus hortator. Nunc autem in cuſtodiam à Cancellario datus, [h] Brevi deinceps regio, hac conditione libertati reſtituitur, ut XXIV. virorum teſtimonia proferat, qui pro illo fide juberent de pace Univerſitatis in poſterum conſervandâ. Cæterum Clericorum inſuper alii in Caſtellum [i] incarcerandis ut ſupra dictum Scholaribus Cancellario, juſſu regio, conceſſum) compinguntur; qui minus deinde nocentes deprehenſi, non tantum emittuntur, ſed & pecuniâ ergaſtulario penſitari ſolita, levantur. Et hoc factum eſt opera ni fallor Magiſtri *Willielmi* de *Kilkenney*, (hujus Academiæ nuper Alumni & poſtea Epiſcopi *Elienſis*) *W.* de *Kirkham* Decani S. *Martini London*, & *Godefridi* de *Craucombe* Regis Seneſchalli, qui hoc anno [k] miſſi fuerunt ad contentiones inter Clericos & Laicos conſopiendas. Rerum illarum exitum ſcriptis expreſſe mandatum non invenio: hoc tantum conſtat, quod ſicut diſſenſiones inter Cives & Academicos creberrime per hæc tempora proruperint, ſic uſque adeo erant Scholares contumeliarum impatientes, ut vel leviſſimam injuriæ ſuſpicionem ſummo ardore ulciſcerentur.

[a] *In lib. vel Reg. mag. S.* Frideſwydæ, *p.* 18. &c. [b] *Vide in Hiſtoria noſtra ſub an.* 1281. [c] *A. fol.* 28. *D.* 66. &c. *Vide infra ſub an.* 1345. [d] *Vide Clauſ.* 19. *Hen.* III. *m.* 18. [e] *Pat.* 20. Hen. III. *m.* 3. *&* 11. *dorſo pro Univerſitate* Oxon. [f] *Pat.* 20. *H.* III. *m.* 10. [g] *In Hiſt. ſub an.* 1236. [h] *Cl.* 21. *H.* III *m.* 19. [i] *Ex eod. Rot. Clauſ.* [k] *Pat.* 20. *H.* III. *nu.* 5.

CIↃCCXXXIIX.

CIↃCCXXXIIX.

Hoc anno in Angliam venit *Otho* S. *Nicolai* in *Carcere Tulliano* Diaconus Cardinalis, emendandis Clericorum moribus legatione à Pont. Romano missus. Is *Oxoniam* postea, inquirendis (uti volunt nonnulli) studiosorum vitiis [a] contendens, in Cœnobio *Osneiensi*, die S. *Georgii*, à Canonicis perbenigne accipitur: cui Universitatis Clerici xenium honorabile in *poculentis* & *esculentis* ante prandii tempus transmiserunt. Post prandium vero ipsi veniebant ut eum salutarent, & viro tantam personam sustinenti debitum honorem præstarent.

Verum cùm ad Aulæ, vel Refectorii, quod Hospitibus destinabatur, ostium confertissima adesset Academicorum turba, janitor quidam transalpinus, minùs quàm deceret aut expediret facetus, & more Romanorum vocem elevans, & januam aliquantum patefactam tenens, quærebat quid illis ibi negotii esset. Demisse ad hæc primò Scholares, petere se ut ad Dominum Legatum accedere liceret, quo dignitati suæ deditissimos sese profiterentur; quod quidem sibi negandum non iri jure optimo sperabant, cum egregiam erga illum observantiam, transmissis prius muneribus testati fuissent. Quare cùm aditum illis Janitor procaci etiamnum arrogantiâ & superbiâ romanâ negare perstaret, res ad vim rediit, & expugnatis foribus, Legati famulos, strictis eos gladiis propulsari cupientes, aut pugnis cædebant, aut fustibus mox ante arreptis tundebant. Dum in eo res loco esset, pauperculus quidam Capellanus, natione *Hybernus*, urgente fame & inopiâ, victum præ Culinæ foribus emendicabat; quem importunius instantem non ferens Magister coquorum (Legati frater is erat, idque muneris procurabat, ut ne venenum cibo commisceatur, præcaveret) aquâ ebulliente, è lebete sumptâ, in qua carnes pingues coquebantur, famelici faciem perfudit. Adstabat forte clericus, è confiniis *Walliæ* oriundus, qui injuriam tam fœdam Scholari factam indignatus, exclamavit, proh pudor, ut quid hoc sustinemus? & mox intenso arcu quem portavit (nam tunc in more erat Academicis arma gestare) Magistrum Coquorum (quem Clerici Satyricè *Nabuzardan*, i. e. principem coquorum appellabant) sagittâ transverberavit; qui in terram illico delapsus, animam efflavit. Jam toto Cœnobio tumultuari cœptum, quod variis vociferantium clamoribus personabat; cùm Legatus, auditâ fratris morte, sibi quoque metuendum arbitratus, indutâ raptim Capâ Canonicali, sese in pedes conjecit, & in Turrim Ecclesiæ obseratis quà transierat ostiis profugit. Ubi cum nox intempesta tumultum pugnæ dirimisset; Legatus vestimentis Canonicalibus exutus, equum quem præstantissimum nactus erat ascendit, & ductu eorum qui vada secretiora noverunt, amnem qui proximus erat, licet cum periculo, transivit, ut Regiis præsidiis uteretur. Clerici enim furiis acti, Legatum etiam in abditis secretorum latebris quærere non cessabant, clamantes & dicentes: *Ubi est ille usurarius, simonialis,* (verba sunt Mat. *Paris*) *raptor redituum, & sititor pecuniæ, qui regem pervertens, de spoliis nostris ditat alienos?* Insequentium autem adhuc clamores cum fugiens legatus audiret, dixit apud se,

Cum furor LXIV *in cursu est, currenti* [illegible] *furori,*
Et p[illegible] *patienter omnia tolerans, factus est sicut homo*
[illegible] *audiens, & non habens in ore suo redargutiones:*

di

cum autem, ut prædictum est, amnem vix pertransissent, paucis propter difficultatem transitus comitantibus, cæteris in Abbatia latitantibus, ad Regem *Abendoniæ* tum agentem anhelus & turbidus usq; pervenit, & lachrymis perfusus, singultibus sermones suos inter rumpentibus, rei gestæ ordinem enarravit, & quam indigne ab *Oxoniensibus* habitus fuisset.

Rex Legati vicem haud mediocriter dolens, *Almaricum* de *Sancto Amando*, & *Rob.* de *Ros* nuntios suos, cum literis ad Prætorem & Burgenses *Oxon.* confestim [b] dimisit, quibus mandavit, ut nefariam Clericorum seditionem explorantes, delegatos suos eâ de re certiores quam diligentissime facerent. Post receptionem literarum, inquisitionem fecerunt, & opera XXIV. juratorum (quibus à Rege mandatum est ut iisdem inservirent, & cum urbis Magistratibus pacem conservarent) jure agunt, & manu satis validâ sub Comite *Wareniæ* (ni fallor) à Rege pariter missâ stipati, ad seditiosorum se disquisitionem accingebant, nullâque generis aut gradus ratione habitâ, ad Scholares XXX. (alii XVIII. tantum volunt) in Carcerem compingunt, præter *Odonem* (cognomento de *Kilkenny*, ut *Florilegus* habet) Canonicum *Lincolniensem*, & Legistam, qui inter primos motuum illorum suasores habendus comparuit: aliis porro, qui, incolumitatem sperantes *Walingfordiam* aufugerant, jussu [d] regio à *Richardo* de *Turri* comprehensis, & in custodiam ibidem alibiq; datis; è quibus nonnulli familiis illustribus [e] orti perhibentur.

Paucis post diebus *Oxoniam* adeunt, jubente [f] Rege, *Petrus* de *Rupibus* Episcopus *Wintoniensis*, & *Radulphus Nevill* Episcopus *Cicestrensis*, supremus *Angliæ* Cancellarius; qui postridie festi SS. *Philippi* & *Jacobi*, cum cœnobiarchis *Evesshamensi* & *Abendonensi* in Ecclesia S. *Frideswydæ* [g] coeuntes, studium *Oxoniense* coram Clero populoque frequenti suspendebant, sacris, exercitiis, & consuetis Lectionibus interdicentes. Eodem quasi tempore, *Otho* Legatus, aut *Abendoniæ*, aut *Readingi* agens, convocatis qui propius aberant Episcopis, interdicto Papali contra Universitatem solenniter intonuit, & Anathematis vinculo ad unum omnes innodavit, qui nuperæ seditioni operam quamcumque contulissent; quam censuram non tantum Juniores, sed & Magistros Regentes, Clericos Beneficiis gaudentes, immo Doctores, ipsumq; Cancellarium attingere voluit. Atqui cùm hæc Legati sententia *Oxonii* promulgaretur, Academici bene multi (qui criminis nempe illius conscii vel minimùm essent) quorsum hæc tandem evaderent nescientes, libertatem sibi ereptam causati, *Oxonio* egrediuntur, & in alias passim urbes dilabuntur: quæ res postquam publicè innotuit, Regique demum nuntiaretur, Scripto [h] ille suo mandavit, nequis Academicus ab *Oxonio* sub gravissimis pœnis discederet, nisi regiâ prius veniâ impetratâ: quam idcirco complures deinde, seriis aliò negotiis avocati, obtinere coacti sunt, velut è codicibus nostris antiquis accepimus: quo de numero erant Magister *Gul.* [i] de *Iselwick*, *Thomas* [k] *Brentii* filius, cum Domino suo Magistro *Roberto* [l] de *S. Agatha*; *Robertus* [m] insuper Canonicus de *Southwell*, & *Thomas* de *Stanfordia*, clericus uterque, & ad Archiepisc. *Eboracensem* spectans; cum *Raynoldo* de *Hadeston* famulo. His accedunt, Mr *Hugo* de [n] *Burgo*, Magister *Henricus* clericus, ad Archiep. *Dublinii* pertinens; cum *Galfredo* de *Bockland*, aliisque quamplurimis.

[a] Math. Paris *sub an.* 1238. *Chron.* Abendon *MS. Chron.* Th. Wyke *sub an.* 1238. *Annales* Trivett & Florilegus *sub eod. anno* &c. [b] *Pat.* 22. *H.* III. *m.* 17. [c] *Ibidem.* [d] *Cl.* 22. *H.* III. *m.* 15. [e] *Anon. MS.* [f] *Pat.* 22. *H.* III. *m.* 7. [g] *Florilegus sub hoc anno.* [h] *Pat.* 22. *H.* III. *ut supra.* [i] *Claus.* 22. *H.* III. *m.* 15. [k] *Ibidem.* [l] *Ib.* [m] *Ib.* [n] *Ib.*

Repressâ jam tandem Legati iracundiâ, vel potius carceribus vicinis Scholarium abunde plenis, Vicecomes Magistros Regentes, clericosque Beneficiis gaudentes, vadimonia promittere, sive securitatem invenire (ut cum Jurisconsultis loquamur) [a] jussit, quod nimirum in judicio se sisterent quamprimum de injuriis Legato illatis decernendum esset: nec ita multo post, incarceratorum perplures manucaptione liberantur; quos inter recensentur, Mr *Joh.* de *Neketon*, *Nic.* de Sto *Albano*, *Petrus* de *Carleil*, cum *Henrico* & *Radulpho* sociis ejus, *Galfredus* de S. *Agatha*, & *Nicolaus* ipsius socius, manucaptione [b] à *Gualtero Malclerico* Episcopo *Carleolensi* præstitâ, libertatem recuperantes; quibus addendi *Engramus* de *Baliol*, *Bernardus* de *Hondel*, seu *Hindel*, *Rob.* de *Paxton*, & *Adamus* de *Bekynfeild*, Clerici; manucaptione [c] *Henrici* de *Baliol*, carcere soluti. Subsequentis hinc *Maii* xv. integrum denuo clericis fit [d] *Oxoniam* adire, aut ab eâdem pro libitu abscedere; Bona quoque mobilia, sive catalla quæ ad fiscum nuper Regium recidissent, iisdem redduntur, irritâ insuper factâ inquisitione, quam *Henricus Trublevil* & Ballivi *Oxonienses* citra mandatum Regium fecissent. Sub id porro, *Rogerus Niger* Episcopus *Londinensis*, & *Rob. Grosteſt* Episcopus *Lincolnienſis* manucaptionem obtulerunt pro liberandis Clericis Laicisque, qui, quod præfato crimine impliciti essent, in Turrim *Londinensem* includebantur. Rege itaque [e] jubente, libertatem consequuntur, Magister *Odo* de *Kilkenny*, Mr *Simon* de *Cranford*, *Joh.* de *Lewes*, *Gul.* de *Staresburgh*, *Gregorius* de *Fertekyroth*, *Thomas* de *Lychefeild*, *Rob.* de *Leycester*, *Joh.* de *Brideport*, *Gul.* de *Blundun*, *Rich. Grosteſt*, *Petrus* de *Oxon*, & *Adamus* de *Oxon* vel *Exon.* De iis vero qui *Oxonio* discesserant, Vicecomitibus Comitatuum *Lincoln*, *Buckingham*, *Northumbriæ*, *Gloceſtriæ*, *Leyceſtriæ*, *Herefordiæ*, custodi Palatinatûs *Dunelmensis*, & Vicecomiti præsertim *Oxoniensi*, per [f] literas regias mandatur, ut siqui Scholarium *Oxonienſium* in prædictis agris versarentur, comprehendendos impigre curarent; sive *Hyberni*, sive *Walli*, *Scoti*, *Anglive*, è quacunque demum Gente essent: nominaque tum eorum, tum vadum suorum (qui scilicet sistendos de vi Legato illatâ in judicio sponderent) ad Regem deferrent. De horum numero non liquet, nonnullos tamen adjiciam, quos subduxisse se, postquam seditioni prædictæ interfuissent, ad disquisitores significatum [g] est. Hi vero erant, *Gul.* scriptor, *Rob.* de *Tysford*, *Simon* filius *Warini* de *Brackly*, qui cum arcubus sagittisque ibidem aderant; *Adamus* de *Wolton* pergamenarius in vico **Cattestreet**, qui arcum pariter in tumultu illo gestârat. *Elizeus* & *Joh.* Hospitantes & Studentes in domicilio *Joh.* le *Tournor* in vico **Gropelane**, seu **Croppelane** dicto; *Johannes Curry* è *Scotiâ*; Magister *Petrus* de *Gosynton*, è Comitatu *Leyceſtrenſi*, *Gulielmus* & *Johannes* de *Hoyland*, in ædibus *Gul. Maynard* diversati; *Hugo* le *Verrer*, *Raynoldus* de *Hybernià*, cum sociis ejus VII. apud *Osmundum* le *Miller* versati; *Joh.* de *Cassell* & *Gualt. Triſs* ejusdem socius, in domo *Joh. Ingram* hospitati; *Henricus* Capellanus de **Edwardstowe**, in iisdem ædibus diversatus. *Johannes Mortimer* & *Rob. Norens*, in domo *Augustini Gosse* manentes, *Rogerus* & *Petrus Scoti*, in hospitio Magistri *Gul.* de *Lychfeild*, quod in Parochiâ S. *Petri* ad Orientem stabat, aulam **Wylleby** vocitatum; & cujus Dominum fuisse dictum *Gulielmum* Regesta [h] testantur.

Reginaldus de *Cumbria*, scriptor; ex hospitio *Johannis*, scriptoris, in Parœciâ S. *Crucis*; *Hamon* de *Stratford*, ex viciniâ *Buckinghamiæ*, in domo *Johannis* scriptoris, aliquando *Richardi* Textoris, commorans. Nuntiatum itidem est, *Colimum* quendam XVIII. annos habentem, qui lapides binos in ostium conclavis, quod Refectorii Hospitum vocabatur, impegerat, aufugisse. Transvolarat præterea in Comitatum *Northumbriæ*, aut *in Dunelmenſem*, *Gul.* de *Langell*. *Philippus* de *Dunye*, *Tho.* de *Stanton*, *Steph.* de *Bukeſton*, *Nich.* de *Marchinstowe*, *Gul. Coke*, *Joh. Middleton*, & *Gul. Locard* Clerici in agrum sese *Herefordienſem* & *Gloceſtrenſem* receperant. Quinetiam permulti, datis vadibus, sive plegiis, Ergastulo *Oxonienſi* [i] emittuntur; quorum aliquos habebis ex mandato [k] Regio ad Vicecomites transmissо, pro captione Scholarium & plegiorum suorum, qui insultui contra dictum Legatum interfuere apud *Oxoniam*; viz. Richardi Camul *qui consuluit aliis infringere Dominum Legatum* (loquor ex ipsô mandato) *& suos invenit plegios Magiſtrum* Willielmum *de* Drogheda, Hugonem *&* Willielmum *de* Aylesburie *&c.* II. Richardi Daniel *&* Alani *vel* Albani *de* Kyldelon *manentes in domo* Richardi *le* Barbur *indictati*, *invenerunt plegium Magiſtrum* Robertum *de* Lychfeld *pro* Richardo, *Magiſtrum* Reynerum *de* Stokes pro Daniele, *Mag.* Simon *de* Nevyll *pro* Alano. III. Gregorii *de* Oggemore, Statii *de* S. Donato, *manentes in domo* Radulphi Godenar *indictat. Invenerunt plegios dictum* Radulphum *hoſpitem ſuum &* Richardum *de* Norwico *Burgenſes* Oxon. *& iſti Scholares ſunt de Marchiis* Walliæ IV. Nich. Hybernensis *&* Patricii Podrom *ſocii ejus*, *manentes in domo* Sweteman, *eo quod fuerunt in ſocietate* Mauritii Walensis, Tristrani Hybernensis, *&* Hugonis Norens. (*qui ſubſtraxerunt ſe & non ſunt inventi*) *indictati invenerunt plegium* David Dudelig. *de* **Dublyn**: *mittuntur uſq;* Bristoliam *propter fugientes.* V. Galfridus *de* Hereford *filius perſonæ de* **Bromyarde** *indictatus quia ibi interfuit*, *& inſuper quia verberavit* Thomam Terry *de* Oxon, *eo quod credebat ipſum eſſe* Romanum, *ſubtraxit ſe & non eſt inventus: & dictus* Thomas Terry, *eo quod ibi interfuit*, *plegium invenit* Richardum Segrym *&* Laurentium *Præpoſitum*, *Burgenſes* Oxon. *Poſtea invenit* Johannem *de* Bromyarde *fratrem ejus*; *&* Thomas *Capellanus de* S. Martino *manucepit dictum* Galfridum *qui redibit jure pariturum.*

Omitto complures qui Plegios (ut loquuntur leges) invenerunt; & addo tantum, quod alii haud pauci custodiâ etiam liberati sunt, *Rob. Grosteſto*, summo illo literarum Patrono, fide-jubente. De fugientibus autem (quorum pars magna redire deinceps nolebat) Rex [l] literis ad Cancellarium & Archidiaconum *Oxonienſem* datis promulgari jussit, quod seditione *Osneienſi* implicitis ad Universitatem redire impune liceret, ibique pro delictis suis absolutionem expectare Ecclesiasticam.

Posthæc Legatus iter in Boreales regni plagas cogitans, *Londinum* prius [m] adit, & in domicilio *Dunelmenſi* hospitatur; jubente Rege ut Urbis Prætor cum civibus suis eundem Legatum diligentibus excubiis, armataque manu, ut pupillam oculi custodirent. Eòdem vero ille Archiepiſcopum *Eboracenſem*, omnesque *Angliæ* Episcopos, authoritate sibi a Pontifice Maximo demandatâ convocat, ut de rebus ni

[a] Pat. 22. H. III *m.* 7. [b] Pat. 22. H. III. *m.* 6. [c] *Ibidem.* [d] *Ibid.* [e] *Ibidem.* [f] Cl. 22. H. III. *m.* 13. &c. [g] *Ibid. memb.* 12. 14. [h] *Munimenta & chartæ* Osney *in pix.* S. Petri *in orient.* [i] Cl. 22. H. III. *m.* 10. [k] *Ibid. memb.* 12. [l] Pat. 22. H. III. *m.* 3. [m] M. Paris *ut ſupra ſub an.* 1238. *& alii.*

Eccleſiæ,

Ecclesiæ, deque injuriis, quas ad Cœnobium *Osneiense* tulisset, pensandis consilia inirent. Episcopi autem, prout memoriæ datum est, Universitatem summis viribus tuebantur; è quibus [a] *Rob. Grosteſt* Clericorum se defensorem acerrimum præstitit; immo coram Rege & Legato Sacra omnibus interdixit, quicunque manum in eos violentam injecissent. Instabant vero Episcopi, Oxoniam SECUNDAM esse ECCLESIAM, (*Lutetiæ* utpote primas tribuentes) Pietatis bonarumque literarum Altricibus, toto orbe clarissimis, merito semper annumeratam: Quod si post incarceratos Clericos, & bonis suis spoliatos, gravius adhuc in illos decerneretur, periculum subesse, ne *Oxonio* absterriti in perpetuum dispergerentur. Cæterum si quod verum esset audire dignaretur Legatus, meminisse jubent, culpam in suis potius famulis residere, qui Academicos tam fœdis contumeliis proritârunt, ut mirum non videatur, turbas illos vel gravissimas Eminentiæ ejus dedisse.

CIↃCCXXXIX.

Deliberaturus itaque eâ de re Legatus, Concilium dimittit; datisque inde & acceptis inter illum Pontificemque Romanum & Cardinalium nonnullos literis frequentibus, ad eam tandem sententiam devenit, ut literis [b] ad Cancellarium scriptis, Academicos (quibus per integrum, aut eo amplius, annum, Lectionibus & exercitiis interdictum jam fuerat; & quorum bene multos *Northamptoniam* se & *Sarisburiam* studiorum gratiâ contulisse proditum est) ad pœnitentiam adhortatus, copiam illis *Oxonium* revertendi fecerit, modo constitutis pœnis crimina diluerent; illæ autem ejusmodi erant.

Ordinatum est, ut Clerici à Basilicâ S. *Pauli Londini* ad Domicilium *Dunelmense* (Anglicano nempe quasi miliari inde diremptum) pedestres incedant; comitantibus usq; ad Domicilium *Carleolense* (*Wigornience* nunc vocatur) Episcopis: verum iter deinceps conficerent Academici nudis pedibus (*sine Capis & Mantellis discincti & discalceati*, ut ipsissima habeas verba) pergentes; & flagitiis veniam apud Legatum humillime deprecarentur.

His ita præstitis, resciscoque [c] interdicto, Scholares *Oxoniam* remeant, & Lecturis iterum, solitisque exercitiis, attendunt; non tantâ tamen quâ olim frequentiâ, quod nimirum animi eorum Tyrannide illâ supra modum exacerbarentur.

De Clericis *Northamptoniam* commigrantibus, in annis CIↃCCLX. & LXIV. edisseram; de *Sarisburiensi* tantum studio hoc in loco dicturus. Fuisse sane ejusmodi Academiam (si fas sit eâ voce indigitare) scriptores [d] antiqui haud pauci tradiderunt; quamvis an hoc primum tempore instituta fuerit, in dubio sit, cùm hac illi de re haud parum inter se dissentiant. Inchoatam nonnulli arbitrantur an. CIↃCCIX. Academicis eo tum transcurrentibus, propterea quod eorum tres, ob mulierculam casu interemptam, suspendio enecarentur. In opere [e] vero quodam *Joh. Sarisburiensis* de Scholis, sub auspiciis Magistri *Jordani Wintoniæ* aut *Sarisburiæ* patentibus, mentionem factam invenio. Quoquomodo se res habet, certissimum est, Clericos his annis nostros (quod anno præterea CIↃCCLXIV. contigisse suspicor, cum alii *Northamptoniam* se subtraherent) *Sarisburiam* fuisse profectos, Studioque in illâ Urbe posito, exstruendis posthæc duobus ibidem Collegiis occasionem præbuisse.

Eorum vero primum, Collegium de *Valle*, sive **Vaulx** appellatum, inter Palatii mœnia, pontemque *Farnhamiensem* stetit; ab *Ægidio* de *Brideport* Episcopo *Sarisburiensi*, circa an. CIↃCCLX. [f] excitatum: cujus alumni, Fundatoris festum anniversarium ad *Brideportum* in agro *Dorsetensi* (ubi natus nimirum is erat) celebrare tenebantur. Horum exinde pars altera *Sarisburiæ* agebat, cum Sacellanis duobus, qui in Templo S. *Nicholai* sacra faciebant: Reliqui *Oxoniæ*, quo disciplinis se Academicis instruerent, Graduque capesserent, commorari solebant.

Collegium alterum S. *Edmundi* nuncupatum, oppido ad Borea-zephyrum positum erat, & à fossâ Urbanâ haud longe distabat. [g] Ædificavit *Gualterus* de la *Wyle*, ejusdem loci Episcopus, anno quasi CIↃCCLXX. Hujus autem alumni bene multi *Oxoniam* se crebro contulerunt.

Ecclesiæ *Sarisburiensis* Cancellarius [h] Scholaribus illis ter qualibet septimanâ in Theologiâ antiquitus prælegebat; habitis porro disputationibus in Scholâ veteri Bibliothecæ (quâ imago S. *Johannis* de *Beverlaco*, qui *Oxonii* Magister in Artibus, omnium primus, emersit, haud ita pridem comparuit) contiguâ. Audivi ego auctos hosce tanto privilegio fuisse, ut si Cancellarii sui literas adferrent, annorum bonis Artibus insumptorum, & progressuum in iisdem factorum, testimonium exhibentes, *Oxonii* protinus ad gradum essent admittendi. Fateor equidem scriptorum hoc mihi fide non constare; cæterum si rerum antiquarum circumstantiis authoritas sit, *Oxoniam* proculdubio frequenter adibant præfati Scholares, ibique in vico *Scholarum*, inque Aulis conterminis diversabantur; quarum altera, [i] *Sarisburiensis*, altera Aula parva S. *Edmundi* nominabatur; utraque autem sacello Collegii *Ænei Nasi*, partique Bibliothecæ, ad Collegium illud spectantis, loco deinde cessit.

CIↃCCXL.

Sub idem tempus quo Academici ad studia regrederentur, *Rob. Grosteſt* Episcopus *Lyncolniensis*, vir in promovendis literis indefessus, animoque erga Universitatem nostram, ut qui maxime, propenso, [k] Epistolam ad Magistros in Theologiâ Regentes, ejusmodi dedit;

Robertus *Dei gratia* Lyncoln. *Episcopus, dilectis in Christo filiis, Magistris* Oxoniæ *in Theologiâ Regentibus salutem, gratiam & Benedictionem. Periti ædificiorum Constructores omni perspiciunt diligentia, quod lapides omnes in fundamento ponendi vere sine fundamentales, omnis viz. ædificii supererigendi supportationi sua sodalitate convenientes & apti. Vos autem estis domus Dei constructores, superædificantes eam super fundamentum Apostolorum & prophetarum ipso angulari lapide Jesu Christo. Lapides igitur fundamentales ædificii cujus estis architectonici, præter quos nemo potest alios invenire, aut in fundamento ponere, libri sunt Prophetarum, inter quos*

[a] *In Chron. vel Annalibus Monasterii de* Burton. [b] *A. fol.* 48. *a.* &c. [c] *Ib. fol.* 48. *a. & b.* &c. [d] Mat. Parys *ut supra sub an.* 1238. Tho. Walsingham *in ypod. Neustriæ sub eod. an.* Gul. Harrison *in Chron. suo lib.* 2. *cap.* 3. *&c.* [e] *In Epistolis* Edit. Paris 1611. *ex bib. Papirii* Massoni *ep.* 19. [f] Leland. *in vol.* 2. *Itinerar. fol.* 67. *b.* [g] *Ibid.* [h] *De controversia & compositione facta* 1278. *inter Cancellarium &* Scholares Oxonienses Sarisburiæ *studentes ex parte una, & Subdecanum Ecclesiæ ejusdem ex parte altera, super jurisdictione in Scholares exercenda; vide* Jo. Caium *in lib.* 1. *Antiq.* Cantabrig. *p.* 110. [i] *In Regestris aliquando scribitur* Salesury. [k] *In lib. Epistolarum* R. Grosteſt *MS. in bib.* Bod. *p.* 91. *epist.* 110.

Legiſlator Moyſes *non immerito eſt annumerandus: libri quoq; Apoſtolorum & Evangeliſtarum quos lapides fundamentales vos in fundamento ponitis & diſponitis, cum eosdem libros per donum diſcretionis ſpirituum, ſecundum mentem editorum, auditoribus exponitis. Omni igitur circumſpectione vobis cavendum eſt, ne inter fundamentales lapides, vel pro fundamentalibus, non fundamentales ponantur; ne forte minor non fundamentalium ſoliditas ſuperædificata pariat prius rimoſum & demum ruinoſum. Tempus autem maxime proprium ponendi & diſponendi prædictos lapides in fundamento (eſt enim tempus fundandi, ſicut & tempus ædificandi) hora eſt matutina, quâ ordinariè legitis. Decet igitur veſtras lectiones omnes (maximè tali tempore legendas) eſſe de libris novi teſtamenti, vel veteris: ne ſi ſecus fiat, inter fundamentales, vel pro fundamentalibus lapidibus, non tales ponantur. Tempus quoque unicuique negotio incongruum contra ſcripturæ doctrinam & rerum naturalium ordinem non tribuatur, ne à Patrum & majorum veſtigiis, & conformitate Regentium* Pariſiis *Theologorum manifeſtè recedatur. Quia igitur totis affectavimus Charitatis viſceribus, quod omnia inter vos honeſte & ſecundum ordinem fiant, ſicut præcepit Apoſtolus, veſtram diſcretionem omni qua poſſumus affectione & devotione rogamus, monemus, & exhortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus omnes lectiones veſtræ ordinariæ horæ Legendi matutina de novo ſint teſtamento, vel veteri, ut ſitis ſimiles patrifamilias, imò potius ipſi patres familias, proferentes de Theſauris veſtris nova & vetera, non alia quædam velut horum media, aut ab hagiographis pluribus ſuperædificata, quorum doctrinæ eſt aliud tempus convenientius accommodandum,* &c.

Atqui ea Theologorum *Pariſienſium* conſuetudo non diu obtinuit, invaleſcentibus apud illos *Joachimi* Cœnobiarchæ deliriis, quæ per Fratres Mendicantes, cum *Pariſienſibus* variis de Articulis diſceptantes, invaluerunt. Ineptiis hiſce nomen Evangelii æterni prætexebant, quas haud pauci poſt paulo amplexabantur, quamvis *Pariſienſium* ſaniorum pietate ad cloacas damnatæ, gravique cenſurâ notatæ eſſent.

CIↃCCXLI.

Vixdum ſe ad diſciplinas de integro dediſſent Scholares, cum inter illos & cives Novæ contentiones [a] emergerent; de Hoſpitiis Aularumq; pretiis, an de ignominiis illatis, incertum. Cæterum eo demum ventum eſt, ut clerici perplures, *ab illâ Civitate uſq; ad* Cantabrigiam *Manſionem tranſtulerint, ubi quaſdam libertates à Rege contra Burgenſes Scholares ſunt adepti, & inde chartam Regis obtinuerunt.* Hæc apud *Math. Paris*, qualis à *Math. Cantuarienſi*, ac deinde à *Gulielmo Watſio* typis mandatus eſt, habentur; quæ tamen fidem haudquaquam videntur mereri, cùm Authoris illius exemplar alterum manuſcriptum in Bibliothecâ S. *Jacobi* conſuluerim, & ne verbum de Scholaribus *Cantabrigiam* tranſmigrantibus deprehenderim.

CIↃCCXLII.

Sub hæc, Rex iter in *Vaſconiam* deſtinans, tutandam interea Academiam ratus, *Gualtero* Archiepiſcopo *Eboracenſi*, *Gul.* de *Cantelupo*, & *Gul.* de *Eboraco* poteſtatem, datis ad eoſdem [b] literis, fecit, querimonias Clericorum accipiendi, & quod ex uſu maxime Univerſitatis eſſet, ſtatuendi. Archiepiſcopus autem ille, *Gualterus* de *Grey* dictus, huic ante alios negotio accommodus videbatur, quod *Oxonii* enutritus, rerum noſtrarum peritiſſimus haberetur; qui tantâ hinc adverſum Academiam charitate apparuit, ut inter Benefactores relatus, commemorationem ſui factam quotannis nactus fuerit; quam rem in libro [c] Bedellorum traditam his verbis reperio; ut *miſſa pro anima* Walteri *de* Gray, *& pro animabus benefactorum Univerſitatis*, &c. *die præcedente feſtum* S. Martini *cum Placebo & Dirige, in die* S. Martini *cum Diacono & ſubdiacono, quibus exequiis & miſſis tenentur omnes Regentes intereſſe integraliter, hoc eſt à principio ad finem, & hoc per fidem; & ad iſtam miſſam tenenter Regentes offerre de pecunia Univerſitatis, & ſacerdos celebrans miſſam, percipiat pro ſuo Labore iii. den. & quilibet Bedellus unum denarium, & quilibet Magiſter Bedellus pro ſuo famulo i. den. & Clericus pro pulſatione ignitegii vi. den.*

CIↃCCXLIII.

Per hæc tempora *Alanus Baſſet*, ducentas Academiæ marcas teſtamento reliquit, ſuſtentandis duobus Capellanis legatas; quas ſibi à mandatorum curatoribus traditas, in uſum Academiæ collocare ſtudebant Prior & Conventus de **Burcheſter**, ſeu **Biſſeſter** in Com. *Oxonienſi*, & [d] coemerunt tandem tres carucatas terræ arabilis, ad **Arnecote**, cum nemore dictæ villæ, à prioratu ſuo haud longe diſſito; unde duabus quotannis penſitationibus, octo ſe Marcas, ſacellanis ſeu Scholaribus binis reddituros adſtringebant, qui nimirum in Academiâ *Oxonienſi* agerent (*aut alibi* [e] *ubi ſtudium fuerit Univerſitatis in* Angliâ) quique pro animâ dicti *Alani* conjugiſque ſuæ, preces ad Deum effunderent, adhibitis die quolibet feſto, peculiari *Placebo* & *dirige*, in eam rem poſtmodo excogitandis.

Hoc præterea tempore, coortâ [f] inter Regem & *Gul.* de *Ralegh* Epiſcopum *Nordovicenſem* de ejuſdem ad Epiſcopatum *Wintonienſem* electionem lite acerrimâ, Rex ea de re ad Academias *Oxonienſem* & *Pariſienſem* retulit, Juriſtarum utpote ſententias intelligere geſtiens. Cum *Oxonienſes* ergo ad partes Regias venirent, Epiſcopus, qui à Pontifice electionem illam per fraudem fuiſſet adeptus, in Scholis paſſim noſtris (quamvis & ipſe ex iiſdem prodierat) proſcinditur [g] & exagitatur, de more nobis jam olim uſitatiſſimo. Verum de his, nequid Lectores deſiderent, en ipſa Regiæ Majeſtatis verba, è literarum patentium Rotulâ, quam in margine citamus, deſumpta.

Rex Cuſtodibus Epiſcopatus Wynton *ſalutem. Licet contra* Willielmum *de* Ralegh *Epiſcopum appellaverimus in hunc modum, Dicit Dominus Rex,* &c. *ut patet ex alia parte rotuli in appellatione facta contra eundem Epiſcopum; & poſt appellationem, quam de Conſilio diverſorum Juriſperitorum regni noſtri, quos tunc habere potuimus, fecimus, Magiſtros* Oxon *in jure regentes, & alios viros religioſos & juriſperitos conſuluerimus, & per omnes dicta appellatio fuerit approbata; dictus tamen Epiſcopus parvipendens & ſpernens, ſupradictum Epiſcopatum ſicut intelleximus intravit, ordineſque celebravit ibidem, ſententiaſque diverſas*

[a] *M.* Parys *ſub an.* 1240. [b] *Pat.* 26. Hen. III. *M.* 5. [c] *MS. in Turri Scholarum p.* 23. [d] *Reg.* Hug. wellis *Epiſc.* Lyncoln. *fol.* 71. [e] *Hoc fuit propter metum tranſlationis ſtudii* Oxon. [f] *Pat.* 28. Hen III. *M.* 10 & 11. [g] Mat. Parys. *ſub an.* 1243.

excommu-

excommunicationis & ſuſpenſionis protulit.....
.....Majorem & Ballivos noſtros Wynton *excommunicavit, contra privilegia noſtra prohibentia, ne quis tales Sententias proferat, niſi authoritate reſcripti Apoſtolici ſpecialem facientes de dicto noſtro privilegio mentionem, ac Civitatem* Wynton *interdixit; quæ omnia licet de facto tantum teneant, tamen utcunque famam noſtram ſuggillant, nec ipſa de cætero poſſumus conniventibus oculis præterire: ideoque vobis præcipiendo mandamus, quatenus Convocatis Abbate de* Hyda *Priore Fratrum Prædicatorum, cum duobus vel tribus de Fratribus, & Guardiano Fratrum Minorum cum totidem, & aliis viris religioſis honeſtis & fide dignis, ad dictum Epiſcopum accedatis, & ſupradicta omnia de verbo ad verbum legi faciatis iterum ex eiſdem cauſis & ſupradicto modo nomine noſtro appellantes, & ſupplicantes poſtea ſibi ex parte noſtra offeratis nos paratos in continenti mittere* Parys *ad omnes Magiſtros in jure ibidem Regentes, & alios juriſperitos, quot ibidem poterint reperiri, & ſi audita dicta appellatione & plene intellecta, ipſam dicant tanquam inanem & frivolam non fuiſſe admittendam, nec fore, nuntios & procuratores noſtros, quos jam ad Curiam Romanam pro proſecutione dictæ appellationis miſimus, & alios qui jam ſunt in procinctu itineris ſui revocabimus, & in aliis omnibus erga ipſum Epiſcopum nos habebimus, ſecundum quod decuerit, & ſicut prædicti Magiſtri juriſperiti dixerint, faciemus. Quod ſi dictam appellationem tanquam rationabilem ſeu probabilem admittendam fuiſſe & fore dixerint, idem Epiſcopus Epiſcopatu exeat, & Clerici quos ordinavit ſuſpenſi permaneant, & quicquid poſt & contra appellationem prædictam factum eſt, ſicut hoc totum de jure fuerit, ni irritum revocetur, ita quod hæc omnia & offenſas & injurias contra nos temere attemptatas corrigat & emendat, juxta dictum Conſilium Magiſtrorum: quod ſi hoc totum renuerit, ſciat pro certo quod nos contra ipſum & ſuos taliter procedemus, quod pœnâ docente ſentiat ſe erraſſe. His autem omnibus lectis coram ipſo poſt ſigillum noſtrum his præſentibus literis faciatis apponi ſigilla præſentium teſtificantium lectionem & oblationem prædictas, & reſponſum Epiſcopi ſupradictis, apponentes diem & annum quibus nomine & de mandato noſtro hæc omnia legeritis & obtuleritis, & poſtmodum hæc univerſo Clero & populo* Wynton *publicetis & tranſcriptum retinentes nobis incontinenter facta publicatione præſentes literas tranſmittatis ſupra dicta; & ſicut intelligimus quod licet appellatio per Magiſtros* Pariſienſes *approbaretur, nihilominus tamen poſtea appellationem noſtram proſequentes ſuper præmiſſis, voluntatem & judicium ſummi Pontificis audiemus & ſecundum quod judicaverit per omnia faciemus, &c. Teſte Rege apud* **Wyndſore** *primo Januarii.*

In alio reſcripto alibi in eadem Turri *Londinenſi* dicitur, quod ad pleniorem refutationem Epiſcopi *Wynton*, Dominus Rex obtulit cognitionem illius cauſæ Magiſtris *Pariſienſis* Civitatis.

Sic in Reſcriptis regiis. Quin his, & inſequentibus maxime annis, nil nobis familiarius erat, quam magnorum virorum, turpe aliquid patrantium, exiſtimationem publicè elevare & traducere; quod nobiſcum commodiſſime fieri creditum, ſiquidem à multarum Gentium hominibus conſtabat Univerſitas, quibus in promptu erat famam, ſive bona, ſive mala ea fuerit, late ſpargere & diſſeminare. Hujus vero rei exempla non deſunt; nam paucis abhinc annis *Ethelmerus* Epiſcopus *Wintonienſis* maculâ inter Academicos apertâ notatus eſt, inurente *Bonifacio* Archiep. *Cantuarienſi*; velut in anno CIↃCCLII. fuſius oſtendam. *Joh.* etiam *Suttonus* Cœnobiarcha *Abendonenſis*, ſub *Edoardo II.* cùm cœnobium fundis haud paucis & reditibus fraudaſſet, & à Monachis ſuis tum horum, tum aliorum flagitiorum apud Epiſcopum *Sarisburienſem*, viſitationem ſolenniter obeuntem, poſtulatus fuiſſet, publicam ignominæ notam *apud bonos & graves, tam in villâ de* **Abendon**, *& locis omnibus circumvicinis, quam in Univerſitate* Oxon. [a] reportavit.

CIↃCCXLIV.

Emerſere ſub anni hujus initium inter Scholares & Judæos (neſcio an de uſuris) graviſſimæ contentiones; de quibus [b] ſcriptores, quos in margine habes, retulere, quod, *Die Purificationis* S. Mariæ *facta eſt Roberia* (intelligit furtum) *in Judaiſmo* Oxon, *propter quod miſſi fuerunt in carcerem xlv. Clerici, verum tamen ad inſtantiam S.* Roberti Lincoln. *Epiſcopi juſſu Regis fuerunt liberati, eo quod nullus impeteret eos de pace Regis fracta, vel alio crimine.* Concurrunt in hæc Authorum haud paucorum ſententiæ. Ab aliis vero traditum eſt, quod cum *Groſteſtus* Epiſcopus male mulctatos Scholares in clientelam ſuam accepiſſet, ut tractarentur ab eo ſecundum ſanctiones canonicas, oneriſque illius pertæſum eſſet; à Rege demum impetravit, ut ſcripto [c] ſuo ad Vicecomitem dato XV. *Aprilis* an. CIↃCCXLIV. tradi illos juberet Abbati *Oſneienſi*, Priori S. *Frideſwydæ*, & *Gualtero* Archidiac. *Oxonienſi*, qui id negotii adminiſtrandum ſuſciperent. Cæterum injuria vexatos fuiſſe Academicos exinde conjecerim, quoniam ſi res aliter habuiſſet, tam grande privilegium quale eſt cognitio placitorum, indulturus nobis poſt paulo haudquaquam fuiſſet *Henricus*; quod feciſſe eum ex Rotulo [d] clauſo in Turri *Londinenſi* cognoſcas.

Henricus *Dei gratia Rex* Angliæ *Dominus* Hyberniæ, &c. *Noveritis nos pro quiete ſtudentium Univerſitatis* Oxon, *de ſpeciali gratia noſtra conceſſiſſe Cancellario & Univerſitati prædictæ, quod quamdiu nobis placuerit, in cauſis clericorum ex mutuis datis aut receptis, aut taxationibus ſeu locationibus domorum, aut equis conductis, venditis ſeu commodatis, ſeu pannis & victualibus ortum habentibus, ſeu aliis quibuſlibet rerum mobilium contractibus, in municipio aut ſuburbio* Oxon *factis, noſtra prohibitio non currat. Sed hujuſmodi coram Cancellario Univerſitatis* Oxon, [e] *non obſtante prohibitione noſtra decidantur. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud* **Radyng** *x. Maii anno Reg. noſtri xxviii.*

Sic illa ſe habet ponderis haud exigui Charta, utpote quæ juriſdictionis noſtræ Academicæ, Bullæque Pontificiæ, à *Bonifacio VIII.* paucis abinde annis conceſſæ, fundamentum & baſis exiſtimatur; tametſi ad cognitionem Placitorum quod attinet, quic-

[a] *Rot. Chron.* Abendon *MS.* [b] *Hiſt. vel Chron.* Abendon. *ut ſupra ſub an.* 1238. *Continuator Chronicæ* Bedæ *MS. fol.* 358. *b.* &c. [c] *Clauſ.* 28. Hen. III. *m.* 11. *&* 12. [d] *Cl.* 28. Hen. III. *m.* 6. *A. fol.* 53. *a. B.* 17. *b. C.* 79. *a.* &c. [e] Non obſtante prohibitione Regis: *quia ſcil. Rex prohibet ne ſecularis Judex cognoſcat de rebus ſpiritualibus, aut ſpiritualibus annexis, ſimiliter ne Judex Eccleſiaſticus cognoſcat de rebus quæ ſunt de feodo laico, & de rebus mere civilibus* &c. *quia nitimur in vetitum* &c. *Nam de jure communi, actor debet ſequi forum rei. Sed hic contra eſt.*

quid opinentur alii, nullus dubito quin ad nos ante hæc tempora ſpectârit. Neque eâ quidem in re argumentis aut nullis aut levibus nitor, quorum de numero erit pars [a] Epiſtolæ ad D. *Henricum Deane* Archiep. *Cantuarienſem*, quâ ut Academicos ſuos juvaret in conſervatione juriſdictionis Cancellarii *Oxon.* mater noſtra ſic rem enarrat.---*Decreverunt, immo* [b] *ab æternis ſeculis ſanxerunt metuendiſſimi Principes, noſtræ Univerſitatis Cancellarium, ſuo in* Oxonienſi *foro judiciali, lites & cauſas quaſcunque, eorundemque deciſiones & examina æquâ lance librare debere*, &c. Huc etiam facit Syngrapha Univerſitatis cum Prioratu *Frideſwydenſi* facta III°. Regis *Johannis*, cujus ætate privilegio nos illo uſos fuiſſe aliunde probari poſſit, veluti nominatim è Formulâ *Nicholai Tuſculani* jam ante dicti. Denique ſuffragatur mihi Scriptum [c] *Henrici III.* an. Regni XLV. datum, quo per juratos diſquiri mandavit, *utrum Cancellarius* Oxon *ſolebat habere cognitionem de Contractibus inter Scholares & Judæos temporibus retroactis*; retulerunt autem jurati, eâ illum poteſtate antiquitus potitum, idque *nullo modo fuiſſe ad damnum Domini Regis*; qua formula noſtrates non aliter utuntur, niſi cum de priſco & pleno jure ipſis abunde conſtiterit. Quod ſi cognitio Cancellarii de Contractibus inter Scholares & Judæos antiquitus obtinuerit, annon audacter aſſeverârim, cognitionem de Contractibus inter Scholares & Oppidanos longe vetuſtiſſimam fuiſſe? Certe, poſt privilegium illud Univerſitati indultum, videtur Rex ad pactionem quandam cum Academiâ deſcendiſſe, cujus ad eundem reſponſio, in aliâ [d] Chartâ datâ V. Id. ejuſdem menſis *Maii* ſic habet; nimirum *quod privilegia ſua Cancellario indulta de cognitione omnium placitorum in cauſis Clericorum, ex contractibus rerum mobilium factis, non obſtante prohibitione Regis, non cedant in ſuum aut hæredum ſuorum* [e] *præjudicium.* Jure autem iſto longo poſt donatos reperio *Cantabrigienſes*, de quo tandem illi XXXIII. *Edoardi I.* Dom. CIↃCCCV. regni Ordinibus [f] ſupplicârunt, non niſi interpoſitâ morâ idem conſecuti; charta autem in hæc verba concipitur. Sicut *habet Univerſitas* Oxonienſis, *ita habeant*, &c. Quin Literarum [g] Regiarum, dicto anno *Cantabrigienſibus* conceſſarum, partem aliquam apponere non pigebit. *Sciatis quod de gratia noſtra ſpeciali conceſſimus Scholaribus Univerſitatis* Cantebrig. *quod de omnibus actionibus perſonalibus poſſunt convenire Burgenſes & alios Laicos municipii noſtri* Canteb. *coram Cancellario ejuſdem Univerſitatis, & quod per prohibitionem noſtram ſuper hoc nequaquam impediuntur. In cujus rei* &c. *pro noſtræ libito voluntatis durantes. Teſte Rege apud* Weſtmonaſt. *xii. Martii per petitionem de conſilio, & per idem conſilium congregatum.*

CIↃCCXLVI.

Florebant per hæc tempora eruditi complures *Oxonienſes*, ſub Patrocinio præſertim *Roberti Groſteſt*, qui cum viris aliis literatis, eique conjunctiſſimis, penſiones non tantum frequentes Academicis noſtris erogavit, ſed & diſciplinam Scholaſticam reſtituit; maxime vero morem legendi *Pariſienſem* (ut antea ſub an. CIↃCCXL) ipſis commendabat; quæ tamen inſtituta cum plerique deſererent, nec examen ſubeuntes ad Magiſtri Gradum in aliquâ facultate aſpirarent, eoſdem *Groſteſtus* literis ad *Innocentium IV.* (qui erga ipſum bene adhuc animatus perſtitit) conſcriptis criminatus eſt. Is autem [h] Bullâ confeſtim Papali poteſtatem *Groſteſto* (cujus utique in Diœceſi *Oxonium* erat) eâ de re detulit; juſſitque ut operam daret, nequis in quacunque facultate aliter quam ſecundum morem *Pariſienſem* prælegeret; de quo penes ipſum Epiſcopum eſſet dijudicare, aut quicunque ejus vices gereret. En vero tibi ipſum Diploma.

Innocentius *Epiſcopus Servorum Dei venerabili Fratri Epiſcopo* Lincoln. *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ſicut te accepimus intimante, apud* Oxon *tuæ Dioceſ. ubi ſtudium vigere dignoſcitur, nonnulli paſſim abſque examinatione Cathedram præſumunt aſcendere magiſtralem, ex quo periculum imminet, & ſcandalum etium generatur. Nos tuis ſupplicationibus inclinati, præſentium tibi auctoritate concedimus, ut nullum ibi docere in aliqua facultate permittas, niſi qui ſecundum morem* Pariſienſem, *à te, vel his quibus in hac parte tuas* [i] *vices commiſeris, examinatus fuerit, & etiam approbatus; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Dat.* Lugduni XIII. *Cal. Junii, Pontificatus noſtri an.* III.

CIↃCCXLVIII.

Hoc anno turbatum *Oxonii* reperio de Nobili quodam Scholari, die *Philippi & Jacobi*, à Burgenſibus trucidato; rem geſtam, è literis [k] *Groſteſti*, datis ad Officialem ſuum *Rob.* de *Mariſco*, Archidiaconum ſub hæc *Oxonienſem*, habebis.

R. *Dei Gratiâ* Lincoln. *Epiſcopus, dilecto in Chriſto filio Magiſtro* R. *de* Mariſco *Canonico* Lincoln. *officiario ſuo ſalutem, gratiam, & benedictionem. Scripſerunt nobis dilectus in Chriſto filius Cancellarius, & Univerſitas* Oxon, *quod die Apoſtolorum* Philippi & Jacobi *quidam de Burgenſibus* Oxon *cuidam Scholari nobili, & bonæ converſationis tranſeunti ſerò per Eccleſiam S.* Martini Oxon *obviantes ſine cauſa, vel commiſſo, ſicut dicitur, plagas horribiles & mortales intulerunt, qui cum niteretur evadere, carnifices & quidam alii cum fruſtis carnium, & inteſtinis, ac ſuis ſpurcitiis eundem foedaverunt, & alii contumeliis ipſum affectum lapidibus obruerunt, ita quod in oſtium Eccleſiæ* Omnium Sanctorum *ſemianimis cecidit, & in domum ſuam pendulis brachiis, bajulatus die tertia ſummo mane miſerabiliter expiravit. Ballivi quoque villæ prædictæ*

[a] *In F. fol.* 187. *b. epiſt.* 517. [b] Ab æternis ſeculis, *i. e. ab ipſa prima Academiæ origine, quam quia propter ſummam illius antiquitatem ignorabant, ideo eam ad æternitatem revocant. In epiſtola etiam ad* Humphredum Glouceſt. *Ducem in F. fol.* 40. *b. dat. in domo congregationis* 3. *die Martii circa an.* 1435. *de quodam legiſta per Cancel.* Oxon. *bannito, & ad Regem appellante, hæc ſunt*--quod nunquam ab ævo fuerat viſum aut auditum ſaltem in caſibus perturbationis pacis, contumaciæ aut rebellionis, &c. *In FF. porro Epiſt.* 2ª *ad Cancell.* Guliel. Wharhamum *Archiep.* Cantuar. *Sic* --- iis enim libertatibus privilegiiſque quibus, ab æternis fermè ſeculis gaudebat; tuam Univerſitatem privandam accipimus &c. *ſcript. an.* 1508. *aut eo circiter.* [c] *Cl.* 45. Hen. III *m.* 14 *A.* 53. *b.* &c. [d] *Pat.* 28. H. III. *m.* 6. [e] Oxonienſes *fidem ſuam hac in re liberaſſe indicium eſt, quia ſi hæc placitorum cognitio in præjudicium coronæ Regis tetendiſſet, nunquam hujuſmodi privilegium* Angliæ *Reges poſtea* Cantabrigiæ *conceſſiſſent.* [f] *Lib. petitionem in Parliamento an.* 33. Ed. I. *inchoat. apud* Weſtmonaſt. *die dominica proxima poſt feſt. S.* Math. *Apoſt. fol.* 103. *Interim quanta hic mutatio: qui enim antea habuerunt jura regalia (ita enim ex charta Arthuri Regis intelligo) jam petunt ut habeant cognitionem cauſarum inter Scholares & Laicos.* [g] *Pat.* 33. Ed. I. *part.* 1. *m.* 16. [h] *In lib. vel Reg.* Hug. Wellis *vel* Wallis *Epiſc.* Lincoln. *Bulla* 15. [i] *Atqui Epiſcopus vices ſuas in hac parte Cancellario* Oxon. *committere ſolebat.* [k] *In Reg.* Jo. Dalderbey *Ep.* Linc. *fol.* 275. *per modum inſpex.*

remedium

remedium in hac parte non adhibentes dictos occisores per vicos incedere publicè, sicut dicitur more solito colloquentes eisdem permiserunt, quousque dictus clericus expirasset, adhuc eosdem nocentes ad Ecclesiam B. Martini, *ubi salvò tutéque residents, cum armis conduxerunt; propter quæ Universitas prædicta taliter est commota, quod ab omnibus Lectoribus tam ordinariis quam extraordinariis cessantes juraverunt, quod ni competens in hac parte vindicta sumatur, cum sæpius consimile contigerit, nec hucusque vindicatum fuerit, omnino à studio* Oxon *recedent, nec permittunt corpus dicti clerici sepulturæ tradi, sed ad hujusmodi facti memoriam corpus inhumatum reservant, quousque à Domino Rege, & à nobis responsum optatum receperint. Et quòd nec de veritate hujusmodi facti nobis prius legitime constaret in personam alicujus, aut Comitatum, certam non possemus condemnationis alicujus ferre sententiam, vobis mandamus, quatenus sine quolibet moræ dispendio ad villam* Oxon *personaliter accedentes summam excommunicationis in genere in omnibus, & singulis Ecclesiis ejusdem villæ candelis accensis & pulsatis campanis solemniter & publicè promulgari faciatis in omnes illos, qui pacem Ecclesiæ, & Universitatis prædictæ perturbantes in dictum clericum manus violentas injecerunt, & ictus & plagas mortales eidem intulerunt, ac opem, consilium, favorem, aut consensum tam enormis facti perpetrationi impenderunt. Postmodum verò assumptis vobiscum viris discretis, ac Deum timentibus, vocatis vocandis per viros fide dignos, idoneos & juratos, diligentem & exactissimam faciatis super præmissis inquisitionem, qua quidem solemniter publicata, & compositione inter Universitatem & Burgenses per bonæ memoriæ* Dominum N. Tusculanens. *Episcopum Apostolicæ sedis legatum dudum facta, quæ residet apud* Osneium *diligenter inspecta, quos secundum dictam inquisitionem dicti facinoris reos inveneritis, una cum fautoribus & auctoribus eorum, vice & authoritate nostra, habito virorum sapientum Consilio, animadversione Canonica taliter puniatis, quod tam processus vester in hac parte, quam vestra demum de eadem sententia definitiva Canonicis undique fulciatur institutis, vosque propter hoc tam à Deo quam ab hominibus merito possitis & debeatis propensius in Domino commendari. Datum apud parcum* Stowe *viii. Id Maii, pontificii nostri an. xiii:*

Qualem ea res eventum sortita est haud scio: atqui de Oenopolâ quodam sceleris illius participe, fertur, Regio ad Vicecomitem [a] mandato bonis omnibus spoliatum fuisse, nec non mulctatum maximâ vini sui parte, tribus doliis inter Fratres Minores, Magistrum Hospitalis S. *Johannis* extra portam Orientalem, & *Matildam* Uxorem *Galfridi* de *Langele*, distributis.

Hæc ego inserenda censui, quo pateret præfracta Scholarium in se invicem ulciscendis constantia; quæ sane tanta currentibus hinc seculis erat, ut injuriis affecti, nisi lege protinus ageretur, *Oxonio* se in aternum valedicturos minitarentur. Eâ autem in re specimina præcipua ediderunt cum *Rob.* de *Wells*, Hundredæ extra portam borealem Ballivo, & pervicaci ibidem immunitatum Academicarum ereptore litigantes: palam enim, interposito etiam juramento, denuntiabant, depositis libris, Scholas illico claudendas, & exercitiis omnibus supersedendum iri, nisi infensissimus ille gentis togatæ hostis, pro eo ac meritus esset, plecteretur: quod aliquâ demum ex parte, quamvis non ex animi sui sententiâ assecuti sunt. Mensis quo facta est præfata cædes die vigesimo nono, Rex *Wodstochiæ* agens immunitates varias in Universitatem effudit, quas diserta ipsius [b] Chartæ verba tibi melius exhibebunt.

Anno regni Regis Henrici *filii Regis* Johannis xxxii. *vicesimo nono die Maii, præsentibus apud* Wodestoke *tam Procuratoribus Scholarium Universitatis, quam Burgensibus* Oxon, *idem D. Rex concessit eisdem Scholaribus libertates subscriptas, viz. quod si inferatur injuria prædictis Scholaribus, fiat inde inquisitio tam per villatas vicinas quam per Burgenses prædictos. Et quod si ipsi Burgenses interficient aliquem de Scholaribus* Oxon, *vel in aliquem ipsorum insultum faciant, vel alicui ipsorum gravem injuriam inferant, communitas ejusdem villæ per se puniatur, & amercietur: & Ballivi per se, & non cum communitate eadem puniantur & amercientur. Si negligentes fuerint, & vel dolum fecerint in exequendo officium suum, contra illos qui hujusmodi injurias prædictis Scholaribus inferunt. Et quod Judæi* Oxon *non recipient à Scholaribus prædictis pro libra in septimana nisi duos denarios, & similiter fiat in minori summa secundum suam quantitatem, alioquin prædicti Judæi puniantur secundum constitutionem Regni. Et quod quotiescunque & quandocunque Major & Ballivi* Oxon *sacramentum fidelitatis suæ præstabunt, in loco suo communi, communitas ejusdem villæ denunciet Cancellario, ut per se & per aliquas Ecclesiasticas personas præstationi juramenti prædicti si voluerit interfit, quod quidem juramentum tale erit quoad Scholares prædictos, viz. Quod ipsi Major & Ballivi conservabunt libertates & consuetudines Universitatis prædictæ, alioquin non valeat juramentum ipsorum, sed iterum præstetur secundum formam præscriptam. Si vero Cancellarius nec per se nec per Procuratorem interesse voluerit, ad juramentum nihilominus procedatur. Et quod duo Aldermanni sint electi & deputati de illis qui pro tempore fuerint, secundum quod ordinati erant à Domino* W. de Eboraco *ad exhibendam justitiam cum Præpositi abfuerint; sub eadem pœna qua Præpositi tenentur, si negligentes vel malitiosi inveniantur. Et quod quilibet Burgensis* Oxon *pro familia sua respondeat, ita quod si aliquis de familia sua mortem vel gravem injuriam alicui Clerico vel suis inferat, malefactorem exhibeat idem Burgensis, ut fiat de eo justitia, alioquin infligatur pœna secundum consuetudinem regni. Et quod quotiescunque debeat fieri tentatio panis & Cervisiæ ab eisdem Burgensibus, præcedente die denuncietur Cancellario & Procuratoribus Universitatis prædictæ, ut per se vel per aliquos ad hoc deputatos per ipsos, si volucrint interfint tentationi prædictæ, Alioquin non valeat ipsa tentatio. Si vero dicti Cancellarius & Procuratores Universitatis per se vel per suos interesse noluerint, ad prædictam tentationem nihilominus procedatur. In quorum omnium testimonium D.* Radulphus *filius* Nicolai *Senescalli D. Regis ad præceptum ejusdem D. Regis huic scripto sigillum suum apposuit, eodem D. Rege per literas suas mandante Vicecomiti, Majori & Ballivis* Oxon, *ut prædictas libertates inviolabiliter observent & faciant observari. Quas etiam idem D. Rex fecit irrotulari anno regni sui* xxxiii°.

Hæc inquam nobis tum indulta sunt Privilegia, præsentibus Scholarium Procuratoribus, cum Burgensium

[a] *Clauss.* 32. Hen. III. *m.* 9. *unde constat bona Felonum ad Regem adhuc pertinuisse.* [b] *In Turri Scholarum in pix. EE. nu.* 2. *sub sigillo. Clauss.* 32. Hen. III. *m.* 9. *& in Rot. chart. per modum inspex.* 52. Hen. III. *m.* 6. *A.* 51. *b. C.* 77. *b.* &c.

genſium plurimis. Rex autem injuriarum, quibus Burgenſes nuper & Judæi Scholares impetiiſſent, frequentiâ motus, ejuſmodi juribus & privilegiis muniendam Univerſitatem duxerat.

CIↃCCL.

Ad Rei literariæ ſtatum quod attinet, liquet corruptelis illum quamplurimis in Metaphyſicâ maxime & Logicâ, depravatum jam fuiſſe. Clareſcebant quidem *Oxoniæ* his temporibus, tum è ſæcularibus tum è Religioſis permulti, qui cùm *Lutetiæ* literas imbibiſſent, quamvis utilia nonnnulla attulerint, detrimenta tamen ex Inſtitutis Gallicis haud levia Scholis noſtris importarunt. Inter illos habetur *Richard. Cornubienſis* [a] Cancellarius ſub hæc tempora *Eboracenſis*, qui (*Groſteſto* licet admodum [b] acceptus) *Rogero Bacono famoſiſſimus apud ſtultam multitudinem, ſed apud ſapientes inſanus* [c] nuncupatur. Fratercu-lorum ille (ut opinor) *Pariſienſium* doctrinam imitatus, in Scholis aperte malè audiebat, *propter errores quos invenerat & promulgaverat*, cum Sententias nimirum ibidem explicaret, quas *Oxoniæ* hoc anno ſimiliter aperiens, Academicorum vulgus uſque adeo coinquinavit, ut non niſi poſt annum inde XL. & multorum in refutandis ejus opinionibus occupatorum labores, intercedente etiam publicâ authoritate, ad ſanam demum mentem redierint. Atqui abductor ille literatorum, errores ſuos non tantum in Metaphyſicam, ſed & in Theologiam invexiſſe credendus eſt, cujus Profeſſor nobiſcum publicus erat, quamque explicando, gloriam (ut Authores [d] retulere) haud modicam in Scholis noſtris adeptus eſt. Mirabitur forte aliquis Academiam pene univerſam in illius dogmata tam pronis animis declinaſſe; ratio autem erat, quoniam invaleſcente legum ſtudio, Artes ingenuæ deſpicatui quodammodo haberentur, velut à *Matthæo Pariſienſi* [e] edocemur. Verba ejus ſic ſe habent, —— *Temporibus ſub eiſdem* (viz. CIↃCCLIV.) *liberales artes in mechanicas pene fuerunt converſæ propter lucrum, & vere poſſit dici de Philoſophia, proſtat & in pretio pro meretrice ſedet; & jam fere omnes Scholares intactis Grammatices rudimentis, authoribus, & Philoſophis, ad leges properant audiendas, quas conſtat non eſſe de numero artium liberalium; artes enim liberales propter ſe appetuntur, leges autem ut ſalaria acquirantur; immo, & ut omnibus liquet Adoleſcentes ætate & ſcientia ſatis ſimplices; ex quo noverint in paucis ſophiſmatibus perſtrepentibus palivis congarrire, Cathedras aſcendunt Magiſtrales, & nomine Magiſtrali uſurpato, tumeant elevati, & facti venerabiliores, ſine fundamento ad Culmina ſcandunt celſiora, & ſalutata legum aut Decretorum Schola, ad Pontificales advolant dignitates, cum melius eſſet & utilius Scholarum prius imbui experientia, & ſic digne aliis adjudicantibus tranſcendere ad præmiſſa, &c.* Jactis itaque tam male Artium & Philoſophiæ fundamentis, & vix uno aut altero penitiorem earundem cognitionem attingente, quis non videt quoſcunque errores introduci nullo negotio in Univerſitatem potuiſſe? Certe tanta nunc omnes Legum cupido inceſſit, ut Pont. Max. *Innocentius IV.* ne id Eccleſiæ tandem damnum inferret præcavens, edicto [f] ſancierit, nequis in *Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Hiſpaniâ, & Hungariâ*, qui Legum Cæſarearum Procurator, ſeu Profeſſor eſſet, ad dignitates Eccleſiaſticas admitteretur; utque dictas nemo Leges in præfato quovis Regno doceret, niſi id Reipublicæ conducere Rex ipſe judicaret. Sed Pontificem profecto ſpes ſua fefellit, cùm enim Leges exoleſcere ſic poſſe confideret, hoc tam minime obtigit, ut eas homines cupidius adhuc amplecterentur.

CIↃCCLI.

Turbatæ jam erant res Univerſitatis utriuſq; (*Pariſienſis* vero potiſſimum,) dum Fratres Prædicatores lites continuo moverent, de ſtatutis præcipue per hæc tempora excogitatis, quæ tanquam duriora, & in præjudicium ſuum lata, criminabantur. De *Lutetiâ* impræſentiarum dicere [g] ſuperſedebo, Academiæ noſtræ lites commemoraturus; quæ è Conſtitutione illâ exordium duxere, quâ decretum [h] eſt, (ad ſacræ paginæ & divini cultûs augmentum) licitum nemini ut foret in Theologiâ incipere, niſi in Artibus prius, aut nobiſcum, aut in aliâ quavis Univerſitate rexiſſet; *ut viros* utique *perfectiores* (ſic habet ratio in allegatâ rotulâ aſſignata) *& undique vallatos, tanquam fructiferos in domo Domini Palmites produceret, & ne per preces & præcepta potentum, ſicut olim fieri ſolebat, minus ſufficientes & indigni ad Doctoratus Gradum in Theologiâ aſcenderent*; quibus poſt pauca ſubnectuntur, *attendens etiam quod abſque perfectâ Philoſophiæ ſcientiâ, ad tanti Doctoratus ſtatum nullus ſufficiens reputatur.* Id autem Fratres quos prædixi tam ſollicitos habuit, ut appellationibus & querimoniis de abrogando ſtatuto illo ſategerint; & moleſtias nobis porro aſperrimas crearint, Theologiam in Academia non minus noſtro quam *Pariſienſi*, novis opinionibus adulterantes; & Univerſitatis ſe ditioni, quoad exercitia, ſubtrahentes. His inquam rationibus literarum noſtrarum pacem progreſſumque haud mediocriter perturbarunt, quanquam lites illæ de exercitiis ante annum CIↃCCCXI. haud admodum incaleſcebant, tum enim (ut ſuo loco dicetur) rebus miſcendis toti incubuere Prædicatores.

Hoc etiam (ni fallor) anno Rex & Regina *Oxonium* accedebant, in feriâ ſecunda poſt purificationem B. *Virginis*, *ubi occaſione duorum Clericorum pro ſuis delictis incarceratorum*, (loquor ex [i] epiſtola circa hoc tempus ad D. *Robertum Groſteſt* per *Adamum* de *Mariſco* miſſâ) *egit Univerſitas Scholarium apud D. Regem ut per Cancellarium pro quocunque exceſſu vel facinore Clerici comprehenſi & requiſiti, liberentur de carcere regio, & reddantur Cancellario; quod D. Rex conceſſit eis fieri, in delictis illis in quibus Cancellarius vicem gerens Epiſcopi poteſt exhibere juſtitiam condignas pœnas infligendo: in atrocibus autem criminibus in quibus requiritur aut depoſitio aut degradatio, nullatenus conceſſit ut reddantur incarcerati clerici niſi Epiſcopo, vel ejus Officiali, vel Vicario ad hoc Conſtituto, propter quod adhuc in confectione præſentium magna fuit contentionis ſeditio inter juniores & ſenioniores Univerſitatis: illis nequaquam acceptantibus,*

[a] *Lib. vel* Reg. *Cœnobii* Kirkſtall, *fol.* 79. *b.* [b] *Ut in Epiſtolis ſuis MS. Epiſt.* 41. &c. [c] *In compendio Theologiæ, MS. lib.* 2. *& in cap.* 4. *quod hunc titulum gerit*, Capitulum quartum primæ diſtinctionis, duo principia Logicæ & Metaphyſicæ exponit, ſcil. quod vox non poteſt ſignificare aliquid commune enti & non enti, & vox impoſita poſſet cadere à ſua ſignificatione. [d] Leland. *Tom.* 4. *p.* 23. Pits. *in append. cent.* 3. [e] *In Hiſt. ſub an.* 1254. [f] *Ibid. & in Additamentis p.* 883. *in editione* Watſiana. [g] *Vide tamen in Annalibus Minorum per* Lucam Wadding *edit.* 1628. *Tom.* 2. & Math. Parys *ſub an.* 1253. [h] *Ut in Epiſtolis* Adami *de* Mariſco *MS. & in quodam Rot. pergam. de proceſſu inter Univerſ.* Oxon. *& Fratres Prædicatores MS.* [i] *In Epiſt.* Ad. *de* Mariſco *ut ſupra.*

iſtis

*istis vero multum approbantibus in hac parte dictam formam regiæ concessionis. Liberavit D. Rex præfatos Clericos duos incarceratos ad petitionem Scholarium absolutè, & tamen cum jam cessassent * Magistri à lectionibus per multos dies, adhuc lectiones non resumpserunt. Feria quinta post purificationem licet promitteret eis D. Rex quod haberet Colloquium cum Prælatis & proceribus suis super dicta petitione Scholarium, & quod de eorum consilio aut secundum formam petitam aut secundum aliam competentem eis provideret, quoad fieri posset, inoffensa justitia regni & Ecclesiæ, quod super his futurum est in brevi postmodum scietur &c.*

Et voti quidem compotes hoc in negotio ad extremum facti sunt Academici; nam Clerici duo, *Gul.* & *Henricus* de *Stamford* (qui quod hominem vulnerassent, in carcerem, à Vicecomite fuissent [a] conjecti) XXV°. *Aprilis* sequentis regio jussu Cancellario redduntur, *ad standum recto secundum consuetudinem Universitatis*, nisi de vitâ sauciati metuendum contigerit.

Eodem anno, pauciſq; ante Regis adventum mensibus, dissidia inter Clericos & Burgenses, de pendendo [b] Muragio, emersere; dum primo nempe dicti tributum illud, quod à Tenementis quibusdam suis redire debebat, solvere Prætori & Ballivis recusabant. Verum id ubi Regi innotuit, mandato [c] suo ad [d] Cancellarium transmisso, præcepit, ut id tributi colligendum protinus, *secundum consuetudinem villæ*, & Majori ac Ballivis tradendum curaret, *ne pro defectu suo, collectio muragii* (loquor ex ipsâ Chartâ) *retardetur.*

CIↃCCLII.

Cum exortæ sæpissime inter Scholares *Hibernos* & *Anglo-boreales* contentiones in hunc usque annum perdurassent, redacti [e] denique in gratiam sunt utriusq; Gentis incolæ, habitâ super eâ re, ad B. *Mariam*, Congregatione plena. Quo finirentur autem in perpetuum discordiæ, & amicitia haud unquam turbanda resarciretur, statutum est, quod XII. utrinque viri deligerentur, qui & componendæ pacis & conservandæ in posterum curam agerent; conventio ipsa sic se habet.

Ad pacis observationem in futurum sublata causa & fomento discordiæ, primo eligantur ex utraque parte; ex una xxx. vel xl. & totidem ex altera, qui promittant proprium factum, in qua promissione tres articulos promittant pro se, quod non turbabunt Universitatem, quod non fovebunt Malefactores de partibus suis vel alienis, si quos sciverint in secreto, intimabunt Cancellario. Isti sic electi sint Divites, sivè Regentes sivè non Regentes; & scribantur nomina illorum de non faciendo præmissa; subjicientes se districtioni pro voluntate aliquorum judicum. Item si aliquis sit læsus, compareat ipse propositurus querimoniam suam coram Cancellario cum Doctore suo aut Magistro, & cum Advocato si indigeat, & cum suis testibus. Item si Dominus Cancellarius alterutri parti habeatur suspectus, adjiciantur duo ex una parte, & duo ex altera, non suspecti; quos Cancellarius duxerit sibi sociandos, qui satisfacient de injuriis illatis & in posterum faciendis, & hoc in causis tantum violentiæ corporalis; sed aliæ causæ ventilentur coram Cancellario more consueto secundum suam jurisdictionem, &c.

Hæc eorum pactio, obscure licet & fugientibus characteribus, in libris nostris comparet; uti & juramentum, quo electi vel Delegati illi XII. se mutuo obstringebant. Ejus autem hæc forma est.

Ego N. promitto, quod pacem Universitatis per me non perturbabo, nec per alium vel alios qualitercunque perturbari procurabo, nec perturbatorem vel perturbatores aliquem vel aliquos in perturbatione pacis ope vel consilio juvabo; nec impediam per me, vel per alium, quo minus de pacis perturbatore vel perturbatoribus fiat justitia, secundum provisiones Arbitrorum ab Universitate electorum: & si aliquem vel aliquos novcrim de perturbatione pacis probabiliter suspectum vel suspectos, nisi se corrigere voluerit, ipsum vel ipsos Cancellario denuntiabo. Omnia prædicta, me fideliter observaturum promitto, sicut me Deus adjuvet, & Sancta Evangelia.

Hoc autem juramentum præstabant omnes in quacunque facultate incipientes; quod facere porro tenebantur, quandocunque ad Academiam redirent, absentes per hæc tempora Magistri virique Nobiles. Id vero exigendi potestas Procuratoribus deferebatur, qui in hæc verba jurare recusantes Magistrorum & Scholarium consortio privarent. Imo in hæc fere verba per hæc ipsa tempora, de pace conservanda jurant Academici omnes, quot quot ad gradus admittuntur.

Jurati ex parte Borealium tempore Provisionis prædictæ.

Frater *Hugo* de *Misserton.*
Magister *Willielmus* de *Ludel.*
Dominus Archidiaconus *Barkschiriæ.*

Magister
- *Robertus* de *Wynkel.*
- *Hugo* de *Stanford.*
- *Roger.* de *Holderneſſe.*
- *Willielm.* de [f] *Scirwodd.*
- *Roberrus* de *Hedon.*
- *Alanus* de *Seſwans.*
- *Willielm.* de *Lechebrigt.*
- *Roger.* de *Levinigton.*
- *Johan.* de *Onnebi.*
- *Thomas* de *Birlaund.*
- *Johan.* de *Scelton.*

Dominus
- *Thomas* de *Fereres.*
- *Petrus* de *Lasci.*

* *Notandum quod his temporibus & ante, fuerunt variæ cessationes, viz. inter alias, cessatio à lectionibus propter congregatam multitudinem, ut in D. fol. 34. b. Suspensio etiam sive cessatio ab actibus Scholasticis, si* Robertus Wells *Ballivæ suæ Hundreda extra portam borealem restituatur, ut in memorabilibus* R. Hari *fol. 19. b. Et quod sicut per Papale quoddam privilegium cessabant Academici à divinis, ratione interdicti ut aperte colligitur ex Rot. pat. 29. Ed. III. p. 1. m. 6. Ita sine dubio, Papali & simili privilegio nixi, cessabant à lectionibus propter metum. Vide Hist. sub an. 1355. Et quod Magistri* Oxon *cessabant à lectionibus propter suspendium clericorum tempore R.* Iohannis, *constat ex bulla* Nicholai *Tusculani sub ann. 1214. citatâ.* [a] *Clauſ. 36. Hen. III. m. 17.* [b] *Muragium est tributum quoddam Regi tunc temporis solutum pro reparatione murorum Civitatis* Oxon. [c] *Clauſ. 35. Hen. III. m. 7.* [d] *Utpote penes quem solum erat potestas taxandi personas privilegiatas.* [e] *A. fol. 58. b. B. 76. a. & b. C. 56. b. D. 15. b.* [f] *De illo vide sub an. 1272. & in Coll.* Universitatis *in lib. 2.*

Magiſter { *Petrus* de *Clive.*
Gilbert. de *Galwan.*
Hugo de *Redford.*
Eliæ de *Heningbins.*
Roger. Marmion.

Jurati ex parte Hybernenſium, tempore eodem.

Magiſter { *Joh. Hereſordiæ.*
Henricus de *Cardis.*
Philippus de *Stragoyle.*

Henricus Favyn.
Nicholaus Camerarius.
Robertus Prendegaſt.
Robertus Hakeford.
Leo filius *Leonis.*
Johan. de *Ledwicke.*
Thomas Anglicus.
Richardus [a] *Cornubienſis.*
Gulielmus de *Chelatmaym.*
Robertus de *Bernyngham.*
Magiſter *Patricius.*
Johan. de *Barry.*
Michael Jordyn.
Gulielmus le *Poer.*
Stephanus de *Bampton.*
Nicholaus de *Rupe.*
Rogerus de *Hurton.*
Gulielmus de *Offelan.*
Rogerus de *Croft.*
Gulielm. de *Solers.*
Walterus Colle.
Thomas de la *March.*
Richard. de *Blaunchville.*
Gulielm. Telafynan vel *Telafynyan.*

Diſſenſionum illarum origo, nullibi, quod ſciam, ſcriptis mandata eſt; à Feſtorum nationalium commemoratione annuâ deducendam auguror, quam cùm utraque Gens ſibi vendicaret (id vero fieri potuiſſe exinde manifeſtum eſt, quia *Hyberni* antiquitus *Scoti* appellabantur) ac Scholares, diebus præſertim feſtis, genio liberius indulgerent, neceſſe propemodum erat, ut in rixas pugnaſque inciderent; quod in feriis mox ante compoſitionem iſtam habitis acciditſe, ex Decreto [b] vel ſtatuto Cancellarii & Magiſtrorum Regentium, ea propter excuſo conſtabit--- *Authoritate Domini Cancellarii &* &c. *decretum eſt & ſtatutum, quod nullum feſtum Nationis cujuſcunque cum ſolennitate & convocatione conſueta Magiſtrorum & Scholarium ſeu aliorum notorum in quacunque Eccleſiâ à modo celebretur, niſi quatenus aliqui feſtum alicujus ſancti ſuæ propriæ Dioceſeos cum devotione in ſuis parochiis ubi degunt voluerint celebrare, alterius tamen Parochiæ vel ſuæ Magiſtros Scholares ſeu alios quoſcunqne notos non vocando ſicut nec fit in feſtis,* S. Catherinæ S. Nicholai, &c. *Similiter eſt decretum authoritate ejuſdem Cancellarii ſub pœna majoris excommunicationis, ut ne quis Choreas cum larvis ſeu ſtrepitu aliquo in Eccleſiis vel plateis ducat, vel ſertatus vel coronatus corona ex foliis arborum vel florum vel aliunde compoſita alicubi incedat, ſub pœna excommunicationis quam ex nunc ferimus, & incarcerationis diutinæ.*

Et revera contentiones illas periculo plenas fuiſſe liquet, cùm Cancellarius & Magiſtri coactos ſe ſtatuta, iiſdem compeſcendis, ferre teſtentur, cùmque in compromiſſo ſupra dicto faciendo, tot utrinque fidejuſſores eligantur, qui ſequeſtrorum præterea arbitrio litem omnem permittere debebant; atque inſuper cujuſcunque Facultatis Scholares ad pacta ſervanda jurejurando adigantur. Quod ſi tanta nobiſcum, per hæc tempora, è duabus gentibus multitudo literis vacârit, ut movendis tumultibus, reique Literariæ in ſummum diſcrimen adducendæ ſoli *Hiberni Anglique* Boreales ſufficerent, quid de *Gallis, Italis, Germanis*, aliiſque Europæ populis, bonarum Artium non minus cupidis, exiſtimandum? Certe non contemnendum exterorum numerum Academiam jam noſtram repleviſſe ex eo colligam, quod cum *Bonifacius* Archiepiſcopus *Cantuarienſis Ethelmarum* Epiſcopum *Wintonienſem* fratremque uterinum Regis publice notaturus *Oxonium* hoc anno [c] accederet, Scholares omnes convocaſſe dicatur, ut *Ethelmari* illius excommunicationi intereſſent qui eòdem de diverſis mundi partibus eruditionis gratiâ confluxerant.

CIↃCCLIII.

Hic Annus Fratres nobis Carmeliticos, *Oxonium* adventantes exhibet; ſed priuſquam conſidentes ibidem illos referam, dicam brevitèr quo pacto in *Angliam* haud ita pridem tranſmiſerant. Regnante in *Angliâ Henrico III.* Bellum de terrâ ſanctâ cum *Saracenis* acerrimum geſſimus. Ibi *Richardus* de *Grey* & *Joh. Veſcy* milites (*Balæo* [d] Nobiles Barones vocare viſum eſt) qui è copiarum noſtrarum ducibus præcipuis erant, cum à *Carmelo* Monte haud longe abeſſent, religionis opinione ducti, eundem inviſere decrevere. Cùm itaque ejuſdem faſtigia ſuperaſſent noſtratium haud paucos vitæ aſceticæ, cum aliis, ſeveritatem exercentes ibidem præter expectationem reperiebant; quorum ſanctitate permoti, ut eorum nonnulli ſecum in patriam remearent, à Priore obtinebant. Et regreſſi quidem pariter in *Angliam* ſunt ſive CIↃCCXXXIIX. ſive poſt integrum inde biennium, Provincialis munus gerente *Rodolpho Freſburæ*; dictorumq; dein Militum operâ & patrocinio ſedem *Ailesforaiæ* in *Cantio* & *Holneiæ* ſeu *Holynæ* prope *Alnovicum* in *Northumbriâ* nanciſcuntur; & paucorum annorum decurſu per præcipuas Regni Urbes diſperguntur. Quin de eorum in *Angliam* adventu *Lelandum* [e] audiamus, qui in vitâ præfati *Freſburni* ſic loquitur.

Rodolphus Freſcoburnus *ſolitudinis amator certè maximus*, Carmelum *montem prope* Ptolemaidem *voti cauſa petiit; ibique inter Eremitas carnis illecebras caſtigans, duriter & parcè cum aliis* Anglis, *quos loci ſanctitas eodem pellexerat, vixit. Circiter hæc tempora*, Anglorum *exercitus dira bella contra Saracenos Chriſtiani nominis hoſtes gerebat, unde data fuit occaſio bene opportuna* Johanni Veſcio & Grayo, *non infimis Anglici exercitus Capitaneis inviſendi montem* Carmelum. *Quo cum perveniſſent, Præſidem loci enixiſſime rogabant, ut liceret illos abducere; tandemque exorabant; ſed non alio nomine, quam ut fundamenta tam Claræ religionis etiam in* Anglia *jacerent. Relicto igitur* Carmelo, Freſcoburnus *cum ſuis, Capitaneos ad Patrios uſque lares ſecutus eſt. Illi verò ſancti promiſſi non immemores, de locis Eremitis deſignandis, ſtatim agitabant.* Veſcius *forte* Alaunovici *oppido* Northumbriæ *ditionis erat, à quo non longè diſtabat* Holnienſe

[a] *De eo etiam vide ſupra ſub an.* 1250. [b] *In A.* 58. *a. D.* 15. *a.* &c. [c] Mat. Parys *ſub hoc an.* [d] *In cent.* 4. *n.* 1. [e] *In Tom.* 4. *p.* 223.

nemus

ne mus, locus ſolitudini aptiſſimus, tum præterea ſitu Carmelo *non omnino diſſimilis. Hic Templum, hic ædes convictui Eremitarum neceſſarias poſuit. Venerat una cum* Rodolpho, Ivo *quidam ex* Britannia Armoricana *oriundus. Hunc* Grayus *una cum Heremitis aliquot, ſed Anglici nominis in* Cantia *fovebat, & conditos quanta potuit maxima celeritate* Alauni *vadum* (**Ailesford**) *cœnobio donavit. Fuit hæc origo Carmelitici in* Britannia *noſtra Ordinis anno Dom. CIↃCCXL.*

His ille. Cæterum *Carmelitæ*, poſtquam duas imprimis, brevi vero & alias in *Angliâ* ſedes nacti fuiſſent, nullius rei appetentiores erant, quam ut hoſpitia in Univerſitate tum noſtrâ, tum apud *Cantabrigienſes* conſequerentur; quo Ordinis utiq; ſui Juniores ingenia Theologicis & Philoſophicis ſtudiis expolirent. Sed priuſquam id palam aggrederentur, viam ſibi ad Academiam noſtram, Lectiones frequentando, graduſque reliquarum familiarum ritu capeſſendo, ſternentes invenio. *Lelandus* enim de *Petro Swanningtono*, & *Simone Stocho* mentionem honore plenam faciens, priorem illum (qui *Humphredi Nectoni* coævus erat, primi ex hoc Sodalitio Theologiam *Cantabrigiæ* profitentis) primum ejus ordinis Doctorem in Theologiâ *Oxonienſem* extitiſſe [a] perhibet, uti & *Stochum* Baccalaureum in eâdem facultate apud noſtrates primum.--- *Jam ſenex fuit* Stochus (inquit ille) *nec puduit tamen colophonem, literis quas non mediocriter juvenis hauſerat, addere. Ergo* Iſidis vadum *Academiam, ut hac noſtra ætate, ita & olim florentiſſimam, ſe contulit, nomenque decuſque inter literatorum proceres meruit. Sed hic res memoriâ digna occurrit. Nam quo tempore* Stochus *apud* Iſiacos *ſtudebat; nullus erat in urbe nec in ſuburbio locus* Carmelitis *deſignatus.* Tempus vero quo *Stochus* literis nobiſcum vacabat, & ad Gradum promotus eſt, fuiſſe opinor circa annum CIↃCCXLIV.

Sed ad inſtitutum ut redeamus, cum Fratres illi ad literas Academicas ſedulo aſpirarent, laboratum impenſe eſt, ut domicilium ipſis *Oxoniæ* contingeret, loco nimirum Scholarium æque ac ſcientiarum confluxu per orbem Terrarum jam pridem celebratiſſimo. Efflagitante demum *Henrico* de *Hanna* hujus familiæ Provinciali, habitaculum in vico *Stocvuelliano*, in Suburbiis *Oxon.* conſequuntur an. CIↃCCLIV. Id à Nobili quodam *Nicolao* de *Meules* ſive *Molis* dicto, impetrantes, qui cuſtos aliquando Caſtri *Oxonienſis* [b] fuerat, & ſub hæc titulum Baronis in agro *Somerſetenſi* geſſiſſe videtur, cui Manſio præcipua *Northcadburiæ* in Comitatu illo ſita erat. Hujus autem Donationis *Balæus* (quem ſequitur *Pitſeus*) in vitâ [c] *Henrici* de *Hannâ* mentionem facit; haud integram tamen laudem *Nicolao* illi attribuit; de quo (*Noelſum* ibi, uti & [d] alibi, appellitans) ſic ſcribit: --- *Quo tempore, dum* Cornubiæ *Comes* Richardus Henrici *Regis Frater ac* Johannis *Filius in Cæſarem eſſet electus, favente illi quodam* Nicolao Noelſo, *domum quam habebat* Oxonii *in vico de* **Stockwell** *obtinuit, ac prædictis Fratribus ſuis (Carmelitas* vult) *in ædem vertit.* Atqui *Nicolao Harpsfelde* hanc aliquando rem attingenti, Benefactorum illorum uterque [e] reticetur, & *Henricus* de *Hanna* domicilium prædictum ædificaſſe fertur. Quare ut de re illâ tam varie traditâ melius conſtet, Inſtrumentum [f] quoddam adhibebo, ex quo præter alia ſcitu haud indigna, liquido patebit, quis id habitaculi Fratribus Carmeliticis largitus eſt.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis Frater W. *dictus, prior omnium Fratrum B.* Mariæ *de* Carmelo *in* Anglia *commorantium ſalutem, & tam debitum quam devotum cum Orationum ſuffragiis famulatum. Cum Nobilis Vir Dominus* N. *de* Meules, *locum nobis* Oxoniæ *ad inhabitandum proſe ſuorumq; ſalute, jam dudum duxerit contuliſſe, dilectum fratrem noſtrum* Joh. *de* Ropha *Sacerdotem latorem præſentium, qui vice noſtra locum eundem recipiat & inhabitet, per obedientiam ſalutarem plenam etiam ei cum omnibus, qui in eodem loco, vel extra, jus aliquot vendicaverint, componendi & tranſigendi ſeu alias qualitercunque de eodem loco, prout ſecundum Dominum expedire viderit diſponendi, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, abſque omni exceptione confero poteſtatem; ratum habiturus & gratum, quicquid ratione ejuſdem loci cum quibuſcunque & coram quibuſcunque in forma & ad bonum ordinis fecerit de præmiſſis; venerandæ inſuper Univerſitati veſtræ ſupplico & devotè, quatenùs prædicto Fratri* Johanni *& ſocio ſuo quemcunque ſibi aſſociaverit circa præfata negotia, euntibus & redeuntibus, quieſcentibus & laborantibus, ſubvenire non minus efficaciter quam meritoriè ſtudeatis, & eiſdem Chriſti pauperibus propter eum & cum eo mendicantibus, & omnino nihil proprium poſſidentibus neceſſaria viaticæ ſuſtentationis ſuffragia divinæ pietatis intuitu porrigatis, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis, cujus utinam efficiantur participes omnes benefici præſentium executores. Valeat Univerſitas veſtra ſemper in Domino. Dat. apud* Cantabrigiam *anno gratiæ MCCLVI. xii· Cal. Septembris.*

Sic Inſtrumentum illud à *Waltero* vel *Willielmo* hujus Ordinis Provinciali ſeu Priori conſcriptum, quem tamen in Catalogo [g] ſuo non habet *Balæus.* Quod ad domicilium vero attinet à *Meuleſio* vel *Meulo* donatum, eo loci ſitum fuiſſe deprehendo, quem Collegii deinceps *Gloceſtrenſis* pars auſtralis occupavit.

Verum de Sacello ac ædificiis erigendis ſolliciti, prædioli hujus anguſtiis premebantur, quare à *Nicolao* de *Stockwell* Burgenſi (qui propter opes eximias, nec imparem prudentiam, Prætoris *Oxonienſis* munere functus multis annis fuiſſet) contendunt, ut Aream ſibi, *Muleſianæ* contiguam, tranſcriberet; quâ in re difficilis non comparuit, utpote qui novæ ſocietatis ſanctitatem admiratus, dextram prius beneficam eidem porrexiſſet. Fundum itaque ampliorem adepti, Oratorium cogitabant; ſed ut tuto illud & legitime exſtruerent, veniam à Diœceſano impetrant, & ad eandem ab Abbate & Conventu *Oſneienſi* obtinendam convertuntur; quod nimirum neceſſe imprimis habuere, quoniam ſedes hæc ſua in Parochiâ S. *Georgii* (poſtea S. *Thomæ*) erat, cujus Eccleſia ad Cœnobium illud à primâ fundatione ſpectabat. Hac autem & ex parte voti compotes fiunt *Carmelitæ*, mediantibus fundatore ſuo *Nicolao* de *Meules*, cum *Richardo* Comite *Cornubiæ*, & *Elâ* Comitiſſâ eâ *Warwicenſi* pientiſſimâ: interque illos & *Oſneienſes* hoc [h] fœdere tranſactum eſt.

Anno Domini CIↃCCLVI die S. Agathæ *Virginis & Martyris, facta eſt hæc conventio inter Abbatem & Conventum de* **Oſney** *ex una parte, & Priorem & Fratres de Monte* Carmeli *ex altera, de aſſenſu & volunta-*

[a] *Ibid. in* Lel. *p.* 235. [b] *Pat.* 20. H. III. *m.* 9. [c] *Cent.* 4. *nu.* 19. [d] *Inter collectiones ſuas propria manu ſcriptas in bib.* Cotton. *fol.* 27. [e] *In Hiſt. Eccleſ.* Ang. *ſæc.* 13. *cap.* 25. *p.* 480. [f] *Inter munimenta cœnobii* Oſney *in Theſaurario Ædis* Chriſti *in Pixide S.* Thomæ *Martyris.* [g] *In cent.* II. *nu.* 41. *p.* 59. [h] *Regeſt.* Oſney *in bib.* Cotton. *fol.* 32. *a.*

ve Domini H. *Dei gratia* Lincoln. *Epiſcopi loci Dioceſani, viz. quod dicti Abbas & Conventus conceſſerunt pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, quod quiete & pacificè poſſint habitare in area illa, quam Dominus* Nicolaus *de* Molis *dedit eis in ſuburbio* Oxon *juxta Hoſpitale in* Stockwellſtreet, *in Parochia* S. Georgii *in Caſtro* Oxon, *quam Eccleſiam habent idem Abbas & Conventus in proprios uſus, & in alia area proxima quæ fuit* Nicolai *de* Stockwell *cum parva dilatatione ad ingreſſum ſuum laxiorem faciendum in fronte verſus ſtratam publicam: Et quod poſſint in illa area Oratorium erigere & divina celebrare ædificiis erectis & elevatis in fronte cum Curtilagiis inter dictas areas & ſtratam rectam, ſtatu quo fuerunt tempore conventionis hujus quoad dominium ſemper remanentibus. Et ſi contingat dictos Priorem & Fratres de cætero terminos ſuos dilatare, ſatisfacient competenter præfatis Abbati & Conventui* Oſney *pro rata portione, habito reſpectu bonitatis & magnitudinis quoad dictas areas. Dicti vero Prior & Fratres pro ſe & pro ſuis ſucceſſoribus inſpectis Sacroſanctis Evangeliis in verbo Dei promiſerunt, quod Parochianos Abbatis & Conventus ad oblationes, ſepulturam, nec ad aliqua Sacramenta admittent, viz. ad Baptiſmum & Confeſſionem, Euchariſtiam, extremam unctionem, & matrimonium celebrandum, nec ab eis recipient tritenalia, nec annualia, nec requeſta, nec aliquid aliud clam vel palam quod in eorum præjudicium vergere poſſit aut gravamen, niſi de licentia dictorum Abbatis, & conventus petita & obtenta: Promiſerunt etiam bona fide iidem Fratres quod Eccleſias dictorum Abbatis & conventus & vicinias omnes conſervabunt indemnes, unde diebus feſtivis infra ſcriptis, viz. die Natalis* Domini, *die Purificationis B.* Mariæ *Virginis, die* Paſchæ, *die* S. Georgii *Martyris, duobus diebus Feſtivis* S. Thomæ *Martyris, ſcil. Tranſlationis & Paſſionis, die B.* Mariæ Magdalenæ, *die aſſumptionis* B. Mariæ, *die* Omnium Sanctorum, *ante majorem miſſam ſuam dicti Fratres facient denuntiare in Oratorio ſuo, quod nullus Parochianus dictorum Abbatis & Conventus miſſam illam audiat in præjudicium & gravamen eorundem Abbatis & conventus. Præterea quoniam præfati Abbas & Conventus de dictis locis quaſdam decimas & conventiones percipere conſueverunt, & quod dicta loca ab antiquo de jure communi fuerunt ſibi ratione dictæ Eccleſiæ* S. Georgii *decimalia, prænotati Prior & Fratres procuraverunt aſſignari prædictis Abbati & conventui redditum annuum & perpetuum x. ſolidorum in recompenſationem præmiſſarum decimarum & obventionum. Convenit etiam inter dictas partes quod dictus Prior & ſui ſucceſſores qui pro tempore fuerint, ad intimationem Abbatis* Oſney *qui pro tempore fuerit, de quinquennio in quinquennium venient apud* Oſney, *& in præſentia Abbatis & dictorum Priorum recitabitur hæc compoſitio, & ſub præſtiti Sacramenti forma ratificabitur ab eis: ad ſecuritatem autem ſuper his habendam ſubjecerunt ſe dicti Prior & Fratres juriſdictioni Domini* Lincoln *Epiſcopi qui pro tempore fuerit, quod poſſit illos compellere per cenſuram Eccleſiaſticam ſine ſtrepitu judiciali ad omnia prædicta fideliter obſervanda, renuntiantes omni exceptione, Cavillationi, appellationi, & omni privilegio impetrato vel impetrando, & omni juris remedio tam civilis quam Canonici quod eis competere poſſit ad infirmandam ſeu impediendam conventionem iſtam. In cujus rei teſtimonium præſenti ſcripto in modum chirographi confecto, ſigillum Domini* Lincoln. *Epiſcopi appenſum eſt, una cum ſigillo partium, cujus una pars reſidet penes Abbatem & Conventum* Oſney, *& altera pars penes dictos Priorem & Fratres de Monte* Carmeli.

His ita conſcriptis, ut rata deinceps fierent, W. Carmelitici Ordinis Prior Provincialis in *Angliâ*, literis [a] in vigiliis S. *Jacobi* datis anno CIↃCCLVII. poteſtatem *Johanni* de *Ropha* Sodalitii illius apud *Oxonienſes* Procuratori, detulit, *jurandi in animas Fratrum pro illis quæ continentur inter vos & nos* (ita ille) *de loco memorato confecto fideliter obſervandis.* Acceptâ ergo poteſtate, *Johannes*, quem dixi, de *Ropha* ejuſmodi ſe familiamque ſuam jurejurando [b] aſtrinxit, coram *Richardo* Abbate de Oſney, H. Priore, & nonnullis illius loci Canonicis, anno utique mox antedicto inque die Aſſumptionis Beatæ *Virginis.* Cæterum & juramentum illud quovis deinceps quinquennio repetiiſſe Carmelitas accepimus; quod feciſſe illos anno CIↃCCLXXVIII. ſcriptum [c] quoddam memorat, Prioratum inter eos gerente *Rogero* de *Croſtweyt.* Alterum [d] porro id factum retulit anno CIↃCCCI. Prioris partes adminiſtrante *Hugone* de *Riſeburge.* Atqui fratres iſti, animis à neceſſariis, quæ ſortiti jam erant, ad jucunda verſis, Hortos & ambulachra expetebant; fundique propterea ad Conventum *Oſneienſem* pertinentis acceſſionem [e] aſſequebantur. Area illa ad *Nicolaum* Scriptorem olim ſpectabat, & à terra *Nicolai* de *Stockwell* utrinque cingebatur, à Tenemento *Carmelitarum* ad viam uſque Regiam protenſa. Hæc Fratribus iis obtigerant Prætore *Adamo Feteplace*, *Joh.* autem de *Coleſhull* & *Richardo Nicolai* filio Ballivis *Oxonienſibus*, quod anno quaſi CIↃCCLXVI. inſcribendum. Deinde vero cum ab Inſtituti ſui fautoribus pecuniam haud parvam collegiſſent, anno CIↃCCLXIX. Decimas & obventiones [f] redemerunt, quas Conventui de Oſney penſitare ſolebant, *de illâ area in quâ conſtructum eſt eorum oratorium, & de area proxima adjacente ex parte auſtrali, quæ habet in latitudine* (loquor ex autographo) *xl. pedes & in longitudine ſe extendit uſque Tamiſiam.*

Sub eadem quoque tempora *Carmelitæ* in ignaræ ſe plebis animos inſinuantes, Tenementis populum haud paucis emunxerunt, coemptionis nomine fraudem obtegentes, prout Regiſtra haud obſcure ſubindicant, his verbis, -- *Item* Nicolaus *de* Forſthull *vendidit Fratribus de Carmelo quandam domum quæ ſolebat reddere Prioriſſæ de* Littlemore III. Sol. -- *Item prædicti Fratres de Carmelo appropriaverunt ſibi plura Tenementa; neſcitur quo modo, aut quo Warranto.*

Sic [g] Inquiſitio, cujus in *Dominicanis* & *Franciſcanis* meminimus. Poſthæc autem, circa annum nempe CIↃCCLXXXII. Abbas & Conventus *Oſneienſis* [h] *conceſſerunt & quiete clamaverunt pro ſe & ſuis ſucceſſoribus dictis Priori & Fratribus & eorum ſucceſſoribus* (loquor ex quadam Conventione inter illos & *Oſneienſes*) *quod quiete & pacificè poſſint tenere, ædificare, & in perpetuum quantum ad eos attinet poſſidere aream illam, quam* Ricardus *dictus* Maydeloc *aliquando inhabitavit, ubi porta eorundem eſt erecta continens lx pedes in longitudine & xxx. pedes in latitudine, quæ jacet inter terram quæ fuit* Willielmi

[a] *Inter munimenta* Oſney *ut ſupra, in pixide S.* Thomæ. [b] *Ibidem.* [c] *Ibidem.* [d] *Ibidem.* [e] *Reg.* Oſney *ut ſupra. fol.* 214. *a.* [f] *Ibid. fol.* 31. *b.* [g] *Rot. gen. inquiſit. de com. & villa* Oxon 6. & 7. Ed. I. *in Turri* Lond. [h] *Ut inter munimenta* Oſney *in pix. S.* Thomæ.

de

de Eyneſham *ex una parte, & terram quæ fuit* Richardi Lekam *ex altera in ſuburbio* Oxon *in Parochia S.* Georgii *in Caſtro* Oxon *juxta* **Le Hure**, *liberam & quietam in perpetuum ab omni exactione decimarum, oblationum & proventuum quorumcunque ad dictam Eccleſiam B.* Georgii *pertinentium quocunque nomine cenſeantur, quam dicti Abbas & conventus habent appropriatam* &c. *pro annuo redditu* xvi. *ſol.* &c. Quapropter Terræ jam amplius nacti, ædificia ſua plus quam neceſſitas exigeret, augent & exornant, adjectis viridariorum & hortorum deliciis. Ibidem vero ad annos propemodum LX. habitantes, (quo temporis intervallo Prælectores ex Hoſpitio hoc ſuo complures habuere) ad Palatium demum Regium, è regione plateæ **Stockwell** poſitum, transferuntur, ubi extremam ad uſque ordinis everſionem perſtitere. Atqui alienum non erit, rationem quâ ſplendidum hoc illis domicilium obvenerit, explicare.

An. Dom. CIↃCCCIV. *Edwardus I.* bellum in *Scotos* movens, *Robertum Baſtonum* Ordinis Carmelitici fratrem, & poeticâ laude præ contemporaneis illuſtrem, ſecum deduxit; id nimirum ſibi pollicitus, ſtylo Gladium comitante, quicquid ipſe egregie faceret, hunc ardore pari ad poſteros tranſmiſſurum; quod feciſſe quidem *Baſtonum* Carmine Heroico, & gratiâ proinde ſummâ apud Regem excelluiſſe, permulti retulere. Cum *Edoardus* deinde *II.* Bellum à patre ſuſceptum conficere ſtuderet, *Baſtonum* ſibi eodem conſilio aſcivit; quamvis & ipſe, ut ea tempora ferebant, Poeta haud parvi nominis erat. Anno autem CIↃCCCXIII. cum *Roberto Bruce Scotorum* Rege prælio ad **Strivelin** congreſſus *Edoardus*, poſtquam acriter [a] utrinque pugnatum eſſet, cæſis pleriſq; *Anglorum* Nobilibus, in fugam ipſe & Epiſcopi vertuntur. Ibi periclitante Rege, & *Baſtono* ſalutem ei ſpondente, modo Beatæ ſe *Virgini* commendaret, & vota illi nuncuparet, id facere *Edoardus* non abnuit; quin & Domicilium ſe mendicantibus Carmeliticis erecturum vovebat, ſi ſalvus in *Angliam* revolaret. Captus mox inde *Baſtonus* eſt, quem *Scoti*, poſtquam Ingenium hominis intellexere, ut Regis etiam ſui geſta conſcriberet, [b] perpulerunt; verum cum ille frigide admodum, & invitâ ut ipſis videbatur *Minervâ* præſtaret, ad ſuos remiſſus eſt. Is vero Regem ut promiſſi memor eſſet hortatus, idque non corporis tantum incolumitati deberi, ſed & in Animæ pariter ſalutem ceſſurum perhibens, eo denique pertraxit, ut *Edoardus*, accedente etiam potentiorum quorundam ſuaſu, Palatium ſeu Manſionem ſuam *Oxonienſem*, prædictis Fratribus his [c] verbis donârit.

Edwardus *Dei gratiâ Rex* Angliæ *Dominus* Hyberniæ *& Dux* Aquitaniæ, *Omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Sciatis quod ob devotionem, quam ad glorioſam Virginem* Mariam, *& affectionem quam ad dilectos nobis in Chriſto Fratres Ordinis B.* Mariæ *de Monte* Carmeli *gerimus & habemus, & ut quoddam votum quod emiſimus in quodam periculo conſtituti compleamus, in pleno Parliamento noſtro apud* Eboracum *convocato de aſſenſu Prælatorum, Comitum & Baronum regni noſtri ibidem exiſtentium, dedimus & conceſſimus pro nobis & hæredibus noſtris Fratribus dicti Ordinis B.* Mariæ, *manſum manerii noſtri juxta portam aquilonarem* Oxon *extra muros, cum clauſuris & ædificiis, & libero introitu & exitu ad dictum manſum pertinentibus. Habendum* &c. *divina ibidem pro ſalubri ſtatu noſtro &* Iſabellæ *Reginæ* Angliæ &c. *celebraturis in puram Eleemoſynam in perpetuum. In cujus rei teſtimonium, has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud* Eboracum *xxxi. Novemb. anno regni noſtri undecimo.*

Conſtituit inſuper *Edoardus*, ut in Manſione illâ reſiderent Fratres XXIV. Theologiæ ſtudio invigilantes, utque eorum quilibet V quotannis Marcas è Fiſco regio acciperet; quam inde Penſionem controverſam fuiſſe [d] reperio (neſcio an & penitus fuerit ablata) IV. *Edoardi III.* Dom. CIↃCCCXXX. verum *Edoardus ille II.* eodem anno quo Palatium ſuum *Carmelitis* dederat (nempe CIↃCCCXVII.) ut ſedes hæc nova latius commodiuſque effunderetur, bina iiſdem Tenementa [e] conceſſit, quæ quaſi è regione collegii *Gloceſtrenſis* in platea **Stockwell** poſita erant, à platea illa ad Occidentem, muro Carmelitico (prius Regio) ad Orientem, Tenemento Cantariæ Beatæ *Virginis* in parœciâ S. *Mariæ Magdalenæ* ad Auſtrum, & Boream verſus terrâ ad *Rogerum* le *Dreyere* aliquando ſpectanti, incluſa. Bina vero, de quibus loquimur, Tenementa, à Conventu *Oſneienſi* ad Regem devenerant, quibus Tenementum in Parochiâ S. *Petri* Orientalis à *Joh.* de *Coleſhull* Civitatis *Oxonienſis* Burgenſi paulo ante coemptum, permutaverat.

Sic itaque *Carmelitæ*, qui in locis deſertis, ab humano conſortio diffitiſſimi, primitus degebant, popularem gratiam confeſſiones præſertim accipiendo (quo tamen munere tum illos, tum *Auguſtinenſes* [f] prohibuerat Archiep. *Cantuarienſis* literis ad *Nicolaum* de *Heyham* Archidiaconum *Oxonienſem* datis anno CIↃCCLXXIX.) colligentes, ad opes haud exiguas veniebant, & ſedem ampliſſimam in Urbe, literarum famâ vix parem agnoſcente, ſortiti ſunt. Adeone autem qui ſe non paupertatis modò ſed & mendicitatis voto alligaſſent, fundos & domicilia, eaque Regibus haud ita pridem Dominis utentia comparare ſuſtinebunt? Hac ſane de re *Lelandum* memini, in vitâ [g] *Simonis Stochi*, & à libello *Johannis Roſſi* de Academiis *Britanniæ* Reges haud perperam commonefacere; --- *Cavendum igitur* (inquit ille) *ne quemadmodum Reges aliquando Palatiorum, & antiquarum Urbium uſum Monachis permiſerint, ita rurſus viciſſitudine quadam, pro Palatiis & Urbibus ipſi petant cœnobia.* Et profecto viciſſitudinem illam annon Reges tam noſtri quam vicinarum ubique Gentium duriſſimam ſubierunt? Certe donatio illa *Edoardi* imprudentiæ potius quam Pietati tribuenda, Monachis, & Secularibus impugnatoribus Fraterculorum acerbiſſimis, anſas novas nec incommodas præbuit; quas arripuit frequenter *Richardus Armachanus*, de acquiſitionibus illos in Concionibus perpetim exagitans: haud frigide tamen deinceps reſponſante *Gul. Wydefordo* quem ſupra dixmus, cujus in *Defenſorio* ſeu *Apologia* [h] præter alia permulta ad Palatium illud reſpicientia, hæc occurrunt; —— *Quinta veritas* (ait ille) *eſt hæc, non repugnat ſtatui Fratrum minorum habitatione facti* (ſcil. ut jure hoſpitii gaudeant, tectoq; excipiantur) *habere ædificia magna &*

[a] *Vide* Tho. *de la* More *in vita* Edoardi II. *Edit.* Francof. 1602. *p.* 594. [b] Io. Major *de Geſtis* Scotorum *Edit.* 1521. *lib.* 5. *cap.* 3. *p.* 87. *& alii ejuſdem regni Hiſtorici.* [c] *Pat.* 11. Ed. II. *m.* 3. *Reg. Dalderbie fol.* 388. &c. [d] *In Faſciculo parlamentario de anno* 4. Ed. III. [e] *Inter munimenta* Oſney *ut ſupra in pix.* S. Mariæ Magd. *& in Reg.* Oſney *ut ſupra fol.* 48. *b.* [f] *Reg.* Peckham *fol.* 166. [g] *In Tom.* 4. *p.* 224. [h] *Defenſorium* Gul. Wydeford *contra* Armachanum *in* 8. *libello de mendicitate Chriſti, MS. cap.* 2.

in ipsis habitare; quia si Rex Conventum magnum Fr. Minorum poneret in Palatio suo solenni, & concederet eis usum Palatii retinendo sibi ipsi completum quod priùs in isto habuit jus, tunc licit Fr. Minores in illo Palatio remanerent durante Regis voluntate, sic licitè nunc Fratres Minores comedunt in Aula Regia, Rege sic volente, & licitè dormiunt in pulcherrima camera quam habet Rege volente, & licitè celebrant in pulcherrima Ecclesia vel Capella quam Rex habet Rege volente, & in casu illo haberent Frat. Minores habitatione facti ædificia magna satis licitè, & ideo non repugnat statui Fr. Minorum habitatione facti habere ædificia magna & in ipsis habitare &c.

Sed frustra nimirum impetiti sunt *Carmelitæ*. Palatium Regium tantum absunt ut dimittant, ut quo sibi & successoribus suis firmius permaneret, Bullam [a] à *Johanne* Pontifice, secundo Papatûs sui anno impetrarint, quâ & Donatio *Edoardi* rata habetur, & Fratribus è veteri sede migrandi, eamque aut vendendi, aut fundis aliis commutandi potestas defertur, non obstante quòd Pont. M. *Bonifacius VIII.* in contrarium de rebus ejusmodi sancierat. Deinde autem petente Rege, copiam ab *Osneiensibus* (nam in Parœciâ S. *Mariæ Magdalenæ* & nova illa *Carmelitarum* sedes collocata erat) [b] impetrarunt, *celebrandi divina in eâdem domo vel aula Regis, & liberam sepulturam ibidem pro Fratribus suis conversis & famulis suis, ac aliis ibidem eligentibus sepulturam, ejusdemque sepulturæ occasione provenientia sine diminutione habendi & percipiendi, ac omnia alia & singula ad eorum Ordinem spectantia secundum formam vim & effectum privilegiorum suorum absque eorum impedimento vel calumnia exercendi*, &c. Hæc vero ipsis licentia fiebat III. non. *Aprilis* anno CIↃCCCXVIII. quam circa idem tempus à *Rob.* de *Carsington* Parochiæ illius vicario perpetuo pariter [c] obtinuissent, quamq; *Johannes Dalderby* Episcop. *Lincolnienſis*, literis *Buckdenæ* primâ Dominicâ quadragesimæ anno CIↃCCCXVIII. datis, tum copiam illam, tum quicquid à Rege, Pontifice, & *Osneiensibus* adepti fuerant, formâ quam *Inspeximus* juridici vocant, [d] confirmavit. Quibus peractis, ut possessiones novæ sacris usibus addicerentur, à Dioceſano [e] impetrarunt; quod cùm ille, morte præventus, non absolvisset, idem à successore *Henrico Burgash*, primo Episcopatus anno, [f] exorabant.

Mansiones eorum. Hâc de re pauca admodum dicenda restant, siquidem in illa enarrandâ jam sumus immorati. Verum ut situs earum attingamus, sedes illorum prior in Collegio seu Aulâ *Gloceſtrensi*, inque Areâ, ut opinor, minoris Quadranguli Refectorio ad Austrum adsidebat; Quod quidem Quadrangulum, cum antiquitatem præ se multam ferat, pridem ab iisdem fratribus extructum crediderim. Certe *Joh. Rossus* veterem Carmelitarum sedem *juxta littus Thamisiæ ex oppoſito Abbatiæ Monachorum de* **Kuley** collocatam [g] refert. Sed ubicunque fuerit mansio illa, eandem, exinde migrantes, *Carmelitæ*, *Benedictinis Gloceſtrensibus* & Clausuram ad meridianum solem jacentem, **Cornwall** seculo illo dictam, aliis quibusdam elocabant. Utramque autem *Henricus VIII. Edmundo Powell* de *Sandfordiâ* in Comitatu *Oxonienſi* Generoso [h] divendidit, anno Regni XXXIII. quamvis post paulo sibi denuo vendicatas, ad alios, ut infra docebimus, usus transtulerit.

Mansio *Carmelitarum* posterior inter **Brokenhays** ad Austrum, Agros *Belli Montis* olim dictos ad Boream, vicum **Stockwell** occidentem, & Parœciam S. *Mariæ Magdalenæ* orientem solem versus, posita erat; quam *Henricus I.* ut supra retulimus ædificavit, & ad quam se frequenter colligendi animi causâ recipere solebat. In eo Palatio, cameràque, speciatim cujus in area Campanile postmodo construxerunt Carmelitici Fratres, editus in [i] lucem est *Richardus I. Henrici II.* filius, cui propter fortitudinem plusquam humanam *tor leonis* in cognomentum cessit. Id loci advenis lubentissime ostentabant Fraterculi, gloriæ sibi haud parum ducentes, quod domicilium possiderent tanti viri natalitiis nobilitatum; quo tamen haud ita penitus fruebantur, quin Reges *Angliæ* quoties *Oxoniam* adventarent, ibidem diversarentur; potissimum vero *Henricus VI.* quem inibi *Rossus* tanquam in Palatio proprio commoratum [k] refert. Cæterum eodem illi non tam hospitii commoditatibus, quam saluberrimâ aeris temperie allecti sunt, quæ fratrum sane rationes haud modice adjuvit; nam complures etiam alii, valetudine tenuiori utentes, & ad eorum propterea consortium invitati, fatisque ibi concedentes, familiam eam Legatis testamentariis uberrime locupletarunt.

Scholæ. Alteram illi in primâ suâ Mansione habebant, munificentiâ *Henrici* de *Hannâ* exstructam; Atqui in Sede novâ binas ædificarunt, Theologicam & Philosophicam appellatas: ex his autem perinde ac veteri eâ, quamvis viri bene multi prodierint, qui solidis Lectionibus, & disputationibus acutis Rempublicam literariam magnopere demeruerunt, quoniam omnes enumerare non vacat, præcipuos quosdam Scriptis præsertim inclarescentes commemorabo. Tales erant I. *Job. Chelmestonus*, qui inter Theologiæ Professores eminebat, & qui (ut habet [l] *Lelandus*) *insignem à literis famam est consecutus, cujusque Quæstionum libri ab Isiacis leguntur.* Vide librorum quos scripsit Catalogum apud [m] *Balæum.* II. *Gul.* **Hanabergus**, Theologiæ Scholasticæ peritiâ *Chelmestonum* [n] exæquans; quique cum Provincialis esset, immunitates Ordini suo perplures à Pont. maximo obtinuit. Obiit anno CIↃCCCXI. III. *Gul. Pagham*, qui *Oxonii* usus est [o] familiaritate ac docta consuetudine *Roberti Walsinghamii*, hominis ex suo ordine eruditissimi. *Ad cujus exemplum* (inquit Lelandus) *ita se suaque formabat studia, ut gravis simul & eruditus, ab optimo quovis inter suos Carmelitas judicatus est. Tam magni enim fecit ejus ingenium, ut divinum fuisse dixerit.* Claruit an. CIↃCCLXXX. IV. *Gulielmus Lidlyngton*, eruditione, pietate, prudentia, omni denique virtutum laude [p] celebris. V. *Robertus Walsyngham*, tamdiu Scholasticis exercitiis *Oxonii* dabat operam, *donec instructissimus pro Papæ regno* (loquor ex [q] *Balæo*) *interpres evaserit, ac summus celeberrimusque earum facultatum professor haberetur.* Auditorem habuit *JohannemBaconthorpium* mirabilis tunc ingenii juvenem, qui & hunc suum Magistrum in scriptis non rarò, & planè qua par est reverentia citat. Obiit Walsynghamus CIↃCCCX. VI. *Robertus* **Baston**, Lelando [r] *Bassodumus*, vir (ut dicit [s] *Pitseus*) *integer vitæ sceleriſque purus.* In omni etiam humaniori literatura tam politus, ut *Oxonii* non immerito tum Rhetoricam, tum poëticam acceperit Lauream. VII. *Godfridus Cornubienſis* S. T. P. pro

[a] *In Reg.* Dalderbie *fol.* 388. [b] *Ibidem.* [c] *Ibid.* [d] *Ibid.* [e] *Ibid. fol.* 387. [f] *Reg.* Burgash, *fol.* 1. [g] *In Hist. de Regibus MS. p.* 236. [h] *Pat.* 33. Hen. VIII. *part.* 7. *in offic. Rotulorum apud* London. *in vico* Cancell. [i] Rossus *ut sup. de Regibus.* [k] *Ib. p.* 236. [l] *In Tom.* 4. *p.* 251. [m] *In cent.* 4. [n] 57. [o] Leland *in Tom.* 4. *p.* 250. Bal. *cent.* 4. *nu.* 45. [p] *Ib. cent.* 4. *nu.* 52. [q] Lel. *p.* 251. [r] *In cent.* 4. *nu.* 83. [s] *Ib.* 4. *p.* 249. [t] *In Et.* 4. *nu.* 452.

cujus

cujus excellenti ingenio à *Baconthorpio* laudari meruit, *Doctor ſolennis* appellatus in diſt. XXIX. quart. ſent. VIII. *Johannes Goldeſton*, S. Theol. Profeſſor. *Is* (inquit [a] *Lelandus* qui eum vocat *Joh. Cryſolythum*) *Scholas* Iſiacas *non parvo celebravit tempore, ut Ariſtotelicam, ſed præcipue chriſtianam Philoſophiam altus imbiberet --- Ariſtotelicum acumen quemadmodum illa judicavit ætas, ita exacte conſecutus eſt, ut pauci exactius.* Solidæ quoque eruditioni, potius quam picturatæ eloquentiæ ſtudebat; ita tamen ut ſui ſeculi facundia non caruerit. Claruit CIↃCCCXX. IX. *Johannes Walſinghamus* de quo ſupra ſub ann. CIↃCCXXXI. X. *Galfridus Alievantus*, *Theologus Iſiacus* (ſic enim *Lelandus* [b] habet) *eximiè per eam ætatem cognitus fuit* &c. Claruit CIↃCCCXL. XI. *Joh. Poleſtede*, Lelando [c] *Polaſtadius*, *tam diu is* Iſiaci *præceptis cùm humanarum, tum divinarum rerum, informatus fuit, ut maturiores attingens annos univerſo ſuo Ordini magno fuerit ornamento.* Obiit CIↃCCCXLI. XII. *Johannes Baconthorpe* Averroiſtarum Princeps, de quo *Lelandus* ſic ſe [d] habet, *--- Quid ego nunc commemorem quot quibuſque modis ſymmyſtas ſui ordinis toto quo poſtea longo vixit tempore auxerit, juverit, illuſtraverit? Quid ejus variam & reconditam eruditionem accurata oratione depingam, approbem, extollam? Virtutes hominis tam per ſe illuſtres erant, ut pigmentis aliunde adſcitis jam non egeant.* Tractatus CXX. vel etiam plures compoſuit, Argumenti maxime Theologici, ut apud *Balæum* videre eſt. Diem vero obiit circa an. CIↃCCCXLVI. XIII. *Hugo Virley*, Lelando [e] *Verolegus*, *qui nomen Theologi, nobile eruditionis præmium*, Iſiaci *meruit & accepit.* Varios poſteritati libros conſecravit, quorum titulos vide in *Balæo.* Fuit in pretio CIↃCCCXLIV. Oxoniique in Scholis Theologorum prælegebat, non ſine magno Auditorum applauſu. XIV. *Johan. Titleſhade*, de quo ſic [f] *Lelandus*, qui eum vocat *Titeſaulus --- Famæ ſuæ partem maximam* Iſiacæ *debet Academiæ, ubi vernantiſſimos doctarum artium flores tanquam è copiæ cornu ſelegit. Electos vero tantum abeſt ut marcere permiſerit, ut ex illis pulcherrimi operis corollas Synchroniis ſuis & poſteritati dedicaverit.* Obiit *Romæ* CIↃCCCLIV. XV. *Joh.* de S. *Fide* patria *Nordovolgius*, tantam ſibi per literas famam [g] peperit, quantam Academici facile quide madprobabant, quod ſatis innotuit, quo tempore illum Theologi inſignibus exornaverunt. Moritur CIↃCCCLIX. XVI. *Gualterus Kellaw*, vel *Chellanus*, ut *Lelandus* [h] habet, *inter Theologos* Iſiacos *nomen decuſque ſuum retinebat.* XVII. *Nic. Durham* inter Philoſophos ibidem; idemque Theologus fuit & primi nominis, Legendo etiam & diſputando magnas ab omnibus reportavit Laudes. Claruit CIↃCCCLXX. XIIX. *Johannes Thompſon Nordovolgius*, vir pius & ſanctus, quædam ſuo ſeculo, immo & noſtro, ut [i] *Lelandus* inquit, monumenta non indigna, poſteris dedicavit. Clar. CIↃCCCLXXX. XIX. Thomas Bromius *per omnes literarum gradus* Oxonii *conſcendebat,* [k] *donec ad Lauream Theologici nominis perveniret. Tum quoque ut honorem merito accepiſſe videretur, publice ibidem Theologiam profitebatur, idque cum Auditorum, ut illa credidit ætas, non parvo fructu. Poſtea orbe ſtudiorum ſuorum non infeliciter circinato*, Londinum *petiit ubi* Carmelitarum *Collegio præfuit, ſed tam modeſte, ſapienter, recte, ut tandem præſes Provincialis ſui ordinis factus fuerit.* Obiit CIↃCCCLXXX. XX. *Richardus Lavingham* patria *Suffolciencis*, ut auctor eſt [k] *Lelandus. Cauſa verò prima fuit* (inquit) *ut pietati operam daret: altera, ut doctis ſtudiis libere vacaret. Laudabilis profecto utraque in quavis ætate, tum præcipue in juvenili. A pietate igitur auſpicatus, tam illuſtris evaſit, ut omnes quotquot habuit convictores, in ſui admirationem facilè quidem pertraxerit.* Hæc ille. In hac denique Univerſitate S. T. P. factus eſt. Tum demum qualis & quantus vir eſſet manifeſtius omnibus innoteſcere cœpit. Erat enim ſubtili ingenio, fluente Eloquio, acri judicio. Ad quas naturæ dotes, cum jam acceſſiſſet multiplex Scientia, & doctoralis auctoritas, domi foriſque celeberrimus evaſit. Claruit anno CIↃCCCLXXXI. XXI. *Tho. Lomb*, de quo ſic idem [l] *Lelandus. Id ipſa virtus hominis, id multiplex eruditio, id denique poſcunt* Iſiaci, *qui omnibus illum ſuffragiis in doctorum Theologorum gregem aliquando receperunt.* Titulos librorum quos ſcripſit habet *Lelandus* & *Balæus*, quorum prior dicit quod *Lombus* fuit in pretio apud *Iſiacenſes* circa ann. CIↃCCCXC. XXII. Præter hos habentur, *Gul. Beaufue, Gul. Starnefeild, Joh. Beverley, Joh. Loney, Ric. Kenet* (*Lelando* [m] *Cunetius*) *Joh. Langtonus*, aliiq; minoris notæ nonnulli, qui tamen in Theologiâ, Philoſophiâ, reliquiſque Scientiis egregie meruerunt. XXIII. *Rich. Maydeſton* ſeu *Vageniacenſis*, ut *Lelando* [n] appellatur, *multarum Scientiarum à juventute ſtrudioſus ac peritus, poeta per eos dies habebatur inſignis, Rhetor quoque, Philoſophus, Mathematicus ac Theologus.* In hac Univerſitate non modo Doctorum virorum conſuetudine utebatur, verum etiam Theologi inſignia accepit. Moritur CIↃCCCXCVI. XXIV. *Joh. Kenyngham*, inter Magiſtros *Oxonienſes* ob exquiſitam eruditionem, præcipuum locum habuit, *& gravis Philoſophus & Sanctus Theologus inter eos omneſque bonos evaſit*, ut *Lelandus* [o] inquit. Ex hac luce migravit an. do. CIↃCCCXCIX. XXV. *Petrus Stokys*, *Wicliffiani* dogmatis ferociſſimus impugnator. De quo adeas Hiſtoriam præcipue anni CIↃCCCLXXXII. XXVI. *Joh. Marrey.* De eo *Lelandus* [p] noſter, *Marregum* vocitans --- *Ad ſplendorem tamen ejus nominis multa quidem contulit Academia* Oxonienſis, *utpote quæ illum non modo Scientias humaniores, verum etiam Pholoſophiam unà cum Theologia perdocuit. Sed inter cætera, & illud* Marræi *famam non parum extuliſſe videtur, quod* Vicoclivianos *Sacroſanctæ Eccleſiæ & fidei myſteria abſurde tractantes Evangelica virtute compreſſerit. Extat autem liber tam claræ teſtis victoriæ.* Diem clauſit extremum XIIX. *Martii* ann. CIↃCDVII. XXVII. *Rob. Maſcall*, (a prædicto [q] Scriptore *Mareſcallus* vocatur) tantopere inter Fratres illos eruditione juxta ac virtute profecit, ut ab omnibus impenſe dilectus, ab *Henrico IV.* ſecretis Confeſſionum admotus fuerit, & Legatus ad exteros haud ſemel miſſus; ſpeciatim vero ad Concilium *Conſtantienſe* an. CIↃCCCCXV. Duobus autem poſtquam id munus obierat annis, in Sede *Herefordienſi* occubuit. XXVIII. *Steph. Patryngtonus*, vir cum primis, perhibente *Walſinghamo*, eruditus, & concionator ce-

[a] *In To.* 4. *p.* 241. [b] *Ibid. p.* 269. [c] *Ib. p.* 262. [d] *Ib. p.* 256. [e] *Ib. p.* 252. [f] *Ib. p.* 264. [g] *Ibid.* [h] *Ibid. p.* 286. [i] *Ibid. p.* 271. [k] *Ibid. p.* 284. [l] *Ib. p.* 281. [m] *Ib. p.* 276. [n] *Ib. p.* 279. [o] *Ib. p.* 277. [p] *Ib.* 292. [q] *Lel. ut ſup. p.* 396.

leberrimus

leberrimus. Mentionem ejus honorificam habet [a] *Lelandus*, & ab illo [b] *Balæus*. Mortuus autem est *Ciceſtriæ* ſedens anno CIↃCCCCXVII. XXIX. *Thomas Peverell*, Iſiacas *Scholas celebravit* (ut *Lelandus* [c] inquit, qui *Piperellum* vocat) *unde & Theologici Sacrum nomen adeptus eſt. Virtutem hominis & dignitas ſecuta eſt, viz. Epiſcopatus* Lanotavenſis, *deinde &* Bravonienſis. Varia ſcripſiſſe prodit [d] *Balæus*, & è vitâ ceſſiſſe anno Dom. CIↃCCCCXVIII. XXX. *Rob. Roſe* vel *Roſſus*, de quo idem [e] Author in Collectaneis hic citatis, --- *Inter bonarum Artium Profeſſores qui illo ſeculo in* Iſidis vado *floruerunt, non minimus fuit. Nulla etenim Philoſophiæ penetralia erant ad quæ ille partim labore, partim ingenii felicitate aditum non fecerit. Rurſus, nulli in Theologia receſſus tam abditi, quin accepta boni ſpiritus face, curioſe indagaverit.* Ex hac luce migravit an. CIↃCDXX. XXXI. Illos ſequuntur *Joh. Teceſphalius*, *Adamus Hemlingtonus*, Lelando [f] *Hamelendunus*, *Joh. Geeſe*, Epiſcopus *Waterfordiæ* in *Hibernià*, qui mortem oppetiit anno CIↃCCCCXXV. *Joh. Uptonus*, *Joh. Creſſye. Hen. Wychinghamus*, *David Boys*, *Joh. Suttonus*, & *Joh. Spine*, qui omnes famam haud incelebrem, diſputationibus domi, ſcriptiſque apud exteras ſibi nationes pepererunt. XXXII. *Joh. Bate*, de quo *Lelandus* verba ſic [g] facit; --- *Non ille certè ſuorum opinioni de ſe conceptæ male reſpondebat, nam exacto in ſtudiis juſto temporis ſpatio, evaſit non modo in clarum Philoſophum, verum etiam Theologum: quo utroque nomine titulos erudito viro plane dignos non ſine totius Academiæ ſuffragio accepit.* Moritur an. CIↃCCCCXXIX. XXXIII. *Joh. Barningham*, quem (ut idem [h] author habet) *Academia* Oxonienſis *eruditione non vulgari & inſigni fama decoravit, quæ ne violenta temporum injuria aliquando deperiret, modis omnibus curavit. Unus tamen præ cæteris, & expeditior viſus eſt & commodior, nempe ſi impigro calamo aliquid memoria dignum chartaceis tabulis commendaret.* Hæc ille. Equidem fuit in Elenchis callidiſſimus, & in torquendis & retorquendis adverſariorum telis promptiſſimus, ut *Boſtonus* ac *Tritemius* in ſuis tradunt Catalogis. Obiit an. CIↃCDXLIIX. XXXIV *Joh. Kenynghale*, vel *Cuninghalus*, ut [i] *Lelandus* habet, ſuorum in *Anglia* Provincialis viceſimus quartus. In his ædibus & Scholis tam ſedulam dedit melioribus literis operam, ut gradatim ad ſuprema conſcenderit, eoſq; honores illic acceperit, qui primæ notæ Theologis deferri ſolent. *Erat* enim, ut *Pitſeus* narrat, *vir integerrimæ vitæ & ſingularis doctrinæ*, quantum autem in ipſo creverunt virtutes & ſcientiæ, tantum, ut fieri communiter aſſolet, crevit apud alios nominis exiſtimatio, & dilata eſt longè latéque fama. *Norwici* mortuus eſt an. CIↃCDLI. XXXV. Guliel. Stapylhart, *inter* Oxonienſis *Academiæ ornamenta & merito quidem numerabitur.* Talis etenim erat (*Lelandi* ſunt [k] verba) qualem nec noſtra ætas, quantumcumque aurea ſit, inter doctos collocare dedignaretur; Niſi fortè elegantior aliquis parvum eſſe exiſtimet, Philoſophiæ & Theologiæ penetralia, vaſtiſſima quidem illa perluſtraſſe; Et niſi ſciolus aliquis humile quidpiam eſſe ducat, principem locum interpretandi Sacras literas *Oxonii* habuiſſe. Claruit an. CIↃDCLVI. XXXVI. Joh. Stanbury, *omnium* Carmelitarum (inquit idem [l] Author) *qui ſuâ ætate doctis artibus* Iſiaci *incumbebant, facile primus fuit. Cujus eximiæ laudis, hinc Academia, illinc* Henricus *ſuæ appellationis VI.* Anglorum *Rex, teſtem longe optimum ſe offert. Dedit etenim Academia illi tot honorificos titulos quot unquam antea eruditio alicui tribuit. Tum Princeps ipſe, præcognitis ejus virtutibus, illius conſilio in rebus ad religionem pertinentibus maximè uſus eſt. Variis nimirum naturæ ac doctrinæ dotibus eminebat: Et præter decentem ac pulchrum ſtaturæ proceritatem, tam ingenii quam eloquentiæ dexteritate præcellebat.* Moritur an. CIↃCDLXXIV. XXXVII. *Gualterus* Hunt, alias *Venantius*, hujus Ordinis Frater, tam Clari nominis ſuo ſeculo fuit, ut ſibi parem; priorem certe non haberet.

Bibliotheca. Non alia hæc erat quam Camera ſatis ampla, in nova ſuâ Manſione ſita; in quâ libros, erectis ea propter forulis, collocabant, quos arculis prius incluſos aſſervarant. Ibidem vero recondebantur clariſſimi cujuſque è ſuâ Familiâ Scriptoris opera; ſpeciatim *Gualteri Hunt*, *Johannis Spine* Dris. *Rob. Walſinghami*, Dris. *Rich. Lavinghami*, Dris. *Joh. Baconthorpii*, & aliorum quorum Catalogum, imperfectum licet, apud [m] *Lelandum* reperies. Porro autem in libris tutandis, & à tineis ac pulvere defendendis, ſedulam magis operam navabant *Carmelitæ*, quam aut *Franciſcani* aut *Dominicani*; de quibus tamen in Conventuum diſſolutione quid factum ſit, niſi in Collegii forte alicujus Bibliothecam deportati fuerint, plane ignoro.

Eccleſia. Quemadmodum fratribus illis, in Sede ſuâ recentiori, diverſoria recipiendis diſcipulis idonea, cum Clauſtris, & Ambulachris obtigiſſent, nec non Refectorium tam ſplendidum, ut in eo Regum noſtrorum haud pauci feſtum *Paſchatis* & *Nativitatis* celebraſſe memorentur; ita nec Eccleſia ipſis deerat, ampla perinde ac ornata, nec Pyramis Campanarum ordinibus bene inſtructa, quæ ſive *Henricus I.* ſive Succeſſorum aliquis exſtruxerit, certe poſtquam ad Fratres iſtos cum appendicibus omnibus devenerant, & acceſſionibus haud infrequentibus aucta fuere, & ipſa Eccleſia virorum tum genere tum doctrinâ illuſtrium ſepulchris inclaruit. E literatis hi ſunt quos funeratos ibi reperio; *Joh. Bloxhamus* S. T. P. qui anno quaſi CIↃCCCXXXIV. mortem oppetiit. *Rob. Ormeskirck*, libri illius ſcriptor quo de Origine & incrementis hujus Familiæ diſſeritur. Sepultus eſt circa annum CIↃCCCLXXXII. *Gualterus Hunt*, de quo prius, quiq; inhumatus fuit an. CIↃCCCCXXVIII. *Tho. Peverell*, Epiſcopus *Wigornienſis* qui obiit XXIII. *Aug.* CIↃCDXVII. *Joh. Spyne* Prædicator haud incelebris. Magiſterium hic nobiſcum [n] ſuſcepit anno Dom. CIↃCCCCLIV. & contumulatus inibi eſt CIↃCCCCLXXXIV. uti & *Petrus Kenninghale* anno CIↃCCCCXCIV. *Joh. Twynnynge*, *Wincombienſis* Abbas anno CIↃCCCCLXXXVIII. ibidem ni fallor ſepultus, nam cum afflictæ valetudinis eſſet, & huc ſe, recuperandæ ſanitatis gratiâ [o] contuliſſet, fato inter frarres illos defunctus eſt. Denique, *Joh. Ferys* Miniſter Carmeliticæ Regulæ Provincialis, ſepulchro mandatus anno CIↃDXV. cum aliis permultis (quos omnes referre longum eſſet) qui egeſtorum ſubinde loculorum indiciis ſepulti ibidem fuiſſe arguuntur.

Benefactores. De *Edoardo II.* dictum eſt, qui Salarium ipſis annuum è Fiſco regio conſtituit. Porro

[a] *Ib. p.* 309. [b] *In cent.* 7. *nu.* 43. [c] *Ib. ut ſupra p.* 310. [d] *In Cent.* 7. *nu.* 541. [e] Lel. *ut ſ. p. p.* 310. [f] *Ib. p.* 296. [g] *Ib. in Tom.* 4. *p.* 312. [h] *Ib. p.* 328. [i] *Ibid. p.* 317. & 330. [k] *Ib. p.* 331. [l] *Ib. p.* 335. [m] *In Tom.* 3. *p.* 57. [n] *Reg.* Aa *fol.* 79. [o] *Hiſtorici Cœnob.* Winchcombe *per* Rich. Kederminſter, *MS.*

autem

autem quatuor annuatim libras, à [a] Cœnobio *Weſtmonaſterienſi* accipiebant; præter libras tres ab [b] Abbatia *Einſhamenſi*, & lib. II. cum X. ſol. à Collegio [c] *Dunelmenſi* in *Oxon.* iiſdem quotannis penſitatas. Accedit *Thomas Heithfeild* Opifex *Oxonienſis*, qui anno CIↃCCCLXXIII. ſupremo ipſis [d] Teſtamento reliquit Tenementum ſuum in Parœcia S. *Petri* in *Ballivo* poſitum, poſt mortem uxoris ad iſtud Sodalitium rediturum. Tum enim, quod in Animæ requiem fieri ſe velle affirmabat, divendi Tenementum illud, pecuniamque Fratribus Carmeliticis deferri mandavit. Occurrunt & alii, ſed minoris notæ Benefactores, quos propterea lubens prætermitto.

Diſſolutio conventus incidit in Annum Regni *Henrici VIII.* triceſimum primum, tum enim exturbati Fratres ad primævam ordinis ſui egeſtatem revertebantur. Haud longe poſt Domus ipſa cum omnibus ad eandem pertinentibus, tribus annuatim libris & IV. ſol. elocantur, donec idem Rex *Henricus* XXXIII. Regni, an. domini nimirum CIↃDXLI. ob prædia quædam ſibi ad novam *Windelſoriam* conſignata, *Edmundo Powell* de *Sandfordiâ* in com. *Oxon* generoſo, & *Iſabellæ* conjugi, CCCLXXXVIII. libris & V. ſol. [e] tranſcriberet. Præter Manſionem ipſam appendices erant. I. Tenementum & Hortus, prope ipſam Prioratus Portam. II. Tenementum alterum, cum Hortulo, intra Prioratûs limites poſito. III. Via ad Prioratum ab Eccleſiâ divæ *Mar. Magdalenæ* ducens, the Entry ſeu Aditus nuncupata. IV. Stabulum, Clauſura, Area lignaria vocitata, jugerum unum ambitu complectens. V. Clauſuræ binæ, quarum altera Collegium *Gloceſtrenſe* vulgo vocata, jugera tria cum dimidio, altera dictæ vicina, jugera duo in circuitu colligebat. Quibus denique accedit clauſura Eccleſiæ ad Auſtrum adjacens, duobus jugeris terminata. Hæc autem omnia cum ad *Powellum*, quem dixi, devenerant, ædificia pleraque aut ipſe aut filii ejus demoliti ſunt, & pretio addixerunt; quod cæteris autem domiciliis ſuperfuit, Refectorium (id enim fuiſſe fama obtinet) mendicis & lare deſtitutis Parochiæ S. *Mariæ Magdalenæ* in Pandochiam abiit, uſquedum anno plus minus CIↃDXCVI. dirutum eſſet; lapides autem ad Collegium D. *Joh.* Bapt. (cui demum *Carmelitarum* domus obvenit) augendæ inibi Bibliothecæ tranſveherentur. Ita regum natalibus, & frequenti principum convictu celebrata Domus, religione etiam ultimis Paleſtinæ finibus accerſitâ imprimis veneranda, in fortunæ jocantis ludibrium ceſſit, ingenti tantum clade, & ruinæ ſuæ mole ſpectabilis, uſque tamen pietatis uſibus inſervit, dum ad ſummi numinis cultum, & vindictæ divinæ metum, hortatur omnes, & manuducit.

CIↃCCLIV.

Mortuo ſub hæc *Roberto Groſteſto*, mœſtitia incredibilis Academicorum animos pervaſit, utpote quorum tenuiores Patronum perbenignum, reliqui autem fortiſſimum injuriarum ultorem deſiderabant. Enimvero vitæ is curriculum culpæ tam immunis abſolvit, ut mortuum plebs univerſim tota pro Sancto habuerit; immo *Edoardus I.* & Univerſitas *Oxonienſis*, literis ad *Clementem V.* Pont. Rom. miſſis magnopere poſtulârint, ut in Divos referendum decerneret, quem laudibus ad cœlos tollere haudquaquam refugiebant; quæ res ut melius innoteſcat, accipe literas [f] Regias *Carleoli* VI. *Maii* an. Regni XXXV. datas.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino Clementi *Divinâ Providentia Sacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici* Edwardus *ejuſdem gratia Rex*, Angliæ &c. *devota pedum Oſcula Beatorum. Sedis Apoſtolicæ Prudentia circumſpecta quæ Artibus intenta ſaluberrimis, & operibus expoſita pietatis ſolerter exequitur quæ ſunt Dei; ad Divini nominis honorem & gloriam, ac exaltationem Catholicæ Fidei, ſalutemque fidelium merito cenſuit riteque providit, ut quos triumphantis Eccleſiæ regio glorioſa poſt demandatum conſummatumque certamen triforme, Mundi, Carnis, ſpirituſque maligni; Cæleſtis beatitudinis efficit poſſeſſores, cura ſolers Eccleſiæ militantis, Laudando & glorificando in terris dignæ Venerationis officio proſequitur, quatenus eorum ſuffragiis, & Patrociniis apud Deum, qui eſt glorioſus in ſanctis ſuis & in ſua Majeſtate terribilis inter mundanos conflictus & turbines adjuvetur. Fœlicis itaque memoriæ* Robertus *quondam* Lincolnienſis *Epiſcopus Dei famulus, vir utique in ergaſtulo carnis poſitus, excellens meritis, vitæ ſanctitate præclarus, & velut ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi lucerna non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita, diſperſit aliis lumen ſapientiæ & doctrinæ in domo Domini virtutum, jubare adeo coruſcando, quod tandem in divini nominis confeſſione legitimè certans, & contra mundum, carnem, & Dæmonem triumphans, athleta non degener, confeſſor inclytus, & virtutum opifex, Paſtor bonus in populo, curſum vitæ perluſtrans miraculis, vires & potentiam naturalem excedentibus feliciter conſummavit, de peregrino Civis cæleſtis effectus, & Beatorum confeſſorum agminibus aggregatus: hæc de ipſo Agoniſta nobili tenet Eccleſia Anglicana, hæc Pontificalis narrat authoritas, hæc memoria ſeniorum retinet, clerus indicat, militia meminit, teſtatur populus, & omnis utriuſque ſexus ætas, recenter quodammodo velut à patribus nuntiata filiis, recordatur. Dignum igitur æſtimantes & congruum, tam reverendum virum debere condignis in terris attolli præconiis, quem in cœlis Cives Sanctorum, & Domeſtici Dei glorianter honorant, ac ipſe Sanctorum Dominus ſtola gloriæ redimitum ad Paradiſi januam coronavit, beatitudini veſtræ humiliter duximus ſupplicandum, quatenus nuntiis pro Canonizatione præfati Epiſcopi obtinenda ad veſtræ Sanctitatis præſentiam accedentibus, quam ſacroſancta Rom. Eccleſia in conſimili negotio uti conſueverat, benignam dignemini ſi placet audientiam gratioſis affectibus exhibere, ut per promeritæ canonizationis eventum idem Epiſcopus per Apoſtolicæ ſedis gratiam aſcribi valeat Beatorum Catalogo confeſſorum, ſicque ipſe ut ſanctus honoretur in terris, & glorificetur altiſſimus in excelſis,* &c.

Univerſitatis autem codicilli, ut apud [g] *Gaſcoignum* occurrunt, ſic ſe partim habent --- *Quod nunquam percepit aliquis quod ipſe dimiſit aliquem actum bonum officio ſuo vel curæ pertinentem metu alicujus viri, ſed quod martyrio paratus fuit ſi gladius percuſſoris occurriſſet. Item teſtatur prædicta Univerſitas*, (ut ulterius addit) *de ejus magnifica ſcientia, & quod rexit* Oxoniæ *excellenter in gradu Doctoratus S. Theologiæ, & quomodo claruit multis miraculis poſt mor-*

[a] *Reg. vel Record. primit. & Decim.* 26. Hen. VIII. *ut ſupra.* [b] *Ibid.* [c] *Ibid.* [d] *Rot. Huſt. Cur. Majoris* Oxon. 48. Ed. III. [e] *Part.* 2. *Orig.* 33. H. VIII *Rot.* 146. *In offic. Remem. & in pat.* 33. Hen. VIII. *part.* 7. *in offic. Rot. ut ſupra.* [f] *Ex Rot. Rom.* 35. Ed. I. *m.* 5. *in Turri* Lond. [g] *In quibuſdam Fragmentis ſuis MS. & in fine libri* Roberti Groſteſt *de poteſtate & cura paſtorali; MS. fol.* 184. *b. in quadam nota ibidem ſcripta per eundem* Tho. Gaſcoigne.

tem, quæ fuerunt manifesto contra cursum naturæ, & supra vires naturæ, & quod è sacra tumba ejus emanuit frequenter oleum quod in Ecclesia Lincolnienſi *servabatur tunc in testimonium*; *unde propter alia* (inquit Gaſcoignus) *licet à Papa non fuit Catalogo Sanctorum ascriptus, tamen ab ore hominum Sanctus* Robertus *fuit nominatus: hæc sunt contenta in illa Epistola notabili Universitatis* Oxonienſis *ad Papam ſcil.* Clementem: *& inter cætera opera ſua egregia quæ de facili neſcio numerare, licet ea vidi ſcripta manu ſua propriâ, ſcripſit epiſtolas plures pluribus & diverſis miſſas, Regi* Angliæ, *Epiſcopis, Archiep.* Cantuariæ *S.* Edmundo *qui ipſum Dominum* Lincolnienſem *conſecravit in Epiſcopum* Lincolnienſem *apud* Radyng *circa Feſtum S.* Albani. *Item ſcripſit epiſtolas aliis Archiepiſcopis & Abbatibus & magiſtro* Rogero Bacon *Doctori S. Theol. & Fratri minori* &c.

Porro Abbas & Conventus *Oſneienſis* literas ea etiam de re ad Pontificem dederunt, quas quidem videre nondum contigit, cum Academicis tamen illis in librum quendam nigrum, ſeu Regiſtrum, tranſcriptas, & in dicto Cœnobio ſummâ diligentiâ conſervatas fuiſſe comperio. Atqui operam pariter omnes luſerunt, quod tantopere cupiebant, precibuſque ſe & elogiis aſſecutores ſperabant tam non impetrantes, ut Pontifex animo in defunctum infenſiſſimo, effodienda [a] potius ejuſdem Oſſa, & quod in Hæreticos decerni ſolitum eſt, extra Eccleſiæ cancellos projicienda, mandaturus videretur. Verum equidem ſi magni illius viri aut Pietatem, aut eruditionem inſpicias, vel ſi ardorem perpendas qui in promovendâ Religione & ſuſtentandâ Academiâ ſemper emicuit, dignum fatebere cui integrum magis volumen impenderetur, quam qui locum tantum inter plebem literariam obtineret.

Illi *Henricus Lexintonus* in ſede *Lincolnienſi* ſuffectus eſt, diverſiſſimo vir ingenio, qui Mitram vixdum acceperat, cum vexare Academiam, & (quod *Groſteſtus* nunquam ſibi induxerat) Juriſdictionem ſuam in Scholares ampliare ſatageret. Ut illi vero obviaret mature Univerſitas, diplomata varia ab *Innocentio IV.* paulo ante mortem, ſub finem nempe currentis anni obtinuit. Primum [b] eorum *Anaginæ* dabatur v. cal. *Octobris* an. Pontificatus XII. quo protegit libertates & immunitates, ab Epiſcopis, Regibus, Magnatibus & aliis Chriſti Fidelibus Univerſitati conceſſas. Secundum [c] ibidem, eodemque tempore datum, inſcriptumque Epiſcopis *Londinenſi* & *Sarisburienſi* pro conſervatione perſonarum, libertatum, & immunitatum ejuſdem Univerſitatis. Tertium [d] *Anaginæ* datum XI. *Novembris* ejuſdem anni, ad *Oxonienſes* ipſos de confirmatione Univerſitatis, nec non immunitatum, Libertatum & Conſuetudinum ejuſdem. Hæc autem Bulla non multum differt à prima. Quartum [e] *Anagniæ* eodem quoque die datum de confirmatione Statutorum &c. & hoc Indultum confirmatum deinde fuit per [f] Bullam *Sixti IV.* Hæc vero diplomata Epiſcopi impræſentiarum conatus repreſſerant, licet, ut mox intelliges, graviſſimas ille tandem Academiæ moleſtias creârit.

Mortuo quippe brevi poſt *Innocentio*, & ſubrogato illi in Sede Apoſtolicâ *Alexandro IV.* ad illum de Clericis in Caſtro *Oxonienſi* diverſantibus querelas detulit *Lincolnienſis*, nolle eos conqueſtus authoritati, quæ in Anteceſſoribus ſuis perpetuo reſederat, obtemperare. Cui *Alexander* [g] Bullâ ſuâ *Neapoli* v. cal. *Febr.* primo Pontif. anno datâ reſcripſit, ut juriſdictionem eo loci exerceret, *non obſtantibus aliquibus literis à ſede Apoſtolicâ in contrarium impetratis & impetrandis, niſi eadem literæ impetrandæ plenam de præſentibus mentionem fecerint.* Cæterum, quomodo de his rebus deciſum fuerit, haud adeo fit manifeſtum; liquet autem *Lexintonum* eo uſque invaluiſſe, ut de Univerſitatis rebus, nec non S. *Georgii* Eccleſiæ, quæ in Caſtro *Oxonienſi* ſtetit, juribus Inquiſitionem poſtea fecerit; hæc enim apud [h] *Vuiccium* habentur. *Authoritate literarum Domini Papæ* Honorii III. (intelligit autem *Alexandrum IV.*) *& authoritate & præcepto D.* Henrici Lincolnienſis *Epiſcopi, ad feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli an. CIↃCCLVIII. venerunt apud* Oſney *D.* Richardus Graveſende *Decanus* Lincolnienſis, *& Magiſter* David *Archidiaconus* Derby, *tunc Officialis Domini* Lincoln. *Epiſcopi, & M^r* Willielmus *tunc Officialis Dom.* Roberti *de* Mariſco *tunc Archidiaconi* Oxon, *& examinaverunt in Capella Infirmariæ inſtrumenta & chartas ſuper rebus & poſſeſſionibus & juribus pertinentibus ad Eccleſiam de* Oſney *ratione Eccleſiæ S.* Georgii *quæ ſita eſt in caſtro* Oxon. *quibus omnibus lectis & relectis & diligenter introſpectis & examinatis, approbaverunt prædicta inſtrumenta & privilegia & in ſcripturam redigerunt ſigilla ſua authentica in teſtimonium approbationis forinſecus apponentes, attendentes ſimul & longiſſimam præſcriptionem & pacificam poſſeſſionem.*

CIↃCCLV.

Cum per ingentem Clericorum æque ac Laicorum frequentiam innumera propemodum negotia quotidie emergerent, omnibuſque adminiſtrandis Magiſtratus Academici impares eſſent, coacti quodammodo ſunt Magiſtri & Scholares, Regem obſecrare, ut plures qui poteſtate fruerentur, & Academiæ ſimul Urbiſq; paci proſpicerent, inſtituere vellet; utque Majori, duobus Aldermannis, totidemque Præpoſitis & Balivis, duo præterea Aldermanni, cum octo aſſociatis, ſeu qui præfatis opem ferre tenerentur, accederent. Id Regia Majeſtas utile & æquum, & è re ſpeciatim Univerſitatis fore animadvertens, haud difficulter cum aliis privilegiis conceſſit; verum ipſius [i] chartæ verba ſubtexere haud abs re futurum videtur.

Henricus *Dei gratia Rex* Angliæ, *Dominus* Hiberniæ, *Dux* Aquitaniæ & Normanniæ, *Comes* Andegaviæ, *omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint, ſalutem. Sciatis quod ad pacem & tranquillitatem nec non ad utilitatem Univerſitatis Scholarium* Oxon, *providimus & conceſſimus quod quatuor Aldermanni fiant in* Oxon, *& octo de legalioribus Burgenſibus ejuſdem villæ aſſocientur ipſis Aldermannis; qui omnes jurent nobis fidelitatem & ſint aſſiſtentes & conſulentes Majori & Ballivis noſtris* Oxoniæ *ad pacem noſtram* ([k] in dicta Univerſitate) *conſervandam, ad aſſiſas dictæ Villæ*

[a] Lel. *in Tom. 4. p.* 283. [b] *In A. fol.* 48. *b. D.* 24. *a. & in* Haro *de privilegiis. fol.* 4. *a.* [c] *Ibid. in A. & D.* 24. *a. &* Har. 4. *b.* [d] *Ibid. in A. & D.* 23. *b. &* Har 4. [e] *Ibid. in A.* 48. *in D.* 23. *b.* &c. [f] *In FF.* 75. [g] *In lib. Taxationum per Dominum* Norwych *in diœceſi* Linc. *& Decanatu* Oxon *temp.* Hug Wallys; *Bulla* 14. [h] *In Chron.* Oſney *ſub an.* 1258. [i] *In Turri Scholarum in pix. E E. nu.* 8. *ſub ſigillo. Pat.* 39. Hen. III. *m.* 7. *A. fol.* 51. *a. B.* 15. *b.* C. 77. *a. Lib. min. rub. Civit.* Oxon *fol.* 4. [k] (In dicta Univerſitate) *non occurrunt hæc verba in Originali, nec in aliquo alio exemplari præterquam iſto in A. fol.* 51. *ideo delenda exiſtimavi, occurrunt tamen rurſus in C. fol.* 77. *ſed in alio ibid. fol.* 78. *ubi recitatur per modum* Inſpeximus, *omittuntur.*

cuſtodiendas

eustodiendas & ad investigandum malefactores & perturbatores pacis nostræ & vagabundos de nocte & receptores latronum & malefactorum & corporale præstent sacramentum quod omnia prædicta fideliter observabunt. In qualibet autem parochia Villæ Oxon. *sint duo homines electi de legalioribus Parochianis, & jurati quod in qualibet quindena inquirent diligenter ne quis suspectus hospitetur in Parochia: Et, si aliquis receptavérit aliquem per tres noctes in domo sua, respondeat pro eo. Nullus Regratarius emat victualia in Villa* Oxon, *vel extra villam versus villam venientia, nec aliquid emat nec iterum vendat ante horam nonam, & si fecerit amercietur, & rem emptam amittat. Si Laicus inferat Clerico gravem vel enormem læsionem, statim capiatur, & si magna sit læsio incarceretur in castro* Oxoniæ, *& ibi detineatur quousque Clerico satisfiat, & hoc, arbitrio Cancellarii Universitatis* Oxon, *si Laicus protervus fuerit; si minor vel levis sit injuria, incarceretur in Villa. Si Clericus inferat gravem & enormem læsionem laico, incarceretur in prædicto castro quousq; Cancellarius prædictæ Universitatis ipsum postulaverit, si minor vel levis sit injuria, incarceretur in carcere Villæ quousque liberetur per Cancellarium. Pistores & Braciatores* Oxoniæ *in primo transgressu suo non puniantur; sed in secundo amittant panem, in tertio transgressu habeant judicium de pillorio. Quilibet pistor habeat sigillum suum & signet panem suum, per quod possit cognosci cujus panis sit. Quicunque de Villa braciaverit ad vendendum, exponat signum suum, alioquin amittat cervisiam. Vina* Oxon *communiter vendantur, & indifferenter tam Clericis quam laicis ex quo imbrochiata fuerint. Tentatio panis fiat bis in anno videlicet in quindena post festum S.* Michaelis, *& circa festum S.* Mariæ *in Martio, & assisa fiat eisdem terminis secundum valorem bladi & brasii. Et quotiescunque debeat fieri tentatio panis & cervisiæ interfit Cancellarius prædictæ Universitatis, vel aliqui ex parte sua ad hoc deputati, si super hoc requisiti interesse voluerint: quod si non interfint, nec super hoc requisiti fuerint nihil valeat tentatio prædicta. In cujus rei testimonium has literas nostras eidem Universitati fieri fecimus patentes. Teste meipso apud* Wodestoke *xviii. die Juni anno regni nostri xxxix*

Hactenus Rex: sed notandum quod in charta compositionis initæ inter Universitatem & Burgenses an. *Edoardi I.* decimo octavo, articulo primo, ista charta de institutione quatuor Aldermannorum & VIII. Burgensium associatorum &c. Cancellario & Universitati facta & concessa fuisse dicitur. Et quod nulla alia de causa nisi ad pacem, tranquillitatem & utilitatem Universitatis, isti quatuor Aldermanni &c. instituti fuerint. Nullam tamen indè jurisdictionem in Academiam eosdem vendicare potuisse aut posse, ex eodem articulo liquet: tunc enim non ad pacem tranquillitatem aut utilitatem Academiæ hujusmodi institutio cederet, sed potiùs in ipsius prejudicium non modicum &c. Inspeximus literas (inquit Rex) quas Universitati Scholarium *Oxon* fecimus an. regni nostri XXXIX. sub sigillo nostro quo tunc utebamur in hæc verba, *Henricus* &c. ubi charta institutionis quatuor Aldermannorum primo loco recitatur. Ergo istud privilegium Universitati concessum est, Sed hæc obiter. Chartæ autem illi Burgenses tam non obtemperabant, ut pro irritâ penitus & inani habuerint; sive eo irritati quod Sacramentum illa fidelitatis præstandum exigeret, sive quod in Scholarium unice gratiam indultam crederent, & male præterea metuerent ne Academici demum jusjurandum istud coram se suscipiendum postularent; atque idem propterea juramento alteri, quod è Clericorum sub Rege *Johanne* suspendio enatum est, tanquam pro novo subjectionis urbanæ argumento, adjiceretur. Quicquid sit Scholares morem illos mandatis Regiis haudquaquam gerere tantopere succensuerunt, ut magistros quosdam, nempe *Radulphum* de *Briseley*, *Osmundum* de *Idemistona*, *Radulphum* de *Wapham* cum *Reginaldo* de la *Lee* Universitatis Bedello, deputarint, qui Municipes eâ de re coram ipso *Henrico* criminarentur. Is autem [a] literis ad Prætorem & Balivos datis *Westmonasterii* XXIII. *Julii* anno regni XLIII. hunc minitabundus in modum præcipit, *ideo vobis de consilio Magnatum qui sunt de consilio nostro, mandamus firmiter injungentes quod, sicut vos ipsos & omnia quæ in regno nostro habetis, diligitis, prædictas libertates & alias quas ad utilitatem & tranquillitatem Universitatis Scholarium prædictorum providimus & per chartas nostras concessimus eisdem, sine dilatione inviolabiliter observetis, & in Villa* Oxon. *ab aliis faciatis observari, ne pro defectu* &c.

Eâdem quasi tempestate quâ de augendo Magistratuum oppidanorum numero actum est, Clerici Hospitiorum suorum taxationibus gravati, Regem *Wodstochiæ* habentem, paucis ab *Epiphaniâ* diebus, adiere; deque iisdem apud illum conquesti, [b] literas X. *Feb.* datas reportarunt quibus sancitum est, ut habitacula Urbis *Oxoniensis*, quæcunque ab Academicis possideri contigerit, quinto quoque anno in posterum æstimarentur; idque ex sententiâ Clericorum quorundam & Laicorum qui ad id ex æquo faciendum juramento adstringerentur. Quod licet in fructum Scholarium haud parum cederet, Religiosis tamen conventibus, ad quos Aedes in Urbe hac permultæ spectabant, plurimum obfuit, maxime autem *Osneiensibus*, qui censui inde suo multas quotannis Marcas præcidi [c] dolebant. Qua de re, & alibi dicendum. Sed cum in Sermonem de Domorum locatione & de Taxatoribus incidimus, de iis Lectorem isto commodissime in loco paulo certiorem faciemus. Sciat itaque velim, quod ante fundata & dotata *Oxoniæ* aut *Cantabrigiæ* Collegia, Scholares, (qui per ea sæcula pauciores nunquam, aliquando longe plures, quam hodie comparuerunt) domos aut suas, aut pretio ab Oppidanis conductas, incolebant, Hospitiorum, Scholarum & Aularum nominibus appellatas, & (quæ omnia apud exteras pleraſq; Academias etiamnum obtinent) Præsidum quorundum imperio subjectas. Similiter Monachi *Crowlandenses*, *Gislebertus*, *Odo*, *Terricus*, & *Gulielmus*, cum discipulis suis una habitabant; qui an. CIↃCX. in conductitio horreo apud *Cantabrigienses* docebant: accideritne autem ut contubernio non magis commodo uterentur, propterea quod in Urbe illâ ædes jam ante omnes Scholarium plenæ essent; an vero quod nullæ adhuc musis extruerentur, disquirant alii quibus id est otii. Cæterum ad propositum ut redeam, de Hospitiis, quæ dixi, locandis invaluerat, ut ipsorum Dominis nec Academicos exturbare, nec ad alios eadem usus convertere liceret. Et hinc factum est quod quoties Tenementum aliquis concivi suo elocaret id ea conditione factum subinnueret, si nemini unquam Academico collocaret. Hujus rei exempla non desint, unicum [d] vero adferam *Philippum*

[a] *In pix. EE. ut supra nu.* 12. [b] *Pat.* 40. H. III. *nu.* 29. *A. fol.* 52. *b. C. fol.* 78. *b. & in pix. EE. ut supra nu.* 6. *a. b.* [c] *Chron.* Wyke *ut supra sub an.* 1256. [d] *In collectaneis* Nicolai Byshop, *MS.*

lippum Burgeis, qui cum Tenementum ſuum in Parochiâ B. *Virginis* haud longe à vico **Catteſtreete** *Gulielmo Ruſſel* tranſcriberet, ab ipſo, Hæredibus & Aſſignatis ejus tenendum poſſidendumque conceſſit *excepto tantummodo loco Religionis & Univerſitatis* Oxon. Id in annum XLII. *Henrici III.* cadit, velut per chartæ teſtificatores probe liquet. Atqui nè aut neglectæ in ruinam tenderent Scholarium domus aut reparatæ eorundem impenſis oneri fierent: hac de re inter partes [a] convenerat, *Conſuetudo eſt quod omnis Principalis Domus & Scholarium debet rite ter monere Hoſpitem ſuum, vel ſuum certum procuratorem, quatenus defectus ſi qui ſint in his quæ ſunt domui neceſſaria corrigere faciat feſtinanter. Poſt trinam autem monitionem in defectu Hoſpitis, poſt viſum virorum fide dignorum, faciat principalis de penſione domum reparari. Si autem Principalis nec Hoſpitem ſeu ejus Procuratorem monuerit, dum tamen fuerint præſentes notabiliter, licet defectus neceſſariorum non fuerint emendati, aut per principalem emendati, nihilominus ſolvet plenariam penſionem.*

Porro autem, nec Oppidanis id integrum erat, hoſpitiorum pro libitu pretium augere; nam quod *Pariſienſibus* Pontificia, & *Cantabrigienſibus* Regia authoritas elargiebatur, id priuſquam chartis aliquibus (quaſcunque nimirum ego adhuc vidi,) indultum eſſet, mos nobis antiquus contulit; ut ſcilicet domos conductitias Oppidani duo, nec pauciores Magiſtri Academici, ad illud æquabiliter præſtandum jure jurando adacti, licitarentur. Taxatores autem (electi in proximâ Congregatione poſt Feſtum S. *Michaelis*) per [b] ſtatuta tenebantur in ultimâ cujuſque termini Congregatione, quas domos & Scholas, quibus etiam in Parochiis, quantiq; taxârant, è Schedulis ſuis, enarrare; quæ omnia Cancellarius & Procuratores in Regeſta referebant. Quamvis vero ſurgentibus inde Collegiis & decreſcente ſtudentium numero, Taxationes illæ in deſuetudinem paulatim abierint, earum tamen veſtigia haud obſcura *Cantabrigiæ* uſque hodie ſuperſunt; ibi enim Magiſtri bini (quibus idem munus incumbit atque illis quos *Clericos Mercatus* vocitamus) **Taxers** nuncupantur. Mentionem hujus rei, ſi Bullam *Tuſculanenſem* excipias, ante annum *Henrici III.* decimum quintum dom. nimirum CIↃCCXXXI. apud Regiſtra noſtra non deprehendo; tum enim Rex *Oxonii* agens, & de acerbiſſimis Oppidanorum exactionibus (quibus confluentes eodem ab exteris gentibus innumeri Studentes occaſionem præbuere) certior factus, mandato [c] ſuo ad Prætorem & Balivos miſſo eaſdem ſic inhibuit, *ideo vobis mandamus* (inquit ille) *firmiter injungentes, quatenus ſuper prædictis hoſpitiis locandis vos menſurantes ſecundum conſuetudinem Univerſitatis per duos Magiſtros & duos probos legales homines de Villa noſtra ad hoc aſſignandos, Hoſpitia prædicta taxari, & ſecundum eorum taxationem ea locari permittatis.* Quod ſi lis aliqua de domiciliorum pretio aut æſtimando aut pendendo oriretur, ad Cancellarium & Univerſitatem ſpectat eandem dijudicare, uti ex indulto regio de cognitione placitorum ſub an. CIↃCCXLIV. manifeſtum fit. Quoniam vero propter adauctam Tenementorum mercedem, ubi impenſas â ſe factas in recreandis aut etiam ampliandis ædificiis, ſæpiſſimè luebant Academici, difficillimum eſſet Cancellario & Taxatoribus, lites ſubinde naſcentes dirimere idcirco conſtituit Rex ut Hoſpitiorum de quinquennio in quinquennium æſtimatio fieret, ab hoc anno auſpicanda; unde tamen ſecutum eſt ut Municipes chartæ regiæ verba pervertentes, diplomatis an. CIↃCCXLIV. conceſſi vim infringerent; & Taxationem non niſi interjecto quinquennio repetendam arguentes; quæcunque domicilia haud prius æſtimata currente illo quinquennio elocarent, Taxatorum arbitrio antequam recurreret ſolennis taxatio, non permitterent. Ad hæc, quoniam Rex in literis ſuis patentibus voce *Domorum* utebatur, novam hinc illi fraudem machinabantur, & dictionem illam integra tantum Tenementa denotare contendentes, ſingulas cameras (quas conducere tenuiores Academici neceſſe habuerunt) pro libitu collocabant. Hæc itaque poſtquam Regi eſſent nuntiata, Majori confeſtim & Balivis (annus tum agebatur CIↃCCLXIX.) de cuſtodiendis quæ hoc anno mandaverat [d] præcepit, *tam ad utilitatem pauperum & minorum quam divitum & majorum*, & præterea *quod omnes domos municipii prædicti tam minores quam majores cameras & alias quas Burgenſes vel alii Scholaribus locare voluerint & quas dicti Scholares debent conducere & inhabitare, ſine dilatione taxari facerent in forma prædicta, cùm ex parte dictorum magiſtrorum & Scholarium inde fuerint requiſiti*, &c.

CIↃCCLVI.

Perſeverabat adhuc in juriſdictione ſibi adverſum Scholares aſſerendâ Epiſcopus *Lincolnienſis*, eoque demum progreſſus eſt ut Univerſitatis libertates, & ſtatuta ab omni vetuſtate recepta ac notiſſima violaret. Quapropter circa finem hujus anni novem Artiſtas [e] deligebant Academici; & ad Regem, qui ad S. *Albani* tunc temporis diverſabatur, mittebant, de injuriis ſibi illatis conqueſturos, utque tantis oportune malis ſuccurreretur efflagitaturos; quod & ibidem illi in Capellâ *S. Oſwini*, ſcriptis partim, partim vivâ voce præſtitere, & *Matth. Pariſienſis*, qui conſpicuâ eruditione aditum ſibi ad Regem quotidianum aperuerat, his eundem verbis (velut ipſe retulit) obteſtatus eſt. *Domine, pro Domino curam habe de Eccleſia jam vacillante. Univerſitas enim* Pariſienſis, *tot altrix & Magiſtra Sanctorum Prælatorum; non mediocriter perturbatur. Si ſimiliter uno tempore perturbetur* Oxonienſis *Univerſitas, cum ſit Schola ſecunda Eccleſiæ, imo Eccleſiæ fundamentum, timendum eſt vehementer, ne Eccleſia tota ruinam patiatur. Et Rex, abſit quod hoc contingat; meo maxime tempore.* Ex his vero (ut id obiter adnotem) liquido conſtat Univerſitatem noſtram ampliſſimos per ea ſæcula dignitatis gradus adeptam fuiſſe, utpote quam viri clariſſimi SECUNDAM ECCLESIÆ SCHOLAM imo ECCLESIÆ FUNDAMENTUM nuncupare non dubitabant.

CIↃCCLVII.

Sed lites præfatas ut perſequamur, cum hoc anno, tempore Quadrageſimali, Ordinum conventus celebraretur, Artiſtæ quos dixi regio juſſu in eodem comparuerunt, & pax ibidem inter Univerſitatem ac Epiſcopum [f] conciliata eſt. Ne quid autem ab Academiâ ſtatueretur quod Epiſcopo fraudi eſſet, aderat perpetuo ejuſdem Officialis qui contra ejuſmodi attentata proteſtaretur; quod feciſſe reperio cum Cancellarius & Univerſitas, Statuta [g] quædam de ordinariis Magiſtrorum Lecturis, rebuſque aliis re-

[a] *Ibid. fol.* 44. &c. [b] *Ibidem.* [c] *Clauſ.* 15. H. III. [d] *Pat.* 53. H. III. *m.* 17. *vide in an.* 1269. [e] Mat. Parys, *ſub an.* 1257. [f] *Idem ſub eod. anno.* [g] *In C. fol.* 26. *a. & in Chron. vel Annal. Monaſterii* Burtonenſis *MS. vide* Twynum *lib.* 3. *ſect.* 9.

garent

garent, quemadmodum ex his quæ adiicio melius constabit:

Memorandum quod anno dom. CIↃCCLVII. *quarto nonas Junii in Ecclesia B.* Mariæ, Oxon. *pro bono pacis Ordinatum fuit per Cancellarium & Universitatem Magistrorum* Oxon *in hanc formam; quod quicunq: Magister Regens transgressor Statutorum Universitatis inveniatur à suis lectionibus per tres dies, a modo sit suspensus jure & authoritate statuti in quo prius continebatur, suspendatur & si venerit Congregatione adhuc extante tam in Inceptionibus Magistrorum quam in funerationibus Scholarium defunctorum, denuntient Procuratores ita. Nos Procuratores denuntiamus te Magistrum suspensum authoritate statuti nisi in fide quâ teneris Universitati, dicas te credere habere rationabilem excusationem, & si non venerit in ipsa congregatione tunc idem fiet in proxima sequenti, denuntiato ei prius specialiter quod interest: Et si in proxima non fuerit Congregatione ad id ipsum faciendum, faciant Procuratores fieri congregationem quæ ultra triduum non differatur. Protestatus est ibi tum* David *Archidiaconus* **Derby** *Canonicus* Lincoln. *coram prædictis Cancellario & Universitate, pro jurisdictione, authoritate & officio domini sui Episcopi* Lincoln. *suorumque successorum & dignitate & consuetudinibus Ecclesiæ* Lincoln. *ne quoad hæc iis per dictam Ordinationem, aut alia statuta Universitatis in aliqùo præjudicetur: Cancellario & Magistris prædictis protestantibus quod in his per sua statuta vel Ordinationem, in nullo volunt nec intendunt præjudicare dicto Episcopo, aut suis successoribus seu Ecclesiæ* Lincoln. *in cujus rei testimonium* &c.

CIↃCCLIIX.

Inter gravissimos motus quibus hoc anno concussa [a] est Universitas (ut illos omittam qui è Parliamento cognomine *Insano*, eoque loci habito emerserunt) fuere ipsorum, è variis gentibus, Scholarium dissensiones, vesano adeo furore prorumpentes, ut Academiâ in partes transeunte, *Scoti*, *Walli*, *Anglique* Boreales contra Australes erectis etiam signis dimicarent. Eductis quippe in Campos *Bellositenses* copiis, justo quasi prælio depugnabant, donec occisis utrinq; haud paucis, vulneratis autem quamplurimis, victoria ad primo dictos inclinaret, qui fusis Australibus insigniter triumpharunt. Atqui ubi refrixit demum juvenilis animorum fervor, admissi atrocitatem serio expendentes, conversis ad Regem & superventuram ultionem cogitationibus, (quod graviorem vero ipsis metum incussit erat *Leolini* è *Griffino* nati *Walliæq*; Principis fratrem, in custodiâ nuper occubuisse) de avertendo supplicio consilia sociabant; & in eo tandem coibant sententiæ, ut quo delicti sui gratia fieret Regi MMMM. *Edoardo* filio CCC. Reginæ autem CC. marcas offerrent. Cæterum id frustra sperabant; Rex enim responsum supplicantibus dedit, vitam se unius cujusque subditi pluris facere quam ut ullo, nedum oblato, pretio licitaretur; & *Oxonium* illi anxii haud parum & solliciti revertuntur. Quos tamen pœna confestim non est secuta, quod *Henrico* bello partim cum *Leolino*, partim cum Optimatibus suis implicito eidem irrogandæ non vacaret. Utcunque fuerit, certe bellum illud academicum insequentibus Regni tumultibus præluisse, & antiquis hisce [b] Rhythmis fidem feciſſe videbatur:

Chronica si pense cum pugnant Oxonienses,
Post paucos menses volat ira per Angligenenses.

Etenim proximo anno dissidia *Oxoniæ* inter exteros, Barones Nobilesque *Anglos* (quorum primos ordines ducebat *Simon* de *Mountfort*) [c] contingebant; ubi manu utrinque armatâ comparente, cum res quæ ad pugnam jam spectabat, ad deliberationem denique deducta esset, Optimates nonnulla, quoad provisiones *Oxonienses*, à peregrinis servanda statuebant (præsentes autem aderant cum *Pictaviensibus* suis *Eimerus* seu *Ethelmerus* Episcopus *Wintoniensis* electus & *Gul.* de *Valentia*) quos ad Castrum de **Wolvesey**, prope *Wintoniam*, sese subtrahentes persecuti, regno brevi exterminarunt.

CIↃCCLIX.

Tempore hujus anni Quadragesimali (quando nimirum nobiscum pariter & apud *Cantabrigienses*, lites cum summâ difficultate compescendæ accendi consueverunt) seditiones de novo [d] emergunt; quarum occasio fertur, quod cum reus quidam cædis rupto carcere aufugeret, eundem Scholares, supplicio prorsus eximendum meditantes, in Ecclesiam aliquam vi abduxerunt. Hoc sane ipsis in more fuisse positum reperio, ut de condemnatis, sive Clericis sive Laicis, justitiam fieri impedientes, quoties illi protraherentur, & vel, prope Castellum, vel in loco **Greenditch** vocato suspendio essent plectendi, eosdem carnifici & satellitio judiciario ereptos in Templum maxime S. *Ægidii* includerent, regnumq; adactos ejurare, incolumes furtim dimitterent.

Sub idem tempus orta lis est inter Constabularium Castri *Oxoniensis* & Cancellarium Universitatis, siquidem Cancellarius Præfecto isti quoad contractus Scholarium cum Judæis; exceptis unice placitis coronam spectantibus, jus omne negabat. Cum in ambiguo itaque res esset, Regiæ Majestati visum est *Nicolaum* de *Turri*, cum assessoribus nonnullis, eidem controversiæ ex æquo dijudicandæ [e] delegare.

CIↃCCLX.

Post paulo *Johanni Wyvill* & *Laurentio Broks* concessam porro authoritatem [f] reperio, de causis ad Scholares & Judæos pertinentibus quæstionem habendi, Regemque de iisdem certiorem faciendi; quibus id expresse incubuit ut si potestas in iis casibus Cancellario adjudicaretur, quid Universitati inde accederet, quid Regiæ autem Majestati decederet, notum facerent. De illis mihi nil amplius occurrit; sed cum eadem quæstio postmodo [g] moveretur, sub *Gilberto Prestono* renuntiatum per juratos invenio, quod *Cancellarius Universitatis* Oxon *qui pro tempore extitit, temporibus retroactis habere consuevit cognitiones omnimodorum contractuum querelarum & loquelarum inter Scholares ejusdem Universitatis & Judæos* Oxon *subortorum, & ea terminare consuevit, exceptis his quæ ad coronam D. Regis pertinent, & ad placitum terræ. Dicunt etiam quod de hujusmodi cognitionibus profectus non decidit D. Regi per annum, nec eidem Universitati accrescit, quia prædictus Cancellarius non capit misericordiam neque lucrum de*

[a] Mat. Paris *sub an.* 1258 &c. [b] *In lib. MS. cui tit. est* Aurum ex Stercore, *per* Rob. Talbot. [c] Mat. Paris *ut supra.* [d] *Ibidem, sub an.* 1259. [e] *Pat.* 44. Hen. III. *m.* 2. [f] *In Pat.* 45. Hen. III. *m.* 19. *& in A. fol.* 53. *b.* [g] *Ex fasciculo inquisit* 45. Hen. III. *nu.* 3. *in turri* London.

prædictis Scholaribus nec de Judæis: ſed ſolummodo prædictus Cancellarius nutrit pacem & tranquillitatem inter prædictos Scholares & Judæos &c. Hunc finem habuit lis ea; cæterum ubi Regi in Sanctioribus conſiliis ſignificatum eſſet, quod Clericis *Oxonienſibus*, propter incolarum multitudinem, (eodem ſcilicet aut ſtudiorum gratiâ, aut de negotiis Regni publicis confluentem) moleſtiæ haud parvæ crearentur, quo turbæ & ſeditiones, è concivium frequentiâ oriri potiſſimum ſolitæ, deinceps præcaverentur, Magiſtris & Scholaribus 1. *Februarii* licentiam [a] conceſſit, ut *Northamptonam*, ſi vellent, commigrantes, Scholas erigerent, & Ingenuas ibidem Artes profiterentur; quo autem benignius eâ in urbe ſuſciperentur; Majori, Balivis, reliquiſque Magiſtratibus [b] mandavit ut eoſdem in rebus quibuſcunque neceſſariis humaniter tractarent. En vero tibi ipſius literas.

Rex dilectis & fidelibus ſuis Majori & Ballivis & cæteris probis hominibus ſuis de **Northampton** *Salutem. Cum quidam Magiſtri & alii Scholares proponant in Municipio veſtro morari ad Scholaſticam diſciplinam ibidem exercendam (ut accipimus) Nos cultum divinum & regni noſtri utilitatem majorem ex hoc attendentes, adventum prædictorum Scholarium & moram ſuam ibidem acceptamus. Volentes & concedentes quod prædicti Scholares in municipio prædicto ſub noſtra protectione & defenſione, ſalvò & ſecurè morentur, & ibidem exerceant & faciant ea quæ ad hujuſmodi Scholares pertinent. Et ideò vobis mandamus firmiter præcipientes, quod ipſos Scholares, cum ad vos venirint commoraturi in Municipio prædicto, recommendatos habentes, ipſos curialiter recipiatis, & prout ſtatum decet Scholaſticum tractetis; non inferentes eis vel inferri permittentes impedimentum, moleſtiam aut gravamen. In cujus rei teſtimonium* &c.

Subſcriptio,

Et mandatum eſt univerſis, Magiſtris & aliis Scholaribus venturis ad Municipium prædictum, quod Rex adventum ipſorum in Municipium prædictum, ad Scholaſticam diſciplinam ibidem exercendam affectat: Et Rex vult & concedit, quod ſub ſua protectione & defenſione, ſalvò & ſecurè morentur in Municipio prædicto & ibidem exerceant & faciant, quæ ad ipſos pertinent.

Ita Rex: Qui vero hæc legit, an crediturus eſt, *Cantabrigiam* etiam tunc fuiſſe Univerſitatem aut approbatum Scholarium ſtudium? Nam ſi fuiſſet ſine dubio nova illa *Northamptonenſis* Univerſitas, non minus *Cantabrigiæ* quam *Oxoniæ* præjudicio futura erat: Sed nihil hujuſmodi in regiis literis videmus (inquit [c] *Twynus*) ſola nominatur hic *Oxonia* quaſi ſola hujuſce regni Univerſitas, cùm nominanda quoque, & procul dubio nominata fuiſſet *Cantabrigia*, æquè enim & multo magis nova Univerſitas *Northamptonenſis* veteri ſtudio *Cantabrigiæ*, quam veteri ſtudio *Oxoniæ* obfuiſſet ſi tua *Cantabrigia* (inquit idem author contra [d] *Londinenſem*) antiquum fuiſſet ſtudium.

Quid etiam in causâ fuerit quod aliis temporibus (quemadmodum ex hiſtoriis quas *Matthæus Cantuarienſis* Archiep. edidit ſuadetur) *Oxonienſes*, ſuas ſedes deſerentes *Cantabrigiam* protenus convolarunt: nunc autem non civilibus diſcordiis, ſed mandato regio amovendi, *Cantabrigiam* evitantes novum ſtudium in utriuſque veteris præjudicium, *Northamptonæ* inchoarent? immo quamobrem exiſtimas maluiſſe Regem ut Scholares *Oxonienſes* ad ſuos deinde remearent (ſic enim Rex præcipit)quam ut *Contabrigiam* ſe conferrent, celeberrimum, nec non antiquiſſimum (ſi *Londinenſi* ac ſuis credendum ſit) omnium bonarum Artium emporium? Nam ſi *Cantabrigiam* omnes continere non potuiſſe negaveris, certe & *Londinenſi* adverſaris, qui *Oxonienſium* paucitatem ubique nobis obiicit, & *Matthæo Pariſienſi*, apud quem legis (ſi vera ſit *Matthæi Cantuarienſis* editio, ut noſter inquit Antiquarius) *Oxonienſes* ſub Rege *Johanne Cantabrigiam* commigraſſe; addo quoque quod cum Scholaribus *Oxonienſibus* ubique per totam *Angliam* propter inſultum in Legatum *Othonem* diſperſis, Vicecomitibus fere totius *Angliæ* Rex per ſua brevia nominatim, de Scholaribus in ſuis Balivis capiendis præcepiſſet atque mandaſſet, prout in Archivis Univerſitatis *Oxon* legimus, Vicecomiti *Cantabrigienſi* de fugitivis illic capiendis nihil omnino præcipitur; & tamen non eſt credendum, *Cantabrigiam* oppidum adeo ignobile tunc fuiſſe, ut eo perfugii ſaltem loco, *Oxonienſes* commigrare noluerint, præſertim ſi modo illic ſtudium tunc temporis viguiſſet, quod ego non iniquis rerum æſtimatoribus relinquo.

Præterea licentia inchoandi ſtudium apud *Northomptonam* non *Cantabrigiæ*, ſed *Oxoniæ* conceſſa & tranſmiſſa eſt, ideoque *Rob. Harus* inter *Oxoniæ* memorabilia repoſuit, nec tamen addit (quod ſolet) *conſimiles habere Cantabrigiam literas de eadem datâ; mutatis mutandis.* Sed & conſultis *Nortamptonienſium* Archivis, veram & genuinam lectionem eam eſſe invenimus quam ſupra in regio diplomate recitavimus: quis enim Regem dicturum crederet, novam Univerſitatem *Northamptonenſem Oxoniæ* incommodo futuram, non *Cantabrigiæ*, ſi veteri illo ſtudio relicto & poſtpoſito, *Cantabrigienſes* novam Univerſitatem alibi inchoaturi fuiſſent? Sed pergo ad annum proximum.

CIↃCCLXI.

Ordinaſſe Regem XXXIX. regni ſui anno diximus, quod *Oxonia* IV. Aldermannos (hoc eſt Senatores) VIII. autem Burgenſes ſeu aſſociatos haberet ſacramento fidelitatis aſtringendos ut ſub an. CIↃCCLV. De iis vero inſuper hoc anno *Febr.* V. fertur, quod Conſtabulario Caſtri *Oxonienſis* (viro ſub id authoritate & honore præpollenti) poteſtatem [e] detulit, *recipiendi vice noſtrâ* (Regis verba ſunt) *juramentum ſupradictum.* Cæterum idne pro hoc tempore tantum, an ipſi in perpetuum & ſucceſſoribus ſuis permiſſum fuerit, nec dicam nec ſane alicubi invenio.

Hoc etiam anno (ut ſcriptor [f] quidam retulit) Studium *Oxonienſe* in Univerſitatem evectum eſt, & ſub illo nomine Privilegiis donatum; Bullam Pontificiam (prout alteri [g] cuidam videtur) impetrante *Bonifacio* Archiep. *Cantuarienſi.* Quin de his vide ſupra pag. 18. ubi de Univerſitate in genere diſſerui.

CIↃCCLXII.

Hoc anno Ballivi *Oxonienſes* Clericos quoſdam de membro mutilato, vel pro *tranſgreſſione cujuſdam Mahenii retentantes* (ſic enim loquuntur juriſperiti) per Cancellarium ſacris arcentur; ſed querelis ad Re-

[a] *Pat.* 45. Hen. III. *m.* 17. [b] *Ibidem.* [c] *In Apol. lib.* 3. *ſect.* 73. [d] *i. e.* Caium *qui ſcripſit de Antiq. Acad.* Cantabr. [e] *Pat.* 46. Hen. III. *m.* 16. *& in pix. EE. nu.* 9. *&* 10. [f] *Hiſtoria* Perſorienſis *MS.* [g] Matth. Parker *in Antiq. Britan. in vita* Bonifacii *Archiep.* Cant.

gem

gem delatis, Procuratoribus ibi tum forte præsentibus, [a] mandatur, ut de revocandâ propere sententiâ viderent, sub pœnâ ne Universitas Prærogativis suis & immunitatibus protinus excideret. Quod præstitum cum fuerit, colligere exinde non est, potestatem illam excommunicandi injuriâ sibi arrogasse Cancellarium (qua usum ab antiquo fuisse, è Scriptis quamplurimis liquidissime patet) sed Ballivos enorme illud flagitium coercentes, pœnâ affectos haud merito fuisse.

Eodem anno Fratres de pœnitentiâ Jesu *Oxoniam* adventarunt, postquam in *Angliâ* ab an. CIↃCCLVII. fuissent; de quibus ibidem confidentibus, nec longo post tempore exactis, sic breviter accipe.

Fratres illi, *Saccati* primitus dicti (utpote quorum vestitus è crassissimo panno quem Saccum vocamus confiebat) *Oxoniæ*, quæ de admittendis fovendisque Sodalitiis toto pridem orbe inclaruerat, desiderio capti, & eâdem sibi viâ quâ *Dominicani* olim & *Franciscani* perrexissent, insistendum arbitrati; *Henricum III.* summum religiosorum ordinum fautorem supplices adeunt, eoque loci agellum, extruendo Hospitio sacelloque parem, junctis precibus efflagitantes, fundum haud ægre [b] impetrant, extra portam occidentalem positum, ad latus australe illius Plateæ quâ ad molendina sub castro transitur. Quem tamen, quod inibi nuper stetisset Ecclesia S. *Benedicti* Parochialis, sub hac conditione * obtinebant, ut templi illius cœmiterium, *tanquam cœmiterium Benedictionum* (sic habet charta) *in suo statu remaneret.* Inde autem & agellum prædicto vicinum à *Gualtero* aur fabro, pecuniis quas ab *Ela*, Comitissâ *Warwicensi* piissima, perceperant, coemere; de quâ pariter ac regiâ donatione, in citatâ superius [c] Inquisitione mentionem his verbis factam reperio--*Item Fratres de pœnitentia habent unam Ecclesiam cum Cœmiterio, ex dono domini Regis, & aliam Placeam, quam emerunt à Waltero aurifabro, & reddunt indePriori de* **Stiwenton** 11. Sol. *quantum valet nescitur.* Quibus ita ex voto peractis, superfuit tantum ut ædificandi licentiam ab *Osneiensibus* (in Parœcia enim S. *Georgii* & hæc eorum sedes erat) consequerentur; quam tandem ope & rogatu prædictæ Comitissæ, sub hujusmodi Formulâ sortiuntur. *Universis innotescat Abbatem & Conventum de* **Osney** *jus suum omne Fratribus de pœnitentia consignare quoad aream illam quæ dictis Fratribus collata est* (loquor ex [d] autographo) *in Parochia S.* Georgii, *ita scilicet quod dicti Fratres in dicta area possint cohabitare, & ad divina celebranda capellam construere, & omnia alia ad Ordinis eorum promotionem spectantia*, &c. *Ea Conditione quod ad sacramenta Ecclesiastica non admittant Parochianos S.* Georgii &c.

Hæc data erant anno CIↃCCLXII. attestantibus *Thomâ* de *Cantelupo* Cancellario *Oxoniensi*, *Andrea* Constabul. Castri *Oxon.* cum *Nic.* de *Kyngston* Prætore, *Adamo* Feteplace, *Joh. Pady* &c. ejusdem urbis Civibus. Post hæc autem, juvante *Warwicensi* quam dixi Comitissâ, Domicilium & Capellam ex Ecclesiæ S. *Benedicti* (quam liquet S. *Budoci* [e] nuncupatam frequenter fuisse) ruderibus erexere; ibique sub Prioris imperio degentes, pro *Henrici III.* & *Elæ* Comitissæ animabus sacra quotidie peragebant, & *Franciscanorum*, quorum Scholæ in propinquo erant, Lectiones sedulo frequentabant, eruditionis inde fructum percipentes, & doctrinæ laude mediocriter florentes. At vero cùm an. CIↃCCCVII. Fratrum istorum Ordo in *Angliâ* [f] abrogaretur, possessiones illæ ad Regem devenere; is autem post biennium *Franciscanis* [g] donavit, qui dirutis inde ædificiis, quicquid agri erat infra fundi sui præcinctum includebant, prout supra ad ann. CIↃCCXXIV. ostendimus. De fratribus iis non amplius addam, quàm, uti reliquas Familias, prædivitum *Oxoniensium*, viventium partim, partim fatis concedentium, munificentiam participasse; & in priscis quæ vidi scriptis, Fratres Saccatos, Fratres de Saccis, Fratres de pœnitentia Jesu Christi, Fratres de pœnitentia Dei, denique, Priorem & Fratres de Pœnitentiâ, denominatos occurrere.

CIↃCCLXIII.

Edoardus Princeps *Lutetiâ* rediens, paulo ante Festum S. *Matthiæ*, ad Regni limites, vel Marchias *Walliæ*, cum exercitu tendebat, *Oxoniam*que accedens, à Burgensibus (occasione tumultuantium sub id Baronum) urbe prohibetur. Coactus ergo milites quoad fieri poterat in proximo disponere, ipse in Parochiâ Divæ *Magdalenæ* ad Aulam Regiam pernoctavit, & insequenti mane destinatum iter suscepit. Verum Scholares in oppidum concluси, & primo Principis, quem impense cupiebant, congressum, dein ludos in Campis *Bellositensibus* exerceri quotidie solitos, desiderantes, ad **Smythgate** seu Portam Fabrorum conveniunt, in agros emitti postulantes; cùmque id Ballivorum alter concedendum diserte negaret, ad hospitia passim dilabuntur, armisque propere instructi (qualia erant Bipennes, vectes, & arcus quos ex officinis confestim rapuere) eodem confertissimi redeunt, Portamque vi refringunt. Quare Prætor urbanus *Nicolaus* de *Kyngstone*, manu factâ eorum perplures comprehendit, & in carcerem conjectos tam minime videbatur (rogante licet Cancellario) liberaturus, ut prolatis vexillis, & ordinatis in prælium civibus, reliquos ex inopinato Academicos adoriri decreverit. Et certe designatum flagitium perpetrasset, ni Clericus quidam oppidanos in Plateam *Altam* vulgo **Highstreete** secundum Ecclesiam *Omnium Sanctorum* eductos animadvertens, per pulsationem campanæ Scholasticæ in Æde Beatæ *Virginis* positæ, Academicis ad prandium jam discumbentibus impendens discrimen significasset. Quapropter illi arreptis confestim telis, (arcubus utique, gladiis, fundis, falcibusque) invasuris obviam prodeunt, consertoque acriter prælio, eosdem, vulneratis quamplurimis, fortissime superant, & in fugam conjiciunt. Partâ sic victoriâ in oppidanorum Aedes perrumpunt, bonaque diripientes, ad Præpositorum urbanorum alterum, *Galfredum* de *Henkfey* transvolant, ejusq; domicilium, quod in platea *piscariâ* secus viculum *Kepeharmianum* stabat, injecto igne succendunt. Hinc ad alterius præpositi, *Gulielmi* le *Espycer* habitaculum, apud Unguentarios, sive in *Spiceria* positum, decurrentes, eundem fortunis omnibus dispoliant. Deinde autem & Prætoris, qui artes cauponarias exercebat, cœnopolium aggressi, magnam vini partem epotant, quod reliquum vero erat exhauriunt corrumpuntque.

Hæc mihi Inquisitio quædam super eâ re facta suc-

cincte

[a] *Claus.* 46. H. III. *m.* 15. [b] *Pat.* 3. Ed. II. *m.* 33. *in quibus quidam literis recitatur donum* H. III. *factum his Fratribus.* * *Ibidem.* [c] *Rot. gen. inquisit Com. & Villæ* Oxon *per Hundred.* 6. & 7. Ed. I. *in Turri* Lond. [d] *Reg.* Osney *in bib.* Cotton. *fol.* 224. *b. & in quodam Regest. parvo pertinent Collegio* Merton. *fol.* 11. *a.* [e] *In rub. lib. Civit.* Oxon *C. & in Reg. Coll.* Merton. *ut supra.* [f] *Vide in* Balæo *cent.* 4. *nu.* 82. *append.* [g] *Pat.* 3. Ed. II. *ut supra M.* 33.

cincte exhibuit, cui nec repugnant Poetæ [a] cujuſdam *Oxonienſis*, ibi tum præſentis carmina; quæ quamvis & ſucco careant & colore, cùm ex novitate tamen delectationem nonnullam afferre poſſint, ſubjungi forte mereantur.

Sir Edward that by eſte tho, mid poer gret inou,
Some toward leinte, toward the March he drowe.
Is wey he nom bi Oxenford. ac the Borgeis anon,
The ghates made aghen him. of the toune echon.
He wende and lai withonte toun. atte Kinges halle.
And wende vorthe amorowe mid is men alle.
The ghates tho he was iwend were alle up ibroght
Sone bote Smithe ghate. ac that nai undo nought.
The Clerkes adde therthoru, much ſolas ilore,
To pleye toward Bewmond. anuid hij were therbore.
The Bailif hij bede offe. to graunti hor ſolas,
To pleye, and undo thut. ac vor noght it was.
So that an uewe wilde hinen. alight red therof nome.
And a daie after mete, with axes thuder come.
And that ghat to hewe. and to daſſe there.
And ſuththe thoru Beumond to hare welle it bere.
And ſubvenite ſancti vaſte gonne ſinge.
As me doth wan a dede man, me wol to putte bringe.
William the Spicer. and Geffrai of Hencſey that tho were
Portreven, and Nicole of Knigeſtone that was Mere
Nome of this Clerkes, and in priſon Caſte,
And nolde hom nought deliver. gut the chaunceler bed vaſte.
The Clerkes were tho wrothe. the Burgeis were tho volde.
And thretnede to nime mo. and of hor wrathe the lutt tolde.
The verſte Thorſday in lente, the Burgeis were wel fers.
Ann the wule men were atte mete arerde tueie baners.
And wend hom vorth iarmed mid all hor poer there
To defouli alle the Clerkes. ar hij iwar were.
As hij come agen alle Halwen mid poer ſo ſtrong,
At ſeint Marie Churche a Clerck the comun Belle rong
This Clerks up from hor mete. and to Godes grace truſte
And ſeit that hij were iſſend. bote hij the bel hom wuſte.

Hii mette with this Burgeis and bigonne to ſeke vaſte.
And wounded ther was mani on. ac the Borgeis atte laſte.
So that the Clerkes adde the ſtretes ſone ilet.
The bowiares ſoppe hii breke and the bowes nome echon.
Hii bigonne to fle vaſte. hom thoghte lonege er.
Suththe the portreves houſe, hii ſette a fur anon,
In the ſouth half of the tovune. and ſuththe the Spicerie
Hii breke from ende to other. and dude al to robberie.
Vor the Mer vuas Winiter, hii breke the viniterie
And alle othre in the toun. and that vas lute Maiſtrie.
Hii caſte avuei the doſils, that vuin orn abrod ſo
That it vuas pite gret of ſo much horme ido
Ther vore tho the kinge com and vuuſte ſuich treſpaſſe
Alle the Clerkes out of the tovu he drof vor thut cas
Ne vort after miſſelmaſſe hii ne come na more ther
Tell vuell novu of Sir Edward of vuan vue begonne er.

Sic ille de pugnâ Scholarium cum Civibus; quæ cum Regi criminatorie denuntiaretur, [b] mandato ille ſuo à *Roffa* XXVIII. *Februarii* ad Cancellarium, Majorem, alioſque *Oxonienſes* tranſmiſſo præcepit, ut rem penitus diſquirendam, ſeque certiorem faciendum diligenter curarent, quo tantis nimirum malis ſubveniri ſuo tempore poſſit. Cæterum cum literæ ipſorum quas *certificatorias* vocant plurimum à ſe invicem diſcreparent, Rex *Johannem* de *Balſham*, & *Simonem* de *Len* eodem amandavit, cum poteſtate diſſenſiones illas eventilandi, pacemque inter Academiam & Urbem conciliandi. In eorum vero relatione acquievit Regia Majeſtas; qui aperte porro *Oxonii* profitebantur, & per præconem nuntiari faciebant, quod Scholares (qui ſupplicii metu pleriq; omnes aufugerant) ad Academiam tutò & ſecure poſſint reverti; quodque Rex nil ab ipſis aliud depoſcebat aut exigeret, quam ut junctis operis de pace publicâ in poſterum ſervandâ cum civibus conſpirarent.

Poſt paucos inde dies, XII. ſcilicet *Martii Henricus* concitatis toto Regno turbis & ſeditionibus permotus, Conventum Nobilium *Oxoniæ* indixit; cumq; in tanta frequentiâ perſtare ibidem Scholares percommode non poſſe arbitraretur, Urbe tantiſper excedere [c] juſſit, dum comitia Ordinum haberentur; quibus finitis, bona illis & immunitates, cum Aulis & Hoſpitiis reddenda ex toto iri, pollicitus eſt, deputatis quibuſdam conſtitutis, qui abſentium nomine proventus eorum quoſcunq colligerent & procurarent. Ita porro fore ſpoſpondit, ut quamprimum Regni tumultus ſedari contingeret, illi Univerſitatem priſtinaſque ſedes denuo repeterent; fidem inſuper aſtrictâ, ſi quæ interim lites cum oppidanis contingerent, ex jure & æquo dirimendas ſe curaturum;

[a] Rob. Gloceſtrenſis *in Hiſt. metrica MS. fol.* 152. *b*. 153. *a*. [b] *Pat.* 48. Hen. III. *nu.* 4. [c] *Pat.* 48. Hen. III. *part.* 2. *m.* 15. *& in pix. E E. nu* 7.

ſecundum

ſecundum tenorem literarum patentium, quæ XXVIII. *Februarii* dabantur, & quarum jam ſupra meminimus.

Haud ignoro quod à [a] nonnullis proditum eſt, Academicos, qui (ut habet [b] *Riſhangerus*) ad XV. millia è matricula Univerſitatis cenſebantur, Baronum juſſu, minime autem ex placito Regis pulſos *Oxoniâ* fuiſſe, quorum quidem alios ita dimiſſos *Northamptonam*, alios *Salisburiam* petiiſſe, ſatis conſtat. Putaverim ego, veriſimillimum eſſe mandato prorſus Regio diſperſos Academicos, idq; ne ad Baronum partes, prout paulo poſt *Northamptonæ* accidit, [c] tranſirent. Inſuper quod à [d] nonnullis proditum, amandatos longe illos, quia rex huc adventabat religionis ergo D. *Frideſwydæ* ſepulchrum inviſurus; aut ut pœna Civibus *Oxonienſibus* per receſſum iſtum infligeretur, qui injuriis frequenter gentem togatam laceſſiverunt; & contra immunitates tum ab ipſo *Henrico*, tum ab anteceſſoribus ſuis indultas, Academicos nuper in Carcerem conjeciſſent, minimè admittendum: licet *Vuiccius* [e] dicat, quod iſtiuſmodi de causâ Rex *omnes Scholares ab* Oxonio *diſcedere præcepit, qui exulabant uſque ad Nativitatem S. Joh. Baptiſtæ proximo ſequentem, &c.* Quid enim opus, ut tota diſſolvatur Univerſitas, dum Rex D. *Frideſwydam* ſalutaret, aut quales iſtæ vindiciæ, ut oppidanorum delicta Academici ſuo exilio luerent?

CIↃCCLXIV.

Sed hæc miſſa ut faciam, quæcunque expulſionis (fas ita appellare ſi ſit) cauſa fuerit, Clerici pene omnes (excipio enim aliquos *Salisburiam* migrantes) *Northamptonam*, (quo in loco ſuorum nonnulli Scholas quaſdam nuper inſtituiſſent, & quo ſe bene multi ante regium quoq; decretum recepiſſent,) [f] conceſſere: cumq; eodem Rex anno, collectis *Oxoniæ* copiis, validiſſimo exercitu in Barones moviſſet, & *Northamptonam*, ubi ſe tutabantur, accederet, urbem illam ſummis viribus oppugnaturus, Scholares, qui ab Optimatibus [g] ſtabant, aut ſaltem novas ſuas ſedes, fugæ & errorum pertæſi, defendebant, arcubus, fundis, & arcubaliſtis inſtructi, ſub proprio quodam vexillo militantes, rem adeo fortiter geſſere, ut aciem Regiam gravius infeſtaſſe quam reliqui omnes obſeſſi crederentur. Eorum ſane virtus tantopere emicuit, ut Rex quinam eſſent percontatus, ſuſpendium omnibus ad unum, interpoſito etiam jurejurando, denuntiarit; & illi ſententiâ tam acerbâ perterriti, inclinante jam ad *Henricum* victoriâ, raſis partim capitum apicibus in Eccleſiam, tanquam in perfugii locum, convolarint, partim vero in fugam tumultuariam effuſi ſalutem quibus poterant modis quæſierint. At vero Rex urbe potitus, repreſſis demum concertationibus & turbis quibuſcunque, de ſuſpendendis prout juraverat Scholaribus mandavit; quem tamen auſi ſunt adſtantium aliqui à propoſito avocare, monendo ex Academicorum tum numero eſſe, non Optimatum modo ſed & ſubditorum ab ipſo quoque pugnantium filios; adeoque ſi illos morte ſtatueret plectendos, fieri non poſſe, quin & quos ad fidem nuper rediiſſe, & quos ab eâ nunquam deceſſiſſe conſtaret, ad rebellionem multo forte periculoſiſſimam concitaret. Et hæc quidem *Henricum* induxere, ut à vindictâ, periculi juxta & feritatis plenâ, abſtineret; qui initâ poſt paulo cum Baronibus firmiſſimâ pace, propalari eandem [h] juſſit, & *Maii* XXX. publice nuntiari, quod Cancellario & Scholaribus *Oxoniam* ad ſtudia redire vetitum haud ulterius eſſet. Quibus perceptis, huc poſtliminio, in die Nativitatis Divi *Johannis* Bapt. revertuntur Academici, ſub *Simonis* de *Mountfort*, Reipublicæ noſtræ *Catilina*, ſalvo (quod dicitur) [i] conductu. Burgenſes autem, qui pro reditu Academicorum ſupplicaſſe feruntur, litium quas prædiximus deciſionem certis quibuſdam viris cupidi permittebant; Regia vero Majeſtas, quo animi omnium felicius coaleſcerent, non tantum delicta in coronam utrique parti [k] condonavit, ſed, quâ erat erga Univerſitatem noſtram Benevolentiâ, quicquid *Northamptonenſi* ſtudio indultum fuerat, [l] antiquavit; animadvertens nimirum & *Cantabrigienſes* haud paucos eódem (ut fertur) commigraſſe, & ſi loco illi privilegia ſupereſſent, tum *Oxonienſium* frequentiam imminutam iri, tum leviſſimâ illos de causâ ſeceſſionem deinceps molituros.

CIↃCCLXVI.

At vero quamvis Rex defectionem Scholarium antedictam concoquiſſe, pœnâque eos omni exemiſſe feratur, conſtat tamen, cùm Parlamentum, ad *Kenelworthiam* hoc anno haberetur, deliberaſſe [m] Delegatos de iis, qui *Northamptonam* vi & malitiâ contra dominum Regem pugnaſſent; demum autem ſtatuiſſe, quod qui juſſu *Simonis* de *Mountfort* Comitis *Leyceſtriæ* *Northamptonam* conveniſſent, adventante vero Rege, in Eccleſiam confugientes, ab armis penitus abſtinuiſſent, porro, qui nec à Comite illo ſtetiſſent, nec illo jubente eódem acceſſiſſent, dimidiato unius anni proventu mulctarentur; exceptis quotquot à *Mountfortio* in feudo tenebant, ii enim ſolutâ pecuniæ ſummâ, finem (ut legum idiomate utamur) de tranſgreſſione cum Rege facerent. Hæc ibi, inter alia, edicto erant ſancita; quæ licet clericorum mentionem expreſſam non faciant, cum non exceperint tamen, eâdem pœnâ mulctandos crediderim incluſiſſe. Liquet certe Academicos noſtros, cum in diſſenſionibus ſubinde porro naſcentibus operam Baronibus contra Regem addicerent, immunitatibus & prærogativis haud paucis, quas vel Reges, vel Pontifices Romani conceſſerant, excidiſſe, quarum nonnullis ipſi inter diſſidendum & tumultuandum ſe abdicarunt, aliis autem præfato nomine mulctabantur.

CIↃCCLXVII.

Atqui *Oxoniam* regreſſi vixdum ſe ſtudiis accinxerant, cum veteres denuo inimicitiæ prorupere, & contentiones *Anglo-borealium* cum *Hibernis*, & *Wallorum* auſtralium cum Aquilonaribus, quibus & *Scoti* acceſſere, de integro exardeſcebant; quæ ſane inter primo dictos (viz. inter *Boreales* & *Hibernos*) tam graves extitere, ut non contenti pacem Univerſitatis diſputationibus mutuo infenſiſſimis perturbare, ſtatariis frequenter præliis in mediâ quoque Urbe, ſuburbiis & campis adjacentibus depugnarent. Verum pacem deinde conciliantibus tum Epiſcopis, tum de

[a] *Continuator* Bedæ *MS.* Knighton *in Chron. ſuo* &c. [b] Guliel. Riſhanger *in Chron. ſuo.* [c] *Ibid. in* Riſhanger. [d] *Author Hiſt. aureæ lib.* 20. *cap.* 98. & Riſhanger *ut ſupra* [e] *In Chron. ſuo MS. ſub an.* 1263. [f] Mat. Parys *ſub an.* 1264. Walſyngham *in Hypod.* Neuſtriæ *p.* 469. *Florilegus ſub an.* 1263. &c. [g] Knighton *in chron. ut ſupra. Continuator* Bedæ *M. S. fol.* 365. *b.* [h] *Pat.* 48. Hen. III. *part.* 2. *m.* 11. [i] *Chron.* Wyke *ut ſupra.* [k] *Pat.* 48. *H.* III. *m.* 10. *A. fol.* 53. *a. B.* 17. *a. & b. C.* 79. *a. & in pix. EE. nu.* 11. [l] *Clauſ.* 49. Hen. III. *m.* 10. [m] *In magno lib. ſtatutorum Regni Angliæ in* Hen. III. *an. Reg.* 51.

meliori nota aliis nonnullis, fœdus, quod (ante forsan profectionem *Northamptonensem*) diffilierat, sub hac formulâ [a] resarcitum est.

Cum frequens & assidua inter Boreales & Hybernenses *esset contentio, cujus occasione multoties studii tranquillitas* Oxon *fuerit perturbata, anno. dom. CIↃCCLXVII. in vigilia* B. Andreæ *Apostoli, interventu Magistri* Nicolai *de* Ewelme *tunc in Cancellarium electi, & diversarum facultatum Professoribus ad concordiam diligenter laborantibus, omnes controversiæ prius inter eos habitæ sub hac forma amicabiliter conquieveruut, viz, quod quadam pecuniæ summa certis personis restituta, & omnibus hinc inde remissis contentionibus, electæ fuerunt ex utraque parte xxiv. personæ, quæ vice omnium pacis Osculum ad invicem contulerant. Volentes itaque partes præfatæ non solum præsentibus sed etiam futuris obviare periculis, ex parte* Borealium, *quinque de quolibet comitatu sibi adjuncto fuerunt electi qui nomina omnium haberent & singulorum. Qui quidem electi, tres sibi Capitaneos elegerunt, & eis cum electorum consilio de omnibus suam communitatem tangentibus disponendi, ordinandi & obligandi, potestatem tradiderunt.* Hybernenses *autem de quatuor suis provinciis octo personas elegerunt & unum Capitaneum, eisdem suam conferentes similiter potestatem. Juraverunt etiam vice Omnium certi de Majoribus ad hoc assignati, quod formam subscriptam pro posse observabunt, aliis eisdem electis idem sacramentum præstantibus; quod si contingat (quod absit) quod alicui* Boreali *vel* Hybernensi *fuerit injuria per aliquem ab alterutra parte illata, primo amicabiliter per dictas personas ex utraque parte electas si fieri possit contentio sopiatur. Quod si dicta contentio amicabiliter sedari non possit, per Arbitros vel Arbitratores, vel amicabiles compositores auditis hinc indè propositis finiatur. Quibus deficientibus, per Cancellarium vel Hebdomadarios vel certos judices ad hoc assignatos in forma juris & Universitatis dicta controversia terminetur. Quod si vel inferens, vel cui injuria fuerit illata, huic Ordinationi noluerit adquiescere, ex utrorumq; ejiciatur societate, nec iterato admittatur inter eosdem, donec paruerit in præfatis. Quod si contumaciter* [b] *recesserit, modum recessus Episcopo loci sub testimonio suorum Compatriotarum Cancellarius rescribat, bonis ejus nihilominùs in Universitate inventis, quousque paruerit, sequestratis. Quod si aliqui Rebelles inveniantur & pacis perturbatores, Cancellario per illos de suo Comitatu vel provincia denuntietur, vel per suos Compatriotas capiatur, & Cancellario per Consilium electorum tradatur. Mutuò etiam dictæ communitates ad pœnam xxx. libr. se obligaverunt, quod communitas hinc indè manu armata non insurget in aliam; & quod Communitas alterutra vim inferens armatam, si super hoc fuerit convicta, ad dictæ pecuniæ solutionem alteri communitati nomine damnorum & interesse quacunque coercione per Cancellarium compelletur, Cavillationibus & exceptionibus prorsus amotis. Quod si aliquos vel aliquem capitaneorum abesse contingit, alii de consilio electorum loco sui subrogentur. In cujus rei testimonium huic scripto in modum finalis concordiæ confecto quidam de Majoribus juratis, hinc inde sigilla sua & sigillum Cancellarii apponi procurarunt, & ad perpetuam rei memoriam in Registro poni fecerunt.*

Hæc quo firmiora essent, octodecim præcipuorum quorundam virorum, præter Cancellarii illud in medio affixum, (valde diminutum & longe alterius formæ quam vulgare sigillum D. Cancellarii olim aut fuit, aut nunc est) sigillis muniebantur; adscriptis etiam in charta pergamena testantium nominibus. Pax autem illa secunda erat, quâ inter *Hibernos* & *Boreales Anglos* convenerat, quæ quidem stabilis inde & inconcussa in complures, quantum intelligo, annos permansit; quænam vero Gentes inprimis illas commiserit occasio, dicant, per me, siqui repererint. Ego sane ex ultimâ antiquitatis memoriâ petendam arbitror. Cæterum ingentem *Hibernorum* multitudinem nobiscum per ea secula studuisse exinde pariter constat, atque ex eo quod Plateæ cuidam *Oxoniensi*, **Irishmanstreet** dictæ, nomen impertierint; quamvis tam penitus ea jam olim evanuerit, ut vestigia ejus nulla hodie compareant.

CIↃCCLXIIX.

Hoc anno, in die [c] Ascensionis, *Nic.* de *Ewelme* Cancellarius, & Scholares Universitatis, adhibitis quoq; Presbyteris parochialibus & communitate *Oxoniensi*, S. *Frideswydæ* reliquias, pro more ab earundem translatione recepto, invisebant; eoque præterea in loco Cancellarius quem dixi, ex consuetudine pariter invalescente, concionem habere destinabat. Ibi autem perditissimâ audaciâ Judæus, procedentibus nescio an revertentibus obviam factus, & Gentilium suorum suasu impulsus, arreptâ quæ præferebatur Cruce, eandem, in *Christi* contumeliam, terræ illisit, & sub pedibus conculcabat. Indignum id facinus postquam Regi per *Edoardum* filium *Oxoniæ* tum agentem, innotuit, mandatum [d] illico ad Vice-Comitem transmissum est, quo jubetur, Judæos omnes comprehendere, & in arctissimam custodiam contrudere; bona insuper eorum realia detinere, usque dum sponsores invenirent qui pœnam ipsis irrogatam subituros fidejuberent. Ea autem ejusmodi erat; primo ut propriis sumptibus opus augustum & speciosum, Crucem marmoream erigerent, cujus etiam ex alterâ parte Beatæ *Virginis* imago cum Deo infantulo exhiberetur; hanc vero undique deauratam eo loci collocandam curarent, quo flagitium illud insigne patratum fuisset. Deinde tenebantur & aliam ex argento Crucem, quanta commode gestari possit, conficere; pariterque inauratam, cum bacillo eidem accommodo (qualis nempe Archiepiscopis præferri solet) Procuratoribus tradere, ante Magistros & Scholares in solenni quovis processu portandam. Cum hæc itaque illis continuo subolerent, quo tantam evaderent impensam (ea autem facienda erat ante festum S. *Edoardi*, pridie nimirum *Epiphaniæ*) amicis quibusdam bona sua mobilia transcribere occupant, priusquam ipsi in carcerem conjicerentur; quod tamen in irritum cecidit, jubente mox Regiâ Majestate, ut Prætor urbanus, cum nummulariis vel trapezitis, penes quos Judæorum erat pecunia, Vice-comitem in mandatis suis exequendis juvarent. Collectum itaque argentum est, cumque ad Regem esset perlatum, Crucem eo loci quo admissum erat flagitium, absque Burgensium quorundam in propinquo habitantium damno & incommodo, erigi non posse, placuit ut è regione Synagogæ Judaicæ strueretur. Sed quandoquidem locus etiam iste Regi & Consiliariis suis parum idoneus videretur, prope domum *Mertonensem*, adeoque secus Ecclesiam Divi *Johannis* Baptistæ ponenda

[a] *In Turri Scholarum in Abaco* II. *nu.* 13. *sub* 19. *sigillis.* [b] *Unde liquet Universitatem hujusmodi privilegio usam fuisse ante tempus Synodi sive Concilii de* Radyng *de qua Synodo, vide in Hist. sub an.* 1279. [c] *A. fol.* 73. *a. C.* 67. *b. D.* 33. *b. & in Histor.* Ioh. Rossi *de Regibus MS. p.* 249. [d] *Claus.* 53. Hen. III. *m.* 12.

decer

[a] decernitur. Eodem tempore de Cruce alterâ in usus antedictos tradendâ statuitur, eamque post brevi percepit Universitas, & in Gazophylacio suo apud Monasterium S. *Frideswydæ* adservato, in usus antedictos reposuit. Porro autem de Cruce marmoreâ comperio, collocatam in summitate ejus tabellam deauratam fuisse, cum inscriptis [b] carminibus, quæ operis illius occasionem significabant in hunc modum.

Quis meus Author erat? Judæi: Quomodo? Sumptu.
Quis jussit? Regnans. Quo procurante? Magistris.
Cur? Cruce pro fractâ ligni. Quo tempore? Festo
Ascensus Domini. Quis erat locus? Hic ubi sisto.

Hinc vero liquet, contra quod superius fertur, id maleficii juxta Collegium *Mertonense* perpetratum fuisse, eo enim in loco Crux ea comparuit: quanquam nec diffiteor eosdem versiculos Cruci in Cœmiterio S. *Frideswydæ* inscriptos [c] extitisse. Verum de commissi facinoris loco quicquid sentiendum sit, Crux certe ipsa cum carminibus præfatis tempore *Henrici VI.* superfuit; sub id enim *Johan. Rossus* Antiquarius *Warwicensis*, qui operam tum literis apud *Oxonienses* impendebat, corruisse funditus commemorat. Quod restat, colligere hinc licet, Judæos per hæc secula animo fuisse in *Christum* infensissimo, eorum præterea quamplurimos *Oxonii* degisse; cum scilicet nil pensi habuerint, quid Magistratus tam Academici quam Urbani statuere possint, atque scelus infandum adeo, & ad proritandos utrosque accommodatissimum, aggredi sustinuerint.

CIↃCCLXIX.

Prius dictum est, quod Regia Majestas utriusque Societatis paci prospiciens constituit, ut Scholarium hospitia quinto quolibet anno, pro Clericorum quorundam & Laicorum arbitrio, æstimarentur. Jam vero ulterius [d] ordinatum est, ne Oppidani Cameram quamcunque elocantes, eandem prædictorum taxationi permittere differrent. Rex insuper tantâ Universitatem benevolentiâ complectebatur, ut Vicecomiti & Balivis [e] mandârit, ejusdem immunitates pro suâ parte sustentarent, operamque Cancellario, prout ferret occasio, accommodarent. Et hinc sane manifestum est, quanta his temporibus Academicorum frequentia fuerit, quod Cancellarius cum Officiariis suis gubernandæ Universitati non sufficerit, quin necesse esset Laicos quoque Magistratus ipsi in subsidium adhibere; licet id non eâ tantum de causâ factum agnoscam, sed insuper quo contra Cives, Academicorum immunitates præripere conantes, provisum esset; de quibus oppidanorum injuriis fraudibusque ad Regem querelæ duobus post annis deferebantur, & ille *Galfridum* Episcopum *Wigornienſem* cum *Rogero Mortuomaro*, rem penitus disquisituros transmisit, insuper jubens, ut privilegia *à decessoribus suis concessa*, Universitati [f] assererent. Unde redarguendus venit partium studio turpiter abductus *Matthæus* Archiepiscopus *Cantuariensis*, qui de *Bonifacio*, ibidem sedente, verba [g] faciens, ait illum Regium diploma muniendæ Universitati mortalium primum impetrasse, nec aliud illo antiquius à rege quoquam nobis concessum.

CIↃCCLXX.

Quandoquidem Fratres *Augustinenses*, seu Fratres Eremitæ S. *Augustini*, sedem apud nos consecuti jam erant, hoc in loco percommode ostendam, quo in *Angliam* modo, dein & *Oxoniam* adventarint, ibique Mansionem adepti, usque ad fatale dissolutionis tempus viguerint.

Anno Christi CIↃCCLI. *Innocentius IV.* Pont. Romanus Fratribus illis ad quascunque gentes commeandi, Monasteria condendi, & sacra ubique celebrandi potestatem [h] detulit; iique eodem in *Angliam* anno [i] trajicientes, proximo hospitium *Londini*, ab *Humfredo Bohun*, Comite *Herefordiæ* & *Essexiæ*, constructum [k] sortiuntur: quibus tamen repugnat, quod in [l] chartula mihi vetusta occurrit, huic nempe Famulitio de sede primitus apud *Anglos* prospexisse *Richardum* de *Clare*, filium *Gilberti* de *Clare* Comitis *Glocestriæ*, anno incarnationis dominicæ CIↃCCXLVIII. Convenit autem inter Scriptores omnes, quod sub eorum in hoc Regnum adventum an. CIↃCCLII. tam gravis [m] prorupit (quo tamen mali præsagio non dicam) pestilentia, ut post hominum memoriam consimilis accidisse non feratur. Cæterum, ut rem totam in pauca conferam, postquam *Londini* confederant *Augustinenses*, *Oxoniam* intime in votis habebant, ideoque suorum aliquos eodem transmittunt, qui domum obscuram quidem, Scholis tamen publicis vicinam, conducentes, occasionem adipiscuntur, studiorum perinde Theologicorum atque Philosophiæ peritiam, Academicis divenditandi. Neque sane diu ibidem neglecti & indotati permanserant, Viri siquidem opulentissimi *Johan. Handlovii* militis animum sibi conciliarunt; qui quamvis haud pauca in agro *Oxoniensi* possideret, sedem tamen præcipuam ad *Borstallam* prope *Brillam* in Comitatu *Buckinghamiensi* habebat; Fratribusque illis tam impense favebat, ut fundum ipsis, exstruendo hospitio percommodum suis pecuniis acquisierit, quem à Rege præterea *Henrico III.* [n] confirmandum an. CIↃCCLXIIX. in hæc verba impetravit.

Rex Archiepiscopis &c. Salutem. Sciatis nos pro salute animæ nostræ, &c. dedisse, concessisse, &c. dilectis nobis in Christo Fratribus S. Augustini Oxon *commorantibus, totam terram illam cum pertinentiis in suburbio* Oxon *in Parochia S.* Crucis, *quam habuimus de dono* Rogeri *le* Clerc *de* Cumenore, *habendum & tenendum Prædictis Fratribus & eorum successoribus, de nobis & hæredibus nostris in perpetuum, reddendo inde annuatim prædicto* Rogero *unum obolum argenti ad Festum S.* Joh. *Bapt. & Capitali Domino feodi illius servitium inde debitum & consuetum; dedimus etiam & concessimus, &c. eisdem Fratribus totam terram illam cum pertinentiis in prædicto suburbio & parochia, quam habuimus de dono Magistri* Martini *de* Bruton *habendum & ten. &c una cum prædicta terra quæ fuit* Rogeri *supradicti ad quoddam Oratorium, in quo divina celebrare possint, sibi construendum ibidem, reddendo annuatim pro terra quæ fuit prædicti* Martini *eidem* Martino *& Hæredibus suis unum obolum argen-*

[a] *Cl. de eod. an. m.* 10. [b] *In* Rosso *in supra* [c] *Ut in C. ut supra fol.* 67. *b. & in lib. R.* Talbot *cui tit. est* Aurum ex Stercore *MS.* [d] *Pat.* 53. Hen. III. *m.* 17. *A. fol.* 53. *a. B.* 17. *a. C.* 78. *b. & in pix. EE. nu.* 13. [e] *A.* 53. *b. pat.* 54. H. III. *m.* 26. *& inter muniment. in pix. EE. nu.* 5. [f] *Pat.* 56. Hen. III. *m.* 17. [g] *In Antiq. Britan. in* Bonifacio. [h] Jos Pamphilus *in Chron. hujus Ordinis Edit.* Romæ 1581. *p.* 1. [i] *Per* Balæum *cent.* 4. *nu.* 17. *in Append.* [k] Joh. Stow *in lustratione sua Civit.* Lond. *Edit.* 1633. *p.* 185. [l] *In Epist. quadam dedicatoria Humfredo Duci* Gloceſt. *quæ præfigitur postillæ super Geneſin per* Ioh. Capgrave, *MS. in bib. Coll.* Oriel. [m] *Chron.* Londinense. *Vide in* Balæo *ut supra.* [n] *Pat.* 52. H. III. *m.* 7.

ti ad Feſtum S. Johannis *Bapt. & Capitali Domino feodi illius xii den. & haeredibus* Petri *de* Brideporte *vi. den. pro omnibus ſervitiis conſuetudinibus & demandis*, &c.

Atqui quoniam terra illa anguſtior erat, quam ut diverſorio ſacelloque ſufficeret, Rex, flagitante quem dixi milite, ad clientem ſuum *Bogonem* de *Clare*, Eccleſiæ Divi *Petri* ad Orientem Rectorem(ad quam Eccleſiam eo nomine Manerium S. *Crucis* de **Halywell** ſpectabat) mandata dedit, ut fundum exiguum præfato adſidentem *Auguſtinenſibus* traderet; qui quod damni inde nonnihil, quoad proventum annuum faceret,à *Joh.* de *Coleſhul*, fratrum illorum fautore benigno, & detrimenti porro illius penſandi cupido, Tenementi cujuſdam, in parœciâ S. *Aldati*, cenſum percepit; prout è Chartâ [a] ſequenti manifeſtum fiet.

Sciant præſentes & futuri, quod ego Bogo *de* Clare *Rector Eccleſiæ S.* Petri *Orientalis* Oxon, *ad inſtantiam & præceptum excellentiſſimi Domini & Patroni mei Domini* Henrici *D. Gratia Reg.* Angliæ, *conceſſi & dimiſi Priori & Fratribus de Ordine B.* Auguſtini Oxoniæ *commorantibus & eorum ſucceſſoribus, quandam partem terræ meæ in ſuburbio* Oxon *in Parochia mea S.* Crucis Oxon, *quæ jacet inter viam regiam quæ ſe extendit verſus* **Beaumund** *& terram Magiſtri* Walteri Byllingdon, *quæ dicta terra iii. ſol. & ii. den. ac unam libram piperis prædeceſſoribus meis & mihi reddere conſuevit; ad conſtruendam in ea Capellam, in qua divina poſſint celebrare, & domos ſuæ habitationi neceſſarias & utiles pro eorum voluntate & diſpoſitione. Habend. & ten. &c. abſque omni ſervitio exactione & demanda in perpetuum: pro hac autem conceſſione & dimiſſione dedit* Johannes *de* Coleſhull *Burgenſis* Oxon *Deo & mihi & ſucceſſoribus meis ac Eccleſiæ meæ S.* Crucis *prænominatæ* Oxon. IV. *ſol. annui redditus percipiendos de quodam meſſuagio, quod tenet* Lumbardus *de* Grekelade *Judæus, quod quidem meſſuagium eſt in Judaiſmo* Oxon *in Parochia S.* Aldati *inter Meſſuagium Abbatis de* **Abendon** *ex parte una, & Meſſuagium Abbatis de* **Oſney** *ex parte altera, in liberam puram & perpetuam Eleemoſynam, abſque omni ſervitio, &c. In cujus rei teſtimonium huic præſenti chartæ ſigillum noſtrum appoſui. His teſtibus D.* Richardo *de* Mapham *Archidiacono* Oxon, *Magiſtro* Henrico *de* Stanton *Vicario Eccleſiæ S.* Petri *Orient.* Oxon. *&c.*

Regia vero Majeſtas LIV°. Regni anno, dom. utique CIↃCCLXIX. quicquid terræ prædictum eſt, ſub formulâ juris quam *Inſpeximus* vocant, *Auguſtinenſibus* firmavit; adnitente interim *Handlovio*, quo Pietatis munera pleniſſima demum redderet, ut Sedem illis ampliſſimam compararet. Inter alia autem, Tenementa nonnulla à Canonicis Regularibus S. *Frideſwydæ* obtinuit, quorum Rubrica quædam in Regiſtro [b] eorum magno (tacentibus fateor reliquis eorum munimentis) mentionem de illis ejuſmodi facit. *Notandum quod Eccleſia S.* Frideſwydæ *habuit in Parochia S.* Crucis *in ſuburbio* Oxon *certa tenementa, viz. Domum* Alexandri *Piſcatoris*, *domum* Stapleſton, *dom.* Scriptoris, *dom.* Thomæ Cementarii *& dom.* Johannis *de* Yeftele, *quæ dimittuntur Fratribus* S. Auguſtini Oxon *tempore* Johannis Lewkenore *quondam* Prioris, *cujus dimiſſionis charta penes nos non reperitur, de quibus quidem tenementis eadem nihil nobis reddunt*, &c. Inſtrumenta ſane quibus Tenementa ea *Auguſtinenſibus* tranſcripta ſunt, intercidiſſe penitus videntur, cum in Ædis *Chriſti* Archivis non compareant; verum unicum donationis prædictæ exemplar alibi [c] deprehendo, cujus ſumma erat, quod *Joh.* de *Lewknore* præfatus, Fratribus his certam terræ portionem elocabat, in ſuburbiis *Oxonienſibus*, parochiâ ſcilicet S. *Crucis* jacentem, & ipſorum *Auguſtinenſium* fundo (quem *Gualterus* de *Noreys* aliquando poſſidebat) Orientem & Auſtrum verſus, ad Boream vero latifundio *Rich.* de *Cantuaria*, & ad Occidentem vico *Bellomontenſi* vulgo **Beaumontſtreet** terminatam & præcinctam. Hæ itaque poſſeſſiones cum *Auguſtinenſibus* obtigiſſent, & *Gregorius X.* Pont. Rom. eaſdem (potiſſimum vero quæ à Rege & *Handlovio* obvenerant) diplomate Papali muniviſſet, *Handlovius* hoſpitium ipſis & Sacellum, ſpecioſum utrumque, & è quadrato lapide (quem ſua in propinquo fodina ſuppeditavit) erigebat, petitâ è Saltu *Shotoverenſi* materiâ, ubi ni fallor Regii vivarii cuſtodiam obtinebat. Is autem fato prius fungebatur quam ædificia illa perfeciſſet; propterea ut ultimam manum imponerent hæredum ſuorum curæ demandabat.

Manſio Auguſtinenſium extra portam *Fabrorum* ſita erat, & Plateam **Halywell** ad Auſtrum, areamq; præcipuam ſuper quam nunc ſtat Collegium *Wadhamenſe* ad Boream ſpectabat; cujus illi primas anguſtias haud ferentes, ejuſdem ſubinde fines latius (velut ſtatim audies) diffudere. Ædificia vero illa non pulchra tantum & (quod de *Carmelitis* vicinis ſupra monuimus) ſitu erant ſaluberrimo, verum & Scholis Academicis propinqua, & exercitiis inde præſtandis audiendiſque præcipue accommodata.

Scholæ Auguſtinenſium, (veluti apud reliquos Fratrum Ordines jam ante diximus) nominibus à Theologiâ & Philoſophiâ deſumptis diſcriminabantur, quarum illa Templum imprimis, deinde Senaculum, ſive domum capitularem; hæc vero, prout conjicio, Refectorium ſortiebatur. Huc autem illi Academiam pene totam alliciebant, quæſtumque imprimis cogitantes efficiebant ut Actus plerique omnes Scholaſtici ibidem præſtarentur. Non deſunt qui tranſlationem hanc exercitiorum (quæ parum licet commode ad vicum *Scholaſticum*, ſive **Schoolſtreet**, in Solariis, cameriſque inferioribus, compleri antiquitus ſolebant) Scholarum *Auguſtinenſium* amplitudini minime aſcribant, Fratrum eorum (quos Theologiæ potiſſimum Scholaſticæ, Artiſque Sophiſticæ gloriâ inclaruiſſe volunt) eruditioni tribuendam contendentes Hæc illi undenam habuerint libenter audirem; ſiquidem ego longe aliter ſentio, cui notum quam optime eſt, *Auguſtinenſes*, cum huc primo accederent, è mendicantibus imperitiſſimos, maximeque bonarum artium rudes fuiſſe; & propterea (quod *Benedictini* quoque & *Carthuſiani* fecere) ad Fratres Minores, excolendi ingenii causâ, tranſiiſſe. Id certe apud *Gallos Italoſque* ſolenne jam erat; verum cum Archiepiſcopo *Cantuarienſi* denuntiaretur, literis [d] *Nutleiæ* v. Id. *Novembris* anno Dom. CIↃCCLXXXIV. datis Cancellario præcepit, ut id in poſterum fieri prohiberet; quod aliâ etiam de cauſâ feciſſe arbitror, quia ſcilicet *Auguſtinenſium* (inter ſe quoque diſſidentium) cum Fratribus Minoribus lites eouſque excreverant, ut in concionibus eorum publicis hi illos perpetuo impugnarent. Actus autem Theologici apud *Auguſtinenſes* tantiſper fiebant, dum

[a] *Rot. chart. de anno* 54 Hen. III. [b] *In Theſaur. Æd.* Chriſti *p.* 393. [c] *In Theſaur. Coll.* Merton. *in pix.* Oxon. *A.* 3. 12. *& ibid.* 5. 11. [d] *In Regeſt.* Peccam *fol.* 211.

Schola

Schola Facultati illi usque hodie dicata perficeretur, eodem enim maximâ tum ex parte transferebantur; cæterum exercitia in Artibus ibidem deinceps præstari consueverant, quod usu ab ipsius Hospitii primordiis receptum fuisse, testimoniis haud infrequentibus ostenditur. Statutum [a] certe quoddam de Baccalaureorum disputationibus ita se habet in quodam veteri libro, *Ordinatum est in Congregatione Regentium, ad utilitatem & ad prosperitatem Scholarium in facultate Artium studentium, quod quilibet Baccalaureus facultatis ejusdem, singulis annis ad* Augustinenses *semel disputare & semel respondere, dummodo per Collatores ad hujusmodi dispensationes assignandos per quindenam ante diem qua disputare aut respondere debet, ad disputandum vel respondendum fuerit legitime monitus: quod si sic requisitus disputare vel respondere recusaverit, si per medietatem anni præcedentem non disputaverit nec responderit, eo ipso nec lectura nec auditio aliqua in eadem facultate pro anno illo sibi cedat pro forma, & quod ad istam ordinationem observandam, quilibet ad quæstionem responsurus, antequam ad quæstionem respondeat, coram altero Procuratore juramentum præstet corporale.*

Quantâ hæc antiquitate sint, dicendum facile non arbitror, conjecturam tamen ab iis quæ proxime sequuntur, quæque anno CIↃCCLXVII. inscribuntur, facere licebit, exercitia illa, quamprimum apud nos invalescebant *Augustinenses*, obtinuisse; quorum ea lex erat, ut Baccalaureus quilibet, priusquam ad Gradum Magistralem promoveatur, statis quibusdam diebus in Logicâ veteri, ordine primo, in novâ, ordine secundo, & in Philosophiâ, ordine tertio, disputare [b] teneretur. Hæc multâ cum celebritate in annum CIↃDXXIX. obtinuere, quo tempore Pestis ex auditorum frequentiâ (Artistarum id in vesperiis quæ hic aliquando [c] celebratæ fuerunt, accidisse opinor) concepta est, & per Conventum grassata, necessitatem Academiæ imposuit, dispensationem [d] concedendi, quâ Baccalaureorum exercitia ad Basilicam Beatæ *Mariæ* transferrentur; quæ sedatâ demum pestilentiâ eodem revocantur: verum à dissolutione Cœnobiorum, haud multis inde annis contingente, ad Beatæ denuo *Mariæ* redeunt, eoque loci, *Disputationes Marianæ* [e] appellatæ, celebrantur, donec erectis quibus hodie fruimur Scholis, ad illam Naturalis Philosophiæ transducerentur. Ibi enim, tum re, tum nomine minime mutato, disputationes apud *Augustinenses*, diebus Mercurii & Saturni in pleno Termino, in Scholâ quam dixi, tempore pomeridiano ab horâ primâ usque ad tertiam habentur; Magistro Scholarum (qui eo nomine ab *Henrici VII.* tempore tantum XIII. sol. IV. den. ab Universitate [f] percipiebat) Moderatoris locum sustinente.

E *Scholis* autem *Augustinensium* viri maxime illustres prodiere, quos omnes referre nec vacat, nec opus est; ideoque strictim nonnullos commemorare sufficiet. I. Primus esto *Joh. Wilton* S. T. P. & publicus illius facultatis hisce in Scholis Prælector; vir autem à Theologiæ Scholasticæ peritiâ plurimum laudatus, & speciatim *Johanni Baconthorpio* in primo & secundo sententiarum, celebratus. In vivis agebat anno CIↃCCCXIV. tum enim in Doctorum & Magistrorum delegationem [g] ascitus est, quam pro disquirendis damnandisque pernicioſis quibusdam opinionibus Universitas designavit. II. *Rob. Eliphatus*, quem *Henricus* quidem *Willottus* [h] pro Franciscano habet, verum *Jos. Pamphilus* [i] huic Ordini tribuit, & inter *Gregorii Ariminensis* auditores fuisse memorat. Quicquid vero sit, disputationibus ille Scholasticis, quibus ingenii sui acumen propalavit, *Oxonii* perinde ac *Lutetiæ* inclaruit. III. *Galfridus Hardbie*, de quo [k] *Lelandus* ait, quod -:- *quæ ad Philosophiam & sacras literas pertinent*, Oxonii *didicit, magnamque ibidem ex magno labore famam sibi comparuit. Eo etenim in sublimi illa divinæ Theologiæ cognitione pervenerat, ut utriusque instrumenti libros publicè interpretaretur. Ob quam rem in supremam eruditorum classem ab* Isiacis *receptus est*, &c. Porro autem contentiones cum *Armachano* frequentes super mendicitate habuisse; & eodem quo illum tempore (anno nempe CIↃCCCLX.) diem obiisse deprehendo. IV. *Bankinus Londinensis*, acerrimus *Wicliffi* & sectatorum ejus [l] adversarius, & qui nobiscum in Theologicis concertationibus & in Divini verbi prædicatione celebris admodum evasit. Claruit anno CIↃCCCLXXXII. v. *Joh. Godwyckus.* De eo *Balæum* [m] audies; *Oxonium* (inquit ille) *discendi ardore flagrans petiit, ubi infra pauculos annos, tantum in scientiis illi seculo charis profecit, ut protinus esset magnorum Theologiæ Magistrorum adscriptus numero. Unde post concertationes aliquot atque prælectiones illic publicas, per patriam usquequaque celebratus, ac Provincialis demum sui Ordinis Præses effectus, coram Rege atque aliis Regni proceribus, non sine magna sui nominis fama, solennes edidit conciones.* V. *Tho. Ashbournus*, asperrimus *Wickliffi* & imitatorum ejus, prout scriptis testatus est, impugnator. VII. *Petrus Patesshull*, fortissimus *Wickliffi* defensor, nec segnior familiæ suæ inimicus. Errat in eo [n] *Lelandus*, & pro *Petro Anglico*, (*Payne* aliquando appellato) & ab *Æneâ Sylvio* [o] commemorato, habet; quem si *Balæus* omnino secutus est, sui sectatorem *Pitseum* in consimilem errorem deduxit. Verum neque *Wickliffo* tam impense opinor faviſſe, idque de *Petro Anglico* referendum potius, velut in Historiâ deinceps istâ perdiscas, crediderim. VIII. *Thomas Wintertonus*, haud incelebris, perhibente [p] *Lelando*, Philosophus juxta ac Theologus. *Wickliffi* coætaneus, primisque in studiis familiaris erat, cui deinde (quod apud complures in confesso est) scriptis vehementissime obnitebatur. IX. *Tho. Edwardston*, quem Universitas, ob Pietatem & (quâ excelluit) concionandi facultatem Doctorali Gradu [q] honestavit. X. Joh. Waldbey *literati viri* (ex *Lelando* [r] loquor) *titulos omnes merito oblatos, solennitate quadam apud* Isiacos *est adeptus, sui Ordinis etiam Provincialis Præses postea designatus. Erat profectò vir admodum pius & doctus, ut ex opusculis claret, singulari linguæ facundia, ingenique promptitudine præditus, & propterea multis per ea tempora gratus.* Frater illi erat Germanus *Rob. Waldbey*, qui Divi se quoque *Augustini* voto obstrinxerat, & in sede *Eboracensi* Archiepiscop. occubuit an. dom. CIↃCCCXCVII. XI. *Johannes Lowe*, Professor Theologiæ, ut habet [s] quidam, in hac Universitate, & Ordinis sui Minister Provin-

[a] *In D. fol. 56. b.* [b] *Vide in I. fol. 2. b.* [c] *Ut in B. fol. 52. a.* [d] *H. fol. 213. b.* &c. [e] *Ut in* Reg. I. *fol. 112. b.* [f] *Comp. Procuratorum in pix. PP.* [g] *A fol. 9. a.* [h] *In Athenis sodalitii Franciscani. Edit.* Leodii 1598. *p. 317.* [i] *In Chron. Ordinis Fr. Eremitarum* S. Augustini *Edit.* Romæ 1581. *fol. 59. a.* [k] *In Tom. 4. p. 272.* [l] *Reg.* Courtney *fol. 25.* &c. [m] Balæus *cent. 5. nu. 91.* [n] *In Tom. 4. p. 276.* [o] *In Historia* Bohemica *cap. 49.* [p] *In Tom. 4. ut sup. p. 287.* [q] Bal. *cent. 7. nn. 7. & alii.* [r] *In Tom. 4. p. 281.* [s] Pitseus *Æt. 15. nu.* 808.

cialis. Tractatus perplures conscripsit, repetitâ lectione dignissimos, &, asserente [a] *Lelando*, librorum lectissimorum conquisitor sedulus erat. Mortuus est in sede *Roffensi* anno CIↃCDLXVII. & in Ecclesiâ suâ Cathedrali sepultus. XII. *Johannes Banardus* vel *Bannardus*, hujus Cœnobii frater, postea S. T. P. & Cancellarius Universitatis. Quasdam ejus eruditas quæstiones in Mag. sententiarum legi, eo tempore editas, quo Scholastica Theologia apud nostros in pretio erat; in quarum tamen refutatione quosdam alios illius Temporis Theologos in solennibus suis Inceptionibus *Oxoniæ* seipsos exercuisse video. Hæc de *Bannardo* è fragmentis [b] quibusdam MS. in Bibl. Coll. *Corporis Christi Oxon.* desumpsi. Claruit CIↃCDXII. XIII. *Joh. Capgravius*, *Augustinensium*, si [c] *Lelandum* audias, doctissimus. Librorum vero quos scripsit Catalogum apud *Balæum* habes; qui virum hunc, quod & *Pitseus* facit, haud modicè deprædicat. XIV. *Tho. Penkethus*, de quo sic [d] *Lelandus*, *homo tantus erat in acumine disputandi, quantus suo tempore nemo fere alius*, & alibi, -- *ad cujus* (*Johannis* nimirum *Scoti*) *exemplum ita se suaque omnia formavit* [e] *studia, ut non ovo ovum nec lac lacti similius* &c. Tantâ autem, seu tam incredibili potius, memoriâ erat instructus, ut si ingentia *Scoti* volumina intercidissent, ad verbum pene restituere posse videretur. Obiit anno CIↃCDLXXXVII. XIII. Denique, præter *Joh. Erghomium* & *Gul. Galionem*, ex hoc Conventu erat *Whiteheadus* quidam, vir ut Scientiæ propemodum omnis, ita Matheseos imprimis peritus; qui in Cœnobiorum dissolutione, ab *Henrico Billingesley* Aldermanno *Londinensi* hospitio benigne susceptus, ut gratiam tantâ benevolentiâ dignam rependeret, & in re illum Geometricâ erudivit, & diem obiens scripta sua omnia & commentationes eidem donavit, nominatim quas in *Euclidis* Elementa composuerat, quasque in methodum dein redactas, *Billingesleius* pro suis edidit.

Bibliothecam habuisse *Augustinenses*, multâ librorum supellectile instructam, è Catalogo eorum haud ita pridem superstite abunde constat; cæterum cum nec illius Fundator, nec Benefactores ullibi compareant, hinc ego, de Fratrum istorum Ecclesiâ dicturus, abscedo.

Illam vero inchoavit, quem supra memoravimus, *Joh. Handlovius* Miles, cui magna ibidem pompâ parentarunt *Augustinenses*; tametsi absolvendam eandem Hæredibus suis & cognatis reliquit, quos verisimile fit funeratos inibi deinceps fuisse, & quorum aliqui *Johannem* illum Fundatoris titulo ac gloriâ spoliare nitebantur; namque litem super eâ re an. CIↃCDLVI. inter posteros ejus exortam, in hæc verba [f] dijudicatam offendo.

Universis Christi Fidelibus, &c. *Frater* Joh. Stocton *Prior Conventus* Oxon *Ordinis Fratrum Eremitarum S.* Augustini, &c. *Notum sit vestris reverentiis, quod Dominus excellentissimus* Henricus III. *ob salutem animæ suæ & ad instantiam inclyti Militis sui Domini* Johannis Handlow *de* **Borstall** *militis, perquisivit quasdam parcellas terræ de diversis personis in suburbio* Oxon *ex opposito portæ quæ vulgariter dicitur* **Smithys gate**, *sicut patet in Charta diversorum plenius inde confecta, quas parcellas terræ dedit idem D. Rex ad instantiam dicti Militis Fratribus Eremitis Ordinis S.* Augustini *in perpetuum & eorum successoribus, ad construendum ibidem Ecclesiam & cæteras domos & officinas ad utilitatem dictorum Fratrum; hanc autem voluntatem D. nostri Regis ad instantiam dicti militis D. Papa* Gregorius *decimus suis bullis gratiosis confirmavit & ratificavit: post mortem vero supradicti D. nostri Regis idem* Joh. Handlow *ad constructionem dictæ Ecclesiæ & Domorum plura bona contulit, & sicut ex antiquis annalibus intelleximus morte præventus est antequam dicta Ecclesia & Domus, ad plenum ædificaretur, volens tamen ostendere ad quem locum anima sua magis effectuose inclinabatur dum in corpore teneretur, Corpus suum illic sepeliri jussit, ubi anima tanto studio tenebatur. Hunc igitur inclytum Militem post D. Regem in primum & præcipuum Fundatorem semper suscipimus & suscipiendum æstimamus, maximè cum in omnibus Fundationibus Conventuum hoc semper cautum sit, ut nullus Patronus audeat animo temerario aliquid donare Fratribus sine licentia D. Regis. Nunc autem quoniam quæstio vertitur de successione hujus prænobilis Militis, quidam reverendus Armiger* Edmundus Rede, *partim evidentiis nostris, partim suis eruditus, pia calumnia sibi vendicat jus dicti Militis tanquam jure hæreditario ex ipso descendens: ex dicto enim Milite descendit unus filius D.* Richardus Handlow *miles, ex quo descendit linealiter una filia dicta* Elizabetha *de la* Pole, *& ex dicta* Elizabetha *descendit altera Generosa femina vocata* Katherina James; *ex* Kat. James *descendit* Christiana Rede *mater dicti* Edmundi, *hoc jure descensus possedit dictus* Edmundus *multas terras & possessiones supradicti Dni* Johannis Handlow *Militis, & non solum terras sed libertates regias jure hæreditario D.* Johanni *concessas: Et hoc jure dictus Prior & Conventus considerantes veram propaginem successionis, libero & maturo animo ipsum venerabilem Armigerum* Edmundum *& hæredes suos in Fundatorem dictæ Domus suscipimus ac admisimus ex jure sibi acquisito ex præfato lineali descensu. Et ad preces eorum, venerabilis Magister* Johannes Capgrave *Prior Provincialis summo studio incitatus est, ut huic receptioni & recognitioni dicti Fundatoris nostri præsens esset, & ad perpetuam rei memoriam suis literis testificaret, ne filii sine patris consensu aliquid novum conderent, nec labor filiorum sine patris consensu citius frustraretur. Acta sunt hæc in Ecclesia nostra* Oxon *xxi. Aprilis an. Dom. CIↃCDLVI. quo die præsentialiter & cum solenni processione dictus* Edmundus *in Fundatorem receptus est, præsentibus Cleri & populi multis & venerabilibus personis* Roberto *Priore* S. Frideswydæ Oxon, Richardo *Magistro Hospitalis* S. Johannis *extra portam Orientalem*, *Magistro* Thoma Chaundler *Gardiano* Novi *Collegii*, *Mag.* Joh. Brether *Mag.* Rob. Abdy *Procuratoribus Universitatis* Oxon. Roberto Attewode *Majore Villæ* Oxon, Rich. Spragott, Johanne Clerke, Johan. Lowe, *&c.*

Postquam charta illa palam fieret, Conventûs istius Prior cum Fratribus suis, approbante etiam Ministro Provinciali, Cameras quasdam inter Ecclesiam suam ab Austro, & Refectorium ab Aquilone,

[a] *In To.* 4. *p.* 339. *vide* Bal. *cent.* 7. *nu.* 91. [b] *Sed quondam fuerunt in bib. Ecclesiæ Cath.* Exon. [c] *In To.* 4. *ut supra p.* 327. [d] *Ibid. p.* 340. [e] *Edidit scriptum* Ioh. Duns Scoti *super* 3° *sententiarum* Venetiis *an.* 1481. *illo tunc in studio* Papiensi *ordinarie legente.* [f] *In quodam Reg. chartarum de terris & tenementis Dominis manerii de* Borstall, *in com* Buck. *pertinentibus. fol.* 136. *a.*

sitas,

ſitas, addito quoque horto iiſdem contiguo, *Edmundo Rede* præfato, filioque ejus & hæredi *Gulielmo* a aſſignabant, in terminum vitæ confirmantes.

Sepulti autem eo loci erant, præter *Handlovii* proſapiam, & ipſorum *Auguſtinenſium* (velut è tumulis nuper liquebat) complures, *Gualterus Curſon* de **Waterperry** in agro *Oxonienſi* Armiger, cum conſorte *Iſabellâ*. Is fato functus eſt VII. *Aprilis* CIↃDXXVII. & ſepulchrum in hac Eccleſiâ, Inſcriptione de more, clypeoque gentilitio ornatum, conſequebatur; quæ omnia ad Hoſpitii ſubverſionem filius ejus pio animo *Waterperriam* tranſtulit, ubi ſpectanda etiamnum ſuperſunt.

Benefactores ad ante recenſitos accedunt; primo *Elias* le *Quilter* Civis *Oxonienſis*, qui (poſtquam ex [b] Inquiſitione per XII. juratos factâ XXIII. *Ed. I.* dom. autem CIↃCCXCV. relatum eſſet, id nec Domini Regis nec alterius cujuſpiam commodis obſturum) Fratribus *Auguſtinenſibus*, Aulam, ſeu Hoſpitium antiquum, quod in Parochiâ S. *Crucis* poſitum, ad Collegium *Mertonenſe*, quantum ad primarii dominii jus ſpectabat, tranſcripſit. Id vero, prout in ipſâ habetur Inquiſitione, *à Clericis ſemper hucuſque inhabitabatur, & adhuc illi inhabitant*, & reddebat, præter cenſum Collegio penſitatum, XL. Sol. per annum. Proximus huic adeſt *Joh.* de *Chaſtleton* illuminator *Oxonienſis*, qui anno CIↃCCCXVII. inter ſuprema poſuit [c] mandata, ut Tenementum ejus in vico *Murilegorum* collocatum, divenderetur, & quicquid inde pecuniæ veniret, fratribus iis, in æternam animæ ſuæ felicitatem, accederet. Deinde erit *Gulielmus* le *Taylour* de **Peigham** *Ferrariorum* Capellanus, qui in animo deſtinans ſpecimina charitatis nonnulla edere, quo ad *Auguſtinenſes* firmiora ea devenirent, Meſſuagia bina, unumque fundi jugerum, eorum hoſpitio adjacentia, XI°. *Edoardi III.* anno [d] addixit. Cæterum fraudem illam perſpectam habentes *Mertonenſes* (qui Manerii S. *Crucis* domini exiſtentes, fratrum eorum proterminationem omnibus modis impediebant, ne ſcilicet è curiâ Letæ demum ſuâ eximerentur male metuentes) lites eâ de re frequentes [e] movebant; quæ in caſſum tamen cecidere, cum Fratres illi prædictam ex toto donationem obtinuerint, etſi vel de illâ, vel aliâ Sedis ſuæ parte aliquâ, XXI. ſol. & VI. den. Collegio *Mertonenſi* per annum [f] numerarint. Poſtremus venit (nam omnes in præſenti non referam) *Richard.* de *Gareford Oxonienſis*, qui anno CIↃCCCXCV. & debitam ſibi pecuniam [g] remiſit, & alia porro bona iiſdem donavit. An dicam præterea, Nundinas ipſis [h] indulſiſſe *Edoardum IV.* an. dom. CIↃCDLXXIV. pro magnâ eorum Portâ in quintum quotannis diem habendas; & L. inſuper ſolidos á Guardiano Monachiſque Collegii *Dunelmenſis* per annum accepiſſe *Auguſtinenſes*; de qua ſummâ, prout aliis quas mendicantibus reliquis penſitabant, Delegatis Regiis paulo ante præfati Collegii diſſolutionem, ratio reddebatur.

Diſſolutio Conventûs *Auguſtinenſis* cadit in annum *Henrici VIII.* XXXII°. quam ut breviter perſtringam, fundus & Tenementa *Tho. Carwarden* Armigero, inſequenti anno, elocantur, qui omnia in rem ſuam vertens, lapides, materiam, arbores, &c. diſtrahebat. Hinc vero cùm *Edoardus VI. Henrico Suffolciæ* Duci, & *Tho. Duport* Generoſo venundediſſet, tandem regnante *Jacobo* ad Collegii *Wadhamenſis* Fundatricem (mutatis ſubinde dominis) deſcendebant; quæ Collegio inibi, de mariti ſui nomine, condendo, prout ſuo dicetur loco, aſcripſit.

CIↃCCLXXI.

Hic annus nil amplius exhibet quam Convocationem [i] Abbatum & Priorum nigri ordinis *Oxoniæ* poſt clauſum Paſchæ, celebratam ubi præſidentes fuerunt Abbates de **Eyneſham** & **Wynchcombe**. Ibi autem inter alia agebatur de Hoſpitiis in Univerſitate illa erigendis, quibus Familiæ ſuæ Tyrones doctrinâ imbuerentur. Quoniam enim præcipuæ Ordinis illius Abbatiæ Habitacula nobiſcum conſecutæ pridem erant, reliquas cupido inceſſit, ut ſibi hac in re conſultum pariter eſſet; qui diverſoria proinde haud pauca extruebant, qualia fuere quæ Hoſpitio Monachorum *Gloceſtrenſium*, in vico **Stockwellſtreet** nuncupato, adſidebant.

CIↃCCLXXII.

Deventum jam nobis eſt ad ſupremum *Henrici III.* annum, cujus Regnum diuturnum tum erat, tum, quoad eruditionem Academicam, inſigni varietate interpolatum. Scriptores quidem ſub illo florentes, brevitati ſtudens prætermitto, de Univerſitate tamen adnotabo, nominis eam celebritate uſque adeo inclaruiſſe, ut ab *Alexandro IV.* Pontif. Rom. ad Optimates *Angliæ* ſcribente, *Fons amæniſſimus Heliconis* [k] appelletur, nec noſtras unice Terras irrigare dicatur. Alius [l] autem *Secundam Eccleſiæ Scholam*, & tertius [m] quidam *Optimarum diſciplinarum Emporium* expreſſe nuncupat. Et revera ſi tecum reputes, quam vitioſis quamque ruinam minantibus fundamentis nitebantur per hæc ſecula Scientiæ, magnum fatebere & laude dignum, vel tantillum ſuperſtruxiſſe. Neque enim cum literatis ego nonnullis profitebor, ingenuas nunc Artes re ipsâ quam optime viguiſſe, quin potius cum oculatiſſimo [n] *Bacono*, *Oxoniæ* ſub id inclareſcente aſſeverabo, imbelles eaſdem ſeu intermortuas magis, & apud nos & exteros perinde omnes jacuiſſe. Quorum ſi malorum cauſas audire expetis, ſic breviter (ex mente *Baconi*) habeto.

1. Notandum primo in loco eſt, quod cùm librorum pene omnium verſionibus errores quam plurimi ineſſent, neceſſe fiebat (veluti mox fuſius edocebimus) ut nugæ & ſophiſmata in Rempublicam literariam magnâ copiâ inveherentur.

Quanquam S. *Auguſtini* imprimis & *Boethii* ſtudio Philoſophia Peripatetica Chriſtianis in Occidente innotuerat, tamen huc uſq; ignotus propemodum erat ipſe *Ariſtoteles*: vel ut *Baconus* [o] dicit, *tardè venit aliquid de Philoſophia* Ariſtotelis *in uſum Latinorum, quia naturalis Philoſophia ejus & Metaphyſica & Commentaria* Averrois *& aliorum his temporibus noſtris tranſlata ſunt, &* Pariſiis *excommunicabantur anno*

[a] *Ibidem fol.* 136. *b.* [b] *In Turri* Lond. *ex faſcic. inquiſit.* 23. Ed. I. *nu.* 98. [c] *Rot. Huſt. curiæ Majoris* Oxon *de* 15. Ed. II. *in Chartophylac.* Civit. Oxon. [d] *In Theſaur.* Coll. Merton. *in pix.* Oxon. *A.* 5. 29. *&* A. 3. 13. [e] *Ut in faſcic. de placitis coronæ Friſc. fortiæ, novæ diſſeis. Intruſionis* &c. *in Chartophyl. Civit.* Oxon, *& in faſcic. petitionum Parl. de* 10. *&* 11. Ed. III. *in Tur.* Lond. [f] *Ut in parvo quodam Reg.* Coll. Merton. *fol.* 20. *a.* [g] *Collect.* Nich. Byſhop *in eod. Cartophyl. MS. fol.* 246. [h] *Pat.* 14. Ed. IV. *p.* 1. *m.* 23. [i] *Continuator* Radulphi *de* Diceto *ſub an.* 1271. [k] *In lib. Monaſterii de* Burton *ſuper* Trent. *MS.* [l] Mat. Paris *ſub an.* 1256. [m] Balæus *cent.* 3. *nu.* 74. [n] Rog. Bacon *in compendio ſtudii Theologiæ MS.* [o] *Ibidem.*

dom.

dom. CIↃCCXXXVII. propter æternitatem mundi & temporis, & propter librum de divinatione ſomniorum, qui eſt tertius de ſomno & vigilia, & propter multa erronea tranſlata. &c. Quod ad interpretes ejus attinet, inter præcipuos referri meruit (namque illos quos *Anglia* genuit deinceps exhibebo) *Gulielmus* [a] de *Moorebeck*, natione *Brabantinus*, Frater primo Prædicator, & inde Pœnitentiarius; ſummi præterea Pontificis Cancellarius, & Epiſcopus in Magnâ *Græcia Corinthiacus*. Ille autem per hæc tempora libros quamplurimos, ſpeciatim Philoſophiam *Ariſtotelicam*, inſtante [b] S. *Thomâ Aquinate*, Latine reddebat. Vertebat inſuper *Themiſtii* Commentarios in *Ariſtotelem* de Cœlo & Mundo; cui verſioni ultimam impoſuit [c] manum XVII. cal. *Julii* anno CIↃCCLXXI. Inſuper *Procli Diadochi* Elementa Theologica, quæ perfecit [d] XV. cal. *Jun.* ann. dom. CIↃCCLXVIII. Id vero operis, uti & mox ante dictum *Viturbii* abſolvit. Cum has autem aliaſque hominis iſtius lucubrationes, viri gentis noſtræ prudentiſſimi notaverint, noſtratium juxta & *Pariſienſium* de vulgo Philoſophorum corruptelas admodum graves fuiſſe quidni opinemur?

III. Analyticæ *Ariſtotelicæ*, reliquæq; organi partes pigre admodum in Univerſitatem iſtam aditum ſibi fecere; &, ſi Latinorum frequentiam reſpicias, agnoſces perpaucos ejuſdem interpretes, ante annum abhinc XL. habitos in pretio fuiſſe. Primi autem hominum Logicæ *Ariſtotelicæ* partem aliquam *Oxonienſibus* explicaſſe dicuntur,

I. S. *Edmundus* Archiep. *Cantuarienſis*, qui anno quaſi CIↃCCXXVII. in Scholis (ut ſupra dictum eſt) ſuis, Librum *Ariſtotelis* de *Elenchis* [e] exponebat.

II. Magiſter Hugo, qui ante paucos annos librum *Poſteriorum* [f] dilucidabat.

III. *Joh. Blond*, cujus in an. CIↃCCXXXII. meminimus, qui à Poeta [g] quodam *Oxonienſi* hoc nomine deprædicatur, quod *Ariſtotelem* tam apud nos quam *Pariſienſes* primus omnium enucleaſſet; velut ex his illius Carminibus de eo colligi poteſt.

Adde quod à puero, ſtudiis electus inhæſit,
Primus Ariſtotelis *ſatagens perquirere libros,*
Quando recenter eos Arabes miſcere latinis,
Quos nunquam fertur legiſſe celebrius alter,
Aut prius ut perhibent Oxonia Pariſiuſque,
Non tamen eſt contentus eo quaſi fine, nec artis,
Illi mundana ſuffecit adeptio, donec
Humanos regeret divina ſcientia ſenſus,
Ad quam tranſlatus luſtriſque duobus & annis
Inſudans totidem, rexit dominanter in ipſa, &c.

Sic ille; qui ante annum jam XX. floruerat. Sed cavendum prorſus, nè hæc in ſenſum illum trahantur, quaſi *Oxonienſes* tunc primum diſciplinâ *Ariſtotelicâ* imbueremur: quippe fidei hiſtoricæ hoc aperte adverſatur. Profecto ſi Poeta ſimul ille & *Baconus*, (qui rationibus modo allatis præcipue inſiſtit) nonnullos *Ariſtotelis* ipſius libros in linguam Latinam converſos *Oxonii* jam legi cœptos tradidiſſent, non multum repugnaremus; atqui ſi Philoſophum nobis nunc primitus innotuiſſe referant, manifeſtæ temeritatis jure merito coarguantur.

I. Primo enim ab *Aſſerio Menevenſi* [h] (ſi ejuſdem exemplari laudatiſſimo fides) convincitur, *Johannem Scotum* Erigenam Logicam *Ariſtotelicam Oxonienſibus*, regnante *Alfredo*, prælegiſſe.

II. Patet inſuper, quod tempore *Edoardi* Confeſſoris, *Ingulphus* literis *Oxoniæ* [i] vacavit, & in doctrinâ *Ariſtotelicâ* multum profecit.

III. *Robertus Pulleynus*, qui circa annum CIↃCXLVI. vigebat, *Optimarum Artium diſciplinas* (quod *Ariſtotelis* expertem feciſſe haud conjeceris) *Oxonienſibus* ante id tempus [k] enarraſſe memoratur.

IV. *Simeon Dunelmenſis*, ſecreta utriuſque Philoſophiæ (quibus includi *Ariſtotelicam* ecquis negabit?) apud *Oxonienſes* [l] illuſtravit; claruit autem anno CIↃCLXIV.

V. *Joh. Sarisburienſis*, quem *Oxonienſibus* haud ſemel annumeravimus, haud vulgarem à ſcientiâ *Ariſtotelicâ* famam reportavit; quam propterea *Oxonii* explicaſſe indubium eſt.

VI. De *Odone* inſuper *Muremudenſi* in confeſſo eſt, quod Analytica conſcripſerit, ideoque à vero non abhorret *Ariſtotelis* ſectatorem extitiſſe; quanquam hand aſſeverantius affirmabo, inter Academiæ noſtræ Alumnos ponendum eſſe, niſi in *Balæi* [m] ſententiam lubenter veneris de eo ſic referentis; --- *ubi ſtudiis tam diligenter incubuerit, aut quibus uſus ſit præceptoribus, nihil certi pronuntiare poſſum: fieri tamen potuit, ut* Oxonienſes *Scholas ubi tum bonæ florebant literæ ſedulo frequentaverit.* Mathematicâ (ut id obiter inferam) ſcientiâ eminebat, velut memoriæ [n] prodidit *Faber Stapulenſis.*

VII. Poſtremo loco erit, quod *Joh. Hantvillus*, ſeu *Architrenius*, ad Gradum Magiſtri in ſeptem Artibus Liberalibus apud *Oxonienſes* [o] aſpiravit, ante annum CIↃCC. quòdque Monachi *Crowlandenſes* Philoſophiam *Ariſtotelicam* anno CIↃCIX *Cantabrigiæ* præmonſtrarunt. Hinc ergo liquet hallucinatum fuiſſe cum Poeta *Baconum*, ſi eorum ſeculis *Ariſtotelem* apud nos primum receptum crediderint. Revera poſt admiſſum Jus Cæſareum anno CIↃCXLIX. *Ariſtotelis* loco *Juſtiniani* Imperatoris quilibet fere conſuetudinem ambivit; cumque in octogeſimum, aut eo amplius, annum obtineret, poſtliminio autem Philoſophia *Ariſtotelica* reſtituta eſſet, Philoſophus (qui, ut *Merlacus* [p] dicit, *oblivioni dabatur*) importari tum primitus in Academiam ſaltem minus attentis viſus eſt: interea tamen Univerſitatem noſtram in Artium ſtudio & diſciplinis omnino fundatam alibi oſtendimus, & res ipſa loquitur.

Verum, his lectori permiſſis, ſatis conſtat, quod cum de corruptis hac tempeſtate ſcientiis graves moveret querelas *Baconus* noſter, qui ſeculi ſui *Ariſtarchus* merito dicetur; is mali hujus præcipuam cauſam ſtatuit neglectum, aut quod perinde fere eſt, non bene intellectum *Ariſtotelem.* Proinde in libro [q] *de utilitate Scientiarum*, loquens de imperfectione antiquorum ſapientum & Sanctorum, dicit eos maxima præteriiſſe ex cauſis certis --- *una eſt* (inquit)

[a] Gul. *de* Moorebeck *Wytelus filius* Thuringorum *&c. ob cujus rogatum Magiſter* Vitellionis Polonus *flos mathematicorum condidit perſpectivam.* [b] *Ut in quadam nota præfixa libro* Vitellionis *de perſpectivis MS.* [c] *Ut in ipſo MS. in bib. Coll.* Ball. [d] *Ut in alio MS. ibid.* [e] *Bacon ut ſupra in comp. Theolog.* [f] *Ibid.* [g] Mich. Cornubienſis *Decanus* Trajectenſis *in poematibus ſuis, MS.* [h] *Vide* Twynum *in Apol. lib* 3. *ſect.* 287. [i] *Vide in Hiſt. ſua edit.* Francof. 1601. *p.* 903. [k] Balæus *cent.* 2. *nu.* 81. [l] *Ibid. cent.* 2. *nu.* 98. [m] *In cent.* 3. *nu.* 19. [n] *In præfatione ſua ſuper latinis Operibus* Euclidis. [o] Bal. *cent.* 3. *nu.* 49. [p] Dan. Merlacus *in præfatione libri de naturis inferiorum & ſuperiorum MS.* [q] *Cap.* 14. *MS.*

quia

quia non fuerunt tranſlata in linguam Latinam, nec ab aliquo Latinorum compoſita : Et ideo non fuit mirum ſi eorum non æſtimabant valorem : Platonis *enim libros Doctores omnes aſſumebant in manibus quoniam tranſlati fuerunt nec inveniebant in Græco : ſed libri* Ariſtotelis *non fuerunt tunc temporis tranſlati, nam* Auguſtinus *fuit primus tranſlator* Ariſtotelis *& expoſitor. Sed in minore & primo libellorum ſuorum, viz. prædicamentorum, nec fuit Philoſophia* Ariſtotelis *tunc temporis Græcis nota, nec Arabibus, ſicut prius factum eſt : Et ideo ſancti ſicut alii ignoraverunt Philoſophiam* Ariſtotelis, *cujus uſum non habebant, laudabant tamen* Platonem, *& quoniam intellexerunt quod* Ariſtoteles *proſecutus eſt* Platonicas *Sententias*, Ariſtotelem *in multis reprobant, & dicunt ipſum hæreſes congregaſſe, ſicut* Auguſtinus *dicit.* Et paucis interpoſitis ſic idem citatus author. *Cæterum ex libro prædicamentorum manifeſtum eſt quantum ſancti laudaſſent* Ariſtotelis *magnalia, poſtquam iſtum libellum qui reſpectu ſuæ ſapientiæ in mille tractatibus diffusè non valet unam feſtucam, magnificè extulerunt. Nam* Auguſtinus *ipſe tranſtulit illum de Græco in latinum pro filio ſuo & expoſuit diligenter, plus laudans* Ariſtotelem *de hoc nihilo, quam nos ipſum extollimus pro magna parte ſuæ ſapientiæ*, &c. tum addit. *Et* Alcuinus *de expoſitoribus Sacræ Scripturæ unus, Magiſter* Caroli *magni illam tranſlationem* Auguſtini *de prædicamentis mire laudavit, & metrico prologo decoravit ſub his verſibus.*

Continet iſte decem naturæ verba libellus,
Quæ jam verba tenent rerum ratione ſtupenda, &c.

Præterea cum *Boetius*, ſequiori tempore, *Ariſtotelis* Logicalia, parva naturalia, & Metaphyſicorum nonnihil, Romana donaret Civitate, conſtabat operum ejus nec partem dimidiatam, nedum potiorem rei literariæ ſtudioſis innotuiſſe ; quæ tum illorum pleriſque, tum Latinorum maxime vulgo incognita penitus erant.

Ad hæc, quod Chriſtianiſmum profeſſi Philoſophiæ parcius ſtuderent, cauſa erat, quoniam invaleſcenti fidei obſtutura videbatur Naturæ cognitio, idque in eo præſertim, quod ſi mundus ex illius legibus conſiſteret, metuendum erat ne numinis jura homines minus agnoſcerent. *Cæterum non ſolum hoc modo Philoſophia ſuſpecta fuerat, quaſi fidem Chriſti tardaret* (inquit [a] *Baconus*) *ſed jure legum ſuarum de Reipublicæ defenſione ab omni contrario ſenſu ; viſa eſt, per indicia futurorum, & oſtenſionem rerum occultarum præſentium, & per opera mirabilia ſupra naturæ & artis communiter operantium poteſtatem contendere cum fidei prædicatoribus, quorum proprium fuit non per naturam & artem, ſed per virtutem Dei Philoſophiam de futuris eructare, occulta producere, miracula ſuſcitare : nam quod Philoſophiæ poteſtas valeat magnifica peragere quæ vulgus non ſolum Laicorum ſed & Clericorum ducent pro miraculis, ſequentia declarabunt* &c. Sic ille, cujus nimirum ſtudia, quod è ſordido tritoque Monachorum otioſorum tramite deflecterent, ſuſpicionem incurrebant damni rei Eccleſiaſticæ aliquando tandem inferendi, eoque perinde nomine, & quia magiam olere parum naſutis crederentur, librorum ejus lectione tam illius quam ſubſequentium ſeculorum literati prorſus abſtinuere.

Rurſus autem, ſuppreſſi *Ariſtotelis* cauſam [b] reddit; ſupra laudatus *Baconus*, & paucitatem exemplarium, & ea poſſidentium invidiam, nec non bella Orientales plagas continuo infeſtantia ; quæ omnia magni viri ſcripta uſq; eo occuluiſſe videntur, ut niſi *Arabes, Avicenna*, & *Averroes*, poſt *Machumetis* tempora commentariis eadem dilucidaſſent, periculum fuiſſet, ne tota fere intercidiſſent ; quamvis præter Logicalia quædam & Philoſophica, quæ *Boetanio* è Græco transferrentur, ab ætate tamen *Michaelis Scoti*, hoc eſt anno præciſe CIↃCCXXX. ingens erat apud Latinos librorum *Ariſtotelicorum* penuria ; ſiquidem nec multis eorum in linguam vernaculam tranſductis, pauciſſimis vero uſu publico receptis, fruebantur. Quoad illos equidem, præcipua Philoſophiæ dogmata, arcana veriſſime erant ; & omiſſis tam Artis quam Naturæ magnalibus, viliſſima quævis, eaque otioſe adeo & per partes reddebantur, ut præter linearum & capitum frequentiſſimos hiatus, integri in Phyſicis, Metaphyſicis, & Logicalibus libri omnino deeſſent. Denique, & ſecunda *Avicennæ* Philoſophia (quæ *Orientalis* cognomine percrebuit, & cujus nuda ſimplicitas quoſcunque oppugnantium ictus contempſiſſe fertur) uti & tertia ejuſdem, quam paulo ante vitæ exitum ſcripſiſſe perhibetur, & in quam (referente ipſo in præfatione ad primam) recondita Artis haud pauca congeſſerat, in linguam hauddum Latinam derivata comparebant.

IV. Quinimo gravi, Rei literariæ detrimento, præter receptas ubique Leges Cæſareas, nec non tumultus Academicos, qui nobiſcum haud ſecus ac *Lutetiæ* frequentes erant, Regnorumque turbas inteſtinas, è quibus pernicioſæ præſertim extitere ſimultates quas in *Angliâ* conflarunt Optimates : acceſſerant Luxus & Avaritia Clericorum, & naſcentes quotidie Religioſorum Ordines, qui ut novi quippiam in doctrinâ ac fide inducere geſtiebant, ita à Fundatorum ſuorum regulis & ſanctimonia confeſtim declinabant. Cæterum ut prius dicta tantiſper reſumam, de Verſionum pene omnium pravitate & erroribus copioſius ediſſerere *Baconi* noſtri fretus auſpiciis non prætermittam.

Hujus autem generis peccata in Materiâ potiſſimum Phyſicâ admitti contigit, cujus argumenti libros cum tales apud nos juxta atque exteros viri transferendos [c] ſuſceperint, qui utriuſque Idiomatis rudes quam maxime eſſent, mirari non eſt ubique propemodum eoſdem deliquiſſe ; uti nec diſcentium inde vulgus, in Scientiarum ita fundamentis deceptos, verſiones ejuſmodi ulterius corrupiſſe, & errores erroribus aggeſſiſſe. Enimvero ſi fidem promeruerit [d] *Baconus*, viros his temporibus vix quatuor inter Latinos deprehendiſſes, qui Linguæ vel Græcæ vel Hebraicæ, nedum Arabicæ rationem, ſecundum Leges Grammaticas, elicere intelligerent ; dum ſermones illos, Laicâ quadam imperitiâ, plerique omnes uſurparent, ad verborum ordinem & Syntaxin, quarum inſcii penitus erant, nequaquam attendentes.

Inſuper, latine jam reddita, in rebus maxime naturalibus, bene pauca habebantur, deque illis haud omnia ad literatorum plebem [e] devenerant ; deficientibus plerumque integris capitibus, reliquiſq; fraudum & errorum refertis, velut ſpeciatim de libro illo Problematum [f] annotavit *Baconus*. His addendum, quod non tantum nuperrime tranſlata nondum percrebuerant, ſed nec factæ jampridem Verſiones (prout de Logicâ *Ariſtotelicâ* manifeſtum eſſe dicit Author prælaudatus, ante [g] quinquageſimum tum

[a] *In eodem cap. ut ſupra.* [b] *Ibid. cap.* 30. [c] *Idem* Bacon. *in lib. commun. Naturalium MS. lib.* I. *cap.* 3. [d] *In Epiſtola ad* Clem. *Pap.* IV. *MS.* [e] *Ib. in* 3. *cap. commun. Natural.* [f] *Ibid.* [g] *Ita Baconus in opere hic citato.*

annum in Latinum transfusa) Clericorum vulgo innotuissent. Et inde erat, ut illi videtur, quod *Aristotelis* de Philosophia Naturali libri, qui ante trigesimum aut quadragesimum annum legi tandem cœperant, & à suscipientibus absoluta haud fuerant, apud studentium plebeculam pro ignotis haberentur.

Hi autem imprimis fuere qui vertendis, seu potius corrumpendis bonis authoribus operam suam commodarunt, recensente *Bacono* [a] nostro, *Gerardus Cremonensis*, *Michael Scotus*, *Aluredus Anglicus*, sive *Philosophus*, *Hermannus Alemannus*, *Gulielmus Flemming*, Magister *Paravicius* Physicus. Illi terrarum orbem scriptis suis futilibus & indoctis contaminarunt, ita in Latinâ linguâ imperiti, ut sæpissimè barbaras & vernaculas voces [b] interponerent. Rem instantiâ illustrat [c] *Baconus*, scilicet quod cum in Scholis, de vegetabilibus agens, legeret *Belenum* [d] *in Persîde perniciosissimum transplantatum Jerusalem factum est comestibile*; illique aqua hæreret, siquidem nesciret, quid *Belenum* istud sibi vellet: qui adstabant juvenes *Hispani*, risu ipsum excepere, quandoquidem voce illa vernaculo idiomate semen notissimæ plantæ, quam *Cassilaginem* appellat, vulgo designaretur. Sed non est dissimulandum pace *Aristarchi* nostri, *Belenum* Græcæ originis vocem esse, herbamque denotare cujus succo sagittarum cuspides olim intingebantur, unde & toxicum dicebatur, & napelli sive aconiti species est. Ita aliquando accidit, ut qui aliorum ignorantiam traducunt, suam magis prodant. Sed hæc obiter.

Quod ad *Michaelem Scotum*, sive *Mathematicum* attinet; per plagium is *Andrei* cujusdam verpi lucubrationes sibi vindicabat, & *Avicennam* transtulisse se perhibebat, proemii loco ad Historiam Animalium *Aristotelis* hæc [e] habet. *Incipit liber de animalibus* Aristotelis *translatus ab Arabico in latinum per Magistrum* Michaelem Scotum. Frederice *domine mundi Imperator*, *suscipe devote hunc librum* Michaelis Scoti, *ut sit gratia capiti tuo*, *& torques collo tuo*. Librum etiam alium jussu Imperatoris edidit in usum juniorum (cui titulus. *Liber* [f] *introductorius*) tempore P. *Innocent. IV.* conscriptum, quem hisce carminibus claudit.

Utilis est cunctis nostri doctrina libelli.
Suscipiant omnes gratantes dogma Novelli.

In proemio *Gilbertum* quendam sive *Gerebertum* laudat, magni apud *Gallos* nominis ob singularem in Magia peritiam, qui *Rhemensis* Episcopus, deinceps *Ravennæ* Archiepiscopus, & demum Papa Romanus fuerat. Epilogi loco dicit Author, *Expliciunt judicia quæstionum secundum scientiam* Michaelis Scoti, *grandis astrologi quondam Imperatoris* Frederici *de terrâ Teutonicâ*. Anno CIↃCCXXX. teste [g] *Bacono* floruit, minime vero, quemadmodum nonnulli referunt, ann. CIↃCCXC. Apud posteros Magi nomen habuit, quem tamen *Gabriel* [h] *Naudæus* illa infamia liberandum contendit. De *Aluredo Anglico* superius egimus anno CIↃCCXXXI. ideo ad *Hermannum Alemannum* transimus, qui Episcopus deinceps factus, *Bacono* nostro non erubuit libere [i] confiteri, licet in logica libros aliquot transtulisset, se tamen illius Artis penitus rudem fuisse, nec scientias liberales, linguamve Arabicam intelligere; nec adeo interpretari, quam aliis id peragentibus præsto adesse: conduxisse nimirum in *Hispania Saracenos* aliquot, qui dum gentis illius historiam enarranti suppetias tulere, pariter *Mahumetis* doctrinam enarrabant. In libri [k] fine sic peroratum. *Doctrina* Mahumet, *quæ apud* Saracenos *magnæ authoritatis est*, *ab* Hermanno *translata*, *cum esset peritissimus utriusque linguæ*, *latinæ scilicet & Arabicæ*.

Gulielmus Flemming, licet *Parisiis* laudem satis amplam [l] obtineret, linguam Græcam, (in qua unâ sese multum jactitabat) penitus nesciebat. Unde postquam aliorum labores contemptui habuisset, se illis correctorem spondens, novos solum errores, & immania sphalmata protulit, quæ à lectoribus cito deprehensa.

De Magistro *Paravicio* non multa habentur; transtulit tamen *Abumeron*, sive *Abumer van Avenzoar*, quem sic auspicatur, *In nomine Domini Amen. Incipit liber* Thoicrin *de* Halmondana Vahaltadabir, *cujus est interpretatio rectificatio medicationis & regiminis*; *editus in Arabico à perfecto viro* Abumarvan Avenzoar, *& transiatus de Hebraico in latinum* Venetiis *à Magistro* Paravicio *Physico*, *ipso sibi vulgarizante Magistro* Jacobo *Hebræo*, Ann. Dom. CIↃCCLXXXI. De omnibus seculi istius interpretibus solus *Bacono* nostro satisfecit Episcopus *Lincolniensis*, *solus* ([m] inquit) *Dominus* Robertus *novit scientias & linguas sufficienter*, &c.

Pergit idem [n] *Baconus* rei literariæ damna ulterius recensere, gravemque in Universâ matheſi insciitiam notat: *Johannes* quippe *Londinensis* pupillus suus, Magister *Petrus* de *Maharnicuria Picardus*, Mag. *Campanus* de *Navarra*, & Mag. *Nicolaus* [o] Doctor *Almarici* de *Monte Forti*, hac soli tempestate superfuere, qui in scientiis istis aliquid præstare potuerant. Reliqui mortalium in primo elementorum limine hæserunt, prop. nimirum quintâ, quam Elefugam *Baconus* [p] appellat, quæque à posteris *Pons asinorum* vocabatur.

De perspectivâ ait, neminem ante annum Dom. CIↃCCLXVII. *Oxonii* in illa arte [q] legisse; idq; bis tantum post homines natos ibidem præstitum. *Parisiis* vero nihil ea de re usque dum innotuisse: imo latinos omnes disciplinam hanc penitus ignorare, si tres in *Anglia* excipiantur. Addit [r] etiam *Julium Cæsarem* telescopii ope à *Gallicano* littore portus nostros urbesque maritimas spectasse, cum bellum in nos meditaretur. *Baconi* tubus opticus, quo mediante è longinquo res gestas contuebatur, seculo hoc, & insequentibus celebri increbuit famâ, & authori Artis Magicæ notam inussit. Is vero, ut opticam suam tueretur, non modo thaumaturgiam in illis quæ ad visum pertinent, scientiæ huic attribuit; sed Universim [s] ait, *omnia sciri per perspectivam*, *quoniam omnes actiones rerum fiunt secundum specierum & virtutum multiplicationem ab agentibus hujus mundi*, *in materias patientes: & leges hujusmodi multiplicationum non sciuntur nisi à perspectivâ*, *nec alibi sunt traditæ adhuc*, *cum tamen non solum sint communes actioni in visum*, *sed in omnem sensum*, *& in totam mundi machinam*, *& in cælestibus*, *& inferioribus* &c.

[a] *In cap. continent. epilog. ut supra*, *& in opere* 3° *ad* Clem. *P P.* IV. *cap.* 25. *MS. in bib. Coll.* Universitatis. [b] *Idem* Bacon *in compend. stud. Theol. in Bib.* Bod. *fol.* 15. [c] *Ibid. fol.* 138. [d] *In alio exemplari scribitur* Velenum, *sed vitiose.* [e] *Edit.* Venetiis. 1493. [f] *MS. in bib.* Bod. *inter cod. jur.* [g] *In lib. de util. scient. cap.* 30. [h] *In Hist. Mag. ut supra sub an.* 1227. [i] *Idem in cap. continent. epilog. ut supra.* [k] *MS. in bib. Coll.* Merton. *P.* 7. 9. [l] *In eodem cap. cont. epil. ut supra.* [m] *In opere* 3. *c.* 10. *MS. in bib. Coll.* Univer. [n] *In ope minore ad* Clem. IV. *MS.* [o] *Fecit iste* Nicholaus *parvum Almagistum & commentavit Geometricum* Euclidis. [p] *Ib. in eod. opere* 3°. *cap.* 6. *MS. in bib. Coll.* Univers. [q] *Idem* Bac. *in epist. ad opus minus* Clementi IV. *& in eod.* 3°. *opere cap.* 11. [r] *In lib. suo de perspectivis MS.* [s] *In opere min. ut supra.*

Sed

Sed licet Dioptricam ſtudioſè excoleret *Rogerus* noſter, pariter in *Catoptricâ* deſudabat: *Archimedis Siracuſani* æmulus; qui *Romanam* claſſem, in Anchoris ſtantem, ſpeculis uſtoriis combuſſiſſe perhibetur: in hujus rei fidem conſuli poterit liber ab eo conſcriptus de *ſpeculis comburentibus.*

Chimiam porro neglectam conqueritur *Baconus*; qui tres tantum reperiri per Romanum orbem [a] ait, qui artem illam callerent; inter quos *Petrus* de *Maharncourt* ſupra laudatus, principem obtinuit locum, & maximis ornari elogiis à *Bacono* [b] meruit, *Dominuſq; experimentorum* paſſim dicebatur. Inter celebres vero Chimicos qui uſquam floruere, quartum locum vindicat ipſe *Baconus*, ſic enim recenſeri ſolent.

1. *Hermes Triſmegiſtus.*
11. *Geber* Arabs.
111. *Mouenes* Romanus.
IV. *Rogerus Baconus.*
V. *Raimundus Lullius.*
VI. *Thomas Paracelſus.*

Quinimo depingi ſolebat *Baconus* appoſito Salamandro, his verbis inſuper additis. *Per elementorum converſionem ternarius purificatus fiat monas.*

Demum vero, non magis ad *Rogeri* noſtri palatum faciebant quæ vulgo inter Theologos gerebantur: in mores enim & ſtudia clericorum paſſim invehitur, pleraque etiam in *Alberto magno*, & *D. Thomâ* criminatur. Nec immerito id quidem, ſiquidem eorum in *Ariſtotelem* ſcripta ex [c] decreto P. *Gregorii IX.* damnarentur. Quin & S. Patrum editiones ad examen [d] trahebat; & *Baſilii*, *Chryſoſtomi*, *Dionyſii* opera fruſtra requiſivit. Verſiones etiam biblicas corruptas paſſim [e] querebatur. Sed nihil magis bilem ipſi movit, quam Neophytarum quorundam ſuperba ignorantia, qui ſine arte aliqua artium Magiſtri, ſine doctrinâ Doctores [f] ſalutabantur, cunis quam Cathedrâ digniores, & prætextâ potius quam togâ doctorali, imo virili, induendi. Adeo ut ex innumeris qui ea tempeſtate S. Theologiæ ſtudio nomina dedere, ſoli ipſi [g] placuerint *Rob. Groſteſt*, *Thomas Wallenſis*, Epiſcopus *Menevenſis*, *Adamus* de *Mariſco*, Mr *Gulielmus Lupus*, & Mr *Gulielmus Schyrwodus.* Iſtis diutius immoratus ſum, ut ex acri cenſurâ eruditiſſimi *Baconi* conſtare poſſet, qui fuerint in Artibus & S. Theologia hac tempeſtate profectus, & incrementa, quæ etiam vitia inoleverint.

CIↃCCLXXIV.

Rei literariæ impedimenta bene multa retulimus, iis autem addendæ ſunt nocivæ non minus inter ipſos Academicos ſimultates, quibus teſtatum faciebant, animis ſe ad *Martem* potius quam *Minervam* propendere. Graves utique contentiones erant, quibus *Angli* auſtrales, *Marchiones*, vel *Walliæ* limitanei, *Hiberni*, & *Cambrenſes*, cum *Scotis Angliſque* borealibus conflictabantur; quæque anno ſuperiori, poſtridie feſti S. *Pauli*, ad bonorum uſque direptionem prorupêre. Sed furoris iſtius tandem pertæſum eſt, & interpoſitâ præcipuorum Academicorum operâ, hoc anno, proximo die Martis poſt Dominicam *Palmarum*, optatum finem civilia hæc bella habuere, ut patet ex pacto convento ſive compoſitione [h] ſequente.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Ad æternam rei memoriam. Cum variæ contentiones & diſcordiæ ortæ eſſent inter Auſtrales, Marchiones, Hybernenſes, & Walenſes *ex una parte*, & Boreales & Scotos *ex altera*, *in municipio* Oxon, *ſuper variis petitionibus*, *reconventionibus & tranſgreſſionbus*, *in hac forma conquieverunt. Videlicet.*

Ex parte Auſtralium, Marchionum, Hybernenſium, & Walenſium, *electi fuerunt Domini & Magiſtri.*

Richardus *filius* Johannis.
Richardus *de* Hallynges.
Henricus *la* Feyte.
Ægidius Fillol.
Thomas *de S.* Leodgario.
Willielmus *de* Cruce Roys, &
Johannes Folke.

Qui plenam habuerunt poteſtatem generalem & ſpiritualem componendi, tranſigendi, ordinandi, remittendi ordinationem, dictum ſeu Laudum recipiendi, & alia omnia faciendi, quæ ad bonum pacis plenè potuerunt pertinere.

Ex parte vero Borealium & Scotorum *electi fuerunt Domini & Magiſtri.*

Hugo *de* Thurgarton.
Clemens *de* Aſton.
Willielmus *de* Lafford.
Robertus *de* Fletham.
Nicolaus *de* Bernewelle.
Gilbertus *de* Strathern, &
Willielmus *de S.* Botulfo.

Qui conſimilem in præmiſſis omnibus habuerunt poteſtatem. Electi etiam fuerunt quinque Mediatores Domini & Magiſtri (viz.)

Frater Oliverus Daynchurch *Prior Fr. Prædicatorum* Oxon.

Johannes *de* Wengham *Præcentor* S. Pauli London.

Hugo *de* Heyneſham.

Nicolaus *de* Marnham *gerens vices Domini Cancellarii* Oxon. &

Philippus *de* Stanton *Canonicus* Wellenſis,

De *communi conſenſu omnium tam* Auſtralium, Marchionum, Hybernenſium, Walenſium; *quam* Borealium & Scotorum. *In quos quidem communiter ab omnibus prædictis collata fuit plena poteſtas, mediandi, ordinandi, & diſcordes ad concordiam reducendi; petitiones, conventiones, reconventiones, transgreſſiones, & pœnarum commiſſiones moderandi, remittendi, & omnia alia faciendi, quæ ad bonum pacis poterunt quomodolibet pertinere: juramento ab omnibus & ſingulis prædictis corporaliter præſtito, quod pacem & formam pacis, quam prædicti quinque ordinaverint &*

[a] *In præambulo ſuo ad opus majus & minus &c. MS. & in oper.* 3. *ad* Clem. IV. *ut ſup. c.* 12. [b] *In opere min. ad* Clem. IV. *c.* 13. [c] Ioh. Launoy *de varia* Ariſtot. *fortuna in Acad.* Paris *cap.* 7. *vide etiam in dialogis* Occam. *lib.* 2. *cap.* 21. [d] *In* 3ª *parte operis majoris ſive in Tractatu ſuo de utilitate ſcientiarum MS.* [e] *Ibid. p.* 45. *ſecundum exemplar* M^ri Allen. [f] Bacon *in opere min. cap.* 5. [g] *In opere min. ad* Clem. IV. *cap.* 5. [h] *In Turri Scholarum in pix.* II. *nu.* 12. *ſub* 43. *ſigillis.*

annum in Latinum transfusa) Clericorum vulgo innotuissent. Et inde erat, ut illi videtur, quod *Aristotelis* de Philosophia Naturali libri, qui ante trigesimum aut quadragesimum annum legi tandem cœperant, & à suscipientibus absoluta haud fuerant, apud studentium plebeculam pro ignotis haberentur.

Hi autem imprimis fuere qui vertendis, seu potius corrumpendis bonis authoribus operam suam commodarunt, recensente *Bacono* [a] nostro, *Gerardus Cremonensis*, *Michael Scotus*, *Aluredus Anglicus*, sive *Philosophus*, *Hermannus Alemannus*, *Gulielmus Flemming*, Magister *Paravicius* Physicus. Illi terrarum orbem scriptis suis futilibus & indoctis contaminarunt, ita in Latinâ linguâ imperiti, ut sæpissimè barbaras & vernaculas voces [b] interponerent. Rem instantiâ illustrat [c] *Baconus*, scilicet quod cum in Scholis, de vegetabilibus agens, legeret *Belenum* [d] *in Persida perniciosissimum transplantatum Jerusalem factum est comestibile*; illique aqua hæreret, siquidem nesciret, quid *Belenum* istud sibi vellet : qui adstabant juvenes *Hispani*, risu ipsum excepere, quandoquidem voce illa vernaculo idiomate semen notissimæ plantæ, quam *Cassilaginem* appellat, vulgo designaretur. Sed non est dissimulandum pace *Aristarchi* nostri, *Belenum* Græcæ originis vocem esse, herbamque denotare cujus succo sagittarum cuspides olim intingebantur, unde & toxicum dicebatur, & napelli sive aconiti species est. Ita aliquando accidit, ut qui aliorum ignorantiam traducunt, suam magis prodant. Sed hæc obiter.

Quod ad *Michaelem Scotum*, sive *Mathematicum* attinet; per plagium is *Andrei* cujusdam verpi lucubrationes sibi vindicabat, & *Avicennam* transtulisse se perhibebat, proemii loco ad Historiam Animalium *Aristotelis* hæc [e] habet. *Incipit liber de animalibus* Aristotelis *translatus ab Arabico in latinum per Magistrum* Michaelem Scotum. Frederice *domine mundi Imperator*, *suscipe devote hunc librum* Michaelis Scoti, *ut sit gratia capiti tuo*, *& torques collo tuo*. Librum etiam alium jussu Imperatoris edidit in usum juniorum (cui titulus. *Liber* [f] *introductorius*) tempore P. *Innocent. IV.* conscriptum, quem hisce carminibus claudit.

Utilis est cunctis nostri doctrina libelli.
Suscipiant omnes gratantes dogma Novelli.

In proemio *Gilbertum* quendam sive *Gerebertum* laudat, magni apud *Gallos* nominis ob singularem in Magia peritiam, qui *Rhemensis* Episcopus, deinceps *Ravennæ* Archiepiscopus, & demum Papa Romanus fuerat. Epilogi loco dicit Author, *Expliciunt judicia quæstionum secundum scientiam* Michaelis Scoti, *grandis astrologi quondam Imperatoris* Frederici *de terrâ Teutonicâ*. Anno CIↃCCXXX. teste [g] *Bacono* floruit, minime vero, quemadmodum nonnulli referunt, ann. CIↃCCXC. Apud posteros Magi nomen habuit, quem tamen *Gabriel* [h] *Naudæus* illa infamia liberandum contendit. De *Aluredo Anglico* superius egimus anno CIↃCCXXXI. ideo ad *Hermannum Alemannum* transimus, qui Episcopus deinceps factus, *Bacono* nostro non erubuit libere [i] confiteri, licet in logica libros aliquot transtulisset, se tamen illius Artis penitus rudem fuisse, nec scientias liberales, linguamve Arabicam intelligere; nec adeo interpretari, quam aliis id peragentibus præsto adesse: conduxisse nimirum in *Hispania Saracenos* aliquot, qui dum gentis illius historiam enarranti suppetias tulere, pariter *Mahumetis* doctrinam enarrabant. In libri [k] fine sic peroratum. *Doctrina* Mahumet, *quæ apud* Saracenos *magnæ authoritatis est*, *ab* Hermanno *translata*, *cum esset peritissimus utriusque linguæ*, *latinæ scilicet & Arabicæ*.

Gulielmus Flemming, licet *Parisiis* laudem satis amplam [l] obtineret, linguam Græcam, (in qua unâ sese multum jactitabat) penitus nesciebat. Unde postquam aliorum labores contemptui habuisset, se illis correctorem spondens, novos solum errores, & immania sphalmata protulit, quæ à lectoribus cito deprehensa.

De Magistro *Paravicio* non multa habentur; transtulit tamen *Abumeron*, sive *Abumervan Avenzoar*, quem sic auspicatur, *In nomine Domini Amen. Incipit liber* Thoicrin *de* Halmondana Vahaltadabir, *cujus est interpretatio rectificatio medicationis & regiminis*; *editus in Arabico à perfecto viro* Abumarvan Avenzoar, *& transfatus de Hebraico in latinum* Venetiis *à Magistro* Paravicio *Physico*, *ipso sibi vulgarizante Magistro* Jacobo *Hebræo*, Ann. Dom. CIↃCCLXXXI. De omnibus seculi istius interpretibus solus *Bacono* nostro satisfecit Episcopus *Lincolnienses*, *solus* ([m] inquit) *Dominus* Robertus *novit scientias & linguas sufficienter*, &c.

Pergit idem [n] *Baconus* rei literariæ damna ulterius recensere, gravemque in Universâ matheſi insciitiam notat : *Johannes* quippe *Londinensis* pupillus suus, Magister *Petrus* de *Maharnicuria Picardus*, Mag. *Campanus* de *Navarra*, & Mag. *Nicolaus* [o] Doctor *Almarici* de *Monte Forti*, hac soli tempestate superfuere, qui in scientiis istis aliquid præstare potuerant. Reliqui mortalium in primo elementorum limine hæserunt, prop. nimirum quintâ, quam Elefugam *Baconus* [p] appellat, quæque à posteris *Pons asinorum* vocabatur.

De perspectivâ ait, neminem ante annum Dom. CIↃCCLXVII. *Oxonii* in illa arte [q] legisse; idq; bis tantum post homines natos ibidem præstitum. *Parisiis* vero nihil ea de re usque dum innotuisse: imo latinos omnes disciplinam hanc penitus ignorare, si tres in *Anglia* excipiantur. Addit [r] etiam *Julium Cæsarem* telescopii ope à *Gallicano* littore portus nostros urbesque maritimas spectasse, cum bellum in nos meditaretur. *Baconi* tubus opticus, quo mediante è longinquo res gestas contuebatur, seculo hoc, & insequentibus celebri increbuit famâ, & authori Artis Magicæ notam inussit. Is vero, ut opticam suam tueretur, non modo thaumaturgiam in illis quæ ad visum pertinent, scientiæ huic attribuit; sed Universim [s] ait, *omnia sciri per perspectivam*, *quoniam omnes actiones rerum fiunt secundum specierum & virtutum multiplicationem ab agentibus hujus mundi*, *in materias patientes : & leges hujusmodi multiplicationum non sciuntur nisi à perspectivâ*, *nec alibi sunt traditæ adhuc*, *cum tamen non solum sint communes actioni in visum*, *sed in omnem sensum*, *& in totam mundi machinam*, *& in cœlestibus*, *& inferioribus* &c.

[a] *In cap. continent. epilog. ut supra*, *& in opere* 3° *ad* Clem. *PP.* IV. *cap.* 25. *MS. in bib. Coll.* Universitatis. [b] *Idem* Bacon *in compend. stud. Theol. in Bib.* Bod. *fol.* 15. [c] *Ibid. fol.* 138. [d] *In alio exemplari scribitur* Velenum, *sed vitiose*. [e] *Edit.* Venetiis. 1493. [f] *MS. in bib.* Bod. *inter cod. jur.* [g] *In lib. de util. scient. cap.* 30. [h] *In Hist. Mag. ut supra sub an.* 1227. [i] *Idem in cap. continent. epilog. ut supra.* [k] *MS. in bib. Coll.* Merton. *P.* 7. 9. [l] *In eodem cap. cont. epil. ut supra.* [m] *In opere* 3. *c.* 10. *MS. in bib. Coll.* Univer. [n] *In ope minore ad Clem.* IV. *MS.* [o] *Fecit iste* Nicholaus *parvum Almagistum & commentavit Geometricum* Euclidis. [p] *Ib. in eod. opere* 3°. *cap.* 6. *MS. in bib. Coll.* Univers. [q] *Idem* Bac. *in epist. ad opus minus Clementi* IV. *& in eod.* 3°. *opere cap.* 11. [r] *In lib. suo de perspectivis MS.* [s] *In opere min. ut supra.*

Sed

Sed licet Dioptricam ſtudioſè excoleret *Rogerus* noſter, pariter in *Catoptricâ* deſudabat: *Archimedis Siracuſani* æmulus; qui *Romanam* claſſem, in Anchoris ſtantem, ſpeculis uſtoriis combuſſiſſe perhibetur: in hujus rei fidem conſuli poterit liber ab eo conſcriptus de *ſpeculis comburentibus.*

Chimiam porro neglectam conqueritur *Baconus*; qui tres tantum reperiri per Romanum orbem [a] ait, qui artem illam callerent; inter quos *Petrus* de *Maharncourt* ſupra laudatus, principem obtinuit locum, & maximis ornari elogiis à *Bacono* [b] meruit, *Dominuſq; experimentorum* paſſim dicebatur. Inter celebres vero Chimicos qui uſquam floruere, quartum locum vindicat ipſe *Baconus*, ſic enim recenſeri ſolent.

I. *Hermes Triſmegiſtus.*
II. *Geber* Arabs.
III. *Mouenes* Romanus.
IV. *Rogerus Baconus.*
V. *Raimundus Lullius.*
VI. *Thomas Paracelſus.*

Quinimo depingi ſolebat *Baconus* appoſito Salamandro, his verbis inſuper additis. *Per elementorum converſionem ternarius purificatus fiat monas.*

Demum vero, non magis ad *Rogeri* noſtri palatum faciebant quæ vulgo inter Theologos gerebantur: in mores enim & ſtudia clericorum paſſim invehitur, pleraque etiam in *Alberto magno*, & *D. Thomâ* criminatur. Nec immerito id quidem, ſiquidem eorum in *Ariſtotelem* ſcripta ex [c] decreto P. *Gregorii IX.* damnarentur. Quin & S. Patrum editiones ad examen [d] trahebat; & *Baſilii*, *Chryſoſtomi*, *Dionyſii* opera fruſtra requiſivit. Verſiones etiam biblicas corruptas paſſim [e] querebatur. Sed nihil magis bilem ipſi movit, quam Neophytarum quorundam ſuperba ignorantia, qui ſine arte aliqua artium Magiſtri, ſine doctrinâ Doctores [f] ſalutabantur, cunis quam Cathedrâ digniores, & prætextâ potius quam togâ doctorali, imo virili, induendi. Adeo ut ex innumeris qui ea tempeſtate S. Theologiæ ſtudio nomina dedere, ſoli ipſi [g] placuerint *Rob. Groſteſt*, *Thomas Wallenſis*, Epiſcopus *Menevenſis*, *Adamus* de *Mariſco*, Mr *Gulielmus Lupus*, & Mr *Gulielmus Schyrwodus.* Iſtis diutius immoratus ſum, ut ex acri cenſurâ eruditiſſimi *Baconi* conſtare poſſet, qui fuerint in Artibus & S. Theologia hac tempeſtate profectus, & incrementa, quæ etiam vitia inoleverint.

CIↃCCLXXIV.

Rei literariæ impedimenta bene multa retulimus, iis autem addendæ ſunt nocivæ non minus inter ipſos Academicos ſimultates, quibus teſtatum faciebant, animis ſe ad *Martem* potius quam *Minervam* propendere. Graves utique contentiones erant, quibus *Angli* auſtrales, *Marchiones*, vel *Walliæ* limitanei, *Hiberni*, & *Cambrenſes*, cum *Scotis Angliſque* borealibus conflictabantur; quæque anno ſuperiori, poſtridie feſti S. *Pauli*, ad bonorum uſque direptionem prorupêre. Sed furoris iſtius tandem pertæſum eſt, & interpoſitâ præcipuorum Academicorum operâ, hoc anno, proximo die Martis poſt Dominicam *Palmarum*, optatum finem civilia hæc bella habuere, ut patet ex pacto convento ſive compoſitione [h] ſequente.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Ad æternam rei memoriam. Cum variæ contentiones & diſcordiæ ortæ eſſent inter Auſtrales, Marchiones, Hybernenſes, *&* Walenſes *ex una parte*, *&* Boreales *&* Scotos *ex altera*, *in municipio* Oxon, *ſuper variis petitionibus*, *reconventionibus & tranſgreſſionbus*, *in hac forma conquieverunt. Videlicet.*

Ex parte Auſtralium, Marchionum, Hybernenſium, & Walenſium, *electi fuerunt Domini & Magiſtri.*

Richardus *filius* Johannis.
Richardus *de* Hallynges.
Henricus *la* Feyte.
Ægidius Fillol.
Thomas *de S.* Leodgario.
Willielmus *de* Cruce Roys, *&*
Johannes Folke.

Qui plenam habuerunt poteſtatem generalem & ſpiritualem componendi, tranſigendi, ordinandi, remittendi ordinationem, dictum ſeu Laudum recipiendi, & alia omnia faciendi, quæ ad bonum pacis plenè potuerunt pertinere.

Ex parte vero Borealium & Scotorum *electi fuerunt Domini & Magiſtri.*

Hugo *de* Thurgarton.
Clemens *de* Aſton.
Willielmus *de* Lafford.
Robertus *de* Fletham.
Nicolaus *de* Bernewelle.
Gilbertus *de* Strathern, &
Willielmus *de S.* Botulfo.

Qui conſimilem in præmiſſis omnibus habuerunt poteſtatem. Electi etiam fuerunt quinque Mediatores Domini & Magiſtri (viz.)

Frater Oliverus Daynchurch *Prior Fr. Prædicatorum* Oxon.

Johannes *de* Wengham *Præcentor* S. Pauli London.

Hugo *de* Heyneſham.

Nicolaus *de* Marnham *gerens vices Domini Cancellarii* Oxon. *&*

Philippus *de* Stanton *Canonicus* Wellenſis,

De *communi conſenſu omnium tam* Auſtralium, Marchionum, Hybernenſium, Walenſium; *quam* Borealium & Scotorum. *In quos quidem communiter ab omnibus prædictis collata fuit plena poteſtas, mediandi, ordinandi, & diſcordes ad concordiam reducendi; petitiones, conventiones, reconventiones, transgreſſiones, & pœnarum commiſſiones moderandi, remittendi, & omnia alia faciendi, quæ ad bonum pacis poterunt quomodolibet pertinere: juramento ab omnibus & ſingulis prædictis corporaliter præſtito, quod patem & formam pacis, quam prædicti quinque ordinaverint &*

[a] *In præambulo ſuo ad opus majus & minus &c. MS. & in oper.* 3. *ad* Clem. IV. *ut ſup. c.* 12. [b] *In opere min. ad* Clem. IV. *c.* 13. [c] Ioh. Launoy *de varia* Ariſtot. *fortuna in Acad.* Paris *cap.* 7. *vide etiam in dialogis* Occam. *lib.* 2. *cap.* 21. [d] *In* 3^a *parte operis majoris ſive in Tractatu ſuo de utilitate ſcientiarum MS.* [e] *Ibid. p.* 45. *ſecundum exemplar* M^ri Allen. [f] Bacon *in opere min. cap.* 5. [g] *In opere min. ad* Clem. IV. *cap.* 5. [h] *In Turri Scholarum in pix.* II. *nu.* 12. *ſub* 43. *ſigillis.*

providerint, inter eos inviolabiliter perpetuis temporibus obſervabunt. Quinque vero prædicti mediatores prædictos quatuordecim nomine omnium ad concordiam ſub hac forma amicabiliter reduxerunt. Videlicet, ut remiſſis hinc inde ab initio mundi omnibus rancoribus, injuriis, tranſgreſſionibus, contumeliis, actionibus tam realibus quàm perſonalibus, pœnarum commiſſionibus, & omnibus aliis quorum prætextu poſſet in poſterum ſuper præmiſſis quæſtio vel contentio ſuſcitari; bona ablata à quocunque in craſtino S. Pauli *an. D. CIↃCCLXXIII. quocunque inventa fuerint, plenè reſtituantur. Quod ſi inventa non fuerint, pretia reſtituantur eorundem. Et, ſi contingat bona aliqua in poſterum inveniri penes aliquem, quorum pretia priùs fuerint perſoluta, licitum eſt Dominis res ſuas pretio reſtituto, authore Cancellario rehabere. Quam reſtitutionem plene faciendam, prædicti quinque mediatores cum prædictis Ordinatoribus & aliis Dominis & Magiſtris* Willielmo *de* Bridillington, Johanne *le* Bigoth, Petro *de* Ros, Jacobo *de* Segrave, Edmundo *la* Suche, Thoma *filio* Alani, Willielmo *de* Umfranvile, Joh. *de* London, Roberto *de* Thorp, Laurentio *de* Spalding, Willielmo *de* Belewe, Rogero *de* Mortivans, Alexandro *de* Martineſthorpe, Rogero *de* Tiltune, Adamo *de* Levinton, Archibaldo *de* Duglas, Symone *de* Farindon, Radulpho *de* Kneveton, Thoma *de* Hunſinghorne, Willielmo *de* Menil, Roberto *de* Linton, Richardo *de* Wyteby, Andr. *de* Derby, Roberto *de* Barton, Johanne *de* Axeby, *ſponte ſe ad idem obligantibus citra feſtum Pentecoſtes fideliter promiſerunt & manuceperunt. Ad pacem vero & tranquillitatem Univerſitatis in perpetuum inviolabiliter obſervandam de conſenſu expreſſo omnium & ſingulorum ordinatum eſt & proviſum, quod ſi quis de pacis perturbatione ſuſpectus inveniatur, idoneè caveat per pignora aut per clericos beneficiatos in Provincia* Cantuarienſi, *vel* Eboracenſi, *aut per Burgenſes immobilia poſſidentes, quod ſtabit pacifice & quietè nullo modo arma portando, ſeu aliis ad portandum commodando, vel conventiculas illicitè faciendo, aut pacem Univerſitatis, ope, facto, vel conſilio qualitercunque perturbando. Quod ſi ſic cavere noluerit, vel non potuerit, vel in villa vel extra latitaverit, vel latitantem receperit, retentis ejus bonis omnibus ab Univerſitate bannitus expellatur. Ad quæ omnia & ſingula fideliter & inconcuſsè obſervanda, omnes & ſinguli de Univerſitate tam majores quàm minores corporale Sacramentum præſtiterunt. Adjicientes ſub eodem Sacramento, quod ſi quis huic ordinationi rebellis aut contradictor extiterit, aut correctionem Cancellarii ſubire recuſaverit in præmiſſis, omnes de Univerſitate in ipſum tanquam perditionis filium, pacis Dei, Eccleſiæ, & Univerſitatis perturbatorem, communiter in manu forti ad mandatum Cancellarii inſurgent, ipſum tanquam membrum putridum ab Univerſitate in perpetuum expellendo. Abſentes vero Scholares, ſeu venturi, omnes idem ſubeant juramentum. Proviſo inſuper quod de cætero partes non fiant ſeu nominentur in Univerſitate; ſed unum ſit Collegium & unum corpus, aliis nihilominus obligationibus pœnalibus per Univerſitatem prius ordinatis in ſuo robore duraturis. In cujus rei teſtimonium, novemdecim prædicti cum aliis ſuperiùs nominatis præſentibus ſigna apoſuerunt. Iſta omnia prædicta de pleno conſenſu omnium Magiſtrorum Regentium & non Regentium, Dominorum & Bachalaureorum majorum & minorum Univerſitatis ſine contradictione alicujus facta, ordinata, ſtatuta, & jurata fuerunt ad perpetuum pacis Univerſitatis* Oxon *gubernationem & tranquillitatem die martis proxima poſt feſtum diei Dominicæ in Ramis palmarum, an. CIↃCCLXXIV. loco ſupradicto.*

Cæterum uti certiſſimum eſt diſſenſiones haſce literarum progreſſus multum inhibuiſſe, ita nec incruentas fuiſſe, aut citra cædem conſtitiſſe arbitror, cum ſedandis iiſdem & in futurum impediendis tantâ curâ & induſtriâ laboratum eſſet; tantâ porro ſolennitate & pompâ, in pace firmandâ conveniret Univerſitas, ut chartæ huic ſigilla quadraginta tria (quæ rerum illarum cupidus in archivis noſtris etiamnum videre [a] poterit) appenderentur.

CIↃCCLXXV.

Omitto jura & privilegia varia quæ Regia nunc Majeſtas Univerſitati contulit, de Burgenſibus aliiſq; Laicis in Curiam noſtram [b] citandis, in omnibus actionibus perſonalibus non obſtante Regis prohibitione, deque aſſiſis [c] & pretiis victualium, vini, & aliarum rerum venalium imponendis. Ad leges autem Cæſareas tranſeo, quarum nunc ſtudium à quadraginta [d] retro annis, haud abſque Philoſophiæ diſpendio, tantopere increbuiſſet, ut nuda ſine iis vel ipſa Theologia cenſeretur, & exteri complures, noſtrâ in iiſdem perdiſcendis methodo (qualem utique nec *Bononia* **la Graſſa** divenditabat) allecti, *Oxoniam* confertim acceſſerint. Eorum vero de numero erat *Alfonſus* de *Senis*, qui huc an. CIↃCCLXVIII. adventabat, & cui in ſtudiis ſuſtentando, Conventus *Einſhamenſis* centum quotannis ſolidos [e] largiebatur, efflagitante O. titulo S. *Adriani* Cardinale, & ad *Anglos* per hæc tempora Legato, qui *Alfonſum* illum in hanc ſecum Inſulam adduxiſſe videtur. Huc inſuper trajecere, Magiſter *Bonifacius* [f] de *Saluciis*, Italus & ipſe, & de cujus Incœptione dictum prius habes; utque alios prætereram, *Franciſcus Accurſius* L. L. D. cui per Regem *Edoardum I.* cum tota familiâ evocato, ex [g] mandato ad Vicecomitem *Oxon* tranſmiſſo, Aula Regia in *Bellomonte* in Parochia D. *Mariæ Magdalenæ* aſſignabatur, eamque quoad libitum eſſet incolere permittebatur; quem licet *Oxonii* degentem non repererim, Lectiones tamen ibidem habuiſſe non eſt cur dubitem.

Franciſcus ille *Accurſius Bononiâ* modo dictâ huc migravit, & *Tholoſam* in itinere attingens, laude ibi cum ſummâ legebat; velut *Bartolus* in commentationibus ſuis ad illam Legum partem quam explicabat *Accurſius*, teſtatur, Regis porro *Anglicani* Advocatum appellitans; apud quem ſane tanto erat in pretio, ut non modo Aulam quam præfati ſumus adeptus, ſed & Manerii de **Wartlegh** propter *Hugonis* le *Diſpenſer*, *Johannis* le *Diſpenſer*, in capite tenentis, filii minoritatem (ut loqui ſolent Legulei) penes Regem redacti, uſum fructum fuerat [h] conſecutus; in largitionis illius charta *dilectus & fidelis Secretarius noſter* dictus, uti in [i] aliâ quadam *Franciſcus* de *Bononiâ L. L. D. & illuſtris Regis* Angliæ *conſiliarius*. Is autem *Oxoniæ* alibique in *Angliâ* perſtitit, uſque dum Bonorum quæ *Bononiæ* poſſederat, publicationem metuens, eodem reverteretur; ibi autem poſt paulo defunctus, in Eccleſia Fratrum Mi-

[a] *Ibidem.* [b] *Pat.* 3. Ed. I. *m.* 6. *& in lib. placitorum de Banco in Theſaur. Scacc. fol.* 103. 104. [c] *Clauſ.* 3. Ed. I. *m.* 18. *& in* Haro *de privilegiis fol.* 13. *a.* [d] *R.* Bacon *in opere minore, MS. cap.* 4. [e] *Reg. magnum cœnobii* Einſham *fol.* 84. *a.* [f] *Scripſit in Digeſtum novum; vide in Ecloga* Th. Iames *p.* 47. *nu.* 33. [g] *Pat.* 4. Ed. I. *m.* 35. [h] *Ibidem.* [i] *Clauſ.* 8. Ed. I. *m.* 16. *dorſ.*

norum

norum, tumuloque Patris funeratus est. Patrem habuit *Franciscum Accursium* Florentinum, qui *Bononiæ* viguit circa annum CIↃCCXXVII. ubi Leges Cæsareas pluribus annis exponebat; vir siquidem erat a ingenio summo & industriâ singulari præditus, qui *Johannem* & *Azonem* haud sine admiratione audivit, &, cum aliis Legum partibus, Corpus Universale commentabatur, neque Pandectarum volumina & Constitutiones Cæsareas, contra *Justiniani* edictum, interpretari non est veritus. Nominis rationem sui ipse consueverat elicere, & *Accursium* se nuncupatum deprædicare *quia occurrit tenebris Juris Civilis*, &c. Mortuus autem est anno Ætatis LXXIIX. Domini vero CIↃCCXXX. (quanquam nec desunt qui an. Chr. CIↃCCXLVI. attigisse referunt, & volumen nescio quod Authenticum commentariis sub id illustrasse) & in Ecclesiâ, de quâ prædixi, Fratrum Minorum, secus ejusdem ostium sepultus jacet, hac inscriptione dignoscendus;

Sepulchrum Accursii *Glossatoris Legum, &* Francisci *ejus filii.*

Itaq; ergo aperte jam liquet, quanto Leges in honore, temporibus simul illis atq; regnante nuper *Henrico III.* non *Oxonii* tantum, sed per universam quoq; *Angliam*, fuere. Tantus equidem eas sequebatur favor, ut earum cognitione pollentes, modo Theologiæ expertes penitus non essent, Beneficia prius & Dignitates assequerentur, quam consequi potuerint qui cæteris omnibus in Divinâ tantum Scientiâ præminerent. Et complures utiq; sunt, qui de Legum studio, & reliquæ Literaturæ neglectu conqueruntur; maxime autem *Stephanus Langtonus* Archiep. *Cantuariensis*, qui in Ecclesiasticis [b] Expositionibus, sui seculi Monachos increpat, quod Decretistæ appellari præoptantes, relictoque agro veri *Booz*, nempe S. Scriptura, ad alium agrum, id est scientiam secularem, pro cupiditate terrena transirent. At verò si *Baconum* nostrum audiamus, is Prælatos insectatur, quod studium Theologiæ negligerent, *quod cavillationes juris defædarent Philosophiam*, & Regulares, Franciscanos & Dominicanos, licet aliàs imperitos, magnam scientiæ famam comparasse, quod Clerici seculares ex appetitu divitiarum & honorum, à quadraginta annis studio legum Romanarum se addixissent, & nullum per illud tempus tractatum in Theologia composuissent. Porro autem in Opere [c] suo ad *Clementem IV.* Scholis id vitio vertit, quod in Legum enarratione ita essent occupatæ, ut illas eatenus tantum considerarent, quatenus ad Praxin, aut obedientiam in particulari aliquo reipublicæ statu præstandam, conducerent; nil interim Philosophice consecutæ, nec, ad *Aristotelis* aut *Theophrasti* exemplum, multiplici tam Civitatum quam temporum discrimine perpenso, de tradendis secundum Artis regulas præceptis cogitarent.

Cum in his autem *Baconus* adstipulatores quamplurimos habeat, existimandum non est, quod censurâ Leges tam gravi ideo damnaverit, quoniam earum professoribus haud optime cupivit; etenim liquet, tum per eas, tum Theologiam Scholasticam, puræ adeo latinitatis cognitionem exaruisse, ut Collegii *Mertonensis* Fundator ex piâ quadam calamitatis illius commiseratione, Scholarium suorum aliquos in Arte speciatim Grammaticâ erudiendos [d] decreverit.

CIↃCCLXXVI.

Cum errores haud pauci, qui in utraque jampridem Academiâ sensim invaluerant, disseminari jam in publicum, & defendi occiperent; *Robertus* Archiepiscopus *Cantuariensis* & *Stephanus* Episcopus *Parisiensis*, *Lutetiam* hic, ille *Oxoniam*, nullâ interpositâ morâ invisere constituunt. Huc autem *Cantuariensis* mense *Martio* adventabat, & currente nunc Quadragesima, in die *Jovis* ante Festum S. *Cuthberti* proximo, Scholas adiens, de quæstionibus tum Theologicis tum Philosophicis Logicisque haud vulgari acumine disceptavit; & opiniones falsas perinde ac nullo fundamento nitentes, in iis simul, aliisque scientiis, animadvertens, easdem de consensu Magistrorum tam Regentium quam non Regentium, explodebat, & censurâ condignâ damnabat. Illæ autem ejusmodi [e] erant.

In Grammaticâ.

Ego currit, tu currit, currit & curro, tanquam genuinam saperent latinitatem, in usu erant quotidiano.

Item currens est ego, & ego curro; Socratis legere, sicut Socratem legere, & ita in reliquis casibus obtinebant, cum aliis ejusdem farinæ haud paucis.

In Logicâ.

Perinde fuerit si dixeris, *Cujuslibet hominis Asinus currit, & Asinus cujuslibet hominis currit.*

Item (dicebatur) *quod signum non distribuit subjectum in comparatione ad prædicatum.*

Item quod veritas cum necessitate prædicati tamen est cum existentia subjecti.

Item quod non est ponere demonstrationem sine rebus existentibus.

Item quod omnis propositio vera de futuro, est necessaria. [f]

Item quod terminus de verbo de præsenti, distribuit pro omnibus differentiis temporum.

Item quod ex negativis de prædicato finito, sequitur affirmativa de prædicato infinito sine existentia subjecti, &c.

In Philosophiâ Naturali.

Quotquot sunt composita, tot sunt omnino principia prima.

Item quod anima intellectiva introducta corpori, corrumpitur vegetativa & sensitiva.

Item quod substantia prima intellectiva non est composita sed simplex, & vegetativa substantia prima, non est composita neque simplex.

Hi utique damnabantur errores, cum aliis frequentibus quos in annum CIↃCCXXXIV. reservabo, quo scilicet tempore *Joh. Peccamus*, qui *Rob. Kilwarby* in sede *Cantuariensi* excepit, eosdem cum præfatis omnibus exegit.

Quo prædictæ autem Artium corruptelæ certissime reprimerentur, ordinavit *Cantuariensis*, quod siquis earum quamcunque publicaret deinceps aut tueretur, Magister in Artibus si esset, gradu exueretur,

[a] Catellianus Cotta *de jurisperitis. Edit. cum aliis authoribus* Venet. 1584. *To.* I. & Io Ficardus *in vitis jurisconsultorum in eodem Tom.* [b] *MS. in bib.* Bod. *fol.* 201. *vide* Duckium *de authoritate Juris civilis lib.* 2. *cap.* 8. *part.* 2. *sect.* 32. [c] *Vel in opere minore, cap.* 4. &c. [d] *Reg.* Peccham *in Ordinationibus Coll.* Merton *fol.* 236. &c. [e] *Ad finem quæstionum* Richardi *de* Nova Villa *super secundum sentent. MS. in bib. Coll.* Caii & Gon. *& in principio & fine* Bonaventuræ *in* 1. & 4. *sent.* &c *Et in* Tho. Walden *in fascic. zizan.* Ioh. Wicliff *MS. fol.* 149. [f] *De isto Articulo vide in* Bradwardino *in opere suo de causa Dei lib.* 3. *cap.* 17.

Baccalaureatu vero ornatus, ad ulteriorem Gradum inhabilis fieret, & Universitate præterea pelleretur. *Parisiensis* consimiliter Episcopus errores ibi, maxime autem in Theologiâ, reperiebat, nec leviori censurâ notabat; quos & *Lutetiæ* ab antiquo receptos, & vel à nobis eodem commeantibus, vel à *Parisiensibus* hucnuper adventantibus, in Universitatem nostram importatas fuisse, animadvertendum. Cæterum an propositiones omnes illæ *Lutetiæ* condemnatæ tam gravem meruerint sententiam, haud temere affirmabo, cum *Pater* [a] *Nominalium*, sive *Doctor* Oxoniensis *singularis Occkamus*, pleraſque omnes defendisse dicatur; ad quem in præsentia Lectorem remitto. Verum nostrates pœnam intentatam vilipendentes, ad veteres brevi ineptias redire gestiebant, & sophismata creandis litibus accommodata, quam incorruptas & dissidiis inimicas Disciplinas, amplecti malebant. A sincerâ nimirum, quâ primitus tradebantur Scientiæ, simplicitate lapsi, ad intricandas quæstiones non expediendas consilia dirigebant. Hinc pullulare indies controversias, hinc opiniones absurdas & inanes oriri, hinc denique nobis in partes discedere, quinimo & non tantum disputationibus acerrimis, quas paucos ante annos consopitas peculiari nomine **Coursing** appellavimus, Universitatis pacem perturbare, verum (dum gentes inde varias collidi accideret) sanguine in se invicem & vulneribus debacchari solenne fuerat. Errores autem sive illi (præsertim vero in re Grammaticâ) sive quos in an. CIↃCCLXXXIV. meminerimus, alieni proculdubio non sunt ab iis, quos Scriptor [b] quidam, tanquam Hæreses detestabiles, commemorat; & quos abstrusos adeo & subtiles nuncupat, ut eosdem cavere vix quisquam potuisset, nisi Theologi tum *Oxonienses*, tum apud *Parisienses* Sorboniſtæ perspicaci illos ingenio explorantes, acri maturoq; judicio damnassent. Eorum vero numero has propositiones accenset; *Christus prædicas, Christus prædicat; ego credis, tu credit, credens est ego* &c. quibus tamen subtilitatis quicquam inesse quis quæso unquam somniabit!

CIↃCCLXXIIX.

Hoc anno compositæ sunt lites quæ inter Academicos & Burgenses de numero Regratariorum incidissent, de quibus in [c] Scriptis hæc nostris occurrunt.

Memorandum quod anno Dom. CIↃCCLXXVIII. (hoc est VII. Regis *Edoardi* I.) *ex unanimi consensu Magistrorum actualiter Regentium, una cum consensu Majoris* Oxoniæ *& aliorum Burgensium die translationis S.* Thomæ *Martyris in Ecclesia* Omnium Sanctorum, *erat Ordinatum, quod in municipio & suburbio* Oxon *tantum erunt xxxi. Regratarii ut patet post*

De numero Regratariorum.

Extra portam Orientalem ii. Regratarii.
Inter portam eandem & Ecclesiam B. Mariæ *iv. Reg.*
Inter eandem Eccles. & Omnium Sanctorum IV. *Reg.*
Inter eandem Ecclesiam & S. Martini *iv. Reg.*
Inter eandem Ecclesiam & castrum. i. Reg.
In vico de **Cattestreet** *ii. Reg.*
Infra portam borealem ii. Reg.
Item super magnam pontem ii. Reg.
Inter portam australem & Ecclesiam S. Martini *ii. Reg.*
Extra portam borealem vi. Reg.
Extra **Smythgate** *unus Reg.*
Iuxta [d] *Ecclesiam S.* Mildridæ. *i. Reg.*

Interpres [e] verborum Legis municipalis, vocem hanc *Regratarii* illos olim denotasse perhibet, qui mercem integram promercantes eandem per partes seu resecando (quod dicunt) divenderent; & pro hac suâ sententiâ XXVII. *Edoardi III.* Stat. prim. cap. 3. allegat; hodie autem eâdem significari refert, quicunque mercimonii quicquam aut proventus in eodem mercatu, vel citra quintum abinde lapidem, distrahunt quo idem coemerint. Cæterum in Regiſtris omnibus hic citatis, si postremo dictum excipias, pro *Regratariis Regentes* habentur, quod & librario tribuendum arbitror (quem *Reg.* abbreviatio fefellit) & erroris arguendum non dubito: interim adnotandum priscis temporibus Regentes quosdam quotannis ex decreto Domus Congregationis electos, potestate (quam Regum diplomata, aut consuetudo prisca, quæ præscriptio dicitur, Universitati consignarunt) instructos, ut vicos omnes inviserent, procurarentque ut urbis viæ mature reficiantur, & nocumenta omnia, velut cœnum, ligna, lapides, *&c.* amoveantur. Quod siquis Oppidanorum requisitus eorum mandata præstare negligeret (quoad purgandas autem resarciendasque vias tenebatur quilibet portionis illius curam agere quæ domui fundove suo coextensa erat) Ædiles prædicti, sive Magistri regentes, delinquentem in curiam Cancellarii, vel Deputati ejus, deferebant in judicium sistendum; materiâ ipsa aliquando, sive ligna, sive saxa, *&c.* esse contigerit, Universitati mulctæ nomine addictâ. Id vero muneris per integrum necessariæ Regentiæ annum obeundum erat, iique Magistri non modo *Supervisores vicorum*, verum sæpenumero *Custodes pacis in diversis Parochiis, &* [f] *Judices deputati ad sedendum in diversis Parochiis, porro,* [g] *Judices ad inquirendum de pace in diversis Parochiis*, demum *Magistri vicorum* dicebantur, prout è Regiſtris nostris tam antiquis quam recentioribus exploratum habeo. Insuper autem hæc munia participabant tam Cancellarius, qui pro tempore esset, quam Procuratores; nam in Regiſtro [h] quodam nostro habemus, isti muneri deputatos *In Parochia* S. Petri & *Sancti* Johannis *Baptistæ, Cancellarium & duos Procuratores*, quæ formula & alibi [i] occurrit.

Verum ad Regentes ut revertar, non eâ tantum authoritate (quæ apud eosdem in hunc quoque diem residet) potiebantur, sed & anno CIↃCCLXXX. jus sibi quoddam in rebus etiam ecclesiasticis, *à tempore de quo non extat memoria* adversante *Olivero Suttono* Episcopo *Lincoln.* vindicabant. *Item* (inquit [k] Universitas) *quoad Inquisitiones faciendas per Magistros Regentes de excessibus Magistrorum & Scholarium, dicti Magistri, indistincte, tam per Scholares, quàm Rectores & presbyteros parochiales, quam etiam per Laicos Universitatis anteàdictæ per quas rei veritas melius sciri potest, de plano facere consueverunt* &c.

His occasionem præbebat Archidiaconus *Oxoniensis*, qui de Parochis seu Presbyteris, qui animarum curam in urbe obtinebant, inquirendi, & præfata eorundem delicta detegendi potestatem Regentibus non concederet.

Inquisitio autem antiquitus per scrutinium fiebat, prout è statuto [l] illo, ante quamplurimos annos

[a] Gul. Ockham *in Dialogis inter Magistrum & Discipulum part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. [b] *H.* Cornelius Agrippa *de vanitate Scientiarum cap.* 3. [c] *In A. fol.* 71. *b. B.* 83. *b.* C. 62. *b.* 66. *a. & b. D.* 32. *b.* [d] *alibi extra Ecclesiam.* [e] Ioh. Covellus. [f] *Aa fol.* 13. *an. dom.* 1454. *& ibid. fol.* 89. *a. an. do.* 1455. & 106. *a. an. dom.* 1457. [g] *G.* 44. *b. &* 151. *b. &* 188. [h] *Aa. fol.* 13. *an. dom.* 1455. [i] *Ibid. fol.* 89. &c. [k] *In A.* 46. *a C.* 51. *b.* &c. [l] *A.* 59 *b. D.* 16. *b.*

procuso

procuſo, liquet. *Statutum eſt pro pace Univerſitatis* Oxoniæ *conſervanda, quod amodò quolibet anno, ſaltem ſemel, fiat generalis Inquiſitio, authoritate Domini Cancellarii per principales & mancipia ad hoc ſpecialiter juratos, de perturbatoribus pacis, & publicis Tabernariis; ac utentibus arte Bokelariæ; ac mulierculas in domibus ſuis detinentibus, unde ſcandalum vel infamia poterit exoriri. Inquiſitio autem hoc modo fiat. Videlicet, ut ſubito & clam, per Cancellarium ordinetur de ſex locis, ad quos omnes Scholares pariter & ſcriptores, tam infra muros quàm in ſuburbio, tam in aulis quam in cameris commorantes, commodius poſſint confluere. Et in quolibet illorum locorum, deputentur Inquiſitores, unus Theologus, unus Decretiſta vel Juriſta, unà cum duobus Artiſtis, cuilibet eorum aſſignatis; qui diligenter ſcrutentur vota ſingulorum, & quæ in inquiſitione hujuſmodi invenerint, fideliter Cancellario inſinuent, ut ſuper hoc ſui officii debitum exequatur.*

Secundum vero hæc, Inquiſitiones quaſdam an. Dom. CIↃCCGLVII. factas [a] invenio, quarum Schedula in libro quodam Academico vetuſto (quanquam ſtatutum illud de deputandis Magiſtris ad ſedendum in diverſis Parochiis, antiquitate longe majori eſſe argumentis validiſſimis probare poſſum) ſub hâc formâ occurrit.

Iſti ſunt judices deputati ad ſedendum in diverſis Parcohiis eodem anno.

[b] *In Parochia S.* Petri *in Oriente, & extra portam Orientalem*; *Theologus.*

In Parochiis S. Mariæ *&* S. Johannis, *D^r* Edmundus [c] Stafford, *Artiſta.*

In Parochia.	Omnium Sanctorum S. Mildridæ S. Edwardi	Dr Welleborn, *Artiſta.*
In Parochia.	S. Michaelis *adportam auſtralem* S. Aldati S. Ebbæ.	*Theologus Minor,* (vel de Ordine Minorum.)
In Parochia.	S. Martini S. Petri S. Michaelis *adportam borealem*	*Carmelitæ.*
In Parochia	S. Ægidii S. Mariæ Magd. S. Crucis	*Theologus, albus Mochus.*

Ibi ſex numero conſeſſus Scrutinia, Inquiſitiones, ſeu curiæ minores, eodem tempore, locis vero diverſis, per Univerſitatem habendæ comparent; quod præſtari tamen *clam & ſubito*, velut in Statuto mandatur, non video poſſe, cum præter ſubmonitiones quibus convocari debuerant Magiſtri, circumſtantias quoque alias emergere neceſſe erat, per quas rem totam propalandam iri non dubito.

Conſeſſus vero iſti non ex unius tantum generis hominibus conſtabant; utpote Artiſtas perinde ac aliarum facultatum ſtudioſos, in diribitores & arbitros admittentes, *penes quos erat, per Principales & mancipia, quolibet anno ſaltem ſemel inquiſitionem inſtituere.* Quibus ab altero illo, (Regentium) ſuperius memorato conventu egregie diſcrepant, ii ſiquidem pro libitu, in ipſis quoque Plateis, *& per quos rei veritas melius ſciri poſſit, perque Laicos pariter & Presbyteros Parochiales indicia deſumebant.* Cæterum neceſſario *Regentes* (neſcio an propter eorum paucitatem, an aliâ de causâ) binis conjunctis & vicinis Paroeciis ſinguli nonnunquam aſſignabantur, ſicut è formulâ [d] quadam an. CIↃCDLIV; ad antiquiorum tenorem conſcriptâ liquet; unde ſecutum eſt, ut duo illa Inquiſitionis genera, in Univerſitatis forte diſpendium, confunderentur. Hæc autem extra curriculum; utcunque indicio eſſe poſſint, tribunal feodale, ſeu *Letam*, Academiæ noſtræ jure optimo pertinere, quod Burgenſes irrito conatu nobis ereptum ſæpius iverant.

CIↃCCLXXIX.

Johannes Peckhamus Archiep. *Cantuarienſis* Synodum cum Epiſcopis *Angliæ Readingi* habebat, ibiq; querelis à Cancellario delatis permotus, tuenda Univerſitatis privilegia, & protegenda Academicorum bona [e] decrevit; ſententiam porro ſuſpenſionis & excommunicationis à Cancellario vel Deputato ejus contra Scholares *Oxoniæ* delinquentes, & in quamcunque Diœceſin Sedi *Cantuarienſi* ſubditam aufugientes, prolatam, confirmavit. Ratam præterea fecit, ſuſpenſionem Clericorum Beneficiis fruentium, & Beneficiorum ſequeſtrationem (ut voce utar forenſi) quoties nempe in illos tanquam pacis perturbatores, authoritate ſibi jampridem commiſſâ, animadverteret Cancellarius. Demum, aliis inſuper documentis, rei ſe literariæ amiciſſimum, & diſciplinæ academicæ defenſorem acerrimum, teſtabatur. Sub id, nummi aliqui adulterini, & præſecando imminuti, publica authoritate damnantur, & à Civitatibus [f] quamplurimis (præcipue autem *Oxoniâ*, ubi Judæos magnâ eoſdem copiâ ſparſiſſe in vulgus arbitror) jubentur protinus in officinam monetariam reduci. Argentum denuo excuſum, ad CIↃCIↃCIↃ libras, ex peculiari Regis [g] mandato, ut Scholaribus quoad res venales uſui eſſet; *Oxoniam* defertur.

CIↃCCLXXXI.

Cancellarius Univerſitatis, intra Diœceſeos *Lincolnienſis* fines conſtitutus, cum jura quædam Eccleſiaſtica ſibi arrogaret, & Clericorum delicta ad curiam Chriſtianitatis ſpectantia recognoſcere conſueverat; *Oliverus Suttonus* in ſedem illam ineunte anno evectus, urbemque *Oxonienſem* inviſens, à Cancellario ac Procuratoribus rationem factorum depoſcebat, deſpectui duci authoritatem ſuam neſcio quibus indiciis colligens, proinde Academiam jure illo in poſterum ſpoliare deſtinavit. Atqui gratiam ejus ineunte demum Cancellario, pro benevolentiâ quâ erga bonas literas erat, benigne [h] conceſſit, ut, ubi ipſe viſitationem *Oxonienſem* inſtitueret, ſiqui Magiſtri, Scholares, aut alio quovis nomine ad Aca-

demiam

[a] *In D. ut ſupra fol.* 55. *a.* [b] Iſtæ ſunt Parochiæ in quibus fiunt ſeſſiones. *Sic nota marginalis ibidem.* [c] *Is fuit frater* Radulphi Stafford *Comitis* Staffordiæ, *& poſtea Epiſcopus* Exonienſis. [d] *In A. fol.* 13. *a.* [e] *Ut in Turri Scholarum in pix.* II. *nu.* 2. *A.* 46. *a. B.* 5. *a D.* 19. *& in* Haro *de privilegiis Univerſit.* Oxon. *fol.* 13. *b.* [f] *Reg. mag. Cœnob.* Einſham. *MS.* [g] *Pat.* 8. Ed. I. *m.* 21. [h] *In Turri Scholarum in pix.* II. *ut ſupra num.* 5. 6. &c.

demiam ſpectantes, criminum quoruncunque ad forum Eccleſiaſticum pertinentium, ſpeciatim vero Incontinentiæ, peragerentur; ad Cancellarii diſquiſitionem & ſententiam eſſent referendi. Id autem ita indultum eſt, ut notorie delinquentium, nec Cancellarii ſe arbitrio ſubmittentium, nomina Epiſcopo denuntiarentur, quos deinceps à ſe promovendos non iri ſpondebat, uſque dum Cancellario ſatis abunde eſſet factum. Poteſtatem vero prædictam, ab eodem *Suttono* XI. Cal. *Septem.* anno Pontif. I. Domini CIↃCCLXXXI. ſancitam denuo reperimus. At vero lites graviores longe inter Univerſitatem & Epiſcopum an. CIↃCCLXXXIV. prorupere, quæ eo demum uſque pervaſere, ut *Peckhamus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* paci noſtræ conſultum volens, tum preces, tum authoritatem ſuam interponere coactus, ad Academiam [a] ſcripſerit, ne Diœceſano immorigeram ſe præſtaret, ad Epiſcopum autem, ut jus ſuum [b] temperaret, & à vexandâ Univerſitate abſiſteret. Literis autem in illis plurima habentur quæ Univerſitatem *Pariſienſem* reſpiciunt, & hanc noſtram ita deprædicant, ut ſplendorem illi novum accerſant; è quibus ne á propoſito abducar, pauca delibabo ex Archiepiſcopi ad *Suttonum* tabellis deſumpta--*Quantæ* (inquit ille) *ſit utilitatis & ſpei Eccleſiæ Anglicanæ, quantique honoris & gloriæ genti noſtræ ſtudium Univerſitatis* Oxon. *quod diverſarum Scientiarum perſonas producit eximias, multiplicium virtutum decoratas ornatibus, vos planè noviſtis, & univerſalis Eccleſia non ignorat; quanta quoque deſolatio & conceptæ ſpei dejectio, Anglicano immineret Clero & Provinciæ huic, ſi Univerſitas ipſa, quod abſit, deficeret; vel non ſuis continuo vigeret profectibus & turbaretur: hæc ſatis conſtant omnibus, & nos quotidianis indiciis experimur*, &c.

Quem vero finem lites iſtæ habuerint non dum conſtat, niſi forte haud alia acceſſerit, quam qua in Eccleſia B. *Virginis* coram Epiſcopi Officiali, de conſuetudinibus quibuſdam tranſigebatur, in hæc [c] verba.

Memorandum quòd cùm Univerſitas Oxon *per Venerabilem Patrem D.* Olivarum *Dei gratia* Lincoln. *Epiſcopum, ac per Domini Archidiaconi* Oxon *Officialem, ſuper quibuſdam conſuetudinibus Vniverſitatis memoratæ infra ſcriptis, quas dictus venerab. Pater non eſſe conſuetudines, nec eſſe poſſe de plano aſſeruit, perturbabatur ac inquietabatur, congregata in Eccleſia B.* Mariæ *Virginis* Oxon *tota Univerſitate Magiſtrorum non Regentium ſicut & Regentium, ac expoſitis eiſdem articulis in communi, Magiſtri non Regentes in partem ſe trahentes per ſe, ac omnes Magiſtri Regentes ſimiliter per ſe ſuper eiſdem deliberarunt. Et deliberatione ad plenum habita, compertum eſt & declaratum ex unanimi conſenſu omnium Magiſtrorum tam Regentium quàm non Regentium, quod à tempore quo non extat memoria, Univerſitas memorata in plena poſſeſſione vel quaſi, juris, conſuetudinis;*

Quod ſi aliquis Scholaris quæſtionem aliquam contra aliquem adverſarium ſuum haberet, & dictum adverſarium infra libertates antedictæ Univerſitatis invenire contingeret, licitum ſit, ipſum coram Cancellario citari procurare, & neceſſe habuerit, in dicta Univerſitate reſpondere & juri ſtare.

Item, quod probationes Teſtamentorum omnium Scholarium, indiſtinctè infra dictam Univerſitatem decendentium, Cancellarius & Procuratores qui pro tempore fuerint, ſine alicujus contradictione recipere, ac ſeu ordinariis prædictorum Scholarium, ſivè eſſent beneficiati, ſive non, dictæ probationi fidem plenariè adhibere de plano conſueverunt.

Item, quod inquiſitiones faciendas per Magiſtros &c. ut ſupra ſub an. CIↃCCLXXXIIX. p. 123. col. 2.

Item, quod nullus Magiſtrorum ſeu Scholarium Univerſitatis antedictæ invitus ad judicium extra Univerſitatem antedictam, trahi potuit aut debuit, pro contractibus initis infra dictam Univerſitatem vel extra, dummodò infra Univerſitatem eandem, juri ſtare parati eſſent.

Ad quorum omnium articulorum præmiſſorum obſervationem & tuitionem in virtute præſtiti Sacramenti, dicunt omnes Magiſtri tam Regentes quam non Regentes, ſe eſſe aſtrictos, & ſine illis obſervatis, abſque fidei ſuæ læſione, ſe ſtatum Univerſitatis prædictæ non poſſe tenere ac obſervare.

CIↃCCLXXXII.

Oxonienſes jam plurimi, operam in literis, de more antiquo, *Lutetiæ* ponebant; ſed cum *Picardienſibus*, ex diſſentione hoc anno [d] coortâ, dimicantes, eorumque alios trucidantes, alios *Pariſiis* exturbantes, *Oxoniam* plerique revertuntur, & vitioſas doctrinæ methodos importaſſe ſecum feruntur.

CIↃCCLXXXIII.

Frequentes nobiſcum circa hæc tempora florebant Theologiæ pariter atque Philoſophiæ profeſſores; quod pro ſeculi tamen ingenio & eruditione intelligendum; nam revera ſcientiæ quas plerique divenditabant, fallaciis tantum & deliriis replebantur. Inter Theologiæ autem & Philoſophiæ corruptores, præcipui erant fratres mendicantes, qui novas ſubinde opiniones introducere, ſtabileſque Artium fabricas labefactare ſtudebant. His vero temporibus *Oxoniæ* [e] vigebant, præſtantiſſimi Theologi *Joh. Chelmſtonus* & *Joh. Actonus*, quorum tamen opera ſunt qui errorum inſimulant. Accedit ad hos *Richardus Middletonus*, quem *Doctorem* [f] *ſolidum & profundum* nominabant, quique, prout ætas illa ferebat, vir fuit doctrina excellenti; utriuſque autem Academiæ ornamentum evaſit, & lecturis æque ac diſputationibus cum Sorboniſtis inclaruit.

Porro autem hoc etiam anno diſſidia inter Univerſitatem & Urbem de juribus & privilegiis quibuſdam contingebant, eoque demum concaluere, ut Burgenſes aliquot cum *Rob.* quodam de *Welles* (de quo plura poſthæc) ſacris arcerentur, qui tamen cenſurâ tam gravi injuria ſe damnatos opinantes, querimonias ad Regem detulêre. Deinde Univerſitatis Procuratores cum Civibus nonnullis *Edwardum* I. *Eboraci* commorantem adeuntes, rem integram apud illum & Conſiliarios ejus aperiebant; Regia vero Majeſtas per ſcriptum [g] ſuum ad *Rogerum* de *Rodwell* Academiæ Cancellarium X. *Jan.* datum lites eas in hunc modum diremit. *Decernimus* (inquit ille) *quod* Robertus *de* Welles *& alii comburgenſes ſui Villæ prædictæ, per vos excommunicationis ſententia*

[a] *Reg.* Peckham *fol.* 114. &c. [b] *Ibid. fol.* 93. &c. *Vide* Caium *de antiq.* Cantab. *Edit.* 1574. *lib.* 2. *p.* 251. 252. &c. [c] *In A.* 46. *a. B.* 71. *b. C.* 51. *b. D.* 18. *b.* [d] *Chron.* Sethi Calviſii *ſub an.* 1282. [e] Bal. *cent.* 4. *nu.* 57. & 66. [f] *Ibid. nu.* 77. & *in* Leland. *Tom.* 233. [g] *In Rubr. lib. Civit.* Oxon, *fol.* 4. *b.*

innodati

innodati, absolvantur indilatè, & quod pœnæ eisdem pro commisso eis inposita & infligenda, usq; ad proximum Parliamentum nostrum differatur: & forisfacturæ, per emptiones Regratariorum & foristallatorum contra libertates dictæ Universitatis factas, per communes servientes Universitatis & Villarum prædict. vel alterum ipsorum, per quem hujusmodi forisfacturas prius inveniri contigerit, capiantur per visum utriusque eorum, usq; ad Hospitale nostrum S. Johannis, *& usq; ad portam Orientalem ibidem; continuo deferendæ, & pauperibus & infirmis ibidem distribuendæ, ita quod neutri vestrum aliquid accrescat. Et quod alia, vos & ipsos ratione discordiarum & controversiarum qualitercunque contingentia, in statu quo nunc sunt remaneant, quousq; de consilio nostro, aliud inde duxerimus providendum; vobis igitur mandantes, quod erga præfatos majorem & Burgenses, & alios ministros villæ prædictæ, in iis quæ ad pacis nostræ conservationem ibidem pertinent, taliter vos geratis, quod de vobis justam materiam non habeant conquerendi, & hoc idem eisdem plenè scripsimus & expressè.*

CIↃCCLXXXIV.

Extra jam dubium poni occœpit, affectam graviter fuisse rem Literariam, cum delirio tentaretur; cui Medicinam facere minime poterat nupera Metropolitani sententia, quantumvis graviſſima; quin & hoc anno circa finem mensis *Octobris*, *Pecchamus* Archiepisc. *Cantuariensis*, cum Abbatiam *Osneiensem* visitaret (ut aperte [a] liquet) consimilem intentare dicam necesse habuerit. Convocatis enim eodem Academiæ Magistris, orationem ad illos consultissimam habuit, & eorum (non omnium vero) lippitudinem coarguebat, qui errores non tantum Universitate indignos, & saniſſimis Philosophorum placitis contravenientes, sed & nullis plane argumentis suffultos, immo in rixas unice & contentiones excogitatos, propagarent ac defenderent. Errores autem illos, futilesq; nugas in charta prolatas, palamq; recitatas, cùm vix alias ab iis, quas *Rob. Kilwarby* antecessor notaverat, & quarum ipse pridem catalogum à Cancellario transmissum acceperat, esse animadverteret, abjiciendas penitus & silentio in perpetuum damnandas decrevit. Cæterum ne majorum nostrorum in disciplinis omnibus insciti oblivioni tradatur, operæ pretium duco, opiniones quasdem è [b] catalogo huc illo describere.

In Grammaticâ.

I. *Ego currit*, quod congrue dici credebatur.
II. *Currit, legit, pro curro, lego*, in usu erant frequentissimo.
III. *Sum ego*, sicut *ego sum.*
IV. *Socrates legere & Socratis legere & Socratem legere*; prout supra dictum est.
V. *Verbum manens verbum potest privari omni accidente.*
VI. *Nullum Nomen est tertiæ personæ*, cum aliis ejusdem farraginis perpluribus.

In Logicâ.

I. *Contradictoria possunt esse simul vera, sicut in modalibus.*
II. *Syllogismus peccans in materia, non est Syllogismus.*
III. *Non est suppositio in propositione tam pro suppositis de unitate sermonis, quam pro significato.*
IV. *Signum non disponit subjectum in compositione ad prædicatum.*
V. *Hæc est vera propositio, Animal est omnis homo.*
VI. *Terminus in universali propositione distribuit pro præsentibus & futuris respectu cujuslibet prædicati,* &c.

In Philosophia naturali.

I. *Tot sunt principia quot principiata.*
II. *Nulla potentia passiva seu diminuta est in materia.*
III. *Forma corrumpitur in pure nihil, scil. forma substantialis.*
IV. *Privatio est pure non ens, & ipsa est in supercœlestibus.*
V. *Conversiva est generatio animalium sicut Elementorum.*
VI. *Vegetativa & sensitiva simul sunt in embryone & nulla prior alia.*
VII. *Omnes formæ priores corrumpuntur per adventum ultimæ.*
IIX. *Substantia, quæ est genus generalissimum, non est simplex nec composita.*
IX. *Minimum in prædicamento generum est species specialissima.*
X. *Tempus non est in prædicamento quantitatis.*
XI. *Non est idem secundum subjectum in toto tempore.*
XII. *Non habetur ab* Aristotele, *quod intellectiva maneat post separationem.*
XIII. *Albedo intensa & remissa differunt secundum speciem.*
XIV. *Vacuum potest esse per aliquod tempus.*
XV. *Corpus vivum & mortuum est æquivocè dictum & dimensiones non eædem.*
XVI. *Materia non differt à forma per essentiam.*
XVII. *Concretum verius est in genere, quam abstractum.*
XVIII. *Causa prima est individuum in genere substantiæ.*

Nonnihil diversi erant errores illi, ab iis quos *Rob. Kylwarby* damnaverat, & ex *Bonaventura* jam ante descripsimus, nec non ab iis qui *Petro Longobardo*, ad calcem IV. libri Sententiarum, annexi comparent, argumento perinde ac numero discrepantes; quorum tamen plerosque (maxime vero qui *Lutetiæ* exigebantur) propugnare non dubitat [c] *Gul. Ockamus*, qui præterea de *R. Kilwarby*, quod articulos in an. CIↃCCLXXVI. allatos improbaverat, sic scribit. -- *Dicunt, quidam, quod* [d] *damnatio sua temeraria existebat, eo quod veritates ut dicunt, condemnavit;*

[a] *Chron.* Osney MS. *compilat. per* Tho. Wyke *vel per alium Canonicum ejusdem loci.* [b] *Ibidem.* [c] *In dialogis lib. 2. cap.* 24. [d] *Forte tametsi Archiepiscopus damnavit has theses in terminis tamen sensum habere potuerunt latentem & verum. Ita vero* Boetius *libro 4° de consolat. Philosophiæ in fine 2. prosæ negat hanc propositionem,* Socrates *est malus, esse affirmativam, immo negativam esse tuetur, quia malum est non ens, & proinde negat istam consequentiam valere,* Socrates *est malus, ergo* Socrates *est.* Gul. Wheteley *etiam in quæstionibus suis in eum librum idem defendit.*

unde & quidam alius Archiepiſcopus ipſum de dicta damnatione acriter reprehendit, ſcribens eidem epiſtolam in qua manifeſte aſſeruit quod veritates damnaverat. Multi tamen putantes ipſum veritates plures temerè condemnaſſe, quod fuit Hæreticus nequaquam affirmant, quia, ut dicunt, nullam veritatem Catholicam, ſed plures veritates Philoſophicas condemnavit: de aſſertionibus enim grammaticalibus, logicalibus & purè Philoſophicis in eadem damnatione ſe, ut aſſeruit, temerè intromiſit---Nam opinionem Thomæ [a] *de unitate Formæ in homine inter alias condemnavit, & tamen tu ſcis quod plures* Pariſiis *ipſam publicè tenent & defendunt ac docent, & ita eſt de multis aliis,* &c.

De errorum vero illorum natalitiis, cum recentiores alii, alii antiquiores ſint, peculiarem exhibere notitiam haud poſſe me fateor; quamvis, maximam partem *Lutetiæ* circa anno CIↃCCXLIII. progerminaſſe opinor. Ibi enim cum Scholares, poſt Feſtum S. *Michaelis*, ad ſtudia redirent, & Gradus de more ſuſciperent, ex Fratrum Prædicatorum & Minorum numero Prælectores, de rebus illis æquo ſubtilius diſceptabant, & contexendis tenuiſſimis ſophiſmatum telis fila ſubminiſtrabant; eas autem exhibet [b] ſcriptor allegatus, & in pretio, donec publicâ authoritate diſrumperentur, habitas, inque varias paſſim Academias per Scholares, inibi tum literis vacantes, delatas, fuiſſe commemorat. Verum præter opiniones ſupra dictas, & alias *Pecchamum*, vitioſas haud minus, damnaſſe arbitror; nam in literis [c] quibuſdam apud **Notle** IV. Id. *Novembris* ad Magiſtros & Scholares *Oxonienſes*, conſcriptis, & anteceſſorem ſuum Propoſitionibus illis, de conſenſu Magiſtrorum, notam inuſſiſſe refert (cujus ſententiam in viſitatione præfatâ ipſe confirmaverat) & de iiſdem porro erroribus ediſſerens ſic habet. ---*Unum vero illorum expreſſè notavimus articulum quorundam dicentium, in homine eſſe tantummodo formam unam: notavimus (inquam) pro eo quod ex ipſo ſequitur, ut putamus nec Corpus Chriſti fuiſſe unum numero vivum & mortuum, nec aliqua Sanctorum corpora tota vel ſecundum partes aliquas in orbe exiſtere vel in urbe, ſed quædam alia quæ non genuerunt Matres Sanctorum, ſed de novo peperit phantaſia, quoniam ſine ſubſtantialis formæ unitate nulla poteſt numeraliter ſubſtantia eſſe una.* Et quidem credendum, acrius hac in re commotum Archiepiſcopum; quoniam ex hoc dogmate reliquiarum cultus videbatur periclitari.

De cæteris hujus tempeſtatis ineptiis, quæ fuerint dicere nequeo, niſi pro iiſdem habueris, quas in chronicis ſuis *Math. Paris* ſub an. CIↃCCXLIII. *Lutetiæ* perhibet invaluiſſe. Cæterum errorem mox ante dictum poſtquam ita refutare connixus eſſet Archiepiſcopus, in hunc modum pergebat; --- *nec hoc diximus in ſugillationem aut dedecus ordinis fratrum Prædicatorum, ut quædam poſtea auſa eſt aſſerere lingua temeraria, cum dictus prædeceſſor noſter, cujus factum proſequimur in hac parte, de ipſo ordine, tanquam portio: ipſius ordinis proceſſiſſet nec unquam alicui mortali homini promiſimus, quod ſic damnatis erroribus noſtro ſilentio faveremus, tum, quoniam verbum Domini*, &c. Sed quoniam ſuper his abunde dictum, ſubjungam unice, quod *Pecchamus* per Epiſtolas tum alias, tum alteram [d] nominatim *Lydingtoniæ* Cal. *Jan.* CIↃCCLXXXIV. datam; & iiſdem omnia, prout geſta ſunt, explicans, Pontificem & Cardinales totius rei certiores fecit; & Anteceſſoris ſui (qui egregia illa placita in ſermone ad Clericos habito damnaverat) ratam ſe feciſſe ſententiam commemorans; quoad propoſitionem illam, *quod in homine tantummodo exiſtit una forma*, ſubnectit, id quidem affirmaſſe *Thomam Aquinatem*, verum in eâ nequaquam ſententiâ perſeveraſſe, quin *Lutetiæ* in Collegio Magiſtrorum Theologiæ, & hujus à ſe opinionis errorem amoviſſe, & illam juxta aliaſque ſuas quaſcunque, eorum arbitrio ſubmiſiſſe.

CIↃCCLXXXV.

Atqui vero damnatæ vixdum erant ſupra recenſitæ propoſitiones (quas uti tuebantur cum Minoribus Fratres Prædicatores, ita *Auguſtinenſes* in Concionibus palam [e] impugnabant) cum *Rich. Knapwell* ſeu *Clapoell* è ſodalitio S. *Dominici* Dr *Oxonienſis*, non tantum cenſuræ Archiepiſcopali refragari auſus fuerit, ſed opinionum cum fide Catholicâ pugnantium (inter quas poſtremo dicta recenſetur) numerum octonarium, diſſeminare in vulgus, [f] contenderit, deq; tribunali citatus, coram Archiepiſcopo comparere recuſarit. Is itaque indictâ Suffraganeorum, aliorumq; rectè ſentientium Synodo, & recitatis palam Hæreticis ipſius propoſitionibus, tum ſententiâ eas graviſſimâ notavit, tum ſuaſores earum & defenſores anathemate alligavit. Verum Synodum ingreſſus *Hugo Manceſtrenſis*, Fratrum Prædicatorum Provincialis, ad Archiepiſcopum aſſeveravit, neque illi, neque, præter Pontificem Maximum, alii cuicunque competere, ut juris quicquam in familiam ſuam exerceret; & ad Curiam propterea Romanam appellans, ſententiam in præſens protelavit. De *Knapwello* autem illo proditum inſuper eſt, cum probare coram Archiepiſcopo vellet, nemini licere, ut bina unus beneficia poſſideret, ſacræ Scripturæ locum adduxiſſe, quo jubetur *qui duas haberet tunicas, ei alteram donare qui una deſtitueretur*, eumq; alia ejuſdem commatis placita cum illo *de formarum unitate* edidiſſe. Sub id temporis & W. Fratrum Prædicatorum Prior, librum contra Archiepiſcopum compoſuit, quo ex mente *Thomæ Aquinatis*, dari plures in homine Formas aſſeruit; cui tamen *Pecchamus*, uti & ejuſdem famulitii aliis, doctè reſponſavit, maxime vero in [g] Epiſtola ad Epiſcopum *Lincolnienſem* ſcriptâ, his verbis; --- *præterea noverit ipſe, quod Philoſophorum ſtudia minime reprobamus, quatenus Myſteriis Theologicis famulantur, ſed profanas vocum novitates, quæ contra Philoſophicam veritatem ſunt in Sanctorum injuriam, citra xx. annos in altitudines Theologicas introductæ, abjectis & vilipenſis Sanctorum aſſertionibus evidenter. Quæ ſit ergo ſolidior & ſanior doctrina vel Filiorum D.* Franciſci *Sanctæ memoriæ, Fratris* Alexandri, *& Fr.* Bonaventuræ, *& conſimilium, qui in ſuis tractatibus ab omni calumnia alienis ſanctis & Philoſophis innituntur, vel illa novella quaſi tota contraria, quæ quicquid docet* Auguſtinus *de regulis æternis & luce incomparabili, de potentiis animæ, de rationibus ſeminalibus inditis materiæ, & conſimilibus innumeris deſtruit pro viribus & enervat, pugnas verborum inferens toti mundo* &c. Ad hæc autem, tum illam, tum alias quamplurimas Propoſitiones à S. *Dominici* &

[a] Tho. Aquinas. [b] M. Paris *ſub an.* 1243. [c] *In Reg.* Pecham *fol.* 211. 212. [d] *Ibid. fol.* 68. &c. [e] *Reg.* Pecham *ut ſupra, &* Harpesfeild *in Hiſt. Eccleſ. ſec.* 13. *cap.* 8. [f] *Chron.* Tho. Wyke *ſub an.* 1285. *Antiq. Britan. per* Mat. *Archiep. Cant. in* Joh. Pecham. [g] *In Reg.* Pecham *fol.* 217.

Franciſci

cisci Fratribus controversas reperio, illis animos faciente, operamque condicente *Rob. Kilwarby*, Archiep. nuper *Cantuariensi*, & in Scholis *Dominicanorum Oxoniensibus* aliquando prælectore; *Franciscanos* vero adjuvante *Joh. Pecchamo*, nobis jam toties dicto, qui eorum in Hospitio *Oxonii* quoque docuerat. Sed neque in disceptationibus Scholasticis hæsere utriusque partis conamina, verum libris pari studio conscriptis, se mutuo impetebant. Præter alios, hac in palæstrâ desudarunt; Archiepiscopus *Pecchamus*, *Richardus Knapwellus*, *Thomas Suttonus*, *Gulielmus* de la *Mare*, *Hugo Mancestrensis*, & *Guliel. Hothunus*.

CIↃCCLXXXVI.

Demum, sic res ferebat, ut Archiepiscopus, viros prudentiâ summâ nec dignitate minori spectabiles in consilium [a] adhibens (è quibus erat *Oliverus Suttonus*, Episcopus *Lincolnienſis*; *Galfredus Giffard*, Episcop. *Wigornienſis*; *Richardus* de *Swinfeild*, Episcop. *Herefordienſis*; Magister *Gilbertus* de S. *Leofardo*, Officialis *Cantuarienſis*; Magister *Harvæus* de *Saham* Cancellarius Universitatis *Oxon.* Mag. *Petrus* de S. *Mariâ*, Archidiaconus *Surrienſis*; Mag. *Henr.* de *Nassington* Officialis *Lincolnienſis*; Magister *Rogerus* de *Sevenack* Officialis *Herefordienſis*; *Jacobus* de *Moun*; & deniq; Mag. *Robertus* de *Lascy*, Juris Civilis professor,)inque B. *Mariæ* de Arcubus *Londini* conventum celebrans, octo, de quibus prædixi, Articulos, tanquam Hæreticos condemnavit; constituitque, nequis earum deinceps mentionem aliquam faciat, nedum in Actu quovis Scholastico aut determinatione tueatur. Illos autem pœnas ab Antecessore suo ordinatas incurrere, quicunque tum sui, tum illius decretum non servarent, quin Propositionem speciatim *de Unitate Formarum* oppugnare præsumerent.

Per hæc porro tempora dissensio inter Scholares & Judæos, circa jurisdictionem in recutitos exercendam, emersit; quæ cum Regi nuntiaretur, placuit potestatem concedere [b] Cancellario, *actiones omnes personales & quoscunque contractus initos & ineundos* inter utrosque recognoscendi & terminandi: Sancito, quod si Judæorum aliquis in ejusmodi casibus fraudis aut injuriæ convictus esset, ad Cancellarium spectaret authoritate eundem Ecclesiasticâ in ordinem cogere. Si in perturbandâ vero pace deprehenderetur, eidem Cancellario licitum foret, Judæum aliquem sic deprehensum, Castri Conestabulario, tanquam malefactorem, in manus tradere; qui carceri demandatus ibidem erat detinendus, donec tum parti læsæ satisfactionem exhibuisset, tum pœnas crimine dignas luisset. Certe indultum hoc insignissimum, idque multis nominibus erat, præsertim quoad censuram Ecclesiasticam, cum, ut per chartam è Turri *Londinensi* depromptam docet *Joh. Seldenus*, aliis Judæi in locis soli suo Pontifici subderentur. Quod Cancellarii attinet potestatem, quâ Scholarium cum Judæis lites, maxime autem *in mutuis datis & acceptis*, dijudicabat; porro quantum ad authoritatem ipsius circa taxationes, domos elocandas, & pacta de bonis mobilibus ineunda; hæc omnia eandem cum ipso Judæorum in hanc Urbem adventu antiquitatem habebant. Sed his omissis; alia insuper dissidia inter Cancellarium & Burgenses, & præterea inter Scholares famulosque suos prorupere; de quibus id unice dicam, quod ubi Regi innotuere, *Nicolaum Stapletonum*, *Henricum Shotbroke*, & *Eliam Suttonum* huc [c] dimisit, quibus rem omnem excutiendam, pacemque inter prædictos componendam concredidit.

CIↃCCLXXXVII.

Verum equidem lites inter primo dictos, Academicos nimirum & Burgenses, haud poterant præteriri; cùm isti ea patrarent quæ ad violanda privilegia, à Regibus prioribus Universitati concessa tendebant. Itaque Rex quotidianis motus querimoniis, quæ à mense *Januar.* an. Reg. XII. deferri ad illum occœperant, (*post ultimum recessum à concilio nostro*, inquit ipse) controversias illas *Johanni* de *Limetot* & *Roberto* de *Luttleburry* explorandas & dijudicandas [d] commisit; qualem tamen exitum habuerint, non invenio.

CIↃCCLXXXIIX.

Sub finem anni orta est contentio gravissima inter Episcopum *Lincolnienſem* & Magistros Universitatis, de præsentatione nimirum & admissione Cancellarii sui. Cujus accipe causam historiamque è Chronicis [e] *Tho. Vuiccii* vulgo *Wyke* jam crebro citatis.-- *Circa idem tempus finiente jam anno dominicæ incarnationis MCCLXXXVIII. orta est gravis contentio inter Dominum* Lincoln. *Episcopum & Magistros Universitatis* Oxon *pro præsentatione, & admissione Cancellarii Vniversitatis; causa quoque contentionis hæc fuit. Cum essent Clerici studentes in municipio* Oxon *sine Cancellario; convenientes in unum Magistri, elegerunt sibi Cancellarium Magistrum* Willielmum *de* Kingescote *virum industrium, & facta electione ipsum per interpositas personas, non in propriâ, Domino Episcopo præsentabant. Episcopus autem præsentationem præcisè recusavit admittere, asserens se nolle aliquo modo personæ absenti & sibi incognitæ tantam authoritatem & jurisdictionem committere, quæ non solum ad corporalia, verum etiam ad merè spiritualia se extendit; Magistris ex adverso proponentibus, quod à tempore cujus non extat memoria, usi sunt taliſmodi libertatis prærogativa, ut electos sibi Cancellarios non in personis personaliter comparentibus, sed per Nuntios Episcopo præsentarent. Episcopus autem non admisit eorum allegationem, quare Magistri vehementer indignati, quasi in ultionem, Lectionibus suis supersedere cæperunt, pœnam ultionis in semet ipsos & præsumptionis proterviam retorquentes, & sic propriæ voluntatis instinctu, pendente controversia à legendo suspensi pretiosi temporis lapsum otiis inutiliter indulgentes consumpserunt, multis duntaxat de municipio recedentibus, & ad propria remeantibus, quibus tadium fuit otio indulgere.* Videntur siquidem illi superbe se & insolenter adversus Episcopum gessisse; immo coram illo ultra præcinctum ac Libertates Urbis *Oxoniæ* comparere recusabant, prout [f] aliunde manifestum fit, & in Catalogo Cancellariorum fusius edisseram ad an. CIↃCCXC. Nunc vero, ut, quantum fieri potest, constet operi forma sua & designata brevitas, ad alia transibo.

Robertus de *Welles* pistor, Hundredæ ultra portam borealem Balivus, postquam, ut ante dictum est,

[a] *Ibid. fol.* 120. *Vide in* Chron. Hen. Knighton. [b] *In* Turri Scholarum *in pix. MM. num.* 3. *& in* Haro *de privilegiis fol.* 14. *ex pat.* 15. Ed. I. *m.* 15. [c] *Pat.* 14. Ed. I. *m.* 7. *ex* Haro *de memorab. fol.* 19. *a.* [d] *In Turri* Schol. *in pix. MM. n.* 2. [e] *MS. in lib.* Cotton. [f] *In Reg.* Sutton. *fol.* 3.

ab anathemate ſolutus eſſet, mirum in modum criſtas erigere, & Magiſtris dominari cœpit; quod his potiſſimum rationibus teſtatum fecit. I. Abnegando [a] illis libertates ſeu Privilegia quibus ab antiquo in antedicta Hundreda uſi fuiſſent, viz. *jus cognoſcendi, judicandi ſeu jus dicendi in cauſis & actionibus omnibus & ſingulis provenientibus ex contractibus initis inter Scholares* Oxoniæ *& Laicos ibidem. II. Mendaciis famæ detrahendo, & in curia Principis Magiſtros Vniverſitatis prædictæ ſuper furto ſeu rapina, nequiter accuſando*, &c. Hanc autem rapinam ſeu furtum nihil aliud fuiſſe reor, quam quod ligna, truncos, & Saxa, aliaque viæ publicæ nocumenta, fiſco Univerſitatis vi ſtatutorum addicenda, auferrent. III. *Servientem communem Vniverſitatis propter temeritatem carceri extra portam borealem per biduum mancipando, omneſque qui extra portam prædictam in ſuburbio dicti municipii* Oxon *conſiſtunt, contra debitam & antiquam Vniverſitatis libertatem in rebellionem & inobedientiam inducendo*, &c. IV. *Magiſtrum* Johannem *de* Heygham, *Magiſtri* Roberti *de* Winchelſey *Archidiaconi* Eſſexiæ *tunc Cancellarii vices gerentem in tempore vacationis autumnalis hujus anni, & Mag.* Joh. *de la* More *Procuratorem Vniverſitatis, nec non etiam Magiſtros alios ac Scholares, ſimul etiam & ſervientes communes Vniverſitatis prædictæ per breve regium attachiando, ut in curia principis die & loco ſtatutis, ſuis querelis reſpondeant*, &c. Hæc erant ejus delicta, propter quæ Magiſtrorum opera Balliva ſua amotus, idque haud immerito, eſt. Ne autem res Academiæ deincèps turbaret, *quia contingere potuit* (ut è libris jam citatis habemus) *quod idem* Robertus *per fas vel nefas, gratiam reſtitutionis ad prædictam Ballivam, vel aliam in municipio vel ſuburbio habendam poterit impetrare; ipſa Vniverſitas contra prædictum* Robertum *vehementiſſimè præſumens, ejuſq; verſutias & conceptas malitias ex antiquis inſidiis æſtimans, & ideo de futuris magis timens, de communi conſenſu Magiſtrorum ordinat, providit & ſtatuit, quod ſi contingat* Robertum *prædictum ad Ballivam aliquam in municipio vel ſuburbio* Oxoniæ *reſtitutionem aliquo tempore impetrare, ipſi Magiſtri prædictæ Vniverſitatis lectiones ſuas omnino dimittent, quouſque à dicta Balliva idem* Robertus *totaliter ſit amotus.*

CIↃCCLXXXIX.

Hoc anno, & proxime ſequenti, *Anglià* pelluntur Judæi propter varia quæ patrarant crimina. Quare exterminantur & illi qui à tempore Conqueſtoris *Oxoniam* frequentes incoluiſſent; quiq; ibidem à paucis in magnum numerum excreverant, opum inibi partarum dulcedine allecti. Multa autem Tenementa, in variis Parochiis, maxime vero S. *Aldati* & S. *Edoardi*, poſita coemerant; quæ contigua cum eſſent *Judaiſmo*, vel locis habitationis Judæorum, majoris & minoris nomina ſortiebantur. In propinquo inſuper habebant Synagogam, in quâ ſacra ſolebant peragere, & quam nunnunquam Scholam Judæorum dictam reperio. Erat porro illis & Sepulchretum, ultra portam Orientalem ſitum, quo in loco cum exſtrueretur dein Hoſpitale S. *Johannis*, mortuos ſuos in eo agello inhumabant, quem nunc occupat Hortus Botanicus; cujus rei manifeſta deprehendebantur indicia, & cum muri Hortum cingentis fundamenta jacerentur, & cum anno CIↃDCXLII. agger ille inter pontem Orientalem murique prædicti latus boreale, conſtrueretur: quo tempore quamplurima utriuſque ſexus omniſque ætatis oſſa effodiebantur. Præterea, domus quædam erat *Judaiſmo* contigua (pone diverſorium publicum, ab Apri cærulei inſigni cognominatum, hoc eſt, in area ejus poſticâ vel juxta ſtetiſſe arbitror) quam Domum Converſorum nuncupabant; ubi Judæi ad fidem Chriſtianam (vicinorum forte potiſſimum *Dominicanorum* labore) perducti, hoſpitio ſolebant excipi, ſubminiſtratis rebus omnibus neceſſariis. Crimina quod attinet quæ *Oxonii* admiſerant Judæi, ea partim ſupra commemoravi, qualia erant, 1°. quod Scholares & Burgenſes graviſſimo fœnere premebant, unde crediderim eveniſſe ut *Judaiſmus*, velut ante an. CIↃCCXLIV. tradidimus, diriperetur, magna pecuniæ vi Judæis ademptâ. II°. Quod ſolenni Univerſitatis ac Urbis proceſſu crucem prælatam indignis modis tractarant: prout habes in Hiſtoria ad an. CIↃCCLXVIII. III°. Quod ſigillum Abbatis & Conventus de **Oſney**, quo tempore Abbatis munus obibat *Rogerus* de *Coventria*, falſaria arte ementiti [b] fuiſſent; haud ſine magno illius Sodalitii damno. IV°. Quod obſtinarant Cancellario obſequium minime præſtare, ſe ſubditos agnoſcere recuſantes; & quod Vicecomitis porro authoritatem parvi penderent. V°. Denique quod Academicos juniores & oppidanorum filios ad Religionem ſuam allicuiſſent, & ejuſdem ſymbolum Circumciſionem ſuſcipere [c] coegiſſent. Hæc præcipua erant eorum admiſſa; quamvis & alia erant haud levia quæ impræſentiarum omittenda ſtatuo.

Cæterum cùm exturbarentur *Oxonio* Judæi, magna tenementorum pars, quæ fiſco regio ceſſerant, ad *Gulielmum Burnell* Præpoſitum de **Wells**, devenere; Libri autem eorum in Scholarium noſtrorum manus lapſi ſunt, inter quos habetur *Rog. Baconus*, qui, ut obſcura quædam annotatiuncula teſtatur, illis ſe linguæ Hebraicæ ceimeliis probe inſtruxit; cujus poſt mortem Bibliothecæ *Franciſcanorum Oxonienſium* obtigere, quorum eruditiores nonnulli iiſdem aliquantiſper utebantur, licet ſeculorum inde decurſu, decreſcente Ordinis illius doctrinâ & induſtriâ, tineis & blattis, haud ſecus ac plurima *Baconi* opera, in patrimonium traderentur.

In hebdomada, (loquor ex *Vuiccio* prædicto de controverſia inter Magiſtros *Oxon* & Epiſcopum *Lincoln.*) *proxima ante Pentecoſten, viris providis & diſcretis mediatoribus effectis, ad pacis reformationem ſopita eſt contentio, quæ aliquandiu duravit inter Dominum* Lincoln. *& Magiſtros Vniverſitatis* Oxon, *de qua ſuperius tractatum eſt: Et Dominus Epiſcopus admiſit Cancellarium eorum quem prius præſentaverant; & ſtatim Magiſtri cæperunt reſumere lectiones ſuas, & incæperunt ſolenniter legere in cameris ſuis die veneris ante Pentecoſten.*

CIↃCCXC.

--- Eadem Septimana (h. e. in feſto Pentecoſtes) apud Weſtmonaſterium agitata contentione quæ diu vertebatur inter Dominum Lincoln. *& Magiſtros Vniverſitatis* Oxon *ſuper præſentatione & admiſſione Cancellarii eorum, de qua, anno proximo præterito fecimus mentionem, Domino Rege & diſcretioribus totius regni mediatoribus effectis, decretum eſt, ut non obſtante conſue-*

[a] *A.* 71. 72. *B.* 84. *a. C.* 67. *a. D.* 33. *a.* Har. *in memorab. fol.* 19. *b.* &c. [b] *Ex quodam Anon. de Abbatibus* Oſney [c] *Vide Clauſ.* 21. Hen. III. *p.* 1. *m.* 22.

tudine

tudine quam ſolummodo pro parte ſua Magiſtri allegando propoſuerant, quod non conſueverant Cancellarios ſuos quos elegerant in perſonis propriis, ſed per interpoſitas perſonas Magiſtros Municipii Dioceſano præſentare; Cancellarium quem ducerent eligendum non infra ſepta Municipii ſed & extra perſonaliter præſentare tenebantur: unde factum eſt, ut Magiſtrum Johannem *de* Ludlawe *quem tunc elegerant in Cancellarium in perſona propria deſtinarent uſque* Rutele *ab eodem Epiſcopo admittendum; ſicque à conſuetudine priſtina qua diutius ſe gaviſos eſſe dicebant, hac ſaltem vice receſſum eſt; quid autem ſuper hoc negotio futuris temporibus fuerit eventurum, nemo præſentium poterit prænoſcitare.*

Hactenus *Vuiccius*. Rupta præterea quodammodo videtur [a] compoſitio illa, quæ inſtante Rege in Parliamento poſt feſtum *Paſchatis* noviſſimi facta fuiſſet. Conſtat enim quod ſecundum illam tenebatur Epiſcopus, poſtquam Cancellarium ſibi cooptaſſent Magiſtri, *Oxonio* ſe adeo vicinum ſiſtere, ut quem elegerant commode poſſint eidem deducere præſentandum. In poſterum vero aſtricti erant Magiſtri quem ad id muneris promovendum ſtatuerent, ad Epiſcopum, ſi haud longe abeſſet, comitari; Quod ſi procul *Oxonio* ageret Epiſcopus, haudquaquam in perſonâ ſuâ, verum per Procuratores, aut quoſcunque deputaret alios qui ipſum repræſentarent, præſentandus erat Cancellarius. Huic autem Compoſitioni nomina ſua appoſuere Frater *Guliel.* de *Leominſter*, *Joh.* de *Monemouth*, *Rich.* de *Bradley*, *Joh.* de la *More* & *Steph.* de *Herdeley*, Magiſtri *Oxonienſes*; cùm Epiſcopus nimirum viſitationem ſolennem apud *Oſneienſes* [b] perageret.

In eodem Parliamento reſtinctæ ſunt lites, quæ longo jam tempore inter Univerſitatem & Urbem de variis libertatibus privilegiis & ritibus [c] arſiſſent; quod adeo tamen in rem noſtram fiebat, ut cum aliis privilegiis; Cancellarii & Scholarium, juxta ac Prætoris (qui ea prius authoritate ſolus fruebatur) arbitrio permiſſa fuerint cuſtodia pacis, & aſſiſæ victualium; nec non de menſuris & ponderibus ſtatuendi poteſtas. Capitula autem quæ contra Univerſitatem obtulere Burgenſes, quæque ea complectuntur, de quibus in Parliamento ibi tum agebatur, ad undecem erant.

I. Primum querebatur de eo Academicorum privilegio, quo Scholares qui ſunt malefactores à Majore in vincula conjici ſeu arreſtari non erat licitum.

II. Secundum contra Propolas ſive Regratarios & Forſtallatores, quos vocant, compoſitum erat.

III. Agebat de vadimoniis Laicorum qui contra Scholares deliquerunt.

IV. De juramento Majoris & Burgenſium.

V. De mulctis ſive Amerciamentis, & direptionibus ſive forisfacturis Carnium & piſcium.

VI. De iis qui privilegiis Univerſitatis fruerentur.

VII. De Burgenſium tenementis locandis ſive ad firmam dimittendis.

VIII. De citationibus Burgenſium.

IX. De conveniendis extraneis in cauſis Clericos reſpicientibus.

X. De Clericis per Cancellarium vindicandis ſive calumniandis.

XI. De Taxationibus Domorum.

Hæc ea erant ſuper quibus ſupplices ſeſe Parliamento exhibuere Cives *Oxonienſes*; ad quæ tamen ita reſpondit, defenſionem noſtri ſuſcipiens Regia Majeſtas, ut privilegiorum iſtorum optimæ fidei poſſeſſores oſtenderit; argumentis uſus è Chartis, conſuetudinibuſque pervetuſtis, aperte deſumptis.

CIↃCCXCI.

Hoc anno Fundos & Tenementa *Oxoniæ* aſſecuti ſunt Fratres S. *Trinitatis* de redemptione captivorum, quibus utique conſolitum jam pridem erat eruditionis causâ Univerſitatem noſtram frequenter inviſere; & de quorum familiâ hic demum conſidente ac florente, deque eversâ tandem funditus eâdem, ſic paucis accipe.

Edmundus Plantageniſta, vulgo *Plantagenet*, *Cornubiæ* Comes, & ſummus Religioſorum Patronus, tum Fratrum iſtorum, tum aliorum ipſis faventium precibus permotus, à Priore Fratribuſque Hoſpitalis S. *Johannis*, extra portam Orientalem ſiti, Tenementa quædam obtinebat, reddendo inde dictis P. & Fratribus unam libram incenſi annuatim pro omni ſervitio. Stabant illa inter portam ante dictam, ex parte Occidentali, & portam S. *Frideſwydæ*, ſive viam à ponte Orientali ad campos pone Collegium *Mertonenſe* poſitos ducentem; quibus dirutis domicilium cum Capella excitabat poſtea *Edmundus*, fratribuſque præfatis donabat. Charta [d] autem donationis eorundem Tenementorum quæ non hoc anno, ſed ſecundo ſequente, data fuit, talis eſt.

Sciant præſentes & futuri, quod nos Edmundus *claræ Memoriæ* Richardi *Regis* Almaniæ *filius & Comes* Cornubiæ, *dedimus conceſſimus & preſenti Carta noſtra confirmavimus Deo & Beatæ* Mariæ *& Fratri* Willielmo *de* Hamine *Miniſtro Provinciali Ordinis S.* Trinitatis *in* Anglia *& Fratribus ejuſdem Ordinis apud* Oxoniam *Deo ſervientibus (in perpetuum ſervituris) pro ſalute animæ noſtræ & pro animabus prædicti Regis patris noſtri,* Schenchiæ *Matris noſtræ, & pro ſalute animæ Domini* Edwardi *illuſtris Regis* Angliæ *&c Omnes terras & tenementa, redditus & poſſeſſiones cum ſuis pertinentiis eiſdem qualitercumque ſpectantibus, quæ habuimus in Parochia S.* Petri, *extra portam Orientalem apud* Oxon, *ſine ullo retenemento Habend; &c. Faciendo Capitalibus Dominis feodi ſervitia inde debita & conſueta. Pro hac autem donatione, conceſſione, & Cartæ noſtræ confirmatione, conceſſerunt nobis dicti* Willielmus *Miniſter & Fratres ſui pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, quod invenient ſuis ſumptibus quinque Capellanos in eodem loco divina celebrantes in perpetuum pro ſalute animæ noſtræ. Nos vero predictus* Edmundus *& heredes noſtri omnia prædicta Tenementa, redditus & poſſeſſiones cum omnibus ſuis pertinent. Prædicto* Willielmo *Miniſtro, Fratribus ejuſdem Ordinis & ſucceſſoribus ſuis warantizabimus, acquietabimus & tanquam liberam & perpetuam Eleemoſinam noſtram defendemus inperpetuum. His teſtibus Dominis* Ricardo *de* Cornubia *fratre noſtro,* Willielmo *de* Bereford, Henrico *de* Scottebrok, Reginaldo *de* Botereans *Militibus.* Johanne *de* Skardeburg, Rogero *de* Merlaw, Joh. *de* Blebury, Waltero *de* Aylesbury, Henrico Oewayn *tunc Majore* Oxoniæ, Willielmo *le* Spicer, Henrico *le* Spicer, Philippo *de* Hoo, Johanne *de* Hoo, Thoma Sowy, Johanne Wyth, Martino *le* Samplarier, Johanne *le* Cuner *& multis aliis. Dat. apud* Beckele *in Feſto Decollationis* S. Johannis *Baptiſtæ, Anno regni Regis* Edwardi *XXI. In cujus rei teſtimonium preſenti Cartæ ſigillum noſtrum fecimus apponi.*

[a] *Inter placita coram Rege in Parliam. poſt feſtum S.* Hilarii *in ſcaccario, & in libro Parliament. de tempore* Ed. I. *in Turri* Lond. *fol.* 1. &c. [b] Th. Wyke *in chron. ſub an.* 1290. [c] *A.* 16. *&* 69. *B.* 12. *&* 80. *C.* 60. *a. Et inter placita coram Rege à die paſchæ in* 15. *dies*, 18. Ed. I. *rot.* 62. *in cuſtodia Theſaurarii ſcacc. Habetur etiam in min. rub. lib.* Civit. Oxon, *de ann. per lit. C. fol.* 1. [d] *In quodam libro evidentiarum in manibus* Eliæ Aſhmole, *Arm.*

Extructis vero paulo poſt Hoſpitio & Capella per eundem Comitem, *Edoardus I.* petente *Edmundo* donationem ratam habuit, eandemque Fratribus prædictis, & eorum in perpetuum ſucceſſoribus confirmabat. Perque eadem tempora Guardianus vel cuſtos Sociique *Mertonenſes*, nec non Vicarius S. *Petri* in Oriente (quâ utique in Parœciâ ſtabant Hoſpitium & Capella de quibus jam ſermo eſt) indulſerunt *prædictis Fratribus* (loquor ex quodam [a] Regiſtro diplomatum ſive chartarum) *habere liberum Oratorium ad opus ſuum & Cantariam & Cœmeterium ad corpora Fratrum ſui Ordinis libere ſepeliendum ibidem.* Quibus denique acceſſit, ea omnia ab Epiſcopo *Lincolnienſi* (Diœceſano ſcilicet) probari [b] firmarique. Poſthæc vera de ampliandis finibus cogitantes, à Majore civibuſque *Oxonienſibus* fundum exiguum cum ædificiis in eodem collocatis impetrabant, hac conditione, ut XIII. ſolidos & IV. denarios iiſdem perſolverent. Verum cum anni aliquot decurriſſent, nec reditum penſitarent, exigente Prætore & communitate coactus eſt *Gul.* de *Paris* Hoſpitii Miniſter & *Henr.* de *Ledes* Miniſter Provincialis anno *Edoardi II.* VIII°. Dom. CIↃCCCXIV. pactionem [c] facere; quâ ſancitum ad ſucceſſores ſuos habuere, quod ſi deinceps ſummam illam vel aliquam ejus partem poſt certum dierum aut hebdomadarum numerum præſtari non contingeret; in Tenementa eorum quæcunque invadere, eademque diſtringere, Majori Civibuſque fas eſſet.

Sciendum eſt Capellam quandam perantiquam, & S. S. *Trinitati* dicatam, intra portam Orientalem, ex parte aquilonari, poſitam olim fuiſſe. Hanc illi venerabundi ſuſpiciebant, eamque propterea cum terris conterminis, à Priore & Canonicis S. *Frideſwydæ* obtinere nitebantur; eodem commigrare, ſedemque veterem tanquam anguſtam nimis relinquere ſtatuentes. Qua in re cum fruſtra aliquantiſper ſategiſſent, voti demum compotes fiunt, impetrantque ut mox ante dicti officinam præterea propinquam duaſque areas tenementorum vacuas iiſdem [d] dimitterent; quod ab *Edoardo II.* anno Regni II° confirmatum videtur, poſtquam ille [e] Inquiſitionem fieri curaſſet, unde exploratum haberet, utrum damni ſibi quicquam accreſceret, ſi conceſſionem illam *Frideſwydenſem* approbaret. Paulo poſt, nimirum IV°. *Edoardi II.* Dom. CIↃCCCXI. à Majore & Municipio *Oxonienſi* vacuas tres areas conſequuntur, *jacentes de ſub muris* Oxon (ut in [f] autographo eſt) *quorum altera extendebat ſe in longitudine à poſtico proximo juxta* **Smythgate** (quod ſcilicet poſticum loco illi objacebat in quo ſtat hodie Aulæ *Cervinæ* Refectorium, vel potius Aulæ *Nigræ* nuper dirutæ ex adverſo erat poſitum) *uſque ad aream capellæ S.* Trinitatis *juxta portam Orientalem* Oxon *ex parte boreali ejuſdem capellæ annexam, quam dicti Fratres habuerunt de perpetuo dono Prioris & Conventns S.* Frideſwydæ *&c. Aliæ vero duo placeæ jacebant conjunctim ex altera parte dictæ Capellæ ex parte auſtrali annexa, uſque ad Turrellum proximum finis curiæ de* **Runceball hall** *cum eodem Turrello* &c. *reddendo inde annuatim xiii. ſol. iv. den.* His ita comparatis geſtiebant Fratres huc ſe continuo transferre; ſed cum id ſine regiâ licentiâ facere nequirent; *Edoardus II.* anno regni ſui ſexto mandatum [g] ad Vicecomitem tranſmiſit; ſub hac formâ. --- *Præcipimus tibi quod per Sacramentum proborum hominum*, &c. *diligenter inquiras, ſi ſit ad damnum vel præjudicium noſtrum aut aliorum, ſeu nocumentum villæ noſtræ* Oxon, *ſi concedimus dilectis nobis in Chriſto Miniſtro & Fratribus Ordinis S.* Trinitatis *extra portam Orientalem* Oxon *Villæ prædictæ commorantibus, quod ipſi à loco prædicto ad Capellam S.* Trinitatis *infra portam prædictam quam una cum quibuſdam placeis prædictæ Villæ adjacentibus nuper de noſtra licentia adquiſiverunt ſe transferre, & ibidem ædificare ac morari poſſunt in perpetuum*, &c.

An obnuntiatum fuerit ab Inquiſitoribus iis, an vero Rex migrandi licentiam Fratribus conceſſerit, ignoro; atqui compertum habeo *Edoardum III. Richardi II.* avum, eandem ipſis [h] indulſiſſe, cum venia ædificandi, ac ibidem degendi, *dum tamen prædicti Miniſtri & Fratres facerent quandam Cantariam in Capella prædicta* (ut autographum habet) *pro Fundatoribus & aliis Benefactoribus ſuis*, &c. Sedem itaq; ibi novam adepti, cum diutius uſui non eſſet area altera Capellæ ad Auſtrum adjacens, Miniſter & Fratres, impetrato [i] prius ab *Henr.* de *Ledes* Hoſpitii de **Modingdon** Miniſtro, & Provinciali eodem Miniſtro, ut id ipſis facere liceret; eandem I. *Edoardi III.* Cuſtodi & Scholaribus Collegii *Mertonenſis* in L. annos dimiſere. *Quæ quidem placea* (ex [k] autographo loquor) *incluſa eſt à fronte Aulæ quæ dicitur* **Runceball hall**, *extendens ſe in longum verſus auſtrum uſq; ad Turrellum proximum juxta finem areæ dictæ Aulæ & cum eodem Turrello, & jacet in latitudine inter aream aulæ prædictæ ex parte una & murum villæ ex altera.* Floruerunt autem abinde Fratres iſti ad an. quaſi CIↃCCCLI. quo nimirum tempore lues epidemica ad unum omnes è medio ſuſtulit, & in veteri eorum ſede Hoſpitium ac Capella, extra portam Orientalem ſita, ad *Edoardum III.* per Eſcheatam, ut loqui ſolent Legulei, qua fundi deficiente poſſeſſore vel hærede, ad feudi dominum relabuntur; cujus perinde ac temporibus proxime fluentibus, Miniſter de **Hundeſlowe** (ejus vero ordinis in oppido illo ſtabat ad Occidentale ejuſdem latus diverſorium) Fratrem huc unicum ad ſacra peragenda tranſmittebat; prout Inquiſitio modo citata commemorat. Poſthæc autem *Gul. Wickhamus* Epiſcop. *Wintonienſis* Collegium *Oxonii* meditatus, binas illas areas, quas ante à municipio *Oxonienſi* acquiſiverant Fratres illi, ab iiſdem [l] coemit; quod factum eſt anno III°. *Richardi II.* Do. CIↃCCCLXXIX. Illos autem volo agellos quorum primus mœniis Urbis interius ſubjacebat, & à poſtico portæ *Fabrorum* oppoſito ad angulum dictorum mœniorum euro-aquilonarem, & abinde, in Auſtrum vergens, ad Capellam S. S. *Trinitatis* pertingebat. Alter vero ab eadem Capellâ in Auſtrum procurrens, ad aream Guardiano vel Cuſtodi & Scholaribus *Mertonenſibus* pridem dimiſſam, protendebatur. Incluſo itaque à *Novi* Collegii Fundatore primâ dictarum areâ (in quâ ſcilicet ſitus eſt murus qui Collegium incingit) atque alterâ illâ ad auſtralem Capellæ partem jacenti, ab eodem Fundatore, Majori & municipio, de pacto aliquo, XII. *Richardi II.* [m] reſtitutâ (eam autem intelligo in quâ intra portam Orientalem ad dextram lævamque collocantur hodie domicilia) Fratrum iſtorum quotquot

[a] *Reg. cum rubro tegmine in ſcaccario Coll.* Merton. *fol.* 16. *a.* [b] *Reg.* Dalderbey *fol.* 308. [c] *In faſciculo Variarum Chartarum de libertatibus in ſcriniis Civit.* Oxon. [d] *Lib. Mag. vel Reg.* S. Frideſwydæ *p.* 453. [e] *In eodem faſciculo ut ſupra.* [f] *In Reg. primo Coll.* Novi *p.* 5. *Chart.* 25. [g] *Inter Inquiſitiones in Turri* Londin. [h] *Clauſ.* 15. Ric. II. *m.* 1. [i] *Ut inter munimenta Coll.* Merton. *in Theſaurio ibid. in pi x.* Oxon. [k] *Ibidem.* [l] *Reg.* 1. *Coll* Novi *ut ſupra p.* 7. *chart.* 17. & 23. [m] *Ibid. p.* 30. *Chart.* 2.

ſupere-

ſupererant, quod ſolam Capellam intra muros Urbis haberent, poteſtatem imprimis à Rege nacti, ad vetus Hoſpitium Sacellumque, ultra portam ſituata, ſe contulere; quorum cum utrumque XL. annorum, (nempe quaſi à XXV. *Edoardi. III.* Dom. CIↃCCCLI ad XV. *Richardi II.* Dom. autem CIↃCCCXCI) ſpatio penes Regiam (tanquam eſcheata) manſiſſent [a] Majeſtatem, querelæ graviſſimæ ad eundem *Richardum* à Prætore ac Civibus deferuntur, quod iiſdem utique annuus XIII. ſolidorum & IV. denariorum cenſus, multis jam annis, haudquaquam eſſet numeratus. Rex itaque, ut, quod æquum opinatus eſt, fieri curaret, *Thomæ Barentino* eſcheatori ſuo [b] mandavit, (an. XV. Regni ſui) Majorem cum Burgenſibus Hoſpitium illud & Capellam diſtringere patiatur: quapropter utrumque deinceps apud eoſdem reſidebat: tametſi, cum *Novi* Collegii Fundator præfatas intra murum areas acquireret, redditum illum annuum, XIII. nempe ſolidos & IV. denarios, fratribus [c] remiſiſſent. Verum equidem ad obtinendum quod dixi cum Hoſpitio Sacellum, præter petitionem Regi oblatam, & aliam inibat viam Municipium *Oxonienſe*; quam ex Epiſtolâ [d] quâdam, anno CIↃCDLXXXVI. conſcripta monſtrandam exiſtimo.

Doctiſſimis & ſapientiſſimis viris Commiſſario & Regentibus Univerſitatis
Oxonienſis.

--- Cum ad veſtram ſapientiam pro noſtro officio ſcribere ſuſcepiſſemus (viri doctrinæ & Sapientiæ amatores) æſtimavimus ea nos à veſtra liberalitate facilè poſſe impetrare, quæ & veſtræ dignitati & noſtro ordini conducere poſſunt. Sapientia enim, cui Schola veſtra dicata eſt, adjunctam ſibi juſtitiam ita habet, ut religionem non excludat; ſed eos in ſuo jure tueatur, qui rem ſui ordinis non ſegniter curant. Eſt itaque in ſuburbano Oxoniæ *ad portam Urbis quæ Orientem reſpicit, Capella divinæ* Trinitatis *vocabulo conſtructa; quam loci ordinator, cùm noſtro ordini donaſſet, longo illam tempore poſſeſſam, noſtri Fratres incoluerunt: Donec quidam* Jo. Wodell, *qui Eccleſiæ noſtræ quæ eſt apud* **Dundeſlowe** *præfectus olim Miniſter, eam ad Magiſtratum* Oxonienſem *nobis inconſultis improbè traduxit; & velut alienationem noſtræ poſſeſſionis iniquus venditor optimo jure tranſegiſſet, Capellam ipſam Magiſtratus* Oxonienſis *obtinet, excluſis inde juſtiſſimis poſſeſſoribus, hanc autem vindicare conamur. Ad quos conatus noſtros, ſi veſtra manus atq; authoritas acceſſerit, neque arduum neque difficile erit, prædia noſtra recuperare. Oramus propterea veſtram ſapientiam atque æquitatem, ferre opem Provinciali noſtro, quem recuperandæ poſſeſſionis Actorem ſtatuimus. Nam ſi in Capellæ poſſeſſionem reſtituti erimus, ponentur in ea viri religioſi, & literarum ſectatores, à quibus Univerſitas veſtri ſtudii, obſequium habere poſſit, qui & veſtro honori ſtudere, & noſtro Ordini conſulere non negligant. Facietis profectò rem noſtræ religioni perpetuo memorabilem, ſi veſtris auxiliis Fratres noſtri in veſtra Academia locum obtineant, ubi doctrinæ fluenta ſuaviter bibant, undè queant in plurimos ſpargere rorem cæleſtem. Valete Optimorum ſtudiorum Cultores.* Pariſiis *die* VI. Novemb.

Veſtræ ſapientiæ obſervatiſſimus Amator
Robertus Gagvinus, *S. Trinitatis de Redemptione Captivorum major Miniſter.*

Non equidem crediderim huic tam juſtæ petitioni aut aſſenſum ſuum aut demum operam denegaſſe Univerſitatem; verum quæ arripuerant Oppidani validiſſimis unguibus retinere ſtatuebant, unico tantùm Sacerdoti, qui ſacra utique peragerer, diverſorium inibi concedentes, Cameraſque reliquas Scholaribus elocantes ſecularibus; qui eouſque ſub Principalis regimine literis incubuere, donec id Hoſpitii Aula S. *Trinitatis* appellaretur; & ſub illo nomine reditum municipio penderet, quemadmodum è ſchedulis quamplurimis cenſualibus manifeſtum fit.

Manſiones. Primas eorum Ædes, quæ vico S. *Trinitatis* dicto, & à Collegio Divæ *Magdalenæ* in agrum pone Collegium *Mertonenſe* ducenti, contiguæ erant, *Edmundum Cornubiæ* Comitem ſtruxiſſe diximus; quæ quidem per Indulta ac privilegia, quæ Pontifex Romanus Conventui S. *Trinitatis Houndſloviam* incolenti conceſſerat (unde ſcilicet fratrum aliquis, ad ſacra peragenda, huc perpetuo amandandus erat) à decimis & oblationibus, Eccleſiæ aliter Parochiali penſitandis, [e] liberabantur. Quod noviſſimum vero illorum habitaculum attinet, cis portam Orientalem collocatum, non dicam quis fundaverit, cæterum ad ruinam feſtinaſſe reperio, poſtquam *Novi* Collegii Fundator agellos vicinos acquiſiverat.

Capellæ. Antiquiorem illam erexit etiam antedictus Comes, ubi Sacerdotes aliqui in Miſſâ, pro æternâ ejuſdem requie, celebrandâ, aliquandiu aſſidui erant. Hæc poſtquam Municipes noſtri invaſiſſent, Prætori urbano ſolenne erat cum omni anno ad Feſtum S. *Michaelis* à *Londino* reverteretur (quo nimirum ſe conferre tenebatur Prætor recens electus, ut jusjurandum in ſcaccario ſuſciperet) huc diverterе; ubi poſtquam ſacris intereſſet, gratiaſque Deo cumulatiſſime egiſſet, quod ſalvus redierat, additâ eleemoſynâ adverſus celebrantem, à Burgenſibus mox inde civibuſque, cum omnibus lætitiæ ſignis excipiebatur, in Urbem continuo deducendus. De hac autem Capellâ non amplius dicam, quam ad ejus altare cereum perpetuo arſiſſe; & eo ſontes, tanquam ad aſylum, confugiſſe; uti è ſcriptis haud infrequentibus teſtatum habeo. Cæterum de Capellâ eâ alterâ tantùm addam, ad Prioratum *Frideſwidenſem* primitus ſpectaſſe, verum poſtquam marceſcere & imminui cœperunt Fratres SS. *Trinitatis*, atque areæ vicinæ ad *Novi* Collegii Fundatorem delapſæ ſunt, ruinam adeo, licet gradatim, feciſſe, ut à multis jam annis locum in quo ſtetit indigitare nemo hominum potuerit.

Diſſolutio. De câ vero nil certi habeo, cum inter Conventus tempore *Henrici VIII.* everſos non reperierim; & crediderim certe Aulæ nomen, quo tum innotuit, calamitatem illam ſubterfugiendi occaſionem præbuiſſe. Quicquid fuerit, cum reliqua Sodalitia disjicerentur, *Johannes Amery*, ex Familia S. S. *Trinitatis*, Principalis inibi munere [f] fungebatur; eodemque temporis tractu more jam pridem recepto, ſtipendia à Collegiis *Oxonienſibus* accepta pauperes quoſdam Scholares ibidem [g] alebant; ubi ſenex

[a] *Clauſ.* 15. Ric. II. *m.* 1. [b] *Ibid.* [c] *Reg.* 1. *Coll.* Novi *ut ſupra p.* 31. *chart.* 1. [d] *In F. fol.* 150. *a. Epiſt.* 331. [e] *Reg. Aaa. fol.* 62. [f] *B. fol.* 377. *a.* [g] *Ex notis cujuſdam Scholaris* Oxon, *de diverſis cœnebiis ibidem, collectis tempore* Ed. VI. *vel paulo poſt.*

quidam

quidam Sacerdos & Anachoreta degebat, vitamque dein claudebat. Denique autem, ſub finem Regni *Henrici VIII. Robertus Perrot*, Muſicæ Baccalaureus, Principalis ibi munus obibat; eâque, ni fallor, tempeſtate, Hoſpitium & Capellam à Majore & civibus elocata obtinens, utrumque demolitus, eodem in loco Horreum, Stabulum, & Haram [a] ponebat.

CIↃCCXCII.

Omiſſis hic quamplurimis Univerſitatis cum Urbe litibus, ad Philoſophum deſcendam omnium quos antehac ſuſceperat *Anglia* celeberrimum. *Rogerum Baconum* ſentio, è Sodalitio S. *Franciſci* Fratrem, eumque *Oxonienſem*, qui cum maximo rei literariæ detrimento fatis hoc anno conceſſit. Natus is [b] erat familiâ generosâ, haud longe ab urbe vetuſtâ, quæ *Ptolomæo Iſcalis*, nobis vero *Ilcestria* nuncupatur. Primos Ille annos *Oxonii* in Grammatices ac Logicæ ſtudio ponebat, in quibus tam inſperatos brevi fecit progreſſus, ut viri prudentes ſpem de eo ampliſſimam illico conceperint. Deinde autem cum per ætatem, ingeniique incrementa liceret, Philoſophiæ ſe totum dedit, cujus ipſa rimatus penetralia, nihil non exploravit ipſi in reliquo ſtudiorum curſu utile futurum. Immo Magiſtrorum ſuorum (è quibus erat [c] *Edmundus* Archiepiſcopus inde *Cantuarienſis*) Lectiones, uti & exercitia ab iiſdem impoſita, aut arripere doctus erat à Naturâ, aut ſuperare ab induſtriâ. Collecto itaque largo eruditionis viatico, *Lutetiam*, quo doctiores *Angli*, maxime vero *Oxonienſes* conferre ſe ſolebant, profectus eſt. Sed neque ſolus iter ſuſcepit, nam illum comitati ſunt viri perplures literati, quique literas etiamnum ſitirent; quamvis *Lelando* haud aſſentior, qui *Richardum Fiſacrium*, *Roberti* quidem *Baconi* familiarem, *Rogero* huic noſtro *Pariſias* inviſenti comitem ſe dediſſe commemorat. Atqui his prætermiſſis, apud *Gallos* agens *Rogerus* haud otioſe annos impendit, neque ad Theologiæ tantum & Linguarum, verum & Mathematicæ, Medicinæ, Legum, & Hiſtoriæ ſtudium ſe convertebat. In quibus omnibus eos fecit profectus, ut & Academiæ illius ornamentum habitus, & ab eadem Sacræ Scripturæ Profeſſoris titulo, nec injuria, fuerit honeſtatus. Literis itaque & gloriâ onuſtus, in patriam, & mox inde ad altricem ſuam *Oxoniam* revertitur; quæ gradum illi *Lutetiæ* donatum lubens [d] detulit. Poſt autem, ſuadente (ut videtur) *Groſteſto*, regulam S. *Franciſci*, in Conventu ejuſdem *Oxonienſi* ſuſcepit; quamquam id prius fuiſſe factum crediderim. Quapropter ſpreto ac rejecto, quo plurimi capiuntur mortales, opum ac dignitatum deſiderio; intimos Naturæ receſſus perſcrutari, ſeque linguarum, earumque Scientiarum ſtudio addicere conſtituit, quarum perpauci per ea tempora cognitionem attigiſſent. Ipſe ſane de ſe [e] refert, quod, cum juvenis eſſet, in Linguarum ſtudio, inque Scientiis ac diſciplinis induſtriam exercuerat, è quibus multa colligens haud inutilia, in methodum eadem redegerat. Amicitiam præterea cum viris omnibus eruditis inter Latinos quæſivit & invenit; juveneſque porro, linguarum, figurarum, numerorum, tabularum notitiâ, & fructuosâ porro aliarum rerum cognitione inſtruendos curavit. Secum inſuper ſerio acriterque cogitavit, quænam inſtrumenta neceſſaria eſſent ad inventa ſua perficienda, quæ cum ipſe ſibi ſuppeditare nonnunquam nequiret, ſi in eadem alius quiſquam impenſas erogabat, *Baconum* raro eventus fefellit. Viginti quippe annorum ſpatio, quanto ſcilicet rerum ſcientiam conſectatus (quamvis nec ſine vulgi convitiis) fuerat, minas pluſquam bis mille in libris arcanorum coemendis, inque tentaminibus phyſicis (quæ *Oxonii*, magno cum omnium ſtupore fiebant) impenderat. Inſuper autem, animo erat tam in bonum publicum facto, ut non tantum abdita quævis diſcipulis ſuis libenter aperiret, verum ſibi quam maxime gratularetur, quoties in aliquem incideret, qui ad doctrinam imbibendam vel mediocrem adferret indolem. Lectionibus ejus publicis, inprimis vero Philoſophicis maxima Scholarium pars cupide interfuit; tametſi, ut ipſe fatetur, eaſdem nonnulli, maxime autem *Hiſpani* nobiſcum commorantes, cum riſu exciperent; id vero potiſſimum accidit, cum ex libris Latinitate male donatis prælegeret. Inter diſcipulos ipſius clariores habetur *Johannes Londinenſis*, cui cum parca non minus fortuna, quam prodiga fuiſſet Natura, cum virtutem in ipſo ejus vultu elucentem animadverteret *Baconus*, eundem xv. annum agentem in tutelam accepit; cujus inſtitutionibus adeo & *Oxoniæ* & *Lutetiæ* perfecit, ut à nemine plures non habente annos eruditione præverteretur. Libros per hunc plures ad P. *Clementem IV.* anno Dom. CIↃCCLXVII. tranſmiſit *Baconus*; ad quem in eorum librorum uno & altero *Londinenſem* mirifice [f] collaudat; multis ibidem interpoſitis unde ipſe magis concelebrandus videretur. --- *Et propter hoc conſideravi* (inquit *Baconus*) *unum adoleſcentem quem à v. vel vi. annis feci inſtrui in linguis & Mathematicis & perſpectivis, in quibus eſt tota difficultas eorum quæ mitto; & gratis eum ore meo inſtruxi, poſtquam recepi mandatum veſtrum, præſentiens quod alium non potui habere ad præſens ſecundum cor meum; & ideò cogitavi quod ipſum tranſmitterem, ut ſi veſtræ ſapientiæ placeret uti mediatore inveniretis paratum, ſi non, nihilominùs iret ad vos pro ſcripturis veſtræ gloriæ offerendis. Nam proculdubio nullus eſt inter latinos, qui in omnibus quæ ſcribo, poſſit ad tot reſpondere propter modum quem teneo, & quoniam eum inſtruxi, nec ille Magiſter magnus* (intelligit *Petrum* de *Maharni curia*) *nec aliquis eorum de quibus ſuperius feci mentionem, qui neſciunt modum meum ſicut iſte, qui ex ore meo didicit, & qui conſilio meo eſt inſtructus; & Deus teſtis eſt, quod niſi eſſet veſtra utilitas, non feciſſem de eo mentionem. Quia ſi pro utilitate mea miſiſſem, bene inveniſſem alios in negotiis mihi procurandis magis idoneos. Si vero pro utilitate nuntii, magis diligo alios & plus eis teneor, quoniam iſti in nullo ſum obligatus, nec jure ſanguinis, nec aliter, niſi ſicut cuilibet de populo & minus, quoniam cum venit puer & pauper ad me, ego feci eum nutriri & inſtrui pro amore Dei, præcipuè cum tàm habilem juvenem in ſtudio & vita non inveni: & ad tantum promotus eſt, quòd magnificè & veriùs pluſquam alius, quicunque ſit* Pariſis, *poterit lucrari quæ neceſſaria ſunt ſibi, quamvis juvenis ſit xx. annorum aut viginti unius aut plus. Nam non remanſit unus* Pariſiis *qui tantum novit de Philoſophiæ radicibus, quamvis flores & fructus nondum produxerit propter ætatem juvenilem, & quoniam non eſt expertus in docendo, ſed habet unde omnes latinos tranſcendat, ſi vivat uſque ad ſenectutem, & procedat ſecundum fundamenta quæ habet*, &c. --- *Et quoniam non decet ut aliquis peccatis deditus veſtram frequentaret ſanctitatem, ideo volo nuntii idoneitatem*

[a] *Ibidem.* [b] *Hiſt.* Ioh. Roſſi *MS. p.* 91. [c] Balæus, *cent.* 4. *nu.* 55. [d] *Ibidem.* [e] *In opere minori cap.* 17. *& in op.* 3°. *ad* Clem. *PP.* IV. *cap.* 20. *MS. in bib. Coll.* Univerſ. [f] *In præambulo ad opus majus & minus. In prima etiam parte Op. majoris ad* Clem. IV. *cap.* 19. *& in opere* 3°. *cap.* 19.

in vita

mitivi invenientes mundum hâc occupatum ſicut Philoſophia, pro eodem artificio utramque reputabant, quoniam fidei fructum impediebant multis modis: nam ſicut magi Phaaronis Moyſi *reſiſtebant, & populum* Ægypti *mandato Dei inobedientem faciebant, ſic fuit in principio Eccleſiæ per Artis Magicæ violentiam, quæ tamen in eundem effectum ſi contra opus fidei cum Philoſophia concordabat, totum ejus vituperium in Philoſophiam quæ principalis fuit redundabat*, &c. Revera *Baconum* nonnulli dæmonis quodammodo neceſſarium crediderant; eumq; malorum ſpirituum miniſterio uſum, caput æneum effinxiſſe, eique loquendi facultatem indidiſſe; atque hæc omnia (ut Author [e] quidam ea ex parte lapſus refert) effecta dediſſe, dum in Aula *Ænei Naſi* ſtuderet. Utrum hæc ope magiæ naturalis fecerit, tantiſper deliberandum, donec de re geſtâ liquido magis conſtiterit. Certe *Joh. Erneſtus Burgravius* in libro [f] quodam ſuo de operibus hujuſmodi admirandis contexto, effici eadem contendit per corporum cœleſtium influentias, mediante συμπαθείᾳ. Iſtius inquit generis erant Statuæ Mercuriales, Caputque æneum ab *Alberto* magno, ſive, ut aliis placet, à *Rogero Bacono* fabricatum, & voces nonnullas proferre doctum. Porro nec alia erat Magia quam naturalis, cujus peritiſſimus fuiſſe fertur *Boetius*, & de cujus arcanis ſic ad illum ſcribit [g] *Caſſiodorus*, *-·- tuæ artis ingenio metalla mugiunt. Diomedes in ære gravius buccinatur, æneus anguis inſibilat, aves ſimulatæ ſunt; & quæ vocem propriam neſciunt habere, dulcedinem cantilenæ probantur emittere* [h], &c. Utcunque fuerit, ego ſane in eâ ſum ſententiâ, mirabilibus hiſce noſtri Herois inventis Diabolicam neutiquam opem interveniſſe; mechanices tamen & potentiæ elaſticæ perfectam cognitionem, quam optime callebat, eamq; earum rerum productricem fuiſſe, quæ non tantum populo, ſed & pluſquam mediocriter eruditis, ad ignem infernalem procuſæ viderentur. Quare Comes ille *Mirandulæ*, ſuique ſeculi gloria, *Johannes Picus*, inter alios complures, utramque Magicæ ſpeciem optime [i] diſtinguit; aliam eſſe perhibens, quæ vi & auxilio dæmonum operatur, alteram vero, quæ in conſummatiſſimâ cauſarum & effectuum naturalium cognitione omnino conſiſtit. Quarum ubi mentionem faciunt Græci, hanc μαγείαν, quaſi perfectam ſummamque ſapientiam; illam vero γοητείαν appellitant. De priori inſuper notandum, quod Magus teſtante *Porphyrio* in linguâ Perſicâ conſimilem habet ſignificationem illi, quam nobiſcum obtinet, quibus rerum divinarum interpretem & cultorem denotat. In eâ vero Magicâ (ait ille) verſatiſſimi erant inter veteres, *Homerus*, *Pythagoras*, *Empedocles*, *Democritus*, *Plato*, *Zamolxis*, &c. Quibus addere nobis liceat è modernis *Alchindum* Arabicum, *Rogerum Baconum*, & *Gulielmum* Epiſcopum *Pariſienſem*; inter quos duos poſtremo dictos magna interceſſit familiaritas, plurimaque ſcripta ultro citroque dabantur, de operationibus Naturæ & Artis, Magiæque ineptiis ac vanitate.

Verum ad *Baconum* ut revertar, hunc, inquam, edentem opera omnium pene illius ſeculi captum ſuperantia, diabolici fœderis plerique inſimulabant. Quod mirum non eſt, cum *Reuchlinus* & *Budæus*, alter propter Hebraicam, alter autem propter Græ-

ris min. & in op. 3° *cap.* 20. *MS. in bib. Coll.* Univerſ. [c] Pitſeus 'S. *cap.* 14. [e] Balæus *in* 1ª *Edit. ſcriptorum* Angliæ *impreſſ. in* is *p.* 52. 53. [g] *In operibus ſuis Edit.* Paris 1588. *lib.* 1. *fol.* 19. us *fecit volatilem, de muſca* Regiomontani *aurea; de* Ictini *noctua, la hominis admota manu, aliiſque automatis Majorum memoria cele-*

Dignitate Hominis.

cam quam accuratius callebat linguam, magnam ſibi apud indoctos ac inſulſos monachos invidiam conflaverint. Profecto tanta erat priorum ſeculorum inſcitia, ut mirari non ſit, ſi in tenebris unice viventes corporum naturalium operationes ſpectris & dæmoniis tribuerint; quæ omnia admoto demum rationis lumine protinus evaneſcunt. Nimirum Conventus tum omnes & hoſpitia tam craſſa premebat ignorantia, ut Monachi & pleriſque Fratrum linguas neminem doctas perdiſcere crederent, niſi ut cum dæmone tutius aut ſecretius colloqueretur; qui Circuli inſuper non alias norunt potentias, quam illam quâ malum genium excludere dicitur; quique Triangulorum apices ipſam religionem vulneraturos ſuſpicabantur. Quæ quidem ætatis ſuæ imperitia tam ſollicitum habuit *Baconum*, ut laborum ac inventorum ſuorum propemodum pœniteret; quæ tot utique ipſi tamq; infeſtos peperere hoſtes, ut libri ejus in ſui quoque Ordinis Bibliothecas ægre reciperentur. Immo tam infenſos ſibi habuit Monachos, ut cùm illum Magiæ arguentes operam luderent; tanquam de fide male ſentientem, immo loquentem ac ſcribentem, accuſarent. Quamvis nec deſunt qui [a] ſcribant, diabolicæ pravitatis à fratribus quibuſdam ſtolidis poſtulatum, inque carcerem fuiſſe conjectum; idque ab *Hieronymo* de *Eſculo* familiæ fratrum Minorum Miniſtro Generali. Quonam ibi tum pacto ſe purgarit nequeo dicere; certe conſtat illum apud *Clementem IV.* Pontif. Romanum, de Studiorum ſuorum adminiculis, Scriptis nempe libriſque ſibi ereptis, conqueſtum [b] fuiſſe. ---*Prælati enim & Fratres, me jejuniis macerantes tuto cuſtodiebant, nec aliquem ad me venire voluerunt, veriti ne ſcripta mea aliis quam ſummo Pontifici & ſibi ipſis divulgarentur.* Cæterum fidem illis minime habeo, qui referunt, Pontificem Romanum *Baconum* ad ſe accerſiviſſe, & inſtituto prius de criminibus quorum inſimulabatur examine, in cuſtodiam tradidiſſe; quod veri nequaquam ſimile eſt, cum idem Pontifex non modo illum in ſumma admiratione haberet, verum & ſtudia ejus impenſis juvaret, & adoleſcentem; quem Artes, edocuerat *Londinenſem* ad honores eveheret. Atqui *Baconum* à *Reymundo* Generali Ordinis Miniſtro in Carcerem denuo conjectum fuiſſe, è notatiunculâ quâdam, ad veteris cujuſdam [c] M. S. finem, teſtatum ſic habemus: *Explicit verbum abbreviatum operis* Reymundi Galfredi *Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum, quod quidem verbum habuit à Fratre* Rogero Bacon *qui fuit de Ordine Fratrum Prædicatorum* [d], *& ipſe* Rogerus *propter illud opus, ex præcepto dicti* Reymundi, *à Fratribus ejuſdem Ordinis fuit captus & incarceratus, ſed* Reymundus *exſolvit* Rogerum *à carcere, qui docuit iſtud opus, & ipſe* Rogerus *fuit diſcipulus Fratris* Alberti. Quod idem occurrit & ſub coronidem libri alterius [e] M. S. cui titulus, *Breve breviarium fratris* Rogeri Bacon *ex dono Dei.* Hic autem libellus ad prædictum *Reymundum Galfredum* conſcriptus dicitur (qui librum de *Leone viridi* condidiſſe fertur) eratque aliquando penes v. cl. Magiſtrum *Thomam Allen*, ex Aulâ *Gloceſtrenſi* (velut Catalogus quem habeo librorum ejus M SS. oſtendit) abinde vero in Bibliothecam *Bodleianam* receptus eſt, ex dono viri clariſſimi *Kenelmi Digby* Equitis aurati.

Ad *Baconum* redeo; quem, paucos poſt annos, criminum antedictorum poſtulatum, reumque (tanta erat temporum illorum & ignorantia & malitia) peractum, denique & in carcerem contruſum deprehendo; cumque cauſam ſuam ad Papam *Nicolaum IV.* deferret, tam non liberatum, ut Pontifex, qui doctrinam ejus in multis haud probabat, eundem in multorum annorum firmiſſimam cuſtodiam adjudicârit. Alii ſcribunt magnatum quorundam precibus libertati fuiſſe reſtitutum, licet alii mortem in vinculis oppetiiſſe tradiderint; ſive id ex animi ægritudine contigerit, ſive quod peſſime in cuſtodiâ tractatus fuerit. Atqui dubium non eſt plures menſes, immo neſcio an integrum annum cum dimidio, *Nicolao* ſuperfuiſſe; verum utcunque, diem obiit LXXIIX. plus minus ætatis anno, in feſto S. *Barnabæ*, & in templo Familiæ S. *Franciſci Oxon* [f] ſepultus eſt.

Libros compoſuit perplures, eoſq; variam tractantes materiam; velut in Theologia, Medicinâ, Perſpectivâ, Geometriâ, Philoſophiâ, cujus arcana non pauca propalabat. Quin & de Latino juxta atq; Græco & Hebræo Grammaticas edidit; & (alias ut ſileam Artes ac ſcientias) Chymiam inſuper, Coſmographiam, Muſicam, Aſtronomiam, Aſtrologiam, Metaphyſicam, Logicam deniq;, & moralem Philoſophiam, ſcriptis explicavit. Rurſus, præter tractatus, in quibus rei literariæ methodique ſtudendivitia aperuit, multa invenit & excogitavit, quæ fortaſſis etiamnum latuiſſent, ſi natus nunquam fuiſſet ſcientiarum vindex *Baconus.* Certe quidem omnes ejus libri tam ſolidam eruditionem, tot etiam tantamina Phyſica complectuntur, ut cum experimenta ubique crepent hodierni ſcioli, *Baconum Bacono* opponemus; & cum ſectæ *Greſhamenſis* patre, Univerſitatis noſtræ filius conferetur; cui id in laudem ſingularem ceſſurum eſt, tantum peperiſſe virum, etiam cum *Apollini* hauddum matura videretur. *Lelandus* quidem Magiam *Baconi* Naturalem [g] deprædicans, eumque ejus nomine *Cornelio Agrippæ* anteponendum cenſens, *Perſianum* illud uſurpat, & centum ſibi linguas totidemque ora depoſcit, myſteriis, quæ illâ Arte retexiſſe ait *Baconum*, digne celebrandis. Porro autem emendandi Calendarii ad *Clementem IV.* variis tractatibus rationem expoſuit anno CIↃCCLXVII. ad quem (ut paulo ante attigimus) volumina bene multa eodem tempore tranſmiſit; in quibus magni pretii excogitata, mathematica perinde ac Philoſophica congeſſit, Eccleſiæ, ut ſperabat, Catholicæ haud modice profutura. Enimvero ſi curas ejus ac induſtriam reſpicias, quâ Calendarium ad meliorem formam redigere adnixus eſt, fatebere non tantum *venerabilem Bedam, Rogerum Infantem, Robertum Groſteſtum, Angloſque* alios nil ea in re quicquam effeciſſe; verum & *Theophilum, Euſebium, Victorium, Cyrillum* (quibus utique ſui ſeculi Pontifices id penſi dedere) cum reliquis exteris fruſtra prorſus deſudaſſe: Cujus rationem ſi depoſcas, neſcio an hæc fuerit, quod apud Latinos, Græcos, Hebræos, Aſtronomiæ ſtudium, præ aliis Philoſophiæ partibus, jam parum increbuerat. Sed de his pauca accipe--- *Secundum quod expono circa Eccleſiaſtica* (inquit [h] *Baconus*) *& de corruptione Calendarii, quæ eſt intolerabilis omni ſapienti, & horribilis omni Aſtronomo, & deriſibilis ab omni computiſta: unde omnes inſtructi in Aſtronomia & in computo & in talibus, mirantur quod tam abominanda falſitas ſuſtinetur, ſed impoſſibile eſt quòd ſuſtineretur, niſi quia illi qui habent authoritatem ſuper hac correctione,*

[a] Bal. *cent.* 4. *nu.* 55. Pits. *æt.* 13. *ad an.* 1284. [b] *In opere minore ad* Clem. IV. [c] *In Bib. quondam Comitis* Dorſet. [d] *Minorum intelligit.* [e] *Inter Cod.* Digb. *in Bib.* Bod. *nu.* 119. *eſt autem Tractatus chemicus de compoſitione metallorum.* [f] Roſſus *ut ſupra p.* 92. & Tho Rodbourne *in chron. ſive Hiſtor. MS.* [g] *In Tom.* 4. *collect. p.* 198. [h] *In op. ſuo ad* Clem. IV. *MS. & alibi.*

ctione, non ſunt exercitati in Aſtronomia & computo, & in hujuſmodi. Nullus enim percipiens talem abominationem ſuſtineret eam: Et quilibet ſapiens Chriſtianus qui hæc tractat, oſtendit articulos iſtius corruptionis & docet remedia. Non tamen aliquis præſumit tradere calendarium correctum propter hoc, quod Concilium Generale prohibet, ne quis mutet Calendarium ſine licentia ſedis Apoſtolicæ ſpeciali: ſed iſta ſedes beatiſſima deberet hoc monſtrum tollere de Eccleſia. Julius *quidem* Cæſar *conſtituit Calendarium quod habemus, nec unquam fuit poſtea correctum, & in tempore ſuo non habuit falſitatem, quæ nunc regnat, propter mutationes quæ acciderunt à tempore ejus: atque Eccleſia in principio multum conata eſt corrigere Calendarium, & multi Papæ de hoc ordinaverunt, & non fuit ſatisfactum, eò quod in aliis occupata, & oppreſſa diù per Tyrannos, deinde per Hæreticos (circiter per quingentos annos) & ideo invaluit conſuetudo longa, & pertracta eſt ad nos. Cæterum non fuerunt in primitiva Eccleſia Aſtronomi perfecti, qui requiruntur ad hoc ſublime negotium. Nam multi ſummi Pontifices rogaverunt viros quos æſtimabant aliqua laudabiliter ſcire de Aſtronomia, ut apponerent remedium, & tentaverunt multi, ut* Theophilus, Euſebius, & Victorinus, Cyrillus, Beda *& multi. Sed non fuit Aſtronomia in uſu latinorum, niſi parum: nec in uſu Eccleſiæ apud Græcos & Hebræos: Sicut nec aliæ partes Philoſophiæ propter multas cauſas, quarum aliquos ſcripſi ſuperius. Sed in* opere majore *plenius, ſcil. in prima parte illas expoſui. Sed modo ſunt Aſtronomi ſufficientes ad hæc: & quatenus videretis radices principales errorum iſtorum cum remediis, ſcripſi ſatis in opere majori.*

Atqui authoritate adeo pollere viſa ſunt quæ de illo argumento ſcripſit *Baconus*, ut cum de eodem diſſereret *Paulus Middleburgenſis*, libri, cui titulum fecit *Paulina*, de *rectâ Paſchæ celebratione & de die Paſſionis Jeſu Chriſti*, partem dimidiam ab eodem fuerit ſuffuratus; qui plagium ſuum occultare ſtudens, *Baconum* non tantum non laudat, verum ſententiam ejus improbat aperte, ac errorum coarguit. Quanquam *Joban. Stadius*, Scientia Hiſtoricâ ac Aſtronomicâ penitiſſime imbutus, & *Gerardus Mercator* (utriq; ſive arte, ſive imitatione docti) paſſionem Domini, alter tertio *Aprilis* (cum *Bacono* ſentiens) alter ſecundo menſis ejuſdem diei, aſſignarunt.

Verum *Paulus* ille *Middleburgenſis*, quem dixi, quique Epiſcopus *Sempronienſis* extitit, de neceſſariâ Calendarii emendatione ſcripturus, non otioſam in eo aut perfunctariam ponebat operam. Siquidem & Mathematicos optimos pervolvit, & fidiſſima ipſius cœli volumina curioſe conſuluit; & multorum induſtriam ad idem aggrediendum excitavit; quorum de numero erat *Nic. Copernicus*, velut ipſe in [a] procœmio operis cujuſdam ad P. *Paulum III.* conſcripto palam fatetur, his verbis. ---*Mathemata Mathematicis ſcribuntur, quibus & hi noſtri labores (ſi me non fallit opinio) videbuntur etiam Reip. Eccleſiaſticæ conducere aliquid; cujus principatum tua ſanctitas nunc tenet: nam non ita multo ante ſub* Leone X. *cum in Concilio* Lateranenſi *vertebatur quæſtio de emendando Calendario Eccleſiaſtico, quæ tum indeciſa hanc ſolummodo ob cauſam manſit, quod annorum & menſium magnitudines, atque ſolis & Lunæ motus, nondum ſatis dimenſi habentur, ex quo quidem tempore; his accuratius obſervandis animum intendi, admonitus à præclariſſimo Viro Domino* Paulo *Epiſcopo* Sempronienſi, *qui tum iſti negotio præerat.* Hinc autem dilucide arbitror liquere, quod quicquid ab anno CIↃCCLXVII. ad *Middleburgenſis* uſque illius ætatem in emendando Calendario effectum fuerit, *Bacono* prorſus aſcribendum ſit; qui tum vivâ voce pueri ſui *Johannis*, tum ſcriptis haud paucis Calendarii *Juliani* errores patefecit; è cujus deinde libris inſtructus argumentis *Middleburgenſis Leonem X.* ad caſtigandam Ephemeridem ſollicitabat. In eâ vero reformandâ Præſidis ipſe munus obibat; quamvis id irrito tum conatu tentatum eſt, quod *Baconi* (cujus in ſententiam omnino venit *Copernicus*) Concilium nequaquam ſequerentur emendatores illi; licet hanc interim cauſam prætexerint, *quod annorum & menſium magnitudines atque ſolis & lunæ motus nondum ſatis dimenſi haberentur*, &c. Obſervatu ergo dignum eſt, primo *Baconum* ad caſtigandum Calendarium *Clementem IV.* Pontificem cohortatum fuiſſe; deinde hinc animos ſumpſiſſe *Middleburgenſem*, & id operis ſuſcepiſſe; Inſuper, *Nicolaum Copernicum*, ab eodem *Middleburgenſi* motum, & ad veritatem aſtronomice deprehendendam accinctum, ea obſervaſſe, quæ Romaniſtarum, in hac ipsâ materiâ, à Concilio *Tridentino* ad annum uſque IX. *Gregorii XIII.* Dom utiq; CIↃDLXXXI. deſudantium, conatibus fundamentum ſuppeditarunt.

Atqui his miſſis, de *Bacono*, vel potius ſcriptis ejus pauca ſubjiciam.

I. Imprimis vero ſuſpicari auſim, librorum quos pertexuit omnium ne titulos quidem ſupereſſe, eorum quoque qui ſuperſunt exemplaria non ſinè ſumma difficultate eſſe conquirenda. Ea enim quæ manuſcripta latent, poſſeſſorum aut invidiâ, aut ignorantia ſupprimuntur.

II. Inſuper, quæ in Scholarium paſſim teruntur manibus *Baconi* opera, multis in locis deficiunt, aut etiam redundant; quod & de illis ipſis dicendum quæ perfecta exiſtimantur: neſcio autem an Monachorum incuriæ tribuendum ſit, an de induſtriâ factum crediderim. Certe in libro *de Utilitate Scientiarum*, ut alia mittam, occurrit quæſtio, *Utrum Intellectus agens ſit pars animæ*; in quâ diſcutienda aſſerit Author, conſentaneam eſſe affirmativam ſententiam doctrinæ *Ariſtotelicæ*, inſuper ſuis temporibus à *Rob: Groſteſto*, & *Adamo* de *Mariſco* comprobatam fuiſſe; audiviſſe tamen ſe *Guliel. Alvernenſem*, Epiſcopum *Pariſienſem*, cum auditores in contrariam ſententiam pertrahere niteretur. Quæ quidem habentur in exemplari ejuſdem [b] operis in Bibliotheca D. *Joh. Cotton* Baronetti: in ejuſdem tamen operis apographo, quod ad Magiſtrum *Thom. Allen* aliquando [c] ſpectabat, eorum quæ jam attuli ne tantillum reperitur. An vero addam eundem librum in Bibliothecâ illâ *Cottonianâ de Utilitate ſcientiarum* inſcribi, cæterum alibi [d] *Opus majus* nuncupari, hoc initio, *Sapientiæ perfecta conſideratio* &c. Quinimo immenſum diſcrepant & exemplaria eodem titulo inſcripta; quod ſpeciatim de *Opere* illo *Majori* perhibendum; deque illo quod nomen ſibi à *rerum generationibus* aſcivit, & cujus bina videre apographa contigit, multum inter ſe diſſidentia; cum in exemplari *Cottoniano*, ſub finem *Communium Naturalium* perſpicue magis tractantur argumenta, quam in utriſque illis quæ inter codices *Digbianos* ſignantur A. 19. & nu. 70.

[a] *Ante librum intit. De revolutionibus Orbium Cœleſtium.* [b] *Cap. 21.* [c] *Nunc eſt inter Cod.* Digb. [d] *Ibid. int. Cod.* Digb. *A.* 15.

III. Librorum quorum ille vulgo pro authore habetur nonnullos aliqui aliis attribuunt Scriptoribus. Is vero nominatim, cui titulus *de fluxu & refluxu maris Britannici*, *Gualtero Burleio* [a] assignatur, uti & ille, qui *de utilitate Astronomiæ* compositus est, *Gulielmo* [b] *Botonero*; in quo, ut id obiter adnotem, tractatus cujusdam alterius mentio fit, *Testimonia gentilium conferentia Christianæ religioni* complectentis. Postremo, *Rogerina* [c] *Major & Minor* alii cuidam adjudicantur, quamvis de Authoris nomine neuti-quam constet.

IV. Porro autem, nec eorum omnium censendus est Author quæ ipsi addicuntur; è quibus erunt, *Tractatus super Psalterium*. Princ. *Beatus vir*; atq; *Vita S. Edmundi Archiep. Cantuariensis*; licet enim utrumque *Rogero* ascripserit [d] *Lelandus*, tamen ad *Robertum Baconum* revera spectant. Duos præterea libros addam; primum, *Tractatus* [e] *de Magnete* nuncupatum, quem ejusdem aliquando possessor Mag. *Tho. Allen Bacono* nostro assignat, plerique autem omnes *Petro Peregrino* ascripsere. Secundum vero, *Syncategoremata* [f] *Fratris Roberti Bacon*, dictum (cui initium, *Pariu m orationis quædam sunt declinabiles* &c.) quem etiam *Allenus Rogero* adjudicandum arbitratur.

CIↃCCXCIII.

Bacono functus, venio ad *Elæ* Comitissæ *Warwicensis* Beneficentiam, proximo in loco, nec immerito quidem, commemorandam. Illa siquidem Universitati centum & viginti marcas donavit, unde nimirum tenuioris fortunæ Scholaribus subveniri possit, qui easdem, pignus vel fidejussorem adducentes, certas quilibet partiunculas, mutuo acciperent. Hanc autem largitionem non alia fecit conditione Comitissa, quam si Universitatis suffragia tum in vivis agens tum inter mortuos recepta consequeretur; quâ & conditione acceptâ & pecuniâ, eidem reponendæ, cistam quandam Academiæ gubernatores parabant; cui *Warwicensis* dein apud posteros cognomen fuit. Sub idem vero tempus de pecuniâ illa & donatrice Comitissâ variis statutis provisum g reperio; quorum nonnulla e libro Vicecancellarii in hunc locum transcribere libet.--- *Cumque annis singulis soleat sacerdos cum Serviente publico singulas Scholas circuens recitare nomina quorundam Benefactorum Universitatis, & Orationum suffragia à Scholarium multitudine postulare, volumus & concedimus ut ipsius nomen* (Scil. Dominæ *Elæ* de *Longespee* Comitissæ *Warwicensis*) *post nominationem bonæ memoriæ Domini* Henrici *quondam Regis* Angliæ, *cujus extitit consanguinea, cum nominibus Benefactorum Universitatis spectaliter recitatis juxta morem etiam ab universis Scholaribus pro ea oretur, quodq; summa dierum indulgentia pro ea concessa* (*dum tamen Diocæsani non refragetur authoritas*) *cum memoratorum Benefactorum nominatione per Scholas singulas recitetur*, &c. *dat.* Oxon *pridie Idus Maii an. Dom. CIↃCCXCIII.*

Quin & perplures instituebantur de nummis illis accipiendis & reddendis leges; quæ in hoc festinati operis transcursu necesse habeo prætermittere. Sed nec dicam quibus adstringebantur juramentis bini illi Magistri, qui mense *Aprilis* in pecuniæ custodes quotannis decernebantur. Adducam tamen quæ de ipsâ Comitissâ in Bedellorum [h] libro habentur; *In die S. Clementis*, (litera E) *missa pro Domina* Ela de Langespee *Comitissa de* Warwyke, *& pro omnibus Sanctis cum Diacono & sub-Diacono cum sequentia & symbolo solemniter adoretur, quæ Domina* LXXX. *libras in cistam* Warwici *contulit.*

CIↃCCXCIV.

Proximo anno occurrit beneficentia *Reginaldi* de la *Lee*, sive *Leygh*, in hac dudum Universitate Bedelli; qui nunc mortem obiens, Scholaribus cum egestate conflictantibus tenementum quoddam in vico *Schediasticorum*, vulgo **Schydyardstreet** vocato positum, atque prius **Ridehall**, à Benefactore autem isto **Bedellhall**, appellatum, supremo testamento legavit. Annuum vero illius pretium ad LX. solidos habebatur; præter pensionem feudalem, sive servitium, inde quotannis pensitatum. Quare ut largitio illa prædictis Scholaribus firmissime in manu mortuâ (ut cum Leguleis loquar) adhæreret, visum est Regiæ Majestati, secundum statutum VII. Regni sui anno conditum, licentiam [i] concedere, præfatum tenementum ad usus religiosos convertendi; quod factum est XXIX, *Junii*, anno autem Regni XXV. misso prius ad Vicecomitem [k] Rescripto sive Brevi suo, quo mandavit, ut per viros quosdam probos & prudentes inquisitio fieret, utrum id vel sibi vel subditorum cuipiam damno esset futurum; ex cujus responso, sive [l] Returna, pauca subjungam, quæ Aulæ ejus, & proinde ipsius Universitatis priscis juribus optime patrocinantur.--- *Qui jurati dicunt super sacramentum suum, quod est ad damnum & præjudicium D. Regis & ad deteriorationem prædictæ villæ suæ* Oxon *in auxiliis*, &c. *Tamen messuagium istud nunquam onerabatur de hujusmodi retroactis temporibus, pro eo quod Clerici messuagium illud semper hucusque inhabitarunt & adhuc inhabitant*, &c. Clarum vero ex his fit, Messuagium illud ab aliquot jam seculis (quid enim aliud voce *semper* denotari potest) incoluisse Scholares; neque de Juratorum (Burgenses virique primarii cum fuerint) fide dubitandum. Qui quamvis testarentur id Regiæ Majestati in damnum cessurum, non tamen hæsit *Edoardus I.* tenementum Scholaribus jam ante dictis firmum præstare; quod cùm *Johanni* filio *Gualteri* de *Grendon* duos per annum denarios nomine servitii penderet, eodem post paulo liberatum fuerat, numeratâ per Cancellarium & Scholares XL. sol. summâ. Posthæc autem ordinatum est, quod quotannis in nono die *Maii* Oratiuncula, quam *Dirige* vocant, solenniter diceretur; præter Missam die crastino pro ejusdam *Reginaldi* animâ celebrandam; veluti in libro illo Bedellorum habetur: *Nono die Maii* (litera C) *Dirige pro anima* Reginaldi Bedelli *cum missa in crastino, in qua missa servetur eadem forma de oblationibus & aliis, & hoc de pecunia antiquæ cistæ Universitatis quæ in missa* Willielmi *de* Gray *est observanda de pecuniis Universitatis.*

Eodem quasi tempore integrata est inter Universitatem & Episcopum *Lincolnienſem* concertatio; de electione nimirum *Rogeri* de *Wesenham*, & ad Cancellariatum admissione; quam in Registro, vel [m] Memorandis *Oliveri Sutton* Episcopi *Lincoln.* fuse tra-

[a] *Vide in* Balæo *cent.* 5. *nu.* 42. [b] *Vide ibid. cent.* 8. *nu.* 27. *ubi liber ejus intit.* De Astrologiæ valore *habet idem init. cum illo* Baconi De utilitate Astronomiæ. [c] *MS. in bib.* Bod. *int. cod. Med. nu.* 27. [d] *In Tom.* 4. *p.* 198. [e] *MS int. cod.* Digb. *nu.* 193. [f] *Ibid. nu.* 204. [g] *In A. fol.* 67. 68. *B.* 93. *a.* &c. [h] *MS. in Turri Scholarum.* [i] *Pat.* 25. Ed. I. *m.* 2. [k] *In fascic. Brevium* 22. Ed. I. [l] *Ibid. & in* Haro *de memorab. fol.* 21. *b.* [m] *fol.* 117.

ditam

ditam, haud abs re fuerit abinde describere. Illum itaq; statim ab electione sua, post cessionem Magistri *Rogeri* de *Martivall*, totius cætus *Oxoniensium* Magistrorum nomine, per Magistrum *Petrum* de *Medbourne* Juris Canonici professorem III°. Idus *Febr.* an. Dom. CIↃCCXCIV. Episcopo prædicto apud **Nettleham** constat fuisse præsentatum: quo tempore *dictum fuit eidem Procuratori* (loquor jam ex ipso *Lincolniensis* Ecclesiæ Registro) *quod Cancellarii pro tempore existentes non fuerunt electi sed tantummodò nominati: & Episcopus adjecit, quod Beatus* Robertus *quondam* Lincolniensis *Episcopus, qui hoc officium gessit, dum in Universitate prædicta regebat, in principio creationis suæ in Episcopum, dixit proximum prædecessorem suum Episcopum* Lincolniensem, *non permisisse quod idem* Robertus *vocaretur Cancellarius, sed Magister Scholarium vel Scholarum*, & quæ sequuntur ibidem. Quod, utcunq; verum esse poterit, ob illam quâ prædictus erat *Lincolniensis* ille Episcopus in *Oxonienses* Academicos pervicaciam, (unde etiam accepimus Magistrum *Alardum*, ut in Catalogo Cancellariorum &c. sub an. CIↃCCXI. aliquando Magistrum Scholarum fuisse dictum, & ante illum forte alios, metu scilicet Diocesani; Cancellarii Scholarium nomen ægre admodum ferentis) certissimum tamen est, etiam illis penè temporibus, quemlibet privatum Tutorem eo nomine fuisse dictum. Porro mandatum est publico Regis *Henrici* III. *Oxoniæ* tunc commorantis edicto III. *Maii* an. Regni sui XV. hoc est Dom. CIↃCCXXXI. (ut habetur in privilegiis Universitatis nostræ per *Robertum Harum* collectis) ut Vicecomes *Oxon* proclamari faciat contra Scholares fictitios; & quod nullus Clericus moretur in villa, qui infra XV. dies à primo *Oxoniæ* adventu, non sit sub tuitione alicujus Magistri Scholarum: an æquum vero quis dixerit, publicum totius Universitatis Magistrum, eo tantum insigniri titulo, quo quilibet ex Academicorum vulgo cohonestabatur? Age vero. His enim non obstantibus, nec *Semplinghamo* sigillum, nec huic *Wesenhamo* suum extorquere titulum, penes *Lincolniensem* fuit.

CIↃCCXCV.

Magna erat hoc temporum tractu Academicorum frequentia, quibus propterea in officio continendis summa Magistratuum cura, nec minores impensæ requirebantur; maxime cum eo jam insolentiæ perventum esset, ut eorum audacia non nisi vi & armis reprimeretur. Quippe licet haud paucorum delicta, tum suspendendo, tum à sacris interdicendo vindicaret; reliquorum tamen contumaciam adeo non retudit Cancellarius, ut Universitate potius excedere, quam eidem obtemperere præoptarint; datis idcirco ad Episcopos literis, illorum opem in coercendis Scholaribus imploravit Cancellarius, cui rescribunt Episcopi, quod siquis beneficio potitus disciplinæ Academicæ rebellis deprehenderetur, denunciato ejusdem nomine, vel pœnam ab Universitate irrogatam lueret, vel proficuis omnibus in certum annorum terminum privaretur. Sin delinquenti nullum adhuc obtigerit, ab omni in posterum beneficio detinendus esset. Harum ego Epistolarum binas perlegi, quarum [a] altera ab Archiepiscopo *Eboracensi*, à *Wintoniensi* autem Episcopo [b] altera, hoc ipso anno ad Cancellarium dabatur.

CIↃCCXCVI.

Sciendum est quod circa annum CIↃCXXX. *Alexander* Episcopus *Lincolniensis* [c] concessit, ut tempore *Pentecostes* Processus aliaque solennia ad templum *Einshamense*, prope *Oxoniam*, per comitatus nostri incolas celebrarentur; idque obsequii acceptum haberentr, tanquam ad matricem Ecclesiam *Lincolniensem* præstitum fuisset. Hoc ergo anno in die *Martis* festi quod prædiximus, Scholares haud pauci eodem se laxandi animi gratiâ contulere; quos adorti viri quidam & vita & moribus agrestes, trucidatis, nonnullis, aliisque vulneratis, reliquos tam aspere tractarunt, ut impulerint *Oxonium* trepidantes revolare. Re itaque Episcopo nunciata, & penitus inde exploratâ, flagitiosæ seditionis authores juxta & adjutores anathemate [d], in omnibus Decanatus *Woodstochiensis* & Archidiaconatus *Oxoniensis* Ecclesiis, dum celebraretur Missa, immo in præcipuis etiam Cleri Conventibus, denunciatione solenni alligantur. Præterea vero sententiam illam Campanarum sonitus, cum candelis accensis & exstinctis significabant, quæ tum ad festum usque S. *Bartholomæi* vigere debebat, tum adeo erat acerba, ut præfatos & Ecclesiæ cancellis excluserit, & societatem fidelium, beneficiumque confessionis eisdem ademerit. Quem finem ea res habuit, aut quas insuper pœnas expendebant antedicti, proditum non invenio; atqui injuriam illam tam indigne ferebant Academici, ut intermissis Lecturis, easdem haud ante resumerent, quam ultimas dedissent pœnas delinquentes.

Haud longo post resumptas Lectiones tempore, instantibus Academicis, à *Bonifacio VIII.* efflagitabat [e] *Oliverus Suttonus* Episc. *Lincolniensis*, ut Doctores & Magistri *Oxonienses*, in quacunque Universitate, absque ulteriori examine, & lectiones solennes habere, & ad regendum accedere permitterentur. Cujus petitionis partem aliquam, quod Academiæ nostræ & decus & antiquitatem dilucidare videatur, subjungere statutum est. --- *Inter studia varia* (*Suttonum* audis) *quæ in plerisque mundi partibus floruisse noscuntur, Universitas* Oxon, Lincoln. *Dioces. à multis creditur antiquius fuisse nunc inter Latinos extantium Studiorum, ibi quoque Cleri Anglicani scaturire cernitur fontalis origo; unde ad honorem Dei & Ecclesiæ, cui præest vestra sanctitas Domino disponente, irrigatione Catholica fructus proveniunt uberes & salubres. Cum igitur Doctores & Magistri Universitatis ejusdem apud vestræ sacro-sanctæ sedis apicem instare decreverint, humiliter exorando, ut docendi regendique libera facultas, ad quam, soliti rigoris examine discussi, in dicta Universitate assumpti fuerint, ad loca quæcunque ubi vigent hujusmodi studia, vestra authoritate Apostolica (si placeat) beneignius extendatur: in humilitate spiritus, ea qua possum affectione, vestræ supplico sanctitati, quatenus dictorum Magistrorum exorationi, ob divini & Ecclesiastici Regis & Regni* Angliæ *honoris augmentum, vestræ gratiæ paternitatis exaudire dignetur*, &c. Certe autem hinc abunde fit manifestum, Scholares nostros ante plura jam secula docendi & regendi potestatem à sede Romanâ (quæ omnia hic & alibi per *Europam* potuit) accepisse. Neque dubito quin *Bonifacius* Diœcesani jam postulatis annuerit, qui in Universitatem hanc animo tam erat propenso, ut

[a] *In Reg.* Winchelsey *fol.* 171. [b] *In Turri Scholarum in pix.* II. *nu.* 4. [c] *Ex majori Regest.* Einsham *in Ærario Æd.* Christi *fol.* 13. *chart.* 8. *Hinc ni fallor Bacchanalia illa, quæ etiamnum annuatim* Einshamiæ *tempore Pentecostes tenentur, originem traxerunt.* [d] *Reg.* Sutton *fol.* 158. [e] *Ibid. fol.* 140. *b.*

antehæc plura nobis privilegia indulſerit. Verum ſuper his vide Hiſtoriam ad ann. CIↃCCCXVII.

CIↃCCXCVII.

Hoc anno (ait [a] *Walſinghamus*) *ſuborta eſt diſcordia grandis* Oxoniæ *inter Clericos & Laicos, propter duos Garciones diverſarum Patriarum, qui pro levi cauſa ad pugnandum ſunt accenſi. Nam dum quidam ratione patriæ unum juvare laborarent, quidam alium nituntur manutenere & favere, tranſlata eſt pugna ad Fautores partium diverſarum. In tantumque crevit ſeditio, ut tam Clerici quam Laici, evacuatis domibus, ad pugnam occurrerent glomeratim. Dum autem Clerici de ſuis hoſpitis egreſſi fuiſſent, cognoſcentes Veſpertiliones Laici, nullos aut ſaltem paucos remanſiſſe domi, apud hoſpitia Clericorum, intrant habitacula, & bona diverſimoda aſportant, damnum Clericis irrecurabile ingerentes. In hac pugna peremptus eſt Dominus* Fulco *de* Neyrmeth *Rector Eccleſiæ de* **Pycheleſtorn**, *& plures alii de utraque ſecta. Audita hujus facti querela, dominus Rex juſſit juſtitiariis villam adire, pacem reformare, & homicidas judicialiter condemnare; qui venientes* Oxonias, *Burgenſes compulerunt ſolvere pro damnis factis Clericis, ducentas marcas.* Hæc è *Walſinghamo* deſumpſi, quorum partem aliquam [b] nonnulli, licet à vero in eo alieniſſimi, *Cantabrigiæ* ferunt accidiſſe, anno CIↃCCLX. quæ tamen cum ſtrictius ab authore citato tradantur, quam ut perfecta rei notitia exinde habeatur, en tibi fuſiorem diſſidii & certaminis hiſtoriam, è variis ſcriptis collectam.

In die *Veneris*, vigeſimo autem ſecundo *Februarii*, [c] prorupit, ratione quam retulit *Walſinghamus*, inter Scholares & Oppidanos teterrima ſeditio; ad quam paratiores propterea fuere poſtremo dicti, quod ægre ferrent ſubditos ſe quodammodo eſſe, & ad aſſerendas Univerſitatis immunitates aſtringi. Primo autem, Cancellarius inchoatæ litis accenſores quoſdam Laicos, & ſpeciatim unum, cui *Thomas Wippely* nomen erat, comprehendit, inque vincula duci jubet; à ſociis tamen è carcere ſtatim protractos, & à Ballivis non expectato Cancellarii arbitrio, libertate donatos. Die ſequenti renovatum eſt certamen, quod tamen interpoſitâ Magiſtratuum aliquorum authoritate, & Laicis quibuſdam per Cancellarium incarceratis, diſcuſſum videbatur; quamvis nox diſſenſione ac tumultu haud carebat. Die dominico, appetente jam nocte, Balivi cum Civium manu haud parvâ, in Clericorum Hoſpitia perrumpentes, Scholares in publicum raptarunt, aliiſque vulneribus affectis, indignis reliquos modis tractarunt; bonorum interim maximâ parte vel direptâ vel corruptâ; è quibus libros lacerabant & ſub pedibus proterebant, reliquam omnem ſuppellectilem aut deportantes, aut foras projicientes. Cæterum neque his contenti injuriis, contra indubiam Academiæ prærogativam, abductis ipſis Scholaribus, eorum haud paucos in Carcerem compingebant; & mox Portam Borealem egreſſi, Clericos quoque illos è diverſoriis ſuis protrahebant Ballivi, eoſque in tertium uſque diem, depoſcente etiam Cancellario ut inde eximerentur, in carcere aſſervabant. Cum itaq; apertum jam eſſet, hæc omnia ad cædem Academicorum ſpectare; quos dubium non erat leviſſimâ quavis de causâ delendos omnino fore, mature illi ſaluti ſuæ proſpiciendum arbitrantur. Quapropter die lunæ, in quem incidit Feſtum S. *Matthiæ*, cùm conglobati undique ſibi invicem auxilio eſſe ſtatuerent, id animadvertens Laicus quidam pulſari Campanam Buccinaſque ſonare fecit. Convolabant illico magnâ copiâ Oppidani; Academicis autem numeroſe impares perſpicientes, retro ſponte cedebant, expectaturi quoaduſque auxiliatrix Ruſticorum, quorum jam opem per nuncios implorabant, manus adeſſet. Interea temporis, circa nonam matutinam, Mag. *Fulco* de *Neyrmyt*, Mag. *Gul.* de *Neyrmyt*, & multi alii, inter Eccleſiam *Omnium Sanctorum* & Beatæ *Virginis*, cum præpotenti Scholarium vi comparebant; & partim arcubus, gladiis & clypeis, partim fundis & lapidibus armati, quoſcunque in Officinis vel Hoſpitiis ſuis reperiebant Oppidanos cædebant ac vulnerabant; præterquam quibus conſultius videbatur fugam protinus capeſſere. Poſthæc expugnatis Officinarum & domiciliorum foribus (nemo enim à coorta ſeditione eaſdem aperuerat) Cives bonis pene omnibus ſpoliabant. Deinde Mr *Fulco* de *Neyrmyt*, exhauſtâ jam pharetrâ, ad domum *Edoardi* de *Erkelawe*, (& *Buſiliæ* uxoris ejus) (qui nimirum perniciosam contra Scholares operam impendiſſet) Templo Divæ *Mariæ* vicinam, ducebat, raptiſque quæcunque ſe offerebant, fugientem *Erkelavium* & Cameram ſuperiorem, quam Solarium vocant, propugnaturum, inſequitur. Ibi vero ille ducto arcu *Neyrmytium* noſtrum in oculum ſiniſtrum tam lethali [d] percuſſit ſagittâ, ut in terram repente collapſus, & ad Aulam ſuam in Parochia S. *Mildridæ* à ſuis delatus, poſt horam unam & alteram, animam efflarit. Subito itaque terrore perculſi, qui ducem ſuum morti adeo vicinum deportari viderent, fugam fecere; quod cum Civibus innoteſceret, pavidos animique fractos adoriuntur, trium, ut ſperabant, dierum injurias ulturi. Dum res in hunc locum adduceretur, quo nihil ad illius diei calamitatem deeſſet, adventantes qui accerſiti fuerant à Civibus Ruſtici, eam in Academicos impreſſionem fecere, ut *Oxonii* antehac nunquam tanto ſanguine, & tantis utrinque malis decertatum fuerit. Quid plura, ab Oppidanis erat & victoria, &, ipſam ſuperans barbariem, efferata rabies, qui occiſis Scholarium haud paucis, ſauciatis vero quamplurimis, reliquos tum calcibus & pugnis, tum fuſtibus & baculis miſerandum in modum cædebant. Immo nec in tuto erant qui in Eccleſias confugientes altaria prehenſarant; hos enim vi inde abreptos, in carcerem pariter atque quos ante cepiſſent abduxere; & ſiquem inter eundum cunctantem, vulneribus puta debilitatum, deprehenderent, illum, ut gradum acceleraret, ſtimulis & flagellis urgebant. Neq; ſane jam omnia retuli quæ ſceleratiſſime patrarunt victores Oppidani; verum cùm hæc forte inviti audient, nè antiqua refricem vulnera, plura referre ſuperſedebo.

Ad Scholares ergo conflictibus hiſce ſuperſtites venio, qui *Oxonio* ſe quam celerrime proripientes, querelas ad virum quemlibet Magiſtratu fungentem; aut authoritate pollentem, deferebant. Die autem proximo quam adeo barbare tumultuatum eſt, res omnis, cum jactura quam fecerant Clerici (ea vero CIↃ. librarum æſtimata eſt) Regi ſignificatur; qui confeſtim *Gulielmum* de *Bereford* & *Henricum* de *Thyſtelden* componendæ pacis arbitros [e] deſignavit; quamvis illi *Oxoniam* adventantes, re infectâ

[a] *In* Chron. *ſuo edit.* 1603. *p.* 69. [b] *Florilegus ad an.* 1260. *juxta edit.* Math. Cant.. *vide* Twynum *in Apol lib.* 3. *ſect.* 84. 85. *&* 95. 96. [c] *In Faſcic. membranorum continent. Orig. & progreſſum hujus conflictus, in Turri Scholarum in pix.* Y. *nu.* 12. [d] *Inter quædam placita coronæ in ſcriniis* Civit. Oxon. [e] *Pat.* 26. Ed. I. *m.* 27. *& in Turri Scholarum in pix.* M M. *nu.* 1.

redire

redire cogerentur. Deinceps autem XXVI. *Aprilis*, *Joh.* de *Mattingham*, *Joh.* de *Cobham*, *Eliæ* de *Wichingham*, & *Gul. Howardo* litem omnem extricandam [a] commisit; & eorum quidem conatus paulo felicioremsortitus est eventum; illi enim Scholares & Oppidanos monitis & consilio inducunt, ut in hæc capita pax inter utrosque [b] convenerit. *viz. quod prædicti Burgenses concedunt, quod omnes libertates Universitatis hactenus usitatas in omnibus & singulis articulis plenarie observabunt, & per Ballivos* Oxon *à Prisonâ deliberatos dicti Cancellarii prisonæ restituent. Concesserunt & dicti Burgenses, quod* Thomas *le* Mareschal, Johannes *de* Weston, Robertus *de* Welles, Joh, *de* Oseneye *Pistor*, Willielmus *de* Coleburne *&* Rogerus *de* Kyngton *in omnibus tractatibus suis Universitatem* Oxon *tangentibus omnino amoveantur. Et quod* Joh. *de* Colleshull *&* Tho. *de* Hengesly *à Balliva sua deleantur, & amodo in prædicta Villa in nulla Balliva reponantur, sine speciali Præcepto Domini Regis, vel assensu & voluntate prædictorum Cancellarii & Universitatis, & quod* Nicolaus *le* Tavourner, Joh. Punchard, Nich. Fuattard, Joh. *de* London, Walterus *serviens* Philippi *&* Roberti Wormenhale, Petrus *le* Wode, Adam. Bernard, Nich. *le* Wode, Joh. Waiteschaye, Thom. *le* Seler *juxta aulam* Maugeri, Joh. Buffard, Will. *de* Bristoll *&* Joh. *de* Godeschalke *per aliquos prædictæ Villæ* Oxon *nullo modo receptentur vel manuteneantur. Concesserunt etiam tam prædicti major & Burgenses, quam Cancellarius & Scholares, quod nulla Singularis persona alterutrius Communitatis actionem aliquam prosequatur versus aliquem per modum Feloniæ pro aliqua transgressione ante diem confectionis præsentium facta. Et si aliquis hoc factum præsumpserit, per Communitatem cujus est, nec per aliquem de alterutra communitate, consilio vel auxilio nullatenus adjuvetur. In cujus rei testimonium*, &c.

Atqui vero neque sic tandem evasere Cives *Oxonienses*; nam postquam rem totam rescivit, adeo repente excanduit, Scholarium calamitatem miseratus, Episcopus *Lincolnienses*, ut graviſſimam in Oppidanos [c] sententiam, sub hac quasi formâ tulerit. Statuit nimirum, quod cùm Clericos quosdam innocentes, & nullius flagitii compertos, aliis juxta diebus, ac in festo nominatim S. *Matthiæ*, adorti; & occisis eorum nonnullis, pluribus autem vulneratis, reliquos crudelem in modum tractantes, Academicos omnes è florentissimâ Universitate aufugere compulerint; denique cùm & in ipsis Ecclesiis consimilia patrando, loca sacra polluerint: propterea omnibus & singulis eorum flagitiorum tum Authoribus tum Adjutoribus, die omni dominico præter unum illum *Paschatis* XV. cal. *Apr.* (quo nempe data est sententia ea,) & die Ascensionis interjacenti, palam in omni Archidiaconatus *Oxonienses* Ecclesiâ sacris esset interdictum, cum sonitu, prout moris tum erat, campanarum, candelis accensis & extinctis, &c. An alias insuper pœnas vel à Rege vel Episcopo irrogatas luerint, incompertum est. Constat vero eorum aliquos coram Justitiariis itinerantibus, in sessionibus proximis conventos fuisse; & Municipium præterea *Oxoniense* v. quotannis libras sacrificulo pependisse, qui pro *Fulcone* de *Neyrmyte* aliisq; Clericis in prædicto conflictu, interemptis, deum continenter obsecraret.

Tantisper, quâ poteram brevitate, tumultum illum ex aliis scriptis prodidi. Jam ejus Historiam, ab illâ longe alienam, à Burgensibus adducam, quam illi contexendam curabant sub Regis, Episcopi & Delegatorum quos dixi censurâ laborantes. Die *Lunæ* (inquiunt illi) sive in Festo S. *Matthiæ*, vigesimoque sexto *Edoardi I.* Clerici ter mille, aut eo adhuc plures, quinq; diversis in locis, tum in Urbe tum extra Urbem, Municipes *Oxonienses* armis aggressi sunt; eorumque bona hostilem in modum arripientes, partim in Ecclesiam, partim ex Oppido deportarunt. Manabat illico per Urbem seditionis rumor; quare Ballivi collectâ manu Laicorum satis validâ eandem repressuri adventabant: cumque Scholares, prælium non detrectarent, ægre demum feloniæ reos comprehendêre, inque custodiam abduxêre; quos tamen Cancellarius & Procuratores vi ac minis in libertatem vindicabant. Nocte insequenti Prætor urbanus ad Cancellarii Hospitium, ex ipsius mandato accedens, Procuratores ibidem & seniores perplures Academicos reperiebat; verum jubente Cancellario ut Portarum sibi omnium Claves traderentur, id abnuit facere Prætor, respondens neque velle se, neque fas esse, Urbis regiæ custodias ipsi committere: Eadem ergo nocte Portam *Fabrorum* vulgo **Smythgate** confregere Academici, & per plateam **Halywell** dictam progressi Portam Orientalem, aggestis extrinsecus materia & lapidibus præclusere; nequis utique eâ ex parte servandæ pacis gratiâ prodire possit.

Prætexebant insuper criminibus suis Oppidani, ipsum quoque Cancellarium cum tumultuantibus Clericis sensisse videri, eo quod Majori ac Ballivis de iisdem conquerentibus non aliud dederit responsum, quàm velle se ut ipsi suos in ordinem cogerent, sibi autem curæ futurum, ut Scholares illico conquiescerent; quos tamen turbas dein moventes nec ipse comprehendit; neque ut à Civibus comprehenderentur permittebat; quod & Clericorum animos, atque adeo ipsam seditionem accendebat. Asserebant porro concertationes illas emersuras ipsi etiam Cancellario prænotuisse; quoniam Clerici quidam in die Dominicâ Festum illud S. *Matthiæ* progressâ, in Eleemosynarium [d] urbanum incidentes eundem pro *Gualtero Bost*, quem mortuum brevi fore denunciabant, proque *Henrici Gamage* & *Johanne Punchard* orare coegerunt. Addebant insuper, die *Lunæ* cum jam essent ad certamen utrinque descensuri, Procuratores per Præconem illum feralem Scholaribus præcepisse, ne ante diem proximum, horamque ejus primam pomeridianam hospitiis excederent, aut vim Oppidanis inferrent; interponente vero cum Ballivis Prætore funestis adeo conatibus nullam horam aut convenire aut assignari debere, Procuratores è sententiâ nequaquam fuisse dimotos, quin à majore postulasse, ut easdem inducias & suis imperaret.

Adferebant porro Burgenses, quod die veneris ante Festum Divi *Matthiæ* proximâ, Clerici quidam ad Quadrivium, templo S. *Martini* vicinum, convenientes, & Balivorum ibi alterum adorti, clavam argenteam muneris ejus insigne ipsi eripuere; cumque captus à Ballivi adjutoribus qui eidem manus intulerat, in carcerem deduceretur, convolavit extemplo magna vis Academicorum, qui commilitonem non tantum liberarunt, verum ad præfati Ballivi domum contendentes, in eandem irruebant, ipsum quoque interfecturi, nisi fugam propere fecisset. Ad hæc autem, quod die proximo, qui Saturni erat, Scholares, aliique ipsis opitulantes, Ecclesiam Beatæ *Virginis*

[a] *Pat.* 26. Ed. I. *m.* 20. [b] *In pixide DD. nu.* 1. *A. fol.* 72. *a. B.* 83. *b.* C. 66. *b.* &c. [c] *Reg.* Sutton. *fol.* 187.
[d] *Vel precatorem anglice* Beadsman.

hostili

hoſtili animo ingreſſi, quotquot inibi Laicos deprehendebant, verberibus cædebant; immo quod occiſo ſpeciatim *Thomâ* quodam *Attechurch* de **Ifley** (qui utiq; diſtrahendarum mercium causâ eo loci cum aliis aderat) *Thomæ Nicolai* Burgenſis filio manus injeceret, atque ad ſummum altare raptatum crebris ictibus & vulneribus onerabant, Burgenſes ſeſe omnes tum bonis tum vitâ expoliaturos interminati. Adeuntes proinde Cancellarium Ballivi, & præter admiſſa ſcelera, ea quæ adhuc impendebant exponentes, per amorem Dei efflagitabant, ut ſibi liceret fontibus manus injicere, ac eoſdem cuſtodiâ coercere; quos tamen cum hoc reſponſo dimiſit Cancellarius, ipſi in compeſcendis Laicis laborarent; quod ſi ſe Provinciæ Academiæ immiſcerent, facti mehercule illius poſtulandos propediem iri. Poſt paulo Academici viros quoſdam aliunde clam in Urbem advocabant, qui togis induti, & Clericos ita ementiti, una cum illis in Hoſpitia paſſim dilapſi ſunt; quos inſecuti mox Ballivi, graſſatores tres, interempti nimirum *Thomæ Attechurch* reos, comprehendunt, inque carcerem conjiciunt. Quare ad forum, ſive Curiam, accedens Cancellarius, Oppidanos criminabatur; Clericorum Aulas & diverſoria vi intraſſe, quin & peſſime tractatos bonis omnibus exuiſſe perhibens. Die Lunæ proximo plus ter mille Scholares, cum mancipiis & famulis, & inferioris adhuc notæ quamplurimis, tum arcubus, gladiis, & Clypeis, tum telis aliis optime inſtructi, impetum in urbem quatuor pariter locis fecere; cùmque in *Aromatopolium* ſive *Spyceriam*, *Gladiatorium*, *ſive Cotelariam*, *Curiam*, ſive forum Juridicum, *Hoplopolium*, ſive *Fourburiam*, & *Arcuariam*, ſive *Fletcheriam*, perrupiſſent; quicquid ubivis offendebant abripuere; cumque fieret à ſpoliatis querela publica (ut Legum dialecto utamur) huteſia & clamor, & accerſerentur qui in ſervandâ pace adlaborarent, ex iiſdem ad L. ſauciati, nonnulli fuerant interfecti. Id certaminis initum eſt horâ quaſi nonâ matutinâ, & uſq; ad completorium ſive Miſſarum exitum, forte duraſſet, niſi Clericorum Dux Mr *Fulco* de *Neyrmyte* acceptâ in oculum ſiniſtrum ſagittâ cecidiſſet. Ejus enim fato conterriti Scholares in fugam illico verſi ſunt, & in Aulam quiſq; ſuam trepidi revolarunt.

Huc uſque funeſtæ concertationis, prout à civibus narratur, hiſtoriam exhibuimus. Videre contigit & eorum aliam cum hac nonnihil diſſidentem fabellam, in quâ memorantur Clerici Aromatopolium, Gladiatorium, &c. perfringentes, bona Civium mobilia ad librarum ſeptingenta valorem deportaſſe; necnon v. Laicos vulneribus affeciſſe, quod pacem tueri niterentur, præter *Job. Wyth* Burgenſem in ſuis ædibus ſauciatum. Quæ omnia Cancellario & reliquis Academiæ Magiſtratibus imputantur, de reprimenda ſeditione parum ſolicitis: porro nec ſedatam penitus illam, priuſquam cives CIↃ CIↃ CIↃ. librarum damnum feciſſent. Diſſimulandum non erit, credibile omnino eſſe, juveniles ſtudioſorum calores, huic malo fomenta non levia dediſſe; unde fortaſſe prorſus commode à me factum, quod ad utriuſque partis mentem rem geſtam narraverim; ut utrinque decerpens Lector, veritatem (quæ in medio verſari ſolet) facilius aſſequeretur.

CIↃCCXCVIII.

Per hoc ævi ſpatium, quod *Marti* præcipue dicatum crederes, florebant haud modice & *Minervæ* ſtudia. Inclareſcebant enim viri tam in Theologia quam in Naturali Philoſophia inſigniter eruditi, qui in ſcientiæ poſtremo dictæ indagatione virorum ſumme doctorum monitis atque conſiliis inſtruebantur; & nominatim *Rogeri Baconi*; cujus tamen veſtigiis curioſius inſtitiſſe perpaucos arbitror, præter familiarem ejus *Bongeium*. Plurimi itaque male jactis fundamentis ruituram cognitionem ſuperſtruebant; quorum de numero habetur *Mich. Mathematicus*. Alii autem, plus quam humana recipit conditio, ſapere & poſſe percupientes, ad conſuetudinem cum dæmoniis ceciderunt; in Artis Magicæ inveſtigationem penitus immerſi: qualem en tibi quendam, argumentis ejuſmodi ductum, atque conſortii diabolici ſtudioſiſſimum; qui etiam fraude nefarii ſpiritus illectus, egregium nobis affert argumentum, pro Pontificio tranſubſtantiationis dogmate, cujus generis mille fere alia afferre liceret, ſi modo è re eſſet male feriatoram nugas & Sathanæ mendacia lectori apponere.

Anno ab Incarnatione Domini CIↃCCXCIIX. (inquit ſcriptor [a] noſter) Oxoniæ *in Parochia S.* Petri *in* Balliolo *in quodam cellario ſubterraneo juxta altam ſtratam ex oppoſito Eccleſiæ illius Parochiæ in Hoſpitio quod vocatur* **Byllynghall**, *contigit quendam Clericum negromanticum circulum in figuris & circumſcriptionibus ſecundum morem illius Artis pro Demone conjurando feciſſe, & in ejus meditullio reſidere, & ut tradit ars illa Diabolum inſtanter invocare: quo quidem adveniente, & in forma viſibili comparente, & circa circum evagante, Clericus ille cum adjurationibus ipſi Diabolo plura interrogata propoſuit; & cum Diabolus per compulſionem adjurationis reſponſa daret, contigit Capellanum dictæ Parochiæ corpus dominicum cuidam infirmo deferentem, per cellarium illud incedere; quem perſpiciens Diabolus per feneſtram, ſtatim cum Capellanus ille appropinquavit illi loco, genua reverenter flexit, & brachia erexit, quouſque locum illum pertranſiſſet: quod advertens Clericus tacitè rem geſtam cordi commendavit: Nihilominus poſtmodum aliquandiu ſuper prætactis interrogatoriis diſcutiendis cum Diabolo diſſeruit, quouſque præfatus Capellanus non deferendo corpus dominicum reverteretur; quo pertranſeunte, Diabolus ille unum genu flexit humiliter inclinando. Quo viſo Clericus ille admirans, Diabolum ſuper revelando cauſam flectionis duorum genuum ſacerdoti in progreſſu ſuo, & unius genu in regreſſu adjuravit; qui tandem licet invitus, fatebatur ſe coactum velit nolit hoc feciſſe, & honorem Corpori Domini ſui quem poterat exhibere ſe aſtringi, & ideo in ejus tranſitu duo genua flexit: fatebatur etiam ſe revereri debere Capellanum Officiarium Domini ſui ob reverentiam ejuſdem ſaltem aliquo modo, & ideo in regreſſu Presbyteri Corpus Domini non portantis, unum genu tantum flexit. At Clericus ex his in ſeipſo turbatus, Corpus Chriſti majus eo & Chriſtum fore Dominum ſuum ſtatim concluſit, quod Diabolus ſine dilatione ſtatim conceſſit. Clericus autem amoto Diabolo à ſe, cum ſalario ſuo, ut mos eſt artis illius, illi arti confeſtim abrenuntiavit, & omnes codices ſuos illius ſcientiæ combuſſit, pœnitenſque, & confeſſus, habitum B. Franciſci ſuſcepit. Ex iſto poteſt elici, ex quo Dæmones Corpus Domini & Sacramenta reverentur, multo magis homines ea debere revereri.*

Hæc ea eſt fabella, quam pro multis unam adducere haud abs re arbitratus ſum. De hoc enim ſeculo con-

[a] *In ſpeculo Laicorum MS. cap.* 32.

ſimiliter

similia bene multa ab Authoribus [a] memorantur; aureisque inserta legendis, credulæ plebi, seu S. Scripturæ sunt commendata. Quamvis notissimum est non modo Regiones, verum & tempora quò barbara magis & literarum imperita, eo magis demoniorum consortiis esse obnoxia.

CIↃCCXCIX.

Hoc anno ab *Oxonienſibus* nostris legi cœpit, qui in Academiam noviſſime fuerat invectus, sextus ille Decretalium liber; cum eundem Legum studiosis commendasset jam ante *Bonifacius VIII.* per Epistolam quam sic inscripsit.

Bonifacius *Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Doctoribus & Scholaribus universis* Oxoniæ *Commorantibus salutem & Apostolicam Benedictionem*, &c.

Ab hisce autem literis, libroque illo ad nos transmisso, quid vetat colligere, 1. *Cantabrigiam* ea tempestate inter Academias non fuisse habitam, cui utique librum illum commendatum nullibi reperio; quod *Parisiis, Oxoniæ, Bononiæ, Salamanticæ*, lociſq; dein aliis perpaucis unice contigit. II°. Tametsi in eâ sint sententiâ Juris Civilis Professores, librum prædictum nulli unquam Universitati, sub nomine Universitatis detulisse Pontificem; tamen haud aliter sensisse eum vel hinc videtur eliciendum, quod præter *Aurelianense* gymnasium, ad quatuor tantum Universalia studia eundem, dederit. *Dic* (inquit *Ant.* [b] *Abutrius*) *si exigatur consensus & approbatio, approbari videtur ex certâ scientia, requiritur enim ejus consensus ut dispensatio.* III. Hinc porro suppetit argumentum, quo Urbis hujusce dignitas ac splendor haud modice adaugeatur, *Petrum* enim *Anachoranum* in verbo *Bononia* sic habes differentem. --- *Dirigitur* (inquit) *liber iste Scholaribus studentibus* Bononiæ; *per quod datur intelligi, quod non in Villis, vel Castris, sed in regiis Civitatibus jura Canonica & jura Civilia sunt docenda: Et studentes alibi privilegium non habent: adverte tamen quod licet Civitas sit Regia & insignis, tamen si non habeat hoc ex privilegio, ut est* Padua, *non possunt ibi Jura doceri, &c.* IV. An addam præterea librum illum, priusquam ad nos mitteretur, & evolvisse & emendasse *Guliel.* Archiep. *Ambrunensem, Berengarium* Episcop. *Biturigensem*, cum Magistro *Rich.* de *Senis* LL. D. & Sac. Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario. V. An referam insuper librum præfatum in Ecclesia Fratrum Prædicatorũ *Oxon* propalatum fuisse an. CIↃCCXXCIIX. Indict. XII. die Mercurii XIX. *Nov.* VI. Denique an memorabo quod quæ de libro illo ac Epistolâ retuli, ex ipso maxime autographo quod ad nos transmisit Pontifex Romanus, decerpsi; nitidissimæ membranæ inscripto, variisque picturis pulcherrime adornato. Sub finem vero ejus, in capite de Sententiâ excommunicationis, hanc reperi annotatiunculam margini inscriptam, characteribus multam præ se antiquitatem ferentibus. *Ista litera* (vocis cujusdam particulam intelligit) *non est in originali Registro* Oxon. Unde scilicet conjicere ausim, librum illum cum Pontificis Epistola, rebusque aliis eodem spectantibus, in publicum quoddam Registrum redacta fuisse; quamvis qualecunque id fuerit jampridem incercidit, prout alia quamplurima *Henrici VI.* temporibus priora. Postremo, ad antedicti exemplaris calcem sic legis, *Explicit liber sextus Decretalium, dat.* Romæ *apud Sanctum* Petrum V. *non. Martii Pontificatus* Bonifacii VIII. *anno* IIII°.

CIↃCCC.

Prorumpentibus iterum hac tempestate inter Universitatem Urbemque inimicitiis, Rex *Gulielmo Ings* & *Nicolao Fernband* redigendas in concordiam [c] demandavit: cumque post paulo Scholares viarum publicarum in *Oxonio* juxta & in locis vicinis neglectum, platearum etiam in ipsâ Urbe sordes quererentur, unde nimirum periculum erat, ne epidemica demum lues aëri imprimeretur; mandavit, misso ad Majorem & Ballivos [d] Brevi suo, *Edoardus I.* ut omnium tum Platearum tum vicorum pavimenta reficienda propediem curarent; motis inde in posterum suibus ac porcis, per quos necesse erat haud leve damnum provenire. Deinde porro, ut mala illa usquequaque tollerentur, missis ad Vicecomitem [e] literis præcepit, id etiam in Suburbiis fieri curaret; ubi Burgenses, præ foribus quisque suis, & vias munire, & nocumenta amoliri tenerentur. Ratione adhibita, quod ex luto & sordibus ubique congestis *Aër ibidem in tantum corrumpitur & inficitur, quod Magistris & Scholaribus prædictis, & aliis ibidem conversantibus, horror abominabilis incutitur, commoditas salubrioris aëris impeditur, status hominum graviter læditur, aliaque intolerabiles incommoditates, & quamplurima discrimina ex corruptione hujusmodi provenire noscuntur, in Magistrorum & Scholarium prædictorum & aliorum ibidem conversantium & transeuntium nocumentum & periculum manifestum*, &c. Sic è Brevi Regio. Atqui prætermittendum non est, hæc omnia præstita fuisse pro arbitrio Cancellarii & Procuratorum, qui ea in re tam ab antiquo, quam per secula inde labentia summam semper potestatem habuere. Quoties autem Burgenses quoad purgandas plateas Universitati haudquaquam obtemperarent, advolabant continuo mandata regia; qualia erant quæ [f] XXXIII. & [g] XXXIV. *Idoardi* istius anno ascribuntur, quæ non nisi de amovendis nocumentis agunt; quorum præcipui ibidem assignantur à Rege authores, [h] scil. Regratarii illi, qui Unctum & sevum præ foribus liquefacientes, aërem noxiis vaporibus inficere solebant; unde factum ut Scholares haud infrequentes adversâ valetudine uterentur. Deinceps autem, V° utique regni sui anno, *Edoardus III.* Cancellario & Majori [i] mandavit, ut ipsis in tertium annum incumberet Clericos Laicosque impellere ad reparanda platearum pavimenta; de quibus reficere quilibet tenebatur quantum domicilium suum longitudine æquaret. Quod idem postea mandatum repetitum fuisse [k] invenio VIII°. ejusdem Regis anno. De aliis impræsentiarum mandatis non edisseram; quamvis & perplura subinde à Regibus prodiere, quæ aëri, quo in huc usq; diem fructi sumus saluberrimo, haud leviter, ut opinor, profuere.

Hoc insuper anno Conventum Ordinum *Lincolniæ* indixit Regia Majestas, quibuscum scilicet consilia inire, & de jure suo regnandi deliberare statuit, à *Bonifacio* Pontifice VIII. impugnato, quem *Scoti* pecuniâ corruperant. Evocavit [l] autem ad se IV.

[a] *Vide in Hist. Ecclesiast.* Nicolai Harpesfeild *sæc.* 13. *cap.* 25. & Twynum *in Apol. lib.* 3. &c. [b] *In part.* 1. *Decret.* 1. [c] *Pat.* 28. Ed. I. *m.* 22. [d] *Clauſ.* 29. Ed. I. *m.* 14. [e] *Ibidem.* [f] *In scriniis Civit.* Oxon. [g] *Ibidem.* [h] *In literis regiis hic citatis de hâc re ita dicitur.* -- Quod diversi Regratarii unctum & cepum in *Oxon* vendentes, ignem extra domos suos in vicis ejusdem Villæ faciunt, & unctum & cepum ibidem fundunt & conficiunt, per quod Aer in tanto est infectus, &c. [i] *Pat.* 5. Ed. III. *part.* 3. *m.* 18. [k] *In* Haro *de privilegiis fol.* 54. *b.* [l] *Clauſ.* 28. Ed. I. *m.* 3.

vel v. *Oxonienſes*, qui juris Civilis peritiſſimi eſſent habiti, accitis interim *Cantabrigienſibus* duobus tantum aut tribus; conſtatque nos IV. illos vero binos ad Regem amandaſſe. De Brevibus autem eoſdem accerſentibus, deque argumentis inde prolicitis, quibus utique arguitur *Oxonio* primas deberi; vide librum [a] à *Gulielmo Prynne* Armigero nuperrime conſcriptum.

CIↃCCCI.

Hâc tempeſtate *Bonifacius VIII.* Pont. Rom. amiciſſimum, veluti ſcripta nonnulla memoriæ prodiderunt, animum erga Academiam noſtram teſtatus eſt: Diplomate [b] nimirum ſuo dato *Romæ* ad S. *Petrum* II. Id. *Junii* ſextoque Pontificatus anno (qui ſcilicet in hunc aut præcedentem Chriſti annum incidit) & Indulta Regum omnium *Oxonienſibus* confirmavit, & eos Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Ordinarii cujuſque poteſtate exemit: quemadmodum ex ipsâ ejus Bullâ teſtatiſſimum fiet.

Bonifacius *ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam: Dignum cenſemus, ut Perſonis literarum ſtudiis inſiſtentibus, per quas divini nominis & fidei Catholicæ cultus protenditur, juſtitia colitur, tam publica quàm privata res geritur utiliter, omniſque proſperitas humanæ conditionis augetur, favores gratioſos & opportuna commoditatis & libertatis auxilia liberaliter impendamus: Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Cancellarii Magiſtrorum Doctorum & ſcholarium Univerſitatis ſtudii* Oxon Lyncoln. *Diœceſis petitio continebat, quod olim nonnulli claræ memoriæ reges* Angliæ, *qui fuerunt pro tempore pro majori pace, quiete, & tranquillitate ſtudentium in eodem ſtudio, ipſi Magiſtris Doctoribus & Scholaribus nonnulla privilegia per clariſſimum in Chriſto filium noſtrum regem* Angliæ *illuſtrem poſtmodum confirmata, & inter alia conceſſerunt, quòd Cancellarius dicti ſtudii pro tempore exiſtens haberet omnimodam cognitionem quorumcunque contractuum vel quaſi factorum, nec non punitionem ſeu correctionem delictorum commiſſorum pro tempore infra limites Univerſitatis prædictæ, ubi ſaltem altera partium Scholaris vel ſerviens ejus, aut alias juriſdictioni dicti Cancellarii ſubjectus eſt: ita quod nullus Scholaris præfati ſtudii, vel ſerviens ipſius, ſeu de hujuſmodi juriſdictione dicti Cancellarii exiſtens, occaſione præmiſſorum, vel alicujus eorundem, etiam per brevia regia extra Univerſitatem præfatam trahi poſſet; tribus caſibus, videlicet homicidio, mutilatione, & libero tenemento duntaxat exceptis: quodque ipſi Magiſtri, Doctores & ſcholares vigore conceſſionum hujuſmodi, in pacificâ poſſeſſione vel quaſi, privilegiorum fuerint à tempore cujus contrarii memoria non exiſtit: quare pro parte Magiſtrorum Doctorum & Scholarium præmiſſorum nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut iis ſimilem conceſſionem facere, eoſque ob omni juriſdictione & poteſtate quorumcunq; Archiepiſcoporum Epiſcoporum & aliorum judicum ordinariorum eximere de dignitate Apoſtolicâ dignaremur: Nos ergo hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſcholares & alias perſonas juriſdictioni Cancellarii dicti ſtudii pro tempore exiſtentis ſubjectos, in ipſo ſtudio pro tempore degentes, etiamſi fuerint in ſacris ordinibus conſtituti, ſeu beneficia Eccleſiaſtica obtineant, aut quorumcumque ordinum, etiam mendicantium, vel alias ſede Apoſtolicâ exempti fuerint, quamdiu in dicto ſtudio degerint, ab omni juriſdictione dominio vel poteſtate quorumcunque Archiepiſcoporum, etiam Legatorum natorum dictæ ſedis, nec non Epiſcoporum & aliorum ordinariorum judicum, quoad contractuum initorum vel quaſi, nec non exceſſuum criminum & delictorum infra hujuſmodi limites præfatæ Univerſitatis commiſſorum cognitionem, & ipſorum exceſſuum ac delictorum & contractuum vel quaſi, correctionem & punitionem, una cum ipſo Cancellario quoad præmiſſos duntaxat non ut præfertur exceptos caſus, & omnes actus Scholaſticos autoritate Apoſtolicâ tenore præſentium eximimus, & totaliter liberamus, ipſos Scholares & perſonas alias, quamdiu in præfato ſtudio, ut præfertur, degerint, prædicto Cancellario ſubjicimus: ita quod idem Cancellarius de contractibus initis, ac de exceſſibus delictorum & criminibus commiſſis per Scholares & alias perſonas hujuſmodi cognoſcere, ac exceſſus crimina & delicta hujuſmodi corrigere, & punire, & omnimodam juriſdictionem etiam Eccleſiaſticam & ſpiritualem in eoſdem Scholares, & perſonas alias exercere libere & licite valeat, ſecundum ſtatuta & privilegia & conſuetudines prælibati ſtudii: felicis recordationis* Innocentii *Papæ quarti prædeceſſoris noſtri, circa exemptos edicto quod incipit,* Volentes, *& aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nos enim excommunicationem & interdicti ſententias & quoſcunque proceſſus quas & quos contra præfatum Cancellarium & Scholares & alias perſonas dicti ſtudii contra tenorem & formam exemptionis & liberationis promulgari & haberi contigerit, decrevimus irritos, & inanes, juriſdictione tamen & poteſtate Cancellarii & Univerſitatis ac Collegiorum ejuſdem ſtatutis & conſuetudinibus privilegiis & libertatibus illis, præſertim quibus caveri dicitur, quod in Præmiſſis Procuratores & congregatio Magiſtrorum dictæ Univerſitatis in hujuſmodi Cancellarium juriſdictionem habeat in omnibus ſemper ſalvis: nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, liberationis, ſubjectionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum* Petri & Pauli *Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.*

Atqui vero quamvis conceſſio illa *Bonifacio VIII.* à mox ante citatis referatur, veri tamen ſimilius eſt à *Bonifacio IX.* qui Pontificatum nempe inivit anno CIↃCCCLXXXIX. impetratam fuiſſe.

1. Primo enim, cum *Thomas Arundell* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* viſitandæ Univerſitatis causâ huc accederet, an. CIↃCCCXCVII. atque Academici Juriſdictioni ſe illius haudquaquam ſubditos agnoſcerent, utpote quos diploma Pontificium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, &c. authoritati ſubtraxiſſet; *Richardus II.* per [c] literas XXX. *Martii* anno Regni XX. conſcriptas, Bullam illam rejiciendam mandavit; quarum literarum hoc eſt initium. *Cùm dominus ſummus Pontifex ad inſtantiam & ſupplicationem veſtram Scholares & alias perſonas*, &c. *exemerit*, &c. Quare ſi meminerimus obiter *Bonifacium IX.* hoc ipſo tempore *Romæ* ſediſſe, probabile magis

[a] *Cui tit. eſt Animadverſiones in* 4^tam *partem inſtitutorum D.* Edv. Coke *cap.* 44. *Vide etiam in Tom. ſuo* 3° *de Eccleſiaſtica juriſdictione.* [b] *In A. fol.* 95. *a. B.* 4. *a. Reg.* Tho. Markant *de Acad. quondam* Cantab. *vide* Caium *de Antiq.* Cantab. *lib.* 1. *p.* 71. Harus *de privilegiis*, &c *fol.* 28. Twynus *in Apol. lib.* 3. *Sect.* 19. [c] *Pat.* 20. Rich. II. *part.* 3. *m.* 32.

erit

erit id immunitatis Scholarium tam viventium (quod & regia verba *ad instantiam vestram* subindicare videntur) quam ante annos pene centenos in Academiâ commorantium precibus, donatum fuisse.

II. Insuper, cum Decretistæ & Legistæ Cancellarium & Magistros *Oxonienses* in Clericali Diœceseos *Cantuarienses* Convocatione palam criminarentur (id vero in annum Christi CIↃCCCXCVI. incurrit) quod in sui fraudem diploma præfatum obtinuissent; addebant [a] iniquius id esse ferendum, *jam tarde, & ultimis his diebus hanc exemptionem prodiisse*, &c. Quapropter ad veritatem plusquam propendet, Academicos indultum illud ante pauciss. mos tum annos impetrasse.

III. Præterea, cum an. CIↃCCCXI. Academici antedicto *Cantuar.* Archipræsuli visitandos se denuo non exhiberent, Bullæ utique, de qua disceptamus, authoritatem prætendentes; *Johannes* Pontifex (ad quem scilicet super ea re questus erat Archiepiscopus) diplomate [b] *Romæ* ad S. *Petrum* XII. cal. *Dec.* anno Pontif. II. conscripto, & Bullam quam diximus, *Bonifacii IX.* expresse nuncupans, irritam fecit, & Universitatem visitationi Metropoliticæ obnoxiam fore sancivit.

V. Si diploma illud à *Bonifacio VIII.* indultum fuerit, cur anno CIↃCCCXLV. (prout in eodem infra docebitur) inter Academiam & Archidiaconum *Oxonienſem* pacto convenerit? cur etiam post ejus quoque Pontificatum mos obtinuerit, ut Cancellarius noster ab Episcopo *Lincolnienſi* confirmaretur? Profecto vel multum fallor ego, vel scriptores illi, qui immunitatem hanc *Bonifacio VIII.* ascribunt, seriem historicam haud parum conturbarunt; quem tamen erga Universitatem nostram haud male animatum agnosco; cum non modo, ut mox ante dixi, legendi sextum Decretalium copiam nobis fecerit anno CIↃCCXCVIII. sed & sub idem tempus (anno utiq; Pontificatûs II°) tributo nos regio [c] solverit; quo scilicet tempore & Clerum decimis ac quindecimis exemit.

CIↃCCCIII.

Hac denuo tempestate exundare cœpit Scholarium frequentia; quibus tamen haud leve erat incommodum, quod Cives Aulis & Hospitiis nuper occupatis cedere nolebant. Re itaque ad Regem delatâ, & ex veteribus Statutis probato, fas non esse domicilia togatis elocata in alios deinceps usus transferre, modo illi reditum annuum, per arbitros, è Clericis Laicisq; desumptos constitutum, bona fide pensitarent; Oppidanis Brevi [d] regio, *Sept.* XIX. dato, stricte præcipitur, ut Hospitiorum Scholasticorum possessione propere excederent, maxime cùm Academici Lecturas jam essent resumpturi. Quod regem vero induxit, ut mandatis suis exequendis sedulo magis attenderet, erat *Scotorum* frequentia, quos *Oxonii* commorari jusserat; male enim metuens, ne Gentis illius optimates, & ingenua pubes, si alibi educarentur, rebus novis maximè studerent; post *Scoticas* suas expeditiones, captivorum quemq; eruditioni deditum *Oxoniam* deduxit.

CIↃCCCIV.

Cæterum ad Cives redeo *Oxonienses*; qui Academicos jam haud parum exercuere, privilegia nostra & consuetudines eousque infringentes, ut in judicium demum citarentur; causa vero nostrâ perspectâ à violandis in posterum juribus Academicis mandato Regio fuerant prohibiti.

I. Primo autem eo nomine accersebantur, quod [e] Regratariorum (quales nempe mercem integram coemere & resecando vendere consuevere, sc. caupones & popinarii, qui maxime hoc in loco intelligendi sunt) numerum augeri permittebant; cum ex pactione inter utrumq; municipium factâ, ad unum tantum aut binos supra triginta artem illam exercere debuerint, veluti è querimoniis [f] Academicis, ad Ordines, in Conventu solenni jam tum sedentes, habitis, manifestum fit; quo tempore & Oenopolæ ac Obsonatores, [g] sive Tabernarii & Regratarii, de Scholaribus, secum diversari & studere permissis, litigabant. Cæterum ad pactionem Academiæ cum civibus redeo; quâ Parliamento ut diximus enarratâ, nihil amplius consecuti sumus, quam ut, petitione dein regio Concilio exhibitâ, is Majori & Burgensibus XVI. *Martii* anno regni XXXIII. per literas [h] significarit, velle quidem se, ut, si id rationi videretur consentaneum, pacto, quod inierant, in posterum starent.

II. Instabant porro Academici, Ballivos non adhibito Vicecancellario, neque ab eo deputatis, de panis ac cerevisiæ pondere ac mensurâ decrevisse; contra quàm ab *Henrico III.* ordinatum fuisset; cujus propterea literas ratas esse voluit *Edoardus*, scripto [i] suo regio XVI. *Martii* dato Burgensibus præcipiens, ne quid eâ in re facerent, inconsulto Cancellario, vel ipsius delegatis.

III. Jussi insuper sunt Burgenses per Breve [k] Regium ad Majorem & municipes hoc anno datum, ut (in quo nimirum prius deliquisse arguebantur) auxilium Cancellario, siquando opus esset, præstarent, in comprehendendis & incarcerandis pacis publicæ perturbatoribus.

IV. Denique, & hoc ipsis vitio dabatur, quod advenas, & municipio non donatos, obsonia divendere nequaquam permitterent. Regio propterea mandato Burgensibus [l] præcipitur, ut ejusmodi mercimonia, nisi id [m] resecando fieret, distrahentes nullo modo impedirent. Eodem quasi tempore datæ sunt ad Cives [n] literæ de privilegiis & immunitatibus, quas vel ipse *Edoardus*, vel decessores sui Academiæ concesserant, observandis. Quod tamen factum haudquaquam est; nam, sive commercio, sive Scholarium frequentiâ, tantas jam opes cumularant Oppidani, ut, divitiis muniti, non tantum Academicos præ se contemnerent, verum regiis quoque jussis repugnare sustinerent.

CIↃCCCV.

Academicorum *Borealium* cum *Australibus* (quorum se partibus miscebant *Walli* vel *Cambrobritanni*) certamina, quæ scilicet sub ultimi anni egressum accidebant, reticenda censui; quamvis nec sine sanguine fuerint commissa, occiso nominatim *Gulielmo* de *Roule* ex Episcopatu *Dunelmensi*; quem *Ludovicus* de *Northwallia* & *David* ap *Owèyn*, Clerici, in vico

[a] Reg. Arundell *fol.* 45. & *seq.* [b] *In quodam volumine diversarum rerum, Academiam* Oxon. *concernentium, in bib.* Cotton. [c] *Ut in fragmento cujusdam Chronici script. per quendam Canonicum Cœnob.* Osneiensis, *MS.* [d] *In turri Scholarum in pix.* Y. *nu.* 5. [e] *De Regratariis, vide supra sub an.* 1255. & 1290. &c. [f] *In libro Parliament. de Actis circa Festum S.* Matthiæ 33. Ed. I. *fol.* 104. *in turri* Lond. [g] *In Regio edicto vocantur* Tabernarii Vinorum. [h] *Ut in scriniis Civit.* Oxon. [i] *Ibidem.* [k] *Ibidem.* [l] *Ibid.* [m] *Vel ad retallium non vendant, ut Legulei loquuntur.* [n] *Ut in pix.* Y. *in turri Scholarum nu.* 6.

Scholarum, ac vigilia S. *Petri* in Cathedrâ intermisse perhibentur. De Hastiludiis autem, à Proceribus & Generosis in locis vicinis celebrari consolitis, notandum, eadem nobis haud parum obfuisse, non tantum Academicos à studiis avocando, verum fortuitis casibus temerè obicjiendo. Atqui, nec ab aliis incommodis liberi erant ludi equestres, & Hippomachii illi, in istis enim machinari contra Rempublicam solebant viri factiosi, animisque ab illa alienatis. His itaque ad Regem perlatis (quem præterea movebat Hastiludiorum in agro *Cantabrigiensi* olim habitorum, rixarumq; frequentium, de quibus ad antecessores suos querelæ haud paucæ deferebantur, recens memoria) Vicecomiti *Oxoniensi* per literas [a] quas Brevia vocant præcepit, ut hujusmodi solennia, ad Festum S. *Nicolai* designata, fieri vetaret. Certe quidem *Edoardum* à sceleratorum quorundam consiliis cautum sibi voluisse suspicor; cùm præterea sub idem tempus quo celebranda erant quæ dixi hastiludia, Cancellario & Burgensibus [b] mandarit, ut Mœniorum Urbis posticas claudendas & muniendas curarent, quæ januis prius carentes perpetuo patebant. Hoc autem ideo se jubere dixit, quod pessimæ famæ viros in suburbiis latitare, & à Civibus recipi subinde in Urbem intelligeret.

CIↃCCCVI.

Cum fatis nuper concesserat *Johan. Pontisara* seu *Pontes* (qui nimirum Universitatis aliquando Cancellarius, atque dein Episcopus *Wintonienſis* extitisset) supremæ voluntatis Curatores marcas CC. Academiæ ab eodem legatas, Cancellario & Magistris pensitabant. Quapropter hoc anno [c] statutum est, ut id pecuniæ in arculam quandam, illum in finem fabricandam, reponeretur; utque bini quotannis custodes deligerentur, qui accepto à quovis vel vade vel Syngrapho, certas nummorum summas exinde mutuo darent; nempe,

Magistro Regenti XL. solidos.

Magistro non Regenti, marcas binas cum dimidiata.

Baccalaureo in Artibus, marcas binas.

Sophistæ marcam alteram.

Et sic pro rata portione reliquarum facultatum Academicis. Ordinatum porro ibidem est de annuis pro Episcopo Missis, in vigiliâ S. *Nicolai* in hyeme celebrandis; in quibus orandum erat pro *Johannis Maunsel*; Benefactoris quem dixi *Pontissaræ*; & *Johannis*, Nepotis sui, animabus. Prætermitto autem preces quas Deo obtulit pro Episcopo illo publicus Academiæ sacellanus; initio scilicet omnis termini, in resumptione Magistrorum. Cæterum quod cistam modo præfatam attinet, *Wintonienſis* deinceps nomen adepta est, hyemalis insuper nominata, quod tempore hyemali, (postride nimirum Festi S. *Nicolai*) ejusdem custodes designarentur. Quinetiam ad egressum usque *Henrici VIII.* superfuisse liquet; anno enim CIↃDXXXVIII. *Henricum Gold* Vicarium de **Yorndon** in *Essexiâ* Syngrapho (qui in hodiernum quoque diem rescisus sive cancellatus non est) ligatum [d] reperio, de XX. libris & XIIX. sol. in arculam illam rependendis.

CIↃCCCVII.

Venio jam ad postremum *Edoardi I.* annum; sub quo is fuerat rei literariæ status, ut de eo vix aliud quicquam afferendum opiner, quam quæ in anno Dom. CIↃCCLXXII. tradidimus; nisi forte ad investigandas scientias & Naturæ arcana erectiores nonnihil viderentur Academicorum animi. Refert quidem [e] *Lelandus* quod qui studiosorum vulgo præcellebant, *quærebant potius scientiarum nervos quam pompam orationis*; atqui (ut verum dicere non refugiam) cum nervi illi carne essent nudati, & præterea neq; spiritibus pleni, neque ossibus subnixi; non tantum colore & formâ, verum & robore carebant. Lecturæ quippe & disputationes, juxta receptas quidem consuetudines, perfunctorie tamen habebantur; è quibus hoc præterea profluxit incommodum, ut exinde in reliquam literaturam voces barbaræ & à latinitate alieniſſimæ irrepserint. At mehercule veniâ partim digni fuimus *Oxonienſes*, si perfectam eruditionem perpauci hoc ævo attigimus. Nam cum Pontifices Romani Beneficia & dignitates Ecclesiasticas in exteros maxime conferrent, (idque per provisionem, quam vocant; i. e. beneficia nondum vacua promittendo,) indigenis, iisq; doctissimis, operam plerumque & oleum perdentibus, & in cucullo demum Monastico latere compulsis; nunquis *Anglus* laborum incitamentis ac illecebris destitutus sterilibus adeo studiis lubens insenesceret? Profecto hæc ita se habebant, Regemque pium *Edoardum I.* gravissimus inde dolor incessit, quod per praviſſima illa Pontificum facta, interversas defunctorum largitiones, neglectos christiani populi greges, omissam clericorum hospitalitatem, eorum denique corruentia domicilia, ipsosque ecclesiasticos ritus ad perniciem festinantes animadverteret. Verum neque malis hisce tacitus indoluit, sed de remedio mature adhibendo apud *Clementem V.* Pontificatum ineuntem acerrime contendit; scriptis ad illum literis, quibus postquam Benefactorum, tum templa tum hospitia, viris & doctrinâ & morum sanctitate laudandis, exstruentium pietatem laudavit, in hæc verba differere [f] pergit --- *sed, quod dolendum est, ipsius vineæ propagines degenerant in labruscas, & exterminant illas apri de silva, singularesque feræ depascunt eam, & dum per provisiones & impositiones sedis Apostolicæ, quæ solito gravius invalescunt, ipsius peculium contra piam voluntatem & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum & præsertim exterorum, & iis dignitates & beneficia permagna personis conferuntur alienigenis, plerunq; nobis suspectis, qui nonresident in dictis beneficiis; & ulterius commissorumiis pecorum curam non agnoscunt, linguam non intelligunt, sed curâ neglecta veluti mercenarii, solummodo temporalia lucra quærunt; & sic diminuitur Christi cultus, & animarum cura negligitur, & subtrahitur hospitalitas, Ecclesiarum jura depereunt, ruunt ædificia Clericorum, attenuatur devotio populi; Clerici dicti regni viri magnæ literaturæ & conversationis honestæ, quiq; curam & regimen animarum possent ibi salubriter gerere & peragere, & forent pro nostris publicis consiliis optimi, studium deserunt propter promotionis congruam opem sublatam, quæ divinæ scimus non esse placita voluntati, quinimo grave nostrum & fidelium nostrorum*

[a] *Claus.* 33. Ed. I. *m.* 2. *Tale mandatum missum fuit etiam Vicecom.* Oxon. 22. Jan, 34. Ed. I. *ut in claus.* 34. Ed. I. *m.* 21. *vel* 22. [b] *Inter diversa Brevia in scriniis Civit.* Oxon. [c] *A. fol.* 66. *a. & b. C.* 39. *b.* &c. [d] *In fasticulo computorum Doctoris* Tresham *in turri Scholarum.* [e] *In tom.* 4. *p.* 243. [f] *Ut in quodam exemplari epistolarum* Petri *de* Vineis *MS.*

noſtrorum verſatur in præjudicium & inæſtimabile periculum, niſi ſuper hæc citius & conſultius caveamus, &c.

Sic populo ſuo ſubvenire conatus eſt vel eo nomine deprædicandus *Edoardus*. An vero literas haſce prius dederit, quam ſtatutum illud contra Pontificum erga exteros gratiam condidit, neſcire fateor; certe Lex XXV. *Edoardi III.* in *Proviſores* ſancita mentionem aliqualem de literis illis *Edoardi* facit. Utcunque nullus dubito, quin Pontificia illa tyrannis complures inde annos invaluerit, nam ingentem illum Scholaſticorum numerum (qui ad XXX. mille circa finem Regni *Henrici III.* & initium *Edoardi* hujus primi in Academiâ cenſebantur) imminutum hac tempeſtate quam maxime reperio. Licet id aliquâ ex parte peſti ſolito frequentiori, fratribuſque Scholarium juniores in ſodalitia ſua allicientibus tribuendum non abnuo.

Cæterum nequis immenſum illum ſub *Henrico III.* & *Edoardi I.* ſtudioſorum numerum obſtupeſcat, fidemq; referenti ægre adhibeat; argumenta nonnulla & circumſtantias adferam, quæ meam juxta atque Scriptorum haud paucorum ſententiam tueantur.

I. Primo autem, huc facit magnus ille Aularum & Hoſpitiorum numerus; quem ſi ter centum compleviſſe dixerim, à veritate non aberrabo; cum penes me ſint catalogi qui totidem Hoſpitiorum Scholaſticorum nomina, & locum in quo quodque ſeorſim ſtabat deſignatum habent.

II. Nec obliviſcendum domos quas Religioſas nuncupabant, quæque jam haud pauciores decem comparebant, ſtudioſos quoq; inquilinos habuiſſe.

III. Deinde venit Oenopolarum & obſonatorum, quorum in Ædibus commorabantur Academici, numerus haud exiguus.

IV. Notandum porro, eoſdem & in tuguriolis ſuburbicariis, & in mœniorum Turriculis, tum Portis publicis, tum ipſis ſparſim mœnibus appoſitis pergulis, diverſatos fuiſſe. Quod ſponte quidem illos, & non exundante prorſus Scholaſticorum frequentiâ Urbe quodammodo exturbatos, feciſſe, neminem credo perhibiturum.

V. Nec reticendum quam felicem Cives mercaturam exercebant; cujus rei argumentum erit, quod nonnullas oppidi partes certis quibuſdam mercibus aſſignatas deprehendimus: quales fuere, [a] *Draperia*, [b] *Sutoria*, [c] *Cordwainaria*, [d] *Fletcheria*, [e] *Cotelaria*, &c. Loca nobis hodie nomine etiam tenus incognita.

VI. Denique nec prætermittendus ingens ille ex omni pene *Europâ* ſtudioſorum confluxus. Huc enim eruditionis gratiâ convenêre non tantum *Walli*, *Scoti* & *Hiberni*; verum *Galli*, *Hiſpani*, *Itali*, *Bohemi*, *Hungari*, *Poloni*, &c. quibus in officio continendis cum impar eſſet Cancellarius, arbitrum ſibi quendam Hebdomadarium vocitatum aſciviſſe comperio; cujus ſæpe fit mentio in Statutis noſtris antiquis; quem propter multitudinem cauſarum in tanta hominum frequentia emergentium, ad levandum Cancellarii onus (qui tamen ſuum quoque tunc commiſſarium habuit) inſtitutum fuiſſe opinor.

Poſtremo, ut teſtimoniis quoque utamur; omiſſis *Richardo Armachano* & *Thomâ Vaſconienſi* (quorum uterque in ſcriptis ſuis magnum illum Academicorum numerum expreſſe commemorat) hoc ipſum ſubindicare videtur in [f] defenſorio ſuo, conſcripto a° CIↃCCDI *Ric.* de *Ullerſton*, dum ait Scholarium frequentiam imminutam, creſcente in Academia Collegiorum numero: --- *Quod Eccleſia* (inquit ille) *ex quo crevit in poſſeſſionibus decrevit in virtutibus, non negatur; ſed veriſimiliter creditur, quod longe plus decreviſſet, ſi dotatio non fuiſſet; exemplum quippe accipere poſſumus ex his, quæ in hac venerabili Univerſitate contingere videmus, quia poſtquam crevit in collegiis, paſſa eſt quoad numerum non modicum detrimentum; ſed profecto prout oculata fide intuemur, Theologia & Philoſophia quoad ſeculares jamdudum defeciſſent in hac Univerſitate* Oxon, *niſi hæc puſilla Collegia ex inſtinctu gratioſo interim fundata fuiſſent.* Sic ille: Collegii autem *Reginenſis* apud nos ſocius pridem fuerat. Cæterum tum aſſignatam ab illo rationem, tum vel maxime perennantes quas præfati ſumus Pontificum Proviſiones, & præter migrationem *Stanfordianam*, ingens illud quod intervenit certamen, neq; minus peſtilentiam in cauſſâ fuiſſe reor, cur Academici nobis ad pauciores longe reciderint.

CIↃCCCIIX.

Hoc anno, Die Jovis proximo poſt Feſtum S. *Trinitatis* Ciſtam Academicam à S. *Frideſwydâ* cognominatam (quæ ſcilicet annos jam LXVIII. in Eccleſiâ eidem nuncupatâ conſervata fuerat) *Johannes* de *Sutton* Janitor, & *Johannes Fykeys* ſubſacriſta nequiſſime [g] expilarunt. Perpetratum id ferunt horâ [h] nonâ, prandente nimirum cum Canonicis Priore; aufugiſſe autem Sacrilegos, neque deinceps comprehenſos ſupplicium tanto flagitio debitum perſolviſſe. Arculam vero illam ab *Hugone Walleys* Epiſcopo *Lincolnienſi* inſtitutam [i] reperio, cuſtodiendæ pecuniæ, quâ Urbem propter ſuſpenſos tres Clericos in uſum Univerſitatis mulctaverat ann. CIↃCCIX. quæ utiq; ſumma, cum aliis quibuſdam ſex marcas amplius annuas conficiens, in eandem quotannis inferebatur. Atqui dein *Groſteſtus* ſucceſſor *Walleiſii* conſtitutiones circa pecuniam illam ad examen revocatas nonnihil [k] immutabat; præter ſtatuta enim quæ de erogandâ eâdem condidit, transferendam cum arcula ad Eccleſiam S. *Frideſwydæ* decrevit; ordinatis cuſtodibus è Canonicorum numero, quos penes Cancellarium eſſet deſignare. Poſthæc Magiſter *Joh.* de *Aveton* in uſum Scholarium tenuiorum XL. ſolidos teſtamento [l] reliquit; necnon (ut alios taceam) Magiſter *Guliel.* de *Grey* V. [m] marcas, & Magiſter *Joh.* de *Manduit* XL. [n] ſolidos, in ciſtâ hac *Frideſwydianâ* conſervandos; in quâ porro reponi ſolebant mulctæ pacem turbantibus irrogatæ, præter Crucem illam argenteam quâ (ut ſupra dictum) plectebantur veterem quandam confringentes Judæi, cum ceimeliis ſive Jocalibus (quæ vocant) ad Univerſitatem ſpectantibus.

Hoc præterea anno, Univerſitati [o] conceſſit (tanto eam ſtudio complectebatur) *Edoardus II.* ut, durante beneplacito ſuo Regio, fas eſſet civem quemvis aut Laicum de cauſis perſonalibus dictis coram Can-

[a] *i. e.* Pannaria, *vel locus in quo* Pannarii *mercimonia vendiderunt.* [b] *i. e. Locus* Veſtiariorum. [c] *i. e. Locus* Calcearіorum. [d] *i. e. Locus* Arcuariorum. [e] *i. e. Locus fabrorum qui cultellos efficiebant.* [f] *Defenſorium dotationis Eccleſiæ, MS.* [g] *Ut in quodam faſcic. Inquiſitionum in ſcrin. Civit.* Oxon. [h] *i. e. apnd Monachos his temporibus ad horam tertiam poſt meridiem, aut potuis hora duodecimâ; ex quo enim deferbuit priſca Eccleſiæ pietatis, ſtationum ſolennia, quæ ad nonam protrahebantur, meridie precibus veſpertinis tunc recitatis, ceſſabant; retentâ tantum veteri nomenclatura.* [i] *In A. 56. a. B. 35. b. D. 12. b.* [k] *Ibid. & in Collect.* Nic. Biſhop *in Archiv. vel ſcrin. Civit.* Oxon. [l] *A. 56. b.* [m] *Ibid.* [n] *D. 13. a.* [o] *Ut in turri Scholarum in pix. MM. nu. 15. & pat. 2. Ed. II. part. 1. m. 14.*

cellario conveniri, non obstante prohibitione suâ. Eodem quoque tempore ad Vicecomitem, Prætorem, & Ballivos [a] conscripsit, districtè mandans operam darent, nequa privilegia sive à se, sive ab Antecessoribus suis Academiæ nostræ indulta infringerentur.

CIↃCCCIX.

Quantumvis hac tempestate modice admodum vigebat res literaria, non deerant tamen qui Academiam nostram eruditione suâ illustrarent. Hos inter habendus *Gualterus* [b] *Brynkley* & *Johannes* [c] *Wiltonus*, è quibus ille *Franciscanus* erat, *Doctor bonus* & *Sophista* nuncupatus; hic autem è familiâ Divi *Augustini* Eremitæ fuit, in cujus laudibus multus est *Baconthorpius*, primum Sententiarum volumen commentariis illustrans. Prædicabat sæpenumero & prælegebat, & in damnandis quibusdam articulis operam præsens contulit *Oxonii* CIↃCCCXIV. In pretio nunc porro erant *Radulphus* [d] *Lockesley* & *Gulielm.* [e] *Genisburg* ad normam S. *Francisci* Fratres; *Gualterus* [f] & *Thomas* [g] *Forsie* Dominicani: viri, ut ea ferebant tempora, à scriptis & eruditione celebrandi. Reliquos taceo, per hoc ævi spatium florentes; quorum nomina scire si desideres, *Johan. Balæum*, & *Nicolaum Harpsfieldum* adeas.

CIↃCCCX.

Hic nobis annus nil aliud suppeditat quam Regratarios plures centum *Oxonii* fuisse deprehensos, etiamsi ex pacto Universitatis cum Urbe inito ibidem ultra triginta & unum versari minime liceret, idq; dicatur constitutum, incommunem utilitatem Clericorum & Laicorum qui illic egere. Itaque Cancellarius & Magistri eo Oppidanos nomine coram Rege criminati, eundem tantopere movebant, ut is duobus [h] Brevibus (quorum alterum XIV. *Maii*, alterum XXVI. *Septembris* dabatur) eâ de re deciderit. Novissimum illud, mense *Septembri* scriptum, ita se partim habet --- *vobis igitur* (Burgenses alloquitur) *mandamus, sicut aliàs mandavimus, quod si ita est, tunc iâ quod per vos, contra Ordinationem prædictam, ad damnum Prædictorum Cancellarii & Scholarium & aliorum in villa habitantium & confluentium ad eandem, est minus ritè in hac parte attentatum, faciatis sine dilatione, prout justum fuerit, emendari; dum tamen per hoc nobis nullatenus præjudicetur; vel causam nobis significetis, quare mandato nostro prædicto, aliàs indè directo, minimè paruistis.*

CIↃCCCXI.

Ante paucos annos motæ [i] fuerant inter Universitatem *Parisiensem* & Fratres ibidem Prædicatores, sive *Dominicanos*, fervidissimæ lites; quas exinde maxime ortas ferunt, quod fratres illi statuta veteresque Academiæ consuetudines contemptui haberent. Utique (quod antiquitus facere consueverant) Jurisdictionem Academicam agnoscere nolebant in Theologia incipientes, nec petere à Cancellario licentiam dignati: nec (quod in more semper positum erat) aliorum quam suæ Familiæ examen subeuntes. Appellatur ergo utrinque Curia Romana; ubi re cognitâ & & discussâ, & vincentibus *Dominicanis*, dedecus illud ac injuriam adeo molestè ferebant Academici, ut Lectiones publicas confestim intermiserint. His ergo, ut fit, in aliis Universitatibus propediem nunciatis, Prædicatores nostri *Parisiensium* secuti exemplum, simultates cum Academiâ exercere gestiebant. Quæ cum ultimo prorumperent, atque isto gravissime incalescerent, *Romam* sequenti anno sedandæ transferuntur. Cavillati autem sunt *Dominicani* Statuta [k] nonnulla, quæ in sodalitii fraudem excogitata querebantur.

I. Primo autem scitum illud assignabant, quo, ante annos XX. cautum fuerat, nequis in Theologia prius inciperet, quam in Artibus rexisset; ad quam porro Regentiam non erant admittendi, nisi impetratâ prius & à Cancellario & à Magistris veniâ, cum licitum esset uni cuivis Magistro gratiam petitam denegare. Id sibi injurium esse arguebant; maxime vero quod in tenerâ admodum ætate constituti, & inepti prorsus ad Regendum Regulam susciperent; post susceptam autem in Artibus incipere, ex Ordinis sui instituto, nefas esset, utcunque postea fuerint ad Philosophiam in sua familiâ informati.

II. Statutum insimulabant de [m] vesperiis pridem latum; quas nimirum in Theologia Incipientes non nisi ad Beatam *Mariam* celebrare in posterum tenebantur. Quanquam ab antiquo obtinuit, ut Fratribus illis in suâ Ecclesiâ, prout aliis suis in Scholis, dicta solennia haberentur. De Sermonibus [n] quoq;, quos examinatorios olim vocitabant, ad Gradum Baccalaurei in Theologiâ requisitis, conquesti sunt; quod & illi nimirum ultra hominum memoriam in Ecclesiâ modo dictâ vel in Scholis suis haberi soliti, in alium pariter locum transducerentur. Hæc autem iniquissime videri facta, quoniam inde pessundarentur veteres & probatæ Universitatis consuetudines; quas servare quilibet astringitur tenore juramentorum quibus oneratur ad Gradum promovendus. Præterea vero neque translationem illam ex re fore Academicâ; neque locum à Magistris destinatum disputantibus & concionantibus adeo accommodari atque Fratrum eorum sedem; placido utique recessu gaudentem, & à strepitu ac turbis procul amotam.

III. Tertio, Statutum damnabant, quo solis Baccalaureis in Theologiâ concessum erat Bibliam biblice in Academiâ prælegere. Hanc autem præposteram esse studendi methodum; si neglectis Theologiæ elementis (quæ nempe è sacra Scripturâ peti debent) ad difficillimarum quæstionum, sententiarum scilicet explicationem, primitus accingamur. Atqui omnino

[a] *In eisdem pat. part. & memb. & in MM. nu.* 19. [b] Pits. *Æt.* 14. *sub ann.* 1310. [c] *Bal. cent.* 4. *nu.* 84. [d] Bal. *cent.* 4. *nu.* 86. [e] *Ibid. nu* 91. [f] *Ibid. nu.* 90. [g] *Ibid.* 89. [h] *In Chartophyl. vel scriniis Civit.* Oxon. [i] Twynus *in Apol. lib* 3. *sect.* 98. *ex annalibus* Burton. & Luc. Wadding *in Annal minorum edit.* Lugd. 1628. *Tom.* 2. *p.* 97. *ad an.* 1255. &c. *& alii.* [k] *In longo Rot. pergamen. MS. in bib.* Bod. [l] *Ut in eod. Rot.* [m] *Nota quod disputationes quæ* Vesperiæ *nuncupantur, immediate præcedebant Baccalaureorum in Theologica facultate lectiones, Fratres vero Ordinis Prædicatorum ad hujusmodi Magisterium promovendi in eorundem tantummodo Fratrum domibus obire consueverunt, postquam ad majorem Ecclesiam B.* Mariæ *Virg. transferebantur, idque ex statuto Academiæ condit. an.* 5. Ed. II. [n] *De Sermonibus examinatoriis, hæc in Rot. pat.* 7. Edoardi II. *part.* 2. *memb.* 10. *occurrunt.* --- Sermones examinatorii omnium Baccalaureorum tam secularium quam Religiosorum, qui fiunt antequam hujusmodi Baccalaurii in facultate Theologica Magistrentur, & qui in ipsorum Fratrum Prædicatorum vel Fratrum Ordinis Minorum domibus fieri olim consueverunt, ex statuto Universitatis à 12. annis citra edito ad Ecclesiam B. *Mariæ* Virg. transferendi sunt, ita tamen quod quilibet Baccalaureus Theologiæ postquam legerit sententias, prædicabit unum sermonem aliquo die dominico in domo Fr. Prædicatorum antequam Magistretur in Theologica facultate, qnem diem assignabit ille vel illi ad quem vel ad quos hujusmodi sermonum assignatio spectat, *&c.*

constare

conſtare, non tam arduum eſſe in ſacra Biblia quam in ſententias prælegere; & abſurde propterea ſcripturas explicantium numerum imminui, adaucto ſententias aperientium. *Lutetiæ* vero contra fieri, ubi obligantur Academici duabus ante vicibus Biblia exponere, quam ad ſententias accedant.

IV. Præterea Statutum ante nonum annum rogatum criminabantur; cujus nempe vi, in quamcunque Legem Magiſtri actu Regentes cum majore non-Regentium parte conſentirent, illa protinus rata haberetur. Quare cum ſcita illa de Bibliis legendis, deq; diſputationibus transferendis fierent; præter medicum unum, Magiſtri tantum Regentes cum non-Regentium parte aliquâ ſuffragabantur: diſſentientibus Magiſtris actualibus in Theologiâ, & Regentibus in Lege Canonica ac Civili. Eiſdem tamen, uti & aliis Statutis morem ſemper geſſere Theologi; quibus Magiſtri actu Regentes nil penſi habent reclamare.

V. Improbatur porro Statutum, quo decernitur, ut nemo ad Gradum aliquem admittatur, niſi juramento ſe prius obligaverit ad obſervandas Leges & Conſuetudines Univerſitatis. Quod ſi ſibi illud imponatur, damno quam maximo, præſertim hac tempeſtate, futurum oſtendebant; cum & ſe jusjurandum iſtud à conſulendis Juriſtis avocaret, & Scholares haud paucos à conſortio ſuo abſterreret; metuentes nimirum ne, contra juramenti Academici tenorem, fratribus favere, opemve ipſis aliquam præſtare viderentur.

VI. Inſtabant adhuc *Dominicani*, Leges Academicas, non rebus mature perpenſis, verum temere & præcipitanter ferri; quæ propterea Legum vim apud omnes prudentes amitterent. Denique, inter gravamina cenſebant, quod *Hugo* de *Sutton*, è familiâ ſuâ frater, ad Congregationem, prout reliqui Magiſtri, accerſitus non fuerat; ubi porro præſentem ſe fruſtra dediſſet; in ambiguo enim non eſſe dicebant ſuffragium ipſius nullius fore momenti, cæterum in concedendis aut denegandis gratiis ſupprimendum iri. Aſſerebant inſuper, fratri *Rogero* de *Baketon* Baccalaureo, poſtquam à Cancellario & Magiſtris licentiam impetraſſet, Regentiam tamen denegatam fuiſſe: fratremq; *Richardum* de *Honteley* in Sententias prælegere â famulitio ſuo juſſum, à Cancellario & Magiſtris repulſam tuliſſe; quamvis ea omnia haud inerudite præſtiterat quæ ad Baccalaureatum & Magiſtratum requirerentur, &c. &c.

Cum hæc inquam, aliaque gravamina *Dominicanos* haud parum angerent, neque à querimoniis ad Regem delatis levaminis quicquam aſſequerentur (tametſi per literas ille Univerſitati præceperat, ut à vexandis prædicatoribus ceſſatum eſſet; quin & privilegia ipſis & conſuetudines integræ permitterentur) ad Curiam *Romanam*, ſedente tum *Clemente V.* confugiebant. Porro XXVI. *Februarii* appellationem hanc ſuam, plurimorum atteſtantium nominibus ſubſignatam, in Eccleſiâ ſuâ coram ingenti hominum multitudine, inque illâ dein Fratrum Minorum (habita prius ibidem ad Clerum concione) denique & in Scholis *Carmelitarum*, recitandam publice curabant: atque his ita peractis *Laurentio* de *Warwyke*, Procuratori ſuo, ad Cancellarium & Procuratores Univerſitatis, deferendam tradidere; velut ab Inſtrumento quodam, ſub chirographo *Gualteri* de *Ergham* è Diœceſi *Eboracenſi* Clerici, publicique Actuarii, ſatis conſtat. Cæterum cum appellationem illam non admitteret Cancellarius, eandem poſtero die in Scholis palam legiſſet *Warwicenſis*, ni Cancellarii miniſter *Hugo* de *Cundicote*, aliique ab eodem (ut opinabantur plerique) Cancellario deſignati, introitum præcluſiſſent. Deinde Cancellario è Scholis prodeunti obviam factus *Laurentius* ille *Warwicenſis*, veniſſe dixit rogatum, ut Fratrum appellationis, cujus apographum die præterito acceperat, meminiſſe velit. Ibi vero Cancellarius exemplar è ſinu prolatum perfunctorio intuitu pervolvens; in lutum contemptim abjecit; additis inſuper & vocibus, *Dominicanis* parum gratis aut jucundis. Haud multo poſt haberi contigit in Templo B. *Mariæ* magnam Congregationem Magiſtrorum Regentium & non-Regentium. Quapropter eo ſe contulit dictus *Warwicenſis*, appellationem adferens cum atteſtantibus, publicoque ſuo Notario, inque medio ſe ſiſtens palam cœpit recitare; cùm Regentes manibus arreptos ipſum ſuoſque ex Eccleſiâ turbarunt, foribuſq; obſeratis excluſere. Cæterum poſtquam Procurator ille *Dominicanus* appellationis apographum præ foribus quoq; fruſtra obtulerat, conglobatâ quâ poterat hominum turbâ ad auſtrale templi latus acceſſit, tumulumque è regione loci in quo convenerant Magiſtri cum Notario conſcendens, appellationem altâ voce, ita ut (apertâ præſertim feneſtrâ) exaudiri poſſit, recitavit; deinceps Magiſtros in Templo congregatos ſic [a] allocutus.

Reverendi Magiſtri, iſtum proceſſum vobis notificaſſem interiùs, ſi fuiſſem permiſſus, ſed quia cum violentia ſum expulſus, ideò hic copiam Notario publico & teſtibus iſtis perlegi, & omnes circumſtantes teſtes invoco præmiſſorum, copiam etiam hujuſmodi proceſſus oſtio iſtius Eccleſiæ affixam vobis relinquo.

Mox autem inde ad Templi oſtium perrexit, clavoque Provocationis exemplar clauſis adhuc foribus affigens, cum ſuis diſceſſit. Dum hæc fierent, juniorum Academicorum permulti, cum Servientibus & Mancipiis (qui etiam inter Studentes habebantur) Procuratorem ſocioſque convitiis proſcidere; præter alia quibus Fratres impetebant, his eos verbis [b] corripientes.

Peccatum eſſet vobis Fratribus ſubvenire; & pium oſtia noſtra obſtruere, & vos tanquam ſuperbiſſimos infra cellas veſtras comburere, qui cum ſitis miſeri & mendici, audetis contra tantam Congregationem tam reverendarum & excellentium perſonarum appellationem aliquam commovere, &c. & alia hujuſmodi convitia plurima in Fratrum Prædictorum vituperium inculcabant.

CIↃCCCXII.

Poſtquam ſic rem geſſerant, Regem adeunt Prædicatores, à quo [c] obtinent ut Academicis mandaretur, ne quicquam de Fratrum Libertatibus adimerent; in proximo autem conventu Parliamentario Advocatum vel Attornatum ſuum præſentem ſiſti curarent, qui eorum utique nomine ad *Dominicanorum* delationes reſponderet: quæ licet haud ſecus facta fuerint, tranſmiſſis eòdem chartis & privilegiis vel ab *Edoardo* vel ab anteceſſoribus ejus Academiæ indultis, non tamen invenio quidnam hac ibidem in cauſâ decretum fuerit. Utcunque ſatis Univerſitati factum non arbitror, aliunde enim quæritur remedium, Advocatis ſive *Avenionem*, ſive (quod potius crediderim) *Romam* amandatis, ut ipſe Pontifex litem dijudicaret. In Advocatos autem [d] delegerant Ma-

[a] *In longo Rot. ut ſupra MS.* [b] *Ibidem.* [c] *Clauſ. 6. Ed. II. m. 12.* [d] *Rot. Long. ut ſupra.*

giſtrum

giſtrum *Joh.* de *Stratford*; Mag. *Adam.* de *Monmouth*; Legis Cæſareæ Profeſſores: Magiſtrum *Gualterum Horkſtow*, Mag. *Radulphum* de la *Lee*, & Mag. *Nicolaum* de *Ludlow* Clericos, cum *Joh.* de *Bathonia* Actuario publico. *Dominicani* vero in Partium ſuarum defenſores cooptabant *Laurentium* de *Warwyke*, ſæpe jam dictum; &, præter alios aliquot, *Robertum Everard* in Theologiâ Baccalaureum. Efflagitabant autem iſti, ut indultum, Fratribus *Pariſienſibus* ab *Alexandro IV.* anno Dom. CIↃCCLV. [a] conceſſum (cui initium, *Quaſi lignum vitæ*, &c.) ſibi quoque concederetur. Quibus occurrebant Procuratores noſtri, non diverſarum gentium Academiis eaſdem competere immunitates: Fratrum porro iſtorum longe alienam eſſe à *Pariſienſibus* conditionem. Subjiciebant deinde, *Hugonem* [b] de *Muſterbury*, qui inter hos ipſos Fratres Prioratum aliquando obtinebat, ſtatuta Univerſitatis *Oxonienſis* & approbaſſe & confirmaſſe; iiſdem quoque tum in ſuâ, tum in Fratrum ſibi ſubditorum perſonis ſubſcripſiſſe. Deniq;, ut paucis abſolvam, Advocati noſtri (refutatis abunde quæ à *Dominicanis* objicerentur) à Pontifice petunt & impetrant, ut quoniam proventus Academici agitandis adeo apud exteros controverſiis non ſufficerent, eaſdem in *Angliâ* diſcutiendas pronunciaret.

CIↃCCCXIII.

Haud ita multo poſt domum ſe recipientes, *Londino Oxoniam* perrexere; ſuſceptum fruſtra iter haud ſine dolore recolentes. Academicos vero ſolicitos præſertim habuit, quod operam adeo luſiſſent; neque tamen ante annum ſequentem (ut in illo mox dicetur) ſublatam invenio contentionem; re utique tum demum arbitris utrinque permiſſâ. Atqui hoc interim ſpatio *Gualterus Reynolds* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* pro Fratribus ad Cancellarium & Magiſtros [c] interceſſit, ut cum iiſdem in gratiam rediret, & ejus familiæ *Gualterum* de *Walpole*, omiſſis in Sententias Lecturis, Bibliam biblice explicare paterentur. Quin & alias deinceps [d] literas in eorum gratiam ad Cancellarium ac Magiſtros conſcripſit; unde diſcere erit, lites haſce fomenta accepiſſe à quibuſdam male feriatis, u i à Regularium caſtris transfugerant. Literarum partem aliquam exhibendam cenſeo. *Nos* (inquit) *intelligentes quod quidam Apoſtatæ, qui Ordinem Fratrum Prædicatorum tam propter juſtitiam ipſius Ordinis, quam propter eorum perpetrata facinora formidarunt, per ſuas appellationes frivolas & fruſtatorias & reprobatas à jure, ſuas malitias palliare nituntur; ac ipſum ordinem, necnon prælatos dicti Ordinis, quorum fama per Univerſum Orbem odorifera & celebris extitit & exiſtit, per libellos famoſos ac defamatorios diffamare conantur; veſtræ devotionis paternitatem requirimus & hortamur, quatenus, ſi hujuſmodi Apoſtatæ per ſe vel per alios, appellationes hujuſmodi falſas & frivolas in Univerſitate veſtra publicent, notificent, vel interponant de novo, hujuſmodi appellationibus quas tanquam pro vitanda correctione interpoſitas jura prohibent interponi nullatenus deferatis, nec hujuſmodi libellis diffamatoriis fidem aliquam adhibere curetis, ſed Fratres ipſius Ordinis ad omnes Actus Scholaſticos, ad quos de jure & conſuetudine ſeu privilegio admittendi fuerint, hujuſmodi appellationibus non obſtantibus admittatis*, &c. Ita in literis ſuis Archiepiſcopus, quibus eoſdem Fratres pro tempore conſolabatur.

CIↃCCCXIV.

Cæterum pendente nihilo ſecius in hunc annum lite, coibant demum cum Fratribus Academici, compoſitâ per ſequeſtros contentione: è quâ compoſitione, ad Regem, ut ab eo [e] firmaretur, tranſmiſsâ, pauca adjiciam, prædicta (ni fallor) nonnihil diluciditura. Inprimis itaque utraque pars certos quoſdam Procuratores Arbitroſq; delegit; controverſiam omnem ut cum Leguleis loquamur, [f] *Laudo, definitioni, arbitrio ſeu ordinationi eorum*, permittentes. Procuratores ex parte Univerſitatis erant *Edmundus* de *Mepham* & *Antonius* de *Beck*, in S. Theologia Baccalaurei; à *Dominicanis* autem *Lucas* de *Wodeford* S. T. P. & *Radulphus* de *Seton* ſive *Sutton* S. Theologiæ Baccalaureus. Delegatos vero ſeu arbitros deſignavit Academia, *Johannem* de *Monmouth* Epiſcopum *Landavenſem*, eoque abſente, Magiſtrum *Johannem* de *Clothale*, Cancellarium Eccleſiæ S. *Pauli Londinenſis*; cum *Gilberto* de *Middleton* Cancellario *Lincolnienſi*, &, ſi illum abeſſe contingeret, *Adamum* de *Orleton* Legis Canonicæ Doctorem. Delegati autem ex parte Fratrum erant, *Petrus* de *Kennigton*, (ad cujus vicem ſupplendam deſignabatur *Lucas* de *Wodeford*) & *Thomas Everard*, eoque abſente *Johannes* de *Wrotham* (Fratrum Prædicatorum *Londinenſium* Prior) cum *Gilberto* de *Ludegareſhale* Actuario publico. At vero delegati, priuſquam ad dijudicandum accederent, ab utriſque ducentas libras exigebant, apud Priorem & Canonicos *Frideswydenſes* deponendas, aut ſaltem vades deferendos, qui illas pecunias numerandas ſponderent; quibus nempe mulctanda erat, ſiqua pars eorum deinceps arbitrio ſtare abnueret. Id ex utriuſq; partis ſyngraphis, præſertim *Dominicanorum* illo, pro comperto [g] habemus; qui tum dictorum Fratrum, tum Prioratûs *Frideſwydenſis*, tum denique Academiæ ſigillis communiti pridem comparebant. Quod ad ſententiam vero ſpectat in quam tandem veniebant Sequeſtri; ejuſmodi fuiſſe deprehendo.

1. Imprimis, ordinatum erat, quod, ſecundum Statutum nuper factum, veſperiæ à Prædicatoribus ſeu *Dominicanis* in Eccleſiâ ſuâ celebrari conſolitæ, ad Beatam *Mariam* transferrentur, ibidem in perpetuum peragendæ.

11. Statutum inſuper, ut Sermones examinatorii, à Baccalaureis tum ſecularibus tum Religioſis (quamvis olim intra Prædicantium ac Minorum fratrum Ædes ab earum familiarum ſtudioſis haberi conſueverint) priuſquam in facultate Theologiæ incipere fas eſſet, habendæ, ad Eccleſiam Beatæ *Mariæ* transferantur, prout ſtatuto ante annum duodecimum lato decretum fuerat: proviſo tamen, quod quiſque Baccalaureus, poſtquam Sententias in Scholis publicis explicuerit, concionem alteram apud Fratres Prædicatores habere teneatur, prius quam ad Regendum in Theologiâ admittatur. Denique quod ad reliqua attinet Compoſitionis capita, abſque aliâ cautione

[a] *Luc. Wadding ut ſupra ad an.* 1255. [b] *Vel de* Muſtreton *qui, cum* Cancellario *& omnibus Mag. Reg. in S. Scriptura & cæt. Mag. Regentibus in Decretis & legibus & duobus Rectoribus pro Artiſtis, ſubſcriptionem præſuerunt eodem Statuto. Sic* Ad. *de* Mariſco *in quadam epiſtola ad W. Miniſtrum* Angliæ. [c] *Reg.* Reynold. *fol.* 33. [d] *Ibidem fol.* 59. [e] *Pat.* 7. Ed. II. *part.* 2 *m.* 10. [f] Laudum, *dictio antiqua pro ſententia ſeu definitione alicujus arbitrii de re aliqua. & in eodem ſenſu Arbitrator laudator & definitor.* [g] *In turri Scholarum in pix.* Y. *nu.* 8.

vel

vel exceptione ex Academicorum ſententiâ fiebant; confirmatis quæ cavillati fuerant *Dominicani* ſtatutis, qui contriſtati haud modice abierunt, quod ſcilicet ingenti illo ad habitacula ſua confluxu, nec non ſuccreſcente inde lucro carituri in poſterum viderentur; cum nihil jam amplius aſſecutos conſtet, quam ut Scholis ſuis ad Lecturas quidem, diſputationes, & determinationes uterentur; modo ea omnia convenienter Statutis Academicis præſtanda curarent.

Non longe ab his (in menſem enim *Februarium* id incidit) Magiſtri, errores perplures in Theologiam irrepſiſſe (qui quidem dictorum juxta & reliquorum Fratrum fraudi ac perfidiæ tribuendi) immo jam porro in Scholis publice propugnatos eſſe, animadvertentes; cognoſcendos eoſdem, junctiſq; calculis damnandos exiſtimabant. En vero tibi eorum [a] octo, Cenſuris Academicis notatos.

I. *Quod Deus Pater potuit produxiſſe creaturam ante verbum; origine, naturâ, vel tempore.* In hunc autem errorem plurimus eſt *Doctor* ille [b] *Profundus.*

II *Quod Pater potuit producere omnem Creaturam ſine filio producente de potentia abſoluta, etſi non de potentia ordinaria.*

III *Quod etſi filius nullam creaturam produxerit, vel producere potuiſſet, cum pater omnem creaturam creabilem in priore originis verbo non producto produxerit, filius nihilominus eſſet omnipotens, quoniam haberet eandem vim & potentiam cum Patre; ſed Spiritus Sanctus eſt omnipotens quamvis non poſſet producere Filium ſed Pater poteſt, quoniam non obſtante hoc haberet eandem vim & eandem potentiam cum Patre.*

IV *Quod ſi creatura produceretur ante verbum, debet interim produci à prima perſona in divinis, non à Patre.*

V. *Quod opera Trinitatis reſpectu cauſarum ſunt diſtincta de facto, non tamen neceſſario; quin alio modo redemptio humani generis poſſet fieri, vel potuiſſet fieri ſine Chriſti Morte & Incarnatione.*

VI. *Quod ſi Pater poteſt producere Verbum quod major eſt quam creatura ſine ſocio, eadem ratione vel majore Pater poteſt producere creaturam quæ minor eſt ſine ſocio, i. e. ſine filio producente.*

VII. *Quod ex quo Philoſophi qui tam clarè & limpidè intellexerunt, non poſuerunt productionem verbi in divinis, & tamen poſuerunt cunctas res emanare ab uno ſuppoſito quod eſt perfectum ſufficiens, nec viderunt in hoc formalem contradictionem; ita & ego poſſum ponere quod Deus Pater potuit producere cauſas ante verbum ſine formali contradictione.*

VIII *Quod ſi poterat creatura produci ante verbum, non propter hoc ſequitur formalis repugnantia terminorum nec ex parte* Patris *producentis, nec ex parte creaturæ productæ.*

Has ego doctrinæ corruptelas è Theologicis quibuſdam quæſtionibus, quas in obſcuro quodam [c] M. S. (cujus initium, *Utrum perfecta Dei cognitio ſit poſſibilis viatori*) me legiſſe memini, collectas arbitror. Quicquid ſit, prædicti articuli in Prioratu Fratrum *Auguſtinenſium*, Regentium iſtorum in Theologiâ calculis explosi ſunt & ejecti; viz.

Magiſtri
- *Henrici* de *Harcla*, Canc. *Oxon.*
- *Robert.* de *Rythley.*
- *Johan.* de *Nottingham.*
- *Ant.* de *Becke.*
- *Simonis* de *Mepham.*

Magiſtri
- *Johan.* de *Selbey.*
- *Hervæi*, Monachi *Nordovicenſis.*
- *Roberti*, Monachi de **Morgan** æque familiâ *Ciſtercienſi.*
- *Joh.* de *Middleton*, de Ordine Minorum.
- *Joh.* de *Chelveſton*, Carmelitæ.
- *Guliel.* de *Markley*, Auguſtiniani.
- *Nicol. Trivett*, Dominicani;

qui lecturas jam reſumpſit, & in eandem cum antedictis ſententiam veniebat.

Hoc præterea anno Academicorum *Borealium* cum *Auſtralibus* & *Occidentalibus* funeſtum incidit certamen; cujus nec originem reperio, nec integrum progreſſum; imperfectam tamen ejus [d] notitiam adhibebo. In die dominico, qui poſtridie Inventionis S. *Crucis* erat, in Plateam Divi *Johannis* Baptiſtæ, inque vicum **Gropelane** prodibant antedictarum gentium Scholares bene multi; gladios clypeoſque geſtantes, arcubus porro aliiſque telis probe inſtructi. Ibi conſerto prælio ad multas horas acriter pugnatum eſt, verum cum ſe hoſti impares animadverterent *Boreales*, eorum nonnulli in Aulam *Goterianam*, vulgo **Goterhall** dictam, inque exitu vici **Gropelane** auſtrali poſitam, ſe recepere. Id ſpeciatim fecere *Rob.* de *Brydlington*, *Adam* de *Alderbeck*, *Rich.* de *Louthbey*, & *Rich.* de *Holewell*; qui emiſſis ſparſim per feneſtras ſagittis turbam hoſtilem haud parum infeſtarunt; occiſo nominatim *Henrico* de *Inſula*, quem *Brydlingtonus* fertur interemiſſe. Trucidatus eodem tempore immanem in modum eſt *David* de *Kirkby*, quem *Gul.* de la *Hyde* in altero genu & *Gul.* de *Aſtele* ſub ſiniſtro brachio gladiis conſauciarunt; poſtquam occipitio ejus lethale vulnus inflixiſſet *Johannes* de *Benton.* Poſt menſem alterum dimicatum [e] denuo eſt juxta portam Borealem, ubi ſauciatis quamplurimis, *Robertus* de *Crofton*, *Stephani* de *Caperugg* & *Roberti* le *Northern* manibus occubuit. His ergo Regi innoteſcentibus, tum de conflictu iſto, tum aliis quæ jam gliſcebant ſimultatibus, *Henr. Spygurnell*, *Henrico* de *Scrope*, & *Joh.* de *Foxely*, delegatis, ſive commiſſionariis ſuis inquiſitio [f] demandatur. Cæterum quid præſtiterint illi, quamve pœnam ſontibus irrogarint, hauddum reperi: certe plures inde annos vixiſſe [g] comparet *Robertus* de *Brydlington*, atque à Laicis quibuſdam indignis modis tractatus, querelas de vi ſibi illatâ ad Archiep. *Cantuarienſem* detuliſſe qui ſcriptis ad Epiſcopum *Lincolnienſem* [h] literis, rem ſibi plenius aperiendam requirebat.

Hac porro tempeſtate, Regia Majeſtas, rogante Cancellario, Vicecomiti per literas [i] mandavit, ut Univerſitatis privilegia violari non permitteret, verum Cancellario, quoties opus eſſet, in tuenda pace ſubſidio veniret. Quinetiam confirmavit [k] hoc anno Rex pactum conventum ſive Compoſitionem, quam inter Univerſitatem Oppidumq; XVIII. *Edwardi I.* dom. autem CIↃCCXC. factam prædiximus; necnon [l] privilegia Academiæ ab *Henrico III.* indulta. Porro

[a] *In A. fol.* 9. *a. E. p.* 29. *& in lib. chartaceo MS. in bib.* Coll. Merton. [b] Bradwardinus *in opere ſuo de cauſa Dei.* [c] *In bib. Coll.* Merton. *vide in Ecloga* Jameſii, *p.* 15. *vol.* 159. [d] *Ex Rot. quodam* Tho. *de* Grandpont Coronatoris *ſive Quæſitoris Regis pro* Oxon. *temp.* Ed. II. *in ſcriniis* Civit. Oxon. [e] *Ibidem* [f] Pat. 7. Ed. II. *m.* 5. [g] *Vide Hiſt. ſub an.* 1320. [h] *In Regiſt.* Reynold. *fol.* 109. [i] *In turri Scholarum in pix. MM. nu.* 17. *&* Pat. 8. Ed. II. *m.* 17. [k] *Ibid. in MM. nu.* 3. *&* Pat. 8. Ed. II. *m.* 24. [l] *Ut ibid. MM. nu.* 5.

secundum hæc concitata sunt inter Universitatem & Episcopum *Lincolniensem* de Cancellariatu dissidia, quam utique jurisdictionem vindicavit Episcopus, donec Cancellarius demortuo sufficiendus sibi præsentaretur; immo nequis illum in eo munere obeundo interpellare auderet, jus suum improbantes anathemate [a] illigavit: cujus sententiæ pars sic, ni fallor, loquitur --- *cum nonnulli famæ suæ prodigi vacante in Universitate Cancellarii Officio, jurisdictionem ad illud officium pertinentem (prout ex fide dignorum relatione intelleximus) perperam exercere præsumant, in nostræ jurisdictionis præjudicium manifestum, & Episcopalis dignitatis contemptum*, &c.

CIↃCCCXV.

Per hæc tempora, cùm gravissimæ ad Regem querimoniæ per Cancellarium & Procuratores haberentur, de obsoniorum in Mercatu *Oxoniensi* pretiis admodum iniquis (quæ non sine fraude reliquis factâ, tenuiores Scholares, qui ferè ex eleemosyna alebantur, Universitate abscedere coegere) visum est [b] Breve suum ad Cancellarium transmittere, quo jubetur, cibariorum pretia per se & Parliamentum suum constituta promulgare; de quibus ordinatum hunc in modum erat.

I. *Melior Bos vivus* (hoc est optimus) *venalis, crassus, de grano non pastus, vendatur de cætero, pro xvi. sol. & non ultra: & si de grano pastus fuerit & sit crassus pro xxiv. sol. ad plus tunc vendatur, & melior vacca viva & crassa pro xii. sol.*

II. *Porcus duorum annorum* (ovem bimam intelligit) *pro xl. denariis, multo lanitus, crassus, pro xx. den. multo tonsus crassus, pro xiv. den.*

III. *Auca crassa* (sive Anser) *pro ii. den. & ob.*

III. *Capo bonus & crassus pro ii. den.*

IV. *Gallina crassa pro i. den.*

V. *Duo pullini* (sive pulli gallinacei) *pro i. den.*

VI *Quatuor columbellæ pro i. den.*

VII. *Viginti quatuor ova pro i. den.*

Hæc autem pretia (paucis immutatis) aliis passim locis servari jussa sunt, unde factum opinor, ut ab [c] Historicis haud paucis memorentur. Verum, ut ad majora veniamus, quo benevolentiam suam adversus Academiam nostram apertiorem faceret Regia Majestas, Privilegia nobis ab Avo suo *Henrico III.* concessa ac firmata, [d] stabilivit; qualia erant.

I. Illud de quo supra dictum est, in anno. Dom. CIↃCCXLIV. quodque X. *Maii* dabatur.

II. Alterum dat. X. *Febr.* de taxandis Hospitiis, quod vide in an. CIↃCCLV.

III. Porro, quæ *Jun.* XVIII. & *Febr.* VI. an. Dom. CIↃCCLV. & LXI. indulta fuerant; de IV. utique Aldermannis & VIII. Burgensibus agentia.

IV. Idque quo *Febr.* II. anno XLIXº. *Henrici III.* mandatum est, ne Clericus vel Scholaris *Oxoniensis*, licet feudum Laicale possideat, cogatur in Concessibus juridicis jurati personam [e] sustinere.

V. Ratum denique habuit *Edoardus* diploma illud *Henrici III.* datum *Jun.* XXI. annoque Regni LII. quo utique privilegia [f] firmârat *Henricus* quæ anno Regni sui XXXII. *Woodstochiæ* agens (ubi cum Procuratoribus aderant Burgenses nonnulli) Academiæ concesserat. In chartâ vero illâ confirmatrice *Edoardi II.* hoc anno indultâ, post subscriptum quo dabatur diem, hæc verba reperio: *Per ipsum Regem & Concilium & pro mille quingentis Psalteriis, & sint quieti de feodo sigilli.* Verum neque hic stetit Regia *Edoardi* erga Universitatem benevolentia; namq; cum resciret maleficos quosdam, tum in ipsâ Urbe tum in Pomœriis latitantes, otium pacemque Scholarium turbare, Rescriptum [g] illico de iisdem sedulo comprehendendis ad Majorem & Ballivos transmisit.

CIↃCCCXVI.

Hoc anno prorupit denuo, & ad Curiam iterum *Romanam* delata est, Universitatis cum Prædicatoribus controversia; postquam scilicet integro biennio terminatam omnes credidissent. Et certe Fratres tantopere apud Regem gratiâ valebant, ut literas ab eo ad Pontificem obtinuerint, quarum binas vidi & perlegi, XXVI. *Decembris* primoque *Februarii* hoc anno conscriptas. In prioribus [h] autem illis, Rex Prædicatores à sanctâ pietate (quam Universitati in gloriam & emolumentum cedere refert) impense collaudat; subiicitque Familiam illam ante reliquas omnes, apud majores suos in pretio fuisse: obtestari propterea se Sanctitatem suam, tam æquam in utrosq; pacem componeret, ut iidem Prædicatores libertates sibi ereptas, jure nequaquam quererentur. Novissimarum vero literarum [i] argumentum erat; nunciatum esse sibi, quod à Magistris *Oxoniensibus*, in Curiâ *Romanâ* palam esset incusatus, ac si utique Universitatis eversionem interminatus fuisset, ni Fratrum votis obsecundarent; falsissima vero esse hæc, & pro fratribus illis quam mitissimis tantum precibus intercessisse. Sic *Dominicanis* patrocinata est Regia Majestas: & certe in Regum animos mirifice influebat hæc familia, cum ex eâ usque ad *Henrici VI.* tempora, unum aliquem perpetuo delegerint qui sibi esset à secretis confessionum; quod à consultissimo memoratur [k] scriptore, qui subjungit porro, quoties Confessorum regiorum quisquam ad Episcopatum eveheretur, ad curandam Diœcesin amandatum protinus fuisse; in ejus vero locum dicti Sodalitii quempiam extemplo surrepsisse. Cæterum qualem habuerint finem renovatæ lites, aut quinam victores extiterint, parum constat; tametsi non modo Regem, sed & Optimates perplures & Episcopos ad partes suas perduxere Prædicatores; quorum Procurator *Thomas Everardus* literas [l] commendatitias ad *Nicolaum* Episcopum Cardinalem *Hostiensem* & *Vellensem* à *Gualtero* Archiep. *Cantuariensi* accepit, qui Academiam ibidem, quod Fratres exagitaret, & à Gradibus prohiberet, multum criminatur; quibus tamen irritam accommodabant operam tum Episcoporum, tum dynastarum, tum denique ipsius Regis ad Universitatem Epistolæ; namque cum á se jus fasque esse probe cognoscerent Academici, animos erigebant,

[a] *Reg.* Dalderby *fol.* 264. *a.* [b] *In C. fol.* 90. *b.* & *in scrin. Civit.* Oxon. [c] Tho. Walsyngham *sub hoc an.* & *alii.* [d] *Pat.* 8. Ed. II. *part.* 2. *m.* 24. *A. fol.* 73. *b.* & *in turri Schol. in pix. MM. nu.* 6. [e] Harus *de privilegiis fol.* 8. *b. ex Pat.* 49. Hen. III. & *in pix. EE. in tur. Schol. nu.* 1. & *in A. fol.* 53. *b.* [f] *Rot. chartarum* 52. Hen. III. *m.* 6. & *in pix. EE. ut supra nu.* 3. & *in A. fol.* 51. *b.* C. 77. *b. E.* 78. *b.* [g] *In A. fol.* 75. *a.* [h] *Rot. Rom.* 10. Ed. II. *m.* 3. *in turri* Lond. [i] *Rot. Rom.* 10. Ed. II. *m.* 3. *vel* 4. [k] Tho. Gascoigne *in* 2. *part. Dictionar. Theologic. MS. p.* 449. [l] *In Regg.* Reynold. *fol.* 85.

nec

nec prece, nec minis adducendi, ut jura & privilegia ſua dimitterent, aut injuſtum *Dominicanorum* ambitum invaleſcere paterentur.

CIↃCCCXVII.

Quamvis autem in illis litibus Regium ad Fratres animum inclinaſſe haud obſcure liquet, anno tamen ſequenti (quo compoſitæ utique, ut opinor, contentiones fuere) certis probavit indiciis haud malignius tamen ſe Univerſitati favere. Scriptis quippe *Julii* XIII. ad Pontificem [a] literis, eundem obſecrat, ut Magiſtros & Scholares, in rebus Academiæ dignitatem & emolumentum tangentibus, audire dignaretur; ubi & de Univerſitatis laudibus in hæc verba uberius ediſſerit: ---*de fructu ſalutari qui ex Univerſitate* Oxon. *infra regnum noſtrum, & ibidem Studentibus ad exaltationem Eccleſiæ ſanctæ & conſolidationem ac augmentationem Fidei Catholicæ, necnon ad noſtri & dicti regni laudis præconium & utilitatem incrementa creſcit & multiplicat, gaudere decet Eccleſiam, & præ cæteris Anglicanam; ex eo etiam quod idem regnum noſtrum decoratur jocali tam nobili collætamur, deſiderantes eandem Univerſitatem*, &c.

Robertus Harus literas his haud abſimiles, immo formâ tantum diſcrepantes, pro Academiâ *Cantabrigienſi*, ad Pontificem, XVIII. *Martii*, tranſmiſſas [b] contendit; atqui falſus omnino eſt, uti & in omnibus pæne quibus altricem ſui Univerſitatem efferre ad cœlos laborat: dictas enim Epiſtolas [c] pervolvens, nil aliud efflagitantem reperio *Edoardum II.* quam ut velit Pontifex *dictam Univerſitatem perpetuare, & privilegia quibus Cancellarius & Scholares Univerſitatis illius & eorum Prædeceſſores uſi ſunt hactenus & gaviſi, cum augmentatione novorum privilegiorum* (per Magiſtros) *condendorum*, &c.

In aliis porro [d] tabellis dat. XXVI. *Decemb.* ſequentis, quas Rex R. Pontifici miſit per *Jo. Lutterellum* S. T. P. & Academiæ Cancellarium (hunc autem per alias [e] tum literas Sanctitati ſuæ commendatum voluit) ſereniſſimum principem ſub hac forma loquentem invenio.--- *Inter eximia gratiarum donaria quibus regnum noſtrum* Angliæ *manus altiſſimi mirificè ſtabilivit, ſummo meretur attolli præconio & favoris cujuſlibet inſigniri præſidio, ſublimis illa ſapientialis ſtudii dignitas, quæ in* Oxon *Univerſitate continuatis viget ſucceſſibus, & floruit ab antiquo. Ipſa namque ut mater fœcunda, prolem innumeram procreare non deſinit, cujus ſcientialis claritas cæteros irradiat & illuſtrat; ipſa etiam velut vitis fructifera, palmites ſuos circumquaque diffundit; qui ſitibundis Eccleſiæ filiis, ſalutaris doctrinæ pocula copioſè miniſtrant, & de virtutum cellario, totam lætificant domum Dei. Sanè intelleximus hanc dudum à felicis memoriæ D.* Bonifacio *Papa octavo Prædeceſſore veſtro Univerſitatibus regni* Franciæ *gratiam fuiſſe conceſſam, ut omnes qui gradum magiſtralis honoris in quacunque facultate aſſecuti fuerint, in eiſdem poſſint ubique terrarum lectiones reſumere & eaſdem continuare, pro ſuæ libito voluntatis, abſque novæ examinationis vel approbationis præludiis, ſeu debito iterandi principii, aut petendæ gratiæ cujuſcunque. Verùm quia dubium non eſt (ſecundum veterum teſtimonia ſcripturrarum) Gallicanum ſtudium ab* Anglicis *noſtris originale traxiſſe principium, conſtatque talem Apoſtolicæ diſpenſationis gratiam in Anglicani ſtudii redundare diſpendium, ſi Univerſitas noſtra* Oxon *cum prædictis Univerſitatibus regni Franciæ, in libertatibus & Scholaſticis actibus non concurrat, Sanctitati veſtræ, affectuosâ inſtantiâ ſupplicamus, quatenus ad pacem inter viros Scholaſticos nutriendam, Univerſitatem prædictam* Oxon, *conſimili velitis privilegio decorare. Nos ſiquidem plurimùm gauderemus, ſi in noſtri & Univerſitatis noſtræ prædictæ favorem, quod à providentia veſtra depoſcimus, exaudiretis gratiosè. Quia valdè moleſtum nobis foret, ſi tanta Univerſitas, aliqua noſtris adverſa temporibus pateretur, aut redigeretur ad inſolitam ſervitutem. Conſervet vos altiſſimus per*, &c.

His autem non aliud videtur poſtulaſſe Regia Majeſtas, atque *Oliverus Suttonus*, Epiſcopus *Lincolnienſis*, à *Bonifacio* octavo (id privilegii Studiis Gallicis deferente) jam ante (ut ſub anno Domini CIↃCCXCVI. dictum eſt) flagitaſſet. Operam vero nunc luſiſſe Regem ſuſpicari quis poteſt, cùm is eodem quaſi tempore, *Jocalia ſolennia*, vaſa aurea, aliaque haud vulgaris pretii dona, ſedi Apoſtolicæ per Oratores [f] contulerit. Legatione illâ functi ſunt Comes *Pembrochienſis*, *Elienſis* & *Nordovicenſis* Epiſcopi cum D. de *Baldeſmere*, *Antonio* de *Piſano*, & Mag. *Gulielmo* de *Berſton*, Archidiacono *Gloceſtrenſi*; quos omnes, (uti & Magiſtros complures *Oxonio* & *Lutetiâ* miſſos) Pontifex Romanus apertiſſimis favoris ſui indiciis cohoneſtavit.

Hoc inſuper anno ſtructas deprehendo ciſtas binas, reponendis nempe CCL. Marcis quas ante triennium *Gilbertus* de *Routhbury* Univerſitati donaverat; quo tempore & [g] ſtatuta fiunt de eâdem pecuniâ Magiſtris Regentibus & non Regentibus, Baccalaureis & Sophiſtis mutuò credendâ; prout ſupra de nummis à *Pontiſſarâ* legatis ordinatum meminimus. Arculis vero hiſce *Routhburianæ* deinceps cognomen erat, atque Ciſtis æſtivis annumerabantur.

CIↃCCCIIX.

Eo jam inſolentiæ devenerant *Fratres* Prædicatores, ut privilegia neſcio quæ à Pontifice nuper conceſſa (maxime vero alterum quo juriſdictione Academicâ ſolutos ſeſe divenditarunt) crepantes; Cancellarium & Magiſtros præ ſe contemnere, interque Scholares turbas ac ſeditiones movere occœperint. Rex itaque (ad quem ſcilicet Cancellarius, aliique haud pauci, querelas ea de re detulerant) Reſcripto [h] ſuo Vicecomiti mandat; ut cùm Anteceſſores ſui Cancellario *Oxonienſi* poteſtatem dederint infra Academiæ præcinctus, quæcunque tam Clericorum quam Laicorum (præterquam capitalia quæ vocant crimina; & mutilationem, ſive *Mahemiam*) cognoſcendi; cùmque Fratres quidam, Indulto ſe Pontificio ditioni Academicæ ſubtractos prætendentes, turbas Scholaribus dare, Urbemque tumultibus infeſtare auſi fuerint: iſtarum propterea literarum vigore malemeritos eos, (utut diplomata quævis Papalia præ ſe ferant) debitâ pœnâ plectendos

[a] Rot. *Rom.* 11. Ed. II. *m.* 10. [b] *In libro ſuo de memorabilibus* Oxon, *fol.* 29. *b.* [c] *Inter* Rot. *Rom. in Turri* Lond. 11. Ed. II. [d] *Inter eoſdem rot. Rom.* 10. Ed. II. [e] *Ibid.* 11. Ed. II. *m.* 11. [f] *Continuator* Adami Myrimouth *MS. in bib. Coll.* Magd. Oxon. [g] *In A. fol.* 49. *b.* C. 38. *b.* [h] *Clauſ.* 12. Ed. II. *m.* 22. *vide in epiſtolis ſive ſummis* Pet. *de* Vineis *MS. in bib.* Bod.

ſedulo curaret. Porro autem deferuntur poſt paulo ad Epiſcopum *Lincolnienſem* Fratres ; quod ejus utique Juriſdictionem invadentes, & peccatis laxandi, & ſacris prohibendi authoritatem ſibi arrogarent. Is ergo per [a] literas Archidiaconi Officiario præcepit, ut in omnibus tum intra *Oxoniam*, tum in regione vicinâ Eccleſiis edici juberet, nequis Fratrum eorum aliquem pro paſtore ſuo agnoſceret ; qui ſic faceret anathemate innodari : quod ſcilicet abſolvendi poteſtas, infra Univerſitatem Cancellario, infra Archidiaconatum vero *Oxonienſem* Sacriſtæ *Oſneienſi* conſignata dudum fuiſſet. Qualem hæc effectum ſortita ſunt, compertum non habeo ; atqui, ut plura impræſentiarum de fratribus iis adferre ſuperſedeam, conſtat illos neque propoſiti ſui tenaces fuiſſe ; verum nil certi ac deliberati habuiſſe præterquam moleſtiam Academicis frequentem quoquo modo exhibere ; quâ in re diligentem adeo operam impendebant, ut noſtrates perinde ac *Pariſienſes* receptorum in Academias pœnituerit, & utrinque nil ardentius optaverimus, quam exterminatos tandem aliquando videre.

Notandum quod *Clemens V.* Pontifex Romanus, in Synodo *Viennæ Gallorum* habitâ an. CIↃCCCXI. conſtitutiones haud inſalubres fecerat, ad Religionis Reique literariæ incrementum pertinentes ; quas cùm in unicum volumen colligere deſtinaret, negotiis majoribus eouſque præpeditus eſt, donec mors demum conſilia anteverterit. Illas autem poſtea *Johannes* (*XXII.* ut aliqui volunt) Pontifex in unum coegit ; earumque [b] alteram, ad eruditionis emolumentum ſpectantem, cum anno jam elapſo confirmata fuiſſet, *Oxonii* in Feſto converſionis Divi *Pauli* juxta computum Aſtronomicum, publicari juſſit. Decretum illud Linguam Græcam atque Orientales attingit quarum Profeſſores inſtitui voluit in Univerſitatibus lociſque ſubſcriptis. ---*Ut igitur peritia linguarum hujuſmodi* (loquor nunc ex ipſa conſtitutione *Clementis* Papæ) *poſſit habiliter per inſtructionis efficaciam obtineri, hoc ſacro approbante Concilio Scholas in ſubſcriptarum linguarum generibus, ubicunque* Romanam *curiam reſidere contigerit, nec non in* Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi, & Salamantico *Studiis providimus erigendas : Statuentes ut in quolibet locorum ipſorum teneantur Viri Catholici ſufficientem habentes* Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ & Chaldeæ *linguæ notitiam, duo videlicet uniuſcujuſq; linguæ periti, qui Scholas regant inibi, & libros de linguis ipſis in latinum fideliter transferentes, alios linguas ipſas ſolicitè doceant, earumque peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant, ut inſtructi & docti ſufficienter in linguis hujuſmodi, fructum ſperatum poſſint (Deo autore) producere, fidem propagaturi ſalubriter in ipſos populos infideles : quibus equidem in* Romana *curia legentibus, per ſedem Apoſtolicam : in ſtudiis verò* Paris. *Per Regem* Franciæ: *In* Oxon. *per* Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ *ac* Walliæ ; *in* Bononia *per* Italiæ ; *in* Salamantica *per* Hiſpaniæ *Prælatos, Monaſteria, capitula, Conventus, Collegia exempta, & Eccleſiarum Rectores in ſtipendiis competentibus & ſumptibus volumus provideri*, &c.

Quam *Clementinam*, tanquam certiſſimum indicium defectus & imperfectionis Univerſitatis noſtræ, & reliquarum quæ hic nominantur, [c] *Londineuſis*, ſive *Caius*, habendam dicit : nimirum ideo *Cantabrigiam* fuiſſe præteritam, quia *Oxoniam* dignitate & eruditione excelleret ; ſtudioſis *Cantabrigienſibus*, ita in linguarum ſcientia excultis, ut Profeſſoribus minime indigerent ; qui ad nos hebetes & indoctos amandandi : & cum variæ eſſent in *Gallia* Academiæ, relictis iis, ſolam elegiſſe *Pariſienſem* Patres *Viennenſes*, quia omnium illa ultima & indigniſſima. Sed fruatur hoc ſuo furore vir ille : ſobrii certe omnes longe aliter ſentiunt ; quodque *Londinenſis, defectum, Gregorius* [d] *Theolozanus incrementum* vocat, & *Caſſanæus* (quale revera eſt) *privilegium* ; unde *Rodolphus Hoſpinianus*, ut alios præteream, *Oxoniam* præcipuis totius Orbis ſtudiis comparandam [e] cenſuit. Profecto conſtitutio hæc *Clementina* multo magis inter *Oxonienſis* Academiæ Privilegia ac memorabilia reponi meruerit, quàm illa *Thomæ Arundelii* de *Wycleviſtis* apud *Lynvoddium* conſtitutio tantum provincialis, quam tamen, omiſſa hac de quâ loquimur, *Robertus Harus* in *Oxonienſis* Academiæ memorabilium Pandectis quas contexuit tranſcripſit.

Et quanquam ſint qui in hac *Clementina*, non ſtudiorum ipſorum ordinem deſignari, ſed provinciarum ad quas pertinebant rationem potius habitam fuiſſe aſſerant, merito tamen inſigniſſimus Juriſconſultus D. *Albericus Gentilis*, *Oxonienſis* Scholæ [f] præcedentiam (ad M. *Paris* mentem, qui ait, eſt *Secunda Eccleſiæ Schola*, immo prima, quia *Eccleſiæ fundamentum* ; vide *Math. Pariſienſem* ſupra ſub anno CIↃCCLVI.) ex iſta ſtudiorum Catholicorum enumeratione, in Oratione pro laudibus ejuſdem & *Peruſinæ*, probavit & confirmavit : Quemadmodum è contra ex *Oxonienſis* ſtudii in hac conſtitutione præcedentiâ, *Henricus* de *Abendon* Collegii quondam *Mertonenſis* Cuſtos, in concilio *Conſtantienſi* (uti poſtea memorabimus) univerſæ *Anglicæ* gentis primatum adverſus *Hiſpanos* tuebatur. Quapropter ſi in hac *Clementina*, *Oxonienſe* ſtudium (quâ voce generalem intelligit Univerſitatem, ut ait Gloſſator) cæteris Provinciarum ſtudiis generalibus præponatur, quanto magis *Cantabrigienſi*, ejuſdem Provinciæ Scholæ, anteponendum ? *habet hinc Eccleſia Univerſitates, in quibus S. Biblia transferenda, peregrinæ linguæ docentur*, inquit in ſua adverſus tranſlationem Anglicanam [g] determinatione, *Gulielmus Butlerus*. Quinimo ad *Talmudicos* quoque libros interpretandos præſidia hinc petebantur, de quibus maximè hanc conſtitutionem intelligi, author eſt de Arcanis Catholicæ veritatis lib. II. cap. 7. *Petrus Galatinus*, quem licet ob eam ſententiam *Sixtus Senenſis*, Bibliothecæ S. lib. ſecundo reprehendit ; *Eugenius IV.* Pontifex Romanus in Concilio *Baſilienſi, Judæorum & Neophytorum* ſaluti nihil utilius judicavit, quam ſi *Viennenſem* hanc conſtitutionem renovaret, & procuraret ut ſtipendia profeſſoribus honeſta penderentur ; cui rei ſtudiorum ipſorum Rectores, in aſſumptione Rectoratus ſui, juramento eſſent adſtringendi.

Illa hercle *græcæ linguæ* in quibuſdam corruptioribus exemplaribus omiſſio, nonnullis Gloſſatoribus occaſionem præbuit, (uti mox dicam) ut in originali quidem extitiſſe, deletam tamen comminiſcerentur ; quod hæc conſtitutio de illis tantum linguis,

[a] *In* Reg. Dalderbye *fol.* 391. *&* 388. [b] *In* 5. *lib.* Clementin. *cap.* 1. *vide epiſtolam ejuſdam Pap.* Iohannis *ad Acad.* Oxon. *de ſtatutis concilii* Viennenſis *ab ea accipiendis, MS. in bib.* Cotton. [c] *In lib.* 2. *de antiq. Acad. Cantab. p.* 195. &c. [d] *In* 18. *lib. de* Rep. [e] *In lib. de Orig. Scholarum.* [f] *Academia* Pariſienſis Oxoniæ *hic præponitur* (*inquit idem* Gentilis) *ſed ab homine* Gallo, *in Concilio* Galliæ, *cum conſtat* Oxoniam Lutetiæ *matrem fuiſſe*, Carolo *magno* (*per præceptorum ſuum* Alcuinum Oxonienſem) *Academiam* Pariſienſem *inſtituente. Sic in libello ſuo cui titulus eſt* Laudes Academiæ Peruſinæ & Oxonienſis *edit.* Hannoviæ 1605. *pag.* 29. [g] *MS. in bib. Coll.* Merton.

quibus

quibus utuntur infideles, propriè intelligi oporteret. *Græcos* autem utcunq; ſchiſmatici dicantur in fide conſtitutos eſſe, nec ab Eccleſia Catholica niſi in uno tantum de Spiritus Sancti productione articulo diſſentire: non igitur de *Græcis* ipſis tantum laborandum, quantum de aliis populis convertendis, qui longius à fide abeſſe dignoſcuntur: atque hanc deletæ illius vocis rationem fuiſſe exiſtimant. Audiant tamen (inquit [a] *Twynus*) honoratiſſimum Trilinguium meorum (collegii *Corporis Chriſti* Profeſſores intelligit) Patrem *Richardum Foxum*, etiam horum Decretalium Doctorem, autore *Joh.* [b] *Roſſo*, Epiſcopo *Wintonienſi*, qui in ſuis Collegii *Corporis Chriſti Oxoniæ* ſtatutis, *ideo in præclaro illo ſuo Alveario eximium Græcitatis Profeſſorem ſemper exiſtere voluit, quod Sacro-ſancti Canones* (*Clementinos* intelligit) *pro bonis literis, & imprimis Chriſtianis, inſtituerunt ac juſſerunt, cum in hac Univerſitate* Oxonienſi, *perinde ac paucis aliis celeberrimis Gymnaſiis nunquam deſiderari*; nec tamen ſe eos (hoc eſt cæteros *Angliæ Scotiæ* & *Hyberniæ* prælatos) hac ratione excuſari velle, qui Græcam lectionem in eo ſuis impenſis ſuſtentare debeant: cujus exemplo non ita pridem *Johannes Spencerus* S. T. P. pietatis & doctrinæ nomine clariſſimus illius Collegii Præſes, ad magnum ſuorum profectum & ornamentum, Hebraicam Prælectionem in eodem Collegio ſuis ſumptibus inſtituit, quod alii alibi paſſim fecere.

Ego vero ſic exiſtimo, illis tribus linguis (nam Arabicæ alia ratio eſt) potiſſimum conſultum fuiſſe, quod hæ linguæ illæ fuerant quibus S. literæ conſignabantur, & maxima etiam detrimenta olim acceperant, *Chaldæa* ſcilicet tranſlato ad *Perſas* imperio, *Hebraica*, *Judæis* ob cædem *Chriſti* ubique terrarum diſſipatis, *Græca*, *Græcis* priùs à *Romanis* tum à *Turcis* miſere afflictis, in quorum gratiam linguæque conſervandæ cauſſa Collegium iis *Romæ* inſtituiſſe dicitur *Gregorius XIII.* Qui vero, quoniam ſanctione appoſita lex iſta indigebat, aut quòd in *Anglia* unus Prælatus (ut fingunt) alteri non ſubjicitur, eandem nunquam obtinuiſſe affirmant, *Nicolaum Harpesfeildum* legant, qui circa an. CIↃCCCIIX. *Hebraicam linguam in* Oxonia *per quendam Judæum ad fidem Chriſti converſum legi cœpiſſe*, tradit; *cujus ſalario atque ſtipendio, & aliorum quorundam Cleri negotiorum procurationi, ex pecunia qua quiſq; ex clero, ſui ſacerdotii ratione, unum videlicet denarium in ſingulas marcas contribuendo ſatisfactum eſt.* Hæc ille; cui accedit *Matth.* [c] *Cantuarienſis*, niſi quòd, cùm *Harpesfeildus* dicat unum denarium in ſingulas marcas, *hic unum quadrantem in ſingulis libris Eccleſiaſticorum proventuum ad illius lectoris ſalarium erogatum fuiſſe*, ſcribit.

Atque ita *Scotia* quæ gemmas, *Hybernia* quæ ceras, *Wallia* quæ lupos *Anglorum* regibus tributi loco pendere ſolebant, tum unà cum Univerſa *Anglia*, atque etiam *Cantabrigia* ipſa (Collegia enim exempta & non exempta in hac *Clementina* continentur) *Oxonienſi* Academiæ, facta fuerunt tributaria, certa ſtipendiorum ratione conſtituta, licet incerta, pro ratione meritorum cujuſque prælectoris; quod in *Italiæ* gymnaſiis fieri, author eſt *Andreas Fricius* in libro de Scholis, & *Simon Maricius* in libro de Origine Scholarum. Quod ſi tam egregium *Oxonienſis* Scholæ decus & emolumentum *Londinenſis* cum defectu conjunctum eſſe dicat, in ſuam quæſo oculos, niſi cæcus fuerit, conjiciat, quam uſque adeo à Græcarum literarum ſtudiis averſam profecto videbit, ut imperante *Henrico* illius nominis *VIII.* de iiſdem propè actum fuiſſet, niſi *Johannes Fiſherus* Epiſcopus *Roffenſis* interveniſſet; quin & *Richardus Crocus* habita non una oratione, *Cantabrigenſes* ad Græcas tandem literas capeſſendas vehementer hortatus eſſet, cauſſaque eruditionis ſuſceptâ ab exemplo *Oxonienſium*, quos ad Græcas ſe literas convertiſſe, vigilaſſe, jejunaſſe, ſudaſſe, prælectores Græcos ſibi comparaſſe (*Cantabrigienſes* vero ejeciſſe) ſcribit ſtimulos turpiter ceſſantibus ſubjeciſſet.

Sed redeo. Liquet Pontificem linguâ potiſſimum *Hebræâ* inſtruendos voluiſſe Chriſtianos; quod *Judæos* nempe ad fidem perduci poſſe non deſperaret: de *Arabicâ* vero & *Chaldaicâ* non adeo fuiſſe ſollicitum; quod *Saracenos* forte & *Aſſyrios* Chriſti imperio non tam facile ſubigendos exiſtimaret. Cæterum de Linguâ *Græcâ* obſervavit, in commentariis ſuis ad decreta *Clementina*, *Johannes* [d] *Andreas*, omiſſam in ipſo Autographo fuiſſe; quam alii porro nec in impreſſis compluribus reperiri derhibuere: & inde, niſi me fallo, eſt quod *Lelandus* de literis in *Britanniam* migrantibus agens hæc [e] habet.

Illa vetus linguis florebat Roma *duabus*;
At linguis gaudet terra Britanna *tribus.*

Non deſunt tamen commentatores, qui exemplaria illa pro ſpuriis habent; licet alii aliter ſentiunt, &, veluti ſupradictum, *Græci* propterea Idiomatis mentionem non factam arbitrantur, quod in Univerſitatibus pridem longe magis quam reliqua tria invaluerat, aut ſaltem quoad Gentis ejus converſionem laborandum à Pontifice non eſſet, cujus fides in illo *de Spiritus Sancti productione* articulo, ut ſupra dictum eſt, cum Romana diſcreparet; & quæ ſedis illius primatum non agnoſceret.

Verum ne Pontifex dictarum linguarum lectionem inſtituiſſe jam primitus *Oxoniæ* videatur; prætermittendum non duco nobiſcum ante ſecula nonnulla extitiſſe, qui omnes, exceptâ *Chaldæâ*, & didicerunt, & præmonſtrarunt.

I. Primo enim ſermonem Arabicum probe callebant *Daniel Merlacus*, ſeu *Morleius*, *Rob. Retenenſis*, *Athelardus Bathonienſis* &c. (quorum in anno Dom. CIↃCLXXXV. meminimus.) Hi autem plures libros ex *Arabicis* Latine vertebant. Et ſane ſi, quod à bene multis memoratur, jam linguæ illæ in Trivialibus & Quadrivialibus habebantur, literarum *Arabicarum* cognitionem nobiſcum ante plurimos annos percrebuiſſe dubium non erit: cum *Edoardus I.* in [f] tabellis, tertio Regni anno, de inſtituendo Capellano qui ad Beatæ *Virginis* ſacris operaretur, huc tranſmiſſis; id inter laudes Academiæ hujus recenſet, quod Trivialia & Quadrivialia ibidem fundamenta poſuiſſent.

II. Linguam quod attinet *Hebræam*, haud pauci ejuſdem peritiſſimi, regnante etiam *Athelſtano*, emicuere. Is enim, velut è [g] Chronicis patet, inſtantibus Epiſcopis, Sacras Scripturas in Idioma Saxonicum ſeu Anglicanum transfundi juſſit; quin decurrentibus ſeculis *Groſteſtus* inſuper (ut alios taceam temporibus *Henrici III.* florentes) è commentariis

[a] *In Apol. lib.* 3. *ſect.* 305. [b] *In lib. ſuo de* Regibus *MS.* [c] *In Antiq. Britan. in vita* Gualteri Reynoldes. [d] *Et* Joh. Imola *etiam in* Comment. *ſuis in* 5. Clem. *& alii.* [e] *In encomiis Trophæis* &c *edit.* Lond. 1589 *p.* 3. [f] *Pat.* 3. Ed. I. *m.* 34. *& in pix. MM. nu.* 11. [g] *Vide* Balæum *de Scriptoribus cent.* 2. *nu.* 27. *& in declaratione ſua in Itinerarium* Lelandi, *edit.* 1549.

Hebræis plurima excerpſit; & ſpeciatim Patriarcharum Teſtamenta in latinum transferebat. Denique *Judæis* nobiſcum agentibus, haud paucos eorum libros adepti ſumus; quorum plures adhuc in manus noſtras devenêre iiſdem exturbatis. Quin & iidem Scholares etiam linguâ ſuâ erudiiſſe perhibentur in Academiâ noſtrâ commorantes.

III. Literas autem *Græcas* prælectas apud nos olim fuiſſe cum toties indicarim, neceſſe non habeo repetitis illud indiciis manifeſtum facere; præſertim cùm hanc ſim materiam copioſe magis deinceps tractaturus.

CIↃCCCXIX.

Subtraxerant pridem *Edoardo I.* (neſcio quâ de causâ) Cives penſionis Emphyteuticæ, ſive feodi firmi Urbani reditum annuum. Fiſco itaque ſuo addixit ille (vel XIII vel XVIII. Regni anno) Mercatus Clericatum, eumque Caſtri nonnunquam Conſtabulario, nonnunquam alii cuilibet (ſiquando quæſtum ita uberiorem facturus videretur) elocabat. Quapropter *Edoardus II.* vigore prædictæ vindicationis regiæ, ſive ſeizuræ (à quâ Clericatus ille nunquam integre ad Municipes redibat) Brevi [a] ſuo *Eboraci* XXVIII. *Maii*, annoq; Regni XII. h. e. Dom. CIↃCCCXIX. dato, Majori & Ballivis *Oxonienſibus* præcepit, ut, (evitandis turbis ac litibus) negotiatores Oppidani à peregrinis, & propolæ, ſive foreſtallatores, ac ſectores ſive Regratarii urbani à ruſticis diſterminarentur, aſſignato de aſſenſu Cancellarii Univerſitatis prædictæ loco, in quo extranei merces ſuas ſeparatim diſtraherent. Ordinato pariter, ut ſi id illi mature non præſtarent, ab Univerſitate, excluſo Burgenſium Conſilio & authoritate, procurandum eſſet; quod non ſecus accidit; circa hunc enim annum ordinatio Mercatus, à tempore antiquo uſitata, fuit de novo renovata; prout his verbis [b] memoriæ proditum eſt.

Venditores ſtramenti cum averiis ſuis ſtabunt inter portam Orientalem & Eccleſiam Omnium ſanctorum *in medio viæ regiæ.* i. e. altæ plateæ.

Venditores Buſti, ſive Cremii, *in Carectis*, ſive plauſtris, *ſtabunt inter* **Schydierd** *& tenementum quondam* Johannis *de* Maideſton. h. e. inter vicum, qui ducit ab Eccleſia B. *Virginis* ad Coll. *Orielenſe*, & ultimum tenementum (duobus exceptis) ejuſdem parochiæ ex parte auſtrali plateæ altæ.

Venditores Merennii, ſive ligni ædificiis ſtruendis idonei, *ſtabunt inter tenementum quod vocatur Aula* S. Thomæ *& Venellam* S. Edwardi h. e. inter tenementum nuper vocatum Diverſorium *Cygni* (quod eſt ultimum, uno excepto, ejuſdem Parochiæ B. *Virginis* ex parte auſtrali plateæ altæ) & vicum, qui ducit ab Eccleſia *Omnium ſanctorum* ad Hoſpitium *Pecwaterianum.*

Venditores Porcorum ſtabunt inter Eccleſiam B. Mariæ *& Eccleſiam* Omnium Sanctorum. h. e. ex parte boreali altæ plateæ.

Cerviſia ſtabit inter Venellam S. Edwardi, *& tenementum quondam* Aliciæ *de* Lewbury: *quod tenementum* Thomas *de* Aylesbury *tenet de procuratoribus Cantariæ B.* Mariæ *in Eccleſia* Omnium Sanctorum, *in auſtrali parte viæ Regiæ.* h. e. tenementum vel Diverſorium *Scaccarii*; vulgo **Chekquer Inne.**

Venditores Ollarum terrearum & carbonum, ſtabunt inter dictam Venellam S. Edwardi, *& tenementum quondam* Johannis *de* Hampton, *quod* Richardus *de* Wodehay *tenuit dum vixit, & ab eo loco ut ſupra.*

Venditores Chirothecarum & **Whytawyers** (i. e. Allutarii vel Interpolatores albi corii) *ſtabunt inter Eccleſiam* Omnium Sanctorum, *& tenementum quod quondam fuit* Johannis *le* Goldſmyth, *quod* Robertus Weſtley *jam tenet de Magiſtris magnæ Aulæ* Univerſitatis Oxon *ex parte boreali viæ regiæ.* Notandum quod iſtud Tenementum eſt proximum (uno excepto) ex parte Occidentali Diverſorio *Mitræ.*

Venditores monianiorum (hi ſunt ni fallor Pelliones, quos vulgo vocamus **Furriers.**) **Lynedrapers** & **Langedrapers** (hi ſunt etiam proculdubio lintearii & lanarii quos nunc vulgo vocamus **Linnen Drapers & wollen Drapers**) *à dicto tenemento* Johannis *le* Goldſmyth *uſque tenementum Abbatis de* **Oſney** *in angulo, quod* Johannes South *quondam inhabitabat.* Nota quod hoc tenementum in angulo habet nunc præ foribus Antliam bifrontem.

Piſtores vendentes panem vocat **Tuteſeyn** (h. e. panem furfuraceum vel atrum) *ſtabunt inter ſhopam quam* Nicolaus *le* Spycer *jam tenet & tenementum quod* Johan. Conyntroyer *tenet.* Quæ quidem tenementa ſituata fuerunt ni fallor, in platea ducente à Quadrivio, ad portam borealem.

Venditores piſcium extranei, & non de Gilda, (ſive municipio, *Oxon*) *diebus mercatis ſtabunt retro dictorum Venditorum panis verſus medium vici.*

Poletarii (potius polentarii, aut pullarii) *forinſeci ſtabunt inter* **Wauger hall**, aulam *Maugeri & tenementum vocatum* **Somenorſhyn.** h. e. inter oſtium Diverſorii *Crucis* & Tabernæ quæ pro inſigni *Coronam* habet.

Venditores panis albi ex utraque parte Quadrivii ſtabunt à capite boreali verſus Auſtrum.

Tannarii (hi ſunt Coriarii) *ſtabunt inter* **Somenorſhyn** (Hoſpitium *Somneri*) *& Quadrivium.*

Vend. caſeorum, lactis, ovorum fabarum, piſarum novarum, butiri, ſtabunt à Cornerio, vel angulo, *Quadrivii ex utraque parte viæ verſus* Ballivum.

Vend. fæni & herbagii, apud colliſtrigium. Nota quod colliſtrigium ab antiquo ſtabat in medio plateæ quæ ducit à Quadrivio ad portam borealem.

Vend. Cirporum ex oppoſito **le Old Drapery**, h. e. ex parte auſtrali *Ballivi*, qui ducit à quadrivio ad Eccleſiam S. *Petri* in *Ballivo.*

Vend. Bladi, ſive frumenti, *ſtabunt inter portam borealem &* **Wauger hall.**

Frutarii, venditores { *Farinæ* / *Avenæ* / *ſeminum parvorum*

ſtabunt ab oſtio Gildæ Aulæ, verſus **Knaphall**; h. e. verſus Diverſorium *Caſtelli.*

Vend. Herbagii ſcil. Olerum, porri (quæ vocamus **pothearbs**) *ſtabunt à* **Knaphall** *verſus Quadrivium.*

Vend. Diſcorum & Squilerum (vulgo **Scullery ware**) *ſtabunt inter* **Baptyſyn** *& Stoquinarium juxta Palatium.* h. e. inter Diverſorium *Iridis*, ſeu **Flower de luce**, quondam Hoſpitium *Baptiſtæ* Judæi, & locum ubi venditores (ni fallor) tibialium inhabitabant, qui fuit (ut opinor) inter Diverſorium *rubri leonis* & vicum *Kepeharmianum*, ex oppoſito Diverſorii *Apri Cærulei.*

Vend. piſcium friſc. (fluviatilium, ſaltem non ſalitorum) *qui ſunt de gilda villæ, ſubtus Palatium* Nicolai *le* Spycer, *prout antea uſi fuerunt.*

Vend. Buſci (ſive lignorum) *à magna* Jueria *vel*

[a] *Clauſ.* 12. Ed. II. *m.* 6. [b] *In quodam vet. rub. lib. in ſcriniis* Civit. Oxon *fol.* 137.

Judaiſmo

Judaismo *usque tabulas piscium.* h. e. à loco quem incolebant Judæi (nempe inter vicum *Treshamianum* ex parte australi *Apri cærulei*, & ædificia Ædis *Christi*) ad ostium Gildæ aulæ, sive fori juridici, aut eo circiter.

Carecti, sive plaustra, *cum spinis & bustis stabant inter portam borealem* & le Drapery hall *in parte occidentali viæ regiæ.* Nota quod Drapery hall (aula *Draperiana*) stabat quondam ex parte australi Diversorii *Capitis regii*, aut eo circiter.

Miror autem, idque haud modice, nihil in constitutione illâ occurrere de statione Laniorum, deque loco in quo viva pecora, oves nempe & boves, venundarentur; præsertim cùm ea temporibus *Henrici III.* divendita fuisse aperte constet. Verum his omissis, magnum ad usque conflictum quod sub *Edoardo III.* contigit Mercatum sic à Rege ordinatum perennasse, inque ipsius manibus ejusdem Clericatum resedisse arbitror. Tum enim Civibus Rex libertates ademit, atque jus speciatim Mercatûs Cancellario transcripsit.

CIↃCCCXX.

Conflictum superiori anno inter Scholares *Australes* ac *Boreales* secus vicum *Murilegorum* in vigiliâ S. *Kenelmi* subortum, de industriâ prætermisi; quamvis in eo Laicus quidam *Lucas* de *Horton*, ab *Elya Hubberhorpe* Clerico Aquilonari, fortuito fertur [a] interemptus. Hoc autem temporum tractu stabilitæ comparent Lecturæ, quas à Pontifice Romano institutas superius diximus; è quibus Hebraicam illam *Johannes* de *Bristol* à Judaismo conversus, magno Scholarium plausu, plures annos obibat; accepitque hoc anno stipendium à [b] *Gualtero Reynold* Archiepiscopo *Cantuariensi* constitutum, qui singulis redituum in totâ suâ Provinciâ Ecclesiasticorum libris, teruncium (non vero ut [c] quidam falso scribit cuique Marcæ obolum) eo nomine imposuit. Id autem pecuniæ ineunte Quadragesimâ collectum, & apud Priorem S. *Trinitatis Londini* [d] depositum, dicto inde Prælectori variis per colybum pensitationibus reddebatur. Postremam hujus stipis mentionem invenio ad annum CIↃCCCXXVII. quo nimirum tempore Prior S. *Catharinæ* extra *Lincolniam*, à *Johanne Dalderby* ejus Diœceseos Episcopo, ad stipendium illud in ipsius Episcopatu colligendum designatus, fidem fefelliisse deprehendebatur; illo propterea negotio *Anthonio* de *Beck* seu *Beek* S. T. P. & Cancellario *Lincolniensi*; *Andreæ Gyles* de Radmere; *Thomæ* de *Corbrygge*, & *Roberto* de *Brydelington*, Canonicis *Lincolniensibus* [e] demandato; quibus concessa potestas est, per dictam Diœcesin è singulis Beneficiorum Marcis obolum exigendi, deque præfato S. *Catharinæ* Priore quæstionem habendi. Cæterum quot inde annos duraverit stipendium illud, aut quinam per hæc tempora fuerint linguæ *Græcæ*, *Chaldaicæ*, aut *Arabicæ* Prælectores, nullibi, quod sciam, occurrit.

Hoc iterum anno, diutinæ inter Academiam fratresque Prædicatores controversiæ [f] componuntur, approbante Cancellario & *Johanne* de *Bristoll* ejus ordinis Provinciali. Ad ineunda vero pacis fœdera designati sunt à *Dominicanis Petrus* de *Kenyngton*, *Lucas* de *Wodeford*, & *Gulielmus* de *Ebryton* S. T. Professores, quibus accessit *Johannes* de *Wrotham*; ab Universitate autem maximâ ex parte erant, quorum in dissidiis prioribus mentionem fecimus. Atque eorum quidem opera in tam firmam redacti sumus concordiam, ut postmodo unquam dissiliisse haudquaquam repererim.

CIↃCCCXXI.

Gravamina illa de quibus Academici libellos [g] supplices contra Burgenses ultimo anno obtulere, & quorum nonnulla Mercatum attigisse deprehendo, prætervecti sumus. Omittendas vero non arbitror literas [h] regias, hoc anno in gratiam Universitatis, datas; *atque omnibus Ballivis & Fidelibus suis firmiter injungentes, quod Cancellarium, Magistros, Studentes, ipsorumque servientes, & res suas manuteneant & protegant*; & alias [i] majori & Ballivis, *quod omnes personas suspectas, tam Magnates, quam alios in* Oxon. *perendinantes, in perturbationem tranquillitatis Studentium ibidem, expellant.* Quod ad Rescriptum ultimum *Salopiâ* xx. *Januarii* cum priori transmissum, spectat; viros quosdam malemeritos, regiisque partibus amicos parum, compescendos mandabat; quibuscum & Scholares quosdam sentire constabat, & proinde Universitas, aut hoc, aut sequente anno, Statutum [k] contra arma defensiva sive offensiva gestantes promulgabat.

CIↃCCCXXII.

Fervebant hac tempestate dissensiones quæ ultimo anno inter *Joh. Lutterellum* Cancellarium & Magistros ac Scholares *Oxonienses* obtigerant; quarum originem investigare nequeo nisi litibus nominalium, quos vocabant, cum realibus, tribuendæ fuerint. Certe eousque jam exarsisse liquet, ut cum *Lutterello*, Magistratu se abdicanti, in animo esset iter ad exteras regiones suscipere, Rex non tantum se in *Angliâ* [l] continere, verum nec tabellas aliquas ad peregrinos dare præceperit; ne scilicet ejus operâ apud populos transmarinos male audiret Universitas. Sub id porro Regia Majestas *Lutterellum* ac Magistros *Eboracum* accersivit; ibique habito coram se concilioque suo controversiarum examine, gratia inter utramque partem integratur. Cæterum de *Lutterello* isto non est omittendum, virum fuisse cum primis eruditum, libros præterea de re Theologicâ edidisse, ab ejus ævi literatis in pretio habitos. *Romam* is olim adibat acceptis à Rege ad Pontificem literis commendatitiis, ubi monitu [m] *Stephani* de *Ketering* ibi tum commorantis, velitationes varias contra viros doctrinâ claros sed invidiæ expositos tantâ omnium opinione obivit, ut gratiam cum Pontifice, beneficia in eruditos omnes effundere parato, haud vulgarem inierit: majorem adhuc apud Regem *Siciliæ* æstimationem consecutus; siquidem inter Clericos ex omni *Europâ* eodem convocatos, opponentis juxta & respondentis personam summâ prudentiâ & pari acumine sustinebat. Hanc vero tantam viri famam in causâ fuisse opinor, cur eum *Edoar-*

[a] *Ex rot.* Tho. *de* Graundpont *coronatoris* Oxon, 13. Ed. II. *in scrin. Civ.* Oxon. [b] *Regist.* Reynold *fol.* 99. *& Reg.* Burwash *Episc.* Lincoln. [c] Harpesfeild *in Hist. Eccles. sec.* 14. *cap.* 28. [d] *Reg.* Reynold. *ut supra fol.* 101. [e] *Reg.* Burwash *vel* Burgesh *ut supra fol.* 351. [f] *Ut in quadam submissione Fr. Prædicatorum in turri* Scholarum *in pix.* Y. *num.* 9. [g] *In lib. parliam.* Westmonast. *inchoat. die lunæ in Octavis S.* Mich. 14. Ed. II. *fol.* 84. *in Tur.* Lond. *vide in pix. MM. in Tur. Schol. nu* 5. &c. [h] *Pat.* 15. Ed. II. *part.* 1. *m.* 1. [i] *Claus.* 15. Ed. II. *m.* 23. [k] *A.* 63. *a. C.* 31. *a.* [l] *Claus.* 15. Ed. II. *m.* 29. [m] *Ut in summis vel epistolis* Petr. *de* Vineis, *MS. in bib.* Bod.

dus II.

dus II. ab itinere, ut mox ante dictum, revocarit; quia nimirum fidem apud exteros inventura censebat quæcunque *Lutterellus* in Academiæ dedecus dissequârit, cùm Optimates quosdam *Oxoniam* superiori anno secedentes, aut Urbe à Majore & Ballivis pellendos, aut per *Lutterellum* Cancellariatu tum fungentem, sacramento, de servandâ pace, obstringendos [a] mandârit.

CIↃCCCXXIII.

Viri perplures eruditi *Oxoniam* his temporibus illustrarunt; quorum de numero erant, *Nic. Trivettus* [b] Theologus idem & Historicus, *Thomas Walleisius* [c] Dominicanus, & præcipuus suæ ætatis quæstionum Theologicarum disceptator; *Henricus* [d] *Cossejus*, & *Gulielmus* [e] *Nottinghamus*, Franciscani; *Gualterus* [f] *Burleius*, *Johannis Duns* Scoti, una cum *Gulielmo Occhamo* Nominalium Authore, discipulus; *Galfredus* [g] *Alievant*, & *Lucas* [h] *Bosden* Carmelitæ. His accensendi *Nic.* de *Lyrâ* [i] Doctor egregius, qui accuratis in Sacra Biblia commentariis magnam sibi eruditiouis laudem cumulavit; & *Richardus Fiteraufe*, *alia fax ardens concertationum in hoc seculo*, à [k] scriptore quodam appellatus, Fratribus quam maxime infensum denotante, præsertim quod Nobilium filios in Sodalitia sua inescantes, haud exiguum Academicis (quorum inde numerum imminui necesse erat) damnum dederint. Tantisper de viris hoc temporum tractu inclarescentibus, propter quos licet *Oxonium*, Regnante *Edoardo II.* bonarum literarum scaturigo audierit, *Balæus* [l] tamen suo more *bonarum artium corruptricem pro Papæ regno* appellat. Certe, quod de seculis præterlapsis affirmandum est, cultioris literaturæ per hæc tempora defectus receptissimo Legum studio imputandi sunt, nam apud [m] scriptorem hac ætate florentem sic habemus; *Leges & Canones istis temporibus innumerabiliter sunt facundæ, concipiunt divitias & pariunt dignitates. Ad illas confluunt quasi tota multitudo Scholarium his diebus.*

CIↃCCCXXIV.

Hoc anno scitu digna occurrunt. I° quod cùm Cancellarius & Scholares ad Regem essent conquesti de injuriis sibi (fortean per Oppidanos) illatis, Is Academiam omnibus modis defendendam ratus, ad Ballivos subditosque fideles de tuendâ eadem & protegendâ [n] rescripsit. II. Quod cùm Academici quidam, apud *Wallos* (quâ etiam gente oriundi erant) beneficiati, motis frequenter seditionibus pacem Universitatis turbarent, neque à Cancellario suspensi sacrisque interdicti ad bonam mentem redirent, querelæ hac de re apud Episcopos nonnullos, maxime vero *Menevensem* habentur. Is vero rebellibus præ reliquis Prælatis succensens, ad Cancellarium Magistros & Scholares III. non. *Martii* hunc in modum [o] conscripsit; --- *concedimus vobis* (inquit ille) *&, quantum ad nos attinet, Ordinamus, ut si qui Clerici in nostrâ Diœcesi beneficiati die & nocte inventi fuerint in pacis vestræ perturbationem arma deferentes, vel tranquillitatem ipsius Universitatis per modum alium perturbantes, & super hoc convicti fuerint legitimè & ritè, seu per eorum fugam præsumptivè confessi: quod eorum beneficia in manibus nostris, ad denuntiationem Cancellarii faciendam nobis sub ipsius Universitatis sigillo communi, faciemus per triennium sequestrari, ut de fructibus beneficiorum percipiendis interim vel perceptis læso aut læsis per convictos seu confessos aut fugitivos hujusmodi denuntiatione super hoc unica nobis facta legitimè satisfiat. Quod si beneficium Ecclesiasticum non habuerint, ad tempus secundum qualitatem & quantitatem delicti, ad beneficium Ecclesiasticum minimè admittantur, nisi ipsi ad beneficium Ecclesiasticum promovendi, antequam hujusmodi beneficium assequantur, suam innocentiam in præmissis ostendere, aut læsis ab ipsis satisfaciant competenter & gratiam Universitatis meruerint obtinere, & sic restituentur legitimè famæ suæ.* III. Quod Rex *Custodiam assisæ panis & cervisiæ in Villâ & suburbiis, reddendo inde per annum ad scaccarium suum c. sol.* &c. à *Rich. D'amorie* (cui nempe eandem, IV. *Martii* annoque Regni XI°. concesserat) ablatam, literis [p] hoc anno, XX°q; *Martii* conscriptis Cancellario & Majori addixit.

CIↃCCCXXV.

Tumultus quosdam ultimo anno coortos omittendos censui; referam vero lites quibus Universitas cum Archidiacono *Oxoniensi* contendebat, quod muneris *Galhardus* Cardinalis S. *Luciæ* in *Celice* tunc temporis gerebat, quem Scriptorem [q] quendam *Folchardum* nuncupasse reperio. In hoc autem positum erat contentionis caput, quod Archidiaconi Procuratores, sive quos colligendis reditibus ac emolumentis designarat, cognoscendi de Scholarium fornicationibus, Adulteriis, Testamentorum probationibus, causisque aliis quæ ad Ecclesiasticam Jurisdictionem vulgo spectant, & quas ad Archidiaconi antecessores à tempore de quo non extat memoria pertinuisse asserebant, potestatem sibi vindicarent. His *Henricus Gower* Cancellarius, Procuratores Universitatis cum Magistris haud paucis acerrime resistebant; & post plures lites Academiæ frustra intentatas, Archidiaconi deputatos gravamina (quæ vocabant) ad Dominum suum, apud exteros degentem, transmittere cogebant; qui iisdem perlectis, rem Pontifici aperiebat, utque ea ad Curiam *Romanam* discutienda evocaretur, efflagitabat. Emanat itaque ad *Gualterum* Archiepiscopum *Cantuariensem* Bulla [r] Pontificia, quâ jubetur Cancellario, Procuratoribus, *Johanni Shelving*, Gulielmo de *Scelton*, aliisque è Gradu Magistrali nonnullis mandare, ut infra sexagesimum diem post monitionem datam, in Curiâ *Romanâ* sistendos sese curarent. Literas hasce Archiepiscopus, postridie quam acceperat, ad Abbatem *Osneiensem* & *Rewliensem* mittit, qui, quod in mandatis dabatur, easdem in Universitate promulgari facientes, Cancellarium reliquosque antedictos impellere nequibant ut *Romæ* comparerent. Illi enim citationem ad exteros repudiandam causati, clam se subtrahebant; cùmque proventuum Archidiaconalium conductores, explendæ avaritiæ gratiâ, in forum *Romanum* iterum iterumque vocarent, ad Re-

[a] *Clauss.* 15. Ed. II. *m.* 23. [b] Balæus *cent.* 5. *nu.* 24. [c] *Ibid. nu.* 35. [d] *Ibid. cent.* 5. *nu.* 38 [e] *Ibid. nu.* 44. [f] *Ibid. nu.* 42. [g] *Ibid. nu.* 34. [h] *Ib. nu* 39. [i] Harpesfeild, *in Hist. Eccles. sec.* 14. *cap.* 28. [k] *Idem* Harpesfeild. [l] *In cent.* 4. *nu.* 97. [m] Rob. Holcot *in præfatione ad comment. lib. sapient. MS.* [n] *Pat.* 17. Ed. II. *part.* 2. *m.* 11. [o] *In Turri Schol. in pix.* II. *nu.* 3. [p] *Clauss.* 18. Ed. II. *m.* 27 *& in pix. MM. nu.* 20. [q] Harpesfeild *in Histor. Eccles. sec.* 14. *cap.* 28. [r] *Reg.* Reynold. *fol.* 145.

gem

gem confugit Univerſitas. Is querelas benigne audivit, inq; Academicorum gratiam [a] literas ad Papam dedit, quarum ſumma erat, quod cùm per Archidiaconi Officiarios, augendorum redituum impenſe cupidos, cauſæ quædam emerſiſſent, quas Univerſitas propter ærarii ſui tenuitatem apud exteros non poſſet agendas ſuſcipere, Sanctitatem propterea ſuam rogatam Rex vellet, ut Arbitros quoſdam nominaret, qui dictas controverſias in *Anglia* terminarent; quoniã (ut inquit ille) *ſi cauſa prædicta modo procederet jam incæpto, ſinguli de ſuis ſingularibus proventibus vel ſubſidiis amicorum ſtudentes ibidem, Univerſitate relicta, ac diſperſi (quod abſit) ad propria vel parentum loca, ut creditur, firmiter ſe diverterent, & ſic in Eccleſia Anglicana Fidei Catholicæ Doctores, ac etiam ejuſdem deficerent Defenſores, in animarum periculum, regni opprobrium, & divini cultus ſubitum detrimentum* &c. Scripſit [b] præterea Rex ad Cardinalem, quem Archidiaconatum jam poſſidere præfati ſumus; litemque à Curiâ Pontificiâ revocandam obtinuit; quam Sequeſtri, ea propter poſt paulo delecti, ſaltem in breve tempus, diremerunt.

CIↃCCCXXVI.

Privatis hiſce publica ſuccedebant diſſidia, quæ nec Univerſitatem levius concutiebant, quæque ut ſcriptores plerique prodidere, eouſque demum exarſere ut Regem Coronâ Sceptroque ſpoliarint. Ille autem antequam res ſuæ in tantum diſcrimen adducerentur, varias de eâdem literas ad Academiam dedit; & ſpeciatim [c] Reſcriptum ad Cancellarium noſtrum (quale ad *Cantabrigienſem* quoque ſub id fertur miſiſſe) cum inclusâ Rotulâ, quâ negotia inter ſe Regemque *Gallorum* emerſa exponebat; ac ſpeciatim tum injurias ſibi factas ab eo memorabat, tùm laceratam per ditiones ejus Regni *Anglicani* famam. Cancellario autem in mandatis dedit, ut Rotulam illam in Urbe *Oxonienſi* promulgandam publice curaret. Non longo poſt tempore eundem Regem apud Cancellarium Magiſtros ac Scholares, noſtros juxta & *Cantabrigienſes*, violatæ fidei, per [d] literas inſimulat; quod ſcilicet ipſe Conjugem ſuam chariſſimam, Regiſque illius ſororem, de pace inter Regna conciliandâ in *Galliam* tranſmiſerat, cùmque id ea effectum dediſſe videretur abſque juris ſui hæreditarii, Ducatus utique *Aquitanici*, ceſſione, perfide agens *Gallus*, ditionem illam *Edoardi* filio in manus tradidiſſet, dum ipſe de trajiciendo, & Clientelæ obſequio præſtando cogitaret. Porro Regem antedictum de Conjuge ſuâ filioque redire non permiſſis criminabatur; necnon de Rebellibus contra ſe ſublevatis & adjutis, navibuſque onerariis occupatis, & Mercatorum quampluribus hoſtilem in modum trucidatis. His addidit Reginam ſuam, cum viris peſſime animatis, ſibique ac Regno ſuo perniciem allaturis, in *Angliam* jam iri remittendam; & propterea rogare ſe, ut Cancellarius, Magiſtri & Scholares (quorum privilegia nuperrime [e] roboraſſet) hæc omnia ſerio perpenderent, infraque Academiæ limites evulgari facerent; & præterea in celebrandis Miſſarum ſolennibus, pro Regis Regnique ſalute, contra ſautem utrumque infeſtaturos, preces ad deum effunderent. Fecerunt mandata Academici, atqui non illo animorum ardore, quo facturi fuiſſent rebus ſe aliter habentibus; etenim mox inde copiis haud modice inſtructus *Mortimerorum* alter in *Anglia* appellebat, *Oxoniam*que tendebat, vel in animo habens Urbem expugnare, vel Scholares ad partes ſuas perducere. His cognitis, Rex literas ad Cancellarium illico dedit, quibus præcepit, ut Portam *Fabrorum*, vulgo **Smythgate**, cujus cuſtodia ad ipſum pertinere dicebat, cum Scholaribus ſuis propugnaret; ne ſcilicet *Rogero Mortimero*, conſceleratiſque ſuis, aditus eâ ex parte in Urbem pateret. Inclinata poſt paulo re ſuâ, Rex in *Walliâ*, prout Scriptorum plerique retulere, latebras quæſivit; & Regina *Iſabella* exercitum omnem *Oxoniam* deduxit, comitante filio ſuo *Aquitaniæ* Duce, *Rogero Mortimero* avunculo, alteroque *Rogero* eidem congenere, cum Optimatum turmâ haud ſane exiguâ. Dum in hâc autem Regione eſſet, apud Fratres partim *Carmelitanos*, partim *Iſlepiæ* hoſpitabatur *Iſabella*, quo in Pago egiſſe conſtat cum dona illi [f] deferrent Oppidani noſtrates, qui & *Mortimeris Oſneiæ* commorantibus opſonia mittebant. Inter hæc *Adamus* de *Orleton* Epiſcopus *Herefordienſis* (quem utique bellum hoc Civile conflaſſe præſertim & foviſſe conſtat) conſcenſo nobiſcum Suggeſto, ſuſceptis à Regina armis cauſas [g] prætexebat; multiſque effuſis proditionis apertiſſime arguendis, quibus tamen plebem Scholariumque reliquias acquieturos arbitrabatur, iter ad *Wallos* arripiebat. Cæterum hæc omnia tanto Reipublicæ literariæ detrimento fiebant, ut Univerſitas Academicorum vacua propemodum [h] compareret, quos non ante menſes deinceps perplures, Lecturas repetiiſſe proditum eſt.

CIↃCCCXXVII.

Detruſo ab Imperio *Edoardo*, filioque ejus in Regem inaugurato, plurima in gratiam Studioſorum noſtrorum (quæ pro Rege geſſerant oblivione ſepultis) indulgentur. Etenim per inſpeximus, ut loqui ſolent Legulei, Privilegia omnia ab Anteceſſoribus regiis conceſſa, pro ratis [i] habentur; ſpeciatim quæ *Edoardus I.* impertivit, *Henrici III.* conceſſiones roborans, veluti ad an. CIↃCCCXV. prædiximus. Confirmantur præterea compoſitio inter Scholares & Burgenſes, authoritate *Edoardi I.* anno Regni XVIII. facta, & literæ [k] ejuſdem patentes, ad Ballivos alioſq;, ad quos ea ſpectarent, datæ, circa Cancellarium & Scholares, eorumque bona ac famulos, contra vim & injurias protegendas. Indulti hiſce [l] aliiſque hoc in loco non commemorandis, Academiam donavit *Edoardus III.* ubi ſe auſpiciis *Gualteri Burlei* profeciſſe grato adeo animo recognovit, ut Patrocinii beneficiorumque nomine Deceſſoribus quibuſcunque ſuis anteponendus merito videatur.

Hoc eodem anno immane facinus per Scholares Civeſque *Oxonienſes* qui ab Oppidanis *Abendonenſibus* in ſceleris ſocietatem fuerant illecti, contra ejus loci Monachos perpetratum [m] reperio; cujus pœnas cum Academici inde luerint, minimè ſupprimendum, immo fuſius enarrandum exiſtimo.

Die Lunæ Octavis *Paſchalibus* proximo, de nocte, horâ nonâ, Municipes ad unum omnes *Abendonenſes*

[a] *Rot. Rom.* 19. Ed. II. *& in quibuſdam Epiſtolis Regis, Academiæ* Oxon. *& aliorum in bib.* Lambeth. *MS.* [b] *In eod. rot. Rom.* [c] *Clauſ.* 19. Ed. II. *m.* 11. [d] *Clauſ.* 20. Ed. II. *m.* 10. [e] *Ut in pix. NN. nu.* 2. 3. *&c.* [f] *Rot. comp. Camerariorum* Oxon. *in ſcrin. Civit. ejuſdem, in pix. vel Theca cui tit. eſt* Accompts. [g] Walſingham *in Hiſt. vel Chron. ſua edit.* 1603. *p.* 124. *&* Tho. *de la* More, *in* Ed. II. [h] *D. fol.* 22. *a. & b.* [i] *In pix. NN. nu.* 4. *& pat.* 1. Ed. III *part.* 1. *m.* 8. [k] *Pat.* 1. Ed. III. *part.* 1. *m* 25. [l] *Ut videtur in* B. 18. *a. C.* 80. *a. D.* 44. &c. [m] *In Chron. rot. Monaſterii* Abendon *MS. & in quodam faſciculo chartarum de rebus diverſis in Chartophylae.* Civit. Oxon.

donenſes pulſatâ Campanâ communi, in Eccleſiâ S. *Helenæ* conveniunt; ibique de Mercatûs & ſtallarum ordinatione conſilia miſcentes, decernunt juriſdictionem illam, Abbati, cui ſupra memoriam omnem adhæſerat, permittendam deinceps non iri. Expoſitis deinde quæ circa mercatum non ſine gravamine ſuo & injuriâ facta per Abbatem ingeminabant, eo furoris prorupere, ut Cœnobio ac Monachis facultatum direptionem ultimumque exitium interminarentur. Poſt tertium inde diem, qui Mercurii erat, ad dictæ Campanæ pulſationem, eódem nocte intempeſtâ confluebant, de exequendis quæ in Monaſterium denunciarant ſermones collaturi. Die proximo, albeſcente jam luce, ad Novam Domum **the Gild Hall** cognominatam in Oppidi umbilico poſitam contendentes, eidem flammas injecere, penituſque abſumpſere. Hinc Abbatiæ ruinam meditantes, ad Templum S. *Nicolai*, portæ illius conterminum, tranſvolant, ejuſque oſtium injecto igni ſuccendunt. Interim vero ſeculares quidam tutando Monaſterio deputati, ex eodem prorumpentes, & facineroſos magno impetu adorti, eorum binos interficiunt, reliquiſque in fugam conjectis, *Johannem Bolterum*, *Johannem Eiſhopum*, *Gulielmum Poënium*, Magiſtrum *Mauritium*, alioſque nonnullos comprehendunt, inque carcerem monaſticum compingunt, judicio publico aſſervandos. Proclamabant poſt paulo in medio Oppido inque Regis nomine Monachi, quicunque ſe ſponte dederent pro inſontibus habendos; quod cum haud pauci feciſſent una cum prædictis malemeritis, per *Joh.* de *Kannynges* cœnobiarcham rure pridem reverſo, dimittuntur. *Abendonenſes* autem propterinterfectos ſuorum nonnullos animis exacerbati, vindictam cogitant; & miſſis clam nunciis rem omnem *Oxonienſibus* exponunt, exaggeratâque quam à Monachis acceperant injuriâ, impenſe rogant, ut ſibi in ulciſcendâ eâdem propere adeſſent. Mediâ itaque nocte ſequentis Dominicæ, quæ in diem Feſto Divi *Marci* Evangeliſtæ proximum incidit, *Abendoniam* advolant Cives *Oxonienſes* plerique omnes; prælucentibus tædis, ducente autem ipſo Prætore, Burgenſibus ac Scholarium juniorum multitudine haud inermi ſtipatus. Manerium vero de **Northcote**, quod ad Abbatiam ſupradictam ſpectabat, attingentes, domos injectis flammis delerunt; atq; ipſum deinde Oppidum intrantes horrendum adeo clamorem edidere, ut ipſos quoque qui advocârant pavor inſolitus occupârit. Ad cœnobium poſtea confeſtim properabant, Portamque flammis expugnare adorti, defendentes lapidum & ſagittarum imbribus infeſtabant. Interea temporis manus altera ad Hoſpitale Divi *Johannis* tranſvolabat, quod ejus portam perrumpi poſſe confiderent; atqui ſpes eos fefellit, illud enim incluſi ad uſque ortum ſolis fortiſſime tuebantur. Poſthæc dum alii Manerio de **Berton**, ad præfatos Monachos pertinenti, flammas inferunt, alii Eccleſiam S. *Nicolai* adeunt, illâq; unà cum penu eleemoſynario, quod Pitanciariam vocant, perruptâ, Cœnobium ingreſſi, nil prius habuere, quam ut portis interiori & exteriori concrematis, ſuorum colluvies citiſſime admitteretur. His ita peractis, *Edmundus* de la *Deche*, præcipuus turbarum ſuaſor & coriphæus, Eccleſiam intravit, Monachoſque (qui mortem unice expectantes ad ſupremum Altare precibus intendebant) aggreſſus, ſeniori cuidam tam grave vulnus inflixit, ut caput alterumque brachium propemodum abſciderit; loco ſacratiſſimo ſanguinis innocui profuſione temerato.

Inter hæc autem Cœnobiarcha ac Monachi ſuperſtites fugam corripiunt, fluviumque vicinum trajicere conati, partim aquis obruti ſunt, partimque incolumes evaſere. Conſcelerati vero in Templi ærarium perrumpentes, veſtimenta, capas, Calices, Libros, reliquumque Eccleſiæ cultum, ſacrilegio ſe apertiſſimo obſtringentes, diripiunt; immo pyxidem, in quâ jacebant veneranda Corporis Dominici ſymbola, deportare non reformidabant. Ad Abbatis inde Gazophylacium profecti, munimentis, Chartis, ſyngraphis, oppignoratis hypothecis, ſive defeiſantiis, Rotulis computationum, & Curiarum, aliiſque Monaſterii inſtrumentis manus injecere, inque Aream Cœnobiarchæ proferentes ignibus tradidere. Porro nec Procerum munimentis parcitum eſt, quæ ſubterfugiendis belli Saxonici calamitatibus ibidem fuerant depoſita. Poſtremo, expugnatis Dormitorio, Refectorio, Infirmaria, Abbatis & Conventus Culinis, *cum Lardario* (ut in Rotulo ſupra citato) *necnon ſerruris in officiis Obedientiorum*, quicquid uſpiam ullius pretii deprehendebant expilantes, neque librorum armariola neque (quæ in Periſtylio erant) Caxcolas, ſive Abacos, intacta reliquere. Deniq; & Monachorum equas, nec non bonorum mobilium univerſum apparatum abduxerunt ſecum & aſportarunt.

Die proximo Cives *Oxonienſes* & *Abendonenſes*, ter millium inſtar, in ſylvâ *Bagleienſi* armati concurrebant, *Philip.* atte *Deche*, & *Johan.* ac *Edmundo* atte *Deche*, tanquam ducibus obtemperantes. Ibi vero conſilia ineuntes, Priorem ac Monachos, qui in Abbatiâ perſtiterant, ad ſe accerſebant, de pace cum iiſdem acturi. Accedunt ergo citati *Robertus* de *Haulton* Prior, *Tho. Hakebournus*, & *Reginaldus* de *Okke* Præcentor, trepidantes adeo metuq; perculſi, ut quaſcunq; conditiones libenter eſſent accepturi. Quæ iiſdem vero proponebant ſeditioſi, ad hæc duo capita revocari poſſunt,

I. Exigebant ut juriſdictioni omni, quâ Abbas & Conventus in Villâ *Abendonenſi*, ſupra hominum memoriam, ex conceſſione Regia fruebantur, prorſus renunciarent.

II. Ut Apocham darent quâ remitterent præteritas omnes injurias, & quod legulei aiunt, quietam clamantiam facerent ſuper litibus quibuſcunq;, de Cœnobii direptione, aut damno quolibet ibidem facto, emerſuris, & hæc omnia juramento corporali roborarent.

Denunciabant autem malefici, ni modo dicti tum hæc in ſuis perſonis præſtarent, tum reliquos fratres ad eadem præſtanda inducendos iri ſponderent, & confratriam ſeſe omnem internecione deleturos, & Eccleſiam ipſorum cum Monaſterio Maneriiſque ad illud ſpectantibus, in cineres redacturos. Illi ergo ejuſmodi minis perterriti, fidem ſupplices obſtringebant, pollicitique ſunt, quod & ea ipſi effecta daturi, & fratres ſuos domi exiſtentes in eandem ſententiam, pro virili ſuâ parte, pertracturi eſſent. His ita geſtis, in die Martis proximâ, viri quidam ab Oppidanis *Abendonenſibus* deſignati ad domum dicti Monaſterii capitularem, adducto ſecum Notario, accedebant; ibique recitatis publice, quæ enarravimus, capitulis, Priorem & Monachos, Profeſſos perinde ac non-Profeſſos, tactis ſacris Bibliis juramentum dare cogebant, quod ſcil. nec ipſi, nec eorum aliquis, demum, nec in Sodalitii nomine alii quicunque, *vel procurationem contra dictam conventionem verbo vel facto veniret ſeu venirent quovis modo, nec ſuper jure eorum ſeu injuria in curia regali vel aliunde ad eorum remedium aliquid impetrarent*, &c. Quibus peractis factum eſt à Notario quem prædixi publicũ in æternam rei memoriam Inſtrumentum. Verum nec ceſſatum interea ab *Abendonenſibus* & auxiliatricibus eorundem copiis eſt; qui Monachos atque eorum villicos damnis & injuriis onerare nequaquam deſtiterunt. Quin-

decimo

decimo poſt die, Prioris rogatu, *Abendoniam* adventabat *David* Epiſcopus *Menevenſis*, & Eccleſiam plurimis flagitiis & ſanguine fuſo profanatam conſecravit denuo, ac in integrum reſtituit. Cæterum *Johannes* de *Kannynges* Abbas (quem fugâ ſibi conſuluiſſe dictum eſt) omnia quæ patrarant conſcelerati per nuncios edoctus, iter ad Regem arripuit, quæque ſubiiſſet damna Cœnobium expoſuit, precibuſque inſtabat ut Eccleſiam in clientelâ ſuâ poſitam defenderet, ſumptoque ſecundum Leges municipales de illatis injuriis ſupplicio, conſimiles in poſterum præcaverentur. Dat fidem Rex, præſentibus Procerum haud paucis, ea ſe, ex ſententiâ ſanctioris ſui Concilii, abunde præſtiturum; & aliquanto poſt literas dedit, quas Protectrices vocant, in Comitatibus *Oxonienſi* & *Bercherienſi* proclamandas; quod cùm à Vicecomite *Oxoniæ* & *Abendoniæ* factum eſſet, tantus repente metus ſeditioſis injicitur, ut damni abinde nil quicquam, in Abbatiam aut Monachos, moliri ſuſtinuerint.

Eodem anno, in die Dominicâ Feſtum S. *Simonis* & *Judæ* præeunte, redit ad Monaſterium ſuum antedictus Abbas, Optimatum, quibus id muneris demandabat Regia Majeſtas, ſatellitio ſtipatus; quibus porro accedebant ex Agro *Oxonienſi*, *Bercherienſi*, & *Wiltonienſi*, ſatellites frequentes, cum Sagittariis quamplurimis, è ſaltibus **Windſore**, **Bernwood**, **Chylterne**, & **Shotover**, evocatis. Hi inquam Cœnobiarcham *Offunctonæ* excipientes, ad Cœnobium honorificâ non minus quam terribili pompâ deducunt: quo cum perveniſſent, clam ſe aut in fugam dant, aut latebras ſubeunt maleficorum plerique. Verum nec eâ ratione pœnas declinabant; capti enim à lictoribus, aliiſque Juſtitiæ miniſtris, Carceri *Wallingfordenſi*, cuſtodiæ cauſâ, demandantur, & paulo poſt per Juſtitiarum regium judicio publico damnati, ad duodecim ſuſpendio necantur; dilatâ aliorum ſexaginta damnatione, qui eodem ſupplicio mactati fuiſſent, ni Abbas pietate motus miſſo per Armigerum ſuum *Ægidium Paghamum* Brevi de ſuperſedeas, ut loquuntur Legulei, apud Judicem maturè interceſſiſſet.

Atqui alienum non erit, bonorum, quæ præfato Cœnobio detraxere & abegere conjurati, Catalogum hic inſerere; quem apud illius loci Monachum ejuſmodi reperio, viz.

Centum pſalteria.
Quadraginta Miſſalia.
Centum Gradualia.
Duodecem Codices.
Decem Decretalia.
Decem Calices.
Viginti Veſtimenta alba.
Sexaginta Capas.
Quadraginta Caſulas.
Thuribulum & Candelabrum de Argento.
Sexaginta Cyphos de auro.
Quadraginta Cuppas de argento.
Centum Pecia argentea.
Quadraginta Cochlearea argentea.
Ducentas Mazareas. Intelligit forte Gabatas, aut pateras.
Centum Carcoſia (vel cadavera) *bovina.*
Mille Carcoſia Muttonum, *i. e.* Ovium.
Trecentos Bacones. i. e. Porcos.

Pannos etiam lineos & laneos ad valorem CIↃ. librarum, præter catella domus & Eccleſiæ & ipſius Abbatis ad valentiam CIↃ. libr. Immo in quodam [a] Regiſtro ejuſdem Cœnobii quod vidi (ubi habetur proceſſus juridici formula, ſivè placitum de hac re) Abbas conqueritur *ſe hinc deterioratum fuiſſe ad valentiam decem mille librarum.*

Ad Scholares & Oppidanos *Oxonienſes* quod ſpectat, neſcio an eorum aliqui dictorum flagitiorum, in quorum nempe ſocietatem veniſſent, pœnas capite luerint; incredibile tamen non eſt, cùm de Academicis qui minus noxii deprehendebantur traditum ſit, eorum nomina Epiſcopis paſſim denunciata fuiſſe, ut ſiquando Beneficia aut Dignitates ambirent, ab iiſdem repellerentur. Probabile autem ulterius fit, *Oxonienſes* quoq; pœnis capitalibus mulctatos fuiſſe, quoniam poſt effuſas ab Abbate de Monaſterii ſui clade querimonias, Rex continuo *Jo. Mautravers* vel *Maltravers* juniori, *Johan.* de *Stonore*, *Roberto* de *Aſton*; *Joh. Loveday*, & *Roberto* de *Hungerford* Juſtitiariis ſuis, poteſtatem per literas [b] fecit, quâ eorum bini, terni, aut quaterni, delicta *Petri* de *Ewe*, *Gulielmi* de *Wells* &c. *Oxonienſium*, contra Cœnobiarcham & Conventum *Abendonenſem* perpetrata inquirerent; inque eoſdem ex Lege *Angliæ* municipali animadverterent. Quod quidem feciſſe eos liquet, quanquam de pœnis irrogatis minus conſtet. Miſſus vero inſuper, eodem quaſi tempore, eſt *Gulielmus* de *Shareſhall*, cui Rex reſarciendam inter Abbatem *Abendonenſem* ac Municipes *Oxonienſes* pacem delegabat; quemque ubi opprimendum iri à Scholaribus inaudirent Magiſtratus, firmo ſatis præſidio deducere, & in munere exequendo tueri, neceſſe habuerunt.

De hiſce autem diſſidiis exiſtimandum arbitror *Rogerum Swiſet* (qui per hæc tempora Philoſophiæ ſcientia nobiſcum inclaruit) in libro ſuo [c] Topicorum meminiſſe, quo in loco de exemplo ita ediſſerit; --- *exemplum eſt* (inquit ille) *ex uno particulari ad aliud particulare probandum progreſſio propter ſimilitudinem in eis repertam*, *ut* Oxonienſes *contra* Abendonenſis pugnare malum eſt, ergo *Londonienſes contra* Cantuarienſes *pugnare malum eſt.* Tenet conſequentia ex hac ſimilitudine, quoniam ſicut *Oxonienſes Abendonenſibus* ſunt affines, ita *Londonienſes Cantuarienſibus.* Nec omittendum quod à [d] ſcriptore quodam accepi; eâdem nimirum tempeſtate, municipes S. *Albani*, de Burgo S. *Edmundi*, *Winchelſeiæ*, & *Feverſhamiæ*, cum cœnobiarchâ quoque ſuo ac Monachis ad certamina deſcendiſſe, non abſque cædibus utrinque factis terminata. Denique autem, ne his ulterius immorer, ſtatuta illa, quæ in Codicibus [e] noſtris habentur, quæque contra Pacis Perturbatores die veneris proximo poſt Feſtum S. *Dionyſii* hoc anno erant ſancita, occaſione dictorum flagitiorum, à Scholaribus partim admiſſorum, condita crediderim.

CIↃCCCXXIIX.

Privilegia nobis vetera corroborata, ab *Edoardo III.* fuiſſe ſupradictum eſt: hoc autem anno, & eorum confirmatione, & novorum quorundam acceſſio-

[a] *Reg. quod dividitur in particulas, partic.* 6. [b] *In faſciculo ut ſupra.* [c] *Vel in Tractatu ſuo in lib. Topicorum p.* 201. *qui quidem Tractatus extat inter varia ſubtilitatis Opuſcula typis exarata cum ipſius inſolubilibus & aliis opuſculis.* [d] *Author libri Monaſterii S.* Auguſtini *in* Cantuaria, *MS. ad an.* 1327. [e] *B.* 76. *a.* C. 31. *a. &c.* D. 22. *a. &c. vide etiam in A.* 110. *a. &c.*

ne donati [a] comparemus. Qualia sunt.

1. Quod Cancellarius & Prætor *Oxon.* habeant ut antea, conjunctim custodiam [b] assizæ panis & cervisiæ, & quod in defectu Prætoris, Cancellarius solus habeat eandem custodiam. Occasio hujus concessionis erat, quod cum Rex eos antea in hoc munere conjunxisset, & postea dedisset chartam Burgensibus, *quod eorum Aldermanni bis in anno visum Franci plegii in suis Wardis vel Aldermanniis tenere possint*: excludebant igitur ratione hujus *Franci plegii* sive curiæ feodalis Cancellarium ab hoc munere; Licet is Regi dimidiatam quinque librarum portionem eo nomine persolveret.

11 Quod licet Cancellarius & Prætor circa Custodiam assizæ mensurarum & Ponderum æquo jure [c] fruantur; tamen si hic officio deesset, præfata potestas ad illum delabatur. His accessit, de mensuris etiam, quas Congia, semi-congia, & Sextarios nominamus, cognoscendi jus: quod Cancellario unà cum Majori & Aldermannis concedebatur.

At vero cùm hæc Universitati impertita & firmata essent, haud parum angebantur Oppidani, Jurisdictionem suam imminutam existimantes; & querelas idcirco ad Regem detulere, qui binis [d] literis Cancellario & Majori præcepit, ut *Eboraci* uterque coram se & sanctiori suo Concilio compareret, utriusque societatis, sive municipii, Chartas & munimenta adferentes, quo utique lites illæ ex æquo magis expedirentur. Verum mutatâ post paulo sententiâ, controversiam omnem *Woodstochiæ* discutiendam ordinavit, Rescriptoq; [e] suo ad *Galfredum* le *Scrope*, primarium *Angliæ* Justitiarium, judiciumque *Eboraci* exercentem, dato, causas Scholarium Civiumque *Oxoniensium* cognoscere vetabat. Post autem aliquanto, prædictæ lites *Woodstochiæ* ventilantur, & secundum nos dijudicantur.

CIↃCCCXXIX.

Constat tamen rem *Wallingfordiæ* & *Londini* agitatam denuo fuisse, licet quibusnam victoria cesserit, in obscuro sit. Sed his omissis, hoc eodem tempore Regi significatur, quosdam nefarios homines, tum *Oxonienses*, tum è partibus vicinis adventantes, nominis Scholastici obtentu, Conventicula illicita hic loci instituere; noctuque ac interdiu non sine summo bonorum omnium damno & periculo grassari: obvios nimirum non modo ex insidiis sed & in propatulo verberibus cædere, immo interfectis nonnullis, ædibusq; succensis, prædas facere & rapinas; turbatâ pace publicâ, Civibusque mirum in modum vexatis. Quamobrem *Wallingfordiæ* tum agens Regia Majestas, *Ric. d'Ammarie*, *Rob.* de *Arderne*, *Gilb.* de *Ellesfield*, & *Richardo* de *Wilugby* [f] edixit, *Oxoniam* adirent, deque præfatis criminibus quæstionem haberent. Executi sunt mandata prædicti delegati, & delictorum ejusmodi convictis pœnas haud leves irrogabant; fama tamen obtinet, præcipuos turbarum Duces supplicium effugisse, neque de pristinâ vitâ quicquam immutasse, dum illis vix aliquis manus auderet injicere; quod ingenti Academicorum multitudini adscribendum est, quæ eo quidem usque jam excreverat, ut eos coercere difficillimum esset; quorum etiam quamplurimi tanquam in scena personam sustinerent; postquam enim habitu Scholastico induti cædes ac scelera patrassent, in periculo constituti, ne deprehensi pœnas expenderent, alio induebantur habitu, & studiosum illico exuebant. Id vero adeo jam in more erat positum, ut Universitatis inde existimatio quammaxime imminueretur.

CIↃCCCXXX.

Recrudescente, quam Archidiaconum *Oxon* nobis intentasse memoravimus, controversiâ, Universitas Instrumentum [g] quoddam, capita de quibus transigi vellet complexum, M^ro *Johanni Legh* aliisque hoc anno tradidit; cæterum an in eadem utrinque convenerit, ignoratur. Articuli autem illi numerum octonarium implebant, iisque explicuit Academia, quid juris in Causis Adulterium & Fornicationem attingentibus, sibi arrogaret, quid vero Archidiacono permittendum vellet: verum cum de iis incertum sit an litem diremerint, primum tantum recensebo, qui talis erat; *Sive Universitas sive Archidiaconus antedictus præveniat in corrigendo super lapsu carnis Rectores, Vicarios, ac Capellanos Parochiales infra villam* Oxon *& suburbium, Beneficiatos, & Ministrantes ac familiares eorundem, si studentes fuerint; qui dicto modo prævenerit, habeat in hujusmodi personis correctionem illa vice.* Fertur autem Rex, Paci Universitatis invigilans, literas crebras ad Archidiaconum alioque transmisisse; magnopere contendens, ut dissidia illa ad exitum optatum perducerentur.

CIↃCCCXXXI.

Præter alia, hoc anno in gratiam Universitatis, Urbisque Oxoniensis sancita, decrevit [h] Rex, *Quod vinum non vendatur carius in Villa & suburbiis quam in Civitate* London, *nisi per unum obolum in qualibet Lagena.* Quod idem anno superiori vigesimoque *Decemb.* die [i] concesserat *per petitionem de consilio.* His accessit quod Cancellarius *habeat* [k] *cognitionem in omnibus rerum mobilium contractibus, ubi altera pars est Scholaris, non obstante prohibitione Regis, nisi prohibitio illa de ista concessione expressam facit mentionem.* Quod etiam Cancellarius & Major [l] *cogant pro triennio tam Clericos quam Laicos ad pavimentum reparandum coram tenementis suis, & quod in defectu Majoris, Cancellarius solus illud explere possit.* Obiter notandum est hic loci quod in Rescriptis Cancellario & Majori conjunctim de quacunque re post magnum conflictum scil. anno CIↃCCCLIV. transmissis, semper interponi solet clausula, sive provisio, *ne Major Villæ in quacunque re ad cognitionem solius Cancellarii spectante sese intromittat*, quod in rescriptis ante conflictum omittitur nec observatur. Deniq; hoc etiam anno [m] constituit Rex, *quod Vicecomes* Oxon *nunc & futuris temporibus imprisonet in Castro* Oxon *ad mandatum Cancellarii omnes malefactores, tam Clericos quam Laicos, nec sinat ingredi alios ad visitandum eos malefactores in carcere*, &c.

[a] *Pat.* 2. Ed. III. *part.* 1. *m.* 19. *A.* 43. *a. B.* 80. *b. C.* 18. *b. & in pix. NN. nu.* 16. & 23. [b] *Vide in min. rubr. lit.* Civit. Oxon. C. *fol.* 7. & 10. [c] Harus *de privilegiis fol.* 50. *b. B.* 19. *b.* C. 82. *a.* [d] *Clauss.* 2. Ed. III. *m.* 25. [e] *Ibidem* [f] *In pix. NN. in Tur. Schol. nu.* 36. [g] *Ibid. in pix.* II. *nu.* 11. [h] *Pat.* 5. Ed. III. *part.* 2. *m.* 8. & *in B.* 19. *a. C.* 81. *a.* [i] *In pix. NN. nu.* 38. [k] *Pat.* 5. Ed. III. *part.* 2. *m.* 8. *In pix. etiam NN. nu.* 30. & *A. fol.* 42. *b. C.* 81. *b.* &c. [l] *Pat.* 5. Ed. III. *part.* 3. *m.* 18. & *in abaco NN. ut supra nu.* 36. [m] *Pat.* 15. Ed. III *p.* 2 *m.* 18. & *in NN. nu.* 21. *B.* 20. *a. C.* 82. *b.* &c.

CIↃCCCXXXII.

Hunc etiam annum Regius erga Universitatem *Oxonienſem* favor aliquatenus nobilitavit; Juſtitiarios enim ſuos (quorum nomina mox habebis) [a] deſignavit, *ad inquirendum de indebita Vini & Victualium venditione in* Oxon *per Ballivos & alios miniſtros ſuos contra formam ſtatuti in damnum Scholarium.* Eodem quaſi tempore nunciatum eſt, *quod diverſi homines* Oxonienſes *diverſas purpreſturas*, ſive projecta, *ſuper viam regiam, in eadem villa per penticias & Stalla*, pergulas intelligit, *in eadem villa fixa & levata*, (ſive erecta) *ante hæc tempora & indies faciunt, quodq; malefactores in villa prædicta ſub penticiis & ſtallis prædictis ſic levatis, noctibus latitant & vagantur, diverſa mala ibidem perpetrantes in damnum & præjudicium pacis Regis.* Deputavit [b] proinde Rex *Gulielmum* de *Shareshall*, *Gul.* de *Langele*, *Rich. Vaghan*, *Jacob.* de *Wodeſtoke*, & *Gul.* de *Burcheſter*, quorum bini, terni, aut quaterni rem illam reſciſcerent; quod feciſſe illos liquet, & *Oxoniam* adventantes *Penticias* & *Stalla* in pacis publicæ detrimentum erecta, evertiſſe. Hi porro, quod in [c] mandatis, eodem, quo antedicta, die (xvi. nimirum *Decemb.* anno Regni vi.) acceperant, de haud modicâ pecuniæ vi, *Oxoniæ* ab incolis quibuſdam inventâ, examen inſtituebant; Regique eam, ad quem utique pertinere deprehendebant, *ſecundum legem & conſuetudinem Regni*, adjudicabant.

CIↃCCCXXXIV.

Ad hunc præteritumq; annum referuntur haudpauca, quæ illius momenti non duxerim, ut Hiſtoriæ noſtræ vel fuſius, vel omnino, inſerantur. An dicam tamen Burgenſes vii. *Edoardi III.* ſupplicem libellum [d] Ordinum Comitiis porrexiſſe, contra Scholares de Decimis & quindecimis per eos ſolvendis, in quâ domuum Scholaſticarum multitudo grandis revera commemoratur? An etiam Petitionis cujuſdam Academicæ, paulo ante præfatam Parliamento oblatæ, meminerim, quâ pro exemptione à penſitationibus modo dictis ſupplicatum erat? Atqui his inſiſtendum non arbitratus, ad Magiſtros & Scholares deſcendo *Stanfordiam* in Agro *Lincolnienſi Maio*, *Junio*, *Julio*que menſibus magnâ frequentiâ migrantes, ibique Academiam aut inſtituentes, aut, quod ad veritatem propendet magis, inſtaurantes. Seceſſioni iſti, præter prætextus, vel *colores quæſitos*, diſcordias quaſdam *Oxonii* inter ſe coortas prætexebant; ſed quicquid in causâ fuerit, comprobatum jam eſt *Apollinis* illius Britannici, *Merlini* nempe, vaticinium, qui ſic ante ſecula complura prædixerat;

Doctrinæ ſtudium quod nunc viget ad vada [e] Boum,
Tempore venturo celebrabitur ad vada [f] Saxi.

Qua de re [g] *Spencerus*, vir de Arte Poeticâ præclare meritus, hunc in modum cecinit in ſolenni illo matrimonio fluminum *Thamiſiæ* & *Medvaii*.

And after him the fatall Welland went,
That, if old ſawes prove true (which god forbid)
Shall drowne all [h] Holland with his excrement,
And ſhall ſee Stamford, though now homely hid,
Then ſhine in learning more then ever did
Oxford or Cambridg, Englands goodly beames &c.

Camdenus [i] quidem & Antiquarius noſter *B.* [k] *Twynus* Academiæ, ſeu potius Scholæ *Stanfordianæ* originem, diſſidiis inter Scholares *Boreales* & *Auſtrales* accenſis attribuunt; primo dictos victoriâ ceciſſe, & propterea *Standfordiam* ſe contuliſſe, literaſque ibidem profeſſos fuiſſe perhibentes; tempore autem quibus ea accidebant nequaquam adnotato. Refert, *Vitus* [l] *Baſingſtochius* (ſeu *Richardus White* de Baſingſtoche) qui è *Novo* Collegio prodierat, cui concinit *Londinenſis*, Univerſitatem *Cantabrigienſem*, dogmatis *Pelagiani* labe inquinatam, ad Urbem *Legionum* tranſvolaſſe, ibique Scholam ſeu Academiam ducentorum circiter Philoſophorum erexiſſe: poſt autem *Stanfordiam* tranſmigraſſe, ibique diffusâ inter illos hæreticâ, quam prædixi, pravitate, *Oxonienſes* haud paucos opinionum novitate allectos eodem permeaſſe. Cæterum nec *Vitus* ille migrationis tempus aſſignavit. Dictorum autem virorum pace crediderim ſeceſſionem iſtam *Oxonienſem* in occaſiones ab iis memoratas minimè rejiciendam, cum neque Chartæ aliquæ Academicæ, neque Scripta, quod ſciam, vetuſta, huic ſententiæ ſuffragentur: dubium tamen non eſt ſimultates hac etiam tempeſtate Academicis interceſſiſſe; huic enim fidem facit quod è querimoniis [m] Collegio *Mertonenſi* ab Eccleſiâ *Dunelmenſi* intentatis habetur, ubi redarguitur dictum Collegium, quoniam (ut amicitia ſibi cum Univerſitate ſtabilis permaneret) Scholares Aquilonares pari cum auſtralibus jure, in Socios cooptare recuſaret. Verum ego diſſenſiones quas emerſiſſe hoc anno reperi percenſebo. Primæ erant quæ inter Scholares, Clientes, ſeu Familiares ſuos, ac Servientes prorupere, quaſque à Statutis circa Servientes, Artifices, & Operarios promulgatis, primordia duxiſſe exiſtimarim, poſt migrationem autem *Stanfordianam* confecta fuiſſe?, omnino confiderim. Atqui diſſidia illa tantis tumultibus exercebantur, ut nuncio ad Regem perlato, per [n] literas ille, xx. *Septembris* datas, *Richardo* Epiſcopo *Dunelmenſi*, tunc Dom. Cancellario *Angliæ*, *Rogero* Epiſcopo *Coventriæ* & *Lichfieldiæ*, & *Gulielmo* Epiſcopo *Nordovicenſi* præceperit, eorum ſaltem unus aliquis *Oxoniam* proficiſceretur, liteſque præfatas definiret. Miſſo inſuper eodem tempore [o] Brevi ſuo, Cancellario, Procuratoribus Magiſtris, & Scholaribus mandabat, ut eorum ſententiâ acquieſcerent, quicquid illis ſuper hiſce diſſidiis conſtituere viſum eſſet: qui quidem judices controverſiam omnem dirimebant, turbaſque in præſentiâ ſedabant. Exeunte eodem menſe, exarſere denuo (utrum inter ſupradictos neſcire me fateor) accerbiſſimæ diſſen-

[a] *Pat.* 6. Ed. III. *p.* 3. *m.* 7. [b] *Ut in pix. PP.* [c] *In pix. NN. nu.* 33. [d] *In faſcic. petitionum Parliament.* 7. Ed. III. [e] *i. e.* Oxenford. [f] *i.* Stean ford. *quod ſignificat* Stoneford, *i. e. lat.* Vadum ſaxi, vel lapidis. [g] *In Regina* Lamiana, *lib.* 4. *Cant.* 11. *ſtanz.* 35. [h] Hollanda *eſt pars Comitatus* Lincolnienſis. [i] *In* Britannia, *in* Coritanis. [k] *In Apol. Ant.* Oxon. *lib.* 3. §. 115. [l] *In vol.* 2. *Hiſtoriarum Britannicarum lib.* 8. [m] *In Reg. diverſarum literarum de offic. Cancellarii Monachorum* Dunelm. *fol.* 18. & 48. & *in quodam parvo* Reg. *in Ciſta œconom. in ſcacc. Coll.* Merton. *p.* 19. [n] *Pat.* 8. Ed. III. *p.* 2. *m.* 23. *in quo quidem reſcripto vel literis ita loquitur Rex* Nos conſiderantes quod per Univerſitatem prædictam fides Chriſtiana defenditur & dilatatur, ac Regnum noſtrum ac incolæ ejuſdem Regni multipliciter exornantur, *&c.* [o] *In pix. NN. in tur. Schol. nu.* 30. & *pat.* 8. Ed. III. *p.* 2. *m.* 23. *ut ſupra.*

siones ; cùm viri quidam nequissimi conventus illicitos celebrarent, atque inde vi & armis grassantes, neque à bonis diripiendis, neque à vulneribus ac morte inferendis abstinerent. Alios autem pessimis modis tractabant, non sine plurimis verberibus, immo membrorum aliquando mutilatione dimittentes; Scholares autem fuerint malemeriti illi, an vero Oppidani, scriptis non invenio consignatum. Quicunque vero fuerint, postquam facta eorum Regi innotuere. 1. *Octob.* die *Radulphus Basset* de **Drayton**, *Johannes* de *Cherlton*, *Joh.* de *Stonore*, *Gul.* de *Shareshall*, *Joh.* de *Cantebrigge*, & *Joh.* de *Shardlow*, Justitiarii, iisdem cognoscendis [a] designantur; quorum quinque, quatuor, tres, vel duo, *Oxoniam* adirent, & ex proborum quorundam juramentis antedicta maleficia ad examen revocarent; cognitisque grassatorum, eosque hospitio excipientium, nominibus, rem omnem secundum Leges *Angliæ* dijudicarent. Quidnam ab iis factum, & quas luerint pœnas antedictorum scelerum convicti, dicere nequeo; occurrunt autem, in Brevibus quibusdam Regiis, quæ per hæc ipsa tempora scribebantur, nonnulla cognitu haud indigna. Binæ vero Regis [b] literæ ad Cancellarium dabantur, quibus ne Scholares, eorumve Famuli, aut arma gestarent, aut in Hospitiis suis asservarent, prohibuit. In secundis, ad eundem tertio post die transmissis, tum ipsum, tum Procuratores, de maleficis haud sedulo mulctatis corripuit. Dabantur eodem quoque die ad Majorem & Ballivos Rescripta tria, quorum [c] primum de Armis pariter non gestandis præcepit; secundum [d] Prætori & Ballivis injunxit, ut proclamandum publice curaret contra eos, qui in conventibus clandestinis concilia pacem Universitatis evertentia inirent; Tertium [e] vero mandavit ut ille juxta & Ballivi, postulante Cancellario & Procuratoribus, noxios quoscunque comprehenderent; quam in rem eodem tempore dabantur [f] literæ ad Vicecomitem *Oxonienſem* & *Bercherienſem:* siquidem hac tempestate id muneris ab uno eodemque homine per utrumque comitatum administrabatur. His autem omnibus diligenter præstitis, pacatæ in præsens turbæ *Oxonienſes* fluctusque compositi videntur; qui cùm post secessionem *Stanfordianam* exæstuârint, Academicos nostros eodem deportasse nequaquam potuerint; licet, quænam eos causa induxerit ut solum verterent, in obscuro sit.

Utcunque, sive *Stanfordiam* se contulerint *Oxonienſes* occasione glisscentium domi litium, sive id ex eo evenerit, quod quæ prædixerat *Merlinus* adimplendi desiderio caperentur (siquidem in Regiis [g] literis *Colores quæsitos* vel causas migrandi captasse dicuntur) ibidem in menses haud paucos commorabantur, prælegentes ac disputantes, juvenesque bene multos, qui è locis vicinis adventabant, in disciplinam excipientes. Tandem vero, haud imprudenter speculata Universitas id è re suâ minime fore, immo periculum subesse, ne vetus eruditionis fluentum hac ratione exaresceret; Regem adeunt, supplicesque petunt, ut novam hanc Academiam antiquaret nullamque faceret, Scholares autem ad Matrem suam *Oxoniam* remeare compelleret. Quamobrem ille Majori & Ballivis *Oxonienſibus* per [h] literas *Augusti.* 11. datas edixit, à Præcone publico enuntiari facerent, velle se ac jubere ut Magistri & Scholares *Stanfordiæ* degentes, Actusque Scholasticos exercentes, ad Academiam *Oxonienſem* sub pœnâ Forisfactionis bonorum omnium redirent. *Nam nolumus* (inquit Rex in iisdem literis) *Scholas seu studia alibi infra regnum nostrum, quam in locis ubi Universitates nunc sunt, aliqualiter teneri.* Eodem tempore literæ [i] ad Vicecomitem *Lincolnienſem* emanabant, præcipientes ut ipse mandata hæc Regia per Ballivam suam evulgaret; quo præstito, nec revocatis tamen Scholaribus, ipse Vicecomes, jubente denuo per [k] literas Rege, *Stanfordiam*, ineunte *Novembri*, profectus est, ibiq; propalavit, qui *Oxoniam* mature non reverterentur, eorum libros & bona omnia publicanda iri.

His ita peractis Academiam nostram bene multi repetunt; licet alii haud pauci in integrum pene annum *Stanfordiæ* perstitere, Artibus liberalibus tanquam in Universitate vacantes, nec non ad illas Auditores suos informantes; quam rem ægre ferebant *Oxonienſes*, & nisi remedium propere quæreretur, nuper imminutum transfugarum numerum ad priorem brevi multitudinem exundaturam prævidentes, querimonias iterum ad Regem deferunt. Rex itaq; ad *Gul. Trussel*, paulo postque ad Vicecomitem *Lincolnienſem* [l] rescripsit, ut prædictos Scholares *Stanfordiâ* pellendos procurarent; qui quidem imperata fecerunt, aderantque dum Academici ex oppido deducerentur, parum tamen profuere, quamprimum enim & ipsi discesserant, studiosi, hortantibus municipibus, in oppidum revolabant, & disciplinam pristinam ad plures menses continuabant. Cæterum Rex aliam sibi viam ineundam perspiciens ut voti fieret compos, viris nonnullis potestatem [m] fecit, Scholarium *Stanfordienſium* nomina conquirendi, & ad se transmittendi, occupatis eorum libris reliquisq; bonis, & in fiscum Regium redactis. In die propterea Mercurii, post Festum S. *Jacobi* proximo, facta est *Stanfordiæ* coram *Gulielmo Trussell* [n] inquisitio; virique duodecim, juramento prius dato, junctis suffragiis eorum nomina retulere, qui, postquam id Regio mandato vetitum sæpius fuisset, *Stanfordiæ* commorantes Actus Scholasticos exercuissent. Ii autem fuerant.

Magister
- *Gulielmus* de *Barnebey.*
- *Thomas* de *Kendale.*
- *Thomas* de *Hotoste.*
- *Johan.* de *Whitwell.*
- *Gulielm.* de *Robey.*
- *Robertus* de *Barton.*
- *Hugo* de *Lincolne.*
- *Gulielm.* de *Donelschawe:*
- *Simon* de *Bekyngham.*
- *Petrus* de *Aulebey.*
- *Johan.* de *Stockton.*
- *Thomas* de *Eston.*
- *Petrus*, Rector S. *Petri* in *Stanfordia.*
- *Johan.* de *Bolton.*
- *Thom.* de la *Mare.*
- *Johan.* de *Ramiston.*
- *Robert. Bernard.*

Gulielmus le *Bachelaure*

Dominus
- *Johan. Blandolfe* Rector Ecclesiæ de **Scottes** prope *Granthamam.*
- *Henricus*, Rector *Timwellensis.*
- *Robertus* de *Bourle* Vicarius S. *Andreæ* in *Stanfordia.*

[a] *Pat. ut supra m.* 23. [b] *Pat. ut supra m.* 20, *& in pix. NN. nu.* 22. [c] *In pat.* 8. Ed. III. *p.* 2. *m.* 20. [d] *Ibidem.* [e] *Ibidem & in pix. NN. nu.* 12. [f] *Ibidem nu.* 21. [g] *Clauſ.* 8. Ed. III. *m.* 17. *& in pat.* 9. Ed. III. *p.* 1. *m.* 28. *&c.* [h] *Cl.* 8. Ed. III. *m.* 17. *ut ſupra.* [i] *Ibidem.* [k] *Clauſ.* 8. Ed. III. *m.* 17. [l] *Pat.* 9. Ed. III. *p.* 1. *m.* 28. [m] *Ut in faſcic. Eſcheat.* 9. Ed. III. *nu.* 72. *in Turri* Lond. [n] *Ibidem.*

Dominus

Dominus { *Henricus*, Vicarius *Omnium Sanctorum* ultra pontem *Stanfordianum*.
Richardus, Rector S. *Georgii* in *Stanfordia*.

Gulielmus de *Everwickes*.
Radulphus de *Acherche*.
Gualterus de *Notyngham*.
Johannes de *Lincolne*.
Gualterus de *Trekyngham*.
Johannes de *Kirbye-Beliers*.
Dominus *Thomas*, Rector de **Stanhope**.
Johannes de *Twyselyngton*.
Hugo de *Suttewell*.
Robertus de *Heselbethe*.
Johannes de *Kelemersse*.
Philippus, Obsonator *Eneanasensis* in *Stanfordia*.
Johannes de *Schetlanger*.
Johannes filius *Gilberti* de *Foderingbey*.
Johannes filius *Galfridi* de *Bernake*.

Hi autem, qui haud pauciores quam quadraginta comparent, pro melioris notæ viris habendi sunt; edita enim pariter sunt famulorum aliorumque ex plebe Scholasticâ nomina perplura; qui perinde ac prædicti amissione bonorum & incarceratione puniti, *Oxoniam* tandem amandantur. Porro qui Mr *H.* de *R.* nuncupatus [a] comperitur, quique (veluti Epistola quædam ad Cancellarium & Magistros *Oxonienses* missa testatur) præcipuus dispersionis illius, & secessionis *Stanfordianæ* suasor & Antesignanus extitit, præter nominis delationem, & bonorum publicationem, aut censuris Ecclesiasticis, aut insuper graviori supplicio plectebatur. Deinde vero ne consimilis migrationis periculum unquam in posterum adeatur, statutum [b] fecit Universitas (quod nuper in novum [c] statutorum librum remissum est) ut quisquis ad Gradum promoveatur, inter alia juramenti capitula, fidem hunc in modum astringeret;
--- *Item tu jurabis, quod non leges nec audies* Stanfordiæ *tanquam in Universitate, studio, aut Collegio Generali.*

Siquis autem dicere jubeat, quot annis floruerit Academia Stanfordiana, fateor equidem dictu id esse difficillimum; cum è Registris fide digniss imis constet, locum illum tanquam bonarum literarum Gymnasium multos prius annos floruisse quam antedictæ prohibitiones ab *Edoardo III.* emanarint. Prætermissis enim *Gulielmo Lydlyngtono*, *Joh. Repynghalio*, & *Gualtero Hestono*, Scriptoribus sui seculi egregiis; manifestum est de *Gulielmo Whetelejo*, quem *Lelandus* [d] *Boëtianum* cognominat, quod post annos aliquot *Oxonii* in literis absumptos, *Stanfordiam* concessit, Scholasque ibidem anno saltem vigesimo quinto, antequam iisdem esset interdictum, administrabat; prout apertum fit è lineolis quibusdam e Commentariorum ejus *Pseudo-Boëthii* de Disciplina Scholarium calci adscriptis, sub hac formâ,

Explicit liber Boëtii *de disciplina Scholarium, in hunc modum ordinatus & compilatus per quendam Ma-*

giſtrum qui rexit Scholas Stanfordiæ, *anno ab incarnatione Domini* CIↃCCCIX. *&c.*

Nequis autem suspicetur præfatum *Gulielmum* Scholæ tantum Grammaticali ibidem præfuisse, argumento pæne indubio convincitur, Gymnasii illius disciplinam Academicam penitus fuisse. Neque enim aliter in Commentariis illis de quæstionibus Physicis ac Astronomicis copiose adeo edisseruisset *Whetelejus*, neque Universitatum consuetudines, ad Gradus, Lecturarum resumptionem, Incœptionem denique, & Actualem Regentiam pertinentes, retexuisset.

Quandoquidem ergo Academiam *Stanfordianam* antiquiorem deprehendimus quam ut à migratione hac nostrâ nasceretur, primordia ejus, quoad è priscis Registris fieri poterit, investigemus; repudiatâ interim Scriptorum eorum authoritate, qui à Rege *Bladulo*, DCCCLXX. ante natum Christum annis, institutam retulere. Cur non autem à *Roberto Luterello*, literas *Oxonii* aliquando percipiente, & in Ecclesiæ de **Irenham**, in Diœcesi *Lincolniensi*, Rectorem postmodo emergente, exordium sumpsisse opiner? Is enim XX°. *Edvardi I.* Manerium quod *Stanfordiæ* in Parochiâ S. *Petri* possidebat, Priori & Conventui de **Sempyngham** seu **Sempringham** [f] transcripsit; tum ampliando Conventui addicens, tum viris sustentandis, Theologiæ & Philosophiæ ibidem invigilantibus; necnon alendo Capellano Seculari, vel Regulari, qui in Capellâ Beatæ *Virginis* infra prædictum Manerium positâ, missarum sacra celebraret. Ab hâc itaque *Luterelli* donatione (quam *Johannem Dalderbie* Episcopum *Lincoln.* III. Id. *Nov.* CIↃCCCIII. firmantem in perpetuum [g] reperio) incœpisse Scholas *Stanfordianas*, nullus equidem dubito; quas cum haud incelebres esse perciperent *Oxonienses*, eodem frequentes (maxime fortean *Boreales*, quod is locus Popularibus suis propinquior esset) commigrarunt; nequaquam *Oxonio* seditionibus pulsi, quin rerum locorumque novitate potissimum abducti.

Cæterum quod ad Aulas & Hospitia Scholastica spectat, haud pauca *Stanfordiæ* olim comparuisse dicuntur; quorum præcipuum & antiquissimum habeo quod ad Conventum de **Sempyngham** pertinebat. De reliquis enimvero non adeo constat: quæ autem constanti seculorum famâ Studiosorum antiquitus habitacula fuisse dicuntur recensere non pigebit.

I. Positum est è regione Templi *Omnium Sanctorum* multæ vetustatis domicilium, Aula *Nigra* vulgo dictum; in quo Culina nuper extitit (nescio an in hodiernum quoque diem superstit) certissima antiquitatis vestigia ipsâ structurâ exhibens.

II. Comparet in Plateæ Divæ *Mariæ* Diversorium, cui *cygno veteri* nomen increbuit, quodque Collegium olim seu Aulam fuisse Scholasticam plerique arbitrantur.

III. Stat porro in Parochiâ S. *Pauli*, prope alteram Turris Portam, Ædificium perantiquum; cui nomen ab *Æneo naso* impositum. Quippe Portam ampliorem habet, inque eo ostiolum cui affixum est Caput Æneum multam antiquitatem præ se ferens, & in naso perforato annulum gestans. Refectorio præterea satis pulchro instruitur, & usque hodie in Dimissionum syngraphis ab *Æneo Naso* cognominatur.

IV. Habetur & aliud domicilium in Parochiâ S. *Georgii*, Parochi habitaculo contiguum. Illud haud

[a] *In* Reg. *diversarum literarum de Officio* Canc. *Monach.* Dunelm. *ut supra fol.* 93. [b] *In B.* 37. *a.* C. 2. *b.* [c] *Edit.* Oxoniæ 1634. *Tit.* 9. *sect.* 6. [d] *In Tom.* 4. *p.* 391. [e] *MS. in bib. Coll.* Merton. & Exon. [f] *Reg. Dalderbye, fol.* 8. [g] *Ibidem.*

ita

ita pridem incoluit Alutarius quidam, & Collegium antiquitus fuiſſe vulgo exiſtimatur, licet quo nomine innotuerit obduxit vetuſtas.

v. Denique, ex adverſo Ædis vel Eccleſiæ S. *Georgii* procurrit in longum per integrum latus ædificium Aulis noſtris vetuſtate fatiſcentibus omnino conſimile; has enim, & Portis deſuper arcuatis, & feneſtris formâ antiquâ fabricatis, aperte æmulatur.

CIↃCCCXXXVI.

Academicis noſtris *Stanfordiâ* (uti dictum abunde) remeare coactis, Rex vicorum pavimenta de novo mandavit ſubſterni; [a] conſtituitque ut poſtulante Cancellario Reſcripta continuo emanarent de capiendis, Sacrorumque beneficio arcendis, malefi-cis; eundem ſcilicet in modum quo Prælati, monente eodem Cancellario, pœnas haſce irrogare ſolent. Quo quidem Privilegio (neſcio an authoritate Regiâ legitime indulto) uſos ab antiquo fuiſſe Cancellarii *Oxonienſis* deceſſores liquido apparet, tum è Bullâ Pontificiâ (*Bonifacio* VIII° à nonnullis adſcriptâ); tum è Reſcripto *Johannis Pechami*, Archiep. *Cantuarienſi* tranſmiſſo anno CIↃCCLXXIX. tum denique annalium fide, & longævâ præſcriptione: ſiquidem, ut alia mittam, anno Dom. CIↃCCLXII. Ballivi *Oxonienſes* ipſi cenſuris Eccleſiaſticis per Cancellarium plectebantur. Neque vero ibi ſtetit *Edoardi* benevolentia, quin ad roborandam Compoſitionem XVIII° *Edoardi I.* factam [b] perrexit, aucto quoad alterum ejus capitulum privilegio Academico, conceſſoque ut Cancellarius lites inter Scholares & peregrinos, in Pomœriis etiam & Suburbiis coortas, dijudicaret; qui nimirum juxta dictam Compoſitionem intra Urbis tantum mœnia contingentes prius cognoſcebat. Decrevit [c] porro Rex incarcerandum non iri à Scholarium aliquo Cancellarium, neque litem ei ullam intentandam, poſtquam munere ſuo ceſſit, ſiquem injuriâ in Cuſtodiam dederit; quod *Henrico Harwedeno*, Cancellario *Cantabrigienſi* nuperrime acciderat, quem *Gulielmus* de *Wyvelyngham*, illius Academiæ Scholaris, in carcerem, de causâ modo dictâ contrudendum curaverat. Hæc ea erant quæ anno iſto ſancivit *Edoardus III.* qui tamen & alia nobis Privilegia partim impertivit, hunc ſane in locum minime adferenda, verum in Chartâ [d] illâ magnâ, quam Univerſitati ſub id donavit, habenda.

Hac tempeſtate Benefactores nobis haud pauci contingebant; quorum de numero erat *Philippus Turvyle* Eccleſiæ *Lychfeildenſis* Canonicus, qui centum marcas Univerſitati [e] detulit, quæ ex Statuto, de pecuniâ illâ cuſtodiendâ & expendendâ condito, in arculam quandam, (*Ciſta Turvylenſis* nomen deinceps fuit) deponebantur. Commemorandus quoque venit *Johannis* de *Langton* Epiſcopus *Ciceſtrenſis*, atq; hujus olim Academiæ Alumnus. Is nobis centum [f] donavit libras, quibus aſſervandis ciſtam alteram fabricavimus, *Langtonenſem* poſtmodo nuncupatam, interq; hyemales habitam, propterea quod ejuſdem Cuſtodes, (quorum alter Aquilonaris, Auſtralis vero pro Procuratorum ratione alter erat) appetente hyeme deſignarentur.

CIↃCCCXXXVII.

Hoc anno Rex datis ad Juſtitiarios ſuos *Galfredum* nempe le *Scrope* & Collegas ipſius, [g] literis mandavit, ut *ſinant Cancellarium* Oxon. *habere allocationem*, (hoc eſt beneficio gaudere) *chartæ ſuæ Regiæ*, viz. illius quæ dabatur VIII. *Aprilis* anno regni x. Conceſſit etiam Academicis jus appellationis à foris quibuslibet municipalibus ad Cancellarii *Oxonienſis* Tribunal; nimirum hac tempeſtate quidam *Adamus* [h] *Houton* Clericus *Oxon.* læſerat *Johan.* le *Black* de **Tadyngton** & *Editham* uxorem ejus, *Oxoniæ*, *unde eis implacitatus extitit in communi placito D. Regis* (hoc eſt in forum municipale protrahebatur) cum cognitio iſtius maleficii pertineret ad Cancellarium *Oxon.* quia perpetratum erat *Oxoniæ*, unde jubet Rex ut oſtenſa charta conceſſionis ſuæ, res iterum ad Cancellarium *Oxon.* referatur, juxta tenorem illius chartæ Cancellario *Oxon.* conceſſæ.

CIↃCCCXXXIIX.

Hoc autem anno, die *Junii* vel *Jan.* XX. tranſmiſſum eſt Breve [i] alterum, pro *explanandis modo & formâ cuſtodiendæ aſſizæ panis & ceruiſiæ per Cancellarium* Oxon *& Majorem, & de modo puniendi piſtores & Braciatores delinquentes in obſervatione hujus aſſizæ, & quod Cancellario deficiente circa has tentationes aſſizæ panis & ceruiſiæ faciendas, Major ſuppleat; eoque deficiente, Cancellarius; modo tamen uterque debite fuerit præmonitus*, &c. Pro iſto Brevi & alio quod ſequitur, viz. illo de mactatione *groſſarum Beſtiarum*, fuit in domo majoris *dies amoris* hoc eſt amica invitatio, inter Scholares & Burgenſes. Die *Julii* XXIIX. proximo ſequente, Rex miſit aliud Breve Cancellario in triennium duraturum, de excommunicatis per illum capiendis, quemadmodum ad ſignificationem ſive denunciationem Epiſcoporum uſitatum eſt, & hoc factum eſt ad petitionem *Roberti, Ciceſtrenſis* Epiſcopi, tum vero Cancellarii *Oxonienſis*.

Academicorum inſuper ſanitati proſpiciens *Edoardus*, denuntiari publice per Præconem juſſit, ne Lanii pecora, inter muros *Oxonienſes* mactarent; quoniam inaudierat (ut ipſe teſtatur) *quod complures groſſæ beſtiæ viz. boves, vaccæ, oves, vituli & alia hujuſmodi in diverſis locis infra muros villæ prædictæ indies ſunt mactatæ, & etiam quod tot fimi, fimarii & aliæ fæditates in ſtratis, vicis & venellis villæ illius infra eoſdem muros exiſtunt, per quas mactationes, aër ibidem tantum inficitur, quod quidam tam Magnatum & aliorum ad dictam villam declinantium quam Scholarium & Burgenſium cæterorumque in villa illa degentium, gravibus Corporum ſuorum infirmitatibus ſæpius detinentur, & exinde aliqui moriantur.* &c, Hæc inquam Regem moverunt ut Laniis pecorum infra Urbem mactationem [k] interdiceret; nec non Cancellario Majori & cuſtodi Domus de *Merton*, de mandatis ſuis executioni tradendis, ac nocumentis ejuſmodi præcavendis, præciperet. Eam vero rem permoleſte ferentes Prætor & Burgenſes, *Edoardo* queritabundi [l] ſignificant, *quod à tempore de quo non*

[a] Pat. 9. Ed. III p. 1. m. 10. [b] Harus *de privilegiis fol.* 56. *&c.* [c] *Ibidem fol.* 59. 60. 61. *&c. A.* 21. *a. & in min. rubr. lib.* Civ. Oxon *fol.* 5. *&* 6. [d] *In privilegii ut ſupra, & in Rot. chart.* 10. Ed. III *n.* 29. *& in NN. nu.* 2. *&* 3. *& in rub. lib. ut ſupra.* [e] *A.* 79 *a. B.* 94. *b.* C. 41. *b.* [f] *A.* 76. *b.* 77. *&c. B.* 92. 94. *C.* 42. *b.* [g] *Clauſ.* 12. Ed. III. *p.* 1. *m.* 18. [h] *Fuit poſtea Epiſcopus* Menevenſis. [i] *Pat.* 12. Ed. III. *p.* 3. *m.* 1. *& in px. NN. nu.* 9. [k] *Clauſ.* 12. Ed. III. *p.* 3. *nu.* 3. [l] *In libro abreviationum de placitis Corona in Theſ. Scacc. fol.* 106.

extat

extat memoria, certus locus deputatus & ordinatus extitit pro carnificibus ad beſtias ibidem mactandas, & ad carnes vendendas, qui quidem locus arrentatus fuit (ſive conducebatur) *ab ipſo Rege pretio c. ſol. in firmâ villæ prædictæ, ita quod dicti carnifices in loco illo à tempore prædicto ſine interruptione officium ſuum prædictum exercuerunt, & quod ſine diminutione firmæ prædictæ alibi locus aliquis pro officio prædicto exercendo provideri non potuerit*, &c.

CIↃCCCXXXIX.

Haud ita multo poſt, cum nuntiaretur prioribus mandatis obtemperatum non fuiſſe, prodivit à Rege [a] reſcriptum alterum, ad Cancellarium & Cuſtodem Domus *Mertonenſis* datum; quibus utique edixit, ut junctis operis providerent ne in amovendis, quæ præfati ſumus, nocumentis moræ traherentur; miſſo inſuper eodem die ad Vicecomitem [b] Brevi ſuo, quo præcepit ut in eandem rem publice proclamaret, non obſtante Oppidanorum prætextu reſpondentium, *fuiſſe locum à tempore cujus non erat memoria, intra villam* Oxon *mactandis beſtiis conſtitutum, nec poſſe ſe commode de alio loco cogitare extra urbem pro hujuſmodi mactationibus.* His autem effectum haudquaquam ſortientibus, per [c] literas alias xviii° *Febr.* hoc anno datas præceptum eſt Cancellario, Prætori, & Cuſtodi *Mertonenſi* de mulctandis quos mandatis regiis contraeuntes deprehenderent, aliove modo, ſecundum quantitatem & qualitatem delicti, puniendis. Cæterum neque ſic demum juſſa Regia executionem conſequuntur, quibus morem non prius geſſerunt Lanii, quam increbreſcentibus morbis, Scholaribuſque propemodum diſperſis, Urbe ſubmoverentur, in vico *Lumbardi* Judæi, poſtea **Slaying Lane** dicto, Artem ſuam exercere compulſi.

Hoc anno nil amplius occurrit, niſi forte memoratu dignum ſit, quod Cancellario & Majori, authoritate Regiâ, in quinquennium commiſſum [d] eſt, pavimenta in villa *Oxon* emendare, *& cogere & diſtringere omnes tam Laicos quam Clericos ad eorndem reparationem.*

CIↃCCCXLI.

Hoc anno diſſidia, tum antiqua tum recentiora, inter Scholarium non minus partes adverſas, quam eos inter & Laicos, de integro prorupere; quæ ſane tantorum malorum incendia ſuſcitabant, ut certior de iis factus Rex *Edoardus*, *Gulielmo* de *Burgevenie* Cancellario citra moram [e] edixerit, ſeditionum capita exploraret, graviſſimiſque ſuppliciis mulctaret. Obſequitur mandatis Cancellarius, plurimiq; malefici *Oxonio* ſecundum aliud [f] decretum ea de re factum exterminantur; qui tamen in ſilvis propinquis & juxta vias publicas latentes, in obvios quoſque & itinerantes prædabundi graſſantur, locoſque vicinos quam maxime habent infeſtos. Unde profecto non modicus Regem ipſum occupavit metus, qui cum ad Cancellarium de reprimendis ejuſmodi latrociniis ac tumultibus ſcriberet; periculum ſubeſſe dixit ne non tantum Academiæ diſſipatio proveniret, verum & Regni inde Optimates ad res novas excitarentur. Neſcio an in animo habens quod obſervatum antiquitus retulimus, Univerſitatis utique turbas turbandam brevi Reipublicam præſagire. Antiquus [g] Poëta in *Talbotto* addit etiam Chronicorum fide proditum comparere, quod Hæreſes & Pugnæ in Academiis ortum & incrementa ſortitæ, toto denique Regno ſparguntur, inque bella Civilia prorumpunt.

CIↃCCCXLIII.

Per hæc autem tempora, concertationes quoque Logicæ Academiam miſere convellebant, digladiantibus inter ſe *Nominalium* & *Realium* ſectatoribus. Nominalium Inſtitutor erat *Occhamus*, *Dunſio* Scoto (cujus pridem diſcipulus fuerat) *Realium* Patri, adverſatus; quanquam non ignoro *Petrum Abealardum*, (quod & ex Epitaphio ſuo apud *Godefredum*, & è verbis *Gualteri* [h] *Mape* apparet) *Principem Nominalium* nonnunquam appellari. Hæc vero Opinionum diverſitas in Collegio, cujus fuerant Socii *Occhamus* & *Dunſius*, prognata, totam poſt paulo Univerſitatem tam penitus pervaſit, ut *Aquilonaribus* & *Auſtralibus* novam diſſidiorum materiam ſuppeditârit, in partes jam præfractiori quam unquam vecordiâ abeuntibus, dum hi *Occhamo*, illi vero *Dunſio* adhærerent; quorum primus non tantum res noſtras permiſcebat, ſed & in *Galliâ* gravioris controverſiæ patrocinium ſuſcepit: *Ludovico* de *Bavaria*, adverſus Pontificem *Romanum*, accedens, ſcriptiſq; dilucidans, quod Juriſdictio Eccleſiaſtica Civili debet ſubjacere. Aſſignati ſunt viri docti, qui cum eo *Avenione* in *Galliâ* de hac quæſtione diſceptarent, quem cùm, declinatâ diſputatione, in ſententiâ perſiſtere animadverterent, pro ingenio quiſque ſcriptis impugnabant. Ex *Anglis* Antagoniſtas habuit *Joh.* [i] *Walſinghamum*, *Rich.* [k] *Conyngtonum*, & *Gulielmum* [l] *Exonienſem*, alioſque hujus Academiæ alumnos; quorum argumenta tam fortiter refellebat, ut à Pontifice, ſibi etiam infenſo, *Doctor Invincibilis* appellaretur, prout Adverſarius nuper ejus *Doctor ſubtilis.* Cum in diverſa autem ſtudia ſciſſa eſſet Univerſitas, atque hinc pugnæ frequentius conſererentur, maxime vero in eligendo Cancellario, aliis *Borealem* aliis *Auſtralem* optantibus; exinde proculdubio factum eſt ut Ordinationes variæ & ſtatuta, antedictam electionem præcipue tangentia, hoc anno ederentur. Interciderunt quidem earum conſtitutionum nonnullæ, atqui etiamnum ſuperſunt veſtigia quædam ſatis manifeſta; ſiquidem decretum eſt, ut Scrutatorum alter è *Borealibus*, ex *Auſtralibus* alter deſumeretur; nequid ſcilicet in ſuffragiis capiendis dolo malo, gentiſve alterutrius detrimento, fieret. Per hæc autem tempora Scholares *Oxonienſes*, Clerum omnem Anglicanum imitati, in luxum immodicum quoad veſtitum prolabuntur; & proinde Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, in Concilio *Londini* celebrato [m] decrevit, Scholarem omnem à Gradibus Scholaſticis & dignitatibus Academicis prohibendum tantiſper fore, donec habitibus faſtum præ ſe ferentibus renuntiaret.

CIↃCCCXLIV.

Iſto anno acerbiſſimæ contentiones inter Magiſtros emergunt, occaſione [n] ſtatuti, in vigiliâ S. *Barnabæ*

[a] *Pat.* 13. Ed. III. *p.* 2. *m.* 28. *& in A.* 78. *b.* C. 85. *b. D.* 78. *b.* [b] *In eod. rot. pat.* [c] *In pix. NN. nu.* 10. [d] *Pat.* 13. Ed. III. *p.* 2. *m.* 10. *& in NN. nu.* 32. [e] *Pat.* 15. Ed. III. *p.* 2 *m.* 41. [f] *Pat.* 15. Ed. III. *p.* 3. *m.* 8. *& in pix. NN. nu.* 27. [g] *In libro ſuo MS. cui tit. eſt* Aurum ex ſtercore. [h] *In libro ſuo de nugis curialium diſtinct.* 1. *cap.* 24. [i] Bal. *cent.* 4. *nu.* 97 [k] *Ibid. cent.* 5. *nu.* 32. [l] *Ib. nu.* 33. [m] *Provinciale vetus cum annotationibus Lyndodianis lib.* 3. *tit.* 1. [n] C. 59. *a. D.* 88. *b.*

Apoſtoli per Congregationem Regentium & non Regentium facti; de gratiis nempe Proviſoriis, pro non-Regentibus perinde atque actu Regentibus, ad novi cujuſque Pontificis inaugurationem, ſub publico Univerſitatis ſigillo, petendis. Verum cum ferre nollent actu Regentes ut in ſupplicationibus illis alii ſecum includerentur, ad viros quoſdam Principes provocabant; quæ res Univerſitatem reliquam haud parum commovebat (utpote quæ Appellationibus læſa ſibi quam maxime videbatur) miſſiſque propterea [a] nuntiis rogatur Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, ut authoritate ſuâ interpoſitâ litem dirimeret: qualem vero illa eventum ſortita eſt, nequaquam reperio. Omitto autem lites inter Cancellarium & male feriatos Univerſitatis finibus non ita pridem pulſos (quorum ſupra mentionem habuimus) intercedentes; quæ tamen majorem in modum gliſcebant, Cancellario ad Protectionem à Rege [b] impetrandam adacto, ne ſuper iis quæ in adminiſtrandâ Academiâ geſſerat, in judicium traheretur. Sub Anni vero exitum ſeditionem moverunt cum famulis ſuis conſcelerati quidam Scholares, qui Juſtitiarios Regios de homicidiis, furto, aliiſque criminibus cognoſcentes in munere ſuo exequendo interpellabant. Quamobrem, cùm Cancellario facultas ex poteſtate ordinariâ minimè ſuppeteret tam magnam noxiorum turbam in ordinem cogendi, acceptis in eam rem à Rege [c] literis, ipſe cum *Roberto* Epiſcopo *Ciceſtrenſi Angliæ* Cancellario, delinquentes diligenter inquirit, & ſupplicium cuique pro meritis irrogat.

CIↃCCCXLV.

Iſte annus habet hoc memorabile, quod in die XIII. *Febr.* contentiones inter Univerſitatem & Cardinalem *Galhardum* de *Mota* Archidiaconum *Oxonienſem* ſub æquis [d] conditionibus ſanantur. Deputati autem ſunt qui de illâ re tranſigerent, ex parte Univerſitatis *Johannes* de *Northwode* S. T. P. & Academiæ Cancellarius, cum *Gulielmo* de *Lenne* LL. D; ex parte vero Cardinalis, *Johannes* de *Bonanza*: qui litem, *Charyngiæ* prope *Londinum*, inque Ædibus *Gulielmi Bateman* Epiſcopi *Norwicenſis*, ventilantes, eandem denique componebant, ſub his capitulis, viz.

Quod dictus Cancellarius (viz. Univerſitatis) *qui nunc eſt & qui pro tempore fuerit, ſolus & in ſolidum, habeat omnem & omnimodam juriſdictionem, ſine contradictione, moleſtatione vel impedimento quocunque dicti domini Archidiaconi in omnes & ſingulos Doctores & Magiſtros dictæ Univerſitatis Regentes & non Regentes, ac etiam in Scholares omnes, & ſingulos Religioſos vel Seculares dictæ Univerſitatis, etſi in dicta villa fuerint oriundi, vel Rectores, aut Vicarii ſeu Capellani ſtipendiarii inibi celebrantes, dum tamen non fuerint Parochiales; Curæ Eccleſiarum Parochialium ſervientes, dum tamen Rectores & Vicarii ac Capellani Parochiales ſtipendarii; & ſi Scholares & fuerint, ſubeſſe debent dicto Domino Archidiacono quoad Canonicam obedientiam, inductionem in corporalem poſſeſſionem beneficiorum ab eo recipiendam, viſitationemque ſuam & correctionem quoad libros & ornamenta & alia ad jus Eccleſiæ pertinentia habendam, mandataque licita, in omnibus quæ ad juriſdictionem ſuam Archidiaconalem pertinent exequenda.*

Quodque Cancellarius habeat omnem & omnimodam juriſdictionem in Magiſtrorum & Scholarium dictæ Univerſitatis ſervientes, familiares continuos, commenſales & ſecum in ſuis domibus commorantes, ac ſex Bedellos, & quatuor ſtationarios ad hujuſmodi officium per dictam Univerſitatem admiſſos & pro tempore admittendos ac Univerſitati juratos vel jurandos, nec non in omnes & ſingulos ſcriptores Scholaribus in Scriptorum Officio Servientes, habeat Cancellarius plenam juriſdictionem Archidiaconalem; excepto quod ipſis Scriptoribus mortuis ſivè teſtato ſivè abteſtato, habeat Archidiaconus antedictus teſtamentorum eorundem inſinuationem & approbationem, bonorum commiſſionem, computi auditionem, adminiſtratorum liberationem ſeu quietationem & omnia quæ negotium hoc concernunt.

De cæteris perſonis omnibus quæ & alias de jure, conſuetudine ſeu privilegio ad juriſdictionem Cancellarii & dictæ Univerſitatis pertinent, habeat D. Archidiaconus correctionem & punitionem debitam ſuper criminibus & exceſſibus ad juriſdictionem Archidiaconalem pertinentibus, inſinuationemque & approbationem teſtamentorum ſuorum; ac omnia alia & ſingula quæ negotium hoc concernunt. Proviſo quod Apparitor D. Archidiaconi qui pro tempore fuerit, ut Apparitor, ratione officii ſui, non teneatur jurare nec arctari dictis Cancellario vel Univerſitati ad obediendum eiſdem de his quæ ante dicti Archidiaconi juriſdictionem concernunt. Præfatam tamen Compoſitionem non intendebant partes prædictæ juriſdictioni cuicunq; ultra præfatam Archidiaconalem alicui partium prædictarum aliundè de jure, conſuetudine vel privilegio &c.

CIↃCCCXLVII.

Hic annus juniorum Scholarium contumaciâ infamatur, quorum eo demum prorupit audacia ut in Magiſtros inſurgentes eoſdem aperto prælio devicerint, quod Author [e] quidem Anonymus ſcriptis mandavit, ad annum vero CIↃCCCXXX. perperam retulit, veluti nobis aliunde ſatis conſtat. Ejus autem verba ſic habes--- *Quidam conflictus contigit* Oxoniæ *die ſabbati in Feſto S.* Benedicti *Abbatis, inter Magiſtros* Oxoniæ *tam Regentes quam non Regentes ex una parte, & communitatem Scholarium ejuſdem ex alia; eo quod quidam Scholares inſolentes qui nolebant antiquis Univerſitatis Legibus circa pacis conſervationem & perturbatorum pacis punitionem ab antiquo uſitatis obedire, liberiùs ſolito pacem perturbare volebant, undè & multitudinem juvenum ſibi ad reſiſtendum ſuis Magiſtris illicitè adunabant. In ipſo autem conflictu ex utraque parte quamplures vulnerati erant, & quidam interfecti; tamen victoria ceſſit ſcholaribus* III. *nonas Aprilis; videlicet die Veneris proxima ante dominicam in ramis palmarum.*

CIↃCCCXLVIII.

Haud paucis annis *Oxonii* conſederant Fratres è. Sodalitio S. *Crucis*, Tenementum quoddam (aut non

[a] *C.* 57. *b. D.* 76. *b.* 80. *a.* [b] *Pat.* 18. Ed. III. *p.* 2. *m.* 31. [c] *Pat* 19. Ed. III. *p.* 1. *m.* 22. [d] *In Theſaur. vel ſcacc. Coll.* Exon. *in pix.* 19. *& in A.* 28. *b.* 29. *D.* 66. *b, & in* Haro *de privilegiis fol.* 46. *b. &c.* [e] *MS. quondam in b:b. Mri* Tho. Allen.

longe

longe ab eo) [a] incolentes, cui *Lateportenſe* vulgo **Broadgates** nomen antiquitus erat, quodque à *Richardo Cary* Burgenſi, & Prætoris munere non ſemel functo, accepiſſe videntur, in vico **Grandpont**, inque Parochiâ S. *Michaelis* ad portam Auſtralem collocatum. Hoc autem Anno Hoſpitium ſibi & ſacellum, ſecus Eccleſiam D. *Petri* in Oriente, conſtruere cœperunt; quam in rem detuliſſe iis [b] comparet *Johannes*, filius *Gualteri* de *Mylton*, aromatarius *Oxonienſis*, quadraginta tritici modios anno Dom. CIↃCCCXLIX. Cæterum cum ædificia illa molirentur Fratres non impetratâ Dioceſani, neque Cuſtodis & Scholarium *Mertonenſium* (in quorum utique clientelâ erat præfata S. *Petri* Eccleſia) licentiâ, litibus variis (prout è veteribus apparet [c] ſcriptis) utrinque exagitabantur. Demum acceptis, quas offerebant *Mertonenſes*, conditionibus, opus abſolverunt, conſtructâ Capellâ, cum Hoſpitio, recipiendis ejus Familiæ Fratribus quotquot *Oxoniam* eruditionis gratiâ commearent, ſatis idoneo. Enimvero ad quem annum nobiſcum perſtiterit Sodalitium illud, parum liquet; conſtat autem Burgenſium *Oxonienſium* legata longo poſt tempore, uti ex ipſorum teſtamentis conſtat, accepiſſe. Hoc vero eodem anno facta eſt celebris e a quæ paſſim memoratur [d] compoſitio inter Univerſitatem, & Burgenſes ſive Communitatem villæ ejuſdem, de jure cognoſcendi, menſuras & Pondera: (quod eorundem aſſiza & aſſaia vulgo dicitur) nec non de aliis capitibus iſtuc ſpectantibus.

CIↃCCCXLIX.

Reſederat nonnihil juniorum Academicorum inſolentia, verum hoc anno teterrimæ inter ipſos Magiſtros ſimultates naſcuntur, quarum origo erat, quod ſub finem ſuperioris anni (viz. circa medium *Martii*) quædam ad Cancellarii electionem ſpectantia malis artibus peragebantur. Hæc autem in causâ Magiſtri *Johannis Wyllyot* nuper è Collegio *Mertonenſi* geſta fuiſſe videntur, quem cum ſuis (quod etiam ab adverſæ Factionis anteſignanis præſtitum) conventus clandeſtinos inſtituiſſe, integramque tandem Academiam in partes abduxiſſe, palam conſtabat. Ex iis qui *Wyllyotti* rebus favebant præcipui erant, Magiſter *Philippus Codefordus*, Mr *Rich. Byllynghamus*, Mr *Robertus* de *Wotton*, Mr *Michael Killegrevius*, Mr *Robertus Wyckfordus*, Mr *Thomas Uptonus*, Mr *Gul. Hueſius*, Mr *Thomas Hardreſſius*, Mr *Laurentius Albonius*, Mr *Richardus Medmenhamus*, & *Johannes* Wells Minorita; qui cum aliis haud paucis in Eccleſiâ Beatæ *Virginis* convenire [e] ſolebant, Senatumque Academicum, Miſſaſque pro defunctis Benefactoribus celebrantes non tantum interpellabant, ſed & templo frequenter ejicebant. Tandem vero promulgata eſt Bulla *Johannis* Pontificis XXII. quam *Edoardus III.* obtinuerat contra tumultuoſos & illicitos Conventus, & commercia tum in Cœmiterio, tum in ipſo Beatæ *Virginis* templo exercita. Hac itaque palam ibidem coram antedictis perlectâ, & ſub chirographo *Johannis Weſtoni* Notarii publici Eccleſiæ valvis affixâ, ceſſerunt factioſi & Eccleſia deinceps abſtinuerunt. Verum aliquanto poſt locum alium nacti conſiliis ſuis non minus aptum, furtivas conciones in hunc uſque annum continuabant; exeunte autem *Martio*, *Wyllyottus* in Eccleſiam Divæ *Mariæ*, quo tempore de novo Cancellario proſpici ſolitum; vi atque armis cum ſuarum partium conjuratis irrupit, magnoque clamore Cancellarius pronuntiatur, eorum qui reclamitare auſi erant interfectis nonnullis, ſauciatis vero quamplurimis. Prævalentibus ergo ſuis, *Wyllyottus* ſupremi Magiſtratus Inſignibus donatur, & *Robertus Ingramus* Borealis Procurator, quod creationem illam impedire laborârat, *Oxonio* pellitur. In eo autem conflictu, præter alia ſummo ſcelere admiſſa, direpta eſt Ciſta quædam Academica; Publicoque Sigillo, Libris, Pecuniis numeratis, reliquiſque bonis expoliatur. Hæc itaque ubi Rex reſcivit, [f] literas 11. *Aprilis* datas, ad *Johannem Wyllyottum*, *Ph. Codefordum*, *Gul. Hayes* vel *Hues*, *Rob.* de *Upton*, *Rich.* de *Byllyngham*, *Mich. Killegrevium*, *Johannem Banburienſem*, *Rich. Wanwayne*, & *Rich.* de *Swyneſheade*, præcipuos nimirum Electionis violentæ authores tranſmiſit; quorum pleriq; è Coll. *Mertonenſi* fuerant. Iſtis edixit, ut Sigillum Publicum, cum cæteris quæ ablatæ eſſent, rebus, Procuratoribus reddenda, inque Ciſtam, firmiter denuo obſignandam, reponenda curarent, *ſub pœnâ forisfacturæ omnium quæ Regi forisfacta eſſe poterint.* Porro [g] literæ eodem tempore ad *Wyllyottum* dabantur, quarum ſumma erat, quod quoniam ille cum conjuratis Academicis in noviſſimi Cancellarii creatione Statuta Univerſitatis violaſſet, Procuratorem quem exulare coëgerat revocaret, & Scholares quos Carceribus mancipârat, libertate donaret, denique nec ipſe nec Sectatores ſui Conventus, Conventicula, aut Congregationes aliquas haberent, pacem Academicam perturbaturas: Si ſecus fecerint, fore ut Bonorum omnium & Poſſeſſionum mulctam incurrerent. Literæ conſimiles ſub idem tempus miſſæ fuerunt ad *Ph.* de *Codeford Gul. Hayes*, *Rich.* de *Wotton* & *Rich.* de *Byllyngham*. Quinetiam mittuntur *Oxoniam* Delegati quibus facta eſt poteſtas querelas omnes liteſque audiendi & terminandi; qui quidem tanta crimina apud *Wyllyottinos* reperiebant, ut ipſum Magiſtratu exuiſſent, niſi id futurum eſſet certiſſimum novæ ſeditionis incitamentum; nam *Wyllyotto* ſe adeo devoverant quidam Magiſtri & Scholares (forte illi qui *Auſtrales* fuerunt) ut ſtatuerint, ſi Cancellariatu eum moveri contingeret, *Oxonio* confeſtim demigrare, alioque dimidiam Univerſitatis partem transferre.

Has turbas excepit lues epidemica, quæ tanta hominum clade graſſabatur, quantâ nulla prius apud *Oxonienſes*; ſiquidem bene multos, fuga ſibi fruſtrà conſulentes, ad domos quas ruri poſſidebant perſequebatur; eorum vero qui in Urbe perſtitere pauciſſimi evaſerunt. Occluſæ erant Scholarum Portæ, Aulaſque & Collegia morbi & moribundi incolebant; vix autem ſuperfuere qui defunctis parentarent, de quorum numero conjecturam inde feceris, quod eodem die XVI. cadavera in idem cœmiterium deportabantur. At vero ex eâ Peſte factum videtur (numinis enim beneficio mala nonnunquam humana poſteris feliciter cedunt) ut Collegium *Dunelmenſe* reditibus inſtruxerit *Thomas Hatfieldus*; prout hæc & proxima illa Academicorum lues *Simonem Iſlepium* Archiepiſcopum *Cantuarienſem* impulere, ad fundandum Collegium cui *Cantuarienſi* ab illo nomen fuit. His enim cladibus ad tam paucos reciderant Scholares, ut qui verbum divinum literaſque humaniores

[a] *Ut in quibuſdam ſyngraphis nuper penes* Oliverum Smyth *de Paroch. S.* Aldati Oxon. *Gen.* [b] *Inter munimenta* Oſney *in Theſ. Ædis* Chriſti. [c] *In Theſaurario Coll.* Merton. *in pix.* Oxon. *A. 3. nu. 15. 17. 19. & alibi.* [d] *In pix. PP. faſc. 13. A. fol. 27. &c. D. 65. &c.* [e] *Ut in Theſaur. Coll.* Oriel. *in pix.* C. *& in quodam Regiſt. chartarum ejuſdem Collegii p. 343. & alibi.* [f] *Clauſ. 23. Ed. III. p. 1. m. 16.* [g] *Ex eod. rot. cl. & memb.*

in *Anglia* proſeminarent, nequaquam ſupereſſent. Cæterum prædictæ Peſtis originem & progreſſus inveſtigare haud abs re fuerit; quæ quidem in Orientalibus mundi partibus interque *Judæos* ac *Turcas* primum [a] prorupit, deinde majorem in modum diffuſa, *Saracenos*, *Syros*, & *Paleſtinæ* incolas occupavit, apud quos tantas edidit ſtrages, ut complures fidem Chriſti amplecterentur, ex eo quod Chriſtianorum perpaucos contagio tactos, pauciſſimos autem fato exinde functos animadverterent. Ab Oriente vero ad Occiduas gentes propagata eſt exitiabilis lues, *Galliam*que, *Italiam*, & *Hiſpaniam*, & ſeptimo demum *Edoardi III. Angliam* afflavit, ad Urbes agri *Dorſettenſis* maritimas appellens, atque inde per Comitatum *Devonienſem* ac *Somerſettenſem*, *Briſtoliam* uſque graſſata. Hinc *Gloceſtriam* attigit, atq; demum *Oxonium* & *Londinum*, unde per totum *Angliæ* Regnum poſt paulo evulgata eſt, cujus incolas tam frequentes demeſſuit, ut vix decimus quiſq; utriuſque ſexus ſuperſuerit. Ex hujus mali ſymptomatibus graviſſimum erat, quod apoſtemata toto corpore erumperent, quæ ſicca & prædura cum eſſent, puris pene nihil inciſa emittebant; licet hac ratione, poſt multos cruciatus, ſalvi haud pauci evaſere.

Peſtem vero illam prænuntiaſſe feruntur Aſtronomi noſtri *Oxonienſes* ſumptis maxime conjecturis ab Ecclipſi Lunæ totali, triumque ſuperiorum Planetarum conjunctione, quæ anno CIↃCCCXLV. accidiſſe memorantur. Defectûs autem, quem ſupputaſſe Mr *Johannes Aſhindonus* è Collegio *Mertonenſi*, nec non Mr *Gul. Readus* ex eodem Collegio; ex eorum calculis [b] pro latitudine Urbis *Oxonienſis*, accidit ad decimum octavum *Martii*, horam autem IX. & XL. ſcrup. Sole tum in XXII° Arietis Lunâ vero in XXII° Libræ exiſtentibus. Conjunctio illa admodum notabilis *Saturni* & *Jovis* erat in gradu Aquarii XIX. die *Martii* XX. hora VIII[a] ad Veſp. ſcrup. I. Ab hac Eclipſi præfati *Aſhendonus* & *Readus*, necnon *Galfredus* de *Meldis*, multa de futuris indicare præ ſe tulerunt, Bella, Famem, & Peſtem (ſolennem utique malorum endemiorum triadem) denuntiari perhibentes. Prædixit vero *Aſhindonus* Eclipſeos illius influentias ad annos octo ac v. menſes duraturas, cæterum Conjunctionis effectus in triennium tantum invalituros, quod ſcilicet vires ejus non ante quartum inde annum comparituræ eſſent. Porro libellum de eâdem Conjunctione edidit *Johan.* de *Muris*, in quo graviſſima mala prænunciabat; quod & à Magiſtro *Leone Hebræo* factum eſt, qui in eandem ut plurimum cum illo ſententam venit. Scripſit præterea anno Dom. CIↃCCCXLV. de eodem argumento Magiſter *Simon Eredonus*, verum cum & ibidem ille in eo præſertim incubuerit, ut emendando Calendario utilia propalaret, & hæc omnia ab Inſtituti noſtri ratione aliena videantur, ſatius duco ut iiſdem propere abſcedam. Obiter vero notandum cum hac peſte animos moreſq; noſtros luem quandam invaſiſſe, tunc enim mirum in modum lites juridicæ in populo emerſere: antehac enim pauciſſimi in *Anglia* erant cauſidici: inque *Oxonia* ſpeciatim legiſtæ, non admodum multi, licet in Academiâ iſtâ cenſerentur tricies mille ſtudioſi; quo numero revera nos olim floruiſſe, è Rotulis Cancellariorum antiquis, & à citato authore (qui ſub *Henrico VI.* viguit) cum ipſe Cancellarius eſſet perlectis, memoriæ proditum deprehendimus. Quin & adnotandum, ſtragem hanc Artifices & propolas, in compendia ſua vertiſſe, pretiis rerum immodicè auctis, undè querelæ ad Regem delatæ, quod Artifices [c] & Operarii necnon Victualium [d] venditores, operam ſuam ac merces longe charius quam ante Peſtem ſupra memoratam, venderent & elocarent (id autem *Oxonio* cum reliquis Regni locis commune erat) miſſæ itaq; ſunt ad Cancellarium & Prætorem literæ [e] mandatoriæ VI. *Decemb.* hoc anno, quibus jubentur *conjunctim & diviſim* exactores ejuſmodi caſtigare, procedentes ex ordinatione quâdam, à Rege & ſanctiori ſuo Concilio, adverſus *Londinenſes*, alioſque conſimiliter delinquentes, promulgatâ.

CIↃCCCL.

Turbas quidem nobis haud leves, ultimo anno, dederat *Joh. Wyllyottus*, in Cancellarium vitio aſſumptus, cæterum qui illi ſuffectus eſt Mr *Gulielmus Palmorna*, quique ex more ac ſtatutis Academicis, per Magiſtros, in Eccleſiâ Divæ *Mariæ* legitime convocatos, deligebatur, graviorum malorum cauſa extitit. Hunc ſiquidem communibus, uti diximus, ſuffragiis electum, ſibique poſt paucos dies præſentatum confirmare eouſque diſtulit *Johan. Synwellus* Epiſcopus *Lincolnienſis* (neſcio an eo fretus, nimiumq; ſuperbiens, quod, papali indulto, juriſdictione Archiep. *Cantuarienſis* exemptus eſſet) donec Magiſtri moras nullâ de causâ trahi indigne ferentes, querimonias apud *Simonem Iſlepium*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, depoſuerint; quas ille gratioſe admodum audivit, ſcriptiſque ad Epiſcopum *Lincolnienſem* [f] literis, mandavit ut ante ſeptimum diem poſtquam iſtas acceperat, ad præfati Cancellarii admiſſionem procederet, aut aliter infra quintum inde diem coram ſe in Eccleſiâ Parochiali *Maghfieldenſi* compareret, & detrectati obſequii rationem redderet. Sex itaque diebus in promptu erant cum Cancellario ſuo Procuratores, confirmationem ejus ab Epiſcopo flagitaturi, eo autem non comparente Archiepiſcopum denuo adibant, & querelas integrabant. Quapropter ne, per interregnum illud, grave aliquod damnum faceret Univerſitas, *Cantuarienſis Johanni Careltono* LL. D. & Eccleſiæ *Londinenſis* (*Paulinæ* intelligas) Canonico, poteſtatem [g] fecit antedictum *Palmornam* in Cancellarium admittendi firmandique, atque interim Academia *Gulielmum Dounhum*, legis Civilis Profeſſorem, & *Rogerum* de *Aſwardbie* e Procuratoribus alterum authoritate [h] inſtruxit quâ confirmationem illam ſuo nomine depoſcerent. Ea non ſecus *Londini* peraguntur; ubi *Palmornæ* literas [i] ab Archiepiſcopo tradit *Careltonus*, quibus ſupremum in Univerſitate Magiſtratum demandatum habuit, & per quas Magiſtris, Doctoribus, & Baccalaureis reliquiſque Academicis [k] præceptum eſt, ut ei obſequentiſſime ſubeſſent. Cæterum ne jus ipſius, quod novo ritu admiſſus eſſet, in dubium poſtmodo vocaretur, idem *Cantuarienſis* Cuſtodi *Mertonenſi*, *Philip. Codeford*, LL D. Rectorique de **Corſt** in Diœceſi *Sarisburienſi*, *Richardo Medmenham* LL. Baccalaureo (ſociis pridem dicti Collegii) cum *Roberto Pount* Rectore de **Aldington** in Diœceſi *Cantuarienſi* copiam [l] fecit, de præfatâ electione & Confirmatione, nec non Epiſcopi *Lincolnienſis* injuriis, ex parte

[a] *Anon. MS. ſcript. ni fallor per* Tho. Lanton *Carmelitam.* [b] *Ut in quodam MS. de rebus aſtron. inter* Cod. Digb. [c] *Viz. Sellarii, Poletarii, Alutarii, Sutores, Ciſſores, Fabri, Carpentarii, Cementarii, Tegularii, Battellarii, Carrectarii, &c.* [d] *Carnifices, Piſcenarii, Hoſtelarii, Braſiatores, Piſtores, Pulletarii, &c.* [e] *A. 92. b. D. 39. b. & 40. b.* [f] *In Reg.* Iſlep *fol. 20. &c. & in A. 90. 6.* *In eod. Reg. fol. 27. & in A. 91. a.* [h] *Ibidem.* [i] *Ibid. fol. 28. &c.* [k] *Ibidem.* [l] *Ibidem.*

Univer-

Universitatis judicialiter statuerent. His actis, *Lincolnienſis* Pontificem *Romanum* solenniter [a] appellavit, deque contemptu adversus Metropolitanum [b] citatus, præsentem se minime sistebat, quin (*Banburiæ* Capellâ, in Diœcesi *Lincolnienſi*, ubi tum Episcopus agebat, interdicto Ecclesiastico, quo sacris omnibus qui ibidem essent arcerentur, illigatâ) ad Papam denuo [c] provocavit. Graviſſimas inde contentiones inter Prælatos hosce subsecutas constat, non sine multæ pecuniæ dispendio finitas; tametsi de earum exitu nil habeo compertum; verum illæ, aliæque eodem spectantes, in causâ fuere, quod (uti infra dicetur) *Gulielm. Wittleſy*, Archiep. *Cantuarienſis*, Academiam ab Episcopali jurisdictione eximendam impetrârit, ita ut ejus regimen Cancellario (à *Lincolnienſi* ut olim nequaquam approbando) ac Procuratoribus in solidum permitteretur.

CIↃCCCLII.

Hoc temporum tractu, nec eruditione nec Alumnorum numero celebris admodum erat Academia *Oxonienſis*, quam hac ex parte imminutam adeo reperimus, ut vix quarta studiosorum pars nuperrimæ Pesti supervixisse memoretur, quorum Aulas pleraſque Oppidani deinceps incoluere, ab iis in quibus Scholares adhuc hospitabantur vix dimidio prioris reditus dominis suis proveniente, unde contigit domos, quæ in Urbe, & haud procul ab illâ essent, Religiosas, quæque maximam Tenementorum eorum partem possidebant, supra modum depauperari. Verum neque Laici ab hac eâdem calamitate intacti erant, quos propterea commercii in frequentia graviſſime premebat. Ad literas quod spectat, liquet enimvero vix ullo unquam seculo exaruisse magis, quas ubique labefactatas his verbis refert [d] *Lelandus --- Late id temporis ingens barbaries totam* Europam *occupavit, & ſenſim declinante Imperio Romano, decrevit etiam linguæ latinæ, corrumpentibus eam barbaris, puritas.* Deque iisdem annis [e] *Balæus* sic. *Degenerabant illis temporibus à ſua puritate genuina, & artes & doctrinæ, una cum Latinæ Linguæ elegantia: perſtrepebatque in Scholis neſcio quæ inanis ſophiſtarum garrulitas.*

CIↃCCCLIII.

Reversis hoc quasi anno scholaribus (quos nempe prædicta Lues, magno rei literariæ cum damno dissipaverat) Rex Privilegia perplura & Immunitates ratas [f] habuit; idque speciatim sancivit, ut Cancellarius (prout ab antiquo) jura Academiæ conservaret & executioni traderet, causas delinquentium audiret, eosque bannitione si opus esset mulctaret; quorum utrumque quo minus faceret prohibuere nuper Prætor urbanus & Ballivi; ad quos eodem tempore datum est breve [g] regium, quo jubentur Cancellarium in jurisdictione suâ pristinâ tum erga Scholares tum Laicos (quotquot nimirum eidem subjacere tenerentur) exercendâ, nullo modo impedirent; adhibita in utroque rescripto privilegiorum Universitati confirmatorum ratione, quæ in laudem nostram egregie faciat. *Nos* (inquit ille) *attendentes quanta honores & commoda nobis & regno noſtro* Angliæ *ex prædicta Univerſitate hactenus provenerunt & provenire ſperantur in futurum*, &c. Cæterum *Edoardus III.* anno regni VIII. chartam [h] suam (sub eâdem pœne formâ conscriptam, quâ anno reg. 1°, tertio autem *Aug.* ad Vicecom. *Oxon.* & *Bercherienſis* Comitatuum datam) *Oxoniam* transmisit, eâque edixit, *quod Major & Ballivi proclamari faciant contra malefactorum Congregationes & Conventicula tam Scholarium quam aliorum in Villa* Oxon.

Hinc autem Cives occasionem sibi frequentem offerendam iri sperabant in Academicos dominandi; eaque propter *Johannes* de *Bereford*, (Burgensis per hæc tempora bene notus, inque Historiâ deinceps nostrâ locum ampliorem occupans) Rescriptum [i] à Rege aliud hoc anno obtinuit, cui ut *per Regem & Concilium* subscriberetur curavit, cum priori *per Regem* tantum subscriptum esset. Illi autem & hanc clausulam adjiciendam impetravit --- *Nolumus enim quod aliquis veſtrum* (Civium utique) *occaſione arreſtationis, captionis ſeu detentionis malefactorum prædictorum pro dictæ pacis noſtræ conſervatione rationabiliter factarum, coram Cancellario Univerſitatis* Oxon, *vel ejus Commiſſario trahatur in placitum in futurum, nec occaſionetur in aliquo vel gravetur*, &c.

Ad hæc, eâdem Chartâ Burgenses excubiarum nocturnarum participes fiebant; curamque Felonum insequendorum per Hutesium & clamorem, nec non cognitionem *Lationem armorum* dictam (ex ultimâ antiquitate Academiæ concessam) communicatam ex æquo habuere: quibus accessit gravius illud, quod Privilegiatos etiam, quoad antedicta delinquentes, in carcerem detruderent, neque ad postulationem Cancellarii liberare tenerentur. Ex his autem indultis quæ Academicos graviter premebant, accidisse vulgo existimatur sequenti anno luctuosum illud & funestum certamen Oppidanis concesso jure impotenter utentibus, ac Scholaribus ita in Oppidanorum potestatem venire recusantibus. Denique vero cum Regi postmodo notum fieret, concessa illa Universitatis quietem turbare, cujus Alumni haud parva inde incommoda paterentur, chartam illam hoc anno concessam, per Breve suum ad Ballivos datum XXVIII°. *Julii* anno Reg. XXIX, [k] revocavit, abrogato speciatim capitulo cui initium *Nolumus enim* &c. (ut supra) mandatoque ut in arma Regii nominis prætextu gestantibus capiendis, nihil fieret quod Libertatibus Academicis fraudi sit.

CIↃCCCLIV.

Pacatæ aliquantisper Res nostræ perstiterunt, atqui crescente Scholarium numero, auctisque pariter Oppidanorum possessionibus, hisce imperandi cupidis, illis autem subjacere nequaquam volentibus, ad seditionem omnia spectare videbantur. Utrique autem Privilegia aut læsa, aut executioni non mandata, causabantur; ac proinde quamcunque cum adversâ parte confligendi occasionem captabant. Tandem vero occultæ simultates in teterrima prælia erumpebant, quæ quidem tanta Civium barbarie commissa fuere, ut altissimo silentio premenda censerem, nisi ab aliis jampridem, & ab iis obscure & breviter admodum, nec ex rerum gestarum veritate, prodita fuissent. Certe immani quadam crudelitate grassatos liquet Oppidanos, qui quamvis, advocatâ

[a] *Ibid. fol.* 28. *&c.* [b] *Ib.* 35. *&c.* [c] *Ibid. fol.* 35. [d] *Ib.* 36. [e] *In tom.* 4. *p.* 255. [f] *In cent.* 11. *nu.* 6. [g] *Pat.* 27. Ed. III. *m.* 5. [h] *Rot.* 27. Ed. III. *part.* 2. *m.* 7. [i] *Pat.* 8. Ed. III. *p.* 2. *m.* 20. *& in quodam minore in* 4° *in Scrin. Civit.* Oxon. [k] *In B.* 25. *a. C.* 88. *a. D.* 37. *& in ſcrin. Civ.* Oxon. [l] *B.* 25. *b. C.* 88. *b. D.* 37. *b. &* Haro *de privilegiis.*

sibi in auxilium ingenti Rusticorum vi, Scholares fuderint & clade non levi superarint, tamen, magnâ privilegiorum parte à Regia Majestate fuerant mulctati; siquidem, quod Seditionis antedictæ authores fuissent quæ deinceps Academicis cessere; quorum hæc semper fuit singularis felicitas, ut vel debellati victores evaserint. Verum rei omnis Historiam è scriptis quamplurimis desumtam sic fusius accipe.

Decimo *Februarii* qui in diem Martis, inque Festum S. *Scholasticæ* virginis incidebat, Oenopolium **Swyndlestock** nuncupatum (insigni *Sirenis*, ad Quadrivium, **Quatervois** appellatum, nunc innotescit, illa enim taberna **Swinstocke** in hodiernis etiam Instrumentis vocatur) [a] adibant cum aliis quibusdam Clericis *Gualterus Springheuse*, & *Rogerus Chesterfield*; vinumque allatum tanquam adulteratum respuentes, *Johan. Croydon* Oenopolam increpabant, ac generosius adferri jubebant. Ad rixam denique & convitia ventum est, Oenopola sibi haudquaquam temperante quin Scholares procaciter responsando vehementer lacesseret; cujus propterea capiti ipsam lagenam, vino plenam, allidere non hærebant. Accepta hac injuriâ recessit confestim ille, & rem gestam famulis primo suis, deinde vicinis nonnullis patefecit, ad eum propere, quod in tumultibus accidit, convolantibus; quos inter buccinatores vocalissimi [b] fuerant, *Johannes Berefordus* (qui dicti Oenopolii dominus erat, ab Urbe dimissum habens) *Richardus Foresterus*, & *Robertus Lardiner* municipes. His in animo jam olim constitutum, Universitatem ipsam si fieri possit evertere, ideoque occasionem assidue observabant cum studiosis dimicandi; nunc autem pulcherrimam præbitam arbitrati, Cives pulsata Campanâ municipali apud S. *Martinum* convocabant. Illi raptis extemplo arcubus, aliisque, prout cuique suppetebant, armis, in unum concurrebant, & inermes qui obviam forte venirent Clericos hostilem in modum adorti, neque ipsum Cancellarium aggredi verebantur, quem sagittis etiam impetebant, dum in compescendo tumultu laboraret, & ad pacem colendam hortaretur. Cum autem manifestum esset quanta adirent pericula studiosi, nisi & arma pariter sumerent, jussu Cancellarii pulsata est Campana Academica apud D. *Mariam* Virg. atque inde Scholares arcubus & sagittis instructi rabiem civicam ad usque vesperem propulsabant; quo tempore recessum utrinque est, nemine ex alterutrâ parte desiderato, immo nec ad mortem, nec membri alicujus jacturam, sauciato.

Proximo mane viz. die mercurii curavit Cancellarius ut Regio nomine, tum apud Beatæ *Virginis* (quo magna Scholarium multitudo confluxerat) tum apud *Quadrivium* proclamaretur, nequis Academicus aut Oppidanus arma gestaret offensiva, neque alium quemvis adoriendo quicquam patraret quo pacem publicam turbari contingeret. Imperata continuo faciunt studiosi, ad Scholas pergunt, & à bello prorsus abstinent; verum Oppidani hesterno adhuc furore æstuantes, eodem armati convolant, & circa *horam* [c] *ordinariam* ante meridiem Magistrum quendam Theologiæ, in Scholis *Augustinensibus* determinantem, cum Auditoribus suis profligant. Omittendum non est quod suis Ballivi primâ luce edixerant, ut paratis Armis in procinctu essent, expectarentque campanæ urbicæ pulsationem, tum enim ferro cum Academicis congrediendum fore; quodque missis in Agros propinquos nunciis, plebem Rusticam ad partes suas, & Scholarium excidium, precibus & pecuniâ solicitassent. Instabat vero jam prandendi hora cum Oppidani circiter LXXX in Ecclesiam S. *Ægydii* se furtim abdidere, Academicos, in Campos *Bellositenses*, animi gratiâ, prodituros, præstolantes; quos post aliquantò speculati, ex insidiis adoriebantur, triumq; Stadiorum spatio sagittis impetebant. Fugiebant quanto poterant nisu inermes nostrates, & partim se in Cœnobium *Augustinense*, partim in ipsam Urbem receperunt, amisso sociorum altero, qui extra muros ceciderat, aliisque misere sauciatis.

Hinc tumultu variisque vociferationibus miscentur omnia, signoque tum nostratibus tum Oppidanis per utriusque Campanæ pulsationem dato, ad Arma utrinque conclamatur; Scholaribus Portas Urbis pleraſque obstruentibus, quo ingenti Rusticorum multitudini (qui Civibus subsidium laturi haud procul aberant rapinas, neces, & lanienam spirantes) ingressus præcluderetur. Inde quidem animis & fortunâ, non autem numero, pares, Oppidanorum impressiones ad horam Vesperiis dicatam fortiter sustinuit gens togata; sub id vero, multitudo agrestis, ad instar bis mille virorum Portam occidentalem irrumpebat, pullumque & explicatum præ se ferentes vexillum barbaris clamoribus urbe se potitos testabantur. Dici non potest quantum Academicis timorem incusserit furialis illa Cohors; ergo fugam protinus corripientes, ad Aulas undique suas revolarunt,

Urebat portas agrestis plebs populosa
Post res distortas videas quæ sunt vitiosa
Vexillum geritur nigrum, **Slea Slea** *recitatur,*
Credunt quod moritur rex, vel quod sic humiliatur,
Clamant **Havock** *&* **Havock** *non sit qui salvificetur*
Smyt fast, gyve gode Knockes, *nullus post hæc dominetur.*

Sic de certaminis ejus exitu illius seculi Poëta, de quo mox plura. Ad Oppidanos autem redeo; qui cum Scholares nullos in Platæis deprehenderent, ad eorum Ædes properabant, eoque die Hospitia quinq; ferro & flammis devastabant; quotquot ibi reperibant Academicos aut protinus interficientes, aut crebris vulneribus onerantes; monstra hominum, qui tormentis & ludibrio homicidia cumulabant, & occidendo tandem pepercere; libros autem cultumque domesticum direptioni exponebant, effusoque in pavimentum vino aliisque liquoribus potulentis, triumphos agitabant: sanguinem solum sitientes; nec tamen illo satiandi.

Invadunt Aulas **bye the sun come forthe** *geminantes.*
Fregerunt caulas simul omnia vi spoliantes.
Sic occiduntur plures, &c.

Panes pisces, & alia victualia in terram projecta pedibus calcaverunt. Nox tandem furoribus istis breves inducias dederat: qua appetente denunciatum Regio nomine per Præconem publicum est, ne quis vel personis vel bonis Academicorum vim inferat sub pœnâ proscriptionis. Atqui vero die sequenti (viz.

[a] *Reg.* Synwe'l, *fol.* 68. 67. *&c* [b] *Ibid.* [c] Hora Ordinaria *fuit his diebus, ni fallor, tempus quando magistri lecturas suas* Ordinarias *legebant.*

Jovis

Jovis (quo Cancellarius aliique præcipuæ notæ viri, à Rege ibidem commorante accerſiti, *Woodſtochiam* contendebant) Oppidani circa ortum Solis Campanæ ſuæ, velut antea, pulſatione commonefacti, armis accingebantur, inque unum coeuntes, Academicos hoſtile nihil molientes, belluino animorum ardore iterum invaſerunt. Quippe ad Hoſpitia eorum tranſvolantes, Portas Vectibus ferreis, malleiſque perfregere, propugnatoribus aut interemptis, aut peſſimum in modum tractatis. Porro, ne non indigna Chriſtiano nomine perpetraſſe viderentur, cæſorum cadavera aut inſepulta jacere permittebant, aut in latrinas detruſere, aut denique in ſtabulis inhumabant. Capellanos vero quoſdam peſſime habebant, excoriatis, in Eccleſiaſticorum odium, eorum verticibus, quoaduſque tonſura Sacerdotalis pertingeret. Nonnullos, prolapſa ex vulneribus inteſtina in manibus geſtantes, ad vincula flagris loriſque conciſos propellebant; qui certe ſua olim viſcera profudere, in Virtutis, vitæque civilis, ut de Religione nihil dicam, opprobrium nati. Denique ut Legum humanarum violationi rerum quoque Sacrarum contemptum apponerent, non tantum Cruces in teterrimæ ſeditionis remedium prolatas, atque paſſim erectas evertebant, verum Clericos innocentes ad S. S. Euchariſtiam (quam ſcilicet Fratres per Urbem ſolenniter deportabant) confugientes, fuſtibus ac vulneribus perſequebantur. Poſtremo, ne in materia tam ingratâ longior ſim, XIV. eo die Hoſpitia diripiebant, tantaſque Scholaribus clades inferebant, ut (præterquam quos Collegia tuebantur Seculares viz. Scholares) ad unum pene omnes *Oxoniâ* pellerentur; adeo ut ſi Academiæ noſtræ vires prioribus malis affectæ videbantur, nunc demum animam propediem acturam credideris.

En vero tibi cæſorum & vulneratorum in præfato tumultu [a] Catalogum, qualis ſcilicet poſt paucos inde dies Epiſcopo *Lincolnienſi* offerebatur.

Thomas Meſtologie. } Sacerdotes
Robertus Morgobarde. } (*Hiberniæ*)

Rogerus Grenham. } Scholares.
Henricus Havecate. }

Johannes Waleys, Serviens.

Philippus Beauchampe, Clericus.

Vulnerati autem, & quorum ſalus in deſperatis habebatur.

Malachias Murbranam, Sacerdos. } De *Hibernia*, ni fallor.
Malachias Magniger.
Patricius Magbradaid.
Carolus Ogormulyn.
Dionyſius Ohagagan, Presbyter.
Mauritius Odeorogean.

Quorum poſtremus vulnus lethale in capite acceperat.

Gilbertus Offerir.
Johannes Salton.
Griffinus Whyte.
Hugo Middleham.
Bartholom. Welyngton.
Rogerus Blaby.
Gulielmus Godſhale.
Gulielmus Deerlee.
Mr Hugo de *Breynton* A. M. & Sacerdos.
Johannes Harald, Sacerdos.
Rogerus de *Wallia*, Diaconus.
Richardus Haryngton. Hic autem ad Corpus Domini, quocum ſolenniter procedebant Fratres, confugiens, atque inde tractus vulnere graviſſimo afficiebatur, inque Carcerem detruſus eſt.

Rogerus Bourgh.
..... Cote de Aula S. *Mariæ.*
Salomon Tirieus Sacerdos.
Gilbertus Harmach.

His annumerandi perplures qui *Oxonio* evolârant, & de quibus incertum erat, ſuperſtites an eſſent; aliique haud pauci, quorum nomina hauddum innotuere, quique ſauciati partim erant, partim vero trucidati, inque Latrinas abjecti, aut Stercoraria defoſſi, diſparuerant.

Ita tandem aliquando cladi Academicæ modus imponebatur: (quamvis Oppidani reliquorum interitum etiamnum anhelarent) quâ de re Magiſtratus primarii cum Regentium reliquiis furtivum Conventum, XVI. *Februarii* celebrantes, literas [b] ad Epiſcopum *Lincolnienſem*, cum Diario tumultum omnem enarrante, conſcripſerunt. Eas *Joh.* de *Staunton* A. M. Epiſcopo, *Buckdeniæ*, ubi Palatium habuit, agenti tradidit; quæ quoniam explicandis Oppidanorum exulceratis animis inſervire poterunt, operæ pretium duco, ut hunc in locum adjungantur; ejuſmodi autem erant.

Reverendo in Chriſto Patri, D. Johanni *Epiſcopo* Lincolniæ, &c. *Flebiles exitus belli nefarii, & à ſeculo inauditi, ſub ſola ſingulari ſpe paterni auxilii, conſilii & favoris, veſtræ reverendæ notitiæ præſentamus. Inſurrexerunt namque contra Univerſitatem* Oxon *ſceleratiſſimi virtutis ac ſtudii deſtructores; quorum funeſta tyrannide hoſpitiis multis Scholarium ferro & igne effractis, aliis incarceratis, aliis vulneratis atrociter ac etiam ſpoliatis, aliis crudeliter interfectis, ſcelus ineffabile & irreparabile commiſerunt: qui vero ſola divina clementia reſervabantur ſuperſtites ad propria redierunt; & ſic Univerſitas ipſa olim clariſſima, manet ineffabiliter deſolata. Cujus deſolationis occaſiones multiplices reverendus Magiſter* Johannes *de* Staunton *lator præſentium veſtræ pietati paternæ plenius, ſi vobis placeat, exprimet viva voce. Rogamus igitur omni devotione, quatenus tanti delicti immanitate commoti ex zelo juſtitiæ, & ex virtute officii proprii dignemini paternè ſuccurrere, & ad reparationem celerem tantæ injuriæ manus apponere adjutrices; valeat paternitas veſtra* &c.

His ergo perlectis, cum Diario teſtium oculatorum nominibus confirmato, ingens Epiſcopum mœſtitia occupavit; qui literas [c] confeſtim exarari juſſit quibus Civitas *Oxonienſis* Interdicto ſolenni, & anathemati ſubjiceretur. Has autem (in quibus

[a] *Videtur quod in confeſſo erat* 40. *Scholares cæſos fuiſſe quia* 40. *denarii in oblationibus ſolennibus Burgenſium quæ in hæc perdurant tempora, diſtribuantur* 40. *pauperibus Scholaribus.* [b] *Ibid. in Reg.* Synwell. [c] *Ibidem; & in quodam Reg. pergameno, in Scacc.* Coll. Merton. *in Ciſta Oeconomica, p.* 31. 32. *&c.*

Academiam

Academiam noſtram *ſuper ſtudia per cuncta Mundi Climata laudabilem* nuncupat) *Oxoniæ* à Parochis quibuſque, diebus pluribus tum feſtis, tum dominicis, cum dira & prorſus ferali negotii iſtius pompâ, omnique cenſuras Eccleſiaſticas irrogandi ſolennitate, evulgari mandavit. Quod cum fieret, atque tota Urbs Miſſarum, Sacramentorum, denique rerum omnium ſacrarum beneficio privaretur, Cives quoſq; pios, & ſeditionis illius immunes, gravis inſedebat metus; quod nimirum periculum eſſe non ignorabant, ne priuſquam flagitia hæc expiari contigerit, & Sacrorum denuo uſu donarentur, mortem oppeterent.

Verum neque Academiæ calamitas Regem latebat, cui cum nunciatum eſſet (ante ſcilicet vibratum ab Epiſcopo fulmen) maximam Studioſorum partem, tam Religioſorum quam Secularium, qui mortem effugerant latebras per devia rura quæſiviſſe, literas [a] v. *Martii* datas undequaq; ad Vicecomites, Majores & Ballivos alioſque Magiſtratus tranſmiſit, protegendos ubique Scholares, reliqui autem *Oxoniæ* qui eſſent ſacra tutò celebrare permittendos, præcipientes; ſub pœnâ ne ſecus facientibus, vel membrorum vel bonorum jactura, denique vel mors ipſa irrogaretur. Proximo poſt die, Juſtitiariis quibuſdam, *Richardo* nempe de *Staffordia*, *Henrico Greene*, *Roberto* de *Thorpe*, *Guliel.* de *Notton*, ac *Hugoni* de *Sadelingſtones* in mandatis [b] dedit, ut Injurias Scholaribus factas audirent, & vindicandas curarent. Hoc autem reſcripto revocato, Rex xv. *Martii* plenius quoddam [c] impertivit, quo nimirum jam dictos poteſtate inſtruxit de Oppidanorum criminibus quæſtionem inſtituendi, atque ea ex Lege municipali terminandi; qui quidem *Oxoniam* adiiſſe, habitoque examine quamplures Carceribus mancipaſſe comperiuntur; quibus vero præterea pœnis affecerint, in obſcuro eſt. Certe erat omnino *Londinenſis*, qui Prætorem urbanum cum Burgenſibus nonnullis ſuſpendio, propter ſeditionem illam, mulctatos [d] refert. Prætoris enim munus obibat turbarum earum ſuaſor præcipuus & coryphæus, *Johannes Berefordus*, quem diſſidiis hiſce multos (prout infra dicetur) annos ſupervixiſſe, locupletem quoque, & Eccleſiæ Benefactoribus (eluendis forte quæ memoravimus flagitiis) accedentem, è vitâ migraſſe, certiſſime conſtat. Cæterum errorem illum è Chronicis [e] *Brutonenſibus*, ſeu *Brintonenſibus*, ortum crediderim, in quibus tumultus *Exoniæ* an. Dom. CIↃCCLXXXV. exarſiſſe perhibetur, ubi propter interemptum Magiſtrum *Petrum* de *Lechlade*, virum ſacris ordinibus initiatum, præter dicti loci Majorem, Burgenſes quatuor ſuſpendio perierunt. Eorundem vero Annalium exemplare ſaltem unum mutato E. in O. loco *Exon. Oxon.* habet. Ad Delegatos autem *Oxoniæ* judicantes revertor, qui Vicecomitem *Richardum* de *Williamſcote*, quod officio pariter ſuo ac Univerſitati & Cancellario defuiſſet, munere [f] dejecere, inque ejus locum *Johannem Laundels* ſubrogarunt.

CIↃCCCLV.

Concluſi jam erant in Turrem *Londinenſem* propter felonias, quas prædiximus, notiſſimas Prætor urbanus & Ballivi; quare [g] jubente *Edoardo III.* Municipes habito, in die XVIII. *Maii*, conventu, *Johannem* de S. *Frideſwydâ* Prætorem, Ballivos autem *Gul.* de *Sommerford* & *Hugonem* de *Teſtele* ſeu *Tiſley* [h] renunciant; qui utique muneribus iis in reliquam anni partem fungerentur. Horum nomina die proximo Regi deferebant, miſſis una Oratoribus vel Attornatis, qui ſupradictæ Seditionis pœnas deprecarentur. Sub id vero, qui rem Academicam promovere cupiebant, litium è Certamine illo natarum terminationem in Curiâ Regiâ ſolicitabant; unde utræque partes *Londinum* citatæ, eodem etiam Advocatos ſuos dirigunt. Per deditionem vero Univerſitas ſe, & privilegia ſua municipalia [i] reſignavit, iiſdemque ceſſit, privilegiis (inquam) regalibus ſe abdicavit, papalia interim retinuit; nec non perſonas ſuas & bona mobilia omnia, quin & publica, (nimirum Collegiorum) jura, ſocietates & corporationes non reſignarunt Academici. Deinde deditionem quoque ſuam [k] protulere urbani, & reſignarunt non ſua ſolum & ſuorum privilegia & libertates, ſed etiam perſonas ſuas, bona omnia tam mobilia quam immobilia, & quaſcunque gildas ſuas tam generales quam ſpeciales, & jura ſua omnia reſignarunt, & hoc fecerunt, quia (ut ipſi in deditionis formulâ fatentur) *ſi aliâ viâ juris, & ſolenniter adverſùs eos procederetur, ad majorem confuſionem & gravius diſpendium hujuſmodi cauſæ diſcuſſio tenderet*, &c.

Hæ reſignationes factæ fuiſſe videntur die mercurii proximo poſt feſtum S. *Dunſtani* Epiſcopi coram venerabilibus patribus *Johanne* Archiep. *Eboracenſi*, Cancellario, & *Gul. Wintonienſi* Epiſcopo, Theſaurario ac juſticiariis, & aliis de concilio D. Regis in camera de conſilio juxta ſcaccarium apud *Weſtmonaſterium*. Tunc temporis ſupplices utrique petebant, ut deditiones ſuas admitteret Regia Majeſtas; quas Rex *Edoardus* in manus *Davidis* le *Wollere* Cuſtodis Rotulorum Cancellariæ tradi mandavit, eouſq; aſſervandas, donec, re bene perpensâ, eaſdem vel acceptandas vel rejiciendas pronunciaret. Tertio poſt die, Rex deditionem Academicam admiſit, & eorum quæcunque Scholares vel in dicto tumultu, vel etiam ante, contra leges perpetrarant, gratiam [l] fecit, veluti literæ ejus XX. *Maii* datæ, ac nobis ſub ſigillo Regio etiamnum ſuperſtites, teſtantur.

Ubi adnotandum; leges *Angliæ* ita ab homicidio abhorrere, ut qui in juſtiſſimâ ſui defenſione ſanguinem effuderit, veniâ aliquâ à ſummo magiſtratu indigeat ut in integrum reſtituatur. Porro, cùm Rex Brevi ſuo [m] Juſtitiæ Miniſtris edixerat, ut per *Angliam* evulgarent, nequis Studioſorum *Oxoniam* redire metueret, à vi enim & injuriis tutandos omnino fore, revolare complures non ſunt veriti. Quod ad Oppidanos vero attinet (qui jam etiam Cenſuris Eccleſiaſticis alligati erant) Rex, inſtantibus Optimatum nonnullis, & præterea *Mro Humfredo* de *Cherleton*, *Lodovico* Fratre ejus, *Th.* de *Neville*, & *Joh.* de *Charleton*, hujus Academiæ Magiſtris, eorum haud paucos carcere [n] liberavit; ſub conditione tamen, ut fidejuſſores interponerent ſeſe in litibus quibuſcunq; perſonalibus ſibi intentandis comparituros, nec in judicio vadimonia deſerturos. Sequenti inſuper die viz. *Maii* XXI. *Edoardus*, ad Magnatum *Angliæ* & Magiſtrorum, quos diximus, inſtantiam, iiſdem Civibus protectionem in integrum annum [o] conceſſit, quo ſcilicet

[a] *Pat.* 29. Ed. III. *p.* 1. *m* 6. *& in pix. NN. nu.* 27. *& in B.* 27. *b. C.* 90. *b. &c.* [b] *Pat.* 29. Ed. III. *p.* 1. *m* 16. [c] *Ib.* [d] *In Hiſt.* Cantab. *lib.* 1. *p.* 99. [e] *MS. in bib.* Cotton *ad an.* 1285. [f] *Pat.* 29 Ed. III *p.* 1. *m.* 11. [g] *In min. rubr. lib. Civ.* Oxon C. *fol.* 27. [h] *Ibidem* [i] *Clauſ.* 29. Ed. III. *m.* 23. *&* Harus *in memorab. fol.* 51. *b.* [k] *Ibid. viz. in clauſ. in dorſ. m.* 23. *& in* Haro *fol.* 52. *b.* [l] *In pix. NN. nn.* 6. *a. b. pat.* 29. Ed. III. *p.* 2. *m.* 26. *B.* 28. *b. C.* 92. *a.* [m] *In* Reg. Iſlep *fol.* 85. [n] *In quodam faſcic. Brevium & aliarum chartarum in ſcrin. Civ.* Oxon *& in rubr. lib. C. ut ſupra fol.* 27. [o] *Pat.* 29. Ed. III. *p.* 2. *m.* 30.

Scholarium

Scholarium negotia maxime autem victum & reliqua neceſſaria procurare poſſint. Horum vero magna pars (vix autem dimidiata) *Oxoniam* jam erat regreſſa, verum hauddum conſolitis exercitiis accingebantur, neſcio an metu oppidanorum, an ut injurias priſtinas ulciſcerentur. Id ubi ad Regem eſſet perlatum, literis XI. *Junii* datis obnixe [a] rogat, ut Lecturas reſumerent, Actuſque Scholaſticos Rei ſimul Literariæ, publicæque profuturos, in priſtinum uſum revocarent.

Notandum enim quod per hæc tempora feria IV poſt *Trinitatem* Magiſtri Regentes lectiones ſuas ordinarias annuatim reſumebant, quas continuabant ad beneplacitum legentium (& non aliter) uſque ad XV. dies ante Feſtum S. *Michaelis*; tunc autem ceſſabant. Miſſæ ſunt igitur iſtæ Regiæ literæ ad Univerſitatem pro reſumendis lectionibus, tempore vacationis autumnalis; non enim tempus illud inter feriam quartam à Feſto *Trinitatis* uſque ad XV. dies ante *Paſcha* computabatur pro pleno termino, ſiquidem tres tantum erant olim anni termini in noſtra Univerſitate, lectionibus & exercitiis formalibus aſſignati; quartus autem ille Terminus, nec erat plenus, nec terminus propriè dictus, ſed exercitia tantum ad beneplacitum legentium ac Diſputantium celebrabantur, non autem ex aliqua neceſſitate requiſita aut impoſita, neque alicui cedebant pro forma.

Atqui his omiſſis, nemo jam exercitia præſtabat, verum clam prorſus & docebant & didicere; quod & *Athenis* olim eveniſſe [b] fertur, ubi ob accenſas inter Scholares & Cives concertationes, noſtratibus haud abſimiles, Sophiſtæ legere in publico & perorare recuſabant, in privatis autem domibus juvenes inſtruebant. Cæterum varia Ceſſationum, à diverſis cauſis denominatarum, genera, nobiſcum priſcis temporibus invaluere; quorum præcipua erant, *Ceſſatio propter metum & vim armatam* (qualis dici meretur ea de quâ nunc agimus) atque [c] *propter congregatam multitudinem*, & denique *ratione interdicti* & *propter metum peſtis*; peſtilentia vero funeſta maxime eratquam primo ante paginas aliquot loco poſuimus. Sed nec prætermittendum ceſſatum nobis aliquando fuiſſe propter lites Univerſitati cum Epiſcopo *Lincolnienſi* intervenientes; quod ſpeciatim anno Dom. CIↃCCLXXXIV. contigit, quo nimirum tempore Organorum Sacrorum uſum [d] interdixit nobis Diœceſanus. Verum hæc obiter attigiſſe ſatis eſt. Nunc ad majoris momenti negotia deſcendamus; quæ quidem aliquanto poſt emerſiſſe liquet, cum Rex XXVII. *Junii* ampliſſimam nobis [e] chartam indulſerat, libertates multas, tum antiquas tum novas (Urbi ſcilicet ademptas & Univerſitati collatas) complectentem; in initio cujus, Univerſitatem eſſe inſcribit, *Fontem & alveum ſtudii præcipuum*, cum aliorum adjectione encomiorum quæ brevitatis cauſa prætermitto. Capita ejuſdem chartæ ſunt hæc.

--- *Ordinamus & concedimus* (inquit Rex) *pro nobis & hæredibus noſtris, & hac charta noſtra confirmamus, quod Cancellarius ipſius Univerſitatis & ſucceſſores ſui, & eorum vices gerentes, ſoli & in ſolidum & in perpetuum in Villa* Oxon. *& ſuburbiis ejuſdem habeant cuſtodiam aſſiſæ panis vini & cerviſiæ, ac correctionem & punitionem ejuſdem, cum finibus, amerciamentis & proficuis aliis provenientibus in hac parte, Reddendo nobis & hæredibus noſtris c. ſolidos annuatim, viz. l. ſol. ad ſcaccarium noſtrum* Michaelis, *& l. ſol. ad ſcaccarium noſtrum* Paſchæ.

Concedimus etiam quod Cancellarius ſolus & in ſolidum ac ſucceſſores ſui, &c. habeant cuſtodiam aſſiſæ & aſſaiæ, nec non ſuperviſum menſurarum & ponderum in dicta Villa Oxon *& ſuburbiis ejuſdem: ita quod ipſe Cancellarius vel ejus vices gerens quoties opus fuerit, dicta menſuras & pondera ſupervideat, & ea quæ falſa invenerit comburi & deſtrui faciat, nec non tranſgreſſores quos in hac parte invenerit, debitè puniat & caſtiget: ita tamen quod forisfacturæ & alia proficua indè provenientia liberentur per extractas per dictum Cancellarium faciendas Majori & Ballivis dictæ villæ levandas per eos in auxilium firmæ ſuæ villæ prædictæ, ſicut & prout hactenus eſt obtentum.*

Item concedimus eidem Vniverſitati, quod Cancellarius ejuſdem qui nunc eſt & ſucceſſores ſui vel eorum vices gerentes in perpetuum ſoli & in ſolidum habeant poteſtatem inquirendi & cognoſcendi de Forſtallatoribus, & Regratariis, carnibus & piſcibus putridis, vitioſis & aliis incompetentibus in dicta villa Oxon *& ſuburbiis ejuſdem, & ſuper his punitionem debitam faciendi. Sic tamen quod forisfacturæ & amerciamenta inde provenientia per ipſum Cancellarium adjudicentur, & Hoſpitali noſtro S.* Johannis *dictæ villæ liberentur, prout eſt fieri conſuetum. Et licet Major, Ballivi, Aldermanni ſeu alii homines dictæ villæ & ſuburbiorum ejuſdem de præmiſſis non debeant ſe intromittere, volumus tamen & mandamus quod ſuper his omnibus & ſingulis, Cancellario dictæ Vniverſitatis qui pro tempore fuerit, pareant humiliter & intendant.*

Item ad terrorem & vindictam malorum, ac ſecuritatem & ſolatium bonorum ibidem proficiſcentium, ordinamus & concedimus pro nobis & hæredibus noſtris, quod Cancellarius dictæ Vniverſitatis qui pro tempore fuerit Scholares & laicos ibidem contra ſtatuta Vniverſitatis, arma portantes & delinquentes per incarcerationem & alias caſtigare debite valeat, & punire. Et arma quæ ſic contra dicta ſtatuta portata fuerint, ut ſibi commiſſa & forisfacta, modo conſueto petere, capere & habere. Ac hujuſmodi delinquentes obſtinatos ſeu rebelles coram dicto Cancellario in caſibus ad cognitionem ſuam ſpectantibus comparere & juri ſtare non curantes, à dictis Vniverſitate & villa bannire, & aliàs contra eos per cenſuras Eccleſiaſticas procedere, prout in caſibus hujuſmodi conſuetum eſt fieri temporibus retroactis.

Item cum ad dictam Vniverſitatem (ad quam tam Nobilium quam popularium, alienigenarum & indigenarum multitudo confluit) deceat munditia & honeſtas, volumus quod Careriæ, & vici dictæ villæ & ſuburbiorum ejuſdem à fimis ſordibus & fœtoribus mundi conſerventur & honeſtè, amotis truncis, lignis & aliis pro tranſitu libero honeſtate & munditia nocituris. Et quod pavimenta dictæ villæ & ſuburbiorum ejuſdem, ſemper cùm & ubi opus fuerit, congruè reparentur; & quod Cancellarius dictæ Vniverſitatis qui pro tem-

[a] *Cl.* 29. Ed. III. *m.* 23. *& in pix. NN. nu.* 19. *& in B.* 29. *a.* C. 66. *a. &* 92. *a. b. &c.* [b] Eunapius Sardianus *in lib. de vitis Philoſophorum in vit.* Juliani *ſophiſtæ* Cappadocis. *Non mirum quod in hac noſtra Academia* Oxon, *tot olim inter Scholares & laicos extiterint diſcordiæ, cum ex quodam veluti fatali decreto (ut opinor) iſta omnibus Univerſitatibus ſive Academiis ſoleant contingere, uti etiam* Athenis *ipſis accidiſſe videmus.* [c] *E. vel lib.* Darrell *fol.* 34. [d] *Reg.* Peckham *fol.* 114. *vide* Caium *de antiq.* Cantab. *lib.* 2. *p.* 252. [e] *Pat.* 29. Ed. III *nu.* 5. *& in pix. NN. in tur. Schol. nu.* 5. *a. b, c. & in A. fol.* 13. *&c. per mod. inſpeximus & in B.* 9. *C.* 87. *eod. modo. Denique in* Haro *de privilegiis fol.* 74.

pore

pore fuerit, & ejus vices gerens, ad hoc homines dictæ Villæ & ſuburbiorum ejuſdem & alios quibus incumbit, quos eidem Cancellario & ejus vices gerenti parere volumus in hac parte, poſſit per cenſuras Eccleſiaſticas compellere, abſque proficuo ſuis uſibus applicando, & prohibitio noſtra ſeu hæredum noſtrorum ſi contra præmiſſa facta fuerit, vires non habeat nec effectum.

*Item cùm Laici plerunque ſicut Scholaribus, ſic & eorum ſerventibus ſint infenſi, ordinamus & concedimus, & hac charta noſtra confirmamus pro nobis & hæredibus noſtris, quod cum miniſtri dictæ Univerſitatis & Servientes Clericorum ad quotam * aliquam ſolvendam de bonis ſuis in villa prædicta & ſuburbiis ejuſdem aſſidendi fuerint vel taxandi, Cancellarius dictæ Univerſitatis vel ejus vices gerens, & non Major ſeu homines dictæ Villæ, dictos Miniſtros & Scholarium ſervientes, viz. Familiares, Scriptores, Illuminatores, Pergamenarios ad quotas hujuſmodi fideliter & rationabiliter prout alii homines dictæ Villæ & ſuburbiorum ejuſdem aſſeſſi fuerint, juxta quantitatem bonorum ſuorum taxabilium in perpetuum aſſedeant atq; taxent, & pecuniam ſic aſſeſſam per miniſtros ſuos levari faciant, Majori, & Ballivis dictæ Villæ per indenturam liberandam. Et ſi homines dictæ Villæ de taxatione per prædictum Cancellarium malè facta conqueſti fuerint, ſuper hoc per miniſtros noſtros celeriter inquiratur, & defectus, qui repertus fuerit, debitè corrigatur. Volumus autem & concedimus quod Cancellarii Univerſitatis prædictæ qui pro tempore erunt, & eorum vices gerentes, præmiſſis omnibus & ſingulis eis in forma prædicta conceſſis, plenè liberè & integrè gaudeant & utantur juxta formam Ordinationum & conceſſionum prædictarum, non obſtantibus privilegiis, libertatibus, conſuetudinibus ſeu compoſitionibus contrariis quibuſcunque.*

Item volentes indemnitati proſpicere Scholarium qui fuerunt in dicta turbatione de bonis ſuis depræda ti, qui forſan timore irregularitatis non audent proſequi criminaliter contra deprædatores hujuſmodi pro recuperatione bonorum ſuorum ſic furto vel vi ablatorum, conceſſimus de gratia noſtra ſpeciali pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt, omnibus & ſingulis Magiſtris & Scholaribus dictæ Univerſitatis & eorum ſervientibus, qui in dicta turbatione bona ſua ſic furto vel vi amiſerunt, quod ipſi, vel Cancellarius & Procuratores dictæ Univerſitatis eorum nomine abſque inquietatione vel moleſtatione noſtri vel hæredum noſtrorum ſeu Miniſtrorum noſtrorum quorumcunq[ue] bona ſic furata vel deprædata à dictis furibus ſeu deprædatoribus vel aliis quibuſcunque ad quorum manus hujuſmodi res pervenerint, licitè recipere & tenere poſſint, licet contra dictos fures vel Captores, ad pœnam ſanguinis non fuerint proſecuti.

Item ad majorem ſecuritatem & quietem ſtudentium in Univerſitate prædicta pro perpetuo ordinamus & concedimus pro nobis & hæredibus noſtris, quod quilibet Vicecomes Oxon *qui pro tempore erit, in receptione Commiſſionis ſuæ, juramentum præſtet corporale, quod Magiſtros & Scholares Univerſitatis* Oxon *& eorum Servientes pro viribus ab injuriis & violentiis proteget & defendet, & pacem in Univerſitate prædicta quantum in ipſo eſt, faciet conſervari, præfatis Cancellario & Scholaribus ad puniendum pacis perturbatores ibidem juxta privilegia & ſtatuta Univerſitatis prædictæ ſemper cum opus fuerit, præſtabit conſilium & juvamen, & ad privilegia, libertates & conſuetudines dictæ Univerſitatis defendenda pro viribus opem feret: Et quod à ſubvicecomite ſuo & aliis miniſtris ſuis in Comitatu prædicto ſtatim cùm poſt ſuſceptum officium ad caſtrum vel Villam* Oxon. *declinaverit in præſentia alicujus ex parte Univerſitatis ad hoc deputandi, conſimile accipiet juramentum; ad quod, ipſos miniſtros per eundem Vicecomitem compelli volumus & arctari: hanc etiam formam jurandi volumus ex nunc addi formæ juramenti Vicecomitis dicti loci in receptione commiſſionis ſuæ præſtari conſueti.*

Cæterum quia ſuper pœnis pro ſecuriori conſervatione pacis ipſius Univerſitatis ſtatuendis, ac ſuper aliis quæ juxta ſubmiſſiones prædictas ad perpetuum præmiſſorum memoriam piè per Dei gratiam facere proponimus, jam ordinare non poſſumus variis & arduis negotiis præpediti, ordinationem hujuſmodi nobis ſpecialiter reſervamus. His teſtibus venerabilibus patribus Johanne *Archiep.* Eboracenſi, Angliæ *Primate, Cancellario noſtro,* Guliel. Wyntonienſi *Epiſcopo Theſaurario noſtro, Magiſtro* Michaele *de* Northburgh *Electo* London. *confirmato,* Henrico *duce* Lancaſtriæ, Gulielmo *de* Bohun, Norhamptonenſi, Rich. Arundell, Thoma *de* Bello campo, Warwicenſi, Rogero March. Guliel. Sarum, Johanne *de* Veer, Oxon. *Comitibus,* Galfredo *de* Say *&* Johanne *de* Grey *de* Rotherfeild, *Seneſcallo Hoſpitii noſtri, & aliis.*

Poſt paulo Major & Ballivi, Cancellario, ex a Reſcripto regio, menſurarum & Ponderum normam, vel ſtandardam, una cum Sigillo ad eandem ſpectante, in manus tradidere; pauciſque inde diebus chartas & Libertates Academiæ indultas, maxime vero quæ Mercatum tangebant, jubente b etiam Rege, promulgabant. Cæterum ſupplicabant Regio Concilio Oppidani (coram eo enim poſt conceſſa etiam Privilegia, de litibus à certamine prædicto ortis conveniebantur) ut mala ſua finem conſequerentur, utq; ad Sententiam tandem ventum eſſet; quandoquidem (ut ipſi cives, utque Regiæ c literæ in eandem rem conſcriptæ, atque Scholares ad amicam compoſitionem hortantes, perhibebant) jampridem ea obtuliſſent quæ reparandis injuriis ſufficere viderentur. Poſtremo autem cum diſſidia ad exitum non ſpectarent, utrumque municipium in Concilium Regium citatur; atque illò de pace acturi mittuntur, ab Univerſitate *Humfredus* de *Charleton* S. Theologiæ Profeſſor cum *Johanne Charletono* juniore LL. D. ab Urbe vero *Johannes* de S. *Frideſwydâ* Prætor, *Joh.* de *Bedeford* & *Johannes* de *Norton* Burgenſes. Exigebant ab hiſce Conciliarii Regii damnorum Scholaribus illatorum reparationem: verum cum reſponſum eſſet tam ingentia fuiſſe illa ut de iiſdem ſatisfieri neutiquam poſſit, legibus demum iis (efflagitantibus quoque Academicorum Delegatis) regii Concilii authoritate d convenit, ut ſcilicet Oppidanorum (præterquam *Johannis Berefordi* & *Roberti Lardineri* in carcere detentorum) ſymbolis CCL. libræ fierent, & Cancellario ac Scholaribus ſtato quodam tempore pro omnibus damnis (mahemio & homicidio exceptis) penderentur; utque redderentur præterea bona Scholarium mobilia; ac *Johannes Bedefordus* & *Joh.*

* *Eſt quædam collectio vel Taxatio à Scholarium ſervientibus in* Oxon *per Cancellarium ſolum, quæ fatebantur non tantum hoc tempore ſed regnante* Hen. III a *In rub. lib.* C. *ut ſupra fol.* 31. b *Ibid. fol.* 33. c *In pix. NN. nu.* 40.

Nortonus

Nortonus colligendæ quam diximus pecuniæ è carcere regio (vulgo **Marſhalſea**) eximerentur.

Ordinatum vero inſuper eſt, Academicorum rogatu, ut Burgenſes quibus dicta dies erat, interpoſito vadimonio libertate donarentur ; utque ubicunque deprehenderentur Scholarium bona, ſine ulteriori inquiſitione occupanda eſſent. Aliquanto poſt Regium emanavit [a] edictum, quo Majori & Ballivis præceptum eſt, ut pecuniam Univerſitati penſitandam, Civibus, in modum tributi, irrogarent ; quod perinde poſtmodo factum eſt. Interea vero temporis, juxta formam ſtatuti dudum pro mercatoribus editi, Burgenſes aliquot, recognitionem [b] debiti coram primario Univerſitatis Magiſtratu faciebant,& ad dictæ pecuniæ penſitationem reliquorum ſe nomine adſtringebant ; quæ quidem in tres ſummas diviſa eſt, convenitque ut CC. lib. ſtatis duobus temporibus, L. autem libræ tertio quodam die perſolverentur ; de ultimâ vero penſitatione vidi ego Apocham Cancellarii & Procuratorum, in octavis Nativ. S. *Johannis* Bapt. XXX. *Edoardi III.* anno datam. Poſthæc [c] reſcripſit ad Vicecomitem Rex, mandavitque, ut cives de antedictis criminibus comprehenſos, inque judicium accerſitos (præter *Johan. Berefordum* & *Rob. Lardinerum*) liberaret, prout quemque nominaret Cancellarius ; hac vero conditione, ſi adducerentur qui fidejuberent illos ſe pacifice in poſterum geſturos.

Eodem quoque tempore, ex edicto [d] Regio, explorantur per Majorem & Ballivos Academicorum bona ; quorum poſt tres hebdomadas quaſi quarta pars reperta eſt, atque Cancellario & Procuratoribus in foro civitatis juridico (**Gildhall** dicto) publicè in manus tradita ; velut [e] Inſtrumentum eâ de re IV. *Auguſt.* XXIX. *Edoardi III.* factum teſtatur. His denique peractis, Regi viſum eſt Oppidanorum Libertates per Breve [f] ſuum, vel potius memoriale ſive Recordum Brevis dat. XXVI. *Julii* in integrum reſtituere, exceptis quas Univerſitati nuper addixerat, & quibus ſub hæc cives privavit : quibus addi debet jus capiendi arma geſtantes, quod privilegium Academiæ quoque [g] tranſcripſit : & in perpetuum confirmavit. Quod quidem conſultiſſimè à rege factum; quouſque enim municipes, pacis tutelam ſibi arrogarant ; hoc unum ſatagebant, ut vi armatâ Academicos opprimerent.

CIↃCCCLVI.

Habes jam Lector pernicioſæ ſeditionis originem, progreſſum, & felicem Scholaribus eventum ; cujus anteſignani duceſque comparent *Johan. Berefordus* Prætor Urbanus, & *Robertus Lardinerus* atque *Richardus Foreſterus* Ballivi ; quorum primò dicti Carceribus diu mancipati erant, de tertio enim (an quod fugâ evaſerit, an quod in certamine lethaliter fuerit vulneratus) in Chartis Regiis, pro liberandis Burgenſibus, aut feloniis eorum condonandis, mentionem non invenio factam. Cæterum *Berefordus* & *Lardinerus* imprimis *Oxoniæ*, poſtea apud Turrim *Londinenſem* & carcerem demum regium, vulgo **Marſhalſea** nuncupatum, in arctâ cuſtodiâ detinebantur. E loco autem noviſſime dicto furtim evaſit *Berefordus*, menſe *Julio* ſuperioris anni ; tranſmiſſis autem undiqueverſum mandatis [h] Regis captus denuo eſt, & in Carcerem conjectus ; neque tamen conſtat quamdiu in vinculis abinde permanſerit ; quamvis videtur ſequenti anno, una cum aliis, in judicio *Oxoniæ* comparuiſſe, &, ni fallor, brevi poſt libertate fuiſſe donatus. Cæterum an de certamine illo obſervabimus, ſimilem cum tumultu bellico apud *Pariſienſes* ante annos LVI. [i] coorto, cauſam exitumq; habuiſſe ; ſiquidem urumque in Oenopolio motum, utrumque etiam poſt multorum cædes diſſipandis Academicis occaſionem præbuit.

A ſcriptore [k] quodam memoriæ proditum eſt, quod quoties tumultus aliquis *Lutetiæ* aut *Oxonii* excitaretur, prudentior quiſque & melioris notæ Oppidanus januas obſerare, clauſiſque feneſtris ſe domi continere ſolitus eſſet : verum in his turbis contra factum eſt, quibus ſeſe non tantum immiſcuere, ſed & earum Duces Præſultoreſque evaſere, cum ipſo Prætore civium primores. Et quamvis [l] Scriptori cuidam, de utraque parte locuto, perhibere viſum eſt, quod

Oderunt pacem ſtulti, certamina quærunt ;

tamen apertiſſimum prorſus eſt Seditionis ſaltem illius culpam in Scholaribus haudquaquam reſediſſe, qui Oppidanorum injuriis perpetuo laceſſiti togæ ſuæ uſque meminere : tamen cum de capitibus periclitarentur, animis non adeo demiſſis erant, ut injurias non fortiter propulſarent, vel etiam vindicarent : quinetiam manifeſtum eſt Cancellarium, alioſque Academiæ Magiſtratus, in prohibendis noviſſimarum turbarum initiis plurimum deſudaſſe.

Atqui his omiſſis, ut dicta aliquatenus repetamus, exturbatis (ſi Collegiorum Alumnos, immo ſolos *Mertonenſes*, ut [m] quidam refert, excipias) pleriſq; omnibus Academicis, qui *Oxonii* etiamnum perſtitere, obturatis Collegiorum Portis, dies precibus gemitibuſque inſumebant ; miſeram Rei literariæ ſortem carmine lugubri plorantes, & Univerſitatis calamitates præſentibus poſteriſque ſeculis enarrantes. Varia ejuſmodi opuſcula carmine ſcripta perlegi, & ſpeciatim [n] illud quod *Dumbltoni* Quæſtionibus præfixum in Bibliothecâ *Mertonenſi* habetur, cujus initium eſt hoc,

O Rex Anglorum *quæ ſint tua fata videto*,
Dudum geſtorum ſignacula dura timeto.

Vidi etiam alibi verſiculos [o] alios, in eandem rem ab eodem Poetâ (qui è Collegio *Mertonenſi* fuiſſe videtur) ſub formâ Dialogi inter Scholarem & Academiam habiti, contextos ; hoc autem titulo inſcriptos, *Planctus Univerſitatis* Oxon *contra Laicos tempore magni conflictus*. Poematis vero illius ejuſmodi eſt initium ;

Plangis in gemitu Mater Oxonia,
Furentum fremitu perdens præconia ?

Denique & alia Carmina in eandem materiam conſcripta vidiſſe contigit, quorum aliqua, quod illius ſeculi ingenium ſapiant, adnectenda cenſeo.

[a] *In eod. clauſ. ut ſupra.* [b] *In quodam rot. de recognitionibus temp.* Ed. III. *in ſcrin.* Civ. Oxon *& in rub. lib. C. ut ſupra fol.* 28. *&c.* [c] *R. Cl. ut ſupra* 29. Ed. III. *m.* 17. [d] *Ibidem.* [e] *In rub. lib. C. ut ſupra fol.* 28. *&c. & alibi in ſcrin. Civ.* Oxon. [f] *Cl.* 29. Ed. III. *&* in Haro *de memorab. fol.* 59. *b.* [g] *Vide in B.* 25. *b. C.* 88. *b. D.* 37 *&c.* [h] *Pat.* 29. Ed. III. *p.* 2. *m.* 9. [i] Rog. Hoveden *in parte poſterâ Annalium ſub. an.* 1200. [k] Fr. Gilbert. *in ſermonibus ſuis MS.* [l] Raphael Holinſhed *in chron. ſuo an.* 1355. [m] Stovius *in annal. ſuis.* [n] *MS. in bib. Coll.* Mert. [o] *In bib,* Bod. *MS. compact. cum Epiſtolis* Gilb. *de* Stone.

Urgent Urſina vada *perturbare* bovina,
Et vada *dicta* precis *ſunt vada dicta necis.*

Notandum vero per *vada Urſina* intelligi debere *Bersford* ſeu *Bereford*, uti & per *vada precis Bedeford* ſeu *Bedfords*(bede nimirum per ea tempora preces denotante)quorum uterq;(prout ſupra monuimus) nuperorum tumultuum ſuaſores fuerant & Anteſignani. Hunc inquam in modum ſtudioſi à die S. *Scholaſticæ* uſq; ad XII. Cal. *Julii* tempus [a] terebant, quo demum die Lecturas reſumpſere; tameſi Conciones publicæ à Feſto Purificationis B. *Virginis*, ad uſque nativit. Divi *Johannis* Baptiſtæ excluſivè omiſſæ memorantur.

Poſt conceſſa Univerſitati quæ ſupra retulimus Privilegia, lites inter eandem & D. *Richardum D'Amory* militem, filium D. *Rich. D'Amory* militis, de libertatibus quibuſdam in Hundreda *Northgatenſi*, vel ultra portam borealem, à Cancellario vindicatis, emergunt; quod ſcilicet *D'amorius* Hundredam illam à Rege teneret in feodo. Verum iis hoc anno [b] compoſitis, Cancellario menſurarum illicitarum forisfactio, clamium vel vindiciarum jus in merces omnes (præterquam lanam) ibidem diſtractas, Regio diplomate [c] conſignantur. Utque periculi nil quicquam ſupereſſet ne jura Academiæ ſuperiori anno indulta in poſterum abrogarentur, *Edoardus* Chartâ [d] inſigni XX. *Nov.* datâ, tum eaſdem tum antiquiores omnes corroboravit.

CIↃCCCLVII.

Anno CIↃCCCLV: ineunte *Martio*, Prætor & Municipium *Oxonienſe*, *Henricum* de *Wyghtehull* Burgenſem, quem Syndicum ſibi conſtituerant, ad Epiſcopum *Lincolnienſem* mittentes; Interdictum, quo alligati erant, aliquâ ex parte mitigandum, non autem revocandum impetrabant. Hoc itaque anno ad eundem legabant *Rob.* de *Hafunt* & *Richardum* de *Garſton* concives, & mox inde *Johannem* de S. *Frideſwydâ*, & Robertum *Mauncell*; plenam Anathematis abrogationem efflagitaturos; qui quidem eandem denique obtinebant, verum his [e] conditionibus, ut in Feſto S. *Scholaſticæ* municipium *Oxonienſe*, pro Clericorum aliorumque in funeſto certamine cæſorum ſalute, Miſſas annuas celebraret. Atqui aliunde conſtat his potius legibus conceſſam fuiſſe interdicti illius revocationem, ut quotannis Prætor Urbanus & Ballivi, cum Burgenſibus præcipuis ſexaginta (Univerſitati de more juramento adſtrictis) in Æde Beatæ *Virginis* dicto die comparerent, (niſi abſentiæ cauſa per Cancellarium approbanda interponeretur) ibique à Diacono aliquo & ſubdiacono Miſſam, pro cæſorum quos dixi animabus, celebrandam ſuis expenſis curarent.

Porro ſancitum ut præfatus Laicorum numerus integræ Sacrorum eorum celebrationi intereſſet, iiſq; peractis, ad magnum altare denarium viritim offerret, è quibus oblationibus XL. denarii totidem tenuioris fortunæ Scholaribus per Procuratores diſtribuerentur; teliquâ abinde pecuniâ Divæ *Mariæ* Curato erogatâ. Quo hæc vero executionem certius conſequerentur, inſtantibus Procuratoribus inter Univerſitatem & Urbem convenit, ut in eandem rem Inſtrumentum [f] quoddam conficeretur, quod, aſſenſum præbente Diœceſano, XV. *Maii* factum comparet, conditionibus pleriſque quas modo retulimus in eodem comprehenſis, excluſis tamen ab eadem compoſitione *Johanne Berefordo*, *Roberto Lardinero*, *Matthia Ryngo*, *Roberto* le *Goldſmyth*, & *Johanne* de *Godeſtre*, præcipuis nimirum fœdiſſimi conflictus authoribus. Inſuper, cum Prætor & Oppidani ad annuam C. marcarum penſitationem, in Templo Beatæ *Virginis* faciendam (de damnis utique Scholaribus in ſeditione iſta illatis) datis ſyngraphis [g] obſtrinxiſſent, hoc poſtremo fœdere cautum [h] eſt, pecuniam illam exigendam non fore, quamdiu noviſſimi ejus pacti conditiones præſtarentur. Hæc autem omnia *Edoardus III.* Chartâ [i] ſuâ, datâ primo *Junii*, per Inſpeximus (ut loquuntur Legulei) confirmavit. Eodem quaſi tempore Univerſitas Oppidanos Cauſis omnibus ſuper dicto certamine intentandis [k] exemit; præter quos jam ante exceptos perhibuimus, alioſque nonnullos graviorum criminum aperte reos, & propterea in judicium ad proximas Aſſiſas ſive comitia juridica citandos.

Obſervatæ ſunt quibus cum Urbe deciſum eſt conditiones ad Regni uſque ſereniſſimæ *Elizabethæ* initia; tum autem Academici de iiſdem in XV. annos omiſſis, & proinde mille quingentarum marcarum ſummâ penſandis, Oppidanos litibus exercebant; cumque ab illis prætexeretur, quod ex compoſitione illâ ad Miſſas, lege jam prohibitas, procurandas fuerant adſtricti, ordinatum [l] eſt XVIIO *Elizabethæ* anno à ſanctiori Reginæ Concilio, quod Sacrorum Pontificiorum ſolennia, in die S. *Scholaſticæ* per Oppidanos procuranda, in Concionem & ſacram ſynaxin ad Divæ *Mariæ* habendas converterentur, Civium ut prædiximus ſingulo denarium offerente. Hæc in multos inde annos præſtabantur, verum ea publicarum tantum precum concelebratio excepit, quæ cum denariorum oblatione in hunc uſque diem perduravit. Famâ quidem percrebuiſſe reperio, (prout à *Londinenſi* vel *Caio* quoque proditum [m] eſt) Prætorem Urbanum Reſtem collo circundatum geſtare conſolitum, cùm ad Beatæ *Virginis* eo die procederet, eundem vero præcipui magiſtratus dignitati minime congruum, in funiculum denique byſſinum mutatum fuiſſe; verum his minime aſſentior, quamvis haud ignoro junioribus Academicis in uſu fuiſſe, ut Majorem ad Eccleſiam Divæ *Mariæ* progredientem peſſime tractarent, convitiis puta inſectantes; donec Cancellarius edito [n] ſtatuto ejuſmodi injurias ſub pœnâ Incarcerationis præcaveret.

Reſtis autem illius geſtandæ neq; Inſtrumentum inter utramque partem vel confratriam factum, neque literæ Epiſcopales de Miſſis quas modo diximus peragendis datæ, neque compoſitionem illam quæcunq; attingunt ſcripta, meminerunt. Regnante *Henrico VII.* Magiſter *Johannes Eggecombius* ſeu *Edgecombius*

[a] *Ut in B. fol. 5. b. viz. in pag. ante* Calendarium *ibidem.* [b] *Pat.* 30. Ed. III. *p.* 2. *m.* 10. *A.* 21. *b.* B. 84. *b.* C. 101. *b.* [c] *Pat.* 30. Ed. III. *p.* 2. *m.* 10. *ut ſupra, & in pix. NN. nu.* 7. [d] *Rot. chart.* 30. Ed. III. *nu.* 3. *& in pix. NN. nu.* 1. *& in A.* 13. *B.* 9. *&c.* [e] *A. fol.* 40. 41. *& in rub. lib.* Civ. Oxon C. *fol.* 35. *&c.* [f] *In pix. NN. in turre Scholarum, nu.* 43. Harus *in memorab. fol.* 61. *& in lib. Senatus Concilii Civ.* Oxon *fol.* 1. *b.* [g] *In NN. ut ſupra nu.* 42. *A.* 87. *a. & b. B.* 84. *b.* C. 101. *a.* [h] *In NN. nu.* 44. *& in eiſdem locis ut ſupra.* [i] *Pat.* 31. Ed. III. *p.* 1. *m.* 26. [k] *Rub. lib. ut ſupra fol.* 34. *& alibi.* [l] *Ut in initio libri Vicecanc. A.* [m] *In Hiſt. Acad.* Cantab. *lib.* 1. *p.* 100. *Vide* Twynum *in Apol. lib.* 3. §. 88. [n] *In A.* 57. *b.* C. 64. *b.*

è Parochiâ S. *Aldati* annuam pecuniæ ſummam in hunc finem [a] legavit, ut Miſſarum earum celebrationi pro animæ ſuæ æternâ requie ſupplicationes inſererentur, necnon pro animabus *Edoardi Wodewardi Tho. Hamptoni*, *Joh. Berefordi*, *Tho. Eggecombii* Decretalium Doctoris, *Ric. Eggecombii* Militis, *Aliciæ Eggecombiæ*, *Rich. Eggecombii*, & *Thomaſinæ Eggecombiæ*, denique *Johannis Clerke* & uxoris ejus *Margaritæ*. Quod ſi Univerſitas conditionem illam admittere nollet, mandavit ut in die Sepulturæ ſuæ inque Eccleſiâ S. *Aldati* ſacra ejuſmodi quotannis fierent, legata vero pecunia illius Ædis Parocho & Clerico deferretur; quæ utri dictarum Eccleſiarum aſſignata dein fuerit mihi quidem compertum non eſt.

Hoc eodem anno diſſidia inter Univerſitatem Fratreſque *Auguſtinenſes* coorta ad exitum [b] perducuntur; quæ à *Johanne Kedyngtono*, Auguſtinenſi, & in Theologiâ Doctore, à Cancellario & Procuratoribus (juriſdictionem ut ipſe cauſabatur iniquam in familiam ſuam exercentibus) ad Curiam *Cantuarienſem* appellante, exordia ſumpſerunt. Cæterum diſſenſiones illas non ejus exiſtimo momenti ut Hiſtoriæ fuſius noſtræ inſerantur.

CIↃCCCLIIX.

Hoc anno Burgenſes criminum condonatorum, & miſeriarum quas pridem evaſerant obliti, juribus, ſibi præſertim ereptis & Academiæ collatis, reclamare cœperunt; maxime autem prohibere nitebantur quo minus privilegiis Mercatum tangentibus, aſſisâ nempe Panis, Vini, & Cerviſiæ, & reliquarum mercium menſuris & ponderibus libere fruerentur. Quapropter querelis Academicorum permotus Rex, Oppidanis firmiter [c] injunxit, ut eorum nemo Academicos in poteſtate illa utenda interpellaret, verum pro tenore Chartæ ſuæ nuper indultæ, Prætor, Aldermanni, Ballivi & Burgenſes Cancellario & Miniſtris ejus in Privilegiis Academicis executioni mandandis adeſſent potius; & auxilium præſtarent. Edictum illud Regium ſequenti anno repetitum eſt, cumque alio [d] tranſmiſſum, quo jubentur Vicecomes & Subvicecomes juramento ſe (veluti pridem fuerat præceptum) de libertatibus Scholarium defendendis obſtringere.

CIↃCCCLX.

Sub hæc, diem ſupremum obiit *Richardus* filius *Radulphi* vulgo *Fitzralpe*, *Armachanus* vulgo nuncupatus, qui Alumnus primo, ac demum Cancellarius fuerat *Oxonienſis*. Mendicantium ille Familiis infenſiſſimus erat, quos Scriptis frequenter impugnabat, Academiæ nempe militans, cui cum Fratribus iis ab an. CIↃCCXXX. ad hunc uſq; continuæ [e] interceſſerant inimicitiæ; quas exinde protractas in tam longum arbitror, & apud nos juxta & *Pariſienſes* invaluiſſe, quoniam Pontificum (qualis qualis eſt eorum Infallibilitas) variæ & ſecum repugnantes ſententiæ [f] erant, hoc Univerſitatis, illo autem Fratrum partes fovente. Mortuo *Armachano*, ortiſque inter eum ac *Benedictinos* contentionibus, Mendicantes lites tum illas, tum quæ ſibi cum Univerſitate non deerant, in curiam *Romanam* [g] transferebant; ubi dum Academiæ cauſa diſceptaretur, palam conſtabat quantum commodis noſtris inſervierat, plurimum nunc deſideratus *Armachanus*; quanquam & *Robertum Groſteſtum*, *Sewallum* Archiep. *Eboracenſem*, *Johannem Baconthorpium*, *Richardum* denique *Chillingtonum*, alioſque ſuſceperat *Oxonia*, qui contra Mendicantes Matris ſuæ cauſam fortiſſime variis temporibus propugnarant.

Hac autem tempeſtate partium noſtrarum adjutorem ſeſe exhibuit haud imbellem *Johannes Wickiffus*, cui annumerandi *Johannes Toreſbius*, *Uthredus Boltonus*, de quo ſupra p. 65. col. 1. *Nicholaus Herefordus*, *Gualterus Brytus*, *Philippus Norriſius*, aliique haud infrequentes, qui Fratrum argumenta, magno eruditorum plauſu convellebant. Sub hæc vero præcipua diſputationum materia erat *Paupertas Chriſti*, quam *Rogerus Conwayus* Minorita in Concione *Londini* nuper habitâ, talem fuiſſe [h] contendebat, ut neque ipſe neque Apoſtolorum aliquis quicquam ſibi ſuo nomine vindicarit, verum omnia illi communi quodam jure poſſederint.

In errorem illum primus omnium concionabatur *Richardus Kylmetonus* Decanus Divi *Pauli Londinenſis*; quem ſecutus eſt præfatus *Richardus* filius *Radulphi* Archiepiſcopus *Armachanus*, aliique antedictorum nonnulli; Mendicantium inſomnia publicis Sermonibus evertentes. Altera vero litium nos inter & Fratres motarum materia erat, quod illi Scholares juniores ineſcarent, inque Sodalitia pertraherent; cujus rei perſpecto diſcrimine, ſolenni Statuto cautum eſt, nequis Academicus octodecennario minor in eorum familias reciperetur; quod cùm integro ſexennio (licet *Gul. Folvile*, Franciſcanus eidem interea pro virili ſuâ parte, maxime vero poſtquam conſimile ſtatutum feciſſent *Cantabrigienſes*, obſtitit) obſervatum fuiſſet, depoſitæ ſunt apud Regem Fratrum querimoniæ, atque Lex illa ejuſdem edicto [i] antiquata eſt. Hoc vero plagium *Armachanum* præcipue induxit, ut in Mendicantes publicis toties Concionibus inveheretur, quod ſpeciatim [k] *Avenione* VIII. *Novembris* an. Dom. CIↃCCCLVII feciſſe deprehenditur; ubi in mendicantes hoſce acriter invehebatur, qui privilegiis freti, quibus ad excipiendas morientium Confeſſiones admittebantur, juvenes haud paucos tum è Generalibus ſtudiis, tum è parentum domibus allicere conſueverant; quos poſtquam in Sodalitia ſua perduxere, nullo modo ad ſuos redire paterentur.

In Concione [l] porro illâ referebat, quod cùm eodem die è diverſorio publico prodiret, obvium habuit *Anglum* quendam, cujus filium annos natum tredecem, *Oxonii*que in ſtudiis verſantem, Fratres in Feſto *Paſchatis* proxime elapſo, in familiam ſuam elicuiſſent; de quo inde eximendo cum omnibus fruſtra modis elaboraſſet pater, Curiam *Romanam Avenione* tum agentem eâ de re adire coactus fuiſſet. Hos ergo mendicantium dolos, ad Peſtem illam nuperam, Magnumque Conflictum accedentes, Academicorum numerum imminuiſſe nemo demirabitur; cui tamen malo medelam aliquam attulit Rex *Edoardus*, qui inter articulos [m] Pacis cum *Gallis* factæ inſerendum curavit, ut continuando utriuſque Gentis commercio literario, & *Pariſienſibus Oxoniam* evocandis,

[a] *In faſcic. Chartarum de magno conflictu in ſcrin.* Civ. Oxon. *& in rub. lib. C.* &c. [b] *Ut in turri Scholarum in pix.* Y. *nu.* 11. [c] *Ut in NN. nu.* 25. *Pat.* 32. Ed. III. *p.* 2. *m.* 3. [d] *Pat.* 33. Ed. III. *p.* 2. *m.* 4. *& in pix. PP. faſc.* 13. *nu.* 2. [e] Balæus *cent.* 5. *nn.* 94. *in append.* [f] Foxius *in vol.* 1. *Act. & mon. edit.* 1583. *p.* 504. [g] *Ibid. p.* 511. [h] Gulielmus Read *de Vitis Pontificum MS. fol.* 22. [i] Rot. *parlm.* 40. Ed. III. *nn.* 7. *in turri* Lond. [k] *MS. in bib.* Bod. [l] *Ibid.* [m] Walſingham *ſnb an.* 1360.

Privilegiis in communi uteremur. Num hæc votis reſponderint non dicam, atqui videntur frequentes huc deinceps commeaſſe *Pariſienſes*, atque priſtinam nobis neceſſitudinem tamdiu ſtetiſſe, donec illam crebræ partim peſtilentiæ, partim noſtrates, in Hæreſibus domi refutandis occupati, & *Lutetiam* raro inviſentes, diremerint. De his autem plura, ſi lubet, vide ſub finem anni CIↃCCCLXIX.

CIↃCCCLXI.

Ineunte hoc anno, aut exeunte jam elapſo, prorupit peſſima inter Cancellarium & Procuratores [a] diſſenſio; cujus occaſionem ſic breviter accipe. *Henricus* quidam de *Wodehulle*, Monachus *Abendonenſis* (poſtmodo autem *Cantuarienſis*) quo impenſis, contra Abbatis ſui animum & Academiæ hujus Conſuetudines, parceretur, in Theologiâ ſub Studenti ſeculari Incipere nitebatur. Eâ re cognitâ *Rogerus* de *Thame*, abbas quem dixi, literas confeſtim ad Magiſtros Regentes dedit, quibus petebat ut Monachum ſuum ab ejuſmodi Incœptione repellerent; quod ut proinde fiat Procuratores quam maxime ſatagebant. Cancellarium adibat Monachus, ejuſque ſibi animum tantopere conciliavit, ut is indictâ Congregatione rem omnem Regentibus, reclamantibus licet Procuratoribus, permiſerit; Gratiamque propoſitam obtinuerit. Obſtitere nihilominus cum paucis Magiſtris Procuratores, ſtatuti cujuſdam à reliquis haud probe intellecti virtute ſubnixi, (Procuratorum quippe eſt in Statutorum Academicorum violatione tribunitio more intercedere) quos propterea domo Congregationis exturbandos voluit Cancellarius; quorum alter ad Abbatem *Londini* commorantem properabat, Monachique temerariam explicans audaciam, ut à Gradu prohiberetur effecit; tametſi Archiepiſcopus *Cantuarienſis* parti adverſæ faveret.

Poſtea autem Archiepiſcopus & Cancellarius ita cum Abbate tranſegere, ut ad incipiendum per ſeipſum admitteretur. Quod cum fieret, & Regentes in Artibus, ex receptâ antiquitus conſuetudine veſtimentis vel *robis* (ut in ſtatutis eſt) donaret: contigit ut Procuratorum alter, (cui munera conſimilia deferri oportebat) honorario illo nequaquam donaretur; qui quidem Monachi rebus plurimum obſtabat olim, & nunc contumeliam illatam ratus, iras redintegrabat. Sed mulcebat hominem candidatus interpoſito juramento in verbo dignitatis ſuæ, ſe per famulum honoraria ad procuratoris hoſpitium tranſmiſiſſe, illo vero abſente, neminem repertum cui concrederentur; præſto tamen eſſe & occaſione datâ ipſi in manus tradenda; & ita tandem *Wodehullus* ad gradum admittebatur.

CIↃCCCLXII.

Per hæc tempora moleſtiam nobis non leviſſimam creavit *Johannes Nortonus*, ex Ordine Carmelitarum *Oxon.* Frater; qui cum pacis haud ſemel perturbatæ reus eſſet, & propterea coram Cancellario, ſecundum Academiæ jura conveniretur, parere recuſabat; quin hortantibus ſuis, & potiſſimum *Johanne Cowtono*, Sodalitii ejus Priori Provinciali, ad Curiam Chriſtianitatis (ſic enim Pontificiam vel aliam extra regnum ea tempeſtate appellabant) confugiebat; eoque Cancellarium evocari procurabat. Super hac re querimoniæ ad Regem deferuntur; atque ille datis literis [b] edixit, ne Provincialis aut alius quicunque in cauſa Fratris *Johannis Norton*, *diſturbet Cancellarium Univerſitatis* Oxon *per proceſſum in Curia Chriſtianitatis tam extra quam infra regnum* Angliæ *in præjudicium libertatum Univerſitatis*, nam inquit Rex de Cancellario, *in privilegiis ſuis de cognitione placitorum habet* POTESTATEM REGIAM *per nos & ipſos progenitores noſtros conceſſam.*

Eodem tempore emanavit [c] Reſcriptum aliud, quo viris Eccleſiaſticis eorumque Miniſtris præcipitur, ne cauſam illam in Curias ſuas admittentes, impedimento eſſent quo minus in Cancellariâ judicaretur. Hac itaque ratione repreſſa eſt in præſens Fratrum inſolentia; in quam proclives adeo erant, ut poſt alterum deinde ſeculum, aut eo adhuc citius, domo Congregationis excluſi [d] deprehendantur; cui ne bini ſimul intereſſent ſtatuto in poſterum cautum erat; quod factum eodem quaſi tempore (circa annum nempe CIↃCCCCLXII) videtur, quo Univerſitas *Thomam Gloceſtrenſem*, Carmelitam, propter læſam in Concione apud ſuos habitâ Academicorum multorum exiſtimationem, & gradu privavit, & perpetuâ bannitione [e] mulctavit.

CIↃCCCLXVI.

Omiſſis variis memorabilibus ad conſervationem pacis ſpectantibus, quæ in ſcriptis noſtris tribus annis præteritis occurunt; ad alia pergam. Hoc igitur anno apud regni ordines ſupplex libellus ab utraque Univerſitate porrigebatur, in quo de Fratrum utique faſtu & juris Academici contemptu querelam inſtituere. Quod poſtquam fieret, citabantur coram conventu parliamentario Cancellarii & Procuratores, necnon quatuor Mendicantium ordinum Priores Provinciales, qui omnes litibus utrinque agitatis, Ordinum ſe denique ſententiæ ſubmittebant; quæ iſtiuſmodi [f] demum fuit, ut Univerſitatum Cancellarii, & Magiſtri Regentes ac non Regentes, dictos Fratres in petendis Gratiis, exercitiiſque præſtandis benigne tractarent; utque ſtatutum ab utraque Univerſitate editum, de pueris octodecimum ætatis annum hauddum attingentibus in Ordinum eorum quemvis minime recipiendis, irritum fieret, uti & alia quæcunque in Fratrum præjudicium ordinata fuiſſent; hac tamen lege, ut Bullas Pontificias contra Univerſitates, aut aliquem earum alumnum, haudquaquam efflagitarent, quin lites deinceps nec non delinquentium quorumcumque pœnas ad Regem Sanctiuſque ipſius Concilium remitterent. His inquam conditionibus antedicta terminantur diſſidia, quas tamen ægre adeo obſervabant Fratres, ut ſequenti anno Cancellarium noſtrum in Curiam *Romanam* citaſſent, niſi [g] edictum illico Regium interveniſſet.

CIↃCCCLXIIX.

Cæterum Fratres non nobis tantum moleſti erant, ſed & maxima rei Chriſtianæ damna inferri patiebantur; qui cum amoliendis hæreſibus inſtituti fuiſſent, male quidem Fundatorum ſuorum propoſito reſpondebant, in præcipuas fidei columnas arietan-

[a] *D. fol.* 52. *b.* [b] *Clauſ.* 34. Ed. III. *m.* 27. [c] *Pat.* 36. Ed. III. *p.* 2. *m.* 44. *& in pix. NN. nu.* 24. [d] *Vide in Aa. fol.* 31. *b.* 60. *b.* &c. [e] *Ibid.* 123. *b. & in Aaa. fol.* 200. [f] *Ut in Rot. parliam.* 40. Ed. III. *nu.* 7. *in tur.* Lond. [g] *In pix. NN. ut ſupra in tur. Scholarum, nu.* 28.

tes.

tes. Certe in eradicandis erroribus ne unicam ponebant horam, quos eousque jam pullulasse constat, ut *Simon Langham* Archiepiscopus *Cantuariensis* eorum triginta hæreticæ pravitatis pleniſſimos *Oxoniam* transmiserit, datis una literis, quibus præcepit ut nobiscum propalati publice damnarentur. Eorum vero [a] primus, quem neque quotidianum existimo, talis erat.

Quilibet viator tam adultus quam non adultus, Saracenus, Judæus, & Paganus *in utero materno defunctus, habebit claram Visionem Dei, ante mortem suam, qua visione manente, habebit electionem liberam convertendi se ab eo, & si pro tunc elegerit converti ad Deum, salvabitur, sin autem, damnabitur.*

Reliquos videre si gestias [b] *Harpsfeildum* adeas; de quibus omnibus, cum publicam Hæreseos censuram subirent, mandatum ex jussu [c] Archiepiscopali est, ne quisquam hominum præsumeret *articulorum prædictorum sententiam vel doctrinam defendere vel approbare in Scholis aut alibi publicè vel occulte sub pœnâ excommunicationis majoris in contravenientes, mora, dolo & culpa eorum in ea parte præcedentibus, trina & canonica monitione præmissa per Cancellarium canonicè fulminanda.*

Secundum hæc *Gulielmus Wittlesey* Archiepiscopus *Cantuariensis* (qui nempe *Langhamum* in illa Sede excepit) Alumnus olim *Oxoniensis*, postmodo autem Hospitii Divi *Petri* apud *Cantuarienses* Magister, in amoris qua matrem suam prosequebatur insigne testimonium, ut electionis Cancellarii nostri confirmatio Episcopo *Lincolniensi* adimeretur, ab *Urbano V.* Pontifice maximo impetravit; prout Papalis hæc Bulla [d] manifestabit.

Urbanus *Episcopus, servus servorum Dei dilectis filiis Universis Doctoribus, Magistris & Scholaribus Studii* Oxon. Lincoln. *Diœces. Salutem & Apostolicam benedictionem. Indesinentis curæ velut totius dominici gregis pastor solicitudine premimur, & assiduæ meditationis excitamur instantia, ut Studia literarum & ibidem studentes prosperè & salubriter dirigantur, & à gravaminibus releventur, & ad id, quantum cum Deo possumus partes vestræ solicitudinis adhibemus. Sanè nuper ad nostrum pervenit auditum quod secundum statuta & consuetudines Universitatis studii* Oxon Lincoln. *Diœc. Cancellarius Universitatis ejusdem studii, qui ipsius Universitatis caput & Rector fore dignoscitur, per Doctores & Magistros in eadem Universitate Regentes quolibet biennio eligi & assumi debeat; quodq; Episcopus* Lincoln. *pro tempore existens, hujusmodi electionis confirmationem ex quadam consuetudine sibi nititur vindicare; quodque Doctores & Magistri qui ad ipsum Episcopum pro electionis confirmatione hujusmodi obtinenda transmittuntur, quique magnis fatigantur laboribus & expensis & ad remotas partes quandoque insequuntur eundem; propter quod vobis damna & detrimenta, & gravia inferuntur, ac propter jurisdictionis suspensionem pravi impunè peccant, & tota vestra Universitas fluctuat, Rectore & capite destituta. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere super præmissis de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, quod eo ipso quod aliquis in Cancellarium dictæ Universitatis per dictos Doctores & Magistros Regentes legitimè erit electus, censeatur confirmatus & alia confirmatione non egere, vobis tenore præsentium de gratia concedimus speciali. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum* Petri & Pauli *Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat.* Romæ *apud S.* Petrum VI. *Id. Novemb. Pontificat. nostri anno* VI.

Hæc autem Bulla in libro quodam [e] statutorum nostrorum vetusto data VI. Idus *Novemb.* anno Pontificatus VI. habetur ut supra dictum est; tametsi [f] *Londinensis* IV. Idus *Febr.* anno Pontificatus VIII. datam retulit. Utcunque, certissimum est ab ejusdem concessione, de Cancellarii nostri confirmatione Episcopum nos *Lincolniensem* haudquaquam deinceps adisse. Consimile indultum *Cantabrigiensibus*, circa annum CIↃCDI. à *Bonifacio IX.* factum comparet; quo utique constitutum est ejus Academiæ Cancellarium ab Episcopo *Eliensi* probandum non iri. *Wodefordus* [g] mendicantium patronus, ut se adversus *Armachanum* tueretur, qui objiciebat Fratres per fraudem aliena invasisse, cùm e contra *Marci* X. vers. XIX. præcipitur, ne fraus alicui fieret: regerit nos exemptionem hanc nostram fraudulenter, hoc est non impetrato prius Episcopi *Lincolniensis* assensu, assecutos. --- *Hic dico* III° (inquit ille) *quod conformi modo consequitur quod Vniversitas* Oxon *procuravit contra idem Christi mandatum quando inscio Episcopo* Lincolniensi *procuravit privilegium à Curia Rom. ut Cancellarius ipso facto quo electus & pronuntiatus, esset confirmatus. Postquam ego fui primo* Oxoniæ *habuit Episcopus* Lincolnienſis *jus confirmandi Cancellarium electum, & privationem juris sive illud privilegium procuravit post Vniversitas* Oxoniæ *à Papa inscio à principio Episcopo* Lincolniensi, *fecit ergo Vniversitas fraudem contra Christi mandatum, si istud argumentum sit bonum*, &c.

CIↃCCCLXIX.

Errores quos mox ante exhibuimus *Wickliffium* amplexatum refert [h] *Harpesfieldus*, quod inter *Wickliffianos* posthæc damnatos connumeratos deprehenderet. Certe de eo ampliandum esse duco. Revera *Langhamus* Archiepiscop. *Cantuariensis* id egit ut *Wickliffium* Collegii sive Aulæ *Cantuariensis* Guardianatu quoquo modo ejiceret. Sed liquido constat [i] litem omnem in hoc se vertisse, an *Wickliffius*, secularis cum fuerit, deberet *Cantuariensium* Monachorum seminario præesse. Contentio quidem illa per *Henricum* de *Wodehull*, Monachum *Cantuariensem*, excitabatur; *Wicliffio* adhærentibus (qui rejecto *Wodehullo* eundem in Guardianum sibi assumpserant) dicti Collegii Scholaribus: dum ex altera parte *Wodehullum*, utpote regularem, Archiepiscopo *Langhamo* proponerent Monachi *Cantuarienses*. Hic autem (*Islepii* fundatoris immediatus in illâ sede successor) Rectoriæ *Pagehamensis* in Diœcesi *Cicestrensi* proficua, præfato Collegio appropriata, eisdem eripuit, quod scilicet ejusdem socii in *Wicliffi* ejectionem & *Wodehulli* substitutionem consentire nollent.

[a] *In Reg.* Langham *fol.* 70. [b] *In Hist. sua* Joh. Wickliff *cap.* 16. [c] *Reg.* Lang. *ut supra.* [d] *In Reg.* Wittlesey *fol.* 11. *& in Reg. vel memorandis* Repingdon *fol.* 15. *&c.* [e] *CC. in bib.* Cotton. [f] *In antiq.* Cantab. *edit.* 1574. *lib.* 2. *p.* 254. [g] *In defensorio suo contra* Armachanum *in* 8° *libello de mendicitate Christi cap.* 19. *MS.* [h] *In Hist. sua* Wickliff *cap.* 16. [i] *Ex quodam Reg. in dom. Consistorii Ecclesiæ* Cantuar. *&c.*

Glisçente

Gliscente ergo contentione, res tandem omnis in Curiam *Romanam* defertur, ibique post longam altercationem *Adrianus* Cardinalis titulo S. *Marcelli* Commissarius autem Pontificius, sententiam tulit, ut *Johannes Wicliffius* Guardianus, *Gul. Selbey*, *Gul. Midleworth*, & *Richardus Benger*, è Diœcesibus *Eboracensi*, *Sarisburiensi*, & *Exoniensi* seculares, antedicti Collegii Societate pellerentur, subrogatis in eorum locos Monachis *Cantuariensibus*. Hanc sententiam bullâ suâ corroboravit P.R. *Urbanus V.* octavo Pontificatus anno datâ; quâ nempe jussi sunt Episcopus *Londinensis*, Abbas S. *Albani*, & Archidiaconus *Oxoniensis*, eandem executioni maturæ demandare; quod ab Archidiacono factum postea reperio, qui cum *Birreto* præfecturæ insigni, istius Collegii gubernacula *Wodehullo* tradidit; quem post paulo Prior *Leskoensis* è Diœcesi *Ciceſtrensi*, Magister *Rogerus* de *Freton* Decanus *Ciceſtrensis*, *Gualterus Baketonus* Decretorum Doctor & ejusdem Ecclesiæ Canonicus, cum aliis, in plenam possessionem deduxere.

At vero cur *Wicliffius* Guardianatu exciderit non video, cum ad morem reliquorum studiosorum hic pacificè egerit, nec dum Opinionibus hæreseos suspectis addictus: insuper ad munus istud auspiciis optimis suffragio sc. fundatoris *Simonis Islepii* non sine singulari laudum præfatione [a] evocatus.

Simon &c. *dilecto Magistro* Johanni *de* Wyclyve *salutem. Ad vitæ tuæ & conversationis laudabilis honestatem, literarumque scientiam, quibus personam tuam in artibus magistratam Altissimus insignivit mentis nostræ oculos dirigentes, ac de tuis fidelitate circumspectione & industria plurimum confidentes, in custodem Aulæ nostræ* Cantuar. *per nos noviter* Oxoniæ *fundatæ, præficimus, tibique curam & administrationem custodiæ hujusmodi incumbentes juxta ordinationem nostram in hac parte committimus per præsentes, reservata nobis receptione juramenti corporalis per te nobis præstandi debiti in hac parte. Dat. apud* **Wagheild** v. *Idus Decemb. an. Dom. CIↃCCCLXV. & nostræ consecrationis xvi.*

Exinde vero liquet *Wicliffium* Præfecturam illam factione aut malis artibus adeptum non fuisse; quâ cum exueretur, infamiâ, quod sciam, hæreseos laboravit nullâ. Atque mirum propterea non est quod iniquam Pontificum cæterique Cleri Tyrannidem suo damno edoctus, eandem accuratius deinde indagarit, orbique terrarum patefecerit. Fama obtinet *Wicliffio* Guardianatu fruenti datum fuisse in disciplinam *Galfredum Chaucerum*, *Thomæ Chauceri* de **Ewelme** in Comitatu *Oxoniensi*, Armigeri, Patrem; qui Carmine haud injucundo, Institutoris premens vestigia, Clericorum vitia acerbissime notavit; quâ de re neque cum extremum duceret spiritum pœnitentiam aliquam egit, quamvis eorum quæ de fœdis hominum amoribus conscripserat recordatione adeo torqueretur ut [b] exclamarit, *Væ mihi væ mihi quod revocare nec destruere jam potero illa quæ malè scripsi de malo & turpissimo amore hominum ad mulieres: sed jam de homine in hominem continuabuntur velim nolim*, &c.

Hoc eodem anno, in die Lunæ Festum S. *Margaretæ* præcedenti, Cancellarius ad quadrivium vulgo **Quatervois**, ex præcepto Regio, procla-

mari [c] fecit, ut Scholares *Gallici*, quique sub ditione Regis *Gallorum* essent, tam Religiosi quam Seculares, ante nonum diem Regno excederent. Id quidem in rem nostram præsentem cessurum videbatur, propter bella inter utramque gentem jam prorumpentia, atqui haud parum inde dispendii passi sumus *Oxonienses*, ad quos *Parisienses* perrari deinceps commearunt.

CIↃCCCLXX.

Gravissima hoc anno Pestis in occiduis Regni partibus exarsit, *Oxoniam*que demum (ut [d] fertur) grassata, haud exiguum Academicorum numerum hausit; unde Scholarium dispersio, Actuumque Scholasticorum intermissio subsecuta est. Illam nonnulli imbribus qui nuper deciderant immensis, alii autem aliis causis, attribuunt; cæterum *Wicliffius* novam quandam illius originem, nec puto cuilibet obviam, exploravit. Quippe in libro [e] suo Trialogorum de Fratrum corruptelis agens, morbos iis endemios imputat, quos postquam in Urbes magnas confluxere, ibique ætatem in otio ac luxu egere, intemperiem pene omnem malignam peperisse contendit; atque inde esse refert, quod Philosophi aerem pestiferâ labe tactam Urbibus præsertim, locisque paludosis assignant. Ipsum vero audies, post hæc perhibentem, quod *si fœditas inclusa intus foret, ut olim, per laboritium expirata, non plus modò quam prius forent pestilentiæ vel intemperies quæ contingunt in aëre, ut tangitur, in parte, sermone* 11° *primæ partis super primo* Lucæ *xxii. erunt signa in Sole & Lunâ & Stellis, &c. Fratres ergo otiantes in terrâ sine laboritio, & multiplicantes ingluvie, superfluè inordinatè & miasmata terrestria, sunt multæ causæ aëriæ discrasiæ. Et si dicatur quod communitas hominum, etiam ruralium causat illam intemperiem, sicut Fratres, conceditur quod neàum sit, sed utrique inficientes aërem cum ingurgitato stomacho & sudoribus evaporatis indebitè inficiunt aerem communiter, & inferunt suis fratribus nocumenta, &c*

Sic ille; qui his profecto ratiociniis, veritati parum consonis, non tam Pestilentiarum causas quam odium quo Fratres Mendicantes prosecutus est exhibuit.

CIↃCCCLXXIII.

Hoc anno memorabile nil aliud occurrit, quam [f] *quia propter excessivam multitudinem vendentium Libros* Oxon. *Universitati minimè juratorum, codices magni valoris a partibus exteris deferuntur, veri Domini librorum eorundem exquisitis coloribus seducuntur, & stationariis Universitatis lucrum consuetum subtrahitur in Universitatis dedecus non modicum & gravem jacturam, &c. ideo ordinatum erat per congregationem Regentium quod juxta antiquam consuetudinem in hac parte renuntiatam, nullus librorum venditor publicus (stationariis duntaxat exceptis, seu ab eis legitimè deputatis) aliquem librum alienum seu proprium vendat excedentem pretium dimidiæ marcæ infra jurisdictionem D. Cancellarii Universitatis præfatæ* &c. *sub pœna incarcerationis pro prima*

[a] *Ut in Reg.* Islep. *fol.* 306. [b] Tho. Gascoigne *in* 2ª *part. dictionar. Theol. p.* 377. *MS.* [c] *Ut in fascic. chartarum spectant. ad Universitatem* Oxon. *in Chartophyl. Civ.* Oxon.. [d] *Per* Holinshedum *in Chron. suo sub an.* 1370. [e] *Cap.* 35. *MS.* [f] *Ut in A. fol.* 31. *b.*

vice

vice, dim. marca pro ſecunda, & abjurationis officii, &c.

CIↃCCCLXXV.

Omiſſis quibuſdam memorabilibus quæ in ſcriptis noſtris pro an. LXXIV. occurrunt; ad alia pergam. Circa hæc tempora ergo frequentiores denuo comparuerunt Academici; atque Cancellarius Magiſtri & Doctores in Theologia, magiſtrique in Artibus, ſtatuta bene multa condiderunt, quæ cum Juris Civilis & Canonici Baccalaureis & Profeſſoribus gravióra viderentur, litibus haud levibus materiam præbuere. Cæterum querelis ea de re apud Regem depoſitis, Juriſtæ præfatis ſtatutis ſoluti declarantur, iiſque per literas [a] patentes conceſſum eſt, non obſtantibus, quas in tranſverſum fecerat Academia, legibus, ut ſolita præſtarent exercitia, & Gradus juſto annorum ſpatio capeſſerent. Ea vero Statuta circa formam qua Juris Canonici & Civilis Baccalaurei opponentibus Decretorum Doctoribus reſponderent, atque alia nonnulla ad Juriſtas non adeo ſpectantia facta videntur.

CIↃCCCLXXVI.

In hunc tamen annum durabant, ſpretis *Edoardi III.* mandatis, præfatæ diſſenſiones; quas propterea Rex viris quibuſdam prudentibus, & Univerſitatis olim noſtræ Alumnis compeſcendas [b] demandavit. Nimirum,

Gulielmo Courtney, *Thomæ Arundell*, *Adamo Houghton*, *Radulpho Ergham*, *Gulielmo Read* } Epiſcopo { *Londinenſi*, *Elienſi*, *Menevenſi*, *Saliſburienſi*, *Ciceſtrenſi*.

Quorum tres quatuorve rem omnem cognoſcendi ac terminandi poteſtatem haberent. Eodem porro tempore data ſunt ad facultates antedictas Reſcripta, quibus præceptum eſt, ut Epiſcopos de diſcordiarum cauſis & progreſſu certiores facerent, quo utique eædem dijudicari melius poſſent. Id vero ex parte Juriſtarum præſtitere, (Procuratore uſi *Michaele Sergeaux* Clerico & LL. B.) *Johannes Gaſcoigne*, & *Johannes Pakewode* Decretorum Doctores cum *Johanne Trefnaunt* & *Gul. Todeworth* LL. Doctoribus; ex parte autem Theologorum & Artiſtarum comparuit *Johannes Turke* S. pag. Profeſſor, Cancellarius, *Gul. Wakefield* A. M. Procuratorum alter Univerſitatis, *Gul. Berton* & *Robertus Ayleſham* S. T. B. & Collegii *Mertonenſis* Socii. Hi autem ex mandato Regio Controverſiarum ſtatum Concilio Parliamentario offerebant; unde Epiſcopi ſupra nominati in Eccleſiâ S. *Pauli Londini* convenientes [c] compoſitionem inter partes excudebant, revocantes Magiſtrum *Thomam Montague*, & Magiſtrum *Henric. Inglebeium*, alioſque nonnullos propter commotos ſtudio partium tumultus pridem exterminatos; ſtatuta vero quæ diſſidiis illis occaſionem dediſſe conſtabat abrogantes, editis in Juriſtarum commodum aliis duobus, quæ quod longiora ſint deſcribere prætermitto.

Hæc vero Epiſcoporum facta Theologos, maxime vero Artiſtas, plurimum angebant, è quibus poſtremo dicti nullam Juriſtas vexandi occaſionem dimittebant, quamvis id non ita perfecerint quin integra Univerſitas motibus una concuteretur. Prima eorum indignatio *Dominicanum* quendam, *Wolfertonum* nuncupatum, corripuit; quem propter inſolentiam frequentem, præcipue autem Concionem arrogantiæ plenam contra Sophiſtas habitam, domo Congregationis ejiciendum, ac deinde Academiâ pellendum procurabant. Super hac re Fratres *Dominicani*, ſive Prædicatores, ad *Eliam*, Generalem Ordinis ſui Miniſtrum, querelas deferunt; is autem enarratis viri meritis [d] mandatum à Rege obtinuit de eodem in Academiam reſtituendo, cui tamen repugnantes, (qui Epiſcoporum circa Juriſtas judicio reſtitiſſent) Magiſtri quidam factioſi, arma contra leges geſtare, Conventicula illicita celebrare, denique juris Canonici & Civilis ſtudioſos peſſimis modis tractare nequaquam reformidabant.

Regia idcirco Majeſtas de malemeritis iis Academiam turbantibus certior facta, Cancellario, Vicecomiti & Prætori Urbano poteſtatem fecit eoſdem coercendi; quorum de numero erant *Thomas Perſon*, *Johannes Banbury*, *Thomas Worth*, *Galfredus Wyke*, *Johannes Akeborrow*, *Galfredus* de *Melton*, & *Johannes* de *Bokyngham*, in Artibus Magiſtri. Cæterum hæ literæ pacem Academicam parum promoviſſe, & circa armorum tantum geſtationem datæ videntur fuiſſe; cum alia poſt paulo [e] mandata ad *Johannem Marre* S. Theol. P. *Johan. Pakewode* Decretorum Doctorem, *Philippum Briannum* & *Thomam Montague* Juris Civilis Baccalaureos, tranſmiſſa fuerint, de litibus quibuſdam finiendis quæ in Congregatione quadam poſt priorem exortæ fuiſſent; quas exinde contigiſſe liquet, quod Regentes nonnulli Gratias quaſdam ſe abſentibus conceſſas una cum Congregationis illius Actis reliquis, ſiquidem eorum ſuffragia non interceſſerant, irritas feciſſent: neque valere prius eaſdem permitterent, quam Regium (quod proximo factum eſt anno) edictum [f] interponeretur.

CIↃCCCLXXVII.

E vita jam ceſſerat *Edoardus III.* Regnique gubernacula ſuſceperat *Richardus II.* pro cujus juxta & Anglicanæ gentis ſalute (utpote quibus *Galli* infeſtum nunc animum palam geſtabant) ſupplicationes ad Deum ex [g] mandato publico in Academiâ utrâque fiebant. His autem immorandum non eſt, Univerſitatis ſolummodo Hiſtoriam contexenti, quam quidem diſſidiis in quadrageſimâ, aliiſq; inter Artiſtas motis, turbatam hoc anno liquet; primos ordines ducentibus tribus Monachis, *Gloceſtrenſi*, *Cantuarienſi*, & *Nordovicenſi*. His Regi nuntiatis, *Oxoniam* amandantur qui pacem nobis (neque ſane abſque pugnis litigavimus) integrarent; verum cùm eos Scholares quidam ac Monachi peſſime habuiſſent, Cancellarius, Procuratores, & Monachi tres ante dicti *Londinum* [h] citantur, ut de tumultibus iis rationem redderent. Interea temporis Privilegiorum Academicorum ſuſpenſione mulctabatur Univerſitas. Verum cum modo dicti minime comparerent, clementiæ tamen ſeſe Regiæ permitterent, non tantum quæ male admiſerant, verum & tributum [i] *Unius Groſſi* nuper imperatum, [k] condonatum (ut infra dicetur) habuere.

[a] *Pat.* 50. Ed. III. *p.* 1. *m.* 33. [b] *Ibidem m.* 14. [c] *Ibid. m.* 10. [d] *Ibid. part.* 2. *m.* 4. [e] *Pat.* 51. Ed. III. *m.* 28. [f] Harus *in memorab. fol.* 77. *b.* [g] *Clauſ.* 1. Ric. II. *m.* 28. [h] *Ut in clauſ.* 1. Ric. II. *m.* 4. [i] *Groſſi ſolutio, eſt vectigal quoddam ſeu tributum Scholaribus* Oxon *impoſitum & poſtmodum remiſſum.* [k] *Ut in pix. HH. nu.* 17.

Regnum ineunte *Richardo II.* compleri obſervatum eſt quæ [a] *Jo. Aſchindonus*, atq; Aſtronomi alii *Oxonienſes* à magnâ, quæ anno CIↃCCCXLV. contingerat, eclipſi, prænuntiârant; ea vero ad nova dogmata brevi naſcitura, & varias in Religione mutationes futuras pertinebant. Porro effectum ſortita eſt ejuſdem *Aſchindoni* circa novi Prophetæ exortum prædictio, quam à *Saturni* & *Martis* Conjunctione deſumpſerat, in Cancro, VIII. *Junii* ann. Dom. CIↃCCCLVII. contingente. Quippe prœmonſtratum crediderim *Johannem Wicliffium* vel de *Wycleve* virum ſecularem, inque Theologiâ Doctorem, qui Guardianatu pridem Collegii *Cantuarienſis* fructus fuiſſet, nunc autem religionem Pontificiam, ſc. Fidei *Romanæ* errores ac ſuperſtitiones tum in diſputationibus Scholaſticis tum in publicis Concionibus acriter [b] impugnabat ipſe, nec in illo præſtando ſectatoribus carebat.

In Univerſitate Oxon. (inquit [c] MS. Anonymus) *quidam Doctor Theologiæ* Johannes Wyckliff *tenens opiniones erroneas, publicè in Scholis & alibi concluſiones erroneas contra ſtatum venerabilis Eccleſiæ contrarias & abſurdas, & præcipuè contra Monachos & alios Religioſos poſſeſſionatos malè ſonantes, & ut ſuam hæreſin contra Inſultantes fortius & latius propalaret, aſcivit ſibi Comites hujus ſectæ ſimul in* Oxon. *habitantes, longis veſtibus de ruſſeto indutos, nudis pedibus incedentes, hujuſmodi errores in populis ventilantes, & palam in eorum ſermonibus prædicantes. Inter alia dicunt & aſſerunt, quod Euchariſtia in altari poſt conſecrationem non eſt verum Corpus Chriſti ſed ejus figura. Item quod Domini temporales poſſunt meritorie auferre bona fortunæ ab Eccleſia delinquente. Iſta & plura alia publice in ſubverſionem diſſeminabant & aſſerebant; in tantum quod magnates terræ & multi de populo eos in ſuis erroribus confovebant, eo quod tantam poteſtatem ad auferendum bona temporalia à viris Eccleſiaſticis ipſis attribuerunt. Demum concluſiones ipſius* Johannis *coram Papa in audientia exhibitæ & perfectæ fuerunt. Papa vero ſuper hujuſmodi conſultus, XXIII. ex ipſis concluſionibus tanquam erroneas, hæreticas & vanas, damnavit, dirigens Bullas ſuas D. Archiep.* Cantuarienſi *& Epiſcopo* London.

Huic vero adnitebantur præ aliis *Joh. Kenyngham* & *Nicolaus Dunelmenſis*, Carmelitæ, nec non *Gul. Bynghamus* & *Radulphus Strodus*, maxime autem *Remyngtonus cum* Oxonienſium *mentes eſſent* (ut ait *Lelandus*) *fere ſemiſopitæ. Wicliffianarum* vero partium adjutores, ut juſtiorem catalogum contexamus, tum ejus ſeculo tum paulo poſt emicuere. [d]

I. *Uthredus Boltonus*, Monachus *Dunelmenſis*, quîcum manus conſeruit *Guliel. Jordanus*, cui obviam ſe dedit *Johannes Hiltonus Oxonienſis*, & *Wicliffii* ſcripſit vindicias.

II. *Johannes Aſtonus* ſeu *Ayſtonus* A. M. è Collegio *Mertonenſi*, qui cum aliis XIX. *Junii*, anno Dom. CIↃCCCLXXXII. Hæreſeos damnatus eſt.

III. *Nicolaus Herefordienſis* Sacræ paginæ Profeſſor, è Collegio *Reginenſi.*

IV. *Philippus Repyngdonus*, Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Eccleſiæ *Leyceſtrenſis* Canonicus Regularis.

V. *Laurentius Bedemannus* A. M.

VI. *David Gotraius* Monachus *Bylandenſis*, & *Oxoniæ* in S. Theol. Magiſter, (vel Profeſſor.)

VII *Johannes Aſhwardbeius* S. T. Magiſter, & Beatæ *Virginis Oxon.* Vicarius; qui & in Concionibus ibidem & in publicis Lecturis contra Fratrum mendicitatem acerbiſſime invehebatur; Antagoniſtam vero habuit *Richardum Maydſtonum*, Ordinis Carmelitici Doctorem, & ſub hæc *Johanni Lancaſtriæ* Duci à ſacris confeſſionum.

VIII. *Robertus Riggius* ſive *Ruggius* S. T. P. è Collego *Mertonenſi*, & per hæc tempora Univerſitatis Cancellarius.

IX. *Johannes Huntmannus* & *Gualterus Daſſius*, Procuratorio munere anno Dom. CIↃCCCLXXXII. functi; qui cum prædicto *Riggio* à *Gulielmo Courtneio* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* graviſſima perpeſſi ſunt.

X *Henricus Crompus*, Familæ Ciſtercienſis apud *Baltinglaſſam* in *Hybernià* Monachus, qui *Wicliffio* imprimis adverſatus, eidem deinde accedebat.

XI. *Gulielmus Jameſius*, Regens hac tempeſtate in Artibus, & è Collegio *Mertonenſi*; vir apprime literatus, quique anno CIↃCCCLXXXII. *Wicliffii* de Euchariſtiâ ſententiam propalam defendebat.

XII. *Thomas Brytwellus* ſeu *Bryghtwellus* S. T. P. è Collegio *Mertonenſi*, qui ab Archiepiſcopo noviſſime dicto peſſime etiam tractatus eſt, anno Dom. CIↃCCCLXXXII.

XIII. Denique, *Johannes Purveius*, A. M. Interpres vocum obſcuriorum & Gloſſographus inſignis; quem in Caſtrum *Saltwodenſe*, cum *Nicolao Herefordienſi* concluſum, *Thomas Arundell* Archiep. *Cantuarienſis*, malis graviſſimis exercuit.

Hos præcipue memorandos duxi, qui cum reliquis *Wicliviſtis* pedibus nudi, ut ante dictum eſt, Toga vero ſubruffâ & ad talos uſque demiſſâ [e] induti, ſive in humilitatis ſpecimen, ſive in ſuorum diſtinctionem, prodiiſſe in publicum referuntur; quorum tamen habitum longe aliter deſcribit *Gulielmus Wydefordus*, ætatis ejus Scriptor, qui contra *Lollardos* (ſic enim appellabantur *Wicliffii* Sectatores) ſcribens, eoſdem geſtaſſe [f] refert *lata Capucia furrata extenſa uſque ad ſcapulas, & ſubter eas eorum camiſiæ de tela ſubtili & tenui lino, ſimiliter eorum zonæ ornatæ argento & pendente longo, & ſimiliter eorum togæ ſive clochæ furratæ extenſæ uſque ad pedes.*

Atqui ego in ſententiâ longe aliâ ſum, cum probabile non ſit *Wicliffio* addictos faſtuoſis hiſce indumentis uſos fuiſſe, unde in Fratres ille [g] argumenta non levia mutuatus fuerat, quos ubi ſimulatæ pietatis coarguit, Ironice locutus veſtem albam in innocentiæ, ſi Diis placet, nigram vero triſtitiæ, & ſubruffam continui laboris, ſymbolum ſumpſiſſe perhibet.

CIↃCCCLXXIIX.

Sed ut unde diſceſſimus revertamur, tam firmas in Academiâ noſtrâ radices egit *Wicliffii* doctrina, ut ejus fama *Romam* uſque percrebuerit, & P.R. *Gregorius XI.* Bullâ [h] datâ XI. *Cal. Junii* anno Pontificatus

[a] *In quodam MS. inter Cod.* Digb. *compacto cum aliis tractatibus de* Aſtronomia. [b] *Polychron. MS. in bib. Coll.* Ball. Walſingham *ſub hoc. an.* Leland *in* 2. *Vol. collect. p.* 333. [c] *In bib.* Bod. *p.* 30. [d] Balæus *in catalogo Diſcipulorum* Wiclevi, *ſcripto cum propria manu in libro* Waldeni *de zizaniis* Wiclevi, *MS. in bib. Bod.* [e] Walſingham *& polichron. ut ſupra.* [f] *In reſponſionibus ſuis contra* Wickliff *& Lollardos in Quæſt.* 12. *MS.* [g] *In* 4. *lib. Trialogorum cap.* 26. [h] *In* Walſingham *ſub an.* 1378. Waldeno *de zizaniis* Wyclevii *MS. fol.* 54. *& in* Haro *de memorab. fol.* 105. &c.

VI.

VI. (qui cum Domini aut hoc, aut prægresso coincidit) perque Magistrum *Edmundum Staffordum* transmissâ, contra eandem fulminarit. In eâ vero Bullâ Academicorum incuriam severe increpuit Pontifex, quod pullulare Hæreses & diffundi usque adeo paterentur; quæ tamen cum iisdem traderetur, hærebant Procuratores & Magistri haud pauci, inque deliberationem vocabant, utrum cum honore acciperent an vero cum dedecore reprobarent. Res quidem nova hæc, & inaudita erat, tantamque Religiosis admirationem injecit, ut Scriptores Monastici literis integram mandare subveriti, quoties de eadem agunt orationis filum abrumpere deprehenduntur. Cæterum ut Pontificis ipsius de *Wicliffio* sententia innotescat, haud abs re fuerit aliquam diplomatis Apostolici partem hunc in locum inserere.

--- *Multorum siquidem fide dignorum insinuatione admodum dolentium, nostris est auribus intimatum* Johannem *de* Wicklefe *Rectorem Ecclesiæ de* **Lutterworth** Lincoln. *Dioces. S. paginæ Professorem, utinam non magistrum errorum, in illam detestabilem erupisse vecordiam, ut ediderit nonnullas propositiones & conclusiones erroneas & falsas, ac pravitatem hereseos sapientes, quæ statum totius Ecclesiæ, ac etiam secularem politiam subvertere & enervare nituntur, quarumque aliquæ, licet quibusdam mutatis terminis, sentire videntur perversas opiniones & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ* Marsilii *de* Padua & Johannis *de* Gandavo, *quorum libri per felicis recordationis* Johannem *Papam XXII. prædecessorem nostrum reprobati extitere, & damnati in regno* Angliæ: *nempe; quæ non tantum glorioſa potentiâ, & copiâ facultatum, sed glorioſor à pietate, & fide rutilante S. paginæ claritate, consueta viros producere, divinarum scripturarum rectâ scientiâ illustratos, morum gravitate maturos, devotione conspicuos, & Catholicæ fidei defensores. Hic loci, quod dolendum prædictus* Johannes *dogmatizare, & publicè prædicare, seu potius de virulento claustro sui pectoris evomere non veretur, nonullos Christi fideles errorum respersione commaculans, & à fidei præfatæ recta semita in præcipitium perditionis abducens. Quare cum tam lethiferam pestem, cui si ejus non obstetur principiis, & ipsa radicitus evellatur, sero possit Medicina parari, cum per contagionem plurimos infecisset, noluimus prout nec velle debemus sub conniventia pertransire. Universitati igitur vestræ per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna privationis omnium gratiarum, indulgentiarum & privilegiorum vobis & vestro studio à dicta sede concessorum, districtè præcipiendo mandamus, quatenus conclusiones & propositiones in bonis operibus & fide male sentientes, licet eas proponentes sub quadam verborum sive terminorum curioſa implicatione nitantur defendere, de cetero non permittatis asseri vel proponi, dictumque* Johannem *authoritate nostra capiatis seu capi faciatis, & ipsum venerabilibus Fratribus nostris Archiep.* Cantuariensi & *Episcopo* Londinensi, *aut eorum alteri sub fida custodia transmittatis. Contradictores quoque de dicto Studio vestræ jurisdictioni subjectos, si qui forsitan (quod Deus avertat) essent hujusmodi erroribus maculati, si in illis pertinaciter perstiterint; ad similem captionem & missionem, aliàsque prout ad vos spectat, firmiter & sollicite procedatis, perinde vestram suppleturi diligentiam, hactenus in præmissis remissam, nostramque & dictæ sedis præter divinæ retributionis præmium & meritum gratiam & benevolentiam adepturi*, &c.

Præter has autem [a] literæ à *Gregorio* ad Archiepiscopum *Cantuariensem* & Episcopum *Londinensem* dabantur, dogmatum *Wicliffianorum* capita præcipua complectentes; utque capiendum ipsum inque vincula tradendum curarent præcipientes; cujus (prout infra enarrabimus) opiniones, ex eodem Papali Rescripto desumptæ, *Oxonii*, tanquam Hæreticam pravitatem spirantes, damnabantur.

Secundum hæc *Richardus II.* Chartâ [b] insigni, quam per *Inpeximus* vocant, Privilegia Universitati ab Antecessoribus suis concessa corroboravit; [c] remisitque subsidium quod Clericis imperarat *Edoardus III.* quatuor nempe denarios in singulos non beneficiatos inque Academiâ commorantes. Aliquanto post & prædictam remissionem [d] confirmavit, & pecuniæ in subsidium donandæ gratiam [e] fecit, speciatim vero quæ unius *Grossi* (fortean IV. den.) erat, & de quâ Regi largiendâ Provinciæ *Cantuarienſis* Clerici in Mense *Maio* anni CIↃCCCLXXII. convenerant. Notandum vero est, quod qui Beneficiis fruerentur Academici loco unius vectigalis XII. denarios pendebant, quos per Procuratores collectos fuisse, à Brevi [f] quodam liquet, de distringendis eorum bonis dato, quoniam hujus subsidiariæ pecuniæ rationem scaccario Regio non redidissent.

CIↃCCCLXXIX.

Insuper vero quo Libertatibus suis plenius fruerētur Academia, mandavit [g] Rex omnibus suis Justiciariis, Vicecomitibus, &c. quod permittant Cancellarium omnibus suis libertatibus uti & gaudere, secundum tenorem chartarum Regum & Progenitorum suorum. Mandavit [h] etiam ut à Cancellario advocatus Vicecomes in comprehendendis maleficis auxilium conferret; quod idem Prætori & Ballivis sub hæc injunctum [i] est; ne scilicet ad Rei literariæ Pacisque publicæ conservationem quicquam deesset. Edictum [k] porro ut viis intra muros & in suburbiis de novo substratis, sordibus in posterum amotis, Aëris salubritati prospiceretur. Posthæc autem ne aliqua nobis ex parte deesset *Richardus*, reliquam Academiam cum Prædicatoribus vel Dominicanis [l] redegit in gratiam, Magistri ex eodem sodalitio Regentis, (unicum enim tunc temporis habuere) nec non Baccalaureorum, & Scholarium precibus permotus; qui querebantur (testantibus, quas citavimus, literis Regiis) se per Rescripta quædam ad Cancellarium & Scholares *Oxonienses* data, quæ quidem privato sigillo regio per fraudem impetrato muniebantur, prohibitos à Gradibus quibus ornari debuerunt

Sub hæc etiam Rex Collegii *Reginensis* dissensiones componere aggressus est, quæ quidem ab integro triennio tam graves perstiterant, ut non tantum universa Societas infamiâ inde flagrarit, verum ad easdem tollendas Visitatione demum opus fuerit; quamvis an de Præpositi electione, an ex occasione novarum opinionum emerserint, haud adeo constat. Perlatæ fuerant ad *Alexandrum Nevillum* Archiepis-

[a] *In* Reg. Sudbury *fol.* 45. *&c.* [b] *Rot. chart.* 2. Ric II. *nu.* 14. *in turri* Lond. *in pix. etiam longa I. in turri Schol.* [c] *Clauſ.* 2. Ric. II. *m.* 23. [d] *Pat.* 5. Ric. II. *p.* 2. *nu.* 28. *& in pix. HH.* &c. [e] *Ibid. in turri Schol. in NN. nu.* 9. *vel* 10. [f] *In faſcic. quodam Brevium in ſcrin. Civ.* Oxon. [g] *Clauſ.* 3. Ric. II. *m.* 20. *& in pix. HH. nu.* 4. [h] *In eod. cl. m.* 40. *& in ead. pix. nu.* 15. [i] *Cl.* 3. Ric II. *m.* 4. [k] *Pat.* 3. Ric. II. *p.* 2. *m.* 32. [l] *Cl.* 2. Ric. II *nu.* 4. *& in HH. ut ſupra nu.* 7.

copum *Eboracenſem* querelæ perplures & Appellationes, atque ille viros propterea quoſdam litem omnem dirimendi poteſtate inſtruxit; qui cum *Oxoniam* perveniſſent, tam aſpere ſunt excepti, ut authoritatem viſitatoriam exercere metuerint, donec Brevi [a] Regio edictum Cancellario & Majori eſſet, ut iiſdem in exequendo munere ſubſidio venirent, & Scholarium perinde ac Laicorum (quos præſertim expaveſcebant) injurias propulſarent. Hinc ergo pacatæ ſunt in præſentia contentiones; verum poſt paulo graviores longe proruperunt, nec ante ſunt levatæ, quam vel ſecundâ viſitatione, vel peculiari mandato ad Collegium tranſmiſſo, Mr *Henricus Whytefeild*, Præpoſitus, cum Mris *Gul. Franke*, *Rob. Lydefordo*, & *Johanne Trevisâ*, Sociis, ſodalitii illius gremio excuterentur.

Hi autem inito clam conſilio, chartas, libros, Jocalia, pecuniam denique aliaque Collegii Bona furtim ſurripiebant, inque variis Oppidi locis occultabant, uſque dum à Cancellario & Procuratoribus juſſu [b] Regio explorata, & (veluti ex Inſtrumento [c] quo habetur Chartarum & bonorum eorum Catalogus conſtat) Mro *Thomæ Carleil*, Præpoſito, reddita per *Whytefieldum* fuerint. Verum cum *Reginenſes*, maxime autem expulſi, turbas etiamnum dare, pacemque Academicam miſcere perſtarent, Rex die VII. *Feb.* hoc anno, Mro *Gulielmo Bertono*, Cancellario, Mris *Johanni Sherburno*, *Thomæ Swyndono*, & *Roberto Bixio* literis [d] patentibus mandavit, ut lite penitus diſcuſſâ eandem ex æquo terminarent. Deniq; hoc etiam anno *Johannes Bloxhamus*, *Thomas Walworthus*, & *Johannes Coltonus* authoritatem [e] accepere negotium *Whytfieldianum* in Eccleſiâ Beatæ *Virginis* publice examinandi. Neque plura de Collegio illo per hæc tempora in partes abeunte referenda exiſtimo, Breve [f] Regium ſi excipias, 1. *Richardi II.* ad Vicecomitem *Oxonienſem* datum, cui præceptum eſt ut *Richardum Thorpum* & *Gulielmum Middleworthum* Collegii ſigillum Præpoſito ac ſociis reddere compelleret.

CIↃCCCLXXX.

Hoc anno videbantur tum Cives, tum Academici, in omne genus flagitiorum ſeſe effudiſſe; quippe (quam ob cauſam neſcio) domorum Incendiis, Furtis, Latrociniis, immo armatorum conventiculis illicitis, occultiſque Homicidiis, nil magis erat familiare; quibus addenda, exceſſus in veſtitu, nec non propolarum, dardaniorum, cauponum atque inſtitorum circa Menſuras & pondera, impoſturæ, & dolus malus. Artificum vero & Operariorum quoad mercium operæque elocatæ pretia, fraudes & exactiones, creberrimæ jam erant, quanquam Lex in eaſdem haud ita pridem rogata etiamnum vigeret. His autem intellectis Rex [g] literis 11. *Junii* datis, Cancellario Univerſitatis cum *Roberto Treſiliano*, *Davidi Hanmerio*, & *Gulielmo Coteſhale* poteſtatem fecit in fraudes ſcelera & nequitias antedictas inquirendi; qui proinde viros complures in cuſtodiam dedere, alios ſatisdare cogebant ſe in proximis *Aſſizis* ſive comitiis juridicis compariturос, denique in nonnullos mulctis pecuniariis, aliiſque pœnis animadvertebant.

Hoc inſuper anno celebris illa Univerſitatis *Pariſienſis*, *Oxonienſis*, *Pragenſis* & *Romana* Epiſtola, ad *Urbanum VI.* Pontificem [h] tranſmiſſa eſt; cujus nempe argumentum erat, aſſertio *Authoritatis Imperatoriæ in Schiſmate tollendo*, *& verâ Eccleſiæ libertate adſerendâ*; quæ tamen cum publici jam olim juris facta fuerit, ut in hanc Hiſtoriam inſeratur nulla exigit neceſſitas.

CIↃCCCLXXXI.

Ad *Wickliffium* nunc iterum revertendum duco; qui antequam ad Doctoratum perveniſſet, opiniones ſuas, nullo propemodum Antagoniſtâ impetitus, undique ſpargebat: Doctoralem vero Cathedram adeptus (quod in Autumno accidit, licet de anno, niſi CIↃCCCLXXVI. is fuerit, ambigendum ſit) atq; ex illâ Blaſphemias ſuas & damnabiles concluſiones (ſic enim Impugnator ejus [i] *Waldenſis* cognominandas exiſtimavit) effundere ſuſtinens, haud paucos reperiebat qui manus ſecum conſererent; tametſi id ſero jam nimis fieret, cum Dogmata *Wicliffiana* (quæ ad XIII. jam capita referebantur, & quorum primum erat, *Quod ſi aliquid fuerit, vel erit, ipſum eſt*) longe late propagata ſupprimi nequaquam poſſent. Eorum vero qui *Wicliffio* obviabant primus erat [k] *Johannes Kenyngham*, Familiæ Carmeliticæ Frater, qui poſtea in Ordinis Miniſtrum Provincialem emerſit, & *Johanni* Duci *Lancaſtrenſi* à ſacris confeſſionibus fuit. Is varias contra *Wicliffium* Determinationes, quas vocant, conſcripſit; è quibus tres ipſe vidi, quarum prima poſt præfatiunculam (cui initium *In iſto actu intendo*, &c.) ſic incipit, *Reverendus Magiſter* Joh. Wicliff *in reſponſione ad quædam exilia*, &c. ſecunda vero, *De ampliatione temporis* inſcribitur, initio, *Materia ſæpe facta*, &c. tertia autem *De eſſe intelligibili creaturæ* nuncupatur, cui exordium *Habito frequenter multiplici*, &c.

Poſthæc (inquit *Waldenſis*) contra Eccleſiæ Sacramenta, maxime vero contra ſacram Euchariſtiam legere cœpit & concionari *Wicliffius*, ſumptis quibus niteretur ex Evangelio argumentis. Atque hæc in hujus anni æſtatem cadunt, quo tempore ſexdecem concluſiones evulgavit, quas inter primum occupat locum [l] illâ quâ affirmatur quod

Hoſtia conſecrata quam videmus in altari nec eſt Chriſtus, nec aliqua ſui pars ſed efficax ejus ſignum.

Super his diſputaturum ſe palam obtulit *Wicliffius*; verum cum ne id fieret prohiberent Religioſi Doctores in Theologiâ non pauci, ſententiam ſuam propalare tamen non dubitavit; interque alia Corpus Dominicum tripliciter ſumi docuit, dimenſionaliter, definitive, & virtualiter; priores duos modos impoſſibiles, poſtremum autem verum eſſe, & ſic in Sacra Synaxi adeſſe corpus Dominicum aſſeveravit. Hanc ille Sententiam in Scholis publicis diſſeminavit, ſe autem in animo deſtinaſſe profeſſus eſt, Eccleſiam Dei quæ in ea re pluribus jam annis erraverat, ab Idololatriâ ad verum Numinis cultum revocare. Sed quamvis *Wicliffio* perplures haud vulgaris notæ Academici impenſe faverent, atque dogmata ejus plauſu exciperent, cum illa tamen à viris Regni Principibus improbarentur, eoque nomine Academia ignominia haud parum flagraret; damnata ſunt à *Gulielmo Bertono* Cancellario, ex conſenſu Doctorum in Theologiâ & in Lege Canonicâ. Is autem Sententiam illam in *Wicliffium* & ſectatores ejus la-

[a] *In charophylac. Civ.* Oxon. [b] *Cl.* 3. Ric. II. *m.* 40.. [c] *In theſaur. Coll.* Reginæ. [d] *Pat.* 3. Ric. II. *p.* 2. *m.* 12. [e] *In eodem Theſ. ut ſupra in pix.* Oxon. [f] *Ibidem* [g] *In pix. HH. ut ſupra, nu.* 18. [h] *Vide in* 1. *vol. operum* Melch Goldaſti *Haiminsfeldii edit.* Franc. 1621. *p.* 229. [i] *In faſciculo zizan.* Wyclevi *ut ſupra MS. fol.* 1. *a.* [k] *Ibid. fol.* 1. *b.* [l] *Ibid. fol.* 27. *b.*

tam

tam, & in Scholis hoc anno promulgatam sic [a] auspicatur.

Willielmus *de* Berton *Cancellarius Universitatis* Oxon. *omnibus dictæ Universitatis filiis ad quos* &c.

Cujus sub finem denuntiatum habetur, primo, secundo, tertio, nequis doctrinam illam infra Academiæ limites, vel in Scholis vel alibi tenere, docere, vel defendere præsumat, sub pœnâ incarcerationis & à Scholasticis Actibus suspensionis; consentientibus in hanc censuram Doctoribus bene multis, quorum nomina subscribere haud ineptum duximus.

Mr
- *Johannes Lawndreyn* S. T. Professor, secularis, de Collegio *Orielensi*, sed prius *Exoniensi*.
- *Henricus Crompe*, albus Monachus vel Cistercianus, ex aula sive Collegio *Universitatis*.
- *Johannes Chessam*, Fr. Dominicanus vel Prædicator.
- *Gulielmus Brounscombe*, de eodem ordine.
- *Johannes Schypton*, Fr. Augustinianus.
- *Johannes Tyssyngton*, Minorita, vel Fr. Franciscanus.
- *Johan. Loney*, Carmelita.
- *Joh. Wellys*, Monachus *Ramseiensis*.
- *Johan. Wolverton* vel *Wolferton* (ut supra) Dominicanus.
- *Robertus Rugge*, S. T. P. Secularis, è Coll. *Mertonensi*.
- *Johan. Mowbray*. LL. Dr.
- *Johan. Gascoigne*, Decretorum Dr.

Hæc autem sententia ex eorum decreto non tantum in Scholis Artium, verum & in *Augustinensi* illâ propalata est, ubi eodem tempore in Cathedrâ deprehendebatur *Wicliffius*, doctrinam suam persuadens ac dilucidans; qui ad ejusdem damnationem irritatus [b] exclamavit, *Quod nec Cancellarius nec aliquis de suis complicibus poterat suam sententiam infringere.*

Mox vero quo & dogmatis sui pravitatem, & animi pervicaciam (sic utique appellare visum est Authori nostro) apertam faceret, à Cancellarii & Doctorum Sententiâ, neque ad Pontificem, neque Episcopum aliquem, vel Ecclesiasticum Ordinarium, verum ad Regem *Richardum* provocavit; fore nimirum sperans (more Hæreticorum,) ut brachio seculari protegeretur, quem è Clero integro ne unus quispiam defenderet. Quo minus vero id fieret vetuit Dux *Lancastriensis*, *Wicliffium* hortatus ut Ordinarii se potius sui judicio submitteret. Is ergo periculis undique incinctus, neque quo se pacto iisdem expediret reperiens, doctrinam suam jam secundo retractare coactus est; quod *Oxoniæ* præstituto die fecit, præsentibus cum Universitatis Cancellario, & Doctoribus quamplurimis, Archiepiscopo *Cantuariensi*, Episcopo *Lincolniensi*, *Nordovicensi*, *Wygorniensi*, *Londinensi*, *Sarisburiensi*, & *Herefordiensi*; ingenti hominum confluxu circundatis. Ibi ergo fidei confessionem palam recitavit *Wicliffius*, quam in hunc modum auspicatus comparet.

Sæpe confessus sum & adhuc confiteor quod idem Corpus Christi, &c.

Hæc vero formula [c] alibi in Anglicano Idiomate habetur, cujus ejusmodi est initium.

Wee beleve as Crist and his Apostolus han tauzt us, that the Sacrament of the Auter white and rounde and like tyl oure brede or Ost unsacrede, is verray Goddus body in fourme of brede, and if it be broken in thre parties, os the Kirke uses, or elles in a thousand, &c.

Cætera quære in authore hic citato. Post cantatam vero sub hac formâ anglico sermone Palinodiam; suam denuo, & saniorem amplecti doctrinam non est veritus; quæ propterea, ne in vulgi animos tacite influeret, vel hoc rursus vel anno sequenti gravissimis Cancellarii censuris damnatur. Cæterum & in Confessionem istam, cui exordium *Sæpe Confessus*, &c. & in Doctrinam *Wicliffianam* scripsere *Oxonienses* permulti; quos hic percensere alienum non arbitror; ii autem erant;

I. *Johannes Tyssyngtonus* Minorita, qui Confessionem quandam contrariam pertexuit, sic [d] auspicantem, *Semel confessus est Filius Dei*, &c.

II. *Thomas* Wyntirtonus, è Familiâ Augustinensi Frater *Oxoniensis*, & *Wicliffii* æqualis; qui tractatum [e] edidit, cui titulum fecit *Absolutio contra Confessionem* Wycliff; hoc initio, *Sicut testante Apostolo ad* Romanos x. cap. &c.

III. *Johannes* Wellys Monachus *Ramseiensis*, qui in tractatulo [f] quodam *De Religione perfectorum* inscripto *Wicliffium* impugnat. Libelli autem illius initium est *Aggressus est enim in materia*, &c.

IV. Monachus *Dunelmensis*; quem de *Wicliffio* optime impugnato laudat [g] *Waldensis*.

V *Simon Southreius*, Monachus S. *Albani*; qui in refutandis *Wicleffii* dogmatis fortiter se [h] gessisse, & laudem inde reportasse haud exiguam perhibetur.

VI. An his denique addam Magistrum *Gulielmum* de *Berton*, qui & antequam Cancellariatum iniret, infensissimum sese *Wicliffii* hostem [i] exhibuit, cujus præfocandis dogmatis sedulo insudavit.

Verum irrito plane conatu & *Bertonus* & alii omnes obnitebantur; crevit indies sectatorum ejus numerus, qui in frequentes adeo cœtus aliquanto post progerminarunt, ut occasio daretur Fratribus asserendi, illum Universitatem propemodum everti sse, quanquam, illorum pace, alii dixerint eum Religionem prostratam jam & eversam recreasse, vel saltem recreandæ occasionem præbuisse.

CIↃCCCLXXXII.

Prætermittenda censuimus quæ ad annum superiorem referuntur haud pauca; qualia sunt Oppidanorum in *Osneienses* insultus, & mandata [k] Regia de Pace tuendâ deque Plateis purgandis, necnon statutum [l] Regni publicum contra viros quosdam (*Wicliffitas* vel *Wyclivistas* intellige) vestibus insolitis utentes, & vicatim concionantes transmissum. Verum reticendam non opinor Litem Universitatis cum Prioratu *Frideswydensi*, de nundinarum, in *Oxonia* quotannis habitarum, jurisdictione coortam. Quippe Cancellarius mercium mihi quarundam Assisam sibi vendicans (utpote quam in Mercatu *Oxoniensi* jure possidebat) eo demum processit, ut Nundinas omnino interdixerit: cumque nonnulli iisdem tamen celebrandis convenirent, discindi funiculos, pergulasque ac tentoria dirui præceperit.

[a] *Ibid. fol.* 28. *b. & Reg.* Sudbury *fol.* 76. [b] *Ib. f.* 29. *b.* [c] Hen. Knyghton *de eventibus* Angliæ, *lib.* 5. *sub an.* 1382. [d] *Ibid. in* Walden *fol.* 32. *b.* [e] *Ibid. fol.* 42. *b.* [f] *Ibid. fol.* 53. *b.* 54. [g] Ibid. 54. *b.* [h] *Ibid. fol.* 54. *a.* [i] *Ibid.* [k] *In pix. HH. utsupra, nn.* 6. [l] *Ut in statutis Regni publicis edit.* 1587. *in* Ric. II.

Ægre id ferebant *Frideſwydenſes*, habitiſque apud Regem querelis haud infrequentibus, Literas, ſive [a] Breve, impetrarunt, quibus Cancellario & Procuratoribus edictum eſt, ut *Frideſwydenſes* in utendis quas dixi libertatibus minime interpellarent; atq; illis acceſſerunt aliæ [b] literæ ſub id etiam datæ, quibus præfatis Cancellario & Procuratoribus jubetur, ut per Præconem publicum promulgandum curarent, nequis cujuſcunque demum conditionis eſſet, antedicta *Fridiſwydenſium* Privilegia infringeret; vel iiſdem in capiendis conſuetis Nundinarum proficuis moleſtiam crearet, ſub pœna forisfactionis bonorum omnium, &c. Atqui vero cum Academici de mandatis Regiis parum ſoliciti à vexandis *Frideſwydenſibus* nequaquam abſtinerent, & graviores propterea querelæ ad Regem deferrentur, Lis ea *Gulielmo* Archiep. *Cantuarienſi*, Gulielm. *Wintonienſi*, *Thomæ Elienſi*, *Joanni Lincolnienſi*, *Thomæ Exonienſi*, *Thomæ Roffenſi*, Epiſcopis, cum *Gualtero Cloptono*, [c] demandatur; quorum tres aliqui eidem cognoſcendæ terminandæque ſufficerent. Atque ita tandem pacem conſequuntur *Frideſwydenſes*, poſtquam citatis utriſque, & controverſia probe eventilatâ, pro iiſdem ſententia ferretur.

Ad *Wicliffitas* autem jam redeo, per hæc tempora, reclamantibus perpaucis, mirum in modum invaleſcentes. Iiſdem vero acceſſit *Nicolaus Herefordienſis*, Theologiæ Magiſter; qui *Simonem Sudburienſem Cantuarienſem* Archiepiſcopum, merito interfectum [d] deprædicavit, quod *Wicliffio* infenſus fuiſſet, in cujus Doctrinâ falſi nil quicquam deprehenderetur. *Wicliffium* iſte in multis ſuperavit, ea in Concionibus publiciſque exercitiis affirmando, quæ affirmare nunquam ſuſtinuerat *Wicliffius*. Colligendis autem *Nicolai* erroribus, & in formam aliquam redigendis Notarios quoſdam deputavit *Petrus Stokys* Doctor Carmelita, eoſdemque errores integro hoc anno in Determinationibus & Concionibus [e] impugnavit; cujus ſcriptis, juris dein publici factis, *Nicolaus* diſcurſive ſeu rixoſe tantum (ut Authori meo placet) reſponſavit. Idem porro *Herefordienſis* in Feſto *Aſcenſionis* abominanda quædam dogmata (talia nempe ſeculo illo habebantur) in Cœmiterio *Frideſwydenſi* effudit; populum ad rebellandum incitans, & *Wicliffium* aut excuſare nitens aut defendere.

Inſuper *Philippus Repyngdonus*, Canonicus *Leyceſtrenſis*, Doctoratum hoc anno in Theologiâ [f] adeptus *Wicliffio* addictum ſeſe oſtendit; quod ſemel tantum antehac fecerat, nempe cum *Brackleiæ* in agro *Northampton.* concionem habens, doctrinam ejus de Sacramento Altaris enuntiavit. Is ſacræ Theologiæ Baccalaureus cum eſſet, vitæ umbratili deditus videbatur, neque rebus miſcendis idoneus: verum ad Doctoratum evectus (quod hujus anni æſtate fiebat) in primâ ſuâ Lectione *Wicliffium* doctrinamque ejus collaudare occœpit, quam omnem in *materiâ morali* defenſurum ſeſe profeſſus eſt: verum ſilentium ſibi tantiſper indicturum, dum Deo viſum eſſet Clericorum corda ſuper Sacramento Altaris illuminare; de quo argumento, in Feſto *Corporis Chriſti*, concionandum ipſi apud S. *Frideſwydam* incubuit. His auditis metuebant multum viri quidam Pontificiis partibus addicti, ne dogmata eorum placitis aliena in tuendo *Wicliffio* propalaret; atque propterea ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* efflagitabant, ut capita *Wicliffiana* ab ipſo & ſuffraganeis pridem ejus damnata, *Oxonii* ante diem ſupradictum evulgarentur. Hiſce motus Archiepiſcopus *Cantuarienſis* [g] literas ad mox ante dictum *Stokyſium* miſit (quod hunc utique [h] *Lollardorum* oſorem eſſe ſciret acerrimum) authoritatem deferentes præfata capita eodem die quo prædicaturus erat *Repyngdonus*, publicandi. Dedit & eodem tempore (penult. nempe *Maii*) ad Cancellarium [i] literas, cui præcepit, ut ad proximam Lecturam antedicto *Petro* in Scholâ Theologiæ adeſſet, dum Capitula *Wicliffiana* facultatis Theologiæ Bedellus damnata pronuntiaret. Id autem indigne ferens Cancellarius *Stokyſium* acerbe corripiebat, omnem in eum Academiam excitare conatus, quem elaboraſſe perhibuit, ut Libertates & Privilegia Univerſitatis infirmarentur, in quâ neque Epiſcopus aliquis poteſtatem ullam ſuper hæreſibus exercere deberet. Poſthæc habito Procuratorum & Magiſtrorum ſecularium tum Regentium, tum non Regentium Conventu, palam denuntiavit *Petro* ſe illi opem haudquaquam allaturum, quin ei quoad poſſet obviam iturum, immo viros centum armis inſtructos in promptu habiturum, ipſumq; urbis Prætorem cum totidem armatis advocaturum, qui conciuſionum earum publicationem vel ipſius morte prohiberent. Ubi dies adfuit præſtitutus, Cancellarius Prætor & Procuratores cum magnâ hominum multitudine concioni interfuere, *Philippus* vero ſtatui Eccleſiæ apud plebem quantam potuit invidiam conflabat, & *Wicliffium* in omnibus tuebatur; neque aſſerere fugiebat, quod qui pro Dominis Secularibus Deo non prius ſupplicat, quam pro Epiſcopis; imo ipſo demum Pontifice, contra Sacrarum ſcripturarum juſſa facit.

Finitâ concione S. *Frideſwydæ* Eccleſiam intravit Cancellarius, centum virorum, arma ſub tunicis gerentium, ſatellitio ſtipatus, & prædicatorem *Philippum* præſtolatus; atq; ipſi exeunti gratias egit, *Stokyſio* interim trepidante nec prodire auſo, qui riſu & ſarcaſmis exceptus re infectâ diſceſſit, exultantibus interim præ gaudio qui aderant *Wicliffianis*. His ita peractis, *Stokyſius* rem omnem Archiepiſcopo per [k] literas VI. *Junii* datas aperuit; teſtatus ſeſe à mandatis ejus exequendis metu mortis deſtitiſſe, quam ſibi ſociiſque ſuis expectandam adhuc perhibens ni ipſe authoritatem ſuam interponeret, unde opem ejus obnixe implorabat.

Die Saturni proximo plurima in Scholis diſſeruit *Philippus*, maxime vero in Sodalitii ſui laudem, & ad litem ſpectantia; cui tamen tertio abinde Feſto ſeſe oppoſuit *Stokyſius*, Pontificemque ac Epiſcopos Deo prius commendandos eſſe quam Dominos ſeculares publice defendebat; quamvis illi timorem haud exiguum incuterent viri duodecim, arma tecte ſub veſtibus gerentes, & ſiquid in *Wicliffitas* acerbius diceretur vindicare parati. Eodem die [l] literæ Archiepiſcopales *Petro* traduntur, IX. *Junii* datæ; præcipientes autem ut citra moram præſentem ſe ſiſteret, mandatorum non factorum rationem redditurum. Paruit ille; proximoque die, in quem Feſtum S. *Barnabæ* cadebat, *Londinum* profectus die ſequenti Archiepiſcopum *Lambethæ* agentem adivit; quodque juſſa ejus executioni non demandarat intentatæ mortis periculo aſcripſit. Adfuit eodem die cum Magiſtro *Brithwell*, Cancellarius *Oxonienſis*, quos ante tertium diem audire recuſavit Archiepiſcopus, qui re interim exploratâ Cancellarium dicto

[a] *In lib. vel Regiſt. mag. S.* Frideſwydæ *p.* 21. [b] *In pix. HH. in turri Schol. nu.* 10. [c] *Pat.* 6. Ric. II. *p.* 1. *m.* 1. *& in lib. mag.* 5. Frid. *ut ſupra p.* 21. 22. *& in pix. HH. ut ſup. nu.* 19. [d] Walden *ut ſupra fol.* 67. *a.* [e] *Ibidem.* [f] *Ibid. fol.* 67. *b.* [g] *Ibidem.* [h] Lollardi *iidem hoc ſeculo cum Hæreticis, & ita dicti ſunt à* Gualt. Lolhardo *ſecta propugnatore.* [i] *Ib. in* Wald. [k] *Ibid. fol.* 68. *a.* [l] *Ibid.* 68.

die

die comparentem Hæreſeωn & errorum ſuſpectum habuit, & maxime quidem inter *Repyngdonio, Herefordienſi*, & *Wicliffio* faventes numerandum. Super his vero convicti cum illo ſunt *Gualterus Daſh* & *Johannes Huntman*, Procuratores, ex ſequentibus [a] indiciis.

I. Quod cum controverſia inter Doctores Religioſos & Magiſtrum *Nicolaum Herefordienſem* incideret, de erroribus hæreſibuſque tum ſuis tum *Wicliffianis*, ab ipſo propugnatis; dicti Procuratores (quibus id muneris incubuit) ſilentium ei minimè impoſuere, quin requiſiti id præſtare recuſabant; neque verbis eundum corripere, neque in judicium vocare voluerunt.

II. Quod cum dictus *Nicolaus* Concionem Latinam ad Beatam *Virginem*, in Quadrageſima haberet, interque alia aſſereret, *quod nullus Religioſus de privata religione debet ſumere gradum in Univerſitate ſub pœna Apoſtaſiæ, ſic quod omnis talis Religioſus ſic ſumens eſt Apoſtata*, &c. idque Cancellario Doctores bini in Theologiâ, *Johannes* utique *Wellys*, & *Petrus Stokyſius* denuntiarent, neque ullus eſſet ſubterfugii locus (cum Procuratores qui ibi aderant eadem verba audiviſſent) rem tamen extenuare ſategerat Cancellarius, vel potius aperte probare viſus eſſet.

III. Quod poſtquam *Nicolaum* illum *Wicliffii* ſequacem eſſe ubique innotuerat; idque ex Concionibus & determinationibus ejus, in quibus, ad alia, frequenter aſſerebat, nullum in *Wicliffii* doctrinâ errorem poſſe reperiri: Solennem tamen Sermonem Anglicanum in *Aſcenſionis* die habendi vicem eidem aſſignârat Cancellarius, Doctores graviter increpans qui nominari illum nolebant. Quodque *Philippo Repyngdono*, *Wicliffianiſmi* admodum ſuſpecto, & Doctoratu hauddum ornato, conſimile in die *Corporis Chriſti* munus delegarat, reprobatis Doctoribus qui ad illud præſtandum ſeſe ultro offerrent.

IV. Quod licet profeſſus palam in Scholis fuiſſet prædictus *Philippus* ſe moralia quæcunque *Wicliffii* dogmata in die *Corporis Chriſti* proximo (quo nempe apud Crucem *Frideſwydenſem* concionaturus erat) propugnaturum; & præterea mandarat Archiepiſcopus ut abominanda *Wicliffianæ* doctrinæ capitula ante dictum diem cum Anathemate appoſito evulgarentur, *Petro Stokyſio* juſſorum Archiepiſcopalium executori tam non præſidio fuiſſet, ut eundem ab officio præſtando deterruerit.

V. Quod cum in præfata concione *Philippus* ille, præter alia pro Dominis ſecularibus ante eſſe orandum perhibuerat quam pro Eccleſiaſticis; eundem Cancellarius non modo verbis minime caſtigarat, verum colloquio blandoque riſu ornarat.

VI. Quod cum *Gulielmus Jameſius*, Regens in Artibus, & Cancellarii familiaris, *Wicliffii* de Euchariſtiâ ſententiam in Domo Congregationis confirmare laboraret; eundem haudquaquam coarguerat Cancellarius, verum his potius verbis animârat, *jam loqueris ut Philoſophus.*

VII. Quod Cancellarius, & Procuratores, necnon Regentium in Artibus pars maxima, cum Doctoribus contra *Herefordienſem* & *Repyngdonum* determinantibus amicitiam minime colerent; cujus rei non alia aſſignanda eſſet cauſa, quam quod diverſarum plane opinionum ſequaces eſſent, &c.

His itaque ex indiciis pro *Wicliffianiſmi* merito ſuſpectis habebantur antedicti; de Cancellario autem & *Brythwello*, cujus ſupra meminimus, in octavis *Corporis Chriſti*, inſtituitur coram Archiepiſcopo, examen; ibidem illis *Wicliffii* Articulos jure optimo damnatos fatentibus, & Cancellario de Archiepiſcopi mandatis deſpicatui habitis in genua prolapſo, veniamque flagitante (quam inſtante Epiſcopo *Wintonenſi* impetravit) eidem (cui *Roberto Ryggio* nomen erat) ſtricte [b] injunxit Archiepiſcopus, ne ad *Lollardos* inclinaret, neve Hæreſes ullas aut errores vel clam vel in Concionibus proſeminari, aut in Scholis alibive in Academia prælegi diſceptarive pateretur: denique nec *Wicliffium*, *Herefordienſem*, *Repyngdonum*, *Johannem Aſtonum*, aut *Laurentium Bedemannum* concionari publice permitteret, quin eoſdem ab Actibus quibuſque Scholaſticis tamdiu ſuſpenderet, uſque dum Hæreſeos ſeſe coram Archiepiſcopo purgarent; ſub pœnâ, &c.

Eodem porro tempore, inque Hoſpitio Fratrum Prædicatorum *Londinenſi*, Cancellario in mandatis [c] dedit, ut damnatas *Wicliffii* concluſiones, apud Beatam *Virginem Oxon.* tam anglice quam latine propalaret, atque idem in Scholis faciendum curaret; utque in Aulis omnibus & Hoſpitiis exploraret, quinam eaſdem amplecterentur aut promoverent, deprehenſos autem ad Retractationem, interpoſito juramento, impelleret. Reſponſante vero Cancellario, quod ſi hæc præſtaret apertiſſimum mortis diſcrimen adiret; repoſuit Archiepiſcopus Univerſitatem Hæreſium eſſe fautricem, ſi quo minus publicæ fierent veritates Catholicæ impediret. Poſtridie vero ſanctioris Concilii [d] edicta, de quibuſvis Regiæ Majeſtatis præceptis executioni demandandis, inſtructus & munitus eſt; *Oxoniam*que Dominicâ ſequenti reverſus, juſſa Archiepiſcopalia promulgavit; unde in Religioſos (quos Academiam peſſundaturos deprædicabant) tantopere exarſerunt ſeculares, ut mortis metus haud paucos invaſerit.

Poſthæc autem Cancellarius, ſuſque deque habitis præceptis Archiepiſcopalibus, *Henricum Crompe*, Theologiæ Doctorem, ab Actibus Scholaſticis publice in Divæ *Mariæ* Eccleſiâ ſuſpendebat; turbatæ ſcilicet pacis inſimulatum, quod Hæreticorum ſtigmate *Lollardos* notaverat. Quamobrem *Londinum* petens dictus *Henricus* coram Regni Cancellario, Archiepiſcopo, & Regio Concilio querelas effudit; atque *Londinum* accedentes, [e] Brevi Regio citati, Cancellarius & Procuratores verbis graviſſime caſtigantur; & mandata [f] quædam accipiunt, XIII. *Julii* data, inq; Literarum Patentium formam redacta; quorum virtute adhibitis Regentibus in Theologiâ, jubentur ut diligentem per totam Uniuerſitatem Inquiſitionem inſtituerent, deſpicerentque ex omnium Facultatum Graduatis quinam Hæreſeωn ac errorum, maxime autem concluſionum, à *Gulielmo* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* nuper damnatarum, vel conſimilium quarumcunque ſuſpecti eſſent. Hæreticæ vero pravitatis tum Fautores, tum Defenſores, necnon ſiqui *Wicliffium*, *Herefordienſem*, *Repyngdonum*, *Aſtonum*, alioſve errorum ejuſmodi ſuſpicione laborantes hoſpitio exciperent, eoſdem intra ſeptem dies Univerſitate exturbarent, neque in eandem redire paterentur uſquedum dictam à ſe ſuſpicionem coram Archiepiſcopo amoverint. Jubentur ad hæc Aulas omnes Hoſpitiaque ſcrutari, & quos *Wicliffii* aut *Herefordienſis* libros reperirent, infra menſem ad Archiepiſcopum, nullo expuncto aut immutato vocabulo, integros tranſmittere.

[a] *Ibid. fol.* 69. *a. b.* [b] *Ibid. fol.* 70. *a. & in Regiſt.* Courtney *fol.* 26. &c. [c] *Ibid. in* Wald. *fol.* 70. *b. & Reg.* Court. *fol.* 25. 26. *ut ſupra.* [d] *Ibid. in* Walden. [e] *Ibid.* [f] *Ibid. & in pix. HH. ut ſupra nn* 16.

Quo vero hæc tutius faciliusque exequerentur, dantur eodem tempore ad Vicecomitem ac Prætorem literæ, ut antedictis, quoties id exigere visum esset, auxilium præstarent. Die proximo emanavit [a] Breve alterum, cujus summa hæc erat; quod quoniam *Henricum Cromp*, Monachum, in Theologiâ Regentem (qui cum aliis operam Archiepiscopo accommodarat in damnandis *Wicliffii* conclusionibus) de verbis quibusdam in novissimâ suâ Lecturâ prolatis pacem Universitatis infregisse Cancellario falsò fuisset nuntiatum eâ etiam de re à Cancellario citatum comparere nolentem, unde contumaciæ reum, & pro pacis perturbatæ convicto habuit prædictus Cancellarius; dictus propterea *Henricus* immerito mulctatus in pristinum statum restitueretur; eique Actus quosvis Scholasticos præstandi, & Lecturas habendi potestas denuo fieret; nemo autem deinceps vel *Henrico* illi, vel *Petro Stokysio*, vel *Stephano Patyngton*, Carmelitici Ordinis Fratri, vel denique Religioso cuivis aut Seculari, Magistrorum supra memoratorum dogmata dicto factove impugnantibus negotium faceesseret.

Quinto abhinc die *Oxoniam* rediit Cancellarius, & *Repyngdonum* ac *Herefordiensem* de Suspensionibus suis certiores continuo fecit; qui *Londinum* extemplo devolantes, Ducemque *Lancastrensem* apud **Totenhale**, Urbi vicinam, commorantem adeuntes, rem ei integram aperiebant, palam fieri è dictarum Conclusionum damnatione perhibentes, quod Jurisdictionem secularem convellere decreverant Ecclesiastici. Die postero ad *Lancastrensem* quoque venere varii in Theologiâ Doctores, obsecrantes utique ut sibi in reprimendis Hæreticis adesse vellet; atque interea temporis intrabant præfati *Nicolaus* & *Philippus*, quos causam suam perorantes, sententiamque de Sacramento Altaris exponentes, doctrinæ Diabolicæ sectatores nuncupavit, & immortali deinceps odio prosecutus est.

Mox autem ipse disputationem suscepit, eosque ita acriter perstrinxit ut silere coegerit, factum sibi ab illis fucum deprehendens postquam recitatas *Wicliffii* conclusiones perceperat. Quare dictos *Nicolaum* & *Philippum* ad Archiepiscopum *Cantuariensem* remisit, ut ejus judicio staretur præcipiens; is autem diem abinde sextum assignavit quo in Conventu Prædicatorum *Londinensi* de iisdem quæstio haberetur. Præstituto die præsentes se sistebant, atque XII. Cal. *Julii* ex voto comperendinati, tum deniq; ad singula dictarum Conclusionum Capita sententiam [b] suam attulere; quas quidem Conclusiones damnatas fuisse constat præsentibus assensumque præbentibus Episcopis x. Doctoribus in Theologiâ xxx. in Legibus vero XIII. cum Theologiæ Baccalaureis XIII. Juris autem Canonici & Civilis minimum quatuor. Cæterum antedictæ Confessionis initium ejusmodi erat.

Protestamur ut alias publicè in his scriptis, quod intendimus esse humiles & fideles filii Ecclesiæ, &c.

Ad conclusionum vero *Wicliffianarum* primam sub hac forma dabatur responsio;

Quod substantia panis materialis & vini manet in Sacramento Altaris post consecrationem, ad sensum contrarium illi decretali firmiter credimus, concedimus quod est hæresis.

Dehinc vero ab Archiepiscopo flagitabant, ut hanc sententiæ suæ expositionem acceptaret; quod scilicet propositiones quibus jam ultro renuntiabant, neque pro suis agnoscerent, neque in Scholis unquam aut Ecclesiis proseminarant. Atqui id facere renuit Archiepiscopus, causatus solere Hæreticos dubiis haud raro verbis sensum suum celare; ac propterea integrum examen in certam formam redigentes viri quidam Ecclesiastici, prædictos *Nicolaum* & *Philippum* rogabant quid de quovis articulo sentirent, quod ita præstitum est, ut adstantium omnium animos sibi magis adhuc alienarint. Posthæc autem in octavum inde diem ulterior cognitio prorogatur, quo tempore de Magistro *Johanne Astono* habita est quæstio, qui quod ad dictas conclusiones respondere recusaret Judici seculari damnatus traditur. Is vero ut culpam à se omnem amoliretur, plebemque in Clerum & Archiepiscopum excitaret Confessionis cujusdam anglice ac latine conscriptæ exemplaria perplura in Plateis vicisque *Londinensibus* spargenda curavit; quorum hoc erat initium.

Ego Johannes Astone *presbyter indignus, requisitus à D. Archiepiscopo* Cantuariensi *xix Julii ann. CIↃCCCLXXXII. in domo Fratrum Prædicatorum* London, *quid sentivi in materia de Sacramento Altaris, Confessus sum & adhuc Confiteor*, &c.

Porro sub id evulgatæ sunt in Ecclesiis Parochialibus *Londini* damnati *Ashtoni* vel *Astoni* rationes (quod nempe vulgus hominum aspere minus habitum suspicarentur) quâ re cognitâ, ad Archiepiscopum Confessionem veram [d] scripsit *Ashtonus*; cujus initium est.

Reverendissime Pater & Domine, nuper per vos fungentes officio inquisitoris hæreticæ &c.

Demum (habitis de eo Conventibus haud paucis) literis [e] Archiepiscopalibus, XXVII. *Nov.* datis, is Actibus Scholasticis, sub nomine *Johannis Ayshtoni* in Theologiâ Scholaris, restituitur; de quo nil deinceps emanavit quod Hæresin attingeret. Quod ad *Laurentium Stephynum*, alias *Bedemanum* seu *Bedemannum*, è Collegio *Exoniensi*, spectat (quem Hæreticas quoque doctrinas degustasse proditum est) palinodiam cecinit, & libertate donatur; quod & de *Thomâ Hilmanno* seu *Hulmanno*, Theologiæ Baccalaureo, atque vel pridem vel hoc ipso tempore *Mertonensi*, memoratur, qui *Wicliffium* quoque haud modice suspexit. Præter hos, ipse etiam *Repyngdonus*, spe metuve ductus, cum Archiepiscopo in gratiam rediit, cujus ex literis XXIII. *Octobr.* datis, Actus Scholasticos repetiit. *Herefordiensem* vero quod attinet (cujus delatio originem duxit à quadam concione ad Crucem *Frideswydensem* habitâ, in qua multa fuerant erroris suspecta dogmata, quorum primum sic [f] auspicatur, *Quod sicut Christus sedens ad dextram Patris in Cœlis potentius*, &c.) animo is præfractiori erat, neque cum reliquis de sententia decessit; tandem vero succubuit, & *Coventriam* profectus habitum Carthusianum [g] induit, ibique in Cœnobio S. *Annæ* Vitam transegit, usque ad mortem nemini molestiam aliquam facessens.

Haud ita multo post, mense nimirum *Novembri* in Monasterio *Frideswydensi* [h] celebratur ditionis *Cantuariensis* Clericorum Convocatio; de rebus utique Ecclesiam attingentibus deliberatura: cumque Archiepiscopus, ministrantibus Episcopis, missarum solennia peregisset, & *Robertus Rygge* Cancellarius concionem in hunc Textum habuisset, *Congregati sunt in valle benedictionis*, ad domum Capitularem recessum est; ubi Prælati postquam de tributo (postu-

[a] *Ibid. in* Wald. *fol.* 71. *a. & in Rot. Claus.* 6. Ric. II. *p.* 1. *m.* 23. [b] *Ibid. in* Wald. *fol.* 72. *a. & b.* [c] *Ibid.* 73. *b.* [d] *Ibid.* 74. *a. & b.* [e] *Reg.* Courtney *ut sup.* [f] *In Histor. aurea MS. in bib.* Bod. *ad finem libri* 22. [g] *Ut in quodam MS. in bib.* Bod. *p.* 30. *ut supra sub an.* 1377. [h] *Reg.* Courtney *ut supra fol.* 33.

lante

lante Regio nomine *Hugone Segrave* milite) consilia miscuissent, ad inquisitionem de hæreticâ pravitate descendebant, & *Johannem Aysshtonum* accurate examinatum, Scholasticis, ut mox ante dictum, Actibus reddebant. *Philippum* quoque *Repyngdonum* damnatas *Wicliffii* Conclusiones de novo ejurare (fortean ex recidivæ suspicione) coegerunt. *Deinde Henricum Crompe* & *Petrum Stokys*, Theologiæ Doctores, Hæreseos in Scholis prolatæ insimulavit Cancellarius; qui tamen, id causâ tantum disputationis factum profitentes, Universitati reconciliantur. Cæterum *Henricum Crompe* literæ Regis protectoriæ haud parum animârant, hoc anno datæ, utque eidem nemo per integrum biennium Studenti, Legenti, aut exercitia Ecclesiastica præstanti molestiam ullam exhiberet præcipientes; quas Brevi [a] Regio, XXVII. *Junii* ad Majorem & Ballivos transmisso, corroboratas fuisse constat, quo scilicet mandatum est, ut curarent, nequis ipsum equosve aut bona ipsius comprehenderet. In Convocatione autem illâ transigebantur & alia quædam, quæ cum præter instituti nostri rationem sint, tacitus prætermitto; referendum tamen arbitror, quod Conclusionibus *Wicliffianis Londini* damnatis, Academici omnes graduati interposito juramento [b] renuntiarunt; velut è statuto per hæc tempora facto manifestum fit.

CIↃCCCLXXXIV.

Nonnullis præteriti anni gestis silentio pressis, temperare mihi non possum quin de *Wicliffii* obitu pauca ediderem, licet ea ad Historiam hanc nostram haud adeo videantur pertinere. Is autem hoc anno trigesimoque primo *Dec.* die (in quem incidit S. *Sylvestri* Festum) apud *Luttterwortham* in agro *Leicestrensi* mortem oppetiit; postquam Paralysi biennio [c] laborarat. In die *Innocentium* proxime prægressâ, dum Missarum celebrationi interesset, circa vero sacramenti altaris elevationem, morbi illius paroxysmo, maxime autem in Linguâ, correptus, ne verbum deinde protulit. Aliquot post mortem annis per *Thomam Arundellium*, Archiep. *Cantuariensem* anathemate [d] percussus est; cumque annis XL. in tumulo jacuisset, jussu *Richardi Flemmyng* Episcop. *Lincolniensis* effossa sunt ejus ossa, quæ in cineres redacta in fluvium *Lutterwortham* præterlabentem projiciuntur. Cæterum viri eruditionem ac merita quod attinet, haud vulgaria fuisse vel hostium acerbissimi testabuntur, maxime autem Frater *Wydefordus* qui in [e] Responsionibus suis ad *Wicliffium* & *Lollardos*, & in quæstione XLIV. quæ de perfectione in mendicando pro se & aliis suis Fratribus instituitur, sic se habet. --- *Insuper B.* Paulus *ivit ad Scholas & factus est magnus Clericus, similiter Mr* Johan. Wyclyf *fuit: vel igitur iste* Johannes *fecit propter maximam perfectionem, vel propter minimam, vel propter mediam: si fecit primo modo propter maximam perfectionem, tunc ipse non dilexit seipsum maxime post Christum, nec sequebatur perfectionem quam petivit. Si propter mediam perfectionem, tunc omnes qui sunt in bona media perfectione sic deberent facere, & tunc fere omnes tam Laici quam Clerici deberent esse Magistri in Theologia, magni Clerici & Philosophi sicut iste fuit*, &c.

Ampliſſimum hoc sane Testimonium de *Wicliffii* eruditione; (quem ego unum, in subtilitate sophistica & Scholastica Theologia, cæteros omnes seculi sui sophistas & Scholasticos longe superasse censeo); quam plenius tamen ex libris ejus qui supersunt, viz. *Trialogo* & aliis, paucis intelligere erit, in quibus (si erroribus ex nimia subtilitate exortis parcamus) magnũ tum Philosophum, tum Theologum ubiq; agit. *Wydefordo* addendum fratris *Waldensis* [f] testimonium, qui *Wicliffium* non modo in epistola quadam ad *Martinum V.* Pontif. maximum datâ collaudat, verum & alibi eruditionem ejus apud exteros, ac in generalibus Studiis *Lutetiæ* & *Bononiæ* perinde atque *Oxonii*, celebratam probatamque refert.

Cæterum licet eruditio ejus ab inimicis perinde ac amicis laudabatur, à multis tamen, maxime post mortem, oppugnata fuit. Quod argumentum vero illud, his temporibus multum tractatum attinet, viz. quid sit dari universale à parte rei, *Wicliffius* & *Burleius* [g] sensu conveniunt; discrepant tamen verbo tenus; *Burleius* enim dicit quod tale universale est in quolibet suo singulari, non tamen est quodlibet suum singulare: *Wicliffius* autem quod est in quolibet suo singulari, & est quodlibet suum singulare; tamẽ non eadem ratione quodlibet suum singulare qua est tale Universale; quoniam ratione communitatis universale & ratione incommunitatis singulare est, & eandem sententiam habet *Burleius*, non tamen quoad voces ipsas; iste enim dicit, quod universale non est suum singulare; hoc est, ratione qua est universale non est singulare, ideo sententia *Wickliffiana* conceditur quamvis non quoad verba.

Qui divinum numen ejusque providentiam privatis suis odiis semper famulari volunt, *Wicliffii* mortem cœlitus immissam contendunt: iidem insuper [h] aiunt *Johannem* de *Gaunt Lancastriæ* Ducem, eo quod partes istas patrocinio foveret, pudendis suis miserum in modum ulceribus exesis occubuisse, adduntque scortis deditum luem veneream exinde contraxisse. Hæc sive vera fuerint, sive ad invidiam conficta, litem non movebo. Certe plerique scriptores morbum illum longo deinceps tempore orbi primum innotuisse referunt. Et *Henrici* demum VIII. seculo, pro exitiabili adeo peste habebatur, ut jurati hostes Cardinalis *Wolsæi*, læsæ Majestatis reum prætendebant, quod eo morbo implicitus, regem propius accedere auderet. Quin occurrit [i] ea fere tempestate quidam Coll. *Mertonensis*, ex societate illa ejectus, quod morbo illo infami laboraret.

Hoc anno *Oxoniam* advenit Archiepiscopus *Cantuariensis*, dieq; XIIIo *Novembris* Cœnobium *Osneiense*, XIVo Prioratum *Fridesswydensem* & Collegium *Cantuariense*, XVo Collegium *Mertonense*, visitavit. Nempe ut totidem Collegia quorum visitatio speciatim spectat ad Archiep. *Cantuariensem* tanquam ut loquuntur *Visitatorem Localem*. Quod ansam credo fecit prætextui quem habet Juristarum [k] allegatio (ad an. CIↃCCCXCVI. mox recitanda) quod visitaverat, hic Archiepiscopus ipsam Universitatem, *tam in capite quam in membris*. Verum in hujus Archiepiscopi rerum harum [l] Regiſtro nil tale comparet.

[a] *In quodam fascic. Brevium in chartophyl.* Civ. Oxon. [b] Tho. Gascoigne *in 2. parte Dict. Theol. MS. p. 92.* [c] *Ut in nota* Tho. Gascoigne *in quâdam pagina ante Historiam* Ivonis Carnotensis *MS. in bib.* Cotton. [d] Leland. *in tom. 4. p. 273.* Bal. *cent. 6. nu. 1.* [e] *MS.* [f] *In doctrina Antiquitatum Ecclesiæ Tom. 2. lib. 5. doctr. 6.* [g] *Sic in quadam nota ad finem* Gualt. Burley *super literalem sententiam* Porphyrii *MS.* [h] Tho. Gascoigne *in 2. part. Dict. p. 47.* [i] *In Reg. Coll.* Merton. *fol. 204. sub an. 1511.* [k] *Vide infra pag. 198. col. 1.* [l] Reg. Courtney *part. 1. fol. 143.* &c.

Sub hæc inter Medicos & Juriſtas graviſſima exarſit de dignitate contentio, quæ cum eo demum proruperat, ut notam ipſi Academiæ inureret, in vigiliâ *Purificationis* in plena convocatione Regentium & non Regentium [a] terminata eſt; conſtituto, ut in Convocationibus & Congregationibus Medicinæ Doctores Cancellario ad Dextram, Juriſtæ vero ad Siniſtram adſiderent; quos ſententia illa tantopere ſtimulabat, ut litem in Curiam *Romanam* deportarent, quo intellecto Rex cauſarum in fraudem Univerſitatis alio delatarum deciſionem irritam [b] pronunciavit; edixitq; Juriſtis ne Regno excederent, aut aliquam pecuniæ ſummam in eam rem tranſmitterent, vel demum Cancellarium aut Procuratores in Munerum ſuorum executione impedirent. Qualem hæc diſſidia exitum invenerint parum conſtat, quamvis hoc anno permulta ad Juriſtas ſpectantia occurrunt; ſpeciatim Literæ [c] patentes negotia ſua vel in Univerſitate, vel alibi in Curiâ aliquâ Regiâ ſollicitandi copiam iiſdem facientes (modo ne id in Cancellarii detrimentum fieret) tametſi contra illicita eorum conciliabula edictum prodiiſſet. In Privilegiorum tamen Academicorum præjudicium litem aliter dijudicandam procurantes, à Rege correpti [d] comparent; & Statuto [e] ab Univerſitate ſancito prohibiti quo minus furtiva inirent fœdera, aut in vetitis conventiculis conſilia ſociarent.

CIↃCCCLXXXV.

Vixdum ſopitæ erant antedictæ concertationes, cum veteres Academicorum *Borealium* cum *Auſtralibus* integrantur inimicitiæ, quas malemeriti quidam, & turbarum in Univerſitate movendarum ſtudioſi, renovaſſe perhibentur. Hi *Scotos* eſſe præ ſe ferebant, poſt autem mentitæ nationis deprehenſi ſunt, qui *Boreales Auſtralibus* numero & viribus impares habitos, ad pugnas adhortabantur. His autem Regi ſignificatis, literæ [f] ad M^rum *Robertum Rugge* Cancellarium dabantur de Conventibus illicitis, & libellis famoſis reprimendis; edicto ut in eos animadverteret, *qui nationalem diſcordiam inter* Auſtrales & Boreales *ponerent, vocantes quoſdam Scholares opinionis illæſæ, & virtutum meritis decoratos*, Scotos. Unde coercita quidem in præſens eſt aliquorum audacia, diſcordiæ tamen è medio minime tolluntur; quin eo brevi prorupere, ut pacem Academicam mirum in modum conturbarint.

Inter hæc graviſſima emerſit Sociorum *Orielenſium* de Præpoſiti electione, diſſenſio; aliis *Joh. Midletonum*, S.T. Doctorem, aliis vero *Joh. Kyrtonum* Artium Mag. exoptantibus. Id diſſidii in plures hebdomadas duravit, eaſque Collegio turbas dedit, ut plurimorum inde ſociorum diſperſio evenerit; quâ re ad Regem perlatâ, lis omnis ad Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, Epiſcopum *Wintonienſem*, Cancellarium Univerſitatis Magiſtrum *Rugge* ſeu *Rygge*, & Magiſtrum *Joh. Bloxhamum* Collegii *Mertonenſis* Cuſtodem, vel ad binos eorum quoſvis remiſſa [g] eſt. Qui propterea ſequenti anno Doctori *Middleton* munus illud confirmantes, ſocios in mutuam redire gratiam compulere. Poſt aliquot inde annos conſimilis inter Mag. *Johan. Poſſellum* & Magiſtrum *Johannem Paxtonum* contentio [h] accidit, quorum altero appellante, res delegatis authoritate Archiep. *Cantuarienſis* demandata eſt, & *Poſſello* adjudicatur Præpoſitura.

CIↃCCCLXXXVII.

Secundo abhinc anno de gravaminibus quibuſdam apud Regem conqueruntur Academici Religioſi; quorum præcipuum erat, quod tametſi exercitia ad Baccalaureatum vel Doctoratum in Theologiâ requiſita præſtitiſſent, Gradu tamen per Seculares prohiberentur, niſi & in Artibus alicubi rexiſſent (quod ſtatuti cujuſdam dudum quidem procuſi, nuper autem in uſum revocati, vigore fiebat) pro quo defectu cum aliis frequenter, ſecum vero haudquaquam diſpenſatum eſſet. Rex itaque ad Cancellarium & Procuratores [i] reſcripſit, ut ſtatuti illius mentem ſibi plenius aperirent, quo utique intelligeret, utrum deditâ operâ in Religioſorum diſpendium conditum videretur; quibuſcum, ut candide in poſterum agerent, nec à Gradibus repellerent, mandavit.

Hæc ea ſunt quæq; prætermittenda non duxi quæ ſuper hac re occurrunt, quod de ſtatuto quodã mentionem invenerim Theol. Doctoratum in altiorem locum provehente quam quo prius fruebatur. Notandum quippe eſt, quod priuſquam ſtatutum illud promulgatum eſſet, qui Theol. nomen dederant in eâ unice occupati, vix Artes aut ſcientias attingebant; unde factum eſt ut ſacræ paginæ Profeſſ. Doctores, vel Magiſtri, Artiſtis inferiores haberentur; nimirum quod (ut ſupra oſtenſum eſt) in Artibus fundata dicatur Academia. Quapropter cum illiteratus quiſque ad Doctoratum in Theologiâ, atque inde ad ſummos in Eccleſiâ honores (quorum incapax erat qui operam omnem in Artibus poſuerat) emergeret, pro eo ſtudio quo ſacram amplectebatur facultatem Univerſitas Legem illam ſancivit; de quâ ſic verba facit [k] *Adamus* de *Mariſco*---*Inſuper ſtatuentes* (viz. Magiſtri & Baccalaurei in Artibus) *vice & loco Cancellarii & Univerſitatis, quod in poſterum nullus incipiat in Theologia niſi prius in liberalibus ſcientiis actus ſuos compleverit, & unum librum Canonis aut ſententias legerit, & publice in Univerſitate prædicaverit: Et ſi quis pro aliquo qui hunc defectum patitur, preces Magnatum auctoritate armatus impetraverit, penitus Univerſitatis privetur privilegio*, &c. Hæc autem Conſtitutio facta primo circa annum CIↃCCLI. cumque in deſuetudinem quodammodo abierat, ſub hæc denuo revocata eſt, quemadmodum in [l] libris noſtris memoriæ haud raro proditum.

CIↃCCCLXXXIIX.

Sub hujus anni initium, tempore nimirum Quadrageſimali factum eſt (uti ſcriptor [m] quidam retulit) *Oxoniæ* arte negromanticâ caput argillaceum, quod ſtatis temporibus hæc proferre verba ſolitum eſt;

Caput decidetur.

Caput elevabitur.

Pedes elevabuntur ſuper caput.

Quiſnam vero Capitis illius fabricator fuerit ignoratur; neque ego dixerim qualem res ipſa fidem promeretur. De talibus operibus vide Hiſtoriam noſtram ſub an. CIↃCCXCII.

Tertio Calend. *Maii* ſequenti [n] oborta eſt inter *Auſtrales* (quorum partes ſequebantur *Walli*) & *Bo-*

[a] *A.* 104. *b. B.* 44. *a.* C. 8. *a.* [b] *Clauſ.* 8. Ric. II. *m.* 23. [c] *Pat.* 8. Ric. II. *p.* 2. *m.* 35. [d] *Cl.* 8. Ric. II. *m.* 18. [e] *In* C. *fol.* 26. *b.* [f] *Pat.* 9. Ric. II. *p.* 1. *m.* 8. [g] *Pat.* 9. Ric. II. *p.* 2. *m.* 4. [h] *Ut in Regiſt.* Arundell *fol.* 107. [i] *Cl.* 11. Ric. II. *m.* 15. [k] *In epiſtolis ſuis MS. in quadam ſc. ep. ad* Willielmum *Miniſtrum* Angliæ. [l] *In A. fol.* 109. *a. B.* 46. *b.* 47. *a.* C. 3. *b. D.* 6. *a.* [m] Hen. Knighton *ſub hoc anno & alii.* [n] *Ibidem.*

reales

reales graviſſima concertatio; quæ ſane eouſque exarſit, ut, multis utrinque trucidatis, Academicorum plerique ad populares ſuos remearint. Poſt quartum quintumve diem tum conflictus tum ſimultatum continuatio ad Regem percrebuit, qui propterea Cancellario Magiſtro *Rob. Rygge* [a] mandavit, ut contra Rixas, Conventus illicitos, armorumque geſtationem proclamari faceret; quin ejuſdem partium ſtudium & in provinciâ adminiſtranda improbitatem coarguens, ut præſentem ſe ſiſteret, & coram ſanctiori ſuo Concilio motuum damnorumque eorum rationem redderet, edixit. Comparuit quidem ille poſtridie Feſti SS. *Trinitatis*, verum cum de tumultibus quibus ſeſe immiſcuerat ſatis non faceret, Magiſtratu motus eſt; in cujus locum Magiſter *Thomas* (nequaquam vero *Nicolaus*, ut quidam [b] habet) *Bryghtwellus*, per venerabilem Convocationis Domum ſubrogatur. Porro præcavendis ejuſmodi diſſidiis [c] ſtatutum eſt, ut in Artibus incœpturi hoc prius juramento adſtringerentur;

Magiſter tu jurabis ſpecialiter, quod inter Auſtrales *&* Boreales *non impedies pacem, concordiam & amorem, neque ſi qua diſſenſio inter illos tanquam inter nationes diverſas, quæ in veritate diverſæ non ſunt, exorta fuerit, illam non fovebis penitus vel accendes, nec conventiculis intereſſe debes, nec eiſdem expreſſè vel tacitè conſentire, ſed ea potius modis quibus poteris impedire.*

Poſt paulo complures dictarum turbarum nomine exulantes revocantur, maxime autem Frater Auguſtinenſis quidam [d] *Johannes Wyche* nuncupatus, qui propter Cancellarii famam verbis quibuſdam, *Wallorum* ſuaſu, in concione impetitam pulſus Academiâ fuerat.

CIↃCCCLXXXIX.

Reſtincta jam erat ſeditionis flamma; verum proximâ quadrageſimâ, vel, ut aliunde liquet, in quartâ ejus hebdomadâ (nempe hoc anno ineunte) ex ſcintillis reſiduis ſæviſſimum de integro incendium e prorupit. Siquidem quietis impatientes *Walli*, advocatis ſibi *Auſtralibus*, *Aquilonares* adorti ſunt; unde nonnullis ex utraque parte deſideratis, utrinque convenit, ut in Campis *Oxonio* contiguis (*Bellomontenſibus* ni fallor) res juſto prælio, dieque certo, decerneretur; verum ſuperveniente *Thomâ* de *Woodſtochiâ Gloceſtriæ* Duce, pacantur diſſidia, & *Walli* quamplurimi Univerſitate exturbantur; qui cum Portis egrederentur à *Borealibus* comprehenſi eaſdem contumeliæ cauſa exoſculari coguntur. Cæterum cum hæc apud [f] Inquiſitionem per Juratos poſt finitas concertationes captam plenius habeantur; eandem ego percurrere, & præcipua ejus capita in hunc locum deſcribere nequaquam gravabor.

Anno *Richardi II.* XII° (qui ſcilicet, in domini CIↃCCCLXXXIX. incurrit) in die Jovis quartâq; Quadrageſimæ hebdomadâ, *Thomas Speek* Capellanus, & *Johannes Kyrkby* cum ingenti conſceleratorum turbâ Duces ſibi delegerunt, contraque pacem Domini Regis inſurgentes, *Wallos* omnes *Oxonii* ſtudentes aut diverſantes explorabant; miſſis autem quacunque diſcurrebant ſagittis, minas in hæc verba addebant.

War, war, war, fle, fle, fle the Walſhe Doggys, and her Whelpys, and ho ſoe loketh out of his howſe, he ſhall in goode ſoothe be deade;

Hoc eſt;

Bellum, bellum, bellum, interficite interficite, interficite Canes Wallos *cum catulis eorum. Quicunq; ex domo ſua proſpexerit revera mortuus erit.*

Hinc autem *Wallorum* alios mactarunt, alios vero qui flexis genibus Urbem ſeſe ejuraturos ſpoſponderunt ad Portas deduxere, quas imprimis lotio mingentes perfudiſſent, deinceps deoſculari ccegerunt; neque id ſatis habentes, incurvata ad oſculum capita poſtibus miſerum adeo in modum alliſere, ut multis ſanguinem, pleriſque autem lachrymas excuſſerint. His ita ejectis, ad Aulas convolabant *Wallos* reliquos conquiſituri; illamque cui Aula *Profunda*, vulgo **Deep Hall** nomen erat, quæque haud longe ab Aulâ magnâ *Univerſitatis* ſtabat, accedentes, eandem vi expugnabant, [g] Bona *Johannis Hoby*, & *Gulielmi Wetehulli* ad valorem XXXVIII. ſolidorum expilantes. Deinde Cameram *Thomæ Frenſhe* in eâdem Aulâ poſitam diripiebant, atqne gladios binos cum Arcubus & ſagittis, libriſque & [h] veſtibus ad valorem LX. ſolidorum deportabant; alteram in eâdem Aulâ Cameram pari improbitate ſpoliantes. Poſthæc Aditum ſeu Introitum quendam in viciniâ, *Nevylli* Introitum, vulgo **Nevylles Entry** vocatum properabant, ejuſque loci Oſtia & Feneſtras, necnon libros Grammaticos, ac veſtimenta linea laneaque, ad *Gulielmum Daunaium* Principalem, *Johannem Hallynum* alioſq; Scholares pertinentia, LX. autem ſolidis æſtimata, abſtulere. Mox inde ad Aulam S. *Agathæ* profecti eandem perrupere, veſteſque ac Libros Grammaticos, cum Gladiis, Arcubus & Cytharis ad *Gulielmum Guttonum*, *Johannem Mullum*, *Johannem Glovium*, alioſque Scholares ſpectantibus, ad valorem XL. ſolidorum diripiebant.

Dominica ſequenti, præfatus *Speekius* cum conjuratis prædictis aliiſque ignotis ad Aulam *Perrianam*, vulgo **Perrye Hall** nuncupatam, devolarunt, atque inde Bona Principalis, *Matthei Alow* & *Richardi Olyveri* (nempe Gladios, Veſtes, Baſtardum ſive ſecurim militarem unam, Arcum & ſagittas) XL. ſolidos valore æquantia deportabant. Hinc Aulas Introituſque alios perfregerunt, ſpeciatim Aulas *San-Mildridenſem* & *Hamptonenſem*, Introitumque *Barſtaplienſem*, cujus Scholaribus Bona L. ſolidos æſtimata detraxere. In ea ſeditione à maleficis interfecti ſunt *Edoardus Suttonus*, *Galfredus Hawelamius* è *Walliâ*, *Thomas Ripponus* & *Joh. Bowemannus*. Eodem vero die conſcelerati dictarum Aularum ad Plateam *Altam* prope Beatam *Virginem* Poſtes, Oſtia, ac Menſas, atque Laicorum Ligna ac Materiam ædificiis deſtinatam auferebant; Hoſpitioque *Cherltoniano*, vulgo **Cherltons Inn** appellato (hoc in Anguli *Omnium Animarum* zephyro-Auſtralis area poſitum erat) abſcedentes, inque vico *Penchrichiano*, vulgo **Pencrich Lane** (is vero à media vici *Logici* parte ad Murum Urbis Orientalem ducebat) convenientes, noctem genio lætitiæque dicabant.

Hæc Inquiſitionis illius ſumma eſt; è qua conjicere licet Tumultus hoſce die illa ortum habuiſſe, quæ *Wallorum* diſceſſui aſſignata fuerat. Cæterum aliquanto poſt *Robertus Cherltonus* cum aliis Juſtitiariis *Oxoniam* juſſu Regio adveniens, Felonias aliaque

[a] *Clauſ.* 11. Ric. II. *m.* 5. [b] Knyghton *ut ſupra.* [c] *A.* 8. *b.* 62. *b. B.* 75. *b. C.* 55. *a. D.* 55. *b.* [d] *Pat.* 17. Ric. II. *p.* 1. *m.* 15. [e] Knyghton *ut ſupra, ſub hoc an.* [f] *In ſcriniis Civ.* Oxon. [g] *Viz. unum* Pennard *cum cornu. unum par Braccarum*, &c. [h] *Præterea diripiebant unam parmam, unam Togam rubeam, duo paria manicarum albarum, unum par linthiarniorum, unam armilanſam duplicatam, &* c

delicta cognoscebat; verum *Kirkheio* (qui præcipua habitæ Sessionis causa fuit) & *Speekio* flagitia demum condonantur, mensium tantum aliquot incarcerationis pœnâ irrogatâ. Ejusmodi vero Turbæ ac Seditiones querimoniis Academicis justam suppeditabant materiam, quales apud *Richardum II.* depositas fuisse in Epistolâ [a] quâdam ad eundem datam comperimus; ubi sic legis---*Quid homicidiis, quid incendiis, quid*, &c. *quæ tunc habuerunt contra Clerum vestrum veluti à nostris Chronographis dolenter satis est id enarratum* &c.

Post paulo *Oxoniam* accessit Archiepiscopus *Cantuariensis*, tum ipsam Academiam, tum præsertim Monachos Nigros e Collegio *Glocestrensi* visitaturus; quam rem, cum molestiam sibi non levem creaturam deprehenderet, infectam reliquit. His autem, quod fusius apud [b] *Walsinghamum* enarrentur, immorandum non duco.

CIↃCCCXC.

Vixdum ad exitum perducta erant teterrima superioris anni dissidia, cum Fratres Nigri (seu Prædicatores, vel Dominicani) viri labefactandis Academiæ Privilegiis nati, negotium nobis de integro facesserent. Hi siquidem (præcipue vero quotquot pares Gradui progressus haud fecerant) examen Academicum fugientes, ad exteros commeabant, ibique Magistri sibi titulum comparabant; non sine Fratrum doctiorum infamiâ, atque gravi Universitatis dispendio. Super his itaque & nostrates & *Contabrigienses* Regem fecerunt certiorem, qui decessorum suorum vestigiis neutiquam insistens, Prædicatores Academiæ molestiam creantes minime suffulsit; verum ad Priorem Provincialem, omnesque in *Anglia* Priores conventuales in hæc verba [c] scripsit.

--- *Cum ordo prædictus institutus sit & firmatus, ad resistendum & destruendum hæreses & errores contra legem divinam & fidem Catholicam indies emergentes, & ad Prædicandum & informandum populum Dei de lege & fide supradictis, ad quæ debitè faciendum & explendum scientiæ maturitas, & vitæ honestas, & divinitatis doctrina, necessario requiruntur, de quibus Fratres dicti ordinis retroactis temporibus, tam inter seipsos quam in Vniversitatibus* Oxon & Cantabrigiensi *examinari & approbari consueverunt, & adhuc deberent, & sic ad gradum Magisterii promoveri: ac jam intelleximus, quod quidam Fratres dicti Ordinis in lege divina minimè approbati seu instructi, sed Apostatæ & notoriè vitiosi, & propter vitia sua hujusmodi per ordinem prædictum carceribus condemnati, mare transeuntes, gradum sibi Magisterii, ac alias gratias exemptorias subdole & fraudulenter impetrant & procurant, ut in regnum regressi inter confratres sicut Magistri dictæ facultatis honorari & reputari valeant ac foveri, in detrimentum Ecclesiæ, & læsionem Fidei Catholicæ, & præjudicium, & scandalum nostrum & regni nostri, ac maximam verecundiam Ordinis antedicti; Nos nolentes præmissa Ecclesiæ* Anglicanæ *ac nobis & populo nostro tam præjudicialia & damnosa, ac processu temporis in subversionem dicti Ordinis verisimiliter redundantia, aliqualiter tolerare: vobis omnibus & singulis sub forisfactura omnium quæ nobis forisfacere poteritis injungimus, & mandamus, districtius quo possumus nihilominus inhibentes, ne aliquem Fratrem apostatam dicti Ordinis, seu in Ordine prædicto, carceri condemnatum, aut notabiliter vitiosum, qui sibi gradum Magisterii seu aliquas gratias exemptorias impetravit seu procuravit, ad libertates, honores, seu favores, Doctoribus in Theologia in Ordine prædicto, per examinationam dicti Ordinis & Universitatum ut præmittitur debite factis & approbatis consuetis, aliqualiter admittatis; nec ipsum in honoribus, favoribus, seu libertatibus hujusmodi pertractetis, seu pertractari, aut eisdem uti & gaudere quomodolibet permittatis; sed procurantem gradum & gratias hujusmodi, & iis utentem seu uti & gaudere volentem, secundum ejus scientiam & conversationem, ac regulam statuta & disciplinam ejusdem Ordinis, nulla habita consideratione ad impetrationes, provisiones seu exemptiones hujusmodi, tractetis & gubernetis sub pœna supradicta*, &c.

In priscis quidem [d] statutis soli Mendicantes *Doctores cereati* appellantur, quibus cognomen illud circa annum CIↃCCCXIII adaptatum fuisse opinor, & quorum hac etiam tempestate magna nobis multitudo suppetebat, qui transmisso mari Gradus capessebant, & quod haud eruditionem, verum testimonia peregrina sub sigillis secum reveherent, *Cereati* proinde nuncupabantur. Cæterum in statuto jam citato (quod occurrit in volumine literâ D. in tergo notato) id nominis exinde magis promeriti dicuntur, *quod sicut cera à facie ignis fluit, sic ipsi asperitatem studii fugiunt & laborem*, &c.

At vero quæcunq; fuerint nominis illius primordia, certissimum est hoc pacto accensam in ipsos fuisse Academicorum invidiam. Sane quo merito id acciderit non dixerim, at constat Religiosis hisce cum *Oxoniensibus* nostris idq; ab ipsis Academiæ incunabilis non bene solitum convenire, secùs enim non video quare *Lincolniensis* ipse (*Grosteștum* intelligo) qui ad primũ illorum adventum *Oxoniæ* studuit, tam acerbè de illis scriberet, (si fides [e] *Joh. Wicliffio*)---*ponit autem* Lincolniensis (inquit ille) *in quodam sermone, quod generaliter Claustrales privati Ordinis, sed specialiter Frater, est Cadaver mortuum de sepulchro egressum, pannis funestibus involutum, à diabolo inter homines agitatum.* Hæc *Wickliffius*: & tamen *Lincolniensis* temporibus, quatuor Ordines mendicantium vix *Oxoniæ* vel alibi in *Anglia* fundati erant. Sexto autem abhinc anno, dictorum Fratrum Primores, reliquum Ordinem per Gradus hoc pacto suscipientes deturpatum arbitrati, querelas ad Comitia Parliamentaria [f] detulere; atque lege latâ cautum est, nequis Fratrum absque speciali Regis veniâ Regno excederet; qui secus vero faceret, Protectionis Regiæ beneficio careret.

CIↃCCCXCI.

Mitto chartam [g] Regiam de pace custodiendâ, atque alteram [h] illam, qua Cancellario superiori anno confirmata est in causis personalibus quas vocant, tam infra quam extra muros cognoscendi potestas, modo altera pars sit Scholaris. Ad *Henricum* vero *Crompium*, supra memoratum, descendo, qui cùm acerrimus *Wicliffitarum* impugnator *Oxonii* fuisset, in *Hyberniam* (Patriam suam) rediit, primoque va-

[a] *In* F. *fol.* 108. *ep.* 236. [b] *Sub an.* 1389. [c] *In claus.* 14. Ric. II. *m.* 32 [d] *In* D. *fol.* 53. *a.* [e] *In* 4. *lib. Trialogorum, cap.* 26. [f] *Rot. parliam.* 20. Ric. II. *nu.* 25. [g] *Pat.* 14. Ric. II. *m.* 30. [h] *In pix.* HH. *in tur. Schol. nu.* 2. *Rot. chart.* 14. Ric. II. *nu.* 14. *A. fol.* 32. *a.* B. 29. *b.* C. 93. *a.* &c.

cillare

cillare cœpit, deinde autem ſententiam aperte mutavit, & *Wicliffii* dogmata tum in quotidianis colloquiis, tum ſcriptis & aſſertionibus ſuadere laboravit. Quod ubi in publicum emanavit, à Diœceſano ſuo *Gulielmo Andrew*, Epiſcopo *Midenſi*, in *Hibernia*, ad examen revocatur; atque anno deinde CIↃCCCLXXXV. cum frequenter nempe monitus, ut ſententiâ abſiſteret induci non poſſet, Hæreticus palam [a] declaratur. Quapropter doctrinam ſuam domi ſpargere non auſus, *Oxoniam*q; hoc anno reverſus, eandem in publicis Lectionibus tuebatur, ſummum fidei Romanæ dedecus imprimere viſus.

Super ea vero re conquerente ad Regem Cancellario, emanarunt confeſtim [b] literæ XXI. *Martii* datæ, ne Actum aliquem Scholaſticum ante decimum quintum à *Paſchate* diem exerceret interdicentes; inſuper mandantes ut interea temporis coram ipſo Rege & Concilio ſuo in Cancellariâ convenientibus compareret, dictorumq; & factorum rationem redderet. Atqui qualem ea res finem ſortita eſt non invenio.

CIↃCCCXCII.

Verum de eodem *Crompio* memoriæ proditum eſt, coactum fuiſſe dogmata ſua, in formam decem capitulorum collecta, ejurare; idque *Stanfordiæ* in Comitatu *Lincolnienſi*, inque Hoſpitio Fratrum de Monte Carmelo, coram vero Clericorum Synodo XXVIII. *Maii* hujus anni haberi cœptâ. Is autem *Oxoniam* aliquanto poſt remeavit, receptâque in Theologiâ Regentiâ (ad eandem quippe in plures annos per hæc tempora tenebantur Academici) Articulos quos veros eſſe confidebat defendere nihilo ſecius perſtitit; paucis tamen eoſdem amplectentibus, quod à viro Hæreticæ pravitatis damnato quicquam recipere metuerent. Poſthæc incarcerationis per Cancellarium intentatæ metu, & multarum injuriarum indignitate permotus, querelas frequentes Archiepiſcopo detulit; cumque nec eâ ratione pacem ſibi conciliaret, ad eundem perrexit, eique Propoſitiones numero decem (quas inter pleræque ni fallor erant quibus *Stanfordiæ* renuntiarat) patefecit; quarum [c] prima ſic ſe habet:

Johannes XXII. *male damnavit tres Concluſiones* Johannis *de* Poliaco *contentas in illo Statuto* Vas Electionis.

Perlectis vero perpenſiſque, quos dixi, Articulis, *Crompio* favere viſus Archiepiſcopus, literas [d] XXI. *Octob.* ad Mag. *Radulphum Rudrythum* Cancellarium, Abbatem *Oſneienſem*, Magiſtrum *Thomam Cranleium* S. T. P. & Magiſtrum *Johan. Wendoverum* S. Theol. Baccalaureum, Aulæ vel Domus *Mertonenſis* Cuſtodem, dedit; præfatos Articulos, quos Hæreſeos ſuſpectos habebant, inſpiciendi authoritatem demandantes, utque ſententiam ſuam ad ipſum poſt paulo tranſmitterent jubentes. Sed hic nos deſtituunt Annales, reiq; exitus deſideratur.

CIↃCCCXCV.

Statutum [e] de Proviſoribus, quod Rex tribus fere ab hinc annis meditabatur, ut illo Scholaribus utriuſque Univerſitatis ſubveniret, omittam, & ad alia pergam; ſiquidem per hæc tempora mira erant *Oxoniæ Lollardorum* incrementa, zizanium (prout loquuntur Pontificii) inter triticum proſeminantes, doctrinamque Catholicam præfocantes. Quapropter tanti mali remedium quæritur, & querelæ apud Regem creberrimæ deponuntur; qui Epiſcoporum querimoniis præcipue motus, Cancellario per literas [f] edixit, ut nequiſſimos fidei everſores (tales quippe habebantur) maxime vero *Robertum Lychladum* radicitus extirparet; *deſiderantes* (inquit ille) *Univerſitatem illam, quæ rore & deliciis ſcientiæ literalis & virtutis hactenus potiſſime reflorebat, ab hujuſmodi erroribus quatenus poterimus expugnari*, &c.

Eodem tempore Cancellario & Doctoribus [g] mandavit, ut librum *Wicliffianum*, cui *Trialogo* nomen erat, quique fœdiſſimis dogmatis ſcatere dicebatur, penitus excuterent, errorumque capitula, ſigillo Academico ſignata, in Cancellariam ſuam tranſmitterent. Quid hac in re actum fuerit mihi non eſt compertum; neſcio autem an huc, an potius ad viſitationem, ſive iſto ſive ſequenti anno per Archiepiſcopum *Cantuarienſem* habendam, ſpectet, quod Regi ſe ſubmiſerit Univerſitas, rem ejus arbitrio permittentes, miſſo in eum finem Inſtrumento Procuratorio *per diſcretos viros & providos, Honorabiles & Magiſtros, Thomam Hendymannum* Cancellarium, *Thomam Merkium*, *Thomam Cranleium*, *Radulphum Rudrythum*, & *Thomam Everardum*.

CIↃCCCXCVI.

Sed de his mox dicam. Recrudeſcebant ſub hæc diſſidia Theologorum & Artiſtarum cum Juriſtis, è quibus poſtremo dictos (quanquam victores in diſſenſionibus nuperis viſi fuiſſent) ſtatuta quædam in eorum præjudicium facta tantopere exercebant, ut ejus Facultatis Doctores & Baccalaurei perinde ac Studentes ſive Licentiati (minime vero ut quidam [h] retulit, Scholares univerſim *Oxonienſes*) præcipua gravaminum [i] capita per Advocatum ſuum vel Procuratorem Magiſtrum *Michaelem Sergeaux* LL. D. Convocationi Cleri Anglicani, *Londini* ad D. *Paulum* XIX. *Febr.* habitæ, obtulerint. Imprimis autem Univerſitatem eo nomine inſimulabant, quod juriſdictione non tantum Epiſcopali, ſed & Archiepiſcopali ipſâque Pontificia exſolutam ſeſe venditaret, idque prætextu Bullæ Papalis, vel hoc vel præterlapſo anno conceſſæ; quam quidem in causâ fuiſſe arbitror, cur ſubmiſſionem dein ſolennem ab Univerſitate exigeret Regia Majeſtas (quemadmodum antea dictum eſt.) Ut invidiam quantam poterant Univerſitati conflarent Juriſtæ, hoc ulcus importunè refricabant; rem vero ipſam ex allegationibus, ab eorum Procuratore in medium prolatis, optimè intelligemus, quæ ſic ſe habuere.

Imprimis quod jam tarde & in ultimis diebus, diſcretus & religioſus vir, Frater Nicolaus Faux *Monachus Monaſterii* Glaſconienſis, *Ordinis S.* Benedicti, Bathonienſis & Wellenſis *Diœceſ. S. Theologiæ Doctor, ac honorabilis in Chriſto viri & Magiſtri, Magiſtri* Thomæ Hendyman *S. etiam Theologiæ Doctoris, Univerſitatis antedictæ Cancellarii commiſſarium ſe prætendens quandam ſchedulam privatam in manibus ſuis tenens, nullatenus Bulla Apoſtolica, ſigillove authentico, aut cujuſcunq; Notarii publici ſigno ſubſcriptioneve munitam, aut aliunde de exemptione prætenſa infra ſcript.*

[a] Tho. Walden *ut ſupra, in faſcic. zizan. fol.* 77. *b.* [b] *In pix.* HH. *nu.* 12. *clauſ.* 15. Ric. II. *m.* 8. [c] *In quodam Regiſtro in ſcacc. Coll.* Merton. *in ciſta ibid. œconom. p.* 37. 38. [d] *Ibid. p.* 37. [e] *Rot. parliam.* Winton *inchoat. in Octav. S.* Hilarii, 16. Ric. II. *nu.* 8. [f] *Cl.* 19. Ric. II. *m.* 23. *vel* 24. [g] *Ibid. m.* 19. [h] Matth. Parker *in antiq. Britan. in* Tho. Arundell. [i] *Regiſt.* Arundell. *fol.* 45. 46. 47. &c.

Fide qualitercunque facta, in domo congregationis dictæ Universitatis coram multitudine Magistrorum Regentium inibi congregatorum, ipsam Universitatem, Cancellariumq;e, Doctores, Magistros & Scholares ejusdem, ab omni jurisdictione, dominio & potestate quorumcunque Archiepiscoporum, & aliorum Ordinariorum quorumcunque inferiorum, authoritate quarundam literarum Apostolicarum prætensarum, quarum tenor in schedula ipsa, ut asseruit, continebatur, fuisse & esse exemptos, & sedi Apostolicæ immediatè subjectos, omisso juris ordine in ea parte requisito pronuntiavit per decretum, & declaravit in jurisdictionis præfat. Domini nostri Archiepiscopi & Dictæ Universitatis Superiorum & Ordinariorum ut præfertur immediatè quatenus in eodem, à Fratre Nicolao *Commissario prætensum fuit enervationem manifestam.*

Item cum in ipsa Universitate agitur aut tangitur de renuntiatione Bullarum Apostolicarum prætensarum, quarum vigore pronuntiatio & declaratio de quibus præfertur per ipsum Fratrem Nicolaum *Monachum extiterunt in hac parte quomodolibet vel faciend. nihilominus Cancellarius & Procuratores moderni ac cæteri eis in hac parte adhærentes firmiter cum non sit verum asserunt, quod non renuntiatio hujusmodi eis aut dictæ Universitati est in aliquo præjudicativa, pro eo & ex eo quod ipsa Universitas* [a] *ante literarum ipsarum prætensarum impetrationem, Cancellarius Magistrique & Scholares ejusdem, de consuetudine (ut præfertur) præscriptionis, juxta modum pronuntiationis & declarationis antedictarum, fuerunt exempti totaliter, nec (ut præfertur) subjecti: In qua quidem exemptione, vigore & virtute consuetudinis hujusmodi adhuc, ut satagunt, persistunt, non obstante quod inter cætera per ipsum expedita & habita, bonæ memoriæ Venerabilis in Christo pater & Dominus, D.* [b] Willielmus *quondam Archiepiscopus* Cantuariensis, *dum in rebus agebat humanis, ipsam Universitatem, tam in capite quam in membris, per se & suos quamplurima gravamina ibidem revocando, crimina corrigendo, diversos excessus reformando, nonnullasque personas dictæ Vniversitatis ab actibus Scholasticis diversimodo suspendendo, seu authoritate Metropolitica actualiter visitavit, adeo quod ad Domini nostri Archiepiscopi dictæ Vniversitatis ordinarii superioris immediati audientiam vel curiam suam* Cantuariensem *à certis gravaminibus spiritualibus per Cancellarium modernum & aliis diversis ipsarum facultatum personis oppressis illatis appellare volentibus, occasione & prætextu consuetudinis prætensæ, præfatus idem Cancellarius diversimodè impedit. injustè, in ipsarum personarum sic oppressarum præjudicium & gravamen.*

Item tertio, inter cætera dictæ Vniversitatis statuta cavetur, quod nullus ad lecturam extraordinariam Decretalium in ipsa Vniversitate debeat admitti, nisi jura civilia per triennium, inter cætera juramenta per ipsum admittendum præstanda, se juret audivisse, cum viri Religiosi & qui in ordine sacerdotum sunt constituti, adeo existunt juris impediti, quod ad licentiam ipsam, etiam etsi aliunde omni habilitate in ea parte requisita laudabiliter vigeant immediate valeant admitti.

Item quarto, inter dictæ Vniversitatis etiam statuta continetur, quod licentiatus ad lecturam, de qua præfertur, nullus admittatur nisi Decretales, se juret completè audivisse, &c. *nunquid iste terminus* completè *debet ita strictè intelligi, scilicet pro quolibet verbo cujusque capituli libri Decretalium, prout ipse Cancellarius & cæteri dictæ Vniversitatis Magistri Regentes in Artibus intelligunt, vel in quantum humana fragilitas patitur sufficiat, audientia libri hujusmodi, quod placeat dominationi vestræ pastorali interpretari, declarare, vel aliundè in hac parte statuere & providere, prout eidem videbitur expedire.*

Item quinto, cum aliquis in quacunque facultate sit graduandus, ipse pro tempore assumptionis gradus hujusmodi de observando statuta, privilegia, & consuetudines ipsius Vniversitatis, corporali astringitur juramento, tamen ipsa statuta, privilegia, consuetudines & libertates seu eorundem tenor nullatenus in publicam notitiam deducuntur, seu quamvis publicentur aut programmatizantur, sed penes certas personas, libros ipsorum statutorum, privilegiorum, &c. *clanculo conservantes, & penes quos libros diversitas quinetiam adversitas & contrarietas in tenore & serie dictorum librorum reperiuntur, adeò quod ipsis sic juratis ardua & eo prætextu intricatio & eisdem perjuria ignota pro libito voluntatis libros ipsos conservantium diatim impenitur, in dictæ Vniversitatis quamplurimam perturbationem manifestam.*

Item sexto, inter cætera dictæ Vniversitatis statuta prætensa expressè continetur, quod legum Docto-

[a] Ante literarum ipsarum præsentarum impetrationem, &c. *Exemptio vel quasi, Universitatis* Oxon *à metropolitica & ordinaria Visitatione per præscriptionem immemorialem esse perhibetur. Et tale aliquid innuitur in Bulla Papali ipsius* Bonifacii, *ut supra sub an.* 1301. *in illis verbis,* ---quodque ipsi Magistri, Doctores & Scholares vigore concessionum hujusmodi in pacifica possessione, vel quasi, privilegiorum, fuerunt à tempore cujus contrarii memoria non existit, &c. *Idem liquet, in consuetudinibus discussis inter Universitatem* Oxon *& Diœcesanum* Oliverum Suttonum *Episcopum* Lincolniensem *prout sub an.* 1281 *recensui. Et* Richardus *ipse Rex* II. *in charta sua adversus Bullam* Bonifacii *sive exemptionem Universitatis, idem agnoscere videtur, dat.* 30. Martii *an. regni* XX. *Cum asserat,* antiquas immunitates & privilegia Universitati prædictæ, per Dominos summos Pontifices & etiam per nos & progenitores nostros retroactis temporibus gratiosè concessa, pro bono & necessario regimine dictæ Universitatis sufficere pro præsenti. *Imò sepositâ jam & sejunctâ istius Bullæ* Bonifacianæ *restitutione seu confirmatione postea per* Sixtum IV. *(ut postea dicam) vix aliquid contineri videtur in hac ipsius* Bonifacii Bulla, *quod non multo luculentius, in charta* Henrici IV. *de cognitione placitorum, & charta* Henrici VIII. *de eisdem rebus Cancellario concessis, continetur; nisi quod in illis chartis, nulla fiat expressa de judicibus Ecclesiasticis mentio, sicut in Bulla* Bonifacii. *Porro, si probatio atque insinuatio Testamentorum, personarum privilegiatarum, nec non administratio Bonorum eorundem, ad Cancellarium Universitatis pertineat ratione consuetudinis præscriptæ, sicut* Edoardus VI. *in quibusdam literis suis patentibus testatur, cur non etiam Ecclesiastica jurisdictio in aliis rebus, ratione ejusdem præscriptionis Cancellario Universitatis non competeret? Idem asseritur in consuetudinibus discussis coram* Olivero Suttono, *ut supra.* [b] *Intelligit* Gulielmum Courtney; *vide supra sub an.* 1384. *sed hæc, quæ idem* Sergeauxius *procurator dicit, vix inter se cohærent. Quomodo enim Academici asserere potuerunt se liberos & exemptos esse à visitatione, ex consuetudine præscripta, qui ante aliquot annos, à* Gulielmo Courtney *Arch.* Cant. *& proximo* Arundelii *prædecessore visitati essent? Sed solenne est in Allegationibus juridicis multa proferre adversa causæ gravamina, quæ ubi ad probationes deveniendum est plane deserunt. Qualia quidem existimo hæc esse quæ de prætensa* Courtneii *visitatione hic occurrunt.*

res ad Cancellariatus officium nullatenus assumi valeant, &c. de inferioribus gradibus Scholasticis, viz. Doctoribus Medicinæ, Magistris in Artibus & Grammatica, in nullo, in ea parte, facta est mentio, quod non obstante hujusmodi statuto, Doctor Legum qui pro tempore fuerit, ad officium hujusmodi promoveri valeat, dum tamen rite eligatur.

Item septimo, quod Doctores LL. qui pro tempore fuerint ad locum & sedile in superiori loco & summitate cujusdam formulæ, à retro & immediate cathedræ, ubi Cancellarius dictæ Vniversitatis, qui pro tempore fuerit, in sermonibus infra scriptis sedere solet, collocatum pariter & situatum, eorundemque loci & sedilis possessionem juris, & quasi, quæ ante diem dominicam primam adventus Domini proximam præterit in temporibus dum sermo Dei in Ecclesia B. Mariæ *Virginis ipsius Vniversitatis proponitur, jure & nomine gradus Doctoralis hujusmodi pacificè ab antiquo obtinuerunt, effectualiter restituantur. Et Cancellarius modernus dicto die Dominico, tempore propositionis verbi Dei hujusmodi, ac dum Sacra Mysteria ibidem agebantur coram Cleri dictæ Vniversitatis Congregatione, quendam providum virum Legum Doctorem in ipsis loco & sedili incumbentem & sedentem in habituq; & tonsura clericalibus & Doctoralibus notoriè ibidem incedentem, ac aliunde juxta juris formam juri parere volentem, per vestes inhumaniter pertrahendo & ipsas dilacerando absque aliquo juris ordine in ea parte præhabito, à loco & sedili hujusmodi violenter expulit, sicque ipsum Doctorem in præmissis sacrilege spoliavit, & adhuc detinet spoliatum injustè, in gradus Doctoralis antedicti præjudicium & gravamen*, &c.

His ita exhibitis, & Cancellario (utpote qui prædicta exemptione haud parum nitebatur) contra processum ptotestante, seque foras continuo propiente, litis contestationem in alium diem differre visum est. In summâ, quoniam è statutis quæ prædixi nonnulla in fraudem Juristarum condita videbantur, resecantur eadem seu magis abrogantur; quæque anno CIↃCCCLXXVI. à quinque Episcopis decreta fuissent, anno post hunc proximo, mense vero *Aprili*, Regiâ authoritate [a] confirmantur; ne scilicet aut violari à reliquis Academicis constitutiones illas, aut in oblivionem venire contingeret.

Ad hæc, eodem tempore capitula quasi octodecim, hæreseos & errorum plena Convocationi antedictæ [b] porrigebant Juristæ; quæ nimirum Theologiæ Doctores, Artiumque Magistri & Baccalaurei, libris quibusdam sub formâ Trialogorum, more *Wicliffiano*, conscriptis ingesserant. Harum Propositionum hæc prima erat;

Quod manet Panis substantia post ejus consecrationem in Altari, & non desinit esse panis;

Quæ cum reliquis expensa tantum in præsentia erat; postmodo autem anathemate percussa est.

CIↃCCCXCVII.

Cæterum proterendis Hæresibus, rebusque Academiæ componendis eandem visitare decrevit Archiepiscopus *Cantuariensis*; cumque intelligeret Cancellarium & Procuratores, Papali, quod mox ante dictum, indulto suffultos, ne id fieret prohibituros, id Regi significavit; qui missis confestim ad Cancellarium & Scholares *Oxonienses* [c] literis, præcepit ut in juris Regii detrimentum, Hæreticorum vero & *Lollardorum* patrocinium, Archiepiscopali sese aut Episcopali authoritati nequaquam subtraherent, vel Bullam aliquam Pontificiam in eam rem proferrent: sed quod eidem Bullæ omnino renuntiarent coram Nuntio Regis Magistro *Richardo Ronhall*, Regique hanc suam renuntiationem publicis instrumentis testarentur. Quod tamen ab Academia factum fuisse, omnino non constat; neq; est verisimile. Porro in iisdem libris affirmat Rex, ejusmodi exemptionem nil aliud quam perniciem Universitati importaturam; utpote quam perennare Homicidarum aliorumque sceleratorum unice interesset, & ante cujus concessionem *rore & delitiis Summæ Philosophiæ & Scientiæ liberalis & virtutum potissime Universitas reflorebat.* Sane si huic Bullæ Pontificiæ renuntiaverit Academia, commodis male suis consuluisse videbitur, cum in ea contenta fuere ipsa jurium nostrorum præcipua fundamina; maxime vero insigne illud de Causarum ad Clericos spectantium cognitione privilegium. Sed neque opus foret, si huic ipsa renuntiavisset & Academia, ut postmodum ab *Johanne* Pontifice ejusdem implorarent revocationem.

His autem peractis *Thomas Arundell* Archiep. *Cantuariensis Oxoniam*, mense *Maio*, perrexit, visitare Universitatem in animo habens: cæterum obstitere Academicorum præcipui; id juris (seposita quam aliàs urgebant exemptione Papali) Regi competere prætendentes, non Archiepiscopo: Id ergo negotii Regio demum arbitrio permissum, num ab Archiepiscopo an à Rege potiùs visitanda esset Academia; atque sic denique decisum [d] est. --- *Quod cum quædam dissentiones lites & debatæ nuper motæ fuerint & subortæ, inter Venerabilem patrem* Tho. *Archiepiscopum* Cantuariensem *ex parte una, & Cancellarium Vniversitatis* Oxon, *ac quosdam alios ejusdem Vniversitatis ex altera, super usu & exercitio jurisdictionis & visitationis dictæ Vniversitatis, clamante videlicet præfato Archiepiscopo, & vendicante jurisdictionem & visitationem hujusmodi, ad ipsum & successores suos ac Ecclesiam suam* Cantuariensem *pertinentem, & pertinere debentem; Nos volentes hujusmodi dissentiones, lites & debatas (prout regiæ convenit Majestati, attentis damnis & periculis quæ inde verisimiliter evenire possent) sedare & pacificare, ac pacem, quietem & tranquillitatem inter partes prædictas pro viribus confovere, ac considerantes quod visitatio hujusmodi ad præfatum Archiepiscopum & successores suos ac Ecclesiam suam prædictam de jure communi pertinet & pertinere debet, quodque nos ac progenitores nostri Cancellarium & Vniversitatem prædictam retroactis temporibus minimè visitare consuevimus; volumus & ex certa scientia nostra declaramus, quod visitatio Cancellarii ac Procuratorum dictæ Vniversitatis qui pro tempore fuerint, nec non omnium Doctorum, Magistrorum Regentium & non Regentium ac Scholarium ejusdem Vniversitatis quorumcunque, eorumque servientium aliarumque personarum cujuscunque status vel conditionis extiterint, libertatibus & privilegiis dictæ Vniversitatis utentium, seu illis gaudere volentium, nec non Vniversitatis prædictæ etiam ut Vniversitatis, ad præfatum Archiepiscopum & successores suos ac Ecclesiam suam prædictam pertinet & pertinere debet, ac perpetuis futuris tempo-*

[a] *Pat.* 30. Ric. II. *p.* 3. *m.* 26. [b] *Ut in Reg.* Arundell, *ut supra.* [c] *Pat.* 30. Ric. II. *p.* 3. *m.* 32. [d] *Pat.* 20. Ric. II. *p.* 3. *m.* 9. *& in Reg. Coll.* Mert. *in Scacc. ut supra, p.* 11. *Denique in quodam scripto in bib.* Cotton, *sub* Cleopatra *F.* 1.

ribus

ribus pertinebit. Salvis nobis & Hæredibus noſtris omnibus aliis quibus in Univerſitate prædicta Nos & progenitores noſtri uti conſuevimus temporibus retroactis. In cujus rei teſtimonium, &c.

Verum hæc deciſio, qua viſitationem ſibi abjudicat Rex, & Archiepiſcopo addicit; exemptionem pontificiam (qua Archiepiſcopo præjudicatur) non videtur attingere; adeoque nec Academiæ immunitatem. Quicquid autem ſit, certum eſt Viſitationem illam hoc tempore non ſucceſſiſſe. Mirum autem eſt, quod in tanta rerum ſuarum perturbatione, Univerſitas (juxta vim & tenorem antiqui [a] ſtatuti) ab actibus Scholaſticis non ceſſaverit. Quod alias aliquoties factum conſtat.

Itaque, quod *Gulielmus Prynne* in [b] libro cui *Refutatus Univerſitatis* Oxonienſis *prætextus* nomen fecit, Archiepiſcopum *Arundellium* Academiam noſtram anno CIↃCCCXCVI. (XCVII ſcripſiſſe debuit) viſitare cupientem, à Cancellario & Vicecancellario, prædictam Bullam interponentibus, prohibitum perhibuit; Doctores autem, Procuratores, & Scholares apud Archiepiſcopum & Convocationem de impetratâ eâdem (quam utique & illos, & integram Magiſtrorum Convocationem damnaſſe refert) conqueſtos fuiſſe: næ cum Authore ſuo *Matth. Parkero* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* in egregio verſatur errore. Siquidem querelæ à ſolis Juriſtis contra Theologos & Artiſtas, ipſamque Academicam ejuſque ſtatuta: idque non in Convocatione Academicâ, verum in Convocatione Cleri ad Divum *Paulum Londinenſem*, ann. CIↃCCCXCVI. ut ſupra dictum, coacta, deferebantur. Tum autem exemptionem iſtam Academicam non aliâ de causâ criminabantur Juriſtæ, quam quod viſitationem, ſibi, ut ſperabant, uſui magnopere futuram, impedire videretur. Præterea, quod in ejuſdem libelli pag. 7. & 9. dicat *Thomam Hyndymannum*, Cancellarium, & *Nicolaum Faux* commiſſarium Academicum Bullam Pontificiam impetraſſe, quâ tum ipſi tum integra Univerſitas jure Archiepiſcopali & Epiſcopali eximerentur; falſus proculdubio eſt: nam eandem Regiſtra & ſcriptores bene multi in Hiſtoria noſtra ſub an. CIↃCCCI. à *Bonifacio VIII.* iudultam commemorant: & fieri quidem, poterit ut ea allegarent quæ ante ſeculum fuerant conceſſa, ſed impoſſibile prorſus erat, ut priuſquam naſcerentur, in iiſdem obtinendis deſudarent. Si quis autem à *Bonifacio IX.* ſub hæc tempora vivente, Bullam hanc conceſſam crediderit, advertat velim improbabile omnino eſſe, indulta *Lollardis* profutura (quod in Regiis habuiſti literis) Papam tunc temporis conceſſiſſe. Cui & alius opponebatur obex, quod Regni Statutum publicum anno *Richardi II.* XVI° decreviſſet, nequis in Coronæ damnum Bullam aliquam Pontificiam obtineret, ſub pœnâ proſcriptionis quam *Præmunire* vocant incurrendæ.

CIↃCCCXCIIX.

Hac tempeſtate graviſſimo Eccleſia Schiſmate convellebatur, è duorum Pontificum electione orto; qua de re *Knightonum* [c] audias --- *Rex* Franciæ (anno CIↃCCCXCV.) *fecit convocationem de clero* Franciæ *ad inveſtigandam poteſtatem duorum Papa-*

rum, quis eorum plenius jus haberet in cathedra Petri, &c. Porro inquit pro *Clemente* ſuo ſcripſit Clerus *Gallicanus*, quorum ſententiam & argumenta appenſo Academiæ *Pariſienſis* ſigillo confirmata, ad *Richardum II. Angliæ* Regem tranſmiſit *Carolus*, ut de iiſdem cum Prælatis ſuis conſilium iniret efflagitans. Is vero Theologorum tum Regentium tum non Regentium ex omni *Anglia* accitorum Convocationem *Oxoniæ* indixit, qui à *Gallis* diverſum ſentientes *Urbani* Papæ cauſam tuebantur, ſuamque ſententiam ſigillo Academico conſignatam Regi *Gallorum Lutetiæ* jam agenti detulere. Cæterum nil inde commodi Eccleſia percepit, gentibus quippe in factiones abeuntibus Pontificum uterque reperiebat qui ſe pro legitimo *Petri* Vicario agnoſcerent.

Nimirum in hanc mentem Author meus; quem turpiter temporis ſupputatione erraſſe fatendum, ſiquidem ab ipſo memorati Pontifices fato dudum functi comparent, quando ille eos in vivis fuiſſe ſtatuit. Sedebant vero jam *Petrus* de *Lunâ* ſive *Benedictus XIII.* & *Bonifacius IX.* quorum alter (teſtante *Onuphrio*) anno Dom. CIↃCCCXCIV. alter autem CIↃCCCLXXXIX. Pontificatum inivit. Porro quod literas ad *Richardum II.* à Rege *Gallo* miſſas attinet, varias fuiſſe liquet; quarum primæ anno CIↃCCCXCV. datæ, & ab Academiâ [d] ventilatæ fuerunt; alias autem hoc anno, cum *Pariſienſium* literis, tranſmiſſas, *Oxonienſibus*, cum [e] ſuis dat. XX. *Novembris*, amandavit *Ricardus*, quibus ut eaſdem, præcipua Schiſmatis capita complectentes, excuterent, ſententiamque ſibi ſuam deferri curarent, præcepit: iiſque in diverſas opiniones abeuntibus, emiſſo in omnes Regni partes ſub *Januarii* initium [f] reſcripto, doctiſſimos quoſque viros *Oxoniam* convocavit; Academicis nempe in re tam difficili conſilio adjuvandis. Horum de numero erant *Johannes Trefnauntus* Epiſcopus *Herefordienſis*, *Joh. Trevaurus* Epiſcop. *Aſaphenſis*, *Henricus Beaufortius* Epiſc. *Lincolnienſis*, *Thom. Chillendenus* Eccleſiæ *Cantuarienſis* Prior, Abbas ibidem S. *Auguſtini*, *Joh. Borardus* Eccleſiæ *Chriſti* in Comitatu *Hamptonienſi* Prior, S. *Swithani* apud *Winton* Prior, *Thom. Mountague* Decanus *Sariſburienſis*, Mr *Joh. Shepey* Decanus *Lincolnienſis*, *Radulphus Tregiſius* Decanus *Exonienſis*, *Johan. Sherbournus* S. *Petri Eboracenſis* Cancellarius, Mr *Robertus Rygge* Archidiaconus *Barnſtaplienſis*, Mr *Henricus Houſemannus* Cancellarius *Lincolnienſis*, *Johannes Kenyngham* Carmelita, *Joh. Sewardus* Dominicanus, *Johan. Hinkleius* Fr. Auguſtinianus, &c.

Hi ergo aliique haud pauci maturam de tollendo Schiſmate deliberationem habebant, quibus nil perinde in eam rem conducere videbatur atque Concilium Generale; cui magni momenti Concluſiones binas oblaturos ſeſe ſpondebant. Id *Pariſienſes* nonnihil momordit, utpote qui ad diſputandum ſe quodammodo provocatos arbitrabantur, & à noſtratibus propterea per literas petebant ut Doctores juniores duodecim *Lutetiam* delegarent, quibuſcum quæſtio amice admodum diſceptanda eſſet. Hæc partim è [g] literis *Oxonienſibus* ad *Richardum II.* datis habentur, ubi ſic legis: --- *Iſtarum concluſionum contrarias muniunt & affirmant ac ſe probaturos promittunt amici noſtri Pariſienſes Doctores, qui ſuis præmiſſis inviolabiliter ſtare diſpoſuerint, cum licet Amicus ſit*

[a] *In* C. 31. *a.* 55. *b.* & *in* D. 22. *b.* &c. [b] *Edit.* Londini 1647. *angl. p.* 10. [c] *In lib. de eventibus* Angliæ &c. [d] *Ut in quodam MS. contin. diverſos Tractatus in bib. Coll.* Magd. Oxon *p.* 321. *in quo extat epiſtola Univerſitatis ad* Ric. II. *de ſchiſmate dat.* 17. Mar. 1395. & *in quodam MS. inter cod.* Digb. [e] *Cl.* 22. Ric. II. *m.* 15. [f] *In memorab.* Hari *fol.* 95. [g] *Inter cod.* Digb

Socrates

Socrates, *magis est amica veritas, si saltem vestri regalis culminis nuntius præcesserit, signabimus de nostris Tyronibus duodecim Doctores electos, in clericali militia sufficienter probatos, qui contra quorumlibet adversariorum insultuum jacula judicio contradictionis bello, ubi & quando dixeritis, clypeos defensionis opponent parati*, &c.

In hunc modum nostrates, quibus certum erat ac deliberatum haud temere sententiam suam mutare, aut in *Parisiensium* Regisque *Gallicani* venire, qui teterrima Ecclesiæ dissidia sic propediem finienda existimabant, si utraque gens jurisdictioni se Romanæ tantisper subtraherent. Verum *Lutetiam* profecti *Oxonienses* quos dixi duodecim *Parisienses* brevi induxere ut secum sentirent, deque Concilio Generali habendo rationes (veluti deinceps edocebere) conferrent: quanquam sedente ante paucos annos *Urbano VI. Parisiensis, Oxoniensis* & *Pragensis* Universitates literas ad *Romanos* dederant de eodem tanquam vero Pontifice agnoscendo; prout à *Joh. Wolfio* [a] in Epistolis ab Academiis quas modo dixi de tollendo Schismate, ultro citroque datis, plenius perdiscas. Ingentes autem erant super ea re totius pene *Europæ* dissensiones; *Angli* vero ab *Urbano* primum VI. deinde à *Benedicto XIII. Oxonii* literis [b] informato, stetere; & quod ad *Gallos* spectat, ab anno CIↃCCCXCV. in componendis Ecclesiæ rebus omni studio desudarant.

Parisiensis *Universitas* (ut quidam habet) *quæ jam quasi per triennium solerter & efficaciter laboravit, studiosè quærendo & investigando ad inveniendum medicinas salubres, scil. vias idoneas per quas contra morbum pestiferum schismatis, remedium salutiferum poterit adhiberi; & quia in prædictis laboribus illa sola portavit pondus diei & æstus, rationabiliter ut videtur de sorore sua, scil. Vniversitate ista* (Oxon) *& Matre nostra, poterit conqueri Domino nostro Regi* Angliæ & Franciæ Richardo, *sibi dicendo, dic sorori meæ Vniversitati, scil.* Oxon *filiæ matris Ecclesiæ, ut me adjuvet & mecum laboret, quia per adjutorium sororis meæ Vniversitatis* Oxon *de onere à D.* Carolo *Rege* Galliæ *mihi imposito, ero paululum allevata; ne ergo in nostrum opprobrium & vituperium nobis dicatur illud* II° *Reg.* XIX *usque quo siletis, loquimini ad majores natu, videtur nobis honorificum ut cum olim sorore nostra Vniversitate scil.* Paris. *fideliter laboremus, scil. ad Christi Ecclesiæ unionem & pacis reformationem*, &c. Sic *Nicolaus Fakenhamus* S. Theol. Doctor, Fratrumque Minorum in *Anglia* Generalis Minister, in [c] Determinationibus super Schismate inter *Bonifacium IX.* & *Benedictum XIII.* 1. *Novembris* anno CIↃCCCXCV. præstitis. Sed de hisce in posterum.

CIↃCCCXCIX.

Per hæc tempora gravissimum se detrimentum pati animadvertens Academia ex occasione provisionum quas vocabant promotionum Ecclesiasticarum, ad Regem confugit ut sibi subveniret efflagitans; qui nobis continuo copiam [d] fecit res nostras eodem spectantes ad sedem apostolicam prosequendi: quod idem fecerat *Edoardus III.* XXV. regni anno (velut è Statutis municipalibus abunde patet) *Edoardum I.* secutus, qui eandem inivit viam, prout in anno Dom. CIↃCCCVII. antedictum est. Quod ad Provisores vero attinet, sic appellabantur qui spreto legitimi Patroni jure Dignitatum & Beneficiorum Advocationem à Pontifice impetrabant; quod ab exteris creberrime factum, qui eadem *Anglis* deinde reditu annuo dimittere solebant. Hanc sibi potestatem de jure communi arrogavit Papa, qui promotiones Ecclesiasticas, ut dixi, cum maximo gentis nostræ incommodo, peregrinis plerumque conferebat; quanquam sive *Anglis* illa, sive exteris hac ratione deferrentur, id in Patroni fraudem perinde fiebat.

CIↃCD.

Nescio an Libertatum & Privilegiorum nostrorum ab *Henrico IV.* superiori anno [e] confirmatorum meminisse debuerim. Nunc autem ad Regni turbas delabor dissidia Academica (fato quodam, prout superius sub anno CIↃCCLIIX. & CIↃCCCXLI. annotavimus) excipientes. Quippe ex Annalibus constat Optimatum bene multos *Richardi II.* depositionem ægre ferentes, ac proditionem adversus *Henricum* molitos, eundem, si Hastiludiis *Oxonii* habendis interesset, mactare, atque *Richardum* in Solium reponere decrevisse. Verum patefactâ, priusquam *Oxoniam* adventaret *Henricus*, conjuratione, dictorum Procerum haud pauci tum alibi tum in Urbe nostrâ comprehenduntur, inque Aulam municipalem, (**Gildhall** nuncupatam) clauduntur, judicio quod non ante Festum *Epiphaniæ* sequens exerceri debuit, reservandi: quo tempore perplures *Oxonii*, extra Portam Borealem, in loco **Greenditch** vocato capite [f] plectuntur, speciatim Comites *Cantianus* & *Sarisburiensis*, quorum Capita *Londinum* deportantur arbitrio Regio permittenda. His addendi *Thomas Blountius*, Miles, *Radulphus Lumleius* miles & eques vexilliarius (Bannerettus vulgo dictus) *Benedictus Sely* miles, *Johannes Walshe*, *Badwynus* de *Cantio*, qui cum Armigeris aliis numerum vicenarium complebant. Horum inquam capita & artus quadrifariam dissectos, Burgenses quidam *Oxonienses Londinum* [g] deportârunt, quæ, sicut Proditorum consuevere, Palis variis in locis affigebantur. *Henricus* autem turbis in posterum præcavendis incumbens, Statutum [h] edidit contra exundantem clientum & famulorum numerum, quem resecari voluit, nisi in Festo Regiæ Inaugurationis, in Episcoporum installationibus, nec non in Magnatum connubiis, & utriusque Academiæ Comitiis.

Cæterum quoniam ad ultimum hujus centuriæ annum perventum est, de rei literariæ sub *Ricardo II. Edoardo*que *III.* statu epiphonematis quasi loco operæ pretium fuerit pauca adnotare; quem quidem parum florentem reperimus, quod causæ non uni est imputandum. Observandum itaque;

I°. Quod eruditum studiosorum otium, ut supra dictum, perpetuæ cum Fratribus rixæ interturbarunt.

II°. Quod publica Regni dissidia, quæque turbas civiles sequitur licentia, juvenum animos corruperant, seriisque curis inhabiles reddidere.

III. Quod gravis incubuit rerum omnium quæ vitæ usibus intervirent per hoc seculum penuria;

[a] *In lib. lectionum memorabilium edit.* 1520. *centen.* 14. [b] *Ut in quodam MS. in bib.* Cotton. [c] *MS. nuper in lib. Eccles. Cath.* Exon. [d] *Pat.* 22. Ric. II. *m.* 18. [e] *Ut in pix. longa* 4. *& in Rot. chart.* 1. Hen. IV. *p.* 1. *nn.* 7. [f] *Ut in Rot. comp. Camerariorum* Oxon. 1. Hen. IV. *in scriniis ejusdem Civit.* [g] *Ibidem.* [h] Pulton *in abstract. statutorum penalium edit.* 1592.

unde multis, in magna aliter emersuris, aditus ad eruditionem præcludebatur.

IV. Quod increbuerunt provisiones, quas mox ante retulimus, Pontificiæ; quibus factum est, ut complures sterilibus relictis Musis ad Mercaturam sese Artesque mechanicas converterint.

Hæc autem, Pestesque supra memoratas in causa fuisse crediderim, cur literæ in contemptum abierint, & ad tam paucos reciderint earundem candidati (Regnante præsertim *Richardo II.*) quin & Aulæ quamplurimæ Scholæque (velut è regiſtris, & census annui rationibus Domuum quarundam Religiosarum liquet) vacuæ per plures annos incultæque jacuere. Porro his causis adscribendum arbitror intermissum cum *Parisiensibus* commercium; tantamque in juventute Academica insciti am simul & insolentiam, ut grammaticæ rudimentis vix mediocriter instructi, reverendos Theologos, verâ optimeque fundatâ eruditione pollentes præ se [a] contemnerent. Denique quod nobis gratulari debemus, ansa hinc arrepta est, pereuntibus literis & Scholarium numero, opportune subveniendi Collegiorum aliquot fundatione, potissimum vero (prout in charta [b] ejus fundatrice subindicatur) illius quod *Novi* jam nomine innotescit.

CIↃCDI.

Hoc anno Rex *Henricus IV.* non tantum [c] confirmavit antiqua Academiæ privilegia, sed alia eisdem addidit: inter quæ fuit dilatatio limitum jurisdictionis Cancellarii, hi enim à pomœriis Orientalibus ad Hospitale S. *Bartholomæi*, ab Occidentalibus *Botleiam*, ab aquilonaribus ad Pontem [d] *Godstovienſem*, & ab australibus ad sylvam *Bagleiensem* promoventur, infra quos præcinctus Cancellario fas esset, non obstantibus Justitiariorum aut Magistratuum quorumcunque juribus, causas ad se spectantes cognoscere. Eodem tempore remissa est pensio quinque librarum à Cancellario pro custodia assisæ panis & cervisiæ, necnon Mensurarum & ponderum, annuatim solvenda. Remissam vero summam Custodi Bibliothecæ publicæ numeratam deinceps reperio, & posthæc edocebo.

Eadem tempestate utriusque Universitatis Scholares libellum [e] supplicem contra Provisionum abusum Parliamento porrexere, ut eorum ratio haberi possit obsecrantes, & ut leges municipales, quibus exterorum rapinis obviam ibatur, executioni demandarentur: ut ita Universitatum alumnis qui *fontes clerimoniæ* merito audiebant, prospiceretur. Sed nec quievit interim ipsa plebs, quin binos hoc anno libellos supplices Regni Ordinibus hæc ipsa de re obtulit, quorum prior [f] contra pluralitates, Provisiones à Pontifice Romano impetratas, & non residentes dirigebatur (à qua tamen postulatione eximebantur Regis, Archiepiscoporum, & Episcoporum Sacellani, & utriusq, Academiæ Scholares) altera [g] vero de provisoribus vel tollendis penitus vel saltem reprimendis agebat; ut nimirum neq; Cardinales, neq; exterorum alii Beneficiis Ecclesiasticis in hoc Regno fruerentur, atque inde Academicorum commodis consultum esset.

Hoc anno vix præterea quicquam occurrit quod memorari mereatur; nisi forte locum hic sibi vindicent Turbæ, furta, & Feloniæ à seditiosis Scholaribus, maxime vero *Hibernis*, motæ ac patratæ; quibus inquirendis puniendisque Deputati quidam *Oxoniam* à Regiâ Majestate [h] amandantur. Conscleratorum pœnæ haud aliis fuerant documento, verum in maleficiis iisdem cum à Togatis persisteretur, plures deinceps Universitate exturbati sunt, velut infra ad ann. CIↃCDXIII. & CIↃCDXXII. enarrabimus.

CIↃCDIII.

Hoc demum anno mediante (quam sibi intercedentibus viris principibus addictam habuere Academici) Reginâ, facta [i] est per Regem Graduatis Theologis & Juristis potestas *gratias expectativas* seu *provisorias* circa Beneficia qualibet in *Angliâ* aut *Hibernià* posita, (sive ad Ecclesias Cathedrales, sive ad Conventuales, sive denique ad Parochiales spectarent) à Pontifice maximo obtinendi. Atqui sane usque adeo jam opibus inhiabant cum Officiariis suis Prælati Ecclesiastici, ut benevolentia hæc regia minime ex sententiâ succesſerit; dum opulentus quisque præpinguia nihilo secius Beneficia reportaret, sicui autem vel angustior Arca vel tenerior esset conscientia, doctrinâ utut polleret Fratrem induere Mendicantem, aut curatum agere sub prædivite Rectore cogeretur.

Sed quamvis Academicis nostris virtutis & eruditionis præmia ac incitamenta hoc tempore non suppeterent, defuisse etiamnum magis decurrente hâc Centuriâ deprehendentur; tametsi III°. *Henrici V.* anno Plebs libellum supplicem [k] alterum, in Cleri utique *Anglicani* & Academicorum gratiam Parliamento obtulerat; in quo longe magis floruisse perhibentur Universitates ante sancita de Provisionibus contraque Provisores Statuta. Enimvero si vel Rectoriæ quarum jure fruebantur viri Ecclesiastici Academicis collatæ fuissent, id eorum ingenia haud parum excitasset; verum (quod neminem latet) obnoxii adeo Papæ erant Prælati, ut imperata ejus obsequentissime semper fecerint, unde in eorum patronatus jura diutius quam Laicorum per provisiones istas insultaret.

CIↃCDV.

Provisionibus itaque Pontificiis ascribendum duco, quod (dum indocti homines muneribusq; quibus fungerentur impares ad curam animarum promoverentur) *Wicliffii* sequaces tantopere invaluere; qui præterea in Viculis, alendo Capellano aut Parocho minime sufficientibus, doctrinam suam facillime spargebant. Hi siquidem vicatim prædicabant, populumque in sententiam suam pertrahebant; adeo ut sub hæc (secundo utique si bene memini *Henrici IV.* anno) Evangelium quenquam enuntiare, nisi impetratâ Diœcesani licentiâ, Regni Ordines, lege latâ, [l] vetuerint.

Eadem tempestate Provincialem Constitutionem [m] edidit *Thomas Arundellius* Archiep. *Cantuariensis* (qui nec in hac Universitate, nec alibi gentium supra Gradum Baccalaurei in Artibus evectus reperitur)

[a] Leland. *in* Tom. 4. *p.* 279. [b] *In Regiſt. primo coll.* Novi *p.* 36. *cart.* 9. [c] *In pix. GG. nu* 3. Rot. *chart.* 2. Hen. IV. *p.* 1. *nu.* 2. *A.* 35. *a.* &c. *B.* 33. *a.* &c. *C.* 97. *b.* [d] *Alibi* Gosfordiensem. [e] *Inter petitiones parliam. inchoat. apud Westmon. in Octavis S.* Hilarii 2. Hen. IV. *in Turri* Lond. [f] *Rot. ejusdem parliam. ut supra nu.* 30. *in Tur.* Lond. [g] *Rot. parliam. nu.* 26. 28. [h] *Vt in fascic. Brevium in scrin. Civ.* Oxon. [i] *Pat.* 5. Hen. IV. *p.* 1. *m.* 19. Harus *de privilegiis fol.* 118. *a.* [k] *Rot. parliam.* 3. Hen. IV. *nu.* 39. [l] *Vt in statutis edit. in parliamento apud* Westm. *in Octav. S.* Hilarii 2. Hen. IV. *cap.* 15. [m] Gascoigne *in* 1. *parte Dictionar. Theologici p.* 381. *& in* 2ª *part. p.* 425. 432. &c. *Denique in provinciali Vet. lib.* 5. *Tit.* 5.

nequis

nequis minime Privilegiatus, ante conceſſam ab Epiſcopo ſuo veniam (quæ poſtmodo non ſine pecuniâ, aut peculiari gratiâ impetrâri conſuevit) concionem ad populum haberet. Eam vero rem acerbe adeo tulere viri pietate & prudentiâ inſignes, ut eidem imputarint tanquam divinitus immiſſam Linguæ infelicis Archipræſulis intumeſcentiam, unde nec deglutire quicquam nec excreare potuit, verum fato luctuoſo defunctus eſt. --- *Conſimiliter* Tho. Arundell *Baccalaureus Artium* Oxoniæ (inquit *Gaſcoignus*) & *Archiepiſcopus* Cantuarienſis, *fecit cum ſuis conſtitutionem provincialem, ne aliquis non privilegiatus, prædicaret populo ſine licentia obtenta Epiſcopi, quæ jam non habetur niſi cum magnis inſtantiis aliorum, vel pro pecuniis, nec Epiſcopi debite prædicant nec ad prædicandum alios exhibent nec mittunt; & iſte* Arundell *cito poſt illam conſtitutionem factam de verbo Dei alligando, fuit obtruſus in ſuo gutture, quod non potuit aut bene loqui aut deglutire, & ſic moriebatur. Homines enim tunc crediderunt, quod Deus ligavit linguas quaſi omnium Prædicatorum propter paucos Hæreticos qui tunc à prædicatione fuerunt ſuſpenſi*, &c. Hoc inſuper anno *Philippus Repingdonus* Epiſcopus *Lincolnienſis* Theologis *Oxonienſibus*, Graduatis perinde ac non-Graduatis, copiam [a] dedit verbum Dei proſeminandi; quam quidem Hæreſeos minime ſuſpectis confirmatam, ſuſpectis vero ademptam deprehendo.

CIↃCDVI.

Hoc temporum tractu literæ quædam teſtimoniales publico Univerſitatis ſigillo munitæ in gratiam *Wicliffii* fato dudum defuncti propalantur, in quibus inſolito prorſus more laudibus ejus nominique parentat Mater Academia. Scriptum [b] vero ipſum ſic ſe habet.

Univerſis S. Matris Eccleſiæ filiis ad quos præſentes literæ pervenerint, Cancellarius Univerſitatis Oxon *cætuſque Magiſtrorum unanimus ſalutem in Domino ſempiternam. Quia ſtrenuorum facta, proborum laudes & merita, perpetuo non conducet ſilentio prætermitti, ſed ut ipſa relatione continua in ſui teſtimontum & alienum exemplum fama veriloqua prædicet in remotis: Quia etiam ſagax humanæ naturæ diſcretio (hominum crudelitate penſata) contra blaſphemantes inſultus alternos hunc modum referendi & hunc clypeum defenſionis inſtituit, ut cum vocale teſtimonium ubique adeſſe non poteſt, ſuppleat calamus per ſcripturam. Hinc eſt quod ſpecialis benevolentiæ animum, ac temeritatis curam ſuper Univerſitatis noſtræ quondam filio* Johanne Wycklyff *S. Theologiæ Profeſſore ſecundum morum ſuorum exigentiam poſſidentes corde voce & ſcriptura ſuas conditiones in vita laudabiles fuiſſe atteſtamur, cujus morum honeſtatem, ſententiarum profunditatem & redolentis famæ ſuavitatem ad communem fidelium notitiam eo frequentius cupimus pervenire quo ſuæ converſationis maturitas ac librorum aſſiduitas ad Dei laudem, proximorum ſalutem, Eccleſiæ profectum, evidentius tendere dinoſcatur. Vobis igitur patefacimus per præſentes, quod ejus converſatio ab annis teneris in tempus ſui obitus continuata, hic præclaræ extitit & honeſta; ut nunquam de ipſo irritatio vel ſuſpenſionis ſiniſtræ ac infamiæ nota reſperſa fuerat; ſed in reſpondendo, legendo, prædicando, determinando, laudabiliter ſe habuit, velut fidei fortis Athleta, ſingulos mendicitate ſpontanea Chriſti religionem blaſphemantes ſacræ Scripturæ ſententiis Catholice expugnavit. Nec fuerat prædictus Doctor pro hæretica pravitate convictus, aut per noſtros Prælatos poſt ejus humationem traditus incendiis. Abſit enim quod noſtri Prælati tantæ probitatis virum pro hæretico condemnaſſent, qui in Logicalibus, Philoſophicis & Theologicis ac moralibus & ſpeculativis inter omnes noſtræ Univerſitatis (ut credimus) ſcripſerat ſine pari. Quæ omnium & ſingulorum notitiæ ad quorum manus præſentes literæ pervenerint (ut dicti Doctoris fama habeatur celebrior) perducere delectamus. In cujus rei teſtimonium, has literas noſtras teſtimoniales ſigillo noſtro communi fecimus conſignari. Dat.* Oxonii *in domo noſtræ Congregationis v. die Octobris ann. Dom.* CIↃCDVI.

Atqui vero fatendum eſt de literis hiſce teſtimonialibus in Epiſtolis noſtris ac Regiſtris nil prorſus occurrere; quas primus omnium propalavit *Johannes Huſſus* (quem ſequitur [c] *Johannes Foxius*) in primo Operum ſuorum volumine; qui etiam Concilio *Conſtantienſi*, non longe ab his temporibus habito, de iiſdem in *Wicliffii* gratiam evulgatis (falſo autem Academiæ *Oxonienſis* nomine inſcriptis, & à Scholaribus duobus *Bohemo Angloque Pragam* delatis) poſtulatus fertur. Tum vero qui ibidem aderant *Angli* (inter quos niſi me fallo numerandus *Robertus Halumus*, Epiſcopus ſub hæc *Sarisburienſis*) literas alias Univerſitatis Sigillo ſignatas, dictiſque in tranſverſum euntes protulere; rei omnis deciſionem Concilio humillime permittentes, quæ nullibi, quod ſciam, dijudicata reperitur. *Anglo* autem, quem è præcipuis literarum earum Authoribus fuiſſe dixi, *Petrus Clericus*, alias *Paganus* vulgo *Payne* nomen erat; qui cum Academicus *Oxonienſis* & *Wicliffianis* partibus addictiſſimus eſſet, literas modo dictas cum ſociis ementitus, eaſdem ſigillo, quod furtim erat adeptus, Univerſitatis [d] munivit. Et certe ſub hæc Sigilli Academici nulla pene cura agebatur, quin eodem clam & *Wicliffitæ* & alii in rem frequenter ſuam utebantur; quod Univerſitatem adegit, ut [e] Statutum anno CIↃCDXXVI. in hæc verba conderet.

---Item pro ſecuriori cuſtodia ſigilli communis dictæ Univerſitatis, eſt per eandem Congregationem Regentium & non Regentium taliter ordinatum. Quod nihil in poſterum ſigilletur ſub ſigillo communi Univerſitatis niſi in plena congregatione Regentium, ſi plenus terminus fuerit; vel in Convocatione Regentium & non Regentium vacationum temporibus; nec quod aliquod ſcriptum ſigillo prædicto ſigilletur, niſi cujus tenor per ſpatium diei naturalis in plena Congregatione Regentium, ſi plenus terminus fuerit, vel in Convocatione Regentium & non Regentium in tempore Vacationis prius mature pertractetur: nec quod aliqua deliberatio in congregatione Regentium primo die quo proponitur, plenariè ſit deciſa. Et quod iſta ordinatio

[a] *Regiſt.* Repingdon *fol.* 3. [b] *In quodam vol. de Academia* Oxon. *chartis & privilegiis MS. in bib.* Cotton. *ſub* Fauſtina *C.* 7. *& inter collect.* Jo. Balæi, *MS. in ead. Bib.* [c] *In Act. & mon. Eccleſiæ lib.* 5. [d] Tho. Gaſcoigne *ut ſupra in Dict. Theol. in verbo* Epiſcopus. *Ubi etiam ſic ſcribit---Iſte* Petrus *Hæreticus furatus fuit ſigillum commune Vniverſitatis, ſub quo ſcripſit Hæreticis* Pragenſibus, *quod* Oxonia *& tota* Anglia *fuit fidei* Pragenſium, *exceptis falſis Fratribus mendicantibus.*

de ſigillo communi, una cum Ordinatione de ciſta quinque Clavium, quo ad omnes earundem particulas ita ſtricte obſervetur, quod ſuper his nullo modo fiat diſpenſatio niſi per Congregationem Regentium & non Regentium ſolenniter convocatam.

CIↃCDVIII.

Advertens hoc anno Archiepiſcopus *Cantuarienſis Wicliffii* opinionibus (è crebrâ librorum ejus venditione) tactam eſſe magnam Academicorum multitudinem, promulgato decreto [a] cavit, nequi Codicum *Wicliffianorum* in Scholis alibive diſtraherentur, niſi ab alterutrâ prius Academiâ, aut Deputatis XXIV. ex utraque deſumendis, & per Archiepiſcopum nominandis probarentur. Mandatum porro Collegiorum, Aularum, Adituum vel Introitum Guardianis Præpoſitis ac Principalibus, ut ſemel in menſe Scholarium mores fidemque inquirerent, in Hæreticæ vero pravitatis ſuſpectos ex Conſtitutione procederent, primo ſcilicet monendo, deinde autem ſacris prohibendo. Sancitum vero pariter, quod ſi hac in re dictorum Guardianorum, &c. aliquis Archiepiſcopi juſſa haud ſedulo exequeretur, Cenſuris Eccleſiaſticis alligatus, & Præfecturâ ſuâ foret exuendus.

Sub id, electo in Pontificem Maximum *Gregorio XII.* recrudeſcebat Schiſma ſuperius memoratum; quapropter habita hoc anno *Londini* eſt Prælatorum Synodus, de quâ ſic refert [b] *Walſynghamus*, *-- In craſtino S.* Mariæ Magdalenæ *in Concilio Cleri celebrato* Londoniis, *aſſiſtentibus Doctoribus Univerſitatum* Cantabrigiæ *&* Oxoniæ, *tractatum eſt de cenſu, & obedientiæ Papæ ſubtrahendis vel non ſubtrahendis, quia contra votum & juramentum præſtitum, ſe ſubtraxit à Loco, ubi juxta pacta, de ceſſione pro parte ſua procedendum fuerat ad unionem cum Eccleſia faciendam*, &c. Idem etiam verbatim repetit in *Hypod. Neuſtriæ*, quod Univerſitates præpoſtere nominat, ſcribæ vitio imputandum certe MS. extractum vel imperfectum exemplar *Thomæ Walſynghami* in Bibliotheca *Bodleiana* in hoc loco præponit *Oxoniam Cantabrigiæ*, dicit enim ad id concilium conveniſſe tam exemptos quam non exemptos cum Doctoribus Univerſitatum *Oxoniæ* & *Cantabrigiæ*, &c.

Verum Synodus illa præluſiſſe tantum Concilio *Piſano* videtur, in quo tandem quæſtio de Schiſmate penitius diſcuſſa eſt, & Academia noſtra ingentem ſibi exiſtimationem conciliavit; partim utique Alumnorum ſuorum (quorum de numero fuiſſe opinor [c] *Thomam Waldenſem*) diſputationibus, partim vero *Johannis Gerſoni* Univerſitatis *Pariſienſis* (inter quam ſcilicet noſtramque variæ de Schiſmate literæ ultro citroque dabantur, è quibus nonnullæ per *Robertum* Eremitam *Gallicanum* in *Angliam* afferebantur) Cancellarii Oratione; Is ubi apud præfatum Concilium verba publice & ſolenniter fecerat, in Academiæ noſtræ laudibus multus fuit.

Ecce (inquit [d]) *quid præclara Univerſitas* Oxonienſis *unde ſibi meruit congratulari? pridem ad hoc Concilium petendum determinavit ſe & miſit in* Franciam: *ſcio qui præſens interfui dum proponeretur hæc concluſio compendii ſub hoc Themate* Joelis 1° Vocate cœtum coadunate ſenes; *ſed pridem antea* Pariſienſis *Univerſitas ab exordio naſcentis diviſionis deliberavit ſolenniter & concordi ſententia concluſionem hanc petendam & proſequendam eſſe*, &c. Et infra ſic, *--- hæc eſt non parva congratulationis materia, quod in unam conventum eſt ſententiam per duas Univerſitates toto orbe celeberrimas, & ipſis nonne fides dari debet, cum illinc ſint viri ſpirituales ſecundum qualia judicia medium virtutis accipere jubet Philoſophus? Illi præterea ſunt idonei conditores Legum doctrinaliter & inſtructive, quibus ſimilis interpretatio per Epiikeiam debita eſt: illic ſunt qui mentiri neſciunt de quibus noverunt, & mentientes redarguere poſſum, dum à vero falſum, à licito illicitum ſciunt ſecernere.*

Hortabatur quoque prædictus *Gerſonus* ad concordiam, quia verebatur ne *Oxonienſes* in illo certamine ſuperiores, primatum *Parienſibus* eriperent, itur ad Concilium *Piſanum*, à Cardinalibus abſente *Gregorio XII.* celebratum: Ubi Occidentali Eccleſiâ tum primum in quaſdam partes divisâ univerſo omnium conſenſu, electus eſt in ſummum Pontificem *Petrus Philargus*, vel ut alii de *Candia* & *Cretenſis*, dictus *Alexander* Papa V. *Bacchalaureus S. Theologiæ* Oxoniæ, & *Doctor Theol.* Pariſiis, *uti ipſe Papa in Concilio* Piſano, *dixit Domino* Thomæ Sposforth *Abbati Eccleſiæ* Mariæ Eboraci, inquit *Thomas Gaſcoignus* in Dictionario Theologico, MS. in verbo *Papa*.

CIↃCDX.

Prætermiſſis quibuſdam Regii favoris indiciis (ad ſuperiorem nempe annum pertinentibus alibiq; partim commemorandis) qualia erant, in conferendis [e] Academiæ privilegiis amplioribus, & reſcriptis quibuſdam de non Reſidentium emolumentis; ad *Wicliffium* redeo, cujus articuli XLV. *Londini* hoc anno damnati, cum aliis quibuſdam (ad LXI. nonnulli, alii [f] vero LXXX. alii [g] denique CC. habent) *Oxonii* in Domo Congregationis, XXVI. *Junii*, [h] exploduntur, jubente Cancellario, ſententiamque ferente Magiſtro *Johanne Wellys* Decretorum Doctore, præſentibus autem non modo Procuratoribus Magiſtriſque Regentibus & non Regentibus, verum & Magiſtris *Ricardo Courtneio*, *Ricardo*que *Talbotto* viris Patriciis, cum Magiſtro *Southo*, Magiſtro *Gualtero Mydefordo*, aliiſque haud paucis. Ab inde vero libri ejus, dictorum Articulorum aliquos complectentes, flammis, ad *Quadrivium* **Quatervois**, traditi [i] ſunt; quod eodem pene tempore fieri obtigit, quo Codices *Wicliffiani* ducenti (ſi quibuſdam fides) *Pragæ* in *Bohemiâ* ignibus quoque addicerentur.

CIↃCDXI.

Quo autem impenſius obnitebantur Pontificii, eo magis in pretio fuerant inviſa dogmata: & flammis injecta *Wicliffii* ſcripta illuſtriori luce coruſcabant, & probata magis videbantur quam abſumpta:

[a] Harus *in memorabilibus fol.* 99. *ex Provinciali vet. lib.* 5. *Tit.* 5. [b] *In Hiſt. ſub an.* 1408. [c] *Vide in* Balæo *cent.* 7. *nu* 84. [d] *Ex propoſitione ſua facta coram* Anglis Pariſiis, *euntibus ad ſacrum Concilium* Piſis, *circa materiam ſchiſmatis an.* 1408. *in* 1. *vol. operum ejus.* [e] Harus *in memorab. fol.* 102. *Ex Rot. parliam. apud* Weſtmonaſt. *inchoat. in quindena S.* Hilarii 11. Hen. IV. *cap.* 30. [f] *Vt in C.* 123. *a.* &c. [g] Gaſcoigne *in prima parte Dict. p.* 550. [h] *Vt in Hiſt.* (*ſive ſaltem Defloratore*) Tho. Walſingham, *MS. in bib.* Bod. *ubi etiam recitantur Articuli* Wicliffii *multo diſtinctius quam in impreſſo exemplari, & nominantur libri* Wicliffii *authoris, è quibus articuli condemnati collecti ſunt.* [i] Gaſcoigne *ut ſupra.*

nimirum

nimirum ea ab inimicorum furore incrementa cepere, ut Universitatem visitare statuens Archiep. *Cantuariensis*, [a] literas quas citatorias nuncupant ad Cancellarium, Doctores, Magistros & Scholares transmiserit, quamprimum *Oxoniam* adventaret, in procinctu esse omnes præcipiens.

Atqui vero cum Urbi demum appropinquaret, viris haud vulgaris notæ compluribus (inter quos erat Nepos ipsius *Thomas* Comes *Arundelliæ*) stipatus, prodibat obviam *Ricardus Courtneius* Cancellarius, cum Procuratoribus *Benedicto Brentio* & *Johanne Byrchio*, magnaque Academicorum frequentiâ; Archiepiscopo autem denuntiavit, si hospes adesset, gratissimum fore Academicis adventum ejus, quod si *Oxoniam* pro Visitatore se gesturus intrare destinaret, monitum velle, diplomate Pontificio Archiepiscoporum & Episcoporum jurisdictione ante multos annos liberatam fuisse Universitatem. Quam ob rem indignatus Arehiepiscopus post diem unum & alterum *Oxoniæ* positum eâdem abscessit, Regique per literas, quorum ego apographum vidi, [b] significavit, quo pacto ab Academicis habitus cum suis fuisset.

Universitatis inde Primoribus [c] edictum, ut coram Regiâ Majestate postridie Nativitatis Beatæ *Mariæ* comparentes, diplomatis Pontificii, quod contumaciæ suæ prætexere, rationem redderent. Quid hac in re proxime factum est nequeo dicere; verum constat Cancellarium & Procuratores Magistratum aliquanto post seu sponte seu coactos *Lambethæ* deposuisse; Regemque ad Universitatem [d] rescripsisse, ut ejusdem gubernacula susciperet *Cancellarius natus*, vel Theologorum senior (is autem erat Mag. *Edmundus Bekynghamus* Aulæ sive Domus *Mertonensis* custos) eademque eo usque gereret, dum in amoti locum alterius fieret electio. Jussit porro ut exemptionem illam Papalem (quod & *Richardus II.* prius jusserat, ut supra monuimus) sibi deferret Academia: quod tamen factum fuisse, non constat. At inde tanta studiosos mœstitia occupavit, ut à lectionibus cessantes & dissipati, finem Academiæ imposituri viderentur, secundum [e] statutum in eam rem factum, quo ordinatum erat ut ad id genus remedii confugeremus si quisquam hominum Libertates nostras & Privilegia invaderet. Quæ cum Rex cognita haberet, [f] literas varias ad Academicos dedit, quorum primoribus facta eorum gravissime exagitat, posterioribus vero ad revocandas Lecturas blandis verbis cohortatur.

Post paulo, nequid detrimenti ex Magistratuum defectu caperet Universitas, mandavit [g] Rex, ut in munia amotorum subrogarentur qui eorum vices reliqua anni parte (nunc vero ad mensem *Octobrem* usque decurrerat) obirent; Academici vero M^rum R. *Courtneium* in Cancellarium, atque in Procuratores *Benedictum Brentium* & *Johannem Byrchium* (modo exauctoratos) sibi denuo assumunt; quam rem literis maxime nostris in excusationem facti conscriptis edoctus, Academiam gravissime per [h] literas redarguebat *Henricus*. Post varias tandem super visitandi jure inter Universitatem & Archiepiscopum lites ac jurgia, utrinque convenit, ut judicio regio staretur; Rex itaque, medio quasi *Decembri*, causam cognovit, statuitque ut quod à *Ricardo II.* hac in re decretum fuerat, ratum [i] haberetur. Hac quidem ratione composita est in præsentia dicta controversia; annoque sequenti Bullam obtinuit à *Johanne* tunc Papa, præfatam *Bonifacii* [k] revocantem, & promulgari nobiscum fecit Archiepiscopus. Sed quam postea exauctoravit *Sixtus IV.* pristinam immunitatem sive confirmans, sive restituens; ut suo loco dicetur. *Henricus* vero Princeps, efflagitantibus Cancellario & Magistris quibusdã, Regium animum Academiæ, ob modo dictam in Visitationis negotio pertinaciam offensum, eidem [l] conciliavit.

Insuper vero, de Procuratoribus proditum est in Turrim *Londinensem* compactos fuisse; velut è [m] literis Academicis ad Archiepiscopum XXII. *Nov.* datis, ejusque erga eos clementiam petentibus, partim liquet: juniores autem Scholares qui gladiis arcubusq; Archiepiscopum fuerant excepturi, si Visitatorem profiteri sustinuisset, insolentiæ suæ pœnas flagris & ferulis, tanquam *Trutanni*, sive maleferiati [n] luisse dicuntur. Nec omittendum porro Commissarium & Procuratores tempore interregni, ut ita dicam, Academici, Fiscum nostrum in usus illicitos [o] exhausisse; dum perplures Universitati valedicerent, quod privilegia ejus pessundari existimarent, indultis Pontificiis despicatui habitis. Denique, magistrum *Hugonem Holbachium* Decretorum Doctorem, necnon M^ros *Howellum Keffinum*, in utroq; jure, *Joh. Holandum*, & *Gul. Crustonum* LL. Doctores, Archiepiscopi in destinatâ, quam diximus, Visitatione Commissarios, perjuros [p] pronunciavit Mr *Rich. Courtneius* Cancellarius, & bannitos, quod labefactandis Academiæ Libertatibus, de quibus defendendis fidem olim adstrinxissent, operam accommodarent.

Eodem quasi tempore quo Rex litem mox ante dictam utcunque diremit, celebrata est *Londini* apud Divum *Paulum* Synodus Clericalis, in quâ vehementer ab Archiepiscopo [q] contendebant Prælati & alii ibidem, ut Universitatem doctrinâ *Wicliffianâ* prorsus contaminatam inviseret: eandem vero *Matrem* quondam *Virtutum*, *lucernam scientiæ*, *fidei Catholicæ fulcimentum*, *ac obedientiæ speculum singulare fuisse*, nunc autem filios tantum abortivos, aut à veterum indole degeneres, quique rebellionem & contumaciam omnibus modis suaderent, & zizanium in puro tritico sererent, parere affirmabant. His addebant expilatam Universitatis pecuniam, literasque (ut causabantur) insciis Doctoribus & Magistris, in errorum hæresiumque gratiam sigillo publico signatas & ad exteros delatas. Hæc Archiepiscopum induxere, ut [r] literas ad Cancellarium, Doctores & Magistros daret, quibus cognitum habere se dicebat integram pene Academiam hæreticâ pravitate tactam esse; ac propterea in Templo Beatæ *Virginis*, aut aliquâ ejus parte Visitationem instituere decrevisse, (Quod factum, fuisse videtur sed *de hæretica* tantum *pravitate*.) Academici autem, admissis in dictam Ecclesiam Delegatis Archiepiscop. quod *Lollardos* haud adeo fervide impugnarant, quodque Magistri omnes in damnandis *Wicliffii* articulis nequaquam convenerant, veniam ab Archiepiscopo per [s] literas obsecrabant.

Mox autem in Regentium Congregatione Academicis duodecim (sex nempe, ni fallor, Australibus totidemque Borealibus) id muneris [t] demandatur, ut libros & Lecturas, aliquaque opera (maxime autem *Wicliffiana*) hæreseos suspecta examina-

[a] Harus *in memorab. fol.* 106. *b.* [b] *Ut in quodam fragmento veteris Reg. quondam pertinent. Universitati* Oxon. *in bib.* Cotton *sub effigie* Faustinæ C. 7. [c] *Ibidem.* [d] *Ibidem.* [e] *In C. fol.* 31. *a.* 55. *b.* &c. [f] *In frag. vet. Reg. ut supra.* [g] *Ibid.* [h] *Ibid.* [i] *Frag. vet. Reg. ut supra.* [k] *Ut in eod. vet. Reg. ut supra.* [l] *A.* 32. *b. C.* 111. *a.* [m] *In Reg.* Arundell. *fol.* 91. 92. &c. [n] *Vet. Reg. ut supra.* [o] *Ibid.* [p] *Ibid.* [q] Reg. Arundell *fol.* 24. [r] *In eod. vet.* Reg. *ut supra.* [s] *Ibid.* [t] *Ibid.*

rent ; inter quos Delegatos *Johannes Wytenhamus* S. T. P. & Collegii *Novi* ſub id ſocius, præcipuum [a] obtinebat locum ; reliqui autem [b] erant,

Doctores in Theologia.

Magiſter { *Gulielmus Vfford*, in clauſtro Carmelitarum Regens.
Thomas Claxton, in clauſtro Dominicanorum Regens.
Johannes Langdon, Eccleſiæ *Chriſti Cantuarienſis*, Monachus, jamque è Coll. *Cantuarienſi*, *Oxon.* Tandem vero Epiſcopus *Roffenſis*.

Baccalaurei in Theologia,

Magiſter { *Robertus Gylbert*, è Domo vel Collegio *Mertonenſi*, poſthæc Epiſcop. *Londinenſis*.
Johannes Lucke, de eodem Collegio.
Richardus Cartysdale.
Richardus Snedyſham.

Scholares in Theologia.

Magiſter { *Richardus Flemmyng*, Epiſcopus abinde *Lincolnienſis*
Thomas Rodbournus è Coll. *Mertonenſi*. Epiſcopus tandem *Menevenſis*.
Robertus Rondbury.
Richardus Graſdale.

His inquam judicibus permiſſum fertur quæſtionem de libris hæreticis habere, quorum tamen de numero fuiſſe *Flemmyngum* vix crediderim, cùm *Wicliffitis* militaſſe compareat, & poſt Delegatorum eorum nominationem propoſitiones quaſdam hæreſeos, ut ea ferebant tempora, pluſquam ſuſpectas in Actibus Scholaſticis propugnaſſe ; quas cum dicti Judices damnarent, & *Nicolaus Pontius* è Collegio *Mertonenſi* acriter (uti ferunt) impugnaret, ad Magnam Congregationem [c] provocavit *Flemmyngus*. Intervenere autem literæ Archiepiſcopales, ne appellatio illa admitteretur, præcipientes ut ipſe, & cum eo ſentientes (quos juvenes imberbes, neque cathedrâ dignos [d] nuncupabant) pœnas pro meritis perſolverent. Tum *Flemmyngus* ex æquo ſe minime tractatum credens, & Inquiſitorum paucitatem cauſatus, querelas amicorum ope ad Regem detulit, qui re omni inſpectâ [e] literas in viri favorem ad Univerſitatem dedit ; quibus accedebant poſt paulo [f] aliæ, & Academiam in *Flemmyngo* cenſuris liberando moras nectentem impellebant ; quem itaque tunc in integrum fuiſſe reſtitutum opinor. Quæ cum ita ſe habeant, haud ita veriſimile videtur, illum (niſi forte poſt hæc tempora) inter ejuſmodi cognitores numerandum iri, niſi forte binos *Richardos Flemmyngos* eo nomine Academicos ſub hæc floruiſſe cenſeamus (quod tamen non liquet) eorumque alterum prædictis judicibus accenſendum.

At vero, ne his immoremur, non deerant qui præfatis Inquiſitoribus adverſarentur, immo nuperis Archiepiſcopi contra Hæreticos Conſtitutionibus obviarent ; etenim tantopere jam invaluerant dogmata *Wicliffiana*, ut eorum reformationem, quam vocabant, fruſtra molirentur. Conſtitutionibus autem Archiepiſcopalibus contradixerant inter alios *Johannes Luckius* modo memoratus, *Rowlandus Byryſius* è Coll. *Reginenſi*, *Joh. Kerbeius*, & *Rob. Burtonus*, uterque è Magnâ Univerſitatis Aulâ ; qui incœptis haud prius deſtitere, quam excommunicationis ab Archiepiſcopo intentatæ fulmine conterriti errorem faterentur. *Luckius* vero deinde inter dictos ſedebat Delegatos, multaq; Capita, hæreſeos ſuſpicione minime vacua, è libris poſt paulo *Wicliffianis* [g] excerpſit.

Sic ergo (repugnantibus tamen nonnullis) arrepta in quæſtionem eſt *Wicliffii* Doctrina ; interjectis vero menſibus paucis certiores facit Academia Archiepiſcopum reliquoſque Provinciæ *Cantuarienſis* Prælatos de Capitibus quæ è libris *Wicliffianis* collegerant duodecim Delegati ſtigmate notatis ; eorum vero numerum, cum librorum titulis è quibus erant excerpta, hic inſerere à re noſtrâ alienum non erit ; ſic itaque ſe habent.

Repertæ ſunt Concluſiones cenſuris dignæ in Opere cui titulus.

- *Sermo Dei in monte*, quodque libros quatuor complectebatur, LXXIV.
- *De Simoniâ*, XXIV.
- De *perfectione ſtatuum*, IX.
- *De Ordine Chriſtiano*, XXXIII.
- *Trialogus*, tribus libris abſolutus, XX.
- *Dialogus*, XV.
- *De Arte Sophiſtica*, in tertio autem ejus argumenti tractu, XX.
- *De Dominio Civili*, in tres libros diviſo, XLIV.
- *De Diabolo & membris ſuis*, V.
- *De Dotatione Cæſareâ*, XIV.
- *Reſponſio ad argumenta Monachi* de **Salley**, XI.
- *Reſponſio ad argumenta* Strode, IX.
- De *Confeſſione*, V,
- *De Verſutiis. Pſeudocleri*, IV.

Condemnatos vero (qui ad CCLXVII. erant) & & ad ſe tranſmiſſos Articulos prolatâ ſententiâ dignos judicavit Archiepiſcopus ; [h] literiſque per Suffraganeos ſuos probatis ſignatiſque Academicis quibuſdam poteſtatem fecit in Capitum eorum ſuaſores inquirendi, & quid de iis ſentirent dicere jubendi ; quas [i] literæ mox Regiæ muniebant, indicentes, ut aut in cuſtodiam darentur delinquentes, aut ad Archiepiſcopum puniendi tranſmitterentur. Is vero hoc ſuo furore id tantum lucrifecit, ut convitiis & diris excipereturimo adeo in ſe *Wicliffitarum* qui ſupererant, animos incitavit, ut eundem per [k] literas ad ipſum quoque miſſas execrari non dubitaverint. Sed viam qua cœperat uſque pergebat Archiepiſcopus, & à Pontifice [l] petebat, utpræfatos damnaret articulos, utque effodienda *Wicliffii* oſſa, inque ſtercorario contumulanda ediceret ; quorum primum quidem impetravit, poſtremum autem non ante annum abinde XIV. conceſſum eſt, tunc autem effoſſis reliquiis, ſepulturæ denegata ſunt jura, oſſaq; flammis concremata, & in cineres redacta in fluvium *Lutterworthiæ* in Comitatu *Leyceſtrenſi* vicinum quaſi in humanitatis contumeliam, diſpergebantur.

[a] *In faſcic. zizaniorum* Joh. Wicliffii *per* Tho. Walden *ut ſupra*, *fol.* 110. [b] *Ibidem.* [c] Reg. Arundell. *fol.* 126. 127. [d] *Ibidem.* [e] *In vet. Reg. ut ſupra.* [f] *Ibidem.* [g] *Collegit* 266. *ut* Balæo *placet in cent. 7. nu.* 61. [h] *Ibid. in vet. Reg. in bib.* Cotton, *ut ſupra.* [i] *Ibid.* [k] *Ibid.* [l] *Ibid.*

CIↃCDXII.

Sub hæc motæ [a] sunt in Conventu Ordinum Parlamentario inter *Cantuarienſem & Eboracenſem* Archiepiſcopos lites, de jure nimirum viſitandi Collegium *Reginenſe*. Id ad ſe ſpectare aſſerebat *Cantuarienſis*, quod Sedi ſuæ conceſſum à *Richardo II.* fuiſſet totius Academiæ Viſitatio; *Eboracenſis* autem Collegium illud Viſitandum ſibi peculiari jure vindicabat, prolatiſque in eam rem argumentis adjudicatum ſibi à Regiâ Majeſtate habuit. Quare mirum videatur Collegii cujuſque Viſitatorem jus ſibi ſuum non aſſeruiſſe, & luxuriantem Archiepiſcopi poteſtatem reſecaſſe; quod paucis abinde annis factum liquet, cum Privilegia quædam nobis pridem erepta, à Pontifice Maximo (velut infra dicendum) poſtliminio reſtituerentur.

Rex autem Libertates noſtras imminuere nuper viſus, amiſſam redemit erga bonas literas Benevolentiæ exiſtimationem, ceimelia varia, *Jocalia* dicta, nobis [b] donans; ob quam munificentiam ſub anni initium in magnâ Congregatione ſancitum eſt, ut in vigilia S. *Edwardi* Regis *miſſæ* annuæ pro *Henrico* celebrarentur.

CIↃCDXIII.

Cum Archiepiſcopus, ut modo dictum, Academiæ Viſitationem, *quoad Inquiſitionem ſuper hæretica pravitate*, aggreſſus eſſet, idem hoc anno aggreditur Dioceſanus *Philippus Repyngdonus* Epiſcopus *Lincolnienſis*, (Rege copiam faciente) eâque de re programma ſuum edidit, quod eandem pene formam habuit cum eo quod haud ita pridem Archiepiſcopus appendebat, [c] mandans ut die præſtituto coram ſe aut Commiſſariorum ſuorum altero, nimirum M^ro *Edmundo Lacy* aut M^ro *Roberto Gilbert* S. Theol. Profeſſoribus, in Eccleſiâ Divæ *Mariæ* comparerent. Habita necne fuerit Inquiſitio illa parum conſtat, verum obſervare licet quamprimum Bullam *Bonifacii* reſcindendam (ſaltem quoad quæſtionem de hæreſi inſtituendam) curaverat Archiepiſcopus, & Diœceſano aditum fuiſſe recluſum; tametſi *Richardus II.* anno Regni ſexto, Diplomate ſuo conceſſerat Academiæ, ut infra Univerſitatis Præcinctus Cancellarius & Procuratores perpetuâ frueretur de hæreticâ pravitate inquirendi poteſtate. Et enimvero quærere fas eſt, quo jure *Lincolnienſis* Academiam inviſeret, cujus Cancellarium confirmatione ab illo petendâ ante plures annos exemerat Diploma *Urbani*, quod neque cum Chartâ *Bonifaciana* caſſum (ut infra monſtrabitur) fiebat: tale autem id erat ut à Diœceſani juriſdictione liberum penitus & immunem reddiderit ſupremum Univerſitatis Magiſtratum.

Cæterum ut hæc omittamus, Univerſitatem pejorem in modum vexabant flagitioſi quidam **Chamberdekyns** dicti, qui non alii erant quam mendici quidam *Hiberni*, habitu Scholarium pauperculorum induti, ſub nullo autem Præſide viventes. Iis ſolenne erat domi de die latitare, noctu vero circa cœnopolia Domoſque infames obvium quemque ſpoliare vel etiam trucidare. Hæc tandem famâ publicâ ad Regem uſque percrebuere, decretumque [d] lege eâ de re latâ eſt, ut *Hiberni* omnes Regno excederent, præter Religione aliquâ obſtrictos & graduatos, quibus *Oxoniæ* perſtare fas eſſet, modo de conſervandâ pace fidejuſſores interponerent; cautumque porro ibidem eſt, ne dictorum aliquis Hoſpitii Aulæve Præfecturam ſuſciperet, neve in poſterum *Hibernus* quiſpiam alterutram adire Univerſitatem præſumeret, niſi à Locumtenente vel Regni illius Juſtitiario literas adferret, & Academiæ Cancellario traderet de morum probitate teſtimonium præbentes; qui ſecus vero faceret læſæ majeſtatis pœnam ſubiret. Viguit aliquantiſper Lex ea, verum interjecto parvo temporis intervallo *Hiberni Wallique* licentiam à Rege [e] impetrarunt in Academiâ (non impediente præfato Statuto) commorandi, præſtitâ tantum de moribus conformandis cautione fidejuſſoriâ; quanquam flagitia poſt paulo repetentes, exilio, ut infra dicetur, mulctati ſunt.

Secundum ea *Londini* coacta eſt Synodus clericalis, Nuntiique *Romam* [f] amandantur, durante adhuc Schiſmate, Epiſcopus *Wintonienſis*, Dominus *Henricus Serope* Baro, cum utriuſque Univerſitatis Cancellario, qui Pontificibus palam denunciabant, ni eorum alter Magiſtratum ſibi abrogaret, neutro deinceps parituros *Anglos*. Cancellariatum, niſi me fallo, *Oxonienſem* gerebat *Salopiæ* Abbas, *Cantabrigienſem* vero *Richardus* de *Derham* S. Theol. Doctor; quorum primo dictus literas Academicas, de obſequio Sedi Apoſtolicæ denegando niſi Schiſma tolleretur, ferebat, reſponſumque retulit; alter autem Legatus ab *Henrico* ad *Gregorium XII.* miſſus fuerat; adeoque in componendis Eccleſiæ rebus elaboravit, ut à Pontificum uno, (quem nempe ut Cathedrâ cederet vehementius adhortabatur) Beneficiis Eccleſiaſticis [g] privatus fuerit, atque iiſdem ægre demum reſtitutus, intercedentibus, quorum opem implorabat, Cardinalibus & Archiepiſcopo *Cantuarienſi*.

CIↃCDXV.

Per hæc tempora, dum Schiſma, non abſque maximo Eccleſiæ damno, protrahendum iri videretur, indictum *Conſtantiæ* eſt ex mandato *Sigiſmundi* Imperatoris & *Johannis XXIII.* Pontificis Concilium Generale. Eo *Galli*, *Germani*, *Itali* atq; *Angli* Oratores ſuos miſere; quod munus Gens noſtra *Rob. Halam* Epiſc. *Sarisburienſi*, *Nic. Bubwith* Epiſc. *Batho-Wellenſi*, *Joh. Keterich* Epiſc. *Lichfieldenſi*, & *Tho. Gulierm* Beatæ *Mariæ Eboracenſis* Abbati [h] commiſit. Suos præterea Legatos ibidem habuere dictorum populorum Academiæ, *Pariſienſis* utique, *Oxonienſis*, *Salmanticenſis*, *Aurelianenſis Andegavenſis*, *Viennenſis*, *Cracovicenſis*, *Praghenſis*, &c. quippe de *Cantabrigienſi* incertum admodum, cujus Oratores perpauci commemorant Authores. Si bene tamen memini eorum facit mentionem præcipuus quidam hujus Concilii [i] Scriptor, qui in Bib. Regiâ apud S. *Jacobum* in ſuburbiis *Londin.* manuſcriptus habetur, quique tertiæ ſeſſionis Acta enarrans, cum eadem claudere tur *Petrum* Cardinalem Concilii Præſidem inſtante Imperatore, rata perhibet pronunciaſſe, quæcunque aut Gentium aut Univerſitatum (*Lutetiæ* utique, *Oxonii*, *Tholoſæ*, *Montiſſpeſſulani*, *Cantabrigiæ*, &c.)

[a] Rot. *parliam. inchoat. apud* Weſtmonaſt. *in Craſt.* Om. An. 13. Hen. V. *nu.* 15. *gallicè.* [b] *A.* 32. *b. C.* III. *a.* [c] *Reg.* Repyngdon *fol.* 136. [d] *In veteri quodam Statutorum Municipalium codice, linguâ Gallicâ conſcripto, ab initio autem Regni* Edoardi III *ad finem* Edoardi IV. *deducto. cap.* 8. [e] *Cl.* 1. Hen. V. *nu.* 29. [f] *Antiq. Britan. edit.* 1605. *p.* 374. [g] *Reg.* Arundell *fol.* 84. &c. [h] *Ut in corpore conciliorum.* [i] *Vide etiam in diſceptatione ſuper dignitate regnorum* Britan. & Galliæ, *habita ab utriuſque Oratoribus & Legatis in conc.* Conſtant. *edit. per* Rob. Wyngfeild *equitem*, *tempore* Hen. VIII

Oratores

Oratores rogarunt: tametsi in reliquarum Sessionum Actis Legati *Cantabrigienses* haudquaquã occurrunt; ac propterea ratione nullâ suffultus dici non potest Antiquarius [a] noster, cum dubitandum arbitratus est, an Oratores aliquos miserit Universitas illa, quamvis & è jam citato, & ex [b] *Harpsfeildio*, tertioque quodam Scriptore, posthac adferendo, id forte videatur probabile.

Orta vero in eodem concilio lite inter *Anglos* & *Hispanos*, cùm de præcessione seu loci prioritate, tùm gentis dignitate, utra scilicet ipsorum suffragia prius redderet, *Henricus* de *Abendon* Collegii *Mertonensis*, ac Universitatis *Oxoniensis* tum Syndicus, assistentibus sibi cæteris *Anglis* in medium prodiisse dicitur, copioséque & graviter pro inclytæ gentis suæ prærogativa perorasse, insuper ostendisse quantis privilegiis sedes Apostolica antiquissimum *Oxoniense* studium supra *Salamanticum* exornasset, nec non in Decretalibus, speciatim in Constitutionibus quæ *Clementinæ* appellantur priorem locum eidem concessum, ex quo etiam totius *Constantiensis* Concilii definitione, *Anglicæ* nationis primatum ab *Hispanis* obtinuit, quod & *Ricardus Flemmyng* (de quo antea) de *Oxoniensibus* optimè meritus in Concilio *Senensi* in *Hetruria* fecisse dicitur, cujus Orationis de *Angliæ* etymologia, nec non protestationis contra *Hispanos*, *Scotos* & *Gallos* meminit [c] *Balæus*.

Quid porro in Concilio illo de Schismate gestum fuerit, instituti non est nostri referre; Scriptoris tamen cujusdam errores notandos existimo. Is præfati Concilii acta, & res gestas teutonice [d] contexuit, in multorum vero nominibus Clypeisque gentilitiis falsus est; idque speciatim de Prælatis nostris eorumque insignibus edisserens; *Fredericum* quippe pro *Nicolao*, *Bathonienſi* Episcopo, *Thomam*que Abbatem *Obronicensem* pro *Eboracensi* habet. Hinc folio 145. ad Oratorum nomina, ac Universitatum, Scholarumque Scuta pergit; folioque 147. *Anglos* attingens, Scholam sublimem *Cantabrigiensem*, *Henricum Abundi*, *Johannem Wellys*, *Johannem Schierfordt*, *Thomam* [e] *Pulton*, *Rupertum Appleton*, & *Johannem Stokes* Legatos in eo Concilio habuisse falso perhibet. Deinde Universitatis illius insignia exhibet, viz. illa *Galliæ* & *Angliæ* quarteriata cum rubro libro in umbilico posito, quæ quidem insignia, in quibus turpiter erratum, inobservata præterit [f] *Gulielm. Segarus* qui tamen, quoad hos legatos, authorem præfatum sequitur. Sed ad *Oxoniensem* progreditur Academiam *Teutonicus* quem dixi historicus, quam cum *Cantabrigiensi* postposuisset, sublimis titulo non exornat (licet eodem alibi cohonestare non aspernetur) qui ut aliquatenus fidem suam tueretur, eundem quem prius *Cantabrigiensi* Clypeum assignat, nobis concedit; Interim tres tantum Oratores, nempe Dominum Priorem *Urseſtrii*, *Petrum Rodli*, & *Petrum Priamum Forbach*, largitur. Inde vero, quatuordecim Universitates Scutaque eorum militaria recenset, inter quas primum obtinet locum *Parisiensis*, octavum **Kundon** sive *Cantabrigiensis*, postremum autem *Oxoniensis*, quam *Oxensem* appellat.

Hinc denique Universitatum earum septem Scholas sublimes nuncupat, quarum de numero quatuor *Germaniæ*, Patriæ suæ, tribuit; primo loco *Parisiensi*, ultimo autem *Cantabrigiensi* adjudicato. Sic ille, qui nescio an partium studio, an crassissimâ inscitiâ obcæcatus, deliravit; cujus in ordinandis Academiis insipientiam, inque commemorandis Oratoribus stuporem aperire non vacat, licet facillimo negotio in omnibus fere quæ effutiverat, sit redarguendus. Etenim quis ignorat *Henricum Abendon* (non *Abundi* ut illi placet) & *Johannem Wellys* Decretorum Doctorem (de quo in anno CIↃCDX.) Legatis *Oxoniensibus* annumerandos esse? quibus si *Johannem* [g] *Stokes* adderem & *Robertum* [h] *Appletonum* à rei veritate non aberrarem, cùm illi (maxime autem postremo dictus) sub hæc tempora in registris nostris crebro reperiantur. Nemo certè sobrius crediderit *Henricum Abendonensem* qui pro Academiæ *Oxoniensis* prærogativis adversus *Salamanticam* oratione publicâ contendebat, *Cantabrigiensem* fuisse, nisi etiam fateatur isto seculo *Cantabrigiam* in nullo loco aut numero fuisse: an demum habuerit illa Legatos sex, nos autem, quibus *Wicliffius* ejusque Sectatores tantum negotii suppeditarunt, non plures tribus ad Concilium *Constantiense* misimus, Lectori lubens permitto. Cæterum in Scriptore illo amethodiâ graviſſimâ laborante, (utpote Scholam sublimem de **Kundon** postremo nonnunquam in loco ponente) non amplius hæreo; de Schismate præfato notandum obiter ducens quod ad annum usque CIↃCDXLIII. duravit, quo tempore ex *Frederici* Regis *Romanorum* rogatu, Universitatem *Oxoniensem* [i] Oratores transmisisse invenio, licet quinam illi fuerint compertum non habeam.

CIↃCDXVII.

Haud ita multo post Synodum Cleri frequentem *Londini* habuit [k] *Henricus Chichley* Archiepiscopus *Cantuariensis*, in quâ *Rob. Gilbert* S. T. P. Collegii *Mertonensis* Custos nitidissime peroravit, pro Beneficiis Ecclesiasticis utique & præmiis Academicis *Oxoniensibus*, conferendis, qui post multos annos in scientiis addiscendis positos, *Oxonii*, nullâ Studiorum mercede evocati, consenuere. Dehinc in eandem rem orationem pro *Cantabrigiensibus* habuit *Thomas Kyngtonus* LL. D. & Advocatus Curiæ *Cantuariensis* de Arcubus, atque mox in vigesimum inde annum constitutum est, ut Beneficia quorum proventus annui ad sexaginta marcas extenderentur, solis Doctoribus Theologiæ, legum aut medicinæ: quæ quinquaginta marcas redderent, solis earum scientiarum licentiatis aut Baccalaureis Theologiæ; ea autem, quorum redditus non superarent quadraginta marcas, solis magistris Artium, aut Baccalaureis Legum à Patronis conferantur.

Ita de beneficiis Ecclesiasticis statuerunt, quibus cura animarum annexa est. Similisque pene ratio pro uniuscujusque censu habita est in iis beneficiis, quæ non curata appellantur: additumque, ne decretum porrigeretur ad illos qui gradus ex gratia adepti essent. Verùm quia utriusque Academiæ statutis cautum erat, ne sacrarum literarum studiosi Theologiæ initiarentur, nisi qui prius fuissent artes professi, & ne juris Canonici studiosi in scientia sua Doctores crearentur, nisi qui Juri Civili operam de-

[a] *In Apol. lib.* 3. [b] *In Hist. Eccles. sec.* 15. *cap.* 7. [c] *In cent.* 7. *nu.* 90. [d] *Edit.* 1483. [e] *Educatus fuit in Acad.* Oxon. *deinde Episc.* Wigorn. *evasit.* [f] *In libro suo de honore militari & civili cap.* 19. [g] *In Reg. vel lib. epistolarum F. fol.* 12. *epist.* 40. *habentur literæ ad* Martinum *Pontificem in gratiam M^r* Ioh. Stokys *LL. D. datæ an.* 1428. [h] *Nota quod* Henricus *Archiep.* Cant. Constantiam *edicto Pontificio citatus*, Robertum Apulton *Eboracensem &* Ioh. Forst *Lincolniensem Canonicos*, *Procuratores suos* Constantiam *ante biennium ablegaverat.* [i] *F. epist.* 166. [k] *Antiq. Britan. p.* 278. *vide* Twynum *in Apol. lib.* 3. *sect.* 43. &c.

dissent

dissent; & in gratiam Monachorum, Canonistarum ei decreto hæc conditio apposita est, ut nisi antiquatis iis statutis non promulgaretur. *Oxonium* igitur à Synodo missi sunt *Thomas Felde* Decanus *Herefordiensis*, & *Thomas Lentwardyn* Cancellarius Ecclesiæ D. *Pauli Londinensis*, qui cum Artium Magistris, quorum suffragia in Academia prævalent, ea de re agerent. *Cantabrigienses* etiam Magistri per literas Synodi ea de re moniti sunt; quibus utrinque conditionem repudiantibus, ne Doctoribus in consequendis beneficiis inferiores haberentur, decretum utrique Academiæ utilissimum futurum eo tempore in irritum cessit.

Hæc ergo perinde ac Provisionum corruptelæ & exagitatum ubique jus patronatus, maxime autem bellum inter *Anglos Gallosque* internecinum, Academicos nostros alio se conferre cogebant; cum vero *Angli*, *Normanni*, *Andegavenses*, *Pictavienses*, *Aquitani*, *Britanni*, *Vasconienses*, aliæque sub ditione *Anglicanâ* gentes, per ea tempora commode Actus Scholasticos *Lutetiæ* præstare non poterant, *Cadomum* in *Normanniâ* [a] migrarunt, quem locum *Henricus VI.* in Universitatem erexit, dato in Præsidem & Prælectorem Magistro *Michaele Tregorey* Doctore *Oxoniensi*, quo scilicet Academiæ istius disciplina ac scientiæ firmissimas ibidem radices agerent. Sed hæc obiter; ad Sanctionem in prædictâ Synodo de Beneficiis Ecclesiasticis conferendis factam redeo, quam tertio abhinc anno Magistri *Oxonienses* mutatâ in melius sententiâ gratis animis [b] admiserunt, misso ad Synodum Cancellario suo *Joh. Castello*. Ea res Fratrum potissimum, quorum interesse præsertim videbatur, operâ peracta; atque jubente Rege Comitiis Parliamentariis [c] confirmata.

CIↃCDXIX.

Nihil hoc anno occurrit memorabile nisi [d] Decretum pro anniversaria commemoratione Mri *Joh. Aylmere* (quondam ni fallor LL. D. e Collegio *Novo*) in missarum solennibus Crastino S. *Martini* præstanda: qui quidem Magister inter alia valoris non contemnendi Universitati Legata, contulit nobis memoriale quoddam ad usum Cancellarii Universitatis qui pro tempore fuerit, *Cupam* scilicet argenteam cum cooperculo & *Swagis* (ansæ fortassis intelliguntur) deauratis quam Cancellarius quando officio cederet, una cum libro & sigillo resignare deberet, & novo electo Cancellario conferre.

CIↃCDXX.

Omitto regii Concilii decreta saluberrima ad pacem regimenque Universitatis pertinentia. Hac autem tempestate nova disputandi ratio in Theologiam invecta est --- *Solebant* (inquit [e] *Gascoignus*) *Doctores Theologiæ* Oxoniæ *nullam quæstionem disputandam in Scholis* Oxoniæ *proponere nisi textum aliquem Scripturæ sacræ, puta utrum Deus noster refugium & virtus, sit adjutor in tribulationibus; quod non, arguitur sic & sic. Et Doctor* Richardus Flemmyng Eboracensi *Diœcesi natus, qui fuit Episcopus* Lincolniensis *famosus circa an. Dom. CIↃCDXX. induxit* Oxoniæ *modum usitatum jam inter Theologos* Oxoniæ *in quæstione proponendâ & in quatuor quæstionibus proponendis concernentibus primum & secundum & tertium & quartum librum Sententiarum*, &c.

Quin & adnotandum Universitatem quoad alumnorum quidem numerum imminutam, quoad Theologiæ vero Scholasticæ peritiam per hæc tempora incrementa accepisse. Unde non immerito à scriptoribus plerisque decantatam his temporibus abunde reperio; quorum [f] uni (qui nova scribendi methodo Anglicana latinis permiscet) appellatur *vera nutrix virtutis omnium nostrum mater, quæ nutrivit & produxit plures sapientes filios ad honorem Dei & indies producit. Sol in quo ista Domina est amicta, est sol sapientiæ quæ est speciosior Sole materiali, ut scriptura ait* Sapient. VII. *Et sicut per Calorem solis herbæ & flores excrescunt, terræ arbores frondescunt & fructificant, sic per calorem Solis sapientiæ perardentem,* **in lust and desire that me hath** *ad scientiam & clerimoniam, pulchri flores, Scholares, crescunt in omni facultate; per hoc isti teneri Grammatici frondescunt, acuti artistæ, subtiles Philosophi, & discreti Legistæ pulchriter florescunt; sed fructus omnis nostræ scientiæ quæ est verbum Domini & cognitio nostri Creatoris per firmam fidem præcipue moratur cum Theologis, & ideo ista sapientia hujus Universitatis super omnes alias potest comparari Soli; quia licet aliæ Universitates splendescant in firmamento Ecclesiæ, tamen carent parte luminis, & non sunt nisi parvæ stellæ in respectu nostri solis. Alia studia præcellunt in particulari scientiâ, sicut* Parisius *Theologia*, Bononia *Jure*, Salerna *Medicina*, Tholosa *in Mathematicis*; *sed hoc ut verus fons sapientiæ præcellit in omnibus. Iste clarus Sol dedit lumen olim toti regno,* **the bright beames** *nostræ sapientiæ* **spred** *totum mundum. Omnia alia studia ceperunt concilium, & exemplum de isto, omnia regna honorabant id,* **as fer as god hath Lond**, Oxonia *habuit nomen*, &c. Cum aliis encomiis, quæ omittam; non minus veris, eo quod verbis hibridis describantur.

CIↃCDXXI.

Ad *Henrici V.* exitum jam pene nobis deventum est, cujus Regnum breve enimvero & turbulentum fuit, Academiâ interim nostrâ haud modice, ut ea ferebant secula, florente. Is autem in tenerâ ætate [g] constitutus sub *Henrici Beaufort* avunculi sui, ad Episcopatum postmodo *Wintoniensem* evecti, tutelâ in Collegio *Reginensi* educatus est; unde Academicos nostros egregio favore amplectebatur; & ad dignitates Ecclesiasticas frequentes evexit; immo emendanda Universitatis Statuta, Collegiumque in Castro *Oxoniensi* exstruendum meditabatur, eique Prioratus in *Angliâ* quos alienigenarum vocant, consignare destinabat: quorum magnam partem *Henricus* filius (ipse enim morte præventus cogitata non perfecerat) Collegiis suis *Eatonensi* & *Cantabrigiensi* addixit.

Quod ad *Oxonienses* ejus temporibus inclarescentes attinet, permultis recensendis non est ut insistam; præ aliis vero memorandus *Thomas Waldenus*, è fratrum de monte Carmelo Familiâ, quem Sermonem Divi *Augustini de triplice ratione pœnitentiæ* perpetuo fere allegasse refert [h] *Gascoignus*. Inter Tractatus quos scripsit primum sibi locum vindicat *Doctri-*

[a] Rossus *in lib. de Regibu. MS.* [b] *Antiq. Britan. ut supra, pag.* 279. [c] Toh. Walsingham, *edit.* 1603. *p.* 404. [d] *In A. fol.* 35. *a.* [e] *In* 2. *parte Dict. Theol. p.* 445. 447. *& partim in quodam MS. in bib.* Lambethiana. [f] *Anon. MS. continens divarsas lat. sermones, in bib.* Bod. *fol.* 48. [g] Rossus *ut supra p.* 257. [h] *In* 1. *part. Dict. p.* 165.

nale Antiquitatum Eccleſiæ, &c. contra *Joh. Wiclifſium*, *Johannem Huſſe* eorumque imitatores contextum. Fuit iſte (inquit *Gaſcoiguus*) confeſſor *Henrici V.* & *VI.* Regum *Angliæ*, cujus nomen fuit ante introitum in Ordinem Carmelitarum *Netter* id eſt *Compoſitor retis*, *& merito quia fecit rete in quo capientur & convincentur hæretici per evidentias & dicta ſanctorum Doctorum.* Florebant quoque ſub hæc, præter alios, *Petrus Clerck* alias *Payne* inſignis *Wiclyffita*, de quo plura deinceps habebis.

Hoc inſuper anno ad Synodum *Londini* coactam edicto Archiepiſcopali vocantur *Joh. Caſtell* Academiæ *Oxonienſis*, & *Joh. Rykynghall Cantabrigienſis* Cancellarii, uterque ſacrarum literarum Profeſſor, qui orationibus ornatis pro utriuſque Academiæ ſtudioſis exorarunt, ut decretum ante quatuor annos in Synodo latum de conferendis beneficiis in eos ſolos, qui gradibus academicis erant ornati, pro beneficiorum cenſu, & graduum dignitate, jam promulgaretur, adjecta priore conditione, ſi abrogatis antiquis Academiarum ſtatutis, monachi qui artes non attigiſſent Theologiæ, & ſacerdotes, qui jus civile non didiciſſent, juri canonico initiari poſſent: quod Artium Magiſtri in utraque Academia, mutato tandem conſilio, conceſſerunt. Eodem quaſi tempore Sanctionem de utriuſque Academiæ Graduatis ad beneficia evehendis evulgare propterea maturavit [a] Archiepiſcopus, quod eam rem rogaſſent ordines Parliamentarii.

CIↃCDXXII.

Sub id Scholares *Hiberni* (qui nobiſcum eâ jam conditione degebant, ſi injuriis abſtinerent, pacemque Academicam minime turbarent) in priſtinis deprehenduntur flagitiis; & ad Regni Ordines eo nomine ab utraque Academiâ libelli [b] ſupplices deferuntur. A noſtratibus autem furti & homicidii tum extra Univerſitatem, tum in illâ perpetrati, necnon Balivorum in colligendis Feodi firmi reditibus interpellatorum, accuſantur. Revocato itaque ſtatuto ſupra ſub an. CIↃCDXIII. memorato, exilio damnantur; hac tamen ſervatâ cautione, ne cum nocentibus plecterentur inſontes, verum quorum de probitate conſtaret, adhibitis ſponſoribus, licentiam *Oxoniæ* commorandi obtinerent, gerendi vero Magiſtratus incapaces omnino eſſent. Inter hæc ſtatutum [c] edidit Univerſitas contra viros nefarios **Chamberdekenys** (ut ante dictum in anno CIↃCDXIII. nuncupatos; qui ſub nominis Scholaſtici obtentu ſcelera quamplurima patrabant: quod ut liberius fieret, nullam Aulam incolebant, neque Præpoſiti alicujus regimini ſuberant. Quo malefici autem ejuſmodi caperentur, & bannitione perpetuâ caſtigarentur, ordinatum eſt, ut quicunque in Collegio aliquo Aulave victum ſumerent, ibidem pernoctare tenerentur; primi vero delicti pœna eſſet incarceratio.

Abinde ergo ad Academiam noſtram, Gymnaſium Hibernorum à *Balæo* appellatam, rari admodum commearunt *Hiberni*; quod utique Aularum & Hoſpitiorum Prefecturâ, ac Tutorum inſuper munere excluderentur; unde Gentis illius Aulas (quæ quidem haud paucæ *Oxonii* erant) corruiſſe ſenſim, & non minus quam Plateam olim *Hibernorum* vulgo **Iriſhmanſtreet** vocatam, evanuiſſe crediderim.

Septimo autem poſthæc anno contra *Hibernos* (quos pro *Oxoniâ* exterminatis habeo) nec non *Wallos* &c *Scotos* querelas apud Regni Ordines [d] depoſuit Academia *Cantabrigienſis*, de ſceleribus ibidem inque Comitatu *Eſſexiæ* patratis criminata; quibus nempe adſcribenda eſt quæ dictam Urbem VII° *Henrici V.* afflixit calamitas, quo tempore centum amplius Burgenſium domicilia incendio conflagrarunt.

CIↃCDXXIV.

Hunc annum infamem potius reddidere quam memorabilem Scholares quidam, Comitis *Warwicenſis*, authoritate ſummâ pollentis, Famulos, & Seniorem Univerſitatis Procuratorem vi & armis adorti: cujus criminis gratiam deprecabatur Academia, pœnam ſontibus irrogandam pollicita, prout è literis [e] noſtris, à Comite præfato benigne acceptis, conſtat.

CIↃCDXXV.

Graviſſimæ inimicitiæ Presbyteris ſecularibus cum fratrum mendicantium familiis multos jam annos interceſſerant; quorum ſcilicet poſtremo dicti omnia in proprium commodum rapientes, Parochis jure ſuo ſpoliatis vitæ ſubſidia omnia propemodum ſubſtrahebant. Hac in re pro Anteſignano ſe gerebat *Gul. Ruſſel* è Fratrum Minorum ſodalitio, alumnus pridem *Oxonienſis*, nunc autem è Conventu ejus Ordinis *Stanfordienſi*, denique vero Conventus *Londinenſis* Guardianus. Is in animo præſertim habuit decimas Parochis unice collatas impugnare, quod Deum minime præcepiſſe contendebat; quin liberum eſſe Chriſtianis eaſdem ad uſus quoſcunque religioſos convertere, & ſive Curatis, ſive Parochis, ſive demum pauperibus (mendicantibus puta Fratribus) donare. Cæterum *Londinum* XIV. *Aprilis* accerſitus, inque Concilio [f] Provinciali apud Divum *Paulum* habitâ, eorum quæ ſcripſerat quæque enuntiarat rationem reddere juſſus, [g] palinodiam poſt paulo cecinit. Ad eandem vero Synodum tranſmiſit Univerſitas opinionum ejus Capita, ſententiamque de iiſdem ſuam, Epiſtolâ [h] ſatis longâ ſigillo publico munitâ enarravit, cujus partem tantum huc adferendam judicavi, ſic autem ſe habet.

--- Verum quia nuper nobis innotuit cujuſdam Novelli inſana doctrina contra Decimas perſonales, cujus miramur audaciam & dolemus inſipientiam, ſcil. ejus pertinaciam & Eccleſiæ contemptum ſuſtinere reveremur; & ne noſtra taciturnitas ſeu negligentia tacito conſenſui aſcribatur, in ipſa materia ſcribere curavimus, quod concordes cenſuimus & in evidens teſtimonium noſtro ſigillo communi decrevimus; ad veritatis dilucidationem & obſequium Eccleſiæ ut tenemur, dicimus & firmiter concipimus; quod Decimæ perſonales tam ex præcepto juris divini, quam ſanctorum Patrum traditionibus, ſub authoritate Eccleſiæ cum concordi juris judicio debeantur Eccleſiis, & eorum miniſtris curam Animarum habentibus, & ſacramenta miniſtrantibus ex authoritate Eccleſiæ. Magna namque eſt ſacroſanctæ Eccleſiæ authoritas, extra quam fides plane perpendit nullam poſſe pervenire ſalutem fidelibus. Ne illi ergo reſideat ſpiritus peſtilens

[a] *Reg.* Chichley *vol.* 2 *fol.* 13. *b.* [b] *Rot. parliam.* 1. Hen. VI. *m.* 2. *nu.* 43. [c] *In A.* 64. *b.* [d] *Rot. parliam. petitionum* 8. Hen. VI. *& in* Haro *in Reg. ſuo chartarum de Acad.* Cantab. [e] *In F. ep.* 8. [f] *Ut in Reg.* Chichley *fol.* 44. [g] *Ibid. fol.* 45. *&* 54. [h] *In F. epiſt.* 20. *& in Reg.* Chicbley *fol.* 49.

peſtilens, aut opinio corrumpens, ubi locus quæritur fidei orthodoxæ, verba per adverſarium præmiſſæ noſtræ ſententiæ prædicata, quæ etiam ſub avaritiæ ſubtili fuco deprehendimus palliata, reprobamus, & tanquam erronea atque hæretica declaramus, quorum demens tenor cum reprobo ſenſu ſic ſequitur Catholica damnatione merito fulminandus. Decimæ perſonales non cadunt ſub præcepto divino ſaltem ut ſolvantur Parochiali Curato, quare licet veſtrum unicuique, niſi conſuetudo in contrarium fuerit, in pios uſus pauperum eas deſpenſare. Et iterum, perſonales Decimæ ſub divino non cadunt præcepto, neque jure debentur ubi ſolutionis non eſt conſuetudo. Quicunque hanc ſententiam tenuerit & pertinaciter defenderit apud reputationem noſtram Hæreticus eſt cenſendus, & quia à ſana doctrina Eccleſiæ eſt diviſus, à corpore ejuſdem Eccleſiæ velut membrum putridum eſt merito præſcindendus. O honorabiles Patres & Domini, ô Univerſitates Catholicæ, & quicunque fideles, ſcrutamini in Scripturas, Canones inſpicite, &c.

Porro autem, quo pernicioſa hujus viri dogmata penitus extinguerentur, [a] conſtituit poſtea Univerſitas, ut ad Gradum admittendi de iiſdem nec ſuadendis nec defendendis juramentum ſub hac formâ præſtarent. --- *Inſuper tu jurabis, quod nullas concluſiones per fratrem* Willielmum Ruſſell *Ordinis Minorum nuper poſitas & prædicatas contra decimas perſonales, & in noſtra Univerſitate* Oxon, *necnon in venerabili Concilio Epiſcoporum an. Dom. MCDXXV. celebrato* Londiniis *ſolenniter damnatas, nec alicujus earum ſententiam tenebis, docebis vel defendes efficaciter, publicè vel occultè. Nec aliquem Doctorem, Tentorem vel Defenſorem hujuſmodi ope, Conſilio, vel favore juvabis.*

Conſtitutio illa vim obtinebat uſque ad annum CIↃDLXIV. tum enim novis quibuſdam rogatis decrevit [b] Univerſitas Statuta *Wicliffium* & *Ruſſellum* tangentia pro caſſis in poſterum & irritis eſſe habenda. Ejuſdem vero *Ruſſelli* doctrina [c] erat, poſſe virum religioſum feminam comprimere abſque mortali reatu; quam etiam ſententiam in judicium citatus revocavit. Academia inſuper *Cantabrigienſis* [d] literas ad Concilium Provinciale eodem quo noſtra tempore dedit; quibus decimas Parochis penſitandas eſſe tam potenter eviciſſe dicitur, ut quæ in contrariæ opinionis defenſionem proferret, vix cuiquam hominum ſuppeterent argumenta. Deniq; *Ruſſellum* hunc ex Ordine Divi *Auguſtini* Eremitæ fuiſſe reperio, inque Theologiâ, anno CIↃDXXIX. *Oxoniæ* Incipientem, nomine Epularum die Inceptionis, decem Univerſitati libras [e] pependiſſe.

Hoc eodem anno *Gulielmum Lynwode* & *Thomam Bromis*, LL. Doctores, Eccleſiæque ſuæ Officialem & Cancellarium, *Oxoniam* [f] amandavit Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, cum poteſtate nimirum Collegia ſibi ſubdita viſitandi. Hi *Mertonenſes* primo adibant, quibus ordinationes quaſdam (unam vero ſpeciatim ad ſociorum numerum ſpectantem) condidere; atque hinc [g] excepto *Reginenſi* ac *Novo*, ad reliquas Domus ſolenniter profecti, de hæreticâ pravitate diligenter inquirebant, inque deprehenſos vel ſuſpenſione, vel etiam expulſione animadvertebant. Certe *Lollardis* infenſus adeo fuit *Bromeſius* ille, ut cùm anno deinde CIↃCDXXIX. ad Epiſcopatum *Ciceſtrenſem* (cujus jam Eccleſiæ Canonicus erat) evehendus eſſet, Academia [h] ſcriptis in viri gratiam literis, tum ab aliis capitibus, tum ex eo quod ſub Archiepiſcopo *Cantuarienſi* in minoribus agens officiis, *contra ſævos Eccleſiæ & fidei inimicos* (*verſipelleſque* Lollardos) *nobiliter dimicaverit*, *Martini* Pontifici commendaret.

CIↃCDXXVI.

Hoc anno notandum [i] Conſtitutionem de Ciſtâ v. clavium, anno CIↃCDXI. immutatam nonnihil fuiſſe; è [k] libris enim noſtris conſtat in Congregatione magna Regentium & non Regentium, XXI. *Januarii* habitâ ordinaſſe Academiam, ut *unam quinque clavium cuſtodiat Cancellarius qui pro tempore fuerit, & duo Regentes Artium eligendi ad illius ciſtæ cuſtodiam Auſtralis & Borealis cuſtodiant etiam duas, duas autem alias claves habeant duo Magiſtri Artium non Regentes Collegiati Auſtralis & Borealis, qui ciſtæ ejuſdem cuſtodiam habeant à Feſto Pentecoſtes proximo futuro uſque ad proximam congregationem Regentium poſt electionem procuratorum*, &c. *In eadem ciſta omnia jocalia Vniverſitatis aurea vel argentea & omnes pecuniarum ſummæ ad dictam Univerſitatem qualitercunque proventuræ, præter ea quæ ex legatione vel dato pertinebunt officiis Cancellarii vel Procuratorum, & præter ea quæ ex voluntate legantium & Donantium aliter fuerint conſervanda, effectualiter reponantur. Ad vero Procuratorum cuſtodiam de cætero ſolummodo ſub pœna duplandi recepti perveniant quæ ſequuntur, viz. centum ſolidi de redditu Univerſitatis annis ſingulis abſq; pluris perceptione. Item aſſiſa panis & ceriviſiæ; item caſualiter provenientia per hoc verbum* propono; *Item redditus provenientes pro diſtributione Regentium & pro pauperibus Scholaribus in die S.* Nicolai *depaſcendis, & pecuniæ à Grammaticis recipi conſuetæ. Item communiæ in licentiatinibus & graduationibus perventuræ. Item duo Nobilia de redditu Vniverſitatis Receptoribus ejuſdem redditus exſolvenda. Item pretia Armorum forisfactorum, & pecuniæ per appellationes levatæ ſeu levandæ.*

Ciſta vero illa nobis ad Monaſteriorum domumque religioſarum everſionem ſuperfuit; dum cultus autem divinus in meliorem formam redigeretur, & fugientibus Pontificiis, [l] Scholaribus pene vacua eſſet Univerſitas, nefarii quidam homines cum reliquis Academiæ Ciſtis eandem diripiebant. Inanis inde complures annos jacebat, nunquam, ſic enim ferunt literatorum fata, deinceps adimplenda.

CIↃCDXXVII.

Hunc annum inſignivit pax Eccleſiæ conciliata, ablato in præſens quo diu multumque vexata fuerat pernicioſiſſimo ſchiſmate; quare Papæ *Martino* per literas [l] gratulabatur Univerſitas, quod à Concilio *Conſtantienſi* in ſummum Pontificem electus eſſet. Eum vero pluribus laudibus proſequitur, & deinde

[a] *A fol.* 8. *b.* & *in quodam MS. in Bib.* Bod. *C.* 2. *b. fol.* 94. *b.* [b] *B.* 119. *a.* & *in* I. 185. *b.* [c] *Reg.* Chichley *fol.* 35. [d] *Ib. fol.* 50. [e] *F. fol.* 15. *a.* [f] *Ib. in Reg.* Chichley *fol.* 362. [g] *Sic in Reg. quodam pergam. repoſito in ciſta œcon. in ſcaccar. Coll.* Merton *p.* 27. [h] *In F. Epiſt.* 46. [i] A. 33. *b.* [k] *Ib. in* A. 36. *a. B.* 100. *a.* &c. [l] *F. fol.* 9. *b. ep.* 36.

ſupplicat ne æmulorum maledictis credat de *Henrico Chichley* prædicto, pro quo intercedit, & quem late commendat. Cæterum eâ de re ſcriptoris [a] haud incelebris verba accipe: Oxonienſes (inquit) *literis Academiæ publicis xi. Kal. Auguſti datis pro eo apud* Martinum *intercedunt, in quibus ampliſſimo teſtimonio, ipſum vitæ ſpeculum, morum lucernam, populo cheroque clariſſimum, candelabrum aureum in templo Eccleſiæ Anglicanæ conſtitutum appellantes; Pontificem obteſtantur, ne præſulis optimi famam privatis obtrectatorum delationibus apud ſe ſuggillari patiatur*, &c.

Sub id porro frater quidam *Gulielmus* de *Melton*, prædicti *Ruſſelli* diſcipulus, in Decimas perſonales ubique invehebatur, aliaſque præterea opiniones hæreticas proſeminabat; qua de re frequentes ad Univerſitatem querelæ deferuntur, quo alumnum utique ſuum ipſa, ut par erat, caſtigaret. Citatus itaque à Doctoribus & Magiſtris in judicium eſt: verum cum authoritati noſtræ parere, præſentemque ſe ſiſtere abnueret, rem Univerſitas *Humfredo*, pio illi *Gloceſtriæ* Duci, ac Prælatis, & Dominis magnificis de Concilio Regis, patefecit, cujus in [b] literis hæc præter alia occurrunt: --- *conceptam enim de quodam nunc degenerante, licet olim dictæ noſtræ matris alumno, Fratre* Willielmo Melton *de ordine minorum, admirationis & turbationis non injuſtæ materiam non ſine punctione noſtræ mentis attendimus, ſed inviti potius eam referimus cum dolore. Hic in obedientiam filialem in obſervandis privilegiis & ſtatutis matris noſtræ, verbis & geſtibus promittebat. Qui etiam regni diſcurrendo provincias inſana prædicando diſſeruit, ac inter ſimplices & plebeios in pleriſque locis per verba incircumciſa ſeditiosè docebat, prout fama publica (ſeu verius infamia) & fide dignorum teſtimonia atteſtantur*, &c. Deinde pergit Academia virum ipſum quæque patrarat ulterius depingere, atque ſuorum neminem eidem favere teſtata, obnixe rogat, ut rationem aliquam excogitarent qua *ad obedientiam debitam & Domicilium ſuæ Matris* redire compelleretur; quem deprehenſum inde, & coram Epiſcopis protractum, ad Univerſitatem denique miſſum reperio; ubi, poſtquam errores iterum atque iterum flexis genibus revocârat, in priſtinum vitæ ſtatum ægre demum reſtitutus eſt.

CIↃCDXXIIX.

Res geſtas haſce, lites cum Civibus excepere; motæ [c] nimirum de tollenagio, quin verius extortione, *à communibus victualariis ſivè à vendentibus victualia, puta Oſtrea, Ova, cuniculos, Columbellas, extorquendo in præjudicium Regiæ Univerſitatis, in communis fori diſpendium, in communitatis ſtudentium iniquum detrimentum & contra curſum conſcientiæ regularis.* Accenſis ergo Academicorum animis, *Thomam Coventry* Majorem, *Gulielmum Offord*, & *Gulielmum Herberfeild* Aldermannos, *Gulielmum Frankelyn* Ballivorum alterum, cum *Michaele Norton* Recordatore ſive memoriæ Magiſtro, *Gulielmo Goldſmyth*, *Hugone Benet*, aliiſque Burgenſibus *Oxonienſibus* comparere coram ſe jubebant. Hi autem in plenâ & ſolenni Regentium & non Regentium Convocatione, in domo congregationis (cui interfuere Nobilium filii, Dominus *Thomas Bouchier*, D. *Thomas Pole*, & D. *Gulielmus Scrope*) præſentes ſe dabant; cumque iis quæ à Doctore *Chace* Cancellario (demirari ſe perhibente cur Academicis infeſti adeo eſſent) proponerentur, reſpondere nequirent; mendacio ſe purgabant, dicentes palam & publice tunc & ibidem; *quod nec ipſi, nec eorum unus aut aliquis alius, per eos, ſeu eorum nomine, talia exigebant, vel exigebat; nec etiam per antea in quantum eis conſtabat per aliquem erant exacta.*

CIↃCDXXIX.

Atqui vero haud ita multo poſt gravia non minus pretia Academicis de integro extorquebant Oppidani, unde exacerbatis quam maxime noſtrorum animis, prædicti *Herberfeildus* pannorum mercator; *Goldſmythius* Burgenſis; *Franklynus* Salſamentarius & *Johannes Walkerus* Braſiator, Ballivi; necnon Recordator *Nortonus* commercio cum Scholaribus & Privilegiatis [d] arcentur. Statutum jam erat Academiæ præfatas Oppidanorum fraudes coercere, proptereaque decreverat, ut quamcunque pecuniam in proſequendâ lite erogaret Cancellarius è fiſco publico rependeretur. Verum ſuccubuere brevi Burgenſes, pacemque ſuppliciter petentes, eandem Juſtitiariorum Regiorum (*Oxoniam* circa Feſtum S. *Margaretæ* [e] advenientium) operâ, æquis conditionibus impetrarunt.

Quod ad ipſius Academiæ ſtatum, numerumque Scholarium attinet, floruiſſe ſane mediocriter illam, & frequentes (immo nec pauciores quam ante annum inde centeſimum) alumnos habuiſſe ſatis conſtat; quanquam eorum plerique Clerici erant, qui vel non procul *Oxonio*, vel etiam in *Walliâ* & *Scotiâ* Eccleſiaſticis Beneficiis fruebantur; huc autem literarum partim ſtudio allecti confluxere, partim vero quod alieno ære oppreſſi, legum laqueos quoad Diſtrictiones & Arreſtationes (ut cum Leguleis loquamur) metuerent; atq; in Collegiis, Aulis, Hoſpitiis, Aditibuſve, tanquam in Aſylis in tuto eſſe poterant. Cæterum ea res creberrimis populi querimoniis materiam præbuit, quorum Paſtores in deſidiâ tenebriſq; conſenuere, ipſi autem velut oves ductore carentes quotidianis erroribus obnoxii erant. Quapropterà Provinciæ *Cantuarienſis* Prælatis ordinatum eſt, *quod utriuſque Academiæ Cancellarii ſeu vicem gerentes, in prima ſua admiſſione ad ſua officia juramentum præſtent corporale (alioqui non admittendi) quod bis ſingulis annis de ineptis & inidoneis hujuſmodi per ſingula Collegia Aulas vel Hoſpitia ſpecialem faciant inquiſitionem. Quod ſi quos ibidem etiam juvenes beneficiatos nulli deditos ſtudio, in otio & deliciis vitam degentes repererint, de eiſdem Diœceſanos, Epiſcopos ſeu Ordinarios, ubi Beneficiati exiſtunt, cum omni qua poſſint celeritate & diligentia certiores facere non omittant. Qui mox eos ad reſidentiam in Eccleſiis ſuis Parochialibus debitam, & hoſpitalitatis ſolatium (quæ ſub velamento ſtudii deſides hujuſmodi fraudulenter ſubtraxerint) canonicè cogant & compellant*, &c.

Quamdiu viguerit Conſtitutio illa dicere nequeo, verum profecto damnandi quam maxime erant horum temporum Clerici, quorum haud pauci pretio Gradus [f] obtinebant, nulla morum doctrinæve habitâ ratione (quod in maximum rei literariæ diſpendium fieri nemo facile negaverit) perplures autem vel in Academiis, vel in Magnatum domibus ætatem [g] terentes proventus Eccleſiaſticos longe à ſuis eroga-

[a] Arth. Duckius *in vita H.* Chichley *edit.* Oxon. 1617. *p.* 81. [b] *In F. ut ſupra ep.* 37. [c] *Ibid. fol.* 12. *b.* 13. *a.* 14. &c. [d] A. 68. *b.* [e] *Rot. comp. camerar.* Oxon. 7. Hen. VI. [f] Gaſcoigne *in* 1. *part. Dict. Theol. p.* 327. [g] *Ibid, p.* 330.

bant

bant; qualem Clericorum vitam improbasse omnino liquet S. *Thomam* Archiepiscopum *Cantuariensem*, Cancellariatu *Angliæ*, cum Episcopus crearetur, sese ultro abdicantem, adversante interim Rege ac monente quod eodem tempore tam apud *Gallos* quam *Germanos* id Muneris gererent Episcopi.

CIↃCDXXX.

Hoc anno haberi cœptum est Concilium *Basiliense*, *Eugenii IV.* Pontificis Maximi auspiciis; quod revera à *Papiensi* & *Senensi* prius habitis diversum non erat. Eodem vero, jubente *Eugenio*, Oratores missse dicitur Universitas *Oxoniensis*, qui cum patribus reliquisq; (quibuscum transigendum erat de Religione reformandâ, Ecclesiisque Occidentali atque Orientali componendis) *Ferraram*, propter ingruentem pestem, deinceps evocabantur. At enim nec de Oratorum eorum nominibus constat, neque indubium crediderim amandatos à nobis aliquos fuisse, cum Academicos apud *Chichleium* Archiepiscopum Clerumque *Londini* convocatum de inopiâ suâ conquerentes inveniam, palamque profitentes Legatis ibidem alendis impares omnino esse. Accipe autem ipsam eorum Epistolam [a] in hæc verba conscriptam: --- *Hinc namque sacrosancta Synodus Universalis Ecclesiæ* Basileæ *jam celebrata, nostræ Universitati tanquam cui plurimum incumbit fidei Orthodoxæ Christianæque saluti consulere, de disertissimis præclarissimisque Doctoribus & Magistris nostris, electissimos Oratores, tam pro pestiferarum hæresium extirpatione terribiliumque guerrarum tranquillatione, quam de privatarum nequitiarum populi correctione sibi festinanter dirigere, nuperrime suis literis gratiosis injunxit; etiam quædam à celeberrimis doctissimisque viris Rectoribus, Doctoribus & Magistris præclarissimæ Vniversitatis studii* Parisiensis *notabiles epistolæ nobis dudum directæ, pro tam benedicti præmissi complemento aliarum Vniversitatum exemplo ipsi sacræ conventione nostros Oratores, una cum iis continuo ad tribuendum assistentiam benigniter persuasere. Quæ nimirum sacra mandata sanctaque hortamina nostro unanimi cætui merito præcarissima, quanquam ut nostrum speciale debitum interiusque affectatum, cum aliis celeberrimis Vniversitatum studiis pro universali Catholicæ plebis commodo gratissimè exequeremur; inediâ tamen qua premimur impediente, ipsa nostro salvo honore de quo interim gravi mœrore contristamur, hac vice debito mancipare effectui non valemus, nisi à vobis utpote nostris Benefactoribus, vestri gratia procuratoribus, prout hactenus est consuetum, casu in consimili pro expensis nostrorum Oratorum ad nostri cætus statum licet exiguum, in ipsa celebri & sancta Congregatione generali honorificè præsentandum, copiosa fiat provisio*, &c.

Hinc vero precibus apud Episcopos instabant ut sese (ædificiorum publicorum si bene memini impensis) ad egestatem pene redactos, collatis symbolis juvarent; quod ubi aliquâ ex parte præstitum est, Oratores (etenim delegatos tantum prius missse opinor) ad prædictum [b] Concilium amandarunt; qui cum aliis inibi operam Ecclesiæ navantes, salubrem tandem illam in XXXI. sessione Constitutionem pepererunt: *Quod* scilicet *in singulis Cathedralibus Ecclesiis & etiam Collegiatis, provideatur de uno Theologo concionatore, Magistro licentiato, vel Theologiæ Baccalaureo, qui per decennium in aliqua Vniversitate privilegiata studuerit: Et quod tertia pars Præbendarum in singulis Cathedralibus Ecclesiis eodem modo conferatur, viz. Theologis qui per decennium in Vniversitate privilegiata aliqua studuerunt. Doctoribus vero seu licentiatis in altero jurium vel medicina, qui per vii. annos in sua facultate in aliqua Vniversitate studuerint. Magistris vero seu licentiatis in Artibus cum rigore examinis, qui per quinquennium à Logicalibus inclusivè & supra in Artibus vel in alia superiore facultate studuerint, nec non illis qui studuerunt Theologiæ vi. annos. Baccalaureis in altero vel utroque jure qui per triennium in ea facultate studuerint, si fuerint nobiles ex utroque parente; si vero non, tum per quinquennium. Eodem modo in Ecclesiis Parochialibus quæ in Civitatibus aut Villis muratis existunt; aut saltem habeant Theologum trium annorum in aliqua Vniversitate privilegiata, vel studentem in aliquo jure, vel Magistrum Artium per triennium*, &c.

Ad hæc autem idem Concilium statuit & ordinavit [c] remedium contra ista *Annata* quæ Anglicè vocant primitias sive primos fructus Episcopatuum, *sed illud remedium* (inquit [d] *Gascoignus*) *non vidimus executum; an sit executum in* Francia *nescio.* Sic ille, qui super Annatis iis hæc alibi habet. --- *Quis tunc Annata solvit Romano Pontifici antequam esset Episcopus? certe nullus. Sed* Johannes XXII. *Papa Romanus tales pecunias solvi sedi Romanæ procuravit pro terra promissionis eripienda è manibus Paganorum & Gentilium, & postea pecuniæ illæ remanent cameræ Papæ & suis ministris*, &c.

Atqui sub hæc, Fiscum Academicum non modo Ædificia (ut supra retulimus) publica, sacræ nimirum Theologiæ Schola, verum & crebra cum Civibus dissidia jam pene exhausserant; de quibus Regem [e] invocabat Universitas, & qui ex eadem olim prodierant Episcopos [f] haud infrequentes. Horum de numero erant, *Joh. Staffordus* (*Origine Bastardus* scriptori [g] cuidam appellatur) Episcopus *Batho-Wellensis*, qui *Cantuariæ* demum sedebat; *Johannes Langley Dunelmensis*, & *Philippus Morgan Elienſis* Episcopus, quos omnes rebus nostris addictissimos fuisse constat postremo, vero dictum, rei Ecclesiasticæ reformandæ supra modum studuisse reperio, qui irrepentes in Ecclesiam Anglicanam corruptelas sedulo repressisse memoratur, nominatim vero quandam fraudem simoniacam, de qua [h] *Gascoignus* in hunc modum. --- *Jam aliqui qui non habent licentiam habendi diversas Ecclesias cum cura, adquirunt aliis hominibus diversas Ecclesias, & antequam eis conferant, eisdem faciunt eos obligari per obligationes in forma legis regni, se annuatim soluturos adquisitoribus Beneficii xx. marcas vel ultra; & ideo Episcopus* Elienſis *Magister* Philippus *antequam admitteret aliquem ad aliquam Ecclesiam, fecit ipsum jurare, quod prius non fecerat nec postea faceret talem obligationem*, &c.

CIↃCDXXXII.

Quandoquidem varia nuper flagitia perpetrata in Universitate fuissent, consimilibus propterea dein-

[a] *In F. epist.* 60. [b] *In corpore Conciliorum.* [c] Gascoigne *ut supra in* 1. *part. Dict. Theol. p.* 437. [d] *Ib. p.* 379. [e] F. *ep.* 47. [f] *Ib. ep.* 48. 49. 50. &c. [g] Gasc. *ut sup. p.* 401. [h] *Ib. p.* 24.

ceps præcavendis die *Maii* XXIV. Statutum [a] ſub hac formâ edidit Mater Academia: *Cùm effrænata execrabilium diſſentionum in hac Univerſitate continuatio, quâ vitia, una & incertiam plurificando, morum venuſtatem, ſcientiæ claritatem, odoriferamque famæ ſuavitatem ferè inibi denigravit; non aptiori modo, quam pœnâ pecuniariâ, his dicbus, cæteris plus timoroſa, pacis perturbatoribus imponendâ, æſtimatur celerius poſſe diſſolvi; Univerſitas Magiſtrorum unanimiter ſtatuit & decrevit, quod quilibet de pacis perturbatione legitimè convictus, ſecundum quantitatem & qualitatem delicti ipſius perturbationis, ultra alias pœnas conſuetas, pœna pecuniaria puniatur; ſic videlicet, pro minis de damno corporali ([b] alicui Scholari ſeu alicujus Scholaris ſervienti inferendo) xii. den. pro latione armorum contra ſtatuta ii. ſol. pro extractione armorum violenta, vel impulſione violenta, aut percuſſione cum pugno iv. ſol. Pro percuſſione cum lapide vel baculo vi. ſol. viii. den. pro percuſſione cum cultello, daggario, ſica, vel gladio, ſecuri, aliovè hujuſmodi inſtrumento bellico x. ſol. pro latione arcus, ac etiam ſagittatione, causâ malè perpetrandi xx. ſol. Pro congregatione armatorum vel aliorum, & conſpiratione ſeu confœderatione pro impedimento juſtitiæ, ſeu ad damnum corporale alicui inferendum xxx. ſol. Pro reſiſtentia executionis juſtitiæ vel nocturna vagatione xl. ſol. præter ſatisfactionem partis læſæ*, &c. Illud inquam Statutum hoc anno conditum eſt; ſolenniter autem poſthæc obtinuit, ut Cancellario palam prælegeretur quoties ad Munus ſuum admittendus eſſet. Quod ad mulctas vero attinet exinde emergentes, Univerſitati primitus addicebantur, poſtea autem inter Cancellarium & Procuratores dividi ſolebant, portione aliquâ Fiſco Academico reſervatâ.

Cæterum hoc de quo loquimur Statutum non ita præfinitum reſtrictumque fuit, ut ad Oppidanos turbas inter ſe moventes minime pertineret, quanquam illa quæ in margine adhibetur *Scholarium*, *eorumque ſervientium*, mentio id videatur innuere: verba enim illa in unico exemplari comparent, & ſuſpicioni anſam non levem porrigunt, per ſcribæ errorem irrepſiſſe. Quinimmo certiſſimum eſt, pacis tutelam, Academiæ in ſolidum concreditam: Civeſque juri huic pertinaciter obluctatos; unde ut in ordinem cogerentur, hac ipsâ in cauſâ *Henrici Beaufort* Epiſcopi *Wintonienſis*, Cardinalis, & regis *Hen. IV.* Fratris hic olim enutriti, opem depoſcebat Academia, literis [c] eâ de re conſcriptis, quibus ipſum certiorem faciunt, quod poſtquam edidiſſent *Statutum laudabile & maximè neceſſarium, ad ſtudentium quietem, & cæterorum prædictam villam inhabitantium, contra pacis violatores, &c.* quo minus executioni demandarent, per *Villanos* Cives ſcil. impediti eſſent: rogant itaque ut ipſe authoritatem qua pollebat interponeret: quod feliciter ſucceſſiſſe poſtea docebimus. Quod ſi Univerſitati fas jam erat mulctam pecuniariam de *Cognitione extra Curiam viſi Franci Plegii* municipibus irrogare, penes eandem quoque fuit ante *Henrici VI.* conceſſionem conſimilem pœnam propter Platearum neglectum *tam intra Curiam viſi Franci plegii quam extra* depoſcere; amerciamentis illis Ballivis urbanis nequaquam reddendis. Sed hærere forſan in iis quæ ad rem hiſtoricam haud adeo ſpectant nonnullis videbor: utcunque hæc omittenda minime videbantur, quibus ampliſſima Univerſitatis per hæc tempora juriſdictio egregie innoteſcat.

CIↃCDXXXIV.

Sub hæc gravis quædam contentio inter ipſos Academicos exarſit, quæ cum totius anni decurſu, laborante fruſtra Cancellario, reſtingui non poſſet, tanti mali remedium ab *Humphredo* Duce *Gloceſtrenſi*, Patrono ſuo colendiſſimo, petendum exiſtimavit Univerſitas. In ejus vero ad eundem [d] literis ſic breviter de prædictâ Seditione legimus: --- *Sed in hac ſtudiorum via quædam diſcordia ſcientiarum & virtutum noverca in Univerſitate Matre noſtra nuper eſt orta, an debeant* Baccalaurei, *primum facultatis gradum obtinentes, in publicis proclamationibus Scholaſticis, appellari Magiſtri, quod nec ſtatuta neque dictæ Vniverſitatis noſtræ conſuetudines fieri decreverant ab antiquo. Vnde eadem noſtra Vniverſitas, ſcrutatis antiquis conſuetudinibus, decrevit quod in poſterum in talibus Scholaſticis proclamationibus in dicta Vniverſitate noſtra à ſuis ſervitoribus Magiſtri non debent appellari, unde tales cum citationibus & mandato regio a ſæculis inaudito dictam noſtram Vniverſitatem vexant, inquietant, & perturbant, privilegia, conſuetudineſque ejus temerariè violant, Cancellario & ejus commiſſario obedire contemnant, in noſtri ſtudii diſcrimina manifeſta; hinc veſtræ dominationis*, &c.

Quod ſi diſſidiorum iſtorum originem inveſtigemus, apud Juris Civilis & Decretorum Baccalaureos, Magiſtri ſibi titulum arrogantes, reperietur; cujus rei indignitate perciti Regentes & non Regentes querimonias ad [e] Regem, Ducem [f] *Gloceſtriæ*, & præpotentes [g] quoſdam viros per literas deferunt, apud quos omnes Juriſtas adeo fundunt, ut ad Curiam de Arcubus & Poteſtatem Archiepiſcopalem confugere impellerentur. Poſthæc miſſâ denuo ad Regem [h] Epiſtolâ ab illo contendunt Magiſtri, ut cauſam huc remitti juberet, utpote quæ non ſine vi Privilegiis Academicis inferendâ in Curiam alienam transferretur. (Et enimvero tantæ per hæc tempora erant Curiæ illius de Arcubus corruptelæ, ut de illa ætatis ejus Scriptor [i] retulit, quod *omnes correctiones animarum fere deſtruuntur per appellationes vel per inhibitiones ibidem.*) Sane autem à parvis initiis tanta ſumpſerunt incrementa præfatæ lites, ut, totâ pene Academiâ in factiones abeunte, haud parva forte calamitas rebus noſtris importata fuiſſet, niſi *Robertus Gylbert*, Epiſcopus *Londinenſis*, & Libertatum noſtrarum Conſervator à Pontifice conſtitutus (id vero muneris *Innocentius IV.* Epiſcopis *Londinenſi* & *Sarisburienſi* jam ante demandârat) authoritatem ſuam interpoſuiſſet. Ad hunc autem literas dabat Univerſitas, neque tamen Ducis *Gloceſtrenſis* (qui nobis nullis unquam in anguſtiis defuiſſe deprehenditur) opem implorare deſtitit, apud quem injuriam hanc ſuam his [k] verbis denuo exequitur.

Sereniſſime Princeps, exordium cogimur depromere lacrymoſam & triſtis narrationis ſeriem amaritudinibus & lamentis, quoniam veſtræ ſerenitatis humillima Oratrix Vniverſitas Oxon, *nuper ſecunda filia Syon,*

[a] *In* A. 63. *b.* 92. *a.* B. 78 *a.* C. 119. *b.* [b] *Verba parentheſi incluſa, in* A. *fol.* 63. *nec alibi, abentur: videntur quippe ſtatutum iis terminis coercere, ut cauſas tantum illas attingat, ubi altera pars Scholaris ſit aut perſona privilegiata, cum ad omnes tamen pertinere conſtet.* [c] *In F. fol.* 32. *b. ep.* 84. [d] *In F. epiſt.* 91. [e] *Ibid. ep.* 95. [f] *Ibid. ep.* 96. [g] *Ib. ep* 97, 98. &c. [h] *Ib. ep.* 107. [i] Gaſcoigne *ut ſupra p.* 375. [k] *In F. ep.* 106.

quæ

quæ inter cæteras fidei filias præclaruit famosissima, nunc lugubris luget in montibus, & in convallibus lachrimatur, nequissimè attrita ad contradictionis aquas, ad serviendum in latere & luto & palea insolita servitute, ubi quondam floruit ut Regina: nam eam discoleravit nefanda malignorum oppressio, qui nostra statuta & consuetudines antiquas ac laudabiles ex papalibus privilegiis, & à vestrorum progenitorum Angliæ *Regum in suis chartis & confirmationibus sibi concessa, ad perpetuam studentium quietem: ut inibi studentes continuata quiete in fortes Ecclesiæ Catholicæ columnas Regis & Regni suis, in dandis sanis consiliis excrevisse poterint, contemnunt, rapiunt, diruunt: in eadem, in Domini nostri Regis & summi Pontificis contemptum, dictæque Vniversitatis dedecus opprobrium & exterminium ultimatum: in tantum quod dicta Vniversitas à lectura compulsa desistere, & ab omnibus actibus Scholasticis, finem sibi proponens lugubrem imponet, in ululantis confusionis vultu, dies plangit & misere lamentatur; &c.*

Ita Universitas. Sed hic obiter adnotandum, quod ex variis in hac epistola circumstantiis, scil. ex Papalium privilegiorum allegatione (quæ spectare videntur ad Bullam illam *Bonifacii VIII.* vel *IX.* cui Universitas mandabatur renuntiare sub *Richardo II.*) & quod per Romanum Pontificem, de quodam Universitatis nostræ, privilegiorumque ipsius conservatore provisum erat; nec non ex supplicatione Universitatis in causa inter ipsam & legistas & Decretistas in Curia de arcubus pendente, ut ad Cancellarii tribunal remitteretur juxta exigentiam privilegiorum Regiorum & Papalium, ex his inquam omnibus constare videtur, aut vetera illa privilegia Papalia tunc fuisse renovata, aut saltem Universitatem, illorum utcunque robore ac vigore illo tempore fuisse nixam. Utcunque non apparet Bullam *Bonifacii* de hujusmodi privilegiis Universitati concessam, ante tempus Regis *Edoardi IV.* per *Sixtum IV.* (ut alibi ostensum est) fuisse renovatam. Sed ut ut fuerit, effusis hoc modo querelis, voti demum compos facta est Academia; & renovatâ à prædictâ Curiâ lite, causa in foro Universitatis ceciderunt Civilistæ & Decretistæ. Deinde vero ut constaret quanta sit Artium, & in illis Magistrorum, dignitas [a] ordinatum est, *quod in defectu Doctoris in Jure Civili, liceat Procuratoribus deputare aliquem Magistrum in artibus ad Civilistas ad suos gradus præsentandos*; edito eodem tempore statuto altero de tuendis & defendendis Procuratoribus sumptibus Universitatis, contra Civilistas istiusmodi decretum impugnantes.

De contentionibus iis commemorandum insuper, duco, quod cum maximæ arderent, (anno nimirum CIↃCDXXXV.) *Devonienses* & *Cornubienses*, sicut cæteri de aliis plagis Regni *Angliæ* (qui in festivitatibus suæ patriæ, antiquitus missam solennem in Ecclesia Universitatis, viz. B. *Mariæ* Virginis celebrari obtinere solebant) in Festo S. *Petri* in Cathedrâ quandam Imaginem S. *Petri* de quadam Parochiali Ecclesiâ urbis *Oxon*, ad summum altare S. *Frideswydæ* [b] deportabant, ibique, non autem apud D. *Mariam* (quod fieri solebat) missam celebrabant, & Scholares & Laicos ad oblationem inibi accedere instigarunt. Id ne fieret, Cancellarius cum Priore & Conventu prohibere nitebatur, verum Doctores & Scholares Legistarum nil pensi habuere immo & expresse restiterunt: unde gravis tumultus nascebatur; nocteque proxime sequenti magna multitudo Armatorum, Legistarum nempe, grassationibus nocturnis vacabat: quorum è numero cum nonnullos Dominus Cancellarius secundum statuta & privilegia Universitatis pœna carceris punire voluisset, cæteri, Legistæ factionis suæ antesignanum quem Carceri emancipandum jussit Cancellarius, pœnâ per bidui spatium exemere. Quin & alter, ejusdem Cancellarii decreto custodiæ publicæ addictus ipsi in os restitit; insuper cum juxta Universitatis statuta bannitionis fulmine percelleretur, ille Bannitus regem appellavit, quod nunquam antea attentatum, saltem in casibus perturbationis pacis contumaciæ aut rebellionis.

Hæc Universitatem, ut par erat, gravissime urebant, quæ proinde gestorum indignitatem Duci *Gloecestrensi* [c] significabat, cujus operâ cùm Regi etiam res tota innotesceret, is præfatum ad se convictum accersivit, ac severe increpitum *Oxoniam* deferri mandavit, rebellionis & Contumaciæ, pacisque violatæ rationem redditurum. Denique Magisterii, quem anhelabant, quemque posthæc adipisci nitebantur, titulum consecutos nunquam fuisse LL. Baccalaureos ambigendum non est; cùm in Registris [d] passim antiquis eorum sub hâc formâ proponatur gratia: *Supplicat Venerabili Congregationi Regentium Dominus A. B. in LL. Bac.* &c.

CIↃCDXXXV.

Agebatur adhuc Concilium *Basiliense*, præsentibus *Oxoniensium* nostrorum nonnullis; ubi latâ lege [e] cautum est, ut qui ibidem de componendis Ecclesiæ rebus sategerant, ad dignitates ante alios eveherentur, non obstante *Eugenii IV.* Decreto. Aderat autem *Petrus Payne*, alias *Clerk*, *Oxoniensis*, acerrimusque *Wicliffianorum* Dogmatum imitator, qui cum *Nicolao* quodam aliisque Legatorum *Bohemorum* partes sustinebat. *Petrus* vero quem dixi in quinquagesimum usque diem de rebus fidem tangentibus [f] disputasse fertur, quarum triginta & tres quarto *Hussitarum* Articulo *de temporali vel Civili dominio Ecclesiæ* insumebantur, & cujus deinde argumentis edito libello obnitebatur *Johannes Polomarus* Decretorum Doctor, Sacri Palatii Apostolici Auditor, Ecclesiæque *Barchinonensis* Archidiaconus. Tractatus illius initium est, *Deus in Adjutorium meũ intende*, &c. qui & ipse ab altero quodam, in eandem materiam conscripto, inque Actis Concilii *Basiliensis* primæ *Hussitarum* Propositioni præmisso, non multum differt. Cæterum *Petrus* iste *Ulricum* quendam *Bohemum*, haud parum juvabat in propugnandis [g] secundo ac [h] tertio *Hussitarum* Articulis, *de punitione* scilicet *peccatorum publicorum* & *de officio prædicandi* (quibus tamen respondit [i] *Henricus Childisren* ex Ordine Fratrum Prædicatorum) inque Concilio illo tam sedulam in *Bohemorum* causâ industriam exercuit, ut tributum à Clero Anglicano [k] exegerit Pontifex pro illorum stipendiis qui partibus suis propugnandis adversus eundem *Petrum* militarent.

Natus autem est idem *Petrus* in Agri *Lincolniensis* loco quodam **Haugh** seu **Hogh** dicto, tribus à *Granthamia* milliaribus dissito; à quo & cognomen, de seculi ejus more, reportavit; quanquam & *Petrus Freyng* i, e. *Francigena* (quod Patre nempe *Gallo*

[a] *Ibid. in F.* 64. *a.* [b] *Ibid. fol.* 40. *b.* [c] *Ibid.* [d] *In I. fol.* 5. *b.* 112. *a. &c.* [e] *Ut in corpore conciliorum* [f] *Ut in vol.* 1. *Actorum in Conc.* Basil. *MS. in Bib. Coll.* Ball. *p.* 535. 699. *&c.* [g] *Ibid. p.* 219. 355. *&c.* [h] *Ibid.* [i] Gascoigne *ut supra in* 2. *part. Dict. p.* 455. [k] Foxius *in Act. & mon. edit.* 1583. *p.* 760.

orlundus

oriundus) & *Petrus Inglys*, ſive *Anglicus*, quod in *Angliâ* natus eſſet) nonnunquam appellatur. Porro Gradu Magiſtrali ornatus, *Petrus Clerk*, ſeu *Clericus* nuncupari aliquando cœpit, & inde eſt qnod *Balæus* [a] à *Petro Payne* diverſum fecerit. A Patre vero, apud **Hogh**, quam prædixi, ut plurimum degente *Oxoniam* miſſus Grammaticæ, Logicæ, ac Philoſophiæ feliciter ſtuduit, & ad Magiſterii gradum evectus Aularum S: *Edmundi*, *Albæ*que, in Parochiâ S. *Petri* ad Orientem poſitarum, Principalis evaſit. Nobiſcum vero ingenii dotibus Artiſque diſputatricis peritiâ inſignis habitus eſt, & Fratres ubique impugnans cum *Thomâ Waldenſi* Carmelitâ de Mendicitate Chriſti, de Peregrinatione Religionis ergo, deque Euchariſtiâ, Imaginibus, & Sanctorum Reliquiis, dimicavit. An referam quod *Waldenus* [b] prodidit, ſecum utique, & cum Fratre quodam *Gulielmo* ſuper dictorum Argumentorum aliquibus & voluntariâ mendicitate *Petrum* hunc diſceptaturum, hæſiſſe imprimis, deinde vero mente turbatum, & inſaniâ correptum fuiſſe. Sed fides ſit penes *Waldenſem*; dubium tamen non eſt quin metu Fratrum in *Bohemiam* evolarit; *Pragam*que contendens, & cum *Procopio*, hæreticorum (ut Pontificio utamur Idiomate) Coryphæo, contractâ [c] neceſſitudine, Librorum *Wiclyffianorum* Apographa evulgârit; qua re & *Bohemos* affatim [d] demeruit, qui cum *Oxonio* aliquantiſper commorati fuiſſent, ejuſdem viri opera ſecum in Patriam ſummâ cura deportarunt; quod ante alios feciſſe comperimus *Johannem Huſſe*, qui quamdiu nobiſcum agebat in conquirendis deſcribendiſque *Wicliffii* dogmatis totus fuit.

De *Petro* hoc noſtro mentionem facit [e] *Balæus*, quamvis *Pitſeo* cum *Wiclyffitis* omnibus reticetur; libros autem haud paucos contexuit, quorum alii contra Fratres; alii de ſacrâ ſynaxi & ceremoniis ſcripti ſunt. Scripſiſſe præterea [f] videtur ſub hæc, durante nimirum Concilio *Baſilienſi*, contra plenam Pontificis poteſtatem, & de tributo à Viris Eccleſiaſticis per ipſum Regem, nec impetrata à Papæ authoritate, exigendo, quoties juſti Belli neceſſitas efflagitaret; huic autem libello initium fecit, *Eſt opinio aliquorum quod Papa*, &c. Sed nec alia bene multa exaraſſe dubito, horum etiam temporum lectione haud indigna; verum cum ea inter *Bohemos* edita ſint, in *Angliam* haudquaquam pervenere, quin haud longe à viri obitu (is vero *Pragæ* anno CIↃCDLV. ex computo noſtro accidit) aut caſu aliquo deperdita, aut in cineres à Pontificiis redacta fuere.

CIↃCDXXXVII.

Ad Concilium *Baſilienſe* revertor, in quo de *Anglis* ſæpius, hæreſeos incuſatis, quæſtio habita eſt; è quibus *Philippus Norreys*, Doctor *Oxonienſis*, qui pridem in Aulâ Magnâ *Univerſitatis* operam literis dederat, Aulæque parvæ *Univerſitatis* Præſes fuerat, cenſuris Eccleſiaſticis percuſſus eſt; quod ex occaſione litium cum Fratribus (quos *Armachani* exemplum ſecutus ſcriptis impetebat) coortarum [g] eveniſſe perhibetur. Lecturis enim *Philippi* Ordinariis in Scholis Publicis haud adeo delectatus *Gulielmus Muſelwyke* Auguſtinenſis, interque præcipuos Mendicantium Pugiles habendus, eundem tanquam hæreticæ pravitatis publice ſuſpectum ad *Eugenium IV.* detulit, & anathemate alligandum procuravit, Cancellarii Academici licentiâ (quæ quidem interveniſſe debuerat)nequaquam petitâ nedum impetratâ. Accepto hujus rei nuntio, graviſſimæ continuo inter utramque partem inimicitiæ gliſcebant, mox autem operâ *Muſelwyki* præfatus *Norreyſius* (cui additus *Edmundus Kirton* è Collegio *Gloceſtrenſi*) ad Pontificem (*Baſileæ* ut opinor habentem) citatur, & ad varia Capitula, maxime vero ad ea quæ in Prælectionibus Academicis protuliſſe dicebatur, reſpondere juſſus, nequaquam ſe purgabat, nec judicibus parum ſibi æquis ſatis fecit.

Inter hæc, in Cancellarii Curiam accitus *Muſelwykus* (quod nempe fori Academici ſententiam declinaverat, cauſamque ad exteros evocandam curarat) comparere recuſavit; & proinde cum integro *Auguſtinenſium* Conventu ſuſpenſionis pœnâ damnatur. Poſt autem paulo intercedente Academia ac Duce *Gloceſtrenſi*, libertate donatur *Norreyſius*; cujus in gratiam literas teſtimoniales tranſmiſimus, virum hæreſeos, ut qui maxime, immunem profitentes; proinde illum exilio aut interdicto Eccleſiaſtico, multo minus faſce & laqueo mulctandum.

CIↃCDXXXVIII.

A *Baſilea*, ut præfati ſumus, *Ferraram*, atque inde *Florentiam* deductum eſt Concilium; eò autem, aſſentiente Rege, miſſus [h] eſt *Gualterus Hunt* Carmelitici Ordinis Frater *Oxonienſis*, refutandis ſcilicet *Græcorum* & *Armenorum* erroribus. Verum cum de reliquis, ſiqui ibidem adfuere, *Oxonienſibus* parum conſtet, ad ipſam regredior Univerſitatem; quæ alumnorum ſuorum pauciſſimos ad Beneficia Eccleſiaſtica, ex antedictis Synodorum Conſtitutionibus, evectos ægre ferens, Conventum ea de re agebat; animadverſo autem Scholares per ſæpe memoratas corruptelas ad pauciores longe recidiſſe, quo peſtem à ſe illam, ſi fieri poſſet, averterent Academici, ad *Henricum Chichley* Archiep. *Cantuarienſem*, reliquoſque Prælatos *Londini* apud Divum *Paulum* coactos, de calamitate ſuâ ſcripſerunt. Earum [i] literarum (dat. XXIIX. *Apr.* hoc anno) pars maxima ſcitu admodum digna videtur, eamque propterea hic inſerere non gravabor.

--- *Apud aures pietatis & miſericordiæ Veſtræ Clementiſſimi Patres, Univerſitas Mater noſtra clamat cum* Rachel *plorans filios ſuos & noluit conſolari quia non ſunt. Olim ſiquidem alma iſta Univerſitas pulchra nimis & decora aſpectu fuit quaſi vitis fructificans & flores ejus flores decoris & honeſtatis. Sed heu noſtris jam diebus quam maxime dolendo referimus, pulchritudo & decor ejus emarcuit, mœrens ac ſqualidus factus eſt vultus ejus, & quæ flore ac fructu hactenus fœcunda fuit, filios jam cum his quos priori tempore genuit, præ paucitate minime numerabiles non honoris vel honeſtatis, ſed pudoris & irreverentiæ potius in dolore & anxietate parit. Aliquando gloria & fama ejus ita percelebris apud omnes nationes & gentes Chriſtianas fuit, quod non modo hujus tam inclyti regni, ſed & totius pene orbis homines ſtudendi atque diſcendi gratia ad eam confluxerunt: tunc ſiquidem proſperata eſt in viis ſuis & ſingulari laudis titulo ab omnibus honorata: tunc revera Omnium artium ac ſcientiarum viris literatiſſimis atque eruditiſſimis ple-*

[a] *In cent.* 7. *nu.* 86. & 97. [b] *In præfatione ad opus ſuum & ad* 10. *ejus doctrinas, in exempl. impreſſ.* Venet. *Tom.* 1. [c] Gaſc. *in* 1. *part. p.* 60. [d] *Ibid. p.* 111. [e] *In cent.* 7. *ut ſup.* [f] *In* 3. *vol.* Actorum Conc. Baſil. *ut ſupra p.* 333. [g] *Vide in F. epiſt.* 126. 127. 128. 130. &c. [h] Bal. *cent.* 8. *nu.* 39. [i] *In F. Ep.* 125. *& in Reg.* Chichley *in part.* 2. *fol.* 106.

na, non Scholæ laceræ, non ſtudia deſerta, Aulæ vel Hoſpitia nunquam ſane vacua videbantur. Sed quod ſine lamentatione ac planctu dicere non poſſumus, nunc longe ſecus eſt: jam ſiquidem glorioſa mater olim tam beata prole fœcunda, pene in exterminium ac deſolationem verſa eſt: ſola ſedet plangens ac dolens, quod non modo extranei, ſed nec ſui ventris filii cognoverunt eam. Sic ſic revera Patres fremitu bellorum annonæ pecuniarumque caritate depauperatum eſt regnum noſtrum; tam ſera inſuper ac modica virtutis & ſtudii meritis merces, quod pauci aut nulli ad Univerſitatem accedendi habent voluntatem. Unde fit quod Aulæ atque Hoſpitia obſerata vel verius diruta ſunt; januæ atque Hoſpitia Scholarum & ſtudiorum clauſa, & de tot millibus ſtudentium quæ fama eſt iſtic in priori ætate fuiſſe non jam unum ſuperſit: at illi qui ſane ſuperſunt, tædium quam maximum vitæ habent, quod nullum fructum, nullum denique honorem poſt tantum ſtudiis ſudorem conſecuti fuerunt: laborant etiam nonnulli uſque ad ſenectam & ſenium viri per omnia doctiſſimi atque ſapientiſſimi, præmium & mercedem boni operis expectantes: ſed quam mercedem, quemque honorem, qui ut Philoſophi aiunt præmium virtutis dicitur, virtus ac labor eorum conſequatur. Attendite quæſumus, ſane filii lucis famoſi, ſancti ac inſtructi viri, qui juſte & ex merito promovendi amplioribuſque honoribus ac dignitatibus Eccleſiæ ſublimandi eſſent, ejiciuntur foras; atque indocti & ſimplices qui non literaturam cognoverunt, intrant in labores eorum.

O quam dolendum eſt piiſſimi Patres vineam Domini ſabaoth, Eccleſiam ſcilicet unicam Dei ſponſam, tam impudentibus atque indoctis cultoribus ad excolendam eſſe traditam: quomodo lucernæ ardentes in SS. Dei Eccleſia erunt, ſi nec oleum, nec lumen in lampade fuerit: quid dicemus de his, nunquid primum oleum ſanctæ converſationis ac vitæ integritatem, nunquid & lumen doctrinæ ſcientiæ & veritatis, quo officium ſanctæ prædicationis ac adminiſtrationis Verbi Dei exerceant, intus in animis foveant? Et quomodo revera ſcient cum literas non didicerunt? Attendite igitur obſecramus Patres, attendite columnæ & præcipua luminaria Eccleſiæ quos operarios in Meſſem Domini mittatis; reſpicite quæſumus primum ad domeſticos fidei eos, ſupplete qui lucernas ardentes habent in manibus ſuis, moribus & ſcientia probatos: licet enim Univerſitas mater noſtra labente jam tempore plurimum depauperata atque humiliata ſit; in ſingulis tamen facultatibus & ſcientiis, quidem electi ex millibus manent; adeo ſane docti atque literati ſicut & ſuperiori ætate fuerunt; ſed jam deſides ſecordeſque circa ſtudium magis factos eſſe conſtat, quod nullum virtutis, nullum ſtudii ſui præmium, nullam utique promotionem ſeſe conſecuturos autumant. Eo magis in deſperatione poſiti cum tot ex prædeceſſoribus ſuis ſine promotione, ſine aliquo penitus ſtudii ſui præmio dies clauſiſſe extremos cognoverunt. Flexis igitur genibus obnixius quo valemus exoramus ac petimus, quatenus ad effectualem Graduatorum promotionem, oculos miſericordiæ veſtræ convertere dignemini, conſiderantes qualem quantamq; nobis occaſionem adeo diligentius ſtudendi & proficiendi præſtabitis ſi vota noſtra audieritis gratioſe. Moveat vos Patres ad tam pium ac ſanctum opus primum Univerſitatis & cleri deſolatio, & ſicut bello inter Lacedæmonios *ac* Athenienſes *exorto* Lacedæmoniis *victoribus exiſtentibus, dum in* Græcorum *concilio quæſtio verſaretur ſi* Athenas *delere fas eſſet: cum in Regno* Græcorum *oculi tantum duo eſſent, alterum delere nefas eſſe reſponſum fuit: Ita & dum in hoc florentiſſimo regno duo duntaxat oculi, duæ lucernæ ardentes fuerint,* Oxonia & Cantabrigia, *alteram vel utramque deleri vel extingui ſeu deſolationem pati nefarium eſſe judicetis. Moveat etiam vos communis totius Eccleſiæ & populi Anglicani utilitas: moveat tot pereuntium Animarum jactura, quas in Sacrificium Laudis non lucraturi eſtis: moveat amor fidei periclitantis malaque nefaria quibus indies fideles ab Hæreticis vexantur, de quibus ſic Apoſtolus ſcribit: Inſtabunt (inquit) in noviſſimis diebus tempora periculoſa, homines ſeſe amantes, cupidi, elati, ſine pace, obviatores, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, contra fidem reprobi,* &c.

Literas haſce tradidit Cancellarius, qui miſerrimum Academiæ ſtatum tanta arte enarravit, ut (ſuorum quoque diſpendia eodem quaſi tempore [a] aperientibus *Cantabrigienſium* Delegatis) Epiſcopos ad rem accuratius expendendam, ac ita denique ſanciendum [b] adegerit: *Quod* nempe *quicunque patronus Eccleſiaſticus dictæ Provinciæ* (viz. *Cantuarienſis*) *quodcunque Beneficium Eccleſiaſticum, etiamſi Dignitas vel Prebenda fuit, quod ad ipſius collationem, præſentationem, aliamve diſpoſitionem quamcunque pertinens poſt publicationem ordinationis hujuſce primo vacare contingerit, alicui perſonæ alterutrius Univerſitatum prædictarum gradum Scholaſticum habenti, Doctori, viz. Theologiæ, Decretorum, legum vel Medicinæ, Magiſtro Artium Licentiatove aut Bacalario in aliqua facultatum prædictarum, dum in Artibus Bacalarius in facultate ſua antea determinanerat, ſeu alias in ordine Sacerdotali conſtitutus fuerit, juxta & ſecundum ipſius Patroni propriam electionem offerre, & ſi illud acceptare voluerit, conferre, ſeu alias aliquas de perſonis graduatis hujuſmodi ad Beneficium Eccleſiaſticum de quo præfertur cum vacaverit præſentare, ſeu nominare, aut pro perſona hujuſmodi juxta Beneficii juriſque dicto Patrono in eodem competenti qualitate deponere teneatur; dolo, fraude, ſen malo ingenio, quibuſcunque ceſſantibus in ea parte ſic ex tunc collatione, præſentatione, nominatione ſeu quavis alia diſpoſitione quorumlibet Beneficiorum ad cujuſcunque talis Patroni Collationem, præſentationem, nominationem, ſeu aliam diſpoſitionem pertinentium ſub ejuſdem Patroni diſpoſitione libera remanente: cæterum quodcumque beneficium, etiamſi Dignitas vel præbenda fuerit, ad ipſius collationem, præſentationem, nominationem, aliamve diſpoſitionem pertinens, alicui perſonæ alterutrius Univerſitatum prædictarum, ſicut præfertur, graduatæ conferre, ipſumve ad illud præſentare ſeu nominare, aut alias pro eadem ad ipſum Beneficium diſpoſitione etiam teneatur, ſicque ſucceſſivè modis & forma prædictis uſque ad decennium plenariè completum, effectualiter obſervetur,* &c.

Quo hæc autem executioni certius mandarentur, Archiepiſcopus *Cantuarienſis* Provinciæ ſuæ Epiſcopos, iique itidem Archidiaconos de Sanctione Synodali certiores fecerunt. Eadem tempeſtate Magiſtrum *Johannem Caſtell*, Magiſtrum *Johannem*

[a] *Ibid. in eod. Reg. fol.* 107. [b] *Reg.* Alnewick. *fol.* 33.

Kexby (Cancellarium sub id *Eboracensem*) Magistrum *Richardum Dobbys*, & Magistrum *R. Thornton* designavit Universitas, qui de consimili lege in Provinciâ suâ ferenda cum Archiepiscopo *Eboracensi* agerent. Neque hac tantum ex parte voto potiuntur Academici, verum [a] decreto Archiepiscopali obtinent, ut Vicarii Generales, Officiales & Commissarii (quorum jam muneribus fruebantur Legulei quidam imperiti) ex utriusque Universitatis in jure Civili & Canonico Graduatis deligerentur.

CIↃCDXLI.

Prælatos rei literariæ patrocinantes imitatus Rex, & decrescere Academicorum stipendia advertens, Mannerium de **Ponyngton** in Agro *Southamptonensi* collocatum (id autem ad Prioratum alienigenarum de **Okebourne** aliquando spectabat) cum Pensionibus quibusdam & terræ portiunculis ad **Milburnbeck**, **Turnworth**, **Charleton**, & **Upwynbourne** in eodem Comitatu sitis, Hospitali S. *Antonii Londinensi* [b] transcripsit, eâ conditione, ut Scholaribus *Oxonienſibus* quinque, denarios quinquaginta; singulis nempe decem, qualibet hebdomadâ numeraret. Voluit autem ut è Scholâ tantum *Eatonensi* prodeuntibus, idque donec ad Gradum aliquem promoverentur, pecunia illa erogaretur; quod ad annum usque CIↃCDLXXIV. factum comperio, tum enim Nosocomium illud Collegio S. *Georgii* in Castro *Windelsoriano* ab *Edoardo IV.* annexum est, dictusque reditus ad *Orielenses*, ut posthæc ostendetur, devenit. Haud ita multo post Rex Universitati copiam [c] fecit agros ad XL. solidorum valorem in usus quosdam coemendi.

CIↃCDXLII.

Secundum hæc, gravis inter Artium & Grammatices Magistros contentio incidit, quâ non modo turbata Academiæ pax, verum & facultatis postremo dictæ interitui prælusum est. Ejus autem litis hæc erat occasio. Nominari statis temporibus solebant Magistri quidam in Artibus qui Grammaticorum Scholas visitarent, deque earum disciplinâ inquirerent, quo nomine sex annuatim Marcas [d] accipiebant, quarum binæ ex reditu pervetusto veniebant, quatuor vero è Censu Academico pensitabantur; quod si pecuniam illam deficere aliquâ de causâ contingeret, cautum erat, (ne id Artistis quos prædixi fraudi esset) ut collatis Grammaticorum symbolis (his vero certa nummorum vis in Cistâ quinque Clavium erat) resarciretur. Factum hoc sæpenumero fuerat, jam autem conferre impensas recusabant Grammatici, imminutum Scholarium suorum numerum causati; quâ de re cum apud Regem haberentur querelæ, is eventilatâ contentione in Grammaticorum gratiam rescripsit, utque pecunia illa neutiquam exigeretur præcepit.

Cæterum nec destiterunt Magistri in Artibus Regi per [e] literas denuntiare, coortæ litis culpam in Grammaticos esse derivandam, & ne præcipuæ in Academia Facultati injuria fieret obtestari. Denique autem victores nihilosecius evasisse videntur Grammatici, qui stipendium illud in plures deinceps annos haudquaquam persolvisse comparent: constat tamen Artistas, pendente lite, *Johannem Brasyl* Grammaticum ad se [f] citasse, ejusque Artis Privilegiis privilegiis privasse, quod, secundum susceptum juramentum, & [g] statutum in eam rem factum, ab anno licentiationis in Grammaticâ, haudquaquam inceperat.

CIↃCDXLIV.

Frequentiores hoc anno tumultus in vigiliis Divi *Petri* & *Johannis* Baptistæ (in quibus & sæpius antehac concitari solebant) ab Academicis & Opificibus movebantur; adeo ut Rex Cancellario per [h] literas præceperit, ne in posterum congregari solenniter populum patiatur; qui & hoc eodem anno optime se adversus Academiam nostram affectum testatus est, cum potestatem Cancellarii in limites ab Urbe remotos extenderit. Res ipsa [i] sic se habuit.

Anno Dominicæ Incarnationis CIↃCDXLIV. Henricus VI. *concessit cuicunque Cancellario* Oxoniæ *& ejus commissario generali, potestatem in perpetuum banniendi quamcunque personam rebellem Cancellario, vel contumacem infra præcinctum* Oxoniæ, *ab Universitate; & hoc per xii milliaria undiq; Villæ* Oxoniæ *adjacentia. Ita quod, infra xii, milliaria circa Villam* Oxoniæ *persona bannita quæcunq;, per diem naturalem non expectet sub pœna novæ incarcerationis per Cancellarium fiendæ, si infra xii. milliaria personam bannitam Cancellarius* Oxoniæ *vel ejus commissarius capere poterit. Et hoc privilegium concessit Rex præfatus an. xxiii. regni sui, in manerio suo, in parco de* **Woyndesor**, *& Cancellario tunc existenti, scil. Magistro* Tho. Gascoigne *S. T. Doctori exequi præcepit pro se & pro successoribus suis in perpetuum.*

Eodem anno Hen. VI. *dedit privilegium Cancellario* Oxon *& ejus successoribus in perpetuum, ut qualibet persona probata vel suspecta de perturbatione pacis, inveniat coram Cancellario vel ejus generali Commissario sufficientem securitatem pro pace servanda: Et hoc faciendum si renuat, compellatur secundum discretionem Cancellarii, vel ejus generalis Commissarii*, &c.

Sub id porro mandavit Rex, ut Conciones latinæ, jam frequenter omissæ, perpetuo deinceps haberentur; quo scilicet ejus linguæ, in desuetudinem pene abeuntis, studium in usum de integro reciperetur.

CIↃCDXLV.

Hac tempestate labentem Grammatices Facultatem sublevabat Benefactorum liberalitas; quorum de numero præcipuus haberi meretur *Thomas Browne* Episcopus *Nordovicensis*, qui diem hoc anno obiens centum Marcas, & eo amplius, [k] testamento sic legavit, ut tenuioris fortunæ Scholares sex, in Diœcesi suâ nati, inque re Grammaticâ & Sophisticâ operam *Oxoniæ* ponentes, quadraginta minimum solidos singuli quotannis acciperent. Viginti insuper Marcas Academiæ, domicilium Cistis publicis reponendis molienti, addixit, necnon magnam facultatum suarum copiam, nostris perinde & Collegiorum *Cantabrigiensium*, sedi suæ subjectorum, Graduatis dividendam. Cæterum nec hujus viri nec aliorum effecit munificentia quo minus dicta facultas ad interitum declinaret, & purioris latinitatis studium paucis, ut infra dicetur, annis penitus exarescceret.

[a] *Antiq. Britan. Edit.* 1605. *p.* 284. [b] *Pat.* 20. Hen. VI. *part.* 1. *m.* 15. [c] *Ut in pix. EE. nu.* 14. *& in pat.* 30. Hen. VI. *p.* 2. *m.* 9. [d] *A.* 44. *b. B.* 38. *b. C.* 25. *b.* 58. *b. D.* 56. *b.* 70. *b.* [e] *F. ep.* 154. [f] *Ibid. fol.* 62. *a.* [g] *Ut in B.* 38. *b.* 42. *b.* &c. [h] *In* Aaa *fol.* 38. *a.* [i] *Ibid. fol.* 37. *b.* [k] *In Reg.* Stafford *fol.* 131.

CIↃCDXLVII.

CIↃCDXLVII.

Hoc anno moriens *Thomas* quidam *Collage* XL. libras *Oxoniæ* & *Cantabrigiæ* prædicantibus (ad excitandam nempe Theologorum induſtriam) [a] reliquit, quorum unuſquiſq; VI. ſol. & VIII. den. quoaduſq; pecuniæ ejus pars aliqua ſupereſſet, acciperet. Hoc etiam anno è vivis migravit *Henricus Beaufort*, Cardinalis, & Epiſcopus *Wintonienſis*, quâ re Univerſitati à ſupremorum mandatorum curatoribus nunciatâ, ſtatutum [b] eſt ut ſolennia anniverſaria in die mortis ejus, XI°. nimirum *Aprilis*, fierent, utque eundem cum reliquis Benefactoribus recenſeret Academiæ Capellanus; quod ſcilicet is prægrandes pecuniæ ſummas ad abſolvendam Theologiæ Scholam largitus fuiſſet. Sub id quoque de Miſſis & exercitiis pro æternâ *Humphredi*, Ducis *Gloceſtrenſis*, requie celebrandis [c] ordinatum eſt; qui utique varios magni pretii libros Univerſitati donarat. Verum de eo pariter ac præfato *Wintonienſi* fuſius ediſſeram ubi de Bibliothecâ & Scholâ Theologiæ ex profeſſo agetur.

CIↃCDXLIX.

Hic Annus *Gulielmi Alnewick* Epiſcopi *Lincolnienſis* pietate memorabilis eſt, qui cum fatis concederet, Bonorum partem [d] teſtamento, II. *Decembris* conſcripto, inferioris conditionis Scholaribus, Diœceſi ſuâ & *Nordovicenſi* oriundis, & *Oxoniæ* ac *Cantabrigiæ* literis invigilantibus detulit; quæ quidem munificentia *Oxonienſes* mirum in modum refocillabat, utpote [e] peſte hoc & ſuperiori anno graſſante ad ſummam egeſtatem redactos.

CIↃCDLII.

Hoc anno duo cognitu digna reperio.

I. Quod cum Collegium *Novum*, *Mertonenſe*, & *Omnium Animarum* duabus decimis Regi à Provinciâ *Cantuarienſi* conceſſis eximerentur, is eâ de re [f] Breve ſuum emiſit, eorum certe alteri gratiſſimum, & impendio opportunum, ex eo quod exundanti ſociorum numero premeretur, & Commiſſariorum Archiepiſcopalium decretis, jam ante in anno Dom. CIↃCDXXV. memoratis, ad inopiam pene deciderit.

II. Quod *Georgius Nevill*, è Collegio *Balliolenſi*, Comitis magni *Warwicenſis* Frater, præſtitis in Nave Beatæ *Virginis*, prout Nobilium jam olim filiis ſolenne fuerat, exercitiis, Gradum Magiſtralem, menſe [g] *Octobri*, capeſſivit; quo Incipiente tantus Epularum apparatus fiebat, ut eaſdem nullâ Regiſtrorum memoriâ æquandas, loco in Hiſtoriâ hac meâ dignandas exiſtimarim. Primo die fercula ſexcenta, ſecundo autem trecenta Scholaribus, Inceptoriſque cognatis, ac Familiaribus, appoſita ſunt. Quin & pauperculorum & mediæ conditionis Oppidanorum habita eſt cura. Ipſæ autem convivarum majorum gentium epulæ ſic ſe habuere.

Menſæ primæ fercula his cibis inſtruebantur:

A Suttletee, the Borehead and the Bull.
Brawne and muſtard.
Frumenty and Venyſon.
Feſant in braſe.
Swan with Chawdne.
Capon of Grece.
Hernſhew.
Poplar.
Cuſtard royall.
Grant Flanpart deperted.
Leſhe damaſk.
Frutor lumbert.
A ſuttletee.

Menſæ ſecundæ fercula, his:

Vian in braſe.
Crane in ſawce.
Yong pocok.
Cony.
Pygeons.
Byttor.
Curlew.
Carcell.
Partrych.
Venſon baked.
Fryed meat in paſt.
Leſh lumbert.
A Frutor.
A ſutteltee.

Menſæ autem tertiæ fercula, his:

Gely royall deperted.
Hanch of Venſon roſted.
Wodecoke.
Plover.
Knottys.
Styntis.
Quayles.
Larkys.
Quynces baked.
Viant in paſt.
A Frutor.
Leſh.
A ſutteltee.

Nevillus autem iſte proximo anno Cancellariatum Univerſitatis geſſit, interpoſitoque inde triennio in Epiſcopum *Exonienſem* creatus eſt, vix annum ætatis vigeſimum tertium attingens. Tandem vero ad Archiepiſcopatum *Eboracenſem* evocatus epulas tam lautas tamque ſumptuoſas exhibuit, ut ſi ſeculorum omnium Annales evolvas, tales à Prælato aliquo inſtitutas nullibi ſis reperturus.

CIↃCDLIV.

His temporibus ægre ferens Academia Religioſos quoſdam *Pariſienſes* non ſine ſuo & *Cantabrigienſium* detrimento in Anglia verſari, [h] literas, V° *Aprilis* die, ad Comitem *Sariſburienſem*, ſupremum Regni Cancellarium, quarum partem aliquam negotium omne aperientem inſerere operæ pretium fuerit. --- *Itaque ſic res in propatulum venit: quidam viri religioſi forenſium Univerſitatum, potiſſimè Univerſitatis* Pariſienſium *hoc ſolum anni tempore titulo prædicandi illuc uſque veniunt, ſeu confeſſiones audiendi ac Eleemoſynas Italicorum Virorum, quibus noſtri ſtudentes Religioſi illius linguæ ſuſtentari ſolebant; in ipſorum diſpendium atque almæ noſtræ Matris Univerſitatis minorem famam recipiunt & demetuntur: perceptoque quod volebant ſtatim poſt Quadrageſimam ſua repetere, & in hoc plane non parva miratione ducimur, quomodo & ipſi permitti valeant ſic infra regnum noſtrum, non ſolum nominis detrimentum ferre, verum etiam quod timendum eſt concilia ſecretaque noſtræ Reipublicæ per tales in latiſſima terrarum ſpatia ſæpius promulgare poſſe; & quod in tantæ charitatis vinculo nobis ſociari præſumunt, qui nobiſcum ſcientiis & gra-*

[a] *Ib. fol.* 138. [b] *A. fol.* 37. *b.* [c] *B. fol.* 63. [d] *In Reg.* Staff. *ut ſupra fol.* 178. [e] *Aa. fol.* 26. *a.* [f] *In Reg.* Kempe *compact. cum* Reg. Staff. *fol.* 224. [g] *Aa.* 68. *b.* [h] *In F. ep.* 225.

dibus communicare nolunt, unde laudabile Universitatis nomen longius diffunderetur sicuti decet. Detatis nomen longius diffunderetur sicuti decet. Deprecamur igitur quatenus nostrarum Vniversitatum filii Oxoniæ & Cantebrygiæ, *quos apud nos examinatos censemus, aliis præferantur; nec tales aliarum Universitatum potissimè (illius quidem in terra inimicorum)* Parisiensis *permittantur in repulsam nostrorum Studentium* London *expectare: quin potius Principum Dominorumque potestate, considerata regni varietate & nostrarum Universitatum honestate à tali purtilatione extraordinaria coerceantur, &c.*

His Academiæ querelis Regi explicatis, Angliâ emigrare jubentur *Parisienses*, nisi communicare cum *Oxonienſibus* in Gradibus & scientiis vellent.

CIↃCDLV.

Cæterum eruditionis Academicæ incrementis vix quicquam contulit Regius ille favor, quin res literaria e Regni & ipsius Universitatis corruptelis in pessum quotidie ibat; veluti horum temporum [a] Scriptor reverendus *Gascoignus* in hæc verba prodidit.--*Jam enim* (inquit ille) *in* Angliâ *periit cura Animarum per Ecclesias appropriatas & per non residentiam Curatorum, & Prælatorum, & per indignorum promotionem, & per pluralitates Beneficiorum seu maleficiorum, & per pessimam collationem Gradus Scholastici, & concessionem Gratiarum indignis & vitiosis & insciis personis in* Oxonia *& in aliis studiis, quæ collatio mala Graduum Scholasticorum non erit destructa quousque potestas dispensandi cum bonis statutis retrahatur à Regentibus & à Procuratoribus Universitatis, qui pessima concedunt pro lucro perveniente eisdem per Graduatos & per Graduandos per eosdem*, &c. Alibi etiam hunc in modum:---*Item in universitate* Oxon. *sunt jam plures admissi ad gradum per pecuniam & non propter bonam vitam nec scientiam, & ideo perit scientia & residentia bonorum Curatorum*, &c.

Porro autem Regentes Gratias & dispensationes, immo Gradus ipsos & licentias venales habuere; adeo ut perditissimos quosque & flagitiis coinquinatos Gradibus honestarent, inter quos recenset Author [b] prædictus Rectorem quendam Ecclesiæ, in Doctorem Decretorum admissum, quanquam de stupris ejus innumeris notoriè constaret. Insuper munia Universitatis publica, qualia sunt Bedellorum, pretio addicebantur:-- *Regentes enim* (inquit [c] *Gascoignus*) *ut publice & sæpe dicitur, vendunt officium Bedellatus illis, quos dicunt eligi in Bedellatum, & tamen non dant nec eligunt plures Regentes personam in officium, propter hoc quod habet necessaria ad illud officium, sed vendunt officium ut novi.*

At vero fatendum est magnorum hac in re virorum, immo ipsius Pontificis vestigia fuisse ingressos, cum ille Episcopatum *Exonienſem Georgio Nevill*, vixdum ex ephebis excedenti, per hæc tempora, malo omine, ut plerisque videbatur, contulerit. *Noviter intravit in* Angliam (*Gascoignum* [d] legis) *exemplum magnum peccati, quoniam Papa* Calixtus III. *licentiavit & dispensavit cum uno juvene sacerdote Magistro Artium* Georgio Nevyll *qui ipse existens xxiii. annorum vel circiter, haberet omnes proventus & redditus Episcopatus* Exonienſis, *& quod omnia beneficia sua alia retineret, quæ habuit ante illam licentiam Papalem, ita tamen quod ipse tunc annorum xxiii. non esset consecratus in Episcopum* Exon. *quousque attingeret xxvii. ætatis suæ annum, & sic Papa habilitavit eum ut vocaretur electus & confirmatus* Exon *Episcopus, & quod reciperet per certos annos omnes proventus illius Episcopatus, sed non quod consecraretur in Episcopum illius Civitatis* Exon *per annos iv. & ideo vere tale venenum intravit tunc in Ecclesiam Anglicanam, & tam nequam posteris exemplum. Ille enim juvenis* Georgius *filius* Richardi *Comitis* Sarisburienſis *fuit licentiatus* Romæ *ad pecunias Episcopatus* Exon *colligendas, sed non ad animas illius Episcopatus Deo colligendas*, &c.

CIↃCDLVI.

Refert [e] jam sæpe citatus *Gascoignus* Idiotam quendam Archidiaconatu *Oxonienſi* sub id fruentem, exacerbandis eruditorum animis occasionem haud levem præbuisse. Hunc autem excordis cujusdam militis filium, & ab ineunte ætate, pueruli regiâ propagine oriundi socium, seu magis morionem, fuisse perhibet; eaque propter cum annum decimum octavum ageret prædicto Archidiaconatu, annuo centum librarum reditu æstimato, post paucos vero annos opulentis duabus rectoriis, & duodecim Præbendis donatum. Proventus insuper omnes Secularis quidam colligebat, nullaque acceptorum ratione reditâ, Archidiaconum constituto pro libitu stipendio alebat. Muneribus autem hisce Ecclesiasticis in vigesimum usque annum potitus est præfatus hebes nullis sacris Ordinibus initiatus; qui tametsi de viginti millibus animarum curam agere debuisset, nunquam tamen in Beneficiorum Ecclesiasticorum aliquo residebat, victum in domo privatâ, longeque à populo, quorum saluti prospiciendum erat, ex Apostolicâ dispensatione sumens. Præterea ad ebrietatem quotidie potabat, nec moribus magis quam eruditione spectabilis erat; tale denique responsum *Gascoigno*, quid de [f] Clero existimaret quærenti, protulit; *non curo de clerimonia, ego enim majora habeo quam magni Doctores, & ego credo ita bene sicut illi, credo enim tres Deos esse in unâ personâ, & credo quicquid Deus credit.* Hæc autem, & similia, depravatæ quam maxime Ecclesiæ argumenta Authorem nostrum induxere, ut sacris sese muniis omnino subtraxerit, quanquam haud vulgariter doctus esset, & Academiæ Cancellariatum sæpius obiisset.

CIↃCDLVII.

Per hæc tempora & antea Academici quidam nostri in dispungendis *Reginaldi Pecocke*, Episcopi *Ciceſtrenſis*, propositionibus occupati erant; quas utiq; Præsul ille scriptis, concionibus, & Colloquiis quotidianis ingerere non cessabat; illæ vero numerum [g] septenarium non excedunt, & sic se habent.

I. *Nullus scit probare quod Episcopus in hoc quod est Episcopus obligatur prædicare in sua propria persona vulgo suæ Diæces. accipiendo istum sermonem prædicare in sua maxime famosa significatione.*

II. *Item posuit quod Episcopi non debent tenere seipsos esse obligatos ad prædicandum in propriis personis suis, communitati propriæ suæ Diæces. in eo & pro eo quod sint Episcopi superiores aliis curatis, sed tenentur*

[a] *In* I. *part. Dict. Theol. p.* 55. *&* 327. [b] *Ib. p.* 335. [c] *Ibid. in* I. *part. p.* 425. *& in* 2. *part. p.* 593. [d] *Ib. in* I. *part. p.* 320. *&* 257. &c. [e] *In* I. *part. ut supa, p.* 31. 335. 336. &c. [f] *Ibid. in* 2. *part. p.* 567. [g] *Ibid. in* I. *part. p.* 343. *& in Abbreviario* R. Pecock *MS. in bib.* Bod. *p.* 11.

nentur tenere ſeipſos liberos & ſolutos ab iſto onere prædicandi; verbis poſitis in iſta concluſione acceptis famoſiſſimis ſignificationibus.

III. *Item Epiſcopi in hoc quod ſunt Epiſcopi debent habere ſcientiam in illis materiis quas curati inferiores debent prædicare vel docere, & debent habere majorem ſcientiam in reſponſione & ſolutione magnarum quæſtionum quam debent habere Curati inferiores in hoc & pro hoc quod ſunt Curati inferiores.*

IV *Item Epiſcopi habent authoritatem ad reſumendum & aſſumendum ſibi & ad dimittendum quando volunt officium & opus Prædicationis conſimiliter ſicut habent poteſtatem ad reſumendum & ad accipiendum quodlibet ad opus Curæ pertinens infimo & immediatiſſimo Curato quando volunt, ſic quod per hoc Epiſcopi non ſunt impediti à meliore opere ſuæ ordinariæ Curæ quod per eos fieri debet & quod non poteſt fieri ordinariè per alium Curatum.*

V. *Item Epiſcopi poſſunt pro diverſis cauſis eſſe abſentes à ſuis Diœceſibus & non reſidentes in ſuis Diœceſibus excuſatoriè & meritoriè & cum gratiarum actione penes Deum, & aliter peccarent coram Deo, durante tempore illarum cauſarum.*

VI. *Item magis utile opus poteſt fieri animabus hominum quam eſt opus prædicationis, iſto termino prædicatione accepto in ſua famoſa, & uſitatâ ſignificatione.*

VII. *Item nec Papa, nec Epiſcopi* Angliæ *ſunt Symoniaci in hoc, & pro hoc, quod recipiunt à Papa ſuos Epiſcopatus per proviſionem, & ſolvunt primos* [a] *fructus ſuorum Epiſcopatuum.*

Has ille Præpoſitiones ad Crucem *Paulinam Londini*, anno CIↃC DXLVII. quo nimirum tempore Epiſcopatum *Aſaphenſem* gerebat, in Concione [b] propalavit; deinde vero in charta vulgari & Pergamena indentata deſcriptas viris pluribus [c] detulit, nominatim *Gualtero Hart*, Epiſcopo *Nordovicenſi* Fautori ſuo, *Adamo Molens* Epiſcopo *Ciceſtrenſi*, & *Vincentio Clement* Doctori *Oxonienſi* arrogantiſſimo, qui minis & promiſſis Gradum Regentibus & non Regentibus in magnâ Congregatione coactis extorſerat, quorum haud paucis, Conſcientiæ fidem ſervare cupientibus, ſtatutum erat eundem repellere. Ad *Pecockium* redeo, qui cum opiniones ſuas proſeminaret, oppugnatores frequentes ex utraque, maxime vero *Cantabrigienſi*, Academiâ habuit; eaſdem Concionibus, Scriptis, & Determinationibus, *Londini* coram *Johanne Staffordo*, LL. D. & Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, ac deinceps coram Archiepiſcopo *Kempe*, & *Thomâ Bouchier* ſucceſſore ejus, multiſq; præterea [d] piſcopis ac Theologiæ Doctoribus, celebratis, convellentes. Horum de numero [d] erant *Gilbertus Worthyngton*, *Gulielm. Littefeild*, *Petrus Beverley* alias *Hyrford*, è Diœceſi *Lincolnienſi*, *Guliel. Myllyngton* ex Agro *Eboracenſi*, Doctores *Cantabrigienſes*: *Thomas Eborall* Collegii *Wythyngdonenſis* Præfectus, & *Johannes Burbach*, *Oxonienſis* uterque; præter eruditos Familiarum Mendicantium Doctores, noſtræ pleroſque Univerſitatis Alumnos. His addendi Doctor *Hugo Damlet*, qui *Pecockium* illum è Scriptis ſuis hæreſeos coarguit, *Johannes Bury* Monachus *Auguſtinenſis*, & *Johannes* [e] *Milverton*, *Oxonienſis*, quorum tamen duorum ſcripta videre nondum contigit.

Pecockius autem in *Walliâ* natus perhibetur, unde, poſt annos aliquot in re Grammaticâ poſitos, *Oxoniam* acceſſit, & inter ſocios *Orielenſes* brevi cooptatus, Epiſcopus demum *Aſaphenſis* potentum duorum Clericorum operâ [f] creatur. Haud ita diu, Theologiæ Doctor, ex vitioſâ Regentium [g] diſpenſatione, nobiſcum evaſit, exercitiis pro formâ nequaquam præſtitis; ſed neque pro Doctoratu à tempore Inceptionis, quæ ſub Monacho *Ciſtercienſi* erat, Actum aliquem Scholaſticum aut Concionando, aut Legendo, aut denique diſputando fecit. Brevi admodum ad Sancti *Aſaphenſis* ſedebat, operâ enim *Gulielmi Suffolciæ* Ducis, quîcum gratiâ plurimum valebat, & *Gualteri Hart* Epiſcopi *Nordovicenſis*, qui eundem Hæreticum eſſe (ſeculi nimirum dialecto cum *Vaſconienſi* utor) probe noverat, ad Epiſcopatum *Ciceſtrenſem* transferebatur. Poſthæc autem in eadem ſententiâ permanſit, & viginti annorum ſpatio libros, ſi *Gaſcoigno* fides, hæreticæ pravitatis refertiſſimos Idiomate Anglicano [h] conſcripſit, animo ſe vacillare teſtatus, ex eo quod inter ſcribendum plurima deleret quæ mox iterum chartæ mandabat. Leprâ cum Juvenis eſſet, uti & cognatorum plurimos, laboraſſe refert idem *Gaſcoignus*, morbum vero conſimilem adulti animum corripuiſſe perhibet, hæreticam nempe pravitatem intelligens, quam haud paucis affricuiſſe aſſerit, juvenique ſpeciatim *Oxonienſi* annos viginti nato, Grammaticæque nobiſcum ſtudenti. Secularis autem is erat, Regique de hæreſibus variis delatus, maxime vero quod die quovis jejunii (inexpiabile planè nefas) carnibus veſci ſolebat, Epiſcopo *Lincolnienſi* in manus traditur, Carceriq; *Wallingfordienſi* ab eo mancipatus eſt; apud quem opiniones deinde ſuas retractavit, Monachumque *Abendoniæ* induens coram *Gulielmo* Abbate agnovit errores ſeſe omnes à ſolo *Pecockio* accepiſſe.

Hic vero *Pecockius* in Scriptis ubique ſuis ſanctorum quatuor Doctorum, *Hieronymi* nempe, *Ambroſii*, *Auguſtini* & *Gregorii* authoritatem [i] vilipendebat, & improbabat, quoties de illis mentio incideret, exclamare paratus *Vah de ſcriptis eorum ſanctorum, niſi ratione naturali dicta ſua probarent.* Cum *Petro* nimirum *Abælardo* ſentiebat, cujus effatum erat quod, *ille cito & male credit qui ſine ratione naturali primo credit*; licet hanc ſententiam in ſcriptis ſuis contra dictum *Abælardum* refutârat S. *Bernardus*, ſanctuſq; *Gregorius* [k] affirmarat, quod *fides non habet meritum cum humana ratio præbet experimentum.* Volebat [l] porro *Pecockius* eum quidem ſacræ Scripturæ ſenſum eſſe quem ejuſdem author deſtinârit, hunc tamen non aliunde colligendum quam à prævalente humani generis ratione. Præterea in Epiſtolâ quâdam ad Doctorem *Gulielmum Godard* Fratrem Minorem, & *Oxonienſem* aliquando alumnum, datâ, iſtius ævi Concionatores, *Clamatores in pulpitis* appellavit. Inſuper Symbolum Apoſtolicum vulgo dictum habitumque, ab Apoſtolis fuiſſe conditum [m] negavit, variiſque in eodem Articulis fidem derogans (maxime autem in libello cui *Provocatori* nomen fecit) rem omnem ingenio humano aſſignat, nec à Clerico quovis admittendum eſſe contendit; unde novum ipſe Symbolum, tædio pleniſſimum procudit, Angliceque evulgavit, quod hoc eodem

[a] *His temporibus Annata vocabantur.* [b] Gaſcoigne *ut ſupra* p. 343. &c. [c] *Ibid.* [d] *Ibid. in* Gaſc. *in* 2. *part.* p. 595. [e] *Vide* Balæum *cent.* 8. *nn.* 20. & 44. [f] *Ib. in* Gaſc. *in* 1. *part.* p. 324. [g] *Ibid. in* 2. *part.* p. 596. 597. & *in* 1. *part.* p. 343. &c. [h] *Ibid. in* 1. *part.* p. 343 [i] *Ib. in* 2. *parte* p. 595. 596. [k] *In homelia* 26. [l] *Ibid. in* Gaſc. *in* 1. *parte* p. 502. [m] *Ibid.* p. 522.

anno *Londini* damnavit Archiepiſcopus. Articulo autem illi fidem præſertim elevabat, quo dicitur Chriſtum ad Inferos deſcendiſſe, eoque nomine *Doctorem Subtilem* erroris [a] inſimulat, Propoſitionem illam temporibus Divi *Auguſtini* in Symbolo non fuiſſe repertam aſſeverans. Hac in re *Groſteſto* palam repugnans, qui Capitulum de Chriſti ad Inferos deſcenſu e Textu Hebræo ſic reddito *& vita mea ad Infernum deſcendit* propugnavit, velut in Opuſculo ſuper *Pſalterium* ſuâ manu exarato, inque celeberrimâ *Franciſcanorum* Bibliothecâ *Oxonii* repoſito, videre olim erat. Affirmavit [b] porro credi quidem poſſe Eccleſiam eſſe Catholicam, verum Chriſtianum neminem teneri, ut ejuſdem Conſtitutionibus obtemperet, quibus contraniti exiſtimârit rectæ rationis dictamina.

Horum pleraque cum ſcriberet Epiſcopatu *Aſàphenſi* fruebatur, anno autem CIↃCDXLIX. de Epiſcopis concionandi munere liberandis crebras habuit Conciones. Complures vero potioris notæ viri partes ejus fovebant, quorum de numero erant *Gul. Poole Suffolciæ* Dux, *Gualt. Hart* Epiſcopus *Nordovicenſis*, cum Epiſcopis aliis haud paucis, quorum [c] pleriq; Academiâ *Oxonienſi* prodierant, quod etiam in causâ fuiſſe opinor, cur noſtrates tarde admodum & inviti quodammodo contra virum, prædicando vel diſputando bienniiſpatio ſurrexerint; quamvis *Myllyngtonus*, ex Aulâ *Clarenſi* in Academia *Cantabrigienſi*, *Pecockium* proximâ prædicandi vice ad Divi *Pauli* excipiens aperte [d] denuntiavit, ut proſperis rebus uterentur ejuſdem Patroni Regnum *Angliæ* haudquaquam eſſe paſſurum. Et profecto haud ſecus non ita multo poſt evenit, nam *Pecockii* Conciones, tum alibi paſſim tum *Londini* præſertim habitæ, tantam Epiſcopis invidiam apud plebem cumularant, ut eoſdem his frequenter verbis [e] proſcinderent: *Væ Epiſcopis qui ditantur, qui volunt vocari Domini, & ut eis ſerviatur genibus flexis, & equitant cum tot & tot pompoſis equis, & nihil volunt facere prædicando verbum pro ſalute animarum, aut enim neſciunt prædicare negotiis ſæculi & delitiis corporis impediti, aut quoniam non poſſunt verè prædicare niſi prædicant illa mala in quibus vel pro quibus ipſi Epiſcopi ſunt rei, nec bona opera prædicant quæ Epiſcopi non faciunt ſed negligunt & talia bona operantes derident vel non ponderant*, &c.

Hæc & ſimilia conſpirantem populi indignationem declarabant, quæ quidem eo nuper proruperat, ut anno CIↃCDL. *Adamum Molens Ciceſtrenſem*, & *Gulielmum Askue Sariſburienſem* Epiſcopos trucidarint, eorumque juxta & aliorum Epiſcoporum Palatia ſolo complanârint. His adjiciendi Epiſcopi *Lichfeildiæ* & *Nordovici*, quos ſeditioſa plebs fugientes inſectabatur; & Juriſperiti ac Epiſcoporum Officiarii ſpoliati partim, partim etiam interempti; denique Rectores & Vicarii *Cantiani*, aliique prope *Sarisburiam* & *Hungerfordiam* bonis exuti.

Sed nec proſperis rebus ſemper utebatur *Pecockius*, poſtquam enim præcipua qua nitebatur columna rueret, *Suffolciæ* Dux, qui anno CIↃCDL. morti occubuit; aliique ejus fautores eriperentur, dici non poteſt quantam ſibi apud omnes invidiam ſubito conflavit, quem hoc anno ſolenni Ordinum Conventu, ipſoque *Londino* excedere [f] juſſit (Barone ſeculari ne uno aliquo intercedente) *Thomas Bouchier* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*. Aliquanto poſt cum præciperet idem *Cantuarienſis*, ut Libros ſuos omnes, quo nempe de iiſdem inquirentur, ſecundum Decretum in eam rem editum, adferret; reſcripſit ille libros infra triennium contextos prolaturum ſeſe, & Doctrinæ in illis contentæ rationem redditurum; cæterum quod ad alios pertineret, fateri ſe temere omnes & ſine judicio maturo exaratos fuiſſe, ideoque quicquid illis ineſſet non eſſe defenſurum. Attulit quidem deinde ad Archiepiſcopum libros novem, verum, eraſis pluribus in locis quæ ſcripta primitus fuerant, novo ſenſu interpolatos; qui tamen poſtquam à XXIV. Doctoribus jubente Archiepiſcopo, ibidem, cum Epiſcopis nonnullis ipſoque *Pecockio*, præſente, excuſſi fuiſſent, ex inquiſitorum iſtorum ſententiâ, erroribus immo hæreticâ pravitate ſcatere [g] declarantur, quod & Doctores illi coram Rege & Optimatibus probandum ſuſcipiebant. Cæterum reclamabat *Pecockius*, eorumque judicium palam detrectabat, doctrinam ſuam ab iis qui ſibi in Scholaſticis diſputationibus pares eſſent eventilandam fruſtra eflagitans. Cauſam vero ſuam perorantem adſtantium plurimi verbis aſpere caſtigarunt, ſpeciatim *Georgius Nevill* ad Sedem *Exonienſem* electus, qui hunc indignabundus in modum corripuit: *Deus ex ſuo juſto judicio, vult vos hæc opprobria magna pati, quoniam vos indignè valde reprehendiſtis, & negatis eſſe vera, ſcripta verba per B.* Hieronymum, *& S.* Auguſtinum, *& S. Papæ* Gregorii *Doctoris dogmata, & etiam opera aliorum ſanctorum.* Ad quæ *Pecockius*; *pœnitet me ſic ſcripſiſſe, fui enim non ſufficienter videns in materiis.*

Denique, habito ſæpius doctrinæ ejus examine, *Lambethæ* XXVIII. *Nov.* hoc anno præſentibus cum Archiepiſcopo Epiſcopis, Doctoribuſque haud paucis, Domino *Thomâ Stanley*, Dominoque *Scalys* Baronibus, ſcriptis aperte renuntiavit, libroſque omnes, maxime autem quem de Epiſcopis ad prædicandum minime obligatis ediderat, revocavit; Epiſcopos vero, rem diligentius perpendentes, haud parum habuit ſolicitos, quod ea Anglicano ſermone propalaverat, quæ populum à pietate potius averterent quam ad eandem incitarent. Cæterum his ita geſtis, *Cantuariam* delatus eſt *Pecockius*, ubi admiſſorum pœnitentiam agens, verſiculos hoſce ipſum inviſentibus proferre ſolitus eſt;

Wit hath wonder that reaſon cannot ſkan
How a moder is Mayd, and God is man.

Quibus in hunc modum pie ſubjecit *Gaſcoignus* noſter.

Leve Reaſon, beleve the wonder.
Belef hath Maſtry & Reaſon is under.

Poſtremo autem, adventante die ſolenni cauſæ hujus cognitioni præſtitutâ (quarto nempe *Decembris* hujus anni) *Pecockius*, abjuratis denuo Libris ſuis omnibus & opinionibus, ad Divi *Pauli* Cœmiterium deducitur, Stolâ Epiſcopali indutus, ibique ad Archiepiſcopi pedes conſedit. Aderant vero, præter multa hominum millia, *Thomas Kempe Londinenſis*, *Joh. Low Roffenſis*, & *Laurentius Booth Dunelmenſis* Epiſcopi; quibus arbitris coram proferebantur XIV. viri illius Tractatus, quorum tres grandiori volumine & (ut ex recepto more loquamur) in folio, reliqui autem minori ſive in quarto conſcripti erant; omnes autem igni in eam rem parato immiſſi in cine-

[a] Pecock *in libro ſuo de fide part. 2. cap. 5.* [b] Gaſc. *ut ſupra in part. 2. p. 596.* [c] *Ut videtur in F. ep. 241.* [d] Gaſc. *in 1. part. p. 409.* [e] *Ibid. p. 404.* [f] *Ib. in* Gaſc. *in 2. part. p. 595.* [g] *Ibid. 596.*

res

res abierunt. Conſpiciebat Operum ſuorum interitum ipſe Author, faſſuſque id ſibi dedecoris & ignominiæ peperiſſe inſolentiam animi nimiumque faſtum, *Maydſtonam* in *Cantio* deportari jubetur, eoque in loco ſupremam ſententiam expectare. Quonam inde conceſſerit, aut an ibidem (ab Epiſcopatu enim detruſus erat) reliquam tranſegerit ætatem, prorſus ignoro. Conſtat autem quotquot Librorum ejus exemplaria *Oxoniæ* deprehendebantur, ad *Quadrivium* vulgo **Quaterbois**, decimo ſeptimo dicti menſis die, concremata fuiſſe, Cancellario M^ro *Thomâ Chaundler*, & Academicis univerſis eò ſolenniter procedentibus; qui & ante menſem datis ad Archiepiſcopum [a] literis deteſtari ſe hominis dogmata profeſſi fuerant, ut diutino eorundem ea in re ſilentio ignoſceret obſecrantes.

Hactenus de *Pecockio* illo, de quo certe hæc referenda duxi (tametſi ab inſtituti Operis ratione aliena nonnihil videantur) quod *Oxonienſis* fuerit, præſertim vero quod illa Scriptorum neminem attigiſſe crediderim præter unicum *Gaſcoignum*; cujus, cum eorum quæ refert pleraque, oculis & auribus præſens hauſerit, veſtigia premenda mihi religioſe videbantur.

CIↃCDLVIII.

Hoc anno ex occaſione viri cujuſdam privilegiati in Carcerem à Magiſtratibus Urbanis conjecti, magna nobis cum Urbe contentio exorta eſt, dum acerrime diſcuteretur, quinam Privilegiis Academicis vere fruerentur, præſertim vero an illa Scholarium famulis, iiſque qui à *Robis Clericorum* eſſent, jure competerent. Lis ea, ſive ex utriuſque partis commiſſione, ſive ex mandato Regio, *Johanni Chedworth* Epiſcopo *Lincolnienſi* remiſſa eſt, ad quem *Londini* verſantem perrexere Oppidanorum Deputati & Cancellarius Univerſitatis. Urbem ſane haud levem pecuniæ ſummam ea de re expendiſſe [b] liquet; cæterum Academici, vel in Diœceſani juriſdictionem recidere metuentes, vel Epiſcopi illius æquitatem ſuſpectam habentes, in magnâ Regentium & non Regentium Congregatione, xv. *Januarii* die [c] definierunt & determinarunt, *quod Epiſcopus* Lincolnienſis, *nullam poteſtatem aut authoritatem ab Univerſitate haberet, tractandi, terminandi aut finiendi aliquam materiam brigoſam & litigioſam, ortam inter eandem Univerſitatem & Villanos, dùm illa materia brigoſa aut litigioſa ſic orta, qualiſcunque fuerit, concernat laudabiles conſuetudines, ſtatuta aut privilegia ejuſdem Univerſitatis, aut abuſum (ſi quis ſit) eorundem.*

Sic inquam proteſtabatur Univerſitas, nequis eam authoritati Epiſcopali (quâ Bullis Pontificiis ſoluta dudum fuerat) ſubjacere ſuſpicaretur, ne Diœceſanus etiam rebus ſe denuò noſtris immiſcendi occaſionem arriperet. Ubi merito ſuſpicienda eſt anxia & religioſa deceſſorum noſtrorum, in juribus atque libertate conſervandis ſolicitudo. Adeo *Lincolnienſis* præſulis tyrannidem metuebant, ut nè arbitrum quidem aut ſequeſtrum paterentur: non ignari quam facili negotio Principum virorum conſilia in imperia faceſſant; hoſpitemque armatum ſemel admiſſum, non raro in Hoſtem tranſire, haud ſine armis depellendum. Poſtpoſito itaque *Lincolnienſi* alioque arbitro conſtituto, xxv^o dicti menſis Academia Doctori *Chandler* Cancellario, *Georgio Nevill* Epiſcopo *Exonienſi*, aliiſque quibuſdam copiam [d] fecit *videndi privilegia concernentia ſervientes Univerſitatis & tales omnes qui gaudere debeant virtute eorundem Privilegiorum, libertatibus ac Privilegiis ejuſdem Univerſitatis*, &c. Confecta ergo ſunt per antedictos compoſitionis capitula, quæ cùm ab Academicorum compluribus mature eſſent perpenſa [e] Inſtrumento cuidam, xxiii. *Febr.* ſignato Teſtibuſque roborato, inferuntur. His peractis Ballivorum alterum, *Stokys* nomine, vinculis liberavit Cancellarius; quem utiq; in Cuſtodiam, (propter Scholarem contra Univerſitatis Privilegia xxvii^o *Junii* ab eo incarceratum) dediſſet; quod cum fieret, Regem *Woodſtochiæ* agentem extemplo adivit Prætor Urbanus, ab eoque & Sanctiori Concilio humillime petiit, *ad mandatum Domini Regis, & non Domini Cancellarii*, (loquor ex quodam Regiſtro) *ipſum liberari & à carceribus diſſolvi. Tamen tunc deliberatum erat per Concilium Regis & ultimatè diſcuſſum, quod quia prædictus Ballivus privilegiorum Univerſitatis præſumptuoſus Tranſgreſſor extiterat, ipſum in vinculis permanere ad tempus, quo placeret Domino Cancellario, illum Ballivum ſuum preſionarium ex ſua gratia deliberare, &c.*

Cæterum lite eo quo dixi modo dijudicatâ, Rex Ballivis per literas [f] patentes præcepit, ut avertendæ Peſti, mundandas vicorum plateas curarent; Cancellario autem edixit, ut omnes lenocinium exercentes & meretrices ad duodecimum, vel ſaltem decimum, ab *Oxonio* lapidem ablegaret, juxta [g] Chartam in hunc finem datam xxiii^o Regni ſui anno.

CIↃCDLIX.

Inter hæc vero moleſtiam nobis haud vulgarem exhibuere Fratres Mendicantes, viri diffidiis perpetuo excubantes; quod eoſdem, maxime autem Dominicanos, apud *Pariſienſes* feciſſe conſtat. Atqui turbarum nobis datarum capita præcipua in [h] Epiſtolis tribus aut quatuor ad *Gulielmum Waynfleet* Epiſcopum *Wintonienſem* tranſmiſſis habentur, è quarum primâ nonnulla hic inſerere viſum eſt:

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino D. Williel-mo *Dei gratia* Wyntonienſi *Epiſcopo, &c. Cancellarius Univerſitatis* Oxon *& cætus ejuſdem unanimis Magiſtrorum ſeipſos cum omni reverentia & honore debitis tanto Patri, &c. Inauditi vulneris acerbitate lethaliter jam percuſſi, in præparata ſubito ruina, veſtræ Univerſitatis* Oxon *matris noſtræ propter inveteratos adverſantium cruciatus, quibus tanquam telis duriſſimis perfodiebamur, internis multiplicare, compellimur doloris incendia vehementis. Felix enim dicta mater dum olim juxta filiorum qualitatem ſicut ab initio conſuevit, ſanctiones edidit ſalutares; præ cæteris Univerſitatibus fructus uberes produxerat, & ad omnes mundi partes fluenta ſapientiæ derivabantur. Sed quod præferimus prædolentes, tantæ invident probitati verſutiæ impiorum, quod per Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, ex adverſo contra eam Bullis Papalibus admirandis ſuggeſtionem impegerant ſerpentinam. Non valentes ſiquidem dicti Fratres ex hac matre Filios ad placitum producere monſtroſos, ſtatuta antiquiſſima atque nova quibus totius Cleri hono-*

[a] F. *fol.* 104. *ep.* 233. [b] *Ut in Rot. comp. Camerar.* Oxon. 37. Hen. VI. *nu.* 3. & 4. & *in initio* A. & B. *in* C. *etiam fol.* 143. & *in* F. *fol.* 106. *b.* &c. [c] Aa *fol.* 115. *a.* [d] *Ibid. b.* [e] *In pix. LL.* 7. [f] Harus *ex Rot. pat.* 37. Hen. VI. *p.* 1. *m.* [g] *ut in* A *aa. fol.* 37. *b.* [h] *In turri Scholarum* Oxon.

rificentiâ

rificentia diutius coruſcavit, nituntur deſtruere, & contumelioſis injuriis, Citationibus ad Curiam de facto, & edictis & aliis novis propoſitionibus enormibus, coram Papa ſuæ matris Viſcera lacerare, ſicque filiorum unitatem molientes diſperdere, ut ipſam Matrem poſſint extinguere, aut in confuſionem totius Eccleſiæ pro ſuæ libito voluntatis ad Gradus Scholaſticos laſcivire. Quippe licet perſecutionum hujuſmodi ſeveritates corrodant penetralia cordis noſtri, amplius tamen accreſcit afflictio doloroſa, quod facultas Filiorum non ſufficit contra tantam multitudinem ſuæ propriæ Genetrici rependere medicinam. Exclamat igitur pia mater & ſævis plena doloribus inocculto in primis ſuas depromit anguſtias patri ſuo, ut tam in curia Romana, quam in Parliamento proximè celebrando ſuperna pietate manum ſalutis dignetur apponere, & tantæ miſeriæ cauſam pro viribus defendere. Ne forſan expugnantium furore (quod abſit) invaleſcente paternali ſuffragio non adjuta, deficiat, & ſubjectioni adverſario rum per petuæ ſe provolvat. Quia vero, &c.

His Academiam (quam & in aliis Epiſtolis de Fratribus illis, ſtatuta ſua violantibus & impugnantibus, conquerentem, immo [a] queſtus eâ de re apud Regiam quoque Majeſtatem effundentem reperio) unde cauſa in proximo totius Regni Concilio audita, & ſecundum Univerſitatem terminata eſt.

CIↃCDLX.

Non procul *Henrici VI.* exitu jam ſumus, qui licet Rempublicam crebris motibus concuſſam geſſerit, à bonarum tamen literarum ac virorum eruditione præſtantium patrocinio haud abhorruit; Academiam vero noſtram, ubi in tenerâ ætate conſtitutus prima ſcientiæ elementa imbibiſſet, imprimis fovebat, [b] munificentiâ adverſus *Omnium Animarum* & Divæ *Mariæ Magdalenæ* Collegia deprædicandus. Sed neq; beneficiorum ejus immemor erat, nec impari eum affectu proſequebatur Univerſitas, quæ, dum ille jus in *Galliâ* ſuum ordinaret ac ſtabiliret, Miſſas die quovis dominico pro felici rerum ejus eventu [c] celebrabat.

Quod ad ipſius Academiæ ſub Rege illo ſtatum ſpectat, labefactatum haud modice offendo; quippe quæ multis olim Alumnorum millibus ſuperbivit, his temporibus vix mille numerabat; quæque viros literis ac diſciplinis inſtructiſſimos quotidie effuderat, tantum non deſerta & Incolarum penitus vacua comparebat. Id ſtipendiis exhiberi olim conſolitis, nunc autem ſubtractis partim adſcripſerim, præſertim vero Beneficiorum Eccleſiaſticorum nobis obvenientium paucitati, quam exinde profluxiſſe patet quod pleraque eorum Monaſteriis Eccleſiiſque Cathedralibus & Collegiatis conſignarentur, ſive (ut loqui amant Juriſperiti) appropriata fierent. Memini me [d] legiſſe Comitem quendam, Eccleſiam de **Haghharth**, annui centum librarum cenſus æſtimatam, Monachis albis de **Gernas** addicendam procuraſſe, qui ut tam inſigne remunerarent beneficium, fundum quadraginta quotannis libras reddentem eidem tranſcripſere; cui haud abſimile eſt quod de Monachis *Eboracenſibus* proditum eſt, eos nimirum Eccleſiam **Ormſhed** pro Mannerio de **Scottum** accepiſſe. Abbatia de **Bury**, præſidente eidem *Gulielmo Cratfeild*, licentiam à Pontifice impetravit, Abbatem ſibi in demortui locum, ſede Romanâ minime conſultâ, in perpetuum eligendi, quo nomine viginti quotannis libras perſolvebant Fratres; totidem interea Marcas Regi numerantes, ut fas eſſet, Abbate diem obeunte, latifundia ſibi retinere. Quo itaque hos ſumptus ſuſtinere poſſent, Eccleſias binas Parochiales Monaſterio ſuo appropriârunt, quanquam ſexaginta amplius rectorias prius poſſederant. Quin & plura hujus generis paſſim fuerant perpetrata.

Ex hac autem Eccleſiarum nundinatione factum eſt, ut eruditi ubiq; Presbyteri deeſſent, dum à Conventibus & Monaſteriis (quo ipſis utique lucrum uberius accreſceret) Vicarii & Curati viliſſimâ mercede conducerentur, ac proinde, quod uſu ſemper venit, nullius doctrinæ aut cognitionis homunculi muneribus iis paſſim fungerentur. Hanc ob rem diſſenſiones inter plebeios frequentiores emerſerunt, quas Parochi olim ſcientiâ & probitate pollentes, nunc vero Legulei & Advocati, fraudibus innutriti, dirimebant; unde & poſtremo dictorum numerum adaugeri contigit, & populi fortunas, litibus erogatas, piis uſibus, ac ſpeciatim alendis in Univerſitate Scholaribus non ſufficere. Hoc autem temporum tractu innumeræ erant de curâ animarum cultuque divino neglectis querimoniæ; ejus rei culpâ in Eccleſiaſticorum à ſuis abſentiam, & Beneficiorum pluralitatem, nec non viros impios aut indoctos ad dignitates in Eccleſiâ inque Academiâ ad Gradus evectos (quod plerumque fiebat dum probi & eruditi nobiſcum deliteſcere quam ad dignitates malis artibus pervenire præoptarent) derivatâ. His iiſdem malis, maxime vero Eccleſiarum Parochialium appropriationi tribuit [f] *Gaſcoignus* Eccleſiæ *Bohemiæ* everſionem (quorum à *Martino V.* remedium fruſtra petebat Academia *Pragenſis*) qui & mantiſſæ loco addit, dogmata *Johannis Huſſe*, *Procopii*, *Petri*que *Payne* ad peſſundandam illam haud parum contuliſſe.

Defecerant porro ſub hæc (ut ſupra dictum) ſtipendia illa Clericis pro arbitrio penſitata, quæ exhibitiones vulgo appellantur, quod ex eo, præter cauſas ſupra allatas, eveniſſe arbitror, quoniam Epiſcopi (à quibus eorum pleraque erogari ſolebant) in ſuis fere Diœceſibus haudquaquam reſidebant, verum in Curiâ Regiâ (prout Rectores & Archidiaconi in Ædibus Optimatum) perpetim agentes pecuniam ibi omnem per luxum expendebant, unde factum eſt ut tenuioris fortunæ Scholares nec in eorum Palatiis (quod olim conſueverat) nec impenſis ab iiſdem collatis in Academiâ paſcerentur. Notandum vero quod ante *Henrici VI.* tempora, *nunquam fuit Rex in* Anglia (inquit [g] *Gaſcoignus*) *qui retinuit ſecum aliquem Epiſcopum in curia ſua niſi per annum vel per diem, nec aliquis Rex ante eum habuit Epiſcopum aliquem in ſuum Confeſſorem, ſed unum bonum Doctorem in Theologia, & ſi Rex aliquis in cauſa fuit quod Confeſſor ſuus fuit electus in Epiſcopum, mox remiſit & licentiavit eum ire ad ſuam Curam, & nunquam poſtea occupavit Officium Confeſſoris Regii, & tunc Doctores fuerunt magnæ ſcientiæ & honoris, & poſiti in ſeſſionibus & ſtationibus ſupra Milites & ſupra Decanos & Archidiaconos.*

Inſuper deficientem nobiſcum eruditionem *Proviſionibus*, quas vocant, & quas ſupra damnavimus, tribuendam non dubito, quæ quidem in causâ præſertim

[a] *In F. fol.* 109. *b. ep.* 238. [b] *Ut in* Roſſo *de Regibus MS.* [c] *Ut in collect.* Nic. Byſhop *&c.* [d] *In* Gaſc. *in* 1. *part. Dict. Theol. p.* 60. [e] *Ibid. p.* 61. [f] *Ibid. in* 1. *part. p.* 60. [g] *Ibid. in* 2. *part. Dict. Theol. p.* 607.

fuere

fuere cur Scholæ pleræque noſtræ clauderentur, Aulas autem, Introitus & Hoſpitia Academica, à Scholaribus deſerta, Burgenſes ubique incolerent. Haud ſane ignoro contra injuſtum hunc Pontificis Romani in *Anglià* Dominatum Leges pridem ſaluberrimas rogatas fuiſſe: cæterum eo jam denuo res deducta fuerat, ut non tantum connivente Rege *Henrico*, ſed & palam permittente, Idiotæ juxta ac turpiſſimis moribus coinquinati Epiſcopatus, Abbatias, & Decanatus (ne in dignitatibus aut Beneficiis inferioribus hæream) ex Proviſione Papali conſequerentur. De viro quodam ne ſacris quidem ordinibus digno [a] proditum eſt, Decanatum ex gratiâ illâ expectativâ, quam vocant, mille & quadringentis Marcis ab *Eugenio* Pont. Rom. redemiſſe; & cum, (interveniente etiam fruſtra regio mandato) à capitulo minime admitteretur, aliâ pecuniæ ſummâ Epiſcopatum ſibi comparaſſe, quo cùm frueretur, jus ſuum quoad Decanatum illum, nemini etiamnum ex juſſu Pontificio aſſignatum, pretio addixiſſe; quæ quidem flagitia tametſi boni omnes, ac ſani, improbarent, immo diris cumularent, eadem tamen coram Rege *Henrico* defendere non dubitavit vel eo nomine execrandus [b] Epiſcopus quidam. Porro diſſimulandum non eſt Univerſitatem quoque ipſam culpæ haud immunem fuiſſe, cum in Munera etiam Academica viri parum digni cooptarentur, ſpreto *Groſteſtiano* [c] illo, quo facta ejuſmodi in hæc verba redarguit; *Illi dant officia, qui nihil in dando quærunt niſi habilitatem recipientis, non autem lucrum & utilitatem recipientis.* Quare debitas quodammodo pœnas expendiſſe viſi ſumus, cùm, prætermiſſis qui multos in Academiâ annos poſuiſſent, ad Dignitates unicè promoverentur ex famulorum Epiſcopalium avaritiâ ſacris Ordinibus pretio & nummis honeſtati, qui in Univerſitatis forte Matriculam relati nunquam fuiſſent.

Utcunque tamen, Criminum noſtrorum obliti datis ad *Thomam Bouchier*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem* [d] literis, ut Matris Academiæ memor eſſet, & contra Peſtem illam rei literariæ Proviſiones Papales operam impenderet, efflagitavimus; & ſolatii certe nonnihil eâ ſumus ratione conſecuti, quippe cautum deinceps eſt, nequis intra Provinciæ *Cantuarienſis* limites in Clerum aſciſceretur, qui à loci ubi eſſet commoratus Archidiacono, vel à Cancellario Academico, ejuſve Deputato, Teſtimonium de meritis ſuis non adferret. Cæterum licet ad ſpem inde majorem accingeremur, eandem tamen haud ita multo poſt inanem penitus fuiſſe deprehendimus; nam lucrum tantum attendentes Antiſtitum Officiarii, ejuſmodi Teſtimonia rariſſime expectabant. Enimvero teſtatiſſimum eſt, hoc temporum tractu non modo nobiſcum ſed & apud exteros quoſdam, intermortuas jacuiſſe literas, quam rem cum ægre admodum ferret *Italorum* optimus quiſque, in animum induxit *Nicolaus* Pontifex prolapſas ſi fieri poſſet ſcientias erigere, ac propterea tum Bibliothecam celeberrimam in *Vaticano* [e] extruxit, tum ingenuos omnes ad Artes hauriendas pariter & præmonſtrandas maximis præmiis invitavit. Quod nos autem attinet, eruditionis propemodum expertes per hæc tempora fuiſſe vel inde liquet, quod (prout ex Epiſtolâ [f] noſtrâ ad Optimatem quendam data compertum habeo) conſuetudinem nobiſcum veterem interruperint, quaſi priſtino *Oxonienſes* Commercio haudquaquam dignarentur, *Pariſienſes*, apud quos nimirum Diſciplinæ eâ præſertim tempeſtate & paulo antea [g] florebant.

CIↃCDLXI.

Illam doctorum *Oxonienſium* inopiam ſecuta eſt (neque enim aliter fieri potuit) ſtudioſorum haud paucorum & quoad rem domeſticam graviſſima egeſtas; quare cum neceſſe haberent eorum aliqui regiones vicinas, ſtipem emendicantes, peragrare, licentiam prius, Cancellarii Academici manu firmatam, juxta [k] ſtatutum à Regni Ordinibus jam ante conditum, eam in rem obtinebant; quod hoc ſpeciatim anno Aulæ *Ariſtotelis* Scholares tres vel quatuor feciſſe [i] comperio. Eòdem ſpectat quod de tribus quibuſdam hujus ſeculi *Oxonienſibus* proditum [h] eſt, oberraſſe utique illos victum oſtiatim efflagitantes, divitis vero domum tandem attigiſſe, qui cùm & Academicos eſſe, & poeticâ aliquatenus facultate pollere, ſciſcitando intelligeret, ad puteum quendam deduxit, ad quem ſituli bini eâ, ut fit, ratione exantlandæ aquæ ponerentur, ut uno deſcendente alter continuo aſcenderet; juſſiſſe autem ferunt ut eorum quiſque bina ſtatim carmina ſuper iiſdem ſitulis effunderet, aliter enim eleemoſynam non eſſe reportaturos. Mox ergo qui Pittaco χαῖρε ſuum expedivit jejunus venter, & famelicos noſtros verſiculis inſtruxit; quorum primus hæc ſtatim protulit:

Hæ ſitulæ pendent dubiæ, nam dum vice verſâ
Retrogradum fert una gradum, redit altera merſa.

Secundus vero hæc;

Hæ ſitulæ pendent bibulæ, variant vice, prima
Ebria nam ſurgit, ſed ſobria tendit ad ima.

Tertius autem iſta;

Bina rotata per hauſtra, pericula noſtra noteſcunt;
Sunt ſimul obvia, fronte ferocia, non requieſcunt.

Et morem quidem illum apud Academicos noſtros, egeſtate preſſos, antiquitus receptum deprehendo; qui etiam proximo in ſeculo obtinuit. Teſtem hac in re appellare licebit eruditiſſimum D. *Thomam Morum*, qui poſt depoſitum *Angliæ* Cancellariatum, ingraveſcente ſcilicet egeſtate circumſtantes filios his verbis allocutus [l] memoratur. *Si convictum* (inquit) *iſtum* (*Londini* tum, in *Novo Hoſpitio*, ubi in Legibus municipalibus educatus pridem fuerat, agebat) *facultatibus noſtris imparem deprehenderimus*, Oxonienſem *illum, quo magna doctorum perinde ac reverendorum Patrum frequentia quotidie utitur, deſcendemus; quod ſi nec ei ſuffecerit res noſtra, licebit denique Peras comparare, & Scholares* Oxonienſes *egenos imitatos, victum oſtiatim quæritare, pro divitum foribus* Salve Regina *cantitantes.* At vero ne Academiam hinc noſtram labeculâ aliquâ aſpergant

[a] *Ibid. in* 1. *part. p.* 339. [b] Gul *de la* Bere, *Epiſc.* Menevenſis. [c] Rob. Groſteſt *on opere ſuo ſuper epiſt. D.* Pauli *in textum* 2. *Cor.* 19. [d] *In F. fol.* 112. *b. ep.* 241. *in quibus literis, obiter dicitur, quod omnes penè Epiſcopi* Angliæ *tunc erant* Oxonienſes. [e] Balæus *de Vitis Pontificum in* Nic. 5. [f] *In F. fol.* 100. *b. ep.* 225. [g] *Vide in Ecloga* Tho. James *edit.* 1600. *p.* 11. *nu.* 38. [h] *In lib. ſtatutorum* Regni Angliæ *edit.* 1587. *p.* 186. [i] *In Aaa. fol.* 183. *b.* [k] *In initio cujuſdam MS. in bib. Coll.* Ieſu Oxon. [l] *In vita ſua cap.* 11.

malevoli, sciant velim, & *Parisienses* haud minori cum egestate conflictatos fuisse; qui eo inopiæ redacti olim fuere, ut Bullas in eandem rem Pontificias (quarum tenorem [a] vidisse mihi contigit) pro subsidiis à Fidelibus colligendis obtinuerint. Quod Scholares ergo *Oxonienses* ostiatim mendicabant, non mirum est, cùm pensionibus carerent, & omnia causâ Provisionum depravatè agerentur.

Cæterum ne Musas *Oxonienses* exterminium omnino passas & fame enectas suspicetur lector; Viros aliquot exhibebo hæc etiam tempora nobilitantes, quorum de numero fuit *Gulielmus Staplehart*, Ordinis Carmelitici Frater, propter scripta ac Disputationes Theologicas præcipuum Universitatis ornamentum à nonnullis habitus. Huic addendus *Cornelius Vitellius*, natione *Italus*, & in *Novo* Collegio Prælector, de quo audacter refert *Polydorus* [b] *Virgilius* (fortean eo stuporis adductus in popularis sui gratiam) *quod erat omnium primus* Oxonii, *qui bonas literas docuit*; ante *Coleti* vero puta & *Lilii* tempora, de quibus & ipse mentionem facit. Sed nec reticendus conspicuâ, pro seculi ejus ingenio, eruditione vir, *Thomas Gascoignus*, qui Cancellariatu Academico sæpius, ut infra docebimus, fungebatur. *Grostestium* ille ante alios suspexit, Pietate egregiâ morumque probitate, denique assiduâ verbi prædicatione, suspiciendus & ipse. Concionatores nobiscum perpaucos invenio qui reliquis præluceret, *Cantabrigiensium* pariter (si Fratres Mendicantes excipias) non magnum feciisse numerum jure dixerim, quorum de numero erant Mr *Gilbert Worthyngton* Rector Ecclesiæ S. *Andreæ* in **Holbourne** *Londini*, Mr *Gul. Littefeld* Rector *Omnium Sanctorum* ibid. & Mr *Peter Beverley* alias *Hirforth*. E nostris autem in pretio, eo nomine, habebantur Mag. *Thomas Eborall*, Collegii *Wythyndonensis* Præfectus, & *Thomas Gascoignus*, mox ante laudatus; quorum uterque una cum prædictis *Cantabrigiensibus R. Pecockium* Scriptis, Concionibus, ac Disputationibus acerrime impugnabant.

Eorum vero insciția, qui Evangelium hisce & sequentibus proxime temporibus dispensarent, exinde potissimum fluxisse dicendum est, quod non tantum Baccalaurei in Artibus, verum & minime Graduati, immo in Academiam recenter, aut non omnino, admissi, sacris Ordinibus initiarentur, qui Ecclesiam non aliter ac egestatis asylum respicientes, & victum solummodo ac vestitum cogitantes, quam essent tanto muneri impares nil pensi habebant. Quapropter cùm inde tam Universitatis ipsius, quam particularis cujusque Collegii, existimationem lædi adverterent prudentiores Ædium Præfecti, Scholaribus suis aditum ad sacros Ordines præclusere, usquedum debitum temporis spatium in studiis posuissent; id ipsum à dignissimo *Mertonensium* Custode, Doctore *Fitzjames*, factum [c] comperio, qui ex consensu sociorum psephisma condidit, nequis Baccalaureus Novitius in Collegium assumeretur, nisi juramentum prius daret, sacros se Ordines non ante susceperturum quam Regentiam in Artibus compleret.

CIↃCDLXII.

Hoc anno sopitæ propemodum sunt lites, quæ priori inter *Rodnorum* & *Robium*, Franciscanos, tam graves (quâ de causâ non dicam) exarserant, ut postremo dictus obtento à Curiâ de Arcubus mandato, prohibuerit quo minus alter in Theologiâ Inciperet; quam rem, cum aliis quibusdam eodem pertinentibus, ex [d] Registro quodam Academico ad verbum accipies.

Memorandum quod occasione cujusdam discordiæ ortæ inter venerabilem virum Richardum Rodnore & .... Roby *Fratres Ordinis S.* Franciscí, *quidam ex parte ejusdem* Roby *impetrarunt à curio de Arcubus inhibitionem ne dictus* Ric. Rodnore *admitteretur ad gradum Doctoratus in facultate S. Theologiæ; & ultimo die Junii, omnibus ex more dispositis in Ecclesia B.* Virginis *ad inceptiones in diversis facultatibus celebrandas, quidam* Johannes Morley *serviens* Thomæ Matyn, *ut postea patebat, detulit prædictam inhibitionem in principio Inceptionum, Magistro* Gulielmo Ive *S. T. Doctori & Rev. Patris* D. Georgii Exonienſis *Episcopi ac hujus almæ Universitatis Cancellarii Commissario Generali pro tunc in loco Cancellarii consueto sedenti, inhibens eum & Procuratores ex parte D. Archiepiscopo* Cantuarienſis, *ne præfatus* Richardus Rodnore *procederet ad gradum suum: & assistebat huic nuntio in hac parte* Johannes Wallyngford & T. Martyn *Baccalaurei Juris. Nihilominus tamen processerunt in Inceptionibus, & in tertio die sequente, convocati sunt coram Congregatione Regentium prædicti* Joh. Wallyngford & T. Matyn, *& ex consensu Congregationis missi sunt ad castrum tanquam perturbatores pacis & violatores privilegiorum, & in crastino educti, suspensi sunt per prædictum commissarium ab omni officio procurandi usque ad festum* Michaelis *proxim. sequens.* 11. *die Julii*, Joh. Morley, *quia detulit Commissario prædicto inhibitionem à curia de Arcubus, incarceratur in* **Bocardo**.

Sic itaque, nec immerito, plectendum censuit *Robium* Commissarius, quem Privilegia nostra inauditâ prius insolentiâ violasse omnino constabat, cum causam suam qualiscunque esset, in Curiam Academicam dijudicandam debuerit detulisse. Cæterum cum *Rodnorus Robiusque* litem inter se ex lite ferentes cum Academicis quibusdam, quibus omni studio ad se allectis, famam alterutrius mutuo lacerare non destiterunt, & proinde ad seditionem res tenderet; metuens Commissarius ne integra demum Universitas in partes transiret, & tumultus aliquis exinde oriretur, quod Magistratum prudentem & pium virum decuit faciens, cum Familiæ Provinciali egit, ut dissidentes in gratiam cogerentur.

CIↃCDLXIV.

Sub id saltem, vel paulo post, in Universitatem nostram invecta est Ars Typographica, quam quidem Deus in deploratæ pene eruditionis subsidium mentibus humanis indidisse videtur; utpote cum ad omnigenæ scientiæ incrementa tam egregie conferat, ut an illiberalium prima, an vero Artium ingenuarum postrema sit censenda, meritò dubitemus. Utcunque, eandem vel *Moguntiaci* vel *Harlemi* invenit *Tossanus* quidam, *Johannes Cuthenbergus* aliter appellatus, anno Dom. CIↃCDLIX. cujus immensam expendens utilitatem *Thomas Bourchier*, Archiepiscopus *Cantuarienſis*, nihil antiquius habuit quam ut *Anglis*

[a] *In summis* Ric. Pophis *secundum stilum Cur. Romanæ.* [b] *In Hist. edit.* Basil. 1534. *p.* 600. [c] *In Reg. Coll.* Merton *inchoat- per eundem custodem* 1482. *fol.* 7. *b. & in lib. statut. ejusdem coll. in manibus Vicecust. fol.* 17. *a.* [d] *Aaa. fol.* 232.

communi-

communicandam procuraret, atque ejus proinde suasionibus impulsus *Henricus VI. Robertum Tournour* (is Regi tunc temporis à vestimentis sive Robis erat) Marcis mille, quarum trecentas contulerat Archiepiscopus, instructum, *Harlemiam*, ubi scilicet prædictus *Cuthenbergus* Artem hanc novam exercebat, amandavit; ille autem *Gulielmum Caxtonum*, Civem *Londinensem*, & cum *Batavis* commercium habentem, sibi in socium periculi ac laboris ascivit.

Tournourus itaq; dissimulato quis esset, cum *Caxtono* nomen suum, ac mercaturam palam profitente, primo *Amstelodamum*, dein *Lugdunum* contendit, neque enim *Harlemiam* proficisci ausus est, quod oppidum illud quæstui suo metuens advenas perplures in Arte illâ explorandâ deprehensos carceri mancipasset. Absumptâ tandem maximâ dictæ pecuniæ parte, Regi per literas significavit *Tournourus* se demandatum negotium pene confeciisse; & acceptis post paulo marcis quingentis, artificem quendam inferiorem *Fredericum Corsellis* nuncupatum, nummis vero sollicitatum, induxit, ut personam nocte intempestâ indutus clam aufugeret, & conscensâ nave, eam in rem paratâ, *Londinum* trajiceret. Cæterum minus commodum videbatur artem excusoriam *Londini* exerceri, sed potius *Oxoniam* deduci placuit; id hortante Archiepiscopo, qui Cancellarius utique noster tunc temporis fuerat; unde Artifex iste transfuga *Oxoniam* transmissus est, custodiente illum vigilum manu satis validâ, ne antequam promissa præstaret furtim sese ex *Angliâ* subtraheret. Atque hunc in modum decem prius annis artem Typographicam *Oxonienses* exercuimus, quam in quocunque alio *Europæ* loco, innotescceret, *Harlemum* si excipias, & quæ cum Oppido illo de ipsa Artis inventione contendit, *Moguntiam*; tametsi haud ita multo post, ut nobilissima hæc Ars magis propagaretur, *Westmonasterii* etiam prelum instruebatur, nec non ad S. *Albani*, quin & *Wigorniæ* aliisque Monasteriis; excudendis argumenti Theologici & Medicinalis Codicibus. Libros autem juris vetitum erat Typis mandare.

Ad Academiam vero ut revertar, constat *Fredericum* illum, primum nobiscum Typographum extitisse, tametsi parum liquet quisnam *Oxoniæ* libellus ante alios imprimeretur; Hic certè loci excusus quidam comparet (à *Frederico* ut verisimile fit, licet nonem ejus minime apponatur) anno partus Virginei CIↃCDLXVIII. Liber ille perspicuis magis, & pulcrioribus typis prodibat, quam recentiores nonnulli; in quarto autem, ut loqui solemus, habetur, cujus ad calcem hæc apponuntur:

Explicit expositio S. Hieronymi *in Symbolum Apostolorum*, *impressa & finita* Oxoniæ *anno domini MCCCCLXVIII.* XVII. *Decemb.*

Cæterum dubium non est & libros porro alios excudisse nobis *Fredericum*; quos inter censendus *Ægydius Romanus* de Originali peccato: Qui quidem *Oxoniæ* inchoatus est ad Festum *Nativitatis* an. Dom. CIↃCDLXXIX. absolutus autem XIV. *Martii* proxime sequentis; quo anno & *Leonardum Aretinum* in libros Ethicorum in lucem edidit impressum prædictus typotheta.

Fredericum illum in Arte Thpographicâ nobiscum excercendâ excepisse crediderim *Theodoricum Rood Colonienscm*; librorum vero quos excudit de numero est, *Alexander* de *Alexandria* in III. libros *Aristotelis* de Animâ, cujus ad finem sic Legis;

Explicit sententiosa atq; studio digna expositio Venerabilis Alexandri *super librum tertium de anima*, *impressa per me* Theodoricum Rood *de* Colonia *in alma Vniversitate* Oxon *anno Dominicæ Incarnationis* 1481. *xi. die mensis Octobris.*

Hujus ego exemplar, in Bibliotheca Collegii *Ænei Nasi* chartæ pergamenæ impressum vidi; cæterum libello ob calligraphiam superius laudato quoad characteris venustatem omnino cedit; quod sane & de libris quibuscunque ante media *Henrici VIII.* tempora excusis dicendum.

Proximum sedat *Johannes* quidam, *Scolar* cognominatus (*Germanum* fuisse autumo) qui prelum suum in vico Divi *Johannis*, ac è regione Ecclesiæ *Mertonensis*, & speciatim vel in Aulâ de eodem Divo cognomen ducente (*Puteus* vulgo **the pit** hodie vocatur) vel in Aula *Byhamensi*, prædictæ ortum versus adjacente, collocavit; ubi postremis *Henrici VII.* ac primis octavi temporibus libros haud paucos excudit, quorum unum habeo ipse, hoc autem titulo insignitum:

Quæstiones moralissimæ super libros Ethicorum eruditissimi Johannis Dedicus *Artium liberalium triumq; Philosophiarum Magistri optimè meriti*, &c. impressæ vero erant istæ quæstiones, ut in earundem fine dicitur, per eundem *Scholarem* in viculo D. *Johannis* Bapt. moram trahentem Jan. MCCCCC decimo octavo, mensis vero *Maii* XV.

Cum vero ex libro illo quæstum uberrimum facturus videretur, programma Cancellarii sigillo munitum impetravit, quo prohibitum est ne quis intra septennium hoc insigne quod dicebatur opus imprimat, vel aliorum ductu aut impensis vendat in Universitate *Oxoniæ*, aut infra præcinctum ejusdem, sub pœna amissionis omnium librorum, & quinque librarum sterlingorum pro singulis sic venditis ubiubi impressi fuerint, præter pœnam prætaxatam in decreto. Eodem anno & loco, quædam alia aliorum Authorum opuscula *Oxoniis* impressa, in Bib. *Bodleiana* quondam reposita, vidimus: sc. Fratris *Peregrini* de *Lugo*, *Itali*, Principia seu Introductiones, *Tholosæ* typis excusa, *Oxoniis* autem, in vico S. *Johannis* Evangelistæ, ut illic habetur (licet perperam, pro vico S. *Joh.* Bapt.) an. Dom. CIↃDVI. prostituta. Eadem *Londini* rursus edita, *Richardi Pynson* quidem typis, expensis autem cujusdam *Georgii Castellani Oxonii* morantis ad Intersignium S. *Johannis* Evangelistæ (eodem forsan errore) ubi venum dabantur. Ita utrinque corrigo, quia in Urbe nostra nullus unquam fuit aut est illius nominis, scilicet S. *Johannis* Evangelistæ vicus, aut S. *Johannis* Evangelistæ in illo vico Intersignium. Recte igitur in quodam veteri libro typis excuso, in Bib. *Bodleiana*, in postrema pagella, & sub insignibus Universitatis *Oxon*; scuto scilicet, quod præfert expansum S. scripturæ codicem quem duo angeli ferebant, instructum VII. sigillis, & inter tres coronas collocatum, & Doctorali pileo intectum; hujusmodi adponitur inscriptio.

Finit compendium Quæstiuncularum de luce & lumine, noviter recognitum; impressumque in celeberrima Universitate Oxonienst, *per me* Jo. Scolar *in viculo D.* Johannio *Bapt. moram trahentem, anno Dom. MCCCCCXVIII. mensis vero Junii XV.*

Quid *Petrum Treveris* Typographum, à quo, *Roberti Whytingtoni* Grammatica latina *Oxonii* edita est an. CIↃDXXVII. commemorem, & alios circa hæc tempora & ante? Post prædictum vero *Scolarem* occurrit *Wynkenus* de *Worde* (*Wynandum* le *Worde* nuncupatum aliquando reperies) qui Typographiam in eadem platea vel vico tot annis exercuit, ut viculo

Grope Lane olim dicto, (Domicilio *Wynkeni* contermino) nomen *Wynkeni* impertierit, siquidem **Wynken lane** ad patrum usque nostrorum memoriam appellari constet. Cæterum notatu dignum est, quod Ars illa (ni fallor) ad Serenissimæ usque *Elizabethæ* tempora (quippe tum *Josephum* quendam *Barnes* libros ex licentia Academicâ imprimentem reperies) apud exteros penitus hæsit, quibus permissa est ab Universitate potestas, jus & privilegium artem Typographicam exercendi, vel apud se retinendi, aut aliis communicandi. Adnotari hic poterit, prima artis hujus initia satis fuisse imperfecta; non enim metallo fusi characteres seorsim aptabantur, pro libitu dissipandi; sed solido ligno integræ pagellæ erant dedolatæ, deinceps prorsus inutiles, quæ etiam *Sinensium* perhibetur methodus. Quod cupri laminis insculptas excipit formas, cylindro rotatum prelum, nuperum est inventum; *Justum*que *Lipsium* authorem habuisse dicitur.

Cantabrigiæ quis primùm eam detulit, hæreo: non solum enim nullum veterem codicem antiquitus illic calcographicis donatum characteribus hactenus reperi, sed etiam opus quoddam à *Gulielmo* de *Saona*, Ordinis Minorum, cui titulus *Margarita Eloquentiæ castigatæ*, illic an. Dom. CIↃCDLXXIIX. scriptum & compositum, *Parisiis* excusum rudi satis forma an CIↃCDLXXX. prodiit, quemadmodùm apertè in ipso exemplari, quod in Bibliotheca Collegii *Corporis Christi Oxoniæ* adservatur, liquet: Insuper & *Roberti Allyngtoni Oxoniensis*, (de quo videsis in Coll. *Reginæ*) sophismata cum consequentiis, in usum Scholæ *Cantabrigiensis*, non illic *Cantabrigiæ* (quod expectandum si modo Typographica Ars tàm citò illic fuisset recepta) sed *Londini* an. Dom. CIↃDX à *Wynando* de *Worde* edita sunt.

Atque hæc quidem hactenùs de primo *Oxoniæ* Typographicæ artis usu, ubi in platea Sanctæ *Johannis* primò omnium (ut videtur) consedit, dicta sint. Nec immeritò quidem: nam si illud laudi dandum fuerit, vel *Lutetiæ*, vel disciplinis ipsis Mathematicis, vel *Henrico Hassiano*, qui primus circa an. CIↃCDLXXXIIX. easdem disciplinas *Lutetiâ Viennam* transtulit, undè brevi tempore per universam *Germaniam* proseminatis Mathematicarum disciplinarum familiis, mirabiles tres Artes exinde sunt inventæ, Bombardica, Typographica & Nautica, ut *Petro Ramo* [a] placet: quanto magis ipsi *Alcuino Parisiensis* Gymnasiii fundatori & mecænati egregio, quem *Anglia* peperit, *Oxonia* lactavit, hæc omnia inventarum artium beneficia accepta referenda sunt? Æqum quidem erat ut Universitatum Mater *Oxoniensis* Universitas, cui aliæ fere omnes artium & disciplinarum originem & incrementa accepta retulere, hac etiam ex parte dignitatem suam tueatur; & Academiarum omnium prima artem Typographicam bonis literis promovendis natam, imbueret primo, & quasi consecraret.

Interim tamen, sua *Petro Ramo* de tempore adinventæ artis Typographicæ, vix constat sententia: Cùm enim antea dixisset *Henricum Hassanum* primum omnium disciplinas Mathematicas anno Dom. CIↃCDLXXXIIX. *Lutetia Viennam* transtulisse, & inde tres illas quas dixi memorabiles Artes in *Germania* ortas & inventas fuisse, de Arte Typographica statim sic infert. Secundò ex eadem gente (scil. *Germanica*) Mathematico beneficio prodiit Typographia, quæ videtur in *Purbachii* tabulis ad *Regiomontanum* referri, inter cujus opera saltem tentata ars illa mirifica literarum formatrix appellatur: cui supputationi Chronologia repugnat, cum primum Typographiæ exemplar *Moguntiæ* editũ sit aº CIↃCDLXVI à *Petro Gernesso* puero *Johannis Fustei*, ut constat è *Ciceronis* officiis, qui liber primus omnium, ut videtur, typis æneis imprimebatur. Cujus codicis exemplar membranaceum quoddam, ad finem hunc habet epilogum.

Præsens M. Tullii *Clarissimum opus*, Johannes Fust *Moguntinus Civis*, *non atramento*, *plumali canna*, *neque ærea*, *sed Arte quadam perpulcra*, *manu* Petri *de* Gernsheim *pueri mei feliciter effeci*, *finitum anno MCCCCLXVI quarto die mensis Februarii.*

Hic (inquam) epilogus, tempus indicat libri primùm omnium impressi, nisi intelligere malis eadem mutatis mutandis omnibus libris tunc noviter impressis adscripta, quod verum esse facile crediderim. Ita Ars, hæc Artium omnium conservatrix Typographia, è matheseos in *Germaniâ* studio primum nata est. Ita scil. *Ramus*; qui dum hæc ita sese habere asserit, nonnè concedit ante Mathesin in *Germaniam* propagatam, Typographiam extitisse? Siquidem *Ciceronis* ille de officiis liber, cujus & nos etiam cum eadem inscriptione exemplar in Bibliotheca CCC. *Oxon* vidimus, anno CIↃCDLXVI. immò an. Dom. CIↃCDLXV. (ut habet aliud exemplar in *Bodleiana*) *Moguntiæ*, ubi primum Typographicum institutum est prælum, excusum prodiit, Mathesis autem juxta *Rami* sententiam, quæ Typographiam prolem suam veluti mater in lucem hanc edidisse dicitur, ad *Germanos*, adeòque primum ipsius Typographiæ authorem *Cuthenbergum* non ante an. CIↃCDLXXXIIX. propagata & transmissa perhibetur.

CIↃCDLXVI.

Prætermisso anno uno, quia in eodem nihil momenti alicujus occurrit, pergam ad sequentia, ubi adnotandum venit Academiam nunc temporis quoad numerum Scholarium plurimum imminutam, sc. Aulæ & Hospitia, quæ eruditis olim excipiendis vix sufficerant, ruinam jam minitabantur & in potestatem Burgensium devenere. Contabescentibus etiam hoc maxime seculo Artibus ingenuis, ante alias vero omnes Grammatica; quapropter id secum in animis versantes Academici, & malè metuentes ne Universitatem pessima demum occuparet barbaries, literas ad [b] *Johannem Chadworth*, Episcopum *Lincolniensem* dedere, sic se habentes --- *Ex olim filio* (inquiunt illi) *mira Dei providentia gratissimus nobis pater efficeris, nec te modo patrem, verum etiam & gratissimum patrem fateri non ambigimus. Quantum sibi hâc nostra ætate ferrea jactura dolori fuerit, ab his qui te hoc damnum sæpe plangentem conspexere satis accipimus; maximè vero quod Grammatica, quam reliquarum scientiarum radicem esse constat, tamquam in exilio posita, regno è nostro abierit, deflere solebas. Huic tam gravi periculo remedium sæpe & multum, uti nuper accepimus, ferre tecum ipse cogitasti. Merito quippe jocundari debemus quod ea quidem res quæ principibus habetur neglectui, à tanti patris corde non abscesserit. Hoc utique tam pium tam sanctumque propositum, quod à Deo seminatum certissimè scimus, eo quidem juvante amplissimos parere fructus indubiè expectamus.*

[a] In 2. *lib. Schol. Mathemat.* [b] In *F. ep.* 254.

Cæterum

Cæterum quonam Antiſtes ille pacto literis *Oxonienſibus* ſuccurrerit, nequeo dicere; licet enim refocillatæ Grammaticæ indicia non deſint, priſtinas tamen vires ac nitorem, antequam bella inter Familias *Eboracenſem* ac *Lancaſtrenſem* ceſſarent, recuperaſſe haudquam opinor. Extitiſſe quidem nobiſcum hoc temporum tractu conſtat, qui in Aulis quibuſdam prima illa eruditionis elementa puerulis traderent (quos inter occurrit *Johan. Cobbow*, Aulæ *Leoninæ* in Beatæ *Virginis* Parochiâ ſitæ Principalis, qui Magiſtrum ſuum *Lelandum* ſeniorem eâ in re ſecutus eſt) vix quiſquam tamen inſignem docendi facultatem adeptus eſt ante *Johannem Holt*, qui ſcilicet cùm eâ egregie polleret, Grammaticam ſcripſit cui *Lac puerorum* [a] nomen fecit, & *Johanni Mortono* (is componendæ inter antedictas familias pacis author præcipuus fuerat) Archiepiſcopo *Cantuarienſi* nuncupavit; ante illam vero non alium uſpiam ejus argumenti librum Typis arbitror mandatum. *Holto* poſteriores ſunt *Johannes Stanbridge*, & Diſcipulus ejus *Robertus Whytingtonus*, qui varios de re Grammaticâ tractatus edidit, qui ad expoliendam ſeculi ejus latinitatem ſummopere conducebant. Ut his vero abſcedam, cum Lecturas ſuas *Oxoniæ* fundaret illuſtriſſimus *Wolſeius*, facultatis illius ſtudioſis uſque adeo favebat, ut revocatis quæ eoſdem attingerent ſtatutis; Gradus in eâdem, Baccalaurei ſcilicet, & Magiſtri ſeu Doctoris, denuo ſuſciperentur.

CIↃCDLXVII.

Incidit hoc anno inter *Bernardum* ac *Suttonum*, Procuratores Academicos, & *Thomam Holymannum* ac *Richardum Buſtardum*, Ballivos urbanos, graviſſima [b] contentio, cui anſam præbuit maleficus quidam à prædictis incarceratus; ab his autem, invitis illis, libertate donatus. Quæſtione vero eâ de re habitâ, quadraginta libris, Procuratoribus numerandis mulctantur Ballivi; quam ſummam ægre tandem & repugnantes ſolverunt, atque ſic demum integrata pax eſt.

CIↃCDLXVIII.

Sub id Privilegia omnia à Deceſſoribus ſuis Univerſitati noſtræ conceſſa lubens [c] firmavit, & rata habuit *Edoardus IV.* quorum de numero ſunt cognitio cauſarum, in litibus Scholarium aliquẽ alterâ ex parte tangentibus, at & Hoſpitiorum taxatio quinquennalis, nec non Juramentum à quatuor Aldermannis, VIII. Burgenſibus, Civibuſque in omni Parochiâ nonnullis, (prout ſupra ad an. CIↃCCLV. retulimus) exigendum, denique Charta *Edoardi III.* jura complectens poſt magnum cum Oppidanis conflictum Univerſitati indultas. Corroboravit porro compoſitionem inter Academiam & *Richardum D'amory*, circa Hundredæ *Northgatenſis* juriſdictionem, factam; chartam de mercatu ab *Edoardo III.* conceſſam; chartam de litibus ubicunque Cancellario, intra Univerſitatis Præcinctus, viſum fuerit dijudicandis; chartam *Henrici IV.* de limitibus Academicis, & Seneſchallo inſtituendo (de quo plura inferius habebis) chartam quâ remiſſum habuimus annuum quinq; librarum reditum, pro ſupremo Mercatus jure olim penſitatum, &c. denique chartam de Meretricibus, & contra pacem publicam rebellibus, ad decimum vel etiam duodecimum lapidem *Oxoniâ* exturbandis.

CIↃCDLXIX.

Iſto quaſi anno Cantariam *Windelſoriæ* fundavit idem Rex *Edoardus*, eamque duobus Presbyteris [d] aſſignavit, ab utrâque Academiâ cooptandis; primum vero nominaſſe comparemus *Oxonienſes Johan. Taylor*, Sacræ Theol. Profeſſorem, anno Dom. CIↃCDLXXXI. qui & alios ſubinde indubitato jure delegimus ad annos uſque [e] CIↃDLIV. & LXVIII. quorum poſtremo *Chriſtophorum Young*, ab Academiâ præſentatum, [f] repudiarunt Decanus & Canonici *Windelſoriani*, id nimirum juris arripiendum ſibi exiſtimantes; cæterum prolatis dein munimentis noſtris victi ſuccubuere. Sub idem tempus Univerſitati per literas (quod ex aliis [g] quibuſdam edoctus ſum) ſignificavit Rex, velle ſe Protectoris Academici titulum certis ſibi de cauſis aſſumere, quam rem novum *Athenis* noſtris ſplendorem acceriſiviſſe nemo eſt qui diffitebitur.

CIↃCDLXX.

Hoc anno veteres inter Medicos & Juriſtas inimicitiæ denuo concaluere, quæ quidem pacem nobis peſſime turbarunt, cùm non abſque aliquâ Phlebotomiâ & ſanguinis emiſſione quaſi artem ſuam in tumultibus iſtis exercuiſſent Medici, præterierunt; quâ de re querimoniæ ad principes quoſdam viros, ac ſpeciatim *Georgium Nevill*, Archiepiſcopum *Eboracenſem*, [h] delatæ ſunt, Qualis vero exitus tumultibus iis contigerit proditum haud invenio; tam manca eſt Regiſtrorum noſtrorum hac tempeſtate memoria. Cæterum cùm palam eſſet ejuſmodi lites è ſtatutorum noſtrorum antimoniis plerumque oriri, Cancellario paucis deinde annis poteſtatem fecit Pontifex Romanus ut Academicos pœnâ & reatu perjurii ſolveret.

CIↃCDLXXII.

Quandoquidem centum ſolidorum penſitatio, in Feudam firmam Mercatus fiſco (ut ſupra dictum eſt) debita, Academiæ remiſſa denuo exigebatur, interveniente ſtatuto quodam Regni, quod Reſumptionis dicitur (quo erat cautum, ut Poſſeſſiones ac Reditus quicunq; emptoribus aut beneficiariis in Coronæ fraudem tranſcripti reſtituerentur) libello ſupplici Ordinibus oblato [i] impetravimus, ut nobis indulta, lege prædictâ non obſtante, firmiter in poſterum adhærerent. Porro cum à Comitiis iiſdem Parliamentariis lege eſſet [k] ſancitum ut Maneria quævis, fundi, tenementa, &c. (paucis tantum exceptis) ſubditis quibuſcunque ab *Edoardo IV.* collata ad eundem poſtliminio redirent, Academiis etiam illo fulmine [l] percuſſis; tanto periculo mature occurrendum arbitrati, Regem ac Senatum literis [l] tantiſper ſollicitavimus, dum nequid inde detrimenti pateremur ab iiſdem cautum eſſet.

[a] *Edit. circa an.* 1497. [b] *Aaa. fol.* 251. 252. 255. *&c.* [c] *In pix. long.* 1. *nu.* 2. *& in* Har. *de privileg. fol.* 149. [d] *Ut in F. ep.* 301. 302. [e] *Vide in I. fol.* 143. [f] *Reg. KK. fol.* 58. 59. [g] *In F. ep.* 291. [h] *Ibidem ep.* 256. [i] *Six. BB. nu.* 19. *& in* Haro *ut ſupra fol.* 169. *b.* 170. *b.* [k] *Ut in ſtatut. Reg. publ. in* Ed. IV. *& in* Har. *de privilegiis fol.* 171. [l] *In F. fol.* 19. *&c.*

CIↃCDLXXIV.

Hunc annum nil amplius insignivit quam Principis cujusdam Nothi ex *Burgundiâ* [a] adventus, quem convivio splendido, & solenni Disputationum apparatu excepit Universitas. Is, ut opinor, *Carolo Burgundiæ* Duci, fœdere sub id cum *Edoardo* conjuncto, è stupro natus erat.

CIↃCDLXXVI.

Sub id Regi nuntiatum est Academicos haud paucos *Wicliffio* & *Pecockio* in plerisque assensisse, Academiæ itaque per literas mandatum est, ut utriusq; Libros in Collegiis Aulisque exploraret, eorum vero sectatoribus pœnam debitam irrogaret. In Convocatione solenni palam recitatæ sunt regiæ literæ, iisque hunc partim in modum [b] rescripsimus; *--- Unde tuis generali in convocatione celeberrimis literis à nobis intellectis, omnes tam ipsius* Wiclefi, *quam etiam* Reginaldi Pecoke *libros atque tractatus, qui quidem apud nos quibusdam in locis quasi deserti & ignoti latitabant, accurata & diligenti præhonorabilis Domini nostri Cancellarii tuæ serenitatis capellani authoritate, mox facta ubique perscrutatione suas in manus collectos, ne ii deinceps simplicioribus viris & (ut hominum plerunque se habent mores) ad malum semper pronis (tua nobis idipsum prudentia scriptitante) deceptionem & ruinæ occasionem, inducere possent; unanimi omnium nostrorum consensu comburendos censuimus: qui etiam heri, nobis omnibus ibidem præsentibus publico in loco, universi sunt igne consumpti. Si qua verò eorum utrorumvis opera in futurum poterimus invenire, ipsa pariter incendentur.* Qui præfatorum autem Doctrinæ ullo modo patrocinari deprehendebantur, aut Academiâ pulsi, aut sacris interdicti sunt, aut aliâ denique ratione pœnas luebant; quorum de numero erat *Thomas Smythus*, qui de Hæresi, quam vocabant, suspectus, apud Regem se tandem [c] purgavit.

CIↃCDLXXVII.

Hunc annum infamem reddidit gravissima duarum Aularum [d] discordia, in quâ cæsis quibusdam viris plurimisque vulneratis, necesse habuit Regia Majestas Arbitros nonnullos tollendæ seditioni transmittere; quibus tamen diffidia inquirentibus, eas dederunt turbas Academici, ut coactus fuerit Cancellarius eosdem constituto Vigilum satellitio ab injuriis nocturnis defendere. Quem vero ea res eventum sortita est è Registris nostris minime liquet; quanquam aliquos Universitate reperio exterminatos.

CIↃCDLXXIIIX.

Tria tantum hoc anno occurrunt quæ digna memoratu crediderim; atque illa sic se habent.

1. Direpta [e] est Cista *Warwicensis*, & pecuniâ simul pignoribusque ibidem depositis spoliata; quæ quidem recuperavit Procurator Australis, in Hospitio S. *Bartholomæi* reperta.

11. Tumultuatum adeo est ut Baccalaurei permulti, qui prædicto Procuratori dum pacem tueretur subsidio venirent, sauciati [f] fuerint.

111. Scholæ Artium *Osnevenses*, in plateâ *Scholarum* desertæ vacuæque fuerunt; quod quidem toto propemodum *Edoardi IV.* Regno contigisse [g] perhibetur.

CIↃCDLXXIX.

Chartas pontificias aut annis exesas, aut casu aliquo iniquo deperditas, aut ab ipsis denique Papis revocatas, maxime autem insignem illam à *Bonifacio* pridem indultam, atque jam rescissam, secum haud sine dolore recolentes Academici; *Johanni* Abbati *Abendonensi*, *Romam* de Cœnobii sui negotiis hoc anno proficiscenti [h] suaserunt, ut confirmandas easdem & vigore pristino donandas impetraret. Ejus itaque operâ compotes voti facti sumus, obtento *Sixti IV.* in hæc verba [i] Diplomate:

Sixtus *Episcopus servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apostolicæ rectitudo, quæ in suis Actibus provida circumspectione dirigitur, bene merentibus præmia largiter confert & illis concessis novæ probationis adjecto beneficio specialis favoris gratiam impertitur iis, quos facti evidentia designanter denotans & obsequiosos cognoscit eadem; ut & ipsi ad ejus beneplacita promptiores existant, & alii ad eorum exempla & similia propensius excitentur. Dudùm siquidem felicis recordationis* Bonifacio *Papæ VIII. prædecessore nostro pro parte hac Cancellarii Magistrorum, Doctorum, & Scholarium Universitatis Studii* Oxon Lincoln. *Diæc. exposito, quod nonnulli claræ memoriæ* Angliæ *Reges, qui fuerant pro tempore, pro majore quiete & tranquillitate studentium in eodem studio ipsis Magistris, Doctoribus & Scholaribus nonnulla ex post .... per tunc* Angliæ *Regem approbata inter alia concesserant, quod Cancellarius dicti studii pro tempore existens haberet omnimodam cognitionem vel quasi quorumcunque contractuum factorum, nec non punitionem seu quasi delictorum commissorum pro tempore infra limites Vniversitatis prædictæ, ubi saltem altera partium Scholaris vel serviens ejus aut aliàs jurisdictioni dicti Cancellarii subjectus esset; ita quod nullus Scholaris præfati studii vel serviens ipsius seu de hujusmodi jurisdictione dicti Cancellarii existens, occasione præmissarum vel alicujus earundem etiam tam per Brevia Regia extra Universitatem præfatam trahi potuisset, tribus casibus, viz. homicidio, mutilatione, & libero tenemento duntaxat exceptis; Quodque ipsi Magistri, Doctores & Scholares, vigore Concessionum hujusmodi in pacifica possessione vel quasi privilegiorum suorum fuerant à tempore cujus contrarii memoria non erat; ac eidem prædecessori pro parte eorundem Magistrorum, Doctorum & Scholarium supplicato, ut eis similem concessionem facere ac ipsos ab omni jurisdictione, dominio & potestate quorumcunq; Archiepiscoporum, Episcoporum, etiam Legatorum natorum dictæ sedis, nec non Episcoporum & aliorum Ordinariorum judicum quoad contractuum initorum vel quasi, nec non excessuum ac delictorum infra hujusmodi limites præfatæ Universitatis commissorum cognitionem, & ipsorum excessuum ac delictorum nec*

[a] *Inter Rot. comput. Procuratorum in pix.* PP. [b] *In F. ep.* 268. [c] Twyn. *lib.* 3. *sect.* 190. [d] *Comp. Proc. ut supra.* [e] *Ibid.* [f] *Ib.* [g] *Ut in Rentalibus* Osney *in Thes. Æd.* Christi. [h] *F. ep.* 287. [i] *In FF. fol.* 74. & *A.* 9 \. &c.

non

non contractuum vel quasi correctionem & punitionem una cum ipso Cancellario quoad præmissos duntaxat non ut præfertur exceptos casus & omnes actus Scholasticos authoritate Apostolica exemit & totaliter liberavit, ipsosque Scholares & personas alias quamdiu in præfato studio ut præfertur degissent præfato Cancellario subjecit; ita quod idem Cancellarius de contractibus initis ac excessibus delictorum, nec non criminibus commissis per Scholares & alias personas hujusmodi cognoscere, excessusque crimina & delicta hujusmodi corrigere & punire, ac omnem jurisdictionem etiam Scholasticam & spiritualem in eosdem Scholares & personas alias exercere libere & licite valeret secundum statuta, privilegia, & consuetudines studii prælibati, nec non quaslibet excommunicationum, suspensionum & interdicti sententias, ac quoscunque processus quas & quos contra præfatos Cancellarium, Scholares & alias personas dicti studii contra tenorem & formam exemptionis & liberationis hujusmodi promulgari & haberi contingeret, irritos decrevit & inanes, jurisdictione tamen & potestate prælibati Cancellarii Universitatis, & Collegiorum ejusdem statutis & consuetudinibus, privilegiis & libertatibus illis, præsertim quibus caveri dicitur, quod in præmissis Procuratores & congregatio Magistrorum dicta Universitatis in hujusmodi Cancellarii jurisdictionem haberent in omnibus semper salvis prout in ipsius Bonifacii, *prædecessoris literis desuper confectis, quarum tenores hic pro insertis & pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.*

Cùm autem sicut accipimus, dilecti filii moderni Cancellarius, Magistri, Doctores & universi Scholares præfatæ Universitatis cupient præmissis omnibus pro illorum subsistentia firmiori, nostri adjici muniminis firmitatem Nos qui præfatos Cancellarium Magistros, Doctores & Scholares universos ob fervorem puræ devotionis & fidei quam ad nos & Romanam gerunt Ecclesiam speciali dilectione prosequimur, præfatorum tam per charissimum in Christo Filium Edwardum *modernum quam alios præfati regni* Angliæ *Reges eidem Universitati & in ea studentibus concessorum privilegiorum tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio* [a] *non ad ipsorum Cancellarii, Magistrorum, Doctorum & Scholarium aut aliquorum aliorum instantiam, sed de nostra mera liberalitate privilegia, concessiones, exemptiones & alia indulta tam per prædecessores, quam modernum & alios dicti Regni Reges eisdem Cancellario, Magistris, Doctoribus atque Scholaribus in genere vel specie data & concessa, & prout illa concernant, omnia & singula tam in Regum, quam prædecessoris prædictorum literis contenta, authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernentes, præsentis scripti patrocinio communimus; supplentes omnes & singulos defectus, tam juris quam facti, si qui forsan interveniissent in eisdem. Et nihilominus quia sicut etiam accipimus, nonnunquam contingit Magistros, Doctores & Scholares dictæ Universitatis, Statutorum & ordinationum ejusdem propter illorum multitudinem, ac per eos de illis observandis præstitorum juramentorum immemores de perjurii reatu notari, ac in pœnas in dictis statutis contentas incidere, & diutius in illis remanere; propter quæ inter Magistros, Doctores & Scholares præfatos dissensiones, jurgia & scandala ut plurimum oriuntur; Nos hujusmodi scandalis obviare, ac ipsorum Magistrorum, Doctorum & Scholarium commoditati & quieti consulere volentes, motu simili, & ex certa nostra scientia moderno & pro tempore existenti dictæ Universitatis Cancellario, Magistros, Doctores & Scholares universos, qui in præfata Universitate pro tempore degerint, quique ob transgressionem vel omissionem statutorum & ordinationum hujusmodi in perjurii vel aliam quamvis pœnam inciderint, si id humiliter petierint, ab hujusmodi perjurii reatu & aliis pœnis propter præmissa per eosdem Magistros, Doctores & Scholares forsan incursis, simpliciter vel ad cautelam quantum expediens erit per se vel per alium, seu alios absolvendi, injunctis pro modo culpæ & transgressionis statutorum hujusmodi qualitate pensata, arbitraria & salutari pœnitentia, & aliis quæ de jure & consuetudine laudabili fuerint, prout noverit injungenda, ac cum eisdem Magistris, Doctoribus, & Scholaribus sic ut præmittitur transgressoribus, ut ad Gradus meritos promoveri, & promoti gradibus hujusmodi uti ac officia exercere, nec non beneficia quæcunque sicut prius retinere liberè & licitè valeant, dispensandi, omnemque inhabilitatis & infamiæ seu perjurii maculam sive notam, per se vel alium, seu alios abolendi ac illos in pristinum statum in quo antequam* [b] *deliquissent seu dejerassent erant, cujusvis alterius super hoc licentia minimè requisita, reponendi & restituendi authoritate & tenore præmissis licentiam concedimus & etiam facultatem.*

Cæterum quia difficile esset propter itinerum distantiam & viarum pericula pro singulis occurentibus negotiis has nostras literas ad singula quæque huc transferri, etiam volumus, ac eisdem Cancellario, Magistris, Doctoribus & Scholaribus concedimus decernimus, quod harum literarum nostrarum vero transcripto manu Notarii publici signato & subscripto, nec non alicujus Prælati aut Curiæ sigillo authentico sigillato stetur, & tanta fides adhibeatur in judicio & extra, ac ubique quanta eisdem originalibus literis si darentur & exhiberentur; non obstantibus S. Memoriæ Innocentii *Papæ IV. etiam prædecessoris nostri & quibusvis aliis Apostolicis nec non bonæ memoriæ* Ottonis & Octoboni *olim in præfato regno Apostolicæ sedis Legatorum; nec non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus & specialibus constitutionibus, ac præfatæ Universitatis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus: nec non omnibus illis quæ idem* Bonifacius *prædecessor suis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Et insuper ex nunc irritum decrevimus & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, constitutionis, communitionis, suppletionis, concessionis, decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.*

[a] Non ad ipsorum Cancellarii, &c instantiam *&c. Hinc excusantur à pœnalitatibus & mulctis interminatis per* Ric. II. & Hen. IV. [b] *Pejerassent.*

Si quis

Si quis autem hæc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli *Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat.* Romæ *apud S.* Petrum, *anno Incarnationis Dominicæ CIↃCDLXXIX. Id. Septemb. Pontificatus noſtri anno nono.*

Sic ſe habet Bulla hæc Pontificia; at in calce ejus, quæ occurrit in veteri libro Statutorum Domini Vicecancellarii ſic legitur. *Dat.* Romæ *apud Sanctum* Petrum *anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, idibus Septembris; Pontificatus noſtri anno nono.* Manifeſto librarii lapſu, cum, teſtante *Onuphrio*, ante annum Domini CIↃCDLXXI. *Sixtus* iſte IV. Pontifex Romanus non fuerit. Utcunque, priori Apographo, quoad temporis adnotationem, primas deferentes, diploma illud & regio permiſſu obtentum non eſt ut dubitemus; cum aliter indultum iſtud nobis in irritum cederet, & pœnâ illâ quæ *præmunire* appellatur eſſet luendum. Conſtat autem nobis tam Eccleſiaſticam quam Civilem Juriſdictionem ratam prorſus fuiſſe, cùm Authoritatem ſibi Apoſtolicam exinde aſſeruerit Univerſitas; Unde ſatis pro imperio, ut alia omittam, literis [a] ad viros aliquot tranſmiſſis qui hinc nuper diſceſſerant, Academici noſtri jubent mandantque, ut coram ipſis comparerent, & ciſtarum quarum Cuſtodes fuerant rationem redderent. Reſcriptum ipſum ſic ſe habet; *--hinc eſt quod nos authoritate noſtrâ Apoſtolicâ, ad conſervationem juris Univerſitatis, bonorumque ejuſdem, virtute juramenti à te in hac parte præſtiti* &c. *mandamus*, &c. Quin & inſuper liquet, antiquatam *Bonifacii* Bullam & privilegia omnia ibidem conceſſa, nunc denuo invaluiſſe; nec non poteſtatem quam de viſitandâ Academiâ duo ſibi arripuerant Reges exinde ad reformatæ religionis tempora obdormiviſſe.

Hoc eodem anno & [b] Bullam aliam dat. VI. Cal. *Aug.* à Pontifice illo indultam nobis deprehendo; quâ utique Diploma ab *Innocentio IV.* anno Dom. CIↃCCLIV. conceſſum, roboravit, & Academiam à viſitatione, externâque omni juriſdictione liberam ac immunem pronuntiavit. An addam porro de Indultis Pontificiis, quod ſecum paucis abhinc annis reputantes Academici, eorum nonnulla ex cuſtodientium incuriâ intercidiſſe, *Johannem Thorne*, Abbatem *Readingenſem*, hujus autem Univerſitatis olim alumnum induxerint, ut eorum Autographa ſecum adſervaret; cui quidem & Bullam noviſſime impetratam tradiderunt, cujus tamen exemplaria quævis, aut Actuarii publici, aut Epiſcopi alicujus, curiæve ſigillo munita, parem cum ipſo autographo vim ſortiri juſſerat Pontifex. Denique, ut hæc finem inveniant, mirari ſubit, qua fronte ſuſtineret [c] affirmare Antiquarius ille *Cantabrigienſis*, *Caius*, nulla nobis ante hæc tempora Privilegia obtigiſſe, cùm (ne ad ipſum *Alvredi* ſeculum revolemus) in hoc ipſo Diplomate eorum quæ Reges juxta & Pontifices Univerſitati noſtræ conceſſerant mentio reperiatur.

CIↃCDLXXXI.

Hoc anno die autem *Sept.* vigeſimo, ad Collegium ſuum *Magdalenenſe* [d] acceſſit *Gulielmus Waynfleet*, Epiſcopus *Wintonienſis*, libros bene multos Bibliothecæ donandos, cum Inſtrumentis Sodalitii latifundia tangentibus ſecum adferens: quem tanquam Viſitatorem perinde ac Fundatorem Oratione ſolenni exceperant illius Ædis Academici. Die menſis ejuſdem XXII. *Wodſtochiam*, ubi tum agebat Rex *Edoardus IV.* [e] contendit, & Rex ibidem *ſponte ex ſua gratia ſpeciali promiſit D. Fundatori nocte ſequenti ſe velle Collegium ejus de novo fundatum* Oxoniæ *inviſere, & ibidem pernoctare.* Poſt occaſum igitur Solis, Parochiam S. *Ægidii* intravit, tædis innumeris prælucentibus, & Cancellario ac Magiſtris cum totâ Academicorum celebritate ad Collegium antedictum deducentibus; ubi à Fundatore, Præſide, & Scholaribus, obviam ſolenniter procedentibus excipitur, quibus Hoſpitem ſeſe illâ nocte indulſit. Regem ad *Magdalenenſes* comitati ſunt *Ciceſtrenſis*, *Elienſis*, & *Roffenſis* Epiſcopi, Comes *Lincolnienſis* ſupremus *Angliæ* Seneſchallus, Dominus *Stanley*, Dominus *Dacres Suſſexianus*, Barones. D. *Thomas Barowyg*, miles, cum aliis permultis inſignioris notæ viris, ibidem quoque pernoctantibus.

Sed nec prætermittenda *Suffolciæ* Comitiſſa, conſortis Regiæ mater, quæ ingenti famulorum numero ſtipata *Oxoniam* ſimul acceſſit, muneribus honorariis ab Univerſitate donata. Proximo die, inter preces antelucanas & Proceſſionis litaniarumque ſolennia, Fundatoris juſſu orationem habuit ad Regem Collegii Præſes, à quo obnixe contendit, ut totius Academiæ, maxime vero *Magdalenenſium* ſtudia fortunare dignaretur; id quod ille ſtatim facturum ſeſe pollicitus eſt. Mox inde Proceſſioni, per Clauſtra utraque Collegii limites celebratæ, die autem ſequente Diſputationibus publicis, & Prælectioni Theologicæ (quam ſcilicet ipſe [f] fundaverat, quamque jam obibat Mr *Lionellus Wydevill* Cancellarius) cum optimatibus interfuit; quarum poſtremam tanto habuit in pretio, ut conſanguineos nonnullos, ſpeciatim vero *Edmundum Pole*, nepotem, (quem Univerſitas in literis [g] Regi tranſmiſſis mire prædicabat) *Oxoniam* nuper ejuſdem gratiâ tranſmiſerit *Edoardus*; qui & exercitiis aliis Academicis adfuit, & quam ſibi cordi eſſent bonæ literæ diſcedens teſtabatur.

CIↃCDLXXXII.

Ante annos aliquot in *Hiberniam* trajecerant *Iſaacus Cuſake* S. T. P. ex Ordine Minorum, & *Dionyſius Tully*, Dominicanus (quorum primo dictus [h] literis ab Academiâ teſtimonialibus muniebatur) Hi autem dogmata quædam erronea, aliaque pro ſanis haudquaquam eâ tempeſtate habita profeminarunt, ſtipem nempe oſtiatim emendicaſſe Chriſtum aſſerebant: Papam porro *Johannem* hæreticæ pravitatis arguendum eſſe profitebantur; quin, & Univerſitatem *Oxonienſem* ſecum hiſce in rebus ſentire conſtanter affirmabant. Cancellarius itaque & Magiſtri [i] literas ad *Johannem Waltonum* Archiepiſcopum *Dublinenſem* (is hujus olim Academiæ Alnmnus, & Cœnobiarcha dein *Oſneienſis* fuerat) dederunt, pleniorem utique rei notitiam ab illo efflagitantes; tranſmiſſis una literis quas citatorias vocant, quibus denuntiârunt, niſi poſt tertium menſem præſentes ſeſe *Oxonii* ſiſterent viri prædicti, Gradibus fore ſpoliandos; qui quidem haud ita multo poſt prehenſi, & *Oxoniam*, cum eorum quæ

[a] *In F. fol.* 135. *b. & alibi.* [b] *In* FF. *ut ſupra fol.* 75. *&c.* [c] *In lib.* 2. *Antiq.* Cantab. *p.* 252. 253. [d] *Reg. Coll.* Magd. *A. fol.* 7. *b.* [e] *Ibid. fol.* 8. *a.* [f] *F. ep.* 315. [g] *Ibid. ep.* 307. [h] *Ibid. fol.* 123. *b.* [i] *Ibid. fol.* 145. *a. ep.* 313.

apud

apud *Hibernos* patrarant ſcelerum Catalogo, amandati ſunt, ubi hæretieæ pravitatis comperti, Palinodiam primo canere coguntur, Gradibuſque dein privati Univerſitate in perpetuum eliminantur: ſunt autem qui ſcribant, pœnam tam gravem deprecantibus Procerum nonnullis in priſtinum apud Academicos locum admiſſos fuiſſe.

CIↃCDLXXXIII.

XXII. *Julii Oxoniam* advolat [a] Collegii *Magdalenenſis* Fundator, de apparatu ſcilicet qui excipiendo Regi *Richardo III.* accommodatus eſſet ſolicitus. Secundo poſt die *Oxoniam Windelſoriâ* pervenit Rex, quem totius Academiæ frequentia, obviam appropinquanti effuſa, ad *Magdalenenſes* comitata eſt, quibuſcum illâ nocte hoſpitabatur. Latus regium claudebant *Dunelmenſis*, *Wigornienſis*, & *Aſaphenſis*, Epiſcopi, *Thomas Langton* ad Epiſcopatum *Menevenſem* electus, prout loquimur, non autem admiſſus, Comes *Lincolnienſis*, ſupremus *Angliæ* Seneſchallus, Comes *Suthreiæ*, Dominus Camerarius, Dominus *Lovel*, Dominus *Beauchamp*, Barones; *Richardus Radcliff*, miles; qui cum Optimatibus aliis apud *Magdalenenſes* pernoctabant, & ab Univerſitate, obſervantiam ſuam teſtari cupidâ, honorariis muneribus de more donati ſunt. Die ſequente, in quem Feſtum Divi *Jacobi* incidit, habitæ ſunt, ex mandato Regio, in Sodalitii prædicti Refectorio Diſputationes binæ; Reſpondente imprimis in Morali Philoſophiâ Baccalaureo quodam facultatis Artium, Opponente autem Magiſtro *Thomâ Kerver*; ac deinceps Opponentis in Theologiâ vices ſuſtinente Magiſtro *Johanne Taylor*, facultatis ejus Profeſſore, Reſpondentis vero partibus fungente Magiſtro *Gulielmo Grocyn*, Artium Magiſtro. In muneribus autem obeundis tanta cujuſque peritia eluxit, ut eorum cuilibet damam detulerit Rex *Richardus*; Doctori porro libris quinque, Magiſtrorum alterutri totidem Marcis, Baccalaureo denique quadraginta ſolidis in honorarium collatis. An dicam præterea, Damas inſuper binas & quinque Marcas, in vinum erogandas, Præſidi & Scholaribus largitum fuiſſe?

Die proximo, qui S. *Annæ* nuncupatus erat, Procerum coronâ ſtipatus Rex Diſputationibus publicis interfuit, & ſudorem Academicum, pro cujuſque meritis, munifice compenſavit; eodemque die *Woodſtochiam*, iis quibus decebat reverentiæ indiciis, ab Univerſitate deductus eſt. Haud longo poſt tempore, Privilegia noſtra & omnis generis Immunitates, quod nobiſcum agens pollicitus [b] fuerat, rata habuit, prout ex Epiſtolâ [c] quadam Academicâ ad eundem datâ liquet, in quâ ſic legis: --- *Nos vero quos conceſſis à Primogenitoribus tuis Privilegiis etiam ſine pretio denuo donaſti, quantum tibi debemus?* Enimvero de Rege illo dicendum quod Rempublicam quam per fraudem ac ſcelus involârat, haud injuſtè videretur adminiſtraturus, qui proinde operam in eo omnem poſuit ut ſubditis acceptior evaderet; Municipio autem *Oxonienſi* Marcas viginti, pro feodo firmo primo Regni anno debitas, ultro condonavit, & quo *Cantabrigienſes* quoque Muſas demereret, Collegium *Reginenſe* annuo D. marcarum reditu [d] locupletavit. Quo rem quoque literariam promoveret, exteris lege latâ permiſit ut Libros impreſſos in *Angliam* inveherent, ibidem pro libitu diſtrahendos; quam legem XXV. Regni ſui anno refixiſſe comparet *Henricus VIII.* quod illo nimirum tempore magna ſatis librorum copia excudi ab ipſis *Anglis* occiperet.

CIↃCDLXXXV.

Orta eſt *Oxonii* hoc anno, ſub menſis *Auguſti* finem, omnium quæ unquam [e] acciderant violenta maxime & horrenda peſtis, ſex enim hebdomadarum ſpatio Academicos pleroſque aut jugulavit aut Univerſitate exturbavit. Exeunte quaſi *Decembri* totum pene Regnum pervaſerat, inque Urbe *Londino* tantas edidit ſtrages, ut tres ejuſdem Prætores ante undecimum diem è medio tulerit, tam præcipiti autem furore graſſabatur, ut vel homines intra XXIV. horas præfocarit vel ſpem vitæ indubiam præbuerit. A partibus Regni Orientalibus in Auſtrum & Occidentem tendebat, & Optimates haud paucos, ſeculares juxta & Eccleſiaſticos, trucidavit. Symptomata ejus quod attinet, à [f] ſcriptore haud incelebri habebis: *Peſtis hujus* (inquit ille) *Symptomata erant lipothymia, virium languor, oris ventriculi morſus, anxietas, cephalalgia, pulſus creber, celer, & inæqualis; denique ſudor graveolens toto corpore emanans.* Ægrotis medius quidam calor conveniebat, cavendum enim & à frigore erat & à nimio ſtragulorum onere, quippe ſudorem immodicum provocantium quam pauciſſimi evaſere; in alexipharmacis autem temperatis ſpes unice ſita erat. Primo ſequentis *Januarii* ventus quam maxime procelloſus Regiones haſce, à plagâ mundi Euro-auſtrali, [g] pervaſit; utque Ædium privatarum ac Murorum ruinam taceam, cum ipſis Arboribus radicitus evulſis, Eccleſias haud pauciores tribus deturbaſſe fertur.

CIↃCDLXXXVI.

Hoc iterum anno, ſub finem etiam *Auguſti*, Lues graviſſima in Parochiâ B. *Mariæ Magdalenæ* [h] prorupit; quæ cum vires repente colligeret, Scholares, quorum pars aliqua ad Univerſitatem redierat, omnino diſſipavit.

Notandum porro ſub id occurrit inſigne ſacrificuli cujuſdam *Oxonienſis*, cui *Gulielmo Symonds* nomen erat, flagitium; qui annos natus XXVIII. Nobilium quorundam, familiæ *Eboracenſi* ſtudentium, hortatu, juvenem ſibi in diſciplinam traditum, formâque non minus quam ingenio conſpicuum, eo demum, ſpe Regni, pertraxit, ut *Edoardi* Comitis *Warwicenſis*, Duce nimirum *Clarentiano* nati, perſonam ſuſciperet, ſeque, perrupto in quem ab Avunculo *Richardo* concluſus fuerat carcere, Parricidæ manus evaſiſſe perhiberet; quâ quidem ex parte & famam publicam faventem ſibi habuit. Cæterum prehenſus tandem *Symondſius*, & decimo ſexto *Februarii* ad Eccleſiam S. *Pauli Londini* accerſitus eſt, ubi quæſtione ſuper eâ re habitâ fraudem omnem (præſentibus Epiſcoporum Procerumq; haud paucis, cum Prætore urbano, Aldermannis & Vicecomite *Londinenſi*) aperuit; Juveni ſe cuidam, organorum Muſicorum artificis *Oxonienſis* filio, ſuaſiſſe [i] faſſus, ut Comitem *Warwicenſem* ementitus in *Hiberniam* proficiſceretur; atque hunc eundem eſſe juvenem qui cum Domino *Lovell* Barone *Furnſellæ* comparuit. Sa-

[a] *Reg.* Magd. *A. ut ſupra fol.* 27. *b.* [b] *F. ep.* 315. [c] *Ibid. ep.* 322. [d] Roſſus *de Regib. in* Ric. III. [e] *Reg. antiq. Coll.* Merton. *fol.* 22. *b.* [f] Carol. Valeſius *de Peſte. c.* 14. [g] *Ibid. in eod. Reg. fol.* 23. [h] *Ibid. fol.* 30. *a.* [i] *Reg.* Morton *fol.* 34.

crificulus ergo ille, ſuo teſtimonio Proditionis compertus, in turrem primo *Londinenſem* compingitur, & capite dein plexus eſt; qui ſane de Comite illo fictitio vera prorſus retulit; nam is *Edoardi Wottoni*, artificis nobiſcum organorum muſicorum non autem Piſtoris *Oxonienſis* (prout nonnullis videtur, qui *Lambertum Symnell* appellant) filius fuit.

CIↃCDLXXXVII.

Quo tempore copiis omnibus in fugam verſis *Stokefeildiæ* caperetur *Lambertus* perſonatus ille Princeps, *Robertus Stillyngton*, Epiſcopus *Batho-Wellenſis* (qui utique Rebellionem ſuaſit, & pro virili ſuo promovit) ut meritas evitaret pœnas *Oxoniam* illico, tanquam ad certiſſimum perfugii locum iter arripuit; & ibidem (ni fallor) in Collegio *Omnium animarum* vel in aula *Profunda* (cujus quondam præſes fuerat) moram trahebat. Id ubi reſcivit *Henricus VII.* literas primo ad ipſum dedit, quibus ut coram ſe propediem compareret præcepit, quod cum facere detrectaret Epiſcopus, alias [a] quaſdam ad Univerſitatem tranſmiſit Rex, quarum ſumma erat, velle ſe ut Virum illum contra pacem publicam conſilia nefaria machinantem, in Matriculam vero Academicam minime relatum, Magiſtro *Edoardo Wylloughby* ſacellano ſuo tradendum, & ad Aulam regiam deferendum curarent. Cæterum neque mandatis regiis hac ex parte obtemperabant Academici, qui *Henrico* reſcribentes, verbis obſervantiæ quidem plenis utebantur, Epiſcopum vero, ſecum ſtudiorum gratiâ commorantem, Univerſitatis juribus muniri; proinde ſiquis eriperet vim ſimul Privilegiis Academicis illaturum affirmabant. Atqui hæc Regem à ſententiâ minime dimoverunt, qui ad literas noſtras [b] reſpondit, juſſiſſe ſe ut Regiſtra omnia inſpicerentur, nullibi autem repertum eſſe quod indultum ſibi unquam habuerit Univerſitas, ut virum aliquem proditionis poſtulatum tueretur. Quare cum id nobis repetitis vicibus ſignificatum fuiſſet, precibus magis *Henrici* quam authoritate victi, (tanta erat Clericorum vigente Papatu Majeſtas & Bullarum Apoſtolicæ ſedis religio) ad Epiſcopum [c] acceſſerunt è noſtris aliqui, eiq; tabellas regias evolvendas dedere, atque is ubi in quem locum res eſſet deducta expenderet, ſe Regem quidem lubentiſſime aditurum ſimulavit, niſi quod à ſicariorum graſſationibus, hoſtiumq; inſidiis metueret, ſi ergo hac ex parte cautum eſſet, ſe non regia juſſa detrectare ajebat.

His ita peractis certiores fecit [d] Academicos Regia Majeſtas, grato ſe quidem animo accipere, quod mandatis ſuis obſequium præſtare non obſtinatè denegarent: Epiſcopo certe illorum patrocinium, non depoſcente nihil erat quod ſuaderet, ut in tutela ejus laborarent; ac proinde, cùm moræ, quam eâ in re interponebat Epiſcopus, nil aliud quam inepta formido prætexatur, inſtabat Rex ut antedicto *Willoughbeio*, ejuſque adjutori *Edmundo Hambdeno* Corporis Regii Armigero traderetur reus; cæterum alias Academici cauſas denuo nectebant, ne tantum utique Præſulem ad ſupplicium darent vetare perhibentes Anathematis Eccleſiaſtici metum. Ut verbo dicam, huc demum res [e] rediit, ut intervenientibus *Henrici* Epiſtolis, modo placidis gratiæque plenis, modo irâ miniſque refertis, exeunte anno à viris prædictis, (*Jacobo Parker*, Corporis Regii Armigero operam conferente, connivente autem Cancellario Academico) arreſtatus & prehenſus eſt Epiſcopus, & *Windelſoriæ* ad obitus uſque diem in carcere adſervatus.

CIↃCDLXXXVIII.

Celebratur hic annus Regio ad Academiam adventu, illum vero ſplendidâ Scholarium frequẽtiâ, & pompâ ſolenni, Oratione porro Panegyricâ, & honorario munere (prout fieri antiquitus conſuevit) [f] excepimus. Regem comitati ſunt, præter alios haud paucos Optimates, Eccleſiaſticos perinde ac ſeculares, *Lincolnienſis*, *Wigornienſis*, & *Midenſis* in *Hibernia*, Epiſcopi, quibus obſervantiam noſtram, oblatis muneribus & hoſpitalitatis teſſaris, teſtati ſumus. Quamdiu nobiſcum commoratus eſt *Henricus* parum conſtat, atqui memoriæ proditum eſt octies cum illo ſolenniter & publicè proceſſiſſe Univerſitatem.

CIↃCDLXXXIX.

Hoc anno [g] decrevit Academia (quam ſcilicet nil unquam prætermiſiſſe liquet, quod ad compenſandam quantum in ſe eſſet Benefactorum munificentiam pertineret) ut annua miſſarum ſolennia pro æternâ *Richardi Lichfeild*, Archidiaconi *Middleſexiæ* & *Bathonienſis*, ſalute, in die *Johanni* & *Thomæ Kemp*, Epiſcopis & Mecænatibus Academicis aſſignato, celebrarentur. *Lichfeildus* autem ille libras ducentas recreandæ Beatæ *Virginis* Eccleſiæ haud ita pridem conſignarat, voluminaque (velut infra dicetur) CXXVIII. MS. in Bib. *Humphredinam* detulerat; munera enim alia, *Mertonenſibus* [h] præſertim (apud quos literis imbutum ſuſpicor) collata referre ſuperſedeo. Tam truculenta hoc eodem anno (menſibus *Auguſto*, *Sept.* & *Octob.*) per Academiam [i] graſſata eſt peſtis, ut Togatos pleroſque diſſipârit, poſtquam eorum bene multos è medio ſuſtuliſſet; quos inter occurrit *Thomas Cantius* Aſtronomus imprimis illuſtris è Collegio *Mertonenſi*, ubi lues iſta ſæviiſſe præſertim deprehenditur.

Paulo ante Feſtum S. *Mich.* tanta emerſit inter Burgenſes noſtros de electione Prætoris diſcordia (*Edoardo Wodeward* & *Rich. Hewys* vel *Howes* competitoribus litem accendentibus), ut Academicos etiam ea ſollicitaret: quemadmodum olim in nationalibus quæ ſubinde oriebantur diſſidiis, Burgenſes ad Togatorum tuendas partes pertrahebantur. Plurima ſanè eaq; ſatis enormia utrinque perpetrata; quorum omnium coram Regio Senatu rationem reddituri Burgenſes accerſuntur; unde non prius dimiſſi, quam cautionem fidejuſſoriam ſummæ pecuniariæ admodum grandis interponerent, Domum ſe reverſo Regiam pacem inviolatam daturos pollicitis. Quinimo Prætori & Magiſtratibus obſequium debitum præſtituros; nec partium ſtudio in tranſverſum actos, in ſeditionis ſocietatem alios allecturos ſpondent. Complures autem eorum indignati (maxime qui à *Wodewardo* ſteterant, nam Faſces *Hoveſio* ceſſere) ſe finem quem ſperabant minime aſſecutos, proteſtari ibidem auſi ſunt, ſe Civitate prorſus abdicaturos, & Scholarium, quos prius injuriis impetebant, & odiſſe profitebantur, ſervitiis admiſſos, daturos operam ut Univerſitatis albo inſcribi poſſint

[a] *In* F. *ep.* 339. [b] *Ibid. ep.* 343. [c] *Ibid. in ep.* 344. [d] *Ibid. ep.* 342. [e] *Ibid. ep.* 347. 348. 349. *&c.* [f] *Reg. comp. Procurat. ut ſupra.* [g] A. *fol.* 41. *a.* B. 100. *b. &c.* [h] *Reg. Coll.* Merton *fol.* 48. *a.*

possint, indeque Academiæ privilegiis fruerentur, quod etiam moliebantur. Aſt *Ruſſellius* iſtud neutrius communitatis rebus interfuturum cogitans, Academicos ſuos à commerciis iſtis abſtinere juſſit, per literas [a] inde ſcriptas x. die *Octob.* admonens ne quid temerè aut inconſulto hac in re agerent, neve Oppidanos in hoc ſuo propoſito animarent, aut ſe ab illis illudi paterentur, ſed potius ut eorundem proterviam ſua modeſtia coercerent.

CIↃCDXC.

Ineunte hoc anno turbas haud modicas Univerſitati [b] dedit *Thomas* quidam de *Selario*, Abbatis *Abendonenſis* famulus, qui cum haud exigui pretii bona Domino clam ſurripuiſſet, *Oxoniam* ſe contulit, latebraſque apud Fratres *Auguſtinenſes* invenit, adeo ut furem depoſcente cœnobiarchâ ſecum agere negarent Fratres. Querelæ itaque ad Regem delatæ ſunt, atque ille literas ad Academiam hac de re tranſmiſit; unde *Selarius* Magiſtro *Richardo Fizjames*, Sacellano Regio, in manus traditur, cumque *Thomâ Thwats* Auguſtinenſium Priore, *Johanne Cope* Subpriore, & *Stephano Durtes* S. T. B. ejuſdem ſodalitii Fratre (qui ſcilicet, coram Cancellario, bona quæ diximus celaſſe ultrò deprehenderentur) in Caſtrum *Oxonienſes* compingitur; tametſi quonam pacto eâ de lite deciſum fuerit minus liquet.

Hoc inſuper anno *Thomæ Cantii* paulo ante memorati, & aliorum *Oxonienſium*, ab Arte Aſtrologicâ celebratorum, prædictiones res ipſa comprobavit. Quippe mox ante Feſtum *Nativitatis* gelaſcere [c] cœpit, atque aliquâ itentidem nivium copiâ decidente, duodecimo demum die intermiſit; cæterum poſt tertium inde diem integratum eſt cum nive gelu, quod die *Januarii* viceſimo nono (eouſque enim duravit) tam validis omnia vinculis conſtrinxerat, ut prope *Hinxeiam* S. *Laurentii*, haud procul *Oxonio*, ſummis aquis iuſtiterint plauſtra, & magna piſcium aviumque penuria (quas utique immodicum pariter frigus interemerat) ſubſecuta fuerit. Deinceps vero tantâ annonæ charitate laboratum eſt, ut in mercatu *Oxonienſi* Tritici Modium ſexdecim, Hordei autem octo denariis venderetur, quod quidem tenuioris fortunæ Scholares graviſſimâ calamitate afflixit.

At vero mala hæc temperabant quodammodo Indulta Pontificia operâ *Johannis* de *Gyglys*, alias *Liliis*, LL. Doctoris [d] impetrata (Univerſitatis ille *Oxonienſis* Alumnus fuerat, nunc autem pecuniam Cameræ, quam vocabant, Apoſtolicæ debitam colligebat, & ad Epiſcopatum *Wigornienſem* demum evocatus eſt; (quorum vi Cancellario Academico, ejuſque Commiſſario, permiſſum eſt, ut viro cuilibet erudito, ex conſenſu Doctorum *Oxonienſium*, poteſtatem faceret Evangelium in *Anglia* annuntiandi, utque porro ordines alteruter minores (hos ego pro primis tonſuris clericis habeo, quas Abbates ac Priores Monachis antiquitus ſuis impertiri ſoliti ſunt) intra Univerſitatis terminos conferret.

De Indulto vero illo priori obtinendo laborandum proinde judicabat Academia, quod ex [e] conſtitutione (cujus ſupra meminimns) *Arundellianæ* Scholaribus non liceret verbum diſſeminare, niſi licentiam ſibi Epiſcopalem compararent. Cæterum id privilegii ad reformatam uſque Religionem nobis integrum permanſit; tum enim cum immenſâ Bullarum Pontificiarum congerie (mandata enim accepimus de Pontifice non modo ex animis noſtris verum & libris delendo) penitus evanuit: ſub ſereniſſimâ tamen *Elizabethâ* viguiſſe denuo comparet, ſiquidem in Regiſtris noſtris occurrunt qui illâ etiam tempeſtate pro licentiâ ad concionandum per univerſam *Angliam* ſupplicarent.

CIↃCDXCI.

Hunc annum turbulentum reddidere [f] lites aliquæ; contigit vero ante alia Togatorum noſtrorum cum *Wodſtochienſibus*, maxime autem cum *Edmundi Hampdeni*, jam ante dicti, famulis diſſidium; quod ubi haud ita mature reſtinxiſſent Magiſtratus Academici, eo demum exarſit, ut accitis ſibi Laicorum bene multis impotenter admodum ſe geſſerint Scholares, immo apud Univerſitatis primores (quorum nempe aliqui, quod fit, odio junioribus eſſent) trepidatum fuerit. Tandem re ad bellum ac cædem ſpectante, leniendis aliquâ ex parte Academicorum inferiorum, (apud quos prudentum conſilia nihil valebant) animis, præfati *Hampdeni* frater, ac tres ejuſdem viri famuli *Thomæ Hobbys*, Procuratori boreali, dedititii fiunt, atque operam commodantibus Doctorum nonnullis ad Collegium *Omnium Animarum* (cujus item Procurator ſocius fuit) deducuntur, deinceps vero carceri **Bocardo** mancipantur. Tumultus ille à Tributo quodam initium ſumpſit, in quo nempe colligendo occupatus erat *Edmundus* ille *Hampden*, ſupremus Academiæ Seneſchallus, cum Quæſtoribus aliquot regiis; quo ſe graviter oppreſſos credidiſſe ſaltem Academicos opinor. Utcunque fuerit, poſtquam res *Henrico* Regi innoteſceret, conſultiſſimum videbatur noſtrorum animos blandis pollicitationibus demulcere, ac fide [g] datâ promittere per *Hampdemum* illum nihil fore ipſos detrimenti paſſuros.

Sub initium ſequentis *Februarii*, orta eſt inter Regentes, de Bedello inferiore Facultatis Theologiæ, in *Richardi Sparke*, fato jam functi, locum ſubſtituendo, acerrima [h] contentio; poſtulantibus Commiſſario, octodecim Doctoribus, & Regentibus quinquaginta, ut Procuratores ad Electionem procederent; illi autem id facere detrectabant, jus ſuum prætexentes, nimirum penes ipſos eſſe electionem eandem in quem maxime vellent diem comperendinare & rejicere. Ceſſabant propterea; Actus omnes Academici, Arteſque *Apollineæ* turpiſſimo ſolſtitio damnabantur, uſque dum uſi poteſtate ſuâ Commiſſarius, Doctores, & Magiſtri, Statuta Cancellarii & Bedellorum electionem tangentia (quorum alterum [i] ſic incipit; *Item Statutum eſt quod quilibet Magiſter*, &c. alterum [k] vero ſic; *Conſimili modo quo eligitur*, &c. interpretati fuiſſent, & ad Bedelli mox inde electionem, Procuratoribus minime expectatis, accingerentur. Eam rem graviſſime ferebant illi, & ad congregationem Regentium & non Regentium provocabant; quod quidem irrito plane conſilio fecere, Senatus enim Academicus Appellationis ejus cauſas rejiciebat, futileſque & ineptas pronuntiabat, decreto quod ſtatutorum quæ prædiximus explicatio (in quam utique tertio præſentis *Februarii* convenerat

[a] *In F. ep.* 377 [b] *Ibid. in epiſt.* 387. 390. 393. [c] *Reg. Coll.* Merton. *fol.* 48. *a.* [d] *F. ep.* 394 397. [e] *Notandum quod in conſtitutione Provinciali per* Tho. Arundell *Archiepiſcopum* Cantuar. *in Concilio* Oxoniæ *tento, tit.* De Hæreticis *apud* Lynewodum, *ubi agitur de concionatoribus licentiandis & approbandis, nihil omnino habetur de Academico hoc privilegio in licentiandis hujuſmodi concionatoribus.* [f] *Reg. Coll.* Merton. *ut ſupra fol.* 93. *a.* [g] *Ut in* F. *ep.* 449. 453. 454. [h] *Reg. Coll.* Mert. *ut ſupra.* [i] *In* A. *fol.* 93. *a. B.* 53. *b.* C. 121. *&c.* [k] *A.* 107. *a. B.* 66. *b. C.* 34 *a. D.* 11. *a.*

Magna Congregatio) rata haberetur; quodque moras haud ulteriores traherent, quin munus ſuum in deligendo Bedello ex Magiſtrorum Regentium ſententiâ obirent Procuratores. Compoſitis hoc modo litibus, xxx. ejuſdem menſis *Johannes Johnſon*, communibus omnium ſuffragiis, in Bedellum nominatur (tametſi alius quidam literas [a] regias in ſui gratiam attulerat) & cavendis in poſterum ſuper ejuſmodi rebus diſſidiis, Lex [b] condita eſt & promulgata de famulorum Academicorum electione; quæ priſcis ſtatutorum codicibus inſerta, poſt autem aliquanto, eraſa memoratur.

CIↃCDXCIII.

Hoc anno *Oxoniam* pene populata eſt [c] Peſtis quam maxime funeſta, in Clericorum perinde ac Oppidanorum exitium per Urbem graſſata. Plerique Collegiornm incolæ Academiâ ceſſerunt, hoſtis ejuſmodi rabiem non aliter quam fugâ ludendam rati; è quibus *Magdalenenſes Brackleiam*, in Agro *Northamptonenſi*; *Orielenſes* ad Hoſpitale S. *Bartholomæi*, haud longe ab *Oxonio*; *Mertonenſes* vero *Iſlepiam*, in viciniâ quoque poſitam, non autem *Cuxhamum* (quod olim facere conſueverant) ſe contulere. Cæterum Peſtis illius rabies ab initio *Aprilis* ad Feſtum uſque Divi *Johannis* Baptiſtæ exarſit, ſub id enim maxima Academicorum pars *Oxoniam* denuo remeavit, quos equidem per hæc tempora (neſcio quo malo omine) ſedibus toties ſuis ab exitiali aliquâ lue exturbatos invenio, ut res inde literaria damnum plane immenſum fecerit. Immo eo demum ignorantiæ ſimul & nequitiæ deventum nobis erat, ut Magnatum nonnullis alio ſaltem transferre, quibuſdam vero evertere penitus Academiam & abrogare, conſultiſſimum videretur.

CIↃCDXCV.

At vero non tantum cauſæ prædictæ *Athenarum* noſtrarum interitum minabantur, ſed & malemeriti quidam Oppidani cogitationes ſuas omnes eòdem contulere, jura noſtra & Privilegia pro virili labefactantes;--- *Invadunt optime paſtor* (ipſam audis Univerſitatem [d] Epiſtolâ quâdam ad *Johannem Mortonum*, Archiep. *Cantuarienſem* v. Non. *Maias* hoc anno datâ) *gregem iſtum quem veſtra maxima authoritas in tutelam ſuſcepit, lupi rapaces, quales ſi rectè dixerimus quoſdam hujus Oppidi Laicos, non injuria appellare licet. Sed non tam acerrimè invadunt, quam ſunt ad diſpergendas oves paratiſſimi, ad devorandos agnos accuratiſſimi. Speramus tamen innocentibus nobis nefarios homines parum nocere poſſe, cum ad defenſionem, ſtatuta & privilegia manifeſtiſſima habeamus, &c.* Paucis deinceps interpoſitis, graviſſimas Civium injurias enarrare pergit Academia, in hæc verba;--- *Citarunt jam pridem optime paſtor quidam Laici de ſuburbiis* Oxon. *M*rum Thomam Aſſon *bonarum Artium accuratiſſimum interpretem, Virum magna virtute præditum & veſtræ Univerſitatis Regentem neceſſarium, ipſaque citatio ex veſtræ audientiæ curia ad eum in Univerſitate tranſmiſſa eſt. Unde autem omnis res emanarit ipſum quem diximus M*rum Thomam *qui noſter hodie Tabellarius eſt exiſtimamus ad Reverendiſſimam dominationem veſtram palam ſignificaturum, ſcil. quod facta tandem citatione per* Johannem Roys *Laicum nihil ſtatuti prætermittentes noſtra ex parte carceribus eum mandavimus, atq; hucuſque rei primis authoribus eandem rite ſtatuimus pœnam. Cujus occaſione rei, idem* Joh. Roys, *dictum* M*rum* Thomam *cum aliis privilegiatis ſecundo citari fecit, & in eum contemptum magna fraude ſuſcitavit; ſed quam ſit omni contemptu immunis ſtatim videre eſt; is enim confidimus non contemnit, quem leges privatæ, hæque [e] Apoſtolicæ exemerunt, dum ſe contumacem comparendo non reddidit, venit & tunc ad veſtræ audientiæ curiam vocatus, plenam liberationem abs tam præſtantiſſima dominatione veſtra expectaturus: neque hac in re, ſolius hominis cauſa agitur, ſed Reipub. negotium profecto tractatur. Quare, ſi inimicorum impetum propulſare atque propellere maxima potentia veſtra ſemper cupiit, oviculam iſtam hodie defendat Oramus, in qua noſtram, &c.*

Querelæ autem hæ noſtræ *Royſii* illius animum tantopere exacerbarunt, ut Scholarium hoſtis [f] infeſtiſſimus, immo bonarum Artium peſtis evaſerit; quippe cùm amoribus meretriciis ante omnes indulgeret ipſe, atque Academiam una, ſiquis alius, odio haberet, mulieres infames dolo malo tradendas ſibi curabat, pœniſque promeritis ereptas furtim dimiſit. Id indigne admodum ferebant Procuratores, utque *Oxoniâ* proinde pelleretur effecere. Cæterum is in vicis propinquis latitans cum ſceleratis quibuſdam conſilia ſociabat, & non modo Scholares in Agris vicinis animi causâ deambulantes adortus eſt, verum quandoque Hoſpitia Portis urbanis propiora involavit, & peſſime tractatos Academicos bonis ſpoliavit. In gratiam dein cum Univerſitate rediit, verum tanta erat hominis pervicacia, & innata ſcelerum libido, ut ad priſtina poſt paulo flagitia reverteretur.

Quidni autem perditiſſimus ille paulo uberius innoteſcat? *Johannem Williams*, Ballivorum *Oxonienſium* alterum, indignis adeo modis [g] tractavit, ut comprehenſus & *arreſtatus* fidejuſſores de comparendo in judicio apud Seneſchallum Academicum interponere cogeretur, an. Dom. CIↃDII. porro anno CIↃDIX. injuriarum à Doctore *Johanne Aſhlaby* in Curiâ Academicâ [h] poſtulatus eſt, cumq; cognitum eſſet litem eam in aliud forum deferendam meditari, in libris ſe viginti juſſus obligavit (pacti nos ipſius formam ſervamus) *quod non trahat ad extra dictum Doctorem, in aliquâ causâ terminabili infra Univerſitatem; aliter licitum fore Univerſitati intrare in terras & Tenementa ſua quæ habet infra præcinctum Univerſitatis ad diſtringendum pro xx. libris prædictis.* Denique anno CIↃDXVI. per *Johannem Heynes*, Prætorem urbanum, conſimili prorſus de causâ in carcerem [i] detruſus eſt, allatis autem à Cancellario ad Commiſſarium ſuum literis, libertate eâ lege donatur, *quod non maneret infra præcinctum Univerſitatis ultra duodecimam horam proximi diei, ſub pœnâ incarcerationis.*

CIↃCDXCVII.

Hunc annum nobilitavit illuſtriſſimæ Principis *Margaretæ*, Comitiſſæ *Richmondiæ* & *Derbiæ*, Mu-

[a] F. *ep.* 447. [b] *In A.* 50. *b. B.* 101. *b. C.* 122. *a.* [c] *Reg.* Mert. *ut ſupra fol.* 99. *b.* [d] In F. *fol.* 178. [e] Leges Apoſtolicæ. *Intelligit privilegia Papalia & exemptiones &c. fol.* 92. *b.* [f] *Ibid. fol.* 181. *b.* [g] *Ut in Reg. C. fol.* 144. 145. [h] *Reg. F.* [i] *Reg. G. fol.* 289. *b.*

nificentia;

nificentia; illa enim, poteſtate à Rege *Henrico* filio ſuperiori anno conceſſâ, perpetuam Theologiæ Prælecturam nobiſcum inſtituit, eamque Magiſtro *Edmundo Wylsford* vel *Wylford*, Theologo clariſſimo, inſtante (prout ipſa [a] expetebat Univerſitas) Cardinali *Mortono*, Cancellario noſtro, primitus demandavit; quâ de re ſic ſe habet Collegii *Mertonenſis* [b] Regiſtrum --- *memorandum quod in craſtino S.* Trinitatis *nobilis mulier Domina* Margareta *Regia progenitrix, incæpit ſumptibus ſuis & expenſis unam publicam lecturam S. Theologiæ in Univerſitate* Oxon *in Scholis ejuſdem ad maximum S. fidei profectum, & Magiſter* Edmundus Wylford *tunc S. Theologiæ Baccalaureus, eandem incepit legendo Quodlibeta Doctoris ſubtilis ſolenniter, cui occurrebat maxima Audientium multitudo.*

Enimvero ſeculorum omnium laudibus celebrari meretur Comitiſſa illa, quæ dextram bonis literis munificentiſſimam ubique porrexit, immo ſuis impenſis juvenes quoſdam, genere haud ignobiles, ſub Magiſtri *Mauritii Weſtbury*, Academici *Oxonienſis*, auſpiciis, in ſtudiis ſuſtentavit, cumque is in erudiendis, quos dixi, adoleſcentibus occupatus alibi eſſet, à Cancellario & Regentibus per literas [c] efflagitavit (anno CIↃCDXCII.) ut pro neceſſariâ ejuſdem Regentiâ diſpenſatum pronuntiarent. Ut à propoſito nonnihil aberremus, literas non fovebat modo ſed etiam tractabat & excoluit & librum cui *Speculum aureum* nomen erat, *Lutetiæ* nuper è latino Gallice redditum, in ſermonem Anglicanum [d] transfudit.

CIↃCDXCIIX.

Sub hæc tempora (niſi id citius fortean aliquanto contigerit) in *Angliam* venit haud obſcurum eruditionis lumen *Eraſmus Roterodamus*, cujus alloquium & amicitiam omni ſtudio quærebat ex utraque Academiâ doctiſſimus quiſque, prout ipſe [e] teſtatur. Tandem vero Doctoris *Colet* (hunc Præceptorem ſuum nuncupat) & *Thomæ Lynacri* amore ductus, *Oxoniam* acceſſit, & in Collegio Divæ *Mariæ*, Canonicorum Regularium habitaculo (cujus ampliſſima Porta è regione propemodum *Novi* Hoſpitii ſtetit) alquandiu commoratus eſt, quo in loco diſſertationem ſuam *De Tædio & pavore Chriſti*, prædicto *Coleto* nuncupatam, Epiſtolas etiam ad *Johannem Sixtinum* & *Gul. Mountjoyum*, annis CIↃCDXCVII & XCVIII. datas, conſcripſit. Hunc lubentiſſime amplectebantur quotquot ſupra ſtudioſorum vulgus ſapiendum arbitrabantur, verum advertentibus Monachis & Fratribus quibuſdam quod operam in Græcâ linguâ (quæ quidem maligne admodum in Academiâ tum noſtrâ florebat) promovendâ poneret, tanquam ſi monſtri quippiam aut ſcelerati aggrederetur, popelli literarii animos alienare ab illo nitebantur; *Coleto* licet & *Linacro* in contrarium laborantibus. Non deſtitit tamen *Eraſmus* volentem quemque ad Linguæ ejus cognitionem quandiu nobiſcum degebat (degebat autem annis aliquot, interciſis licet temporibus) ſine pretio informare, quâ in re tam feliciter deſudavit, ut Græcas literas probe docti Academicorum nonnulli alios deinceps erudirent, ſpretâ multorum, maxime vero Secularium aliquot & Fratrum invidiâ, qui & eaſdem in quotidianis colloquiis ludibrio habebant & (quod pauci crediderint) Scriptis, Diſputationibus & Concionibus anathemate propemodum notandas propalarint, minimè memores aliam longè deceſſorum ſuorum fuiſſe mentem, cum *Groſteſti* & *Baconi*, Regis *Edoardi* etiam II. ſeculo, ad Græcæ literaturæ ſtudium, Academica pubes diligentiſſime accingeretur.

Ut verbo dicam ſuper eruditione hac poſtliminio reſtitutâ lites nobis in ipſis etiam Scholis ſubinde proruperunt, nec ante illuſtriſſimi *Wolſeii* (qui *Oxonienſes*, ut infra dicetur, ad Græcarum perinde ac aliarum literarum ſtudium quam maxime excitavit) tempora ceſſarunt. Ad *Eraſmum* redeo, qui ad *Cantabrigienſes* tandem profectus denſiori longe caligine involutos reperit, quibuſcum Græcam *Chryſolorâ* [f] Grammaticam nudis pene parietietibus explicavit; immo contexto tractatu ludicro (quem *Icaromenippum* [g] appellavit) ad *Andream Ammonium* tranſmittere neceſſe habuit, cùm neminem *Cantabrigiæ* deprehenderet qui deſcribendam ſuſciperet. Non ignoro cauſas alias procudiſſe [h] *Fullerum*, idque generoſis Academicorum animis, (apud quos utique operas haudquaquam mercenarias eâ tempeſtate reperires) tribuendum affirmare; atqui futile hoc prorſus & riſu excipiendum, cùm Academia in quâ ſtipe nemo indigeret nullibi gentium comparuerit. Quod ſi quam attenuatæ in *Angliâ* fuerint, hoc maxime temporum tractu (qui bellis civilibus & peſte ſæpius, præſertim in Academiis graſſante infamis) Muſarum opes recte intellexiſſet *Fullerus*, longe aliter vel de *Cantabrigienſibus* ſuis ſenſiſſet, quos triginta annorum ſpatio Elenchis unice parviſque logicalibus, inſudaſſe refert [i] *Eraſmus*, nec à Cancellario ſuo induci potuiſſe, ut ad altiorem ſeſe eruditionem converterent, tametſi & Epiſcopus ille Doctrinâ haud incelebris, & *Eraſmi* præterea familiaris eſſet. Inſuper, literas ad ſe *Ammonianas*, in magnum ſui damnum, deferre recuſabant (prout ipſe teſtatur [k] *Eraſmus*) *Cantabrigienſes* nonnulli (quos proinde Laicos fuiſſe, quanquam pro clericis primitus nec ſine argumentis proculdubio aut indiciis quibuſdam habuerat) ſuſpicatur; quicunque autem fuerint, monſtra hominum, & inhoſpitos *Britannos*, barbarie ſua vetera omnia exempla ſuperantes, appellat.

Nihil fere ægrius deponitur quam inveteratus error; ubi ignorantia ſe faſtu protegit & meliora monentes eouſque tantum intelligit ut odiſſe poſſit: hujus rei documentum illuſtriſſimum dabimus, quo etiam infelici hoc ævo, cimmeriæ *Cantabrigienſium* tenebræ ac inſcitia clarius illuceſcant; ſcilicet obnixe illi (tametſi nec inficias ibo & *Oxonienſium* nonnullos ejuſdem furoris participes fuiſſe) Græcum novi Teſtamenti textum, typis primitus ab *Eraſmo* mandatum, repudiârunt; quorum, (ut ipſe teſtatur) in Sodalitio quodam, ſub mulcta haud exiguâ cautum eſt, ne Sociorum aliquis Librum illum impium ac futilem (pro tali enim habebant) Collegio inferret. Mirum profecto, neque facile opineris Lector, quam ingens togatorum quoque *Anglorum* numerus *Græcis* per hæc tempora literis adverſaretur, quorum nonnulli (maxime autem *Henricus Standiſh*, S. Theologiæ Profeſſor, è Fratrum mendicantium Societate, ad Epiſcopatum vero *Aſaphenſem* poſtea evectus) editionem quam dixi *Eraſmianam* ſcriptis etiam impugnarunt; quanquam nec deerant qui eorundem retunderent conatus, & ad augendum Græcæ linguæ ſtudium omni operâ niterentur; quos inter emi-

[a] F. *ep.* 486. [b] *fol.* 110. *b.* [c] *Ib. in F. ep.* 458. [d] *Impreſſ.* Londini, *temp.* Hen. VI. *vel* VIII. *per* Ric. Pynſon. [e] *In Epiſtolis ſuis, ex quibus* Paulus Merula, *vitam ejuſdem* Eraſmi *conflavit.* [f] *Ut in epiſt. ſuis, lib.* 8. *ep.* 3. [g] *Ibid. in eod. lib.* [h] *In Hiſt. Univerſit.* Cantab. *ſect.* 5. *p.* 87. [i] *In ep. lib.* 2. *ep.* 10. *p.* 112. [k] *Ib. lib.* 8. *ep.* 8.

nebant *Gul. Latimer*, *Coletus*, *Lynacrus*, & *Grocynus*, *Oxonienſes*; *Johannes Cheeke*, & *Richardus Croke Cantabrigienſes*; è quibus poſtremo dictus *Lynacri* olim & *Grocini* diſcipulus fuerat, inque Orationibus [a] ſuis (pnblicus enim Academiæ Orator fuit) ad Idiomatis ejus cognitionem *Cantabrigienſes*, quod alibi fuſius monemus, ſed irrito prorſus incepto, cohortabatur.

CIↃD.

Ut veterem denuo querelam inviti licet repetamus; peſte nobis hoc juxta ac præcedente anno laboratum eſt, quæ quidem quaſi tricies præmiſſæ centuriæ ſpatio in Academiâ noſtrâ graſſabatur, ut ne amicum *Athenis Oxonienſibus* Sidus vel unum credas effulſiſſe. Sub hæc autem non tantum aliis prælucentes Academici, ſed & Regni Optimates, Eccleſiaſtici perinde ac ſeculares, teterrimi morbi ſævitiâ erepti [b] ſunt; luem vero illam comitabantur fluminum inundationes & convalles ubique operientia diluvia, & (quæ res *Oxonienſium* haud paucos, egeſtate preſſos, ſtipendiiſque conſolitis privatos, ad Artes mechanicas detruſit) maxima annonæ inopia.

CIↃDI.

Hunc nobis annum decoravit Principis *Arthuri* Regis *Henrici VII.* filii [c] adventus, qui in Doctoris *Mayew*, Collegii Præſidis, eleemoſynarii autem regii, gratiam apud *Magdalenenſes* hoſpitabatur; à quibus æque ac aliorum quotquot inviſit ſodalitiorum Alumnis, omnibus, ut par erat, obſervantiæ indiciis, necnon ſolenni orationum Panegyricarum apparatu exceptus eſt.

CIↃDII.

Craſſiſſimæ nobiſcum inſcitiæ cauſas jam ante attulimus; cæterum, quod fieri ſolet, ad omnimodam illa morum vitæq; inſtitutæ barbariem paulatim vergebat, adeo ut ſeditiones inde frequentiores emerſerint, quas inter non poſtrema cenſenda eſt, quæ hoc anno in Feſto S.S. *Trinitatis* exarſit. --- *Iſto anno* (viz. XVII. *Henrici VII.* Dom. CIↃDII.) *in Feſto S.* Trinitatis *in nocte* (loquor ex quodam [d] Regiſtro) *facta eſt magna inſurrectio & Armorum commotio per quoſdam Legiſtas diverſorum Hoſpitiorum & Aularum & maximè de Aula* Henxina *& Peckwaterſyn, qui quaſi tota nocte pervagantes vicos, tandem pervenerunt ad Aulam* Æneam, *ubi magnum inſultum contra Procuratorem borealem* (Mr^um^ Hawarden) *fecerunt in pulſationibus Oſtiorum & direptionibus vitrearam feneſtrarum cum multis aliis enormitatibus; quam cum Dominus Commiſſarius* Dr Atwater, *vir admodum diſertus, voluit pacificè cum quibuſdam ſapientibus Viris Univerſitatis tractare & terminare, & juxta ordinationes ſtatutorum de obſervatione pacis delinquentes punire; ſed non potuit; quoniam ibi res principio erat particularis ſtatim facta eſt Univerſitatis, & generalis inquiſitio totius facultatis juris. Quod cum prædictus D. Commiſſarius clarè intelligeret, conſuluit in quadam convocatione Regentes & non Regentes: ubi ex unanimi conſenſu declaratum, Capitaneos hujus riotæ debere vocari, & juxta ſtatuta de pacis obſervatione edita, mulctari; ſic enim factum eſt, ut multi vocarentur, ſed vocati, neque voluerunt fateri ſe omnino reos, neque aliquos denuntiare qui fuerunt in illa inſurrectione ſuſpecti; unde juſſi ſunt adire carceres, quidam ad caſtrum, alii ad* Bocardo, *quorum alii per quatuor dies, alii per hebdomadam, alii per quindenam, quidam vero per menſem plectebantur: ſic quaſi ad finem* Aſſumptionis *quotidiè Univerſitas fatigata eſt in Congregationibus quotidianis. Sic tandem deliberatis per aliquos armis, & ſolutis convictionibus, impoſitus eſt finis huic brigæ.*

Aliquanto poſt (niſi id in ſequentem potius annum referri debeat) lites acerrimæ in eligendo Cancellario prorupere, adeo ut ſupremo nobiſcum Magiſtratu hebdomadis, vel (fortean) menſibus, aliquot nemo fungeretur; quod ubi Regi eſſet nuntiatum, Delegatos ſuos *Oxoniam* amandavit, quorum juſſu [e] ſtatutum, præcavendis in poſterum ejuſmodi diſſidiis accommodatum promulgatur, & Doctore *Mayew*, jam ante memorato Univerſitatem adminiſtrante in Legum noſtrarum Codicem redigitur.

CIↃDIII.

Omiſſis quæ hoc anno circa Dominicam *Palmarum*, inter Academicos, arma etiam arripientes, diſſidia emerſerant (de quibus perinde ac aliis quibuſdam flagitiis certiorem [f] fecimus *Richardum Fox*, Epiſcopum *Wimtonienſem*) peſtem atrocem, Togatos diſſipantem, iterum commemorare etiamnum fas eſt; quæ ſane tantopere nobiſcum [g] ſæviebat, ut Scholarium pleroſque Domiciliis ſuis exturbârit, prout vel patriæ quemque amor, vel aliarum Regionum ſalubritas aut proventuum ubertas trahebat, diſpalatos. *Iſlepiam*, haud procul *Oxoniâ* ſitam, conceſſit Aulæ S. *Albani* Præſes, *Johannes Forſter*, cum ſuis pene omnibus; verum interjectis quaſi hebdomadis tribus eòdem quoque perrexit teterrima lues, quâ correpti ſunt & jugulati eorum haud pauci, quorum de numero ibidem nonnulli (hos inter *Richardum Fitzjames*, eximiæ ſpei juvenem, Doctoris autem *Fitzjames*, Epiſcopi *Roffenſis*, nepotem, in die Nativitatis Beatæ *Mariæ* fato functum, invenio) alii vero *Ellsfeildiæ*, unus denique *Nokiæ* ſepultus jacet.

Prorupit [h] ſequente *Octobri* apud *Mertonenſes* exitialis morbus, eorumque alii ad Tigellum in ſilva *Stoviana* prope *Oxon*, alii autem *Wottonam*, prope *Cumnoram*, in Agro *Bercherienſi*, conceſſere, unde non ante XVI. proximi *Decembris Oxoniam* reverſi ſunt. Enimvero Academicos adeo diſpulit Peſtis illa, ut ex aulis LV. haud plures XXXII. habitatas, idque modice admodum, per hæc tempora reperias; quarum altera, Aula ſive Schola *Juris Civilis*, dicta, operâ & ſtudio Doctoris *Gulielmi Warham*, Principalis ſive Moderatoris egregie nuper floruerat; cùm is autem ad Epiſcopatum *Londinenſem* hoc anno eſſet evocatus, Præſide aliquandiu carebat.

Anno proximo ad Archiepiſcopatum *Cantuarienſem* evectus eſt *Warhamus* ille, cujus Inthronizatio (receptâ enim apud Juriſperitos voce uti oportet) nonnulla ſuppeditat ex orbitâ quidem noſtrâ pau-

[a] *Edit. circa an.* 1526. [b] *Reg. Coll.* Mert. *fol* 128. *a.* [c] *Reg. C. fol.* 103. *a.* [d] *Reg. Coll.* Mert. *ut ſupra, fol.* 132. *b.* [e] *In B. fol.* 102. [f] *F. ep. ult. viz.* 527. [g] *Reg.* Mert. *ut ſupra. fol.* 143. *b. &c.* [h] *Ibid. fol.* 144. *a.*

lum

lum deflectentia, Academiam tamen *Oxonienſem* aliquatenus reſpicientia; atque ea ſic ſe [a] habent:

Cùm epulas, prout fieri antiquitus conſueverat, in die Inthronizationis quem dixi (is autem in diem Dominicum nonumque *Martii* incidit) præſtaret: in primâ Menſâ, Paropſis ſive lanx ingens apponebatur octo facierum; illic in cujuſlibet fronte apparuerunt Turres octo, è floribus compoſitæ, pinniſque muralibus munitæ. In qualibet Turri conſpiciebatur [b] Bedellus Academicus, Bacillum geſtans habituque proprio indutus; in dictâ vero portatili ſcena fingebatur Rex, cui adſidebant Optimates, Comitia Parliamentaria celebrantes, atq; illi proximus ad dextram erat *Warhamus*, veſtitu Archiepiſpali dignoſcendus; quem, denique Cancellarius *Oxonienſis*, à Doctoribus quibuſdam Academicis cinctus, Inſignibus autem Doctoralibus ornatus, Regi flexis genibus præſentabat, his interim verſiculis collaudatum;

Deditus à teneris ſtudiis hic noſter alumnus,
Doctrinâ & meritis tantum profecit, ut aulam
Illuſtrare tuam, & curare negotia regni
(*Rex* Henrice) *tui poſſit honorificè.*

Cui Rex;

Tales eſſe decet quibus uti ſacra poteſtas
Regnum in tutando debeat imperio.
Quare ſuſcipiam quem commendaſtis alumnum,
Digna daturus ei præmia pro meritis.

Hinc autem adnotandum obiter duco, quod Miniſtris olim octo, ſex nimirum Bedellis, Virgifero uno, unoque Crucigero uſus fuerit Cancellarius; quorum poſtremo dictum cum Pontificiorum cultu, & Proceſſionum pompa evanuiſſe non eſt dubium: quod Turres vero illas octo attinet, *Mertonenſem*, *Magdalenenſem*, *Novi* Collegii, *Oſneienſem*, *Rewleienſem*, Fratrum denique *Nigrorum*, *Auguſtinenſium*, & *Griſeorum* vel *Franciſcanorum* Arces retuliſſe opinor: è quibus tres tantum hodierno die ſuperſunt, reliquis ante ſeculum dirutis, & ſolo propemodum complanatis.

CIↃDIV.

Oxoniam jam regreſſi, quos priori anno diſperſos tradidimus, Academici, Lecturas, reliquaque exercitia, ſervatis majorum inſtitutis, repetebant; quorum mox ſtudiis magnopere [c] conducebant *Andreæ Alazardi* prælectiones Medicæ, qui de *Montepeſſulano Oxoniam* perveniens, ut Medicinæ Doctoratum (quo ſcilicet apud ſuos ornatus fuerat) hic loci obtineret, Cancellarii & Procuratorum juſſu *Avicennam* de Pulſibus Academicis aperuit, eoſdemque Tabellis quibuſdam à ſe compoſitis, & in pretio dein haud vulgari habitis, [c] dilucidavit. Prælectiones hic ſuas ad Aulam S. *Albani*, ubi quamdiu nobiſcum egit moratus eſt, obivit, quo frequentes quidem confluxere Academici, maxime vero Medicinæ ſtudioſi; immo viri illius eruditioni tribuendum, quod Aula præfata, (quam utique penitus vaſtarat nupera quædam peſtis magno Togatorum numero denuo floruerit.

CIↃDV.

Morbi quem ſumus præfati rabiem excepere Viri improbiſſimi, peſtemque Scholaribus perpetuo machinantis, inſolentia & fraudes; *Johannem Heynes* vel *Haynes*, Artes piſtoriam & cauponariam *Oxonii* exercentem volo, qui ubi poteſtatem in Urbe aliquam nactus eſt, in Academicorum fraudem ac damnum multa patravit. Horum ille ſpeciatim criminum compertus eſt; primò, quod cùm Ballivus eſſet urbanus *authoritate ſuâ propriâ deliberavit* (è Regiſtro [d] Academico loquor) *à Cippis ligneis in* **Bocardo** *quendam incarceratum per Magiſtrum* Patenſon, *Procuratorem Borealem, non conſulto ipſo Procuratore*; deinde, *quod vetus, antiquum, & inveteratum vinum, pro vino novo divendidit*, cujus lagenam x. denariis, *autoritate ſuâ ſolâ* æſtimavit non conſulto Cancellario; denique panem ſuum conſtituto pondere leviorem vendidiſſet.

Quamobrem XVI. *Feb.* [e] ordinatum eſt per venerabilem Congregationem Magiſtrorum Regentium, *quod convocatis Principalibus & capitibus locorum, mandetur & injungatur eiſdem quod mandent omnibus Scholaribus & ſervientibus ſuis, quod nullus Scholaris aut ſerviens Scholarium communicet cum dicto* Johanne Haynes *piſtore & caupone emendo vel vendendo cum eo, quouſque reconcilietur Vniverſitati authoritate dictæ Congregationis & majoris partis Regentium in eadem: quod quidem decretum poſitum eſt in executione proxima die ſequente.* Cæterum is à commercio cum Academicis prohibitus, ſupplicem ſeſe Regentibus aliquoties dedit, & injuriæ quam ipſi intulerat gratiam à *Patenſono* deprecatus, privilegia quibus exciderat de integro impetravit; quanquam flagitia ſua tam non emendavit, ut pejora, prout infra dicetur, deinceps admiſerit.

CIↃDVI.

Hoc anno, inque VIII. menſis *Auguſti* die, gravis exortus [f] eſt tumultus; dum in Plateâ *Altâ*, juxta Eccleſiam Beatæ *Virginis*, horâ quaſi quartâ pomeridiana, Academici *Auſtrales* ac *Boreales* manus armati conſererent; quo in prælio Aulæ *Cervinæ* Principalis, ſocius eodem tempore Collegii *Exonienſis*, cum aliis duobus, ex aulis S. *Albani* & *Staplianâ*, interemptus eſt; ſauciatis interim quamplurimis; quorum de numero ac nominibus parum conſtat. Quinam victoriam reportârint in obſcuro pariter eſt, at vero pœnas haud leves expendiſſe Togatos nonnullos, maxime autem ſeditionis anteſignanos, abunde liquet. Prælio ſe iſti immiſcebant *Mertonenſium* aliqui, quorum Dux erat Magiſter *Joh. Forſter*, Collegii Socius, ac Aulæ S. *Albani* Principalis, quem juxta & Magiſtrum *Philippum Denſe*, Magiſtrumq *Joh. Wyngar* (hi ſumptis armis depoſitiſq; Togis pugnæ intererant) digno affecit ſupplicio Doctor *Fitzjames*, ſodalitii Cuſtos, & Epiſcopus *Londinenſis*.

Sub idem tempus contigerunt & alia *Oxonienſium* certamina, quorum alterum inter [g] Juriſtas noſtros

[a] *Ut in quodam MS. in Archivis* Bod. [b] *Pro octo Bedellis numerantur* ραβδοῦχοι *& cruciger qui ſcilicet Archiepiſcopalem crucem coram Cancellario in ſolennibus proceſſionibus geſtabat, de qua cruce agitur in reſcripto* Hen. III. *de Judæis ut ſupra ſub an.* 1268. [c] *Reg.* Mert. *ut ſupra fol.* 153. *& alibi.* [d] G. *fol.* 9. *b.* [e] *Ibid. fol.* 10. *a.* [f] *Reg.* Mert. *ut ſupra fol.* 174. *a.* [g] *Reg.* J. *fol.* 4.

& ruſticos

& rusticos sive Villanos de **Yarnton** prope *Oxon.* (Possessiones illi de Cœnobio *Rewleiensi* tenebant) aliosque nonnullos commissum est; quæ sane Magnatum adeo animos exacerbarunt, ut quidam delendam penitus (quod avertat Deus) plerique autem alio transferendam, vel saltem privilegiis bene multis spoliandam, Universitatem decreverint; & sane aliquâ ex parte voti compotes facti fuissent, nisi causam nostram, amicorum nemine alio comparente, ácriter [a] defendisset antedictus (omni laude dignus) *Warhamus*; cui gratias habentem Academiam [b] invenio, quod eò Regem suasionibus impulerat, ut de Togatorum Privilegiis detrahi nil quicquam pateretur.

CIↃDVII.

Hoc anno studia nobis interpellarunt lites quædam, sed haud ita graves, è Magistri *Tomsone*, Procuratoris borealis morte exordia trahentes; quarum narrationem, ex quodam [c] Registro sic habebis.

Anno Henrici *septimi xxiii.* (h. e. an. Dom. CIↃDVII.) *& mense Augusti, obiit Magister* Tomsone *Procurator borealis, per cujus mortem lis oriebatur inter Doctores & Regentes & non Regentes de successore suo; demum ex consensu Doctorum & Magistrorum in Vniversitate degentium, institutus erat Magister* Pooll *senior Regens in officium procuratorium usque adferiam proximam post Festum S.* Dionysii, *in qua initium erat termini. Tunc incepto Termino, convocatio erat Omnium Regentium & non Regentium propter exitum Magistri* Pooll *à sua Regentia, quoniam dubium erat, inter prædictos viros, an prædictus Magister* Pooll *esset continuè in officio prædicto, non obstante exitu Regentiæ, quia non erant statuta reperta concernentia Procuratoris mortem, licet fuerint statuta concernentia mortem Cancellarii; de processione ad novam electionem, quia prædictus Mag.* Pooll, *possit continuare in officio prædicto. Pro solutione cujus dubii, erant literæ ab Vniversitate consilio convocationis missæ ad Archiepiscopum* Cantuariensem *Vniversitatis Cancellarium, & ad* Londinensem *Episcopum* Fitzjamys *nuper custodem Collegii* Merton. *quibus literis ab eis receptis, ad Vniversitatem rescripserunt pro dubio prædicto solvendo, præcipue Doctor* Fitzjamys, *quod licet non sunt statuta concernentia mortem Procuratoris, de successore tamen habendus est respectus ad simile, quod est istud, per mortem Cancellarii procedendum est ad novam electionem, igitur eodem modo est per Procuratoris mortem, & sic secundum rescriptionem prædictorum virorum nobilium, scil.* Cantuariensis *Archiepiscopi & nostri Cancellarii, & Doctoris* Fizjamys Londinensis *Episcopi, processerunt ad novam electionem, in qua electione, institutus erat in officium Magister* Bentley *procuratorium, socius* Novi *Collegii, natus apud* **Woodstoke** (prope *Oxon.*) *pro Procuratore boreali, & sic sedata erat lis inter Regentes & non Regentes.*

CIↃDVIII.

Ad postremum *Henrici VII.* annum delapsi jam sumus, qui quidem insigne aliquod opus *Oxoniensibus* nuper [d] destinârat, quod tamen (an gravioribus Regni negotiis implicitus, an [e] peste, hoc & priore anno Scholares exturbante præpeditus, an denique morte præventus dicant alii) haudquaquam inchoavit, nedum absolvit. Si quonam in loco Artes nobis ingenuæ sub illo Rege fuerint scire gestias, ad ea quæ sub finem superioris Centuriæ dicta sunt remittendus es; quippe in bonis jam literis tam minime profecerant, ut humanioris eruditionis omnino expertes, sermonem græcum despicatui haberent, Sophismatis autem reliquisque nugantium majorum ineptiis dediti essent Academici. Cæterum cum Academiâ contabuit una & Urbs *Oxoniensis*, cui propter Togatorum paucitatem exaruit plane Commercii ac Divitiarum fluentum, & quod fieri necesse erat, Ædes ubique vitium fecerunt.

Enimvero integræ jam Plateæ nudæ & incultæ jacebant, postquam scilicet Aulæ & Hospitia, splendidissimis olim scientiis clara, sordidis opificum Artibus addicerentur. Ut Monachorum Fratrumque *Oxoniensium* corruptelas quasi in alieni Operis transcursu, paucis perstringam, ad eruditionem tardi & in ventrem proclives Fundatorum suorum consilia & instituta pessundedere, immo, quasi Habitum Religiosum pro vitiorum integumento sumpsissent, Conventus suos nullâ non turpitudine & nequitiâ coinquinabant, cultioris literaturæ adeo minime studiosi, ut pretiosissima doctrinæ monumenta interverterint. Verum ad Academicos universim omnes redeo, quos inter, qui aliis eruditione antecellerent *Wicliffii* in plerisque sequaces erant, ac proinde in Scholis raro comparebant, quod sententiam ibi suam libere & sine periculo proferendam non esse intelligerent. Qui Papæ in omnibus assentiebant, quæstum imprimis quærebant & Beneficia Ecclesiastica, in quibus assequendis minimi esse momenti vitæ ac eruditionis merita advertebant; quapropter nil aliud quam Amicorum opes & Authoritatem intuentes, luxui se totos & libidini dedere, quorum (quod fieri assolet) dum corpora pulcherrimo nitescerent amictu, (cujus tamen intemperantiam, vel hoc vel sequente anno, edicto Parlamentario coercitam [f] reperio) animi vel nudi prorsus, vel turpissimis vitiis obducti deprehendebantur.

CIↃDIX.

Hactenus Gentis Togatæ vitia & insciticm, jam alias Academiæ calamitates recensebo, quas inter locum præcipuum merentur deperdita nobis Registra, Cistæ publicæ expilatæ, & Statuta nullum in ordinem redacta, multorum autem fidei confuse credita. Ne in hoc argumento diutius hæream, nil quicquam pene superfuit quod ad Academiæ disciplinam aut Regimen pertineret, unde necesse habuimus à Cancellario Academico tantis malis remedium efflagitare, quo potestatem [g] faciente *Johannes Yonge*, S. Theologiæ Professor, ac Episcopi *Calypolensis* vel *Calepoleum* titulo insignitus, Archiva nostra lustravit, habitâque quâ opus erat inquisitione, in meliorem quidem illa, verum non optimam formam restituit. Statuta porro

[a] *Vide in FF. ep.* 110, [b] *Ibid. ep.* 135. *&c.* [c] *Reg. Coll.* Mert. *ut supra, fol.* 174. *a.* [d] *Ut in F. ep.* 523. [e] *FF. ep.* 1. *& in G. fol.* 48. *b.* 59. *a. &c.* [f] *In statutis* Regni *publicis edit.* 1587. *p.* 480. [g] *FF. ep.* 3. 4.

(quod

(quod infra fusius dicetur) inspexit, & Cistarum Custodes accersivit, à quibus edoctus est Magnates aliquos pecuniam inde mutuam [a] sumpsisse, depositis ibidem, tanquam in tumulum supremum, bonis quibusdam pignoratitiis. Inter Cistas vero illas memoranda est *Chichleiensis*, haud ita pridem direpta, hoc autem anno ducentis denuo Marcis, ab *Edmundo Audley*, Episcopo *Sarisburiensi*, [b] collatis, instrui cœpta. Cæterum quo tutius deinceps reponerentur munimenta nostra & pecuniæ, Ærarii (huic usui inserviebat domuum veterum Congregationis superior, ex parte boreali Aditus Ecclesiæ B. *Mariæ*) fenestras ferreis clathris firmavit *Audleius*, tectoque splendido eandem [c] recreavit; eamque ob munificentiam [d] literis eidem conscriptis gratum animum testata est Universitas.

Sub idem tempus accidit nobis in eligendo Collegii *Universitatis* Magistro sive Præfecto controversia, dum id muneris ambirent Magister *Johannes Barnaby* ex præfato, & Mr *Radulphus Hamsterly* è Collegio *Mertonensi*, in neutrum vero consentirent Ædis primo dictæ socii; quapropter ad Cancellarium (cujus utique apud illos suprema est potestas) delatam reperio litem, qui eâdem perspectâ Magistratum *Hamsterleio* [e] adjudicavit, & Procuratoribus, operam suam *Barnabeio* condicentibus, mandavit, ut virum dignissimum (abunde enim, quod decuit, veterem in Academiâ Sodalem collaudavit) Præfecturâ illâ confestim donarent.

CIↃDX.

Isto quasi anno Privilegia nostra (quod solenne erat Rege novo Sceptrum capessente) confirmavit, vel etiam adauxit *Henricus VIII.* operam eò, (hortante Doctore *Fauntleroy*, Commissario, cui id utique negotii demandavimus) conferentibus Cancellario [f] *Warhamo*, & [g] D. *Thomâ Lovell* milite, Senescallo academico. Inter chartas vero quas ratas habuit Rex, numeratur amplissima illa ab *Edoardo IV.* indulta, quam perinde ac alias quascunque corroboravit, ut prædiximus, *Henricus VIII.* concesso nobis [h] Diplomate vere regio, & antecessorum indulta supergresso; quod tamen deperditum aliquanto post comparet, nec ante plures inde annos recuperatum.

Hac porro tempestate solicitam habuit Academiam quod juribus etiam à Curiâ *Romanâ* impetratis (quibus *ab æternis ferme seculis* [i] *gaudebat*) spoliata esset, dum Bullas Pontificias malis artibus surriperent viri quidam *Athenis* nostris pessime cupientes; illas autem ut describendas denuo ex Cancellariâ sedis Apostolicæ curaret à Cancellario nostro per literas [k] efflagitavimus, quâ ex parte votine compotes fuerimus in dubio arbitror ponendum. Utcunq; constat brevi admodum ejusmodi posthæc indulta retinuisse nos, à pontificiæ enim authoritatis exterminio, Viri quidam non æquabili, ut oportebat, zeli tepore incalescentes, verum incendio plane laborantes, sedis prædictæ Bullas omnes, immo quicquid *Romano* nomine inscriptum deprehenderent, flammis mandarunt; quod mihi quidem præcipue dolendum, utpote cui Diplomata maxime Pontificia si superfuissent integram fortean Historiam suppeditassent; quam aut interciam jam & hiulcam relinquere, (præsertim vero novissimâ Centuriâ) aut rebus ab Academiâ *Oxoniensi* propemodum alienis refertam exhibere necesse fuit. Cæterum his omissis, opus prout licebit inchoatum persequar. Hic imprimis memorandus adventus [l] Regius, cujus in honorem solennia hoc anno Comitia celebrantur, in quibus Magnatum haud pauci Gradibus academicis sunt insigniti. An addam porro gravissimam hoc eodem anno Pestem [m] exarsisse, quæ Togatos, quod fit, plerosque *Oxonio* pepulit.

CIↃDXI.

Sub hæc de statutis nostris emendandis laborandum credidimus, necessario cum primis opere, siquidem non modo in molem ingentem excreverant, verum antinomiis fere perpetuis scatebant; adeo, ut Togati pene omnes perjurio inevitabili astringerentur, quod ex Registris passim antiquis liquet, in quibus poreſtatem Regentibus à Cancellario factam [n] invenio, *ut eligerent sibi Confessores idoneos, ut eos absolverent ab omnibus peccatis perpetratis*, quibus in recensendis primos ducit ordines perjurium. Id inquam solicitos habuit Universitatis Primores, qui rem propterea omnem Cancellario per literas aperiebant, ut tanto rempublicam literariam malo liberaret flagitantes; is autem præfato Doctori *Yong*, aliisque prudentibus, negotium demandavit, qui reconcinnatas aliquatenus Leges & in meliorem formam redactas ad eundem, *Lambethæ* agentem, [o] transmisere. Probavit emendata hac ratione statuta Cancellarius, *excepto quod pœnas pecuniarias in contra venientes non statuerant*; quanquam fatendum est nil aliud præstitisse illos, quam ut penitiori legum nostrarum inspectioni viam aperirent; quippe cùm eas absoluto inde biennio, maxime vero clarissimi tandem *Wolsei* (ut infra dicetur) auspiciis, recognitas denuo & castigatas repererim.

Hoc eodem anno imminuta sibi, vel etiam, rationibus retro memoratis, deperdita plorabant Privilegia nostrates; quòd ægrius autem ferebant erat, occasionem hinc cepisse Oppidanos, Academicos pessime tractandi, immo in vetera & notissima eorum jura involandi. Querimonias [p] super eâ re ad Cancellarium primo deferebat Universitas; & exinanitum sibi ærarium, magnâ vero pecuniæ summâ opus esse advertens, si instauranda nedum augenda consequeretur privilegia, principum quorundam virorum, maxime autem alumnorum suorum, opem implorabat. Doctori itaque *Yong* ut eâ in re satageret poteſtatem per literas procuratorias [q] fecere Academici, atque impetratâ [r] post paulo *Gulielmi Lichfeild*, LL. Doctoris, Capellæ Regiæ *Westmonasterienſis*, Divo *Stephano* dicatæ præbendarii, operâ, à *Thomâ Ruthal*, episcopo *Dunelmensi* (quem quidem altricem [s] agnovisse *Oxoniam*, adversante licet [t] *Godwino*, abunde liquet) [u] contenderunt ut matri laboranti subveniret.

His accessere [x] Doctor *Fitzjames*, Episcopus *Londinensis*, [y] *Hugo Saunders*, & *Johannes Adams*, Decretorum Doctores, è Collegio sub hæc *Merto-*

[a] *Ib. in* FF. *ep.* 5. [b] *Ib. ep.* 12. [c] *Ibid. in eâdem ep.* [d] *Ibid. ep.* 19. [e] *Ibid. ep.* 11. [f] *Ib. ep.* 9. [g] *Ib. ep.* 10. [h] *In pix. longa* 3. [i] *Ib. in* FF. *ep.* 2. [k] *Ibid. ep.* 30. [l] *Ut videtur in Reg. G. fol.* 92. 96. *&c.* [m] *Ut in quibusdam Rentalibus vel comp. Ballivorum Coll.* Novi. [n] *In Aaa. fol.* 112. *a. A.* 96. *a.* FF. *fol.* 74. *&c.* [o] *In* FF. *ut supra. ep.* 17. [p] *Ibid. ep.* 30. *&c.* [q] *Ibid. ep.* 18. [r] *Ibid. ep.* 21. [s] *Ib. ep.* 55. [t] *In comment. de Præsulibus* Angl. *in* Dunelm. [u] *Ibid. in* FF. *ep.* 22. [x] *Ib. ep.* 28. [y] *Ib. ep.* 29.

 nensi,

nenſi, & alii; ſed nec defuit nobis illuſtriſſimus Cancellarius, apud quem egimus ut univerſitatem ſuam à Civium injuriis tueretur, *qui ſubtiliſſime ſtuderent* (iis enim [a] verbis uſi ſumus) *oppugnare libertates & privilegia ejuſdem.* Denique impetratâ porro viri cujuſdam reverendi, nobiliſque ope (quis fuerit is parum liquet, cui tamen ſignificatum [b] eſt, non poſſe nos Oppidanorum, Deum juxta hominesque parvi pendentium injurias propulſare) ſublevati aliquantiſper, & ab Oppidanorum maleficiis liberi evaſimus, quamvis illi ad veterem deinceps nequitiam cito relaberentur. Addendum hoc in loco quod interea dum hæc peragerentur, hoc eſt ineunte *Septembri Nicolaus Syre*, *Carnifex*, & *Rogerus Goldſmyth*, alias *Newton*, Ballivi *Oxonienſes*, per Doctorem *Fauntleroy*, Commiſſarium academicum, ſuſpenſi ſunt ab ingreſſu Eccleſiæ *propter ſuas manifeſtas contumacias in non comparendo coram illo certo die & loco, ſibi legitime aſſignatis.*

CIↃDXII.

Hac tempeſtate, *Thomam* quendam *Manne*, Wicliviticæ, quam vocabant, hæreſeos ſuſpectum, & *Oxoniæ* coram Doctore *Smyth*, Epiſcopo *Lincolnienſi* compertum invenio; qui cum palinodiam ceciniſſet, monaſterio *Oſneienſi*, tanquam perpetuo carceri, mancipatus, & ad faſcem in Proceſſione Academicorum proximâ ſolenni portandum damnatus eſt. Hinc autem Doctori *Henrico Wylcocks*, Vicario Generali, (is Scholæ nuper Civilis Moderator ſeu Præſes fuerat) copiam fecit Commiſſarius, ut in ſeſſione ſuâ proximâ juridicâ, infra Prioratum *Frideſwydenſem* habendâ, *Mannium* illum ad ſe acceſſeret, atque faſcis imaginem in ſupremâ Veſte depictam geſtare, ac ibidem porro commorari juberet; cæterum ille fugâ clam elapſus, denuoque prehenſus *Londini* in Agro *Fabrili*, (**Smythfeild** appellant) igni concrematur.

Sub id inſuper notandum occurrit, quod 11. *Sept.* prædictus Commiſſarius vocatis coram ſe in Eccleſia B. *Mariæ* Præfectis Collegiorum, & Aularum, una cum Doctoribus, *dedit mandatum generale* (loquor ex quodam [c] Regiſtro) *quibuſdam pauperibus Scholaribus qui vocantur* **Chamberdekyns** *tunc comparentibus coram illo, & per eos omnibus aliis præcepit ſub pœna bannitionis ut transferrent ſe infra viii. dies immediate ſequentes ad Collegia ſua ſive Aulas ubi communia habentur.* Quâ de cauſâ edictum iſtud emanârit facile conjiciendum opinor, quippe [d] mandato quod anno prægreſſo *contra Laicos recipientes Scholares ad victum in ſuis domibus* editum, minime vero obſervatum fuerat, acceſſorium videtur. Sciendum vero eſt hæc tempora valde turbulenta ac periculoſa extitiſſe, quod in cauſa fuit cur adeò diligenter de Scholaribus, præſertim pauperibus, intra aulas & Collegia revocandis caveatur; cujus rei maximum indicium eſt interpoſita cautio fidejuſſoria, pro pace Univerſitatis cuſtodienda ab iis Scholaribus qui in Oppidanorum ædibus commorabantur; quâ præſtitâ, licuit illis ibidem tuto commorari, cujus rei exempla in Regiſtris [e] noſtris admodum frequentia deprehenduntur.

His vero peractis lites acerbæ inter Collegii *Univerſitatis* Magiſtrum ac ſocios prorupere, qui quarto propterea *Octob.* á Doctore *Wylsford*, Commiſſario academico, accedere ad ſe jubentur; quod ab utraque parte, injurias ſibi factas explicare paratâ præſtitum eſt; die autem ejus menſis decimo quarto ſolenni viſitationi [f], aſſignato, iiſque (quibus utique mandatum id erat ſub pœnâ excommunicationis) denuo comparentibus, Collegii ſtatuta perite adeo & in Sociorum perinde ac Magiſtri gratiam interpretatus eſt Commiſſarius, ut ſatis ſibi factum utrinque crediderint.

CIↃDXIII.

Hoc etiam anno nil pene occurrit quod memorari mereatur, pauca tamen majorum vices ſuppletura, ſcriptis mandabo.

1. Orta ſunt in eligendo Procuratore diſſidia quædam, ex occaſione Magiſtrorum aliquorum ſuffragia ferentium, tametſi minimam anni partem in Univerſitate poſuiſſent; quâ re Cancellario permiſſâ, Legem [g] rogavit ille, *quod nemo ſuffragabitur in electione Procuratorum (ſi modo ante cum pannis diſceſſerit) niſi qui corporale præſtiterit juramentum ſe per majorem anni ſequentis partem ibidem in Univerſitate moram tracturum.* Quanquam vero aliquatenus repugnabant Regentes, neque ſtatutum eâ de re conditum tunc temporis comparet, hæc tamen de reformandâ Procuratorum electione (quâ quidem nihil hodierno die emendatius eſt, & litibus præcavendis accommodatius) vaticinari videntur.

11. Statutorum caſtigatio [h] inſtituta de integro eſt, verum emendatis tantum quæ perjurio anſam præbebant, veriſſimum comparuit, quod conſultiſſimum non ſit id muneris pluribus [i] demandare, quo pauciores felicius perfungerentur; cùm cura quæ imponitur omnibus negligatur à ſingulis.

111. Turbas Academiæ novas dederunt Oppidani, quapropter ad Optimates iterum [k] confugimus, ut Privilegia noſtra defenderent & injurias ulciſcerentur obſecrantes; neque ſpes ſupplices fefellit, quippe illi (quos inter primo commemorandus loco *Chriſtoph. Bainbridgius*, Archiepiſcopus *Eboracenſis*) jura noſtra acerrime propugnabāt & labentem ſuffulciebant Univerſitatem. Hæc inter, hoc eſt ſub initium anni, ordinatum [l] reperio per venerabilem Convocationem Magiſtrorum Regentium & non Regentium, *quod Major Villæ* Oxon (Johannes Broke) *ſit diſcommunicatus. h. e. quod nihil emat vel vendat privilegiato, nec privilegiatus ab eo, & hoc ſit quoniam proceſſit in curia ſua contra quendam privilegiatum, & ad mandatum Commiſſarii non ceſſavit.* De privilegiato illo parum liquet, niſi Mr *Thomas Bentleius*, è Collegio *Novo* medicus fuerit, eo enim in Prætoris Curiâ ſuper alienâ re poſtulato, *Johannes Trafford* Præco Civitatis in Congregatione Regentium ult. *Novemb.* CIↃDXII. citatus comparuit, & juramentum ibidem publice [m] præſtitit, *quod non ageret contra* Bentleium *prædictum.*

1v Denique, Academicos diſpulit & Univerſitate [n] exturbavit morbus aliquis peſtilentialis, cujus perinde & aliorum, hac, velut ante dictum, tempeſtate frequentium admodum, & cauſas deinceps & remedium exploravimus.

[a] *Ib. in FF. ep.* 31. [b] *Ib. ep.* 32. [c] *T. fol.* 167. [d] *Ibid. fol.* 155. *b.* [e] *Ib. fol.* 170. *b.* 171. *a. & b.* 172. *&c.* [f] *Ibid.* 174. *b.* [g] *FF. ep.* 35. [h] *Ib. ep.* 36. 37. 38. [i] *G. fol.* 208. *b.* 209. *a. &c.* [k] *FF. ep.* 39. 40. 41. 42. 43. *&c.* [l] *In Reg. G. fol.* 167. *a.* [m] *Ibid. fol.* 155. *b.* [n] *Reg. Coll. Oriel. penes Decanum ejuſdem. p.* 94.

CIↃDXIV.

Mitto lites, nos inter & Oppidanos hoc anno [a] exortas, in triennium vero integrum durantes; è quibus non aliter ſeſe expedivit Academia, quam implorata Mecænatum ſuorum, præſertim vero Magnatum, Epiſcoporum, & aliorum ope. Sub id autem ſuprema pene manus impoſita eſt *Collegio Æneanaſenſi*, ex Hoſpitiorum multorum Ruderibus excitato; quarum una *Ænei naſi* aula vocabatur, nomenclatura ab inſigni foribus affixo certo certius deducta, ſic enim pariter aula *Accipitris*, *Ardeæ*, *Elephantis*, *Cygni*, *Tauri*que innotuere. Collegii hujus Fundatorem *Gul. Smyth*, Epiſcopum *Lincolnienſem*, Hanaperii olim clericum, literis *Cantabrigiæ* aliquando incubuiſſe haudquaquam diffiteor: atqui obiter tantum; ſcl. ingruente nobiſcum peſte aliquâ eòdem commigraſſe nullus dubito; quippe noſtrâtem primitus fuiſſe ex [b] epiſtolis quibuſdam Academicis ad illum conſcriptis liquet, quarum alterâ ut Cancellariatum ſuſciperet in hæc verba rogamus; *---Mater noſtra prædicta quaſi de gravi ſomno erecta &c. ad veſtram celſitudinem has literas celerrimè mitti fecit, quibus materna prece inſtantius deprecatur ut cum veſtram amplitudinem in hac noſtra Academia alumnum olim ſibi progenuerit, etiam in præſentiarum præcipuam Patronam acerrimamqae ſui propugnatricem gratius conſequatur, &c.* In alterâ [c] vero Epiſcopum ſic alloquimur; *cùm noſtrâ ex familiâ noſtroque genere ſublatus ſis colendiſſime Antiſtes, &c.*

CIↃDXV.

Vindicato nobis *Smythio*, quidni & alios quibus *Cantabrigiam* jactabundus donat [d] *Londinenſis*, (quo nomine Academiam noſtram ſuæ *Coloniam* tum ille tum *Richardus Croke*, Univerſitatis ejus publicus Orator, nuncupare non veretur) *Oxonienſes* fuiſſe oſtendamus. Ordinem ducat *Richardus Fox*, Epiſcopus hoc tempore (quo & Collegium *Corporis Chriſti* moliebatur) *Wintonienſis*, quem ex Aulâ *Pembrochienſi Cantabrigienſem* fuiſſe nemo repugnat, cæterum is prima literarum tyrocinia in Collegio noſtro *Magdalenenſi* poſuiſſe, & graſſante apud nos peſte *Cantabrigiam* commigraſſe deprehenditur. Indubium ejus rei indicium adferam; viri nimirum, *Exoniæ* ſedentis, Benevolentiam [e] efflagitaſſe nos (recreandam ſcilicet Beatæ *Virginis* Eccleſiam cogitantes) & obtinuiſſe; pro comperto autem eſt nullam conſimilis argumenti Epiſtolam reperiri in Codicibus noſtris poſſe quæ ad Antiſtitem data ſit, qui Academiæ hujus alumnus aliquando non fuiſſet. Id literarum ipſarum tenor ut plurimum profitetur. Teſtimonium afferre non gravabor ex [f] Epiſtola quam ſcripſimus, ad *Robertum Jeffry*, Archidiaconum *Herefordienſem*, hujus autem Univerſitatis olim Alumnum, in quâ de reficiendâ, quam prædixi, Eccleſiâ deliberaſſe diu perhibemur. Ibi vero ait Univerſitas ſe tandem ſtatuiſſe *veteres Univerſitatis amicos* ſuper eâ re ſollicitare.

Proximus erat *Thomas Rotheram*, qui Collegii *Lincolnienſis* alter Fundatorum fuit, (id quod plus quam probabile facit altricem agnoviſſe *Oxoniam*) & Theologiæ Doctoratu, *Cantabrigiæ* prius ſuſcepte, non aliâ nobiſcum (id in an. CIↃCDLXIII. cadit) conditione donatus [g] eſt, quam ut Concionem primò examinatoriam, ac deinde alias binas haberet; in die etiam Inceptionis libras viginti, vice epularum, numeraret; cùm peregrinos tamen, & ab *Athenis* noſtris mere alienos longe aliter tractare ſoleamus, quos legibus tam duris haudquaquam interpoſitis, eodem apud nos loco eſſe jubemus quo apud ſuos verſantur. Enimvero ſub id inter Anglicanæ Gentis Præſules *Cantabrigienſis* nemo comparuit (*Crocum* ipſum [h] appello) *Roffenſem* & *Elienſem* ſi excipias, adeo ut Colonias *Oxoniam* deduxiſſe Academiam illam à veritate ſit alieniſſimum; neque enim alicujus (prout alibi docebimus) ponderis eſt quod hanc etiam in rem adducunt Antagoniſtæ, Collegium nempe *Wolſeianum* hoſpitibus *Cantabrigienſibus* primo impletum.

CIↃDXVI.

Conſopitas fuiſſe Togatorum cum Civibus diſſenſiones retro dictum eſt; at vero hoc iterum anno prorupere, culpâ penes Oppidanos, (maxime autem Ballivos) reſidente, qui jura noſtra nullâ ipropemodum ex parte intacta reliquêre, quorum præcipua quædam attenta recenſere non pigebit, I. Viri privilegiati (qui Municipum alicui vulnus lethale inflixerat) cauſam in Curiam ſuam [i] evocabant. II. Cancellarium [k] interpellabant de delinquentium correctione & incarceratione. III. Cancellarii vel ejus Commiſſarii mandato minime [l] obtemperabant *in panellando certos legales homines & liberos Villæ* Oxon *non exiſtentes ſub privilegio Univerſitatis ad inquirendum de forisfactis & aliis quæ injungerentur illis ex parte Domini Regis.* IV. Commiſſarii mandato, per Bedellorum aliquem tradito, morem non [m] gerebant; juſſi nimirum præfatam Panellationem ſive deſignationem juratorum, pro anno inſtanti, ſecundum receptiſſimam Urbis conſuetudinem inſtituere. V. In eâdem demum Panellatione [n] poſuerunt *Richardum Wotton*, & *Thomam* à *Pantrey*, ſuperiores Univerſitatis Bedellos, ac alias perſonas privilegiatas, quæ nunquam ab antiquo ſolebant impanellari.

Cum ejuſmodi itaque injuriarum arguerentur Ballivi (qui utique apertiſſimo ſe perjurio obſtrinxerant, quod munera ſuſcipientes fidem, tactis evangeliis, dediſſent de minime temerandis, immo pro virili tuendis, Academiæ Privilegiis) reputabant ſecum Univerſitatis primores quam difficile ſibi eſſet maleficos hoſce pro meritis plectere, cùm Diplomata nos Regia hac ex parte deficerent, quapropter querelas illico ad Mecænates ſuos, ac imprimis ad Cardinalem *Wolſeium*, deferebant, quorum operâ voto ſumus potiti; etenim *Roberto Carow*, & *Johanni Auſten*, Ballivis, [p] præcipitur, ut hoc eodem anno, decimo autem nono *Decembris*, coram Commiſſario, Procuratoribus, aliiſque nonnullis, in Eccleſia Divæ *Mariæ* præſentes ſe ſiſterent; deque illis ibidem comparentibus quæſtionem habuit Mr *Edmundus Hurd*, Decretorum Doctor, atque iiſdem crimina quorum poſtularentur palam ac ſponte fatentibus, hunc ſtatim in modum pronuntiavit;

Decretum eſt per Dominum Commiſſarium & Conſilium diſcretorum ſibi aſſiſtentium, quod Robertus

[a] FF. *ep.* 44. 46. 47. 48. *&c.* [b] *In F. ep.* 495. [c] *Ibid. ep.* 484. [d] *In lib.* I. *Antiq.* Cantab. *p.* 152. *&c.* [e] *F. ep.* 363. [f] *Ib. ep.* 420. [g] *Aa. fol.* 126. *a. &* 128. *a.* [h] *In oratione ſua de laudibu. Græcarum diſciplinarum, edit. circa an.* 1526. [i] *FF. ep.* 23. [k] *Ib. ep.* 50. [l] *Ib. ep.* 53. 54. *& in* G. *fol.* 310. *a.* [m] *Ib. in* G. [n] *Ibid.* [o] FF. *ep.* 50. 52. 53. 54. 55. [p] G. *fol.* 310.

Carow & Johnnnes Auſten *Ballivi Villæ* Oxon *habeant & quilibet eorum habeat unam ceream ponderantem unam libram, & quilibet eorum ſtans in Eccleſia* S. Martini *in Villâ* Oxon, *manutenebit dictam ceream à principio Evangelii altæ miſſæ uſque ad finem; & hoc proximo die ſequente poſt decretum, quo finito, quilibet eorum offeret ſuam ceream* S. Martino.

Deinde injunctum eſt eiſdem, quod in proxima generali proceſſione per Vniverſitatem celebranda, dicti Ballivi tranſeant & quilibet eorum tranſeat ante crucem Vniverſitatis, ab Eccleſia B. Mariæ *Virginis ad locum quo deferetur crux, & publicè in manibus portantes preculas dicent, & quilibet eorum dicet pro bono ſtatu digniſſimi Regis noſtri & Reipublicæ Pſalterium beatiſſimæ Virginis* Mariæ.

At vero ſententiam illam moleſte adeo ferebant Cives, ut ad Regem protinus confugerint, culpam omnem à Ballivis amoventes, multa autem de Togatis [a] conqueſti, quorum nonnullos ædibus *Joh. Haynes*, Prætoris nuperi, (quem ſummo inde mortis & metu & periculo verſatum perhibebant) flammas injeciſſe, alios vero Oppidanos aliquos adortos fuiſſe, peſſimeque eoſdem tractaſſe, affirmabant. Porro Regem per literas obſecrabant, ut Commiſſarium, Procuratores, *Wottonum*, *Pantreium*, & Magiſtrum *Rich. Duck*, coram ſe & ſanctiori ſuo Concilio juberet ſub privato ſuo ſigillo comparere, deque iis quas Ballivis intulerant injuriis rationem reddere; quod quidem facturus jam erat *Rex Henricus*, cùm operam ſuam interpoſuerint Doctor *Johannes Voyſey*, Regiæ Capellæ Decanus, Doctor *Johannes Chamber*, Capellæ Divi *Stephani Weſtmonaſterienſis* Decanus, maxime autem ſtrenuus ille & indefeſſus Academiæ Patronus *Wolſeius*; qui ubi litium earum genium & indolem Regi patefecerant, eò perpulere, ut Ballivos, alioſque Burgenſes, rem urbanam *Londini* procurantes, apertiſſimæ etiam repulſæ maculâ notatos, dimiſerit.

Hinc ad Cancellarium *Oxon* confugiunt Ballivi, ſententiæ in ſe prolatæ revocationem efflagitantes, quam ægre tandem eâ lege conceſſit, ut *Oxoniam* reverſi crimina ſua palam agnoſcerent, pœnaſque promeritas deprecarentur; id quod ipſi in menſe *Januario*, primo nempe proximi Termini die coram Commiſſario & Magiſtris Regentibus [b] præſtitere; quibus hæc inſuper pœna irrogatur, ut, propter damnum quod eorum opera fecerat Univerſitas, quatuor uterque libras penſitaret; ad quas intra quindecim poſt Feſtum *Paſchatis* dies numerandas ſyngrapho ſeſe, XXIII. prædicti menſis, in Eccleſiâ S. *Frideſwydæ* [c] adſtringebant, ſub pœnâ foriſfacturæ x. librarum, quæ ab utroque exigerentur, fiſco Academico addicendæ. Aliquanto poſt à Leguleiorum (qui utique, ut fit, ex leviſſimo verborum defectu Diplomatum nobis indultorum ſenſa pervertebant) vafritie ac dolis cavendum rati, clariſſimo *Wolſeio* ſupplices nos exhibuimus, de chartis regiis explicandis, augendiſque, & quæcunque ad Privilegia noſtra in tuto collocanda pertinerent, ab *Henrico* Rege impetrandis; nec ita multo poſt magni viri, qui Academiæ noſtræ nunquam defuit, induſtriâ celeberrimam illam *Henrici VIII.* chartam impetravimus, primo *Aprilis*, XIV. Regni anno, dom. nimirum CIↃDXXIII. datam, magno autem *Angliæ* ſigillo firmatam, atque his verbis ſubſcriptam: *per ipſum Regem & de datâ prædictâ, authoritate Parliamenti.*

Sub idem vero tempus quo præfatæ nobis lites cum Oppidanis interceſſere, turbas Univerſitati dedere & malemeriti quidam Togati, quorum primos ducebat ordines [d] *Johannes Morrys*, S. canonum Profeſſor, qui ubi alios porro induxerat ut poteſtati Academicæ obtemperare recuſarent; in Carcerem primo conjicitur, & ad decimum poſtmodo ab Urbe lapidem à Commiſſario exterminatur. Hinc diffidii haud levis materia incidit, dum amici ejus aliqui querelas apud Regem deponerent, ipſa vero Univerſitas potentiſſimi Cardinalis opem imploraret; unde factum denique eſt, ut poſtquam integro anno exulârat *Morryſius*, delicta fateri, juribuſque in poſterum noſtris obſecuturum ſeſe ſpondere cogeretur; ac proinde à Congregatione ſolenni ad priſtinum in Academiâ locum, ex mandato regio, admitteretur.

CIↃDXVII.

Ineunte hoc anno, ſub finem ſcilicet Quadrageſimæ, (quæ quidem anni pars à ſeditionibus tum præcipue gliſcentibus infames olim reddidit *Oxonienſes*) graviſſima inter *Benedictinos* & *Ciſtertienſes*, de quæſtionibus quibuſdam philoſophicis, in Scholis ſub id inter eoſdem eventilatis, coorta eſt [e] diſſenſio; quæ ſane eouſque tandem exarſit, ut depoſitis argumentis, non ratione ſed pugnis deciſum fuerit, fuſis denique *Ciſtertienſibus* & in Hoſpitia ſua compulſis. Cæterum nec impune triumpharunt *Benedictini*, quibus & mulctas pecuniarias, & pœnas, ut par erat, alias irrogavit Academia; quæ res eorum adeo animos exacerbavit, ut injurias haſce (ſic enim facti ſumus mortales, ut quæ paſſus fuerit, non quæ meritus, quiſque expendat) vel ipſorum Procuratorum ſanguine ulciſci decreverint; hortante præſertim, omnemque induſtriam eòdem conferente, *Johanne Heynes*, Aldermanno, Prætore autem nuper urbano; qui pœnis etiam quas merito pridem dederat laceſſitus, animum (Conſilio *Thomæ Birydall* generi ſui fretus) adverſus Academiam infenſiſſimum gerebat, & *Athenas* noſtras turbandi, vel (quod faxit Deus ne unquam eveniat) evertendi occaſionem captabat; *Benedictinos* proinde armis inſtruens, & ad prælia omni ſtudio impellens.

Decimo itaque ſexto *Aprilis* in præfati *Johannis* domicilio (quod utique concrematum nuper à Scholaribus queſti fuerant apud Regem Burgenſes) noctu conveniunt conjurati, horamque ibidem expectant quâ Urbem perluſtrantes, & ſiqui Academicorum extra Collegia ſua, Aulaſve, pernoctarent explorantes Procuratores, ad *Quadrivium* accederent; quos tandem è prædictis Ædibus (ut ex equo *Trojano*) prorumpentes adorti ſunt cum Duce ſuo *Heyneſio* Seculares quatuorque *Benedictini*, & rem ſane tam fortiter geſſere, ut niſi aliquorum vociferatio, accedente porro gladiorum ſtrepitu, Cives excitaſſet, (qui nempe lectis exilientes, atque arma rapientes ad pacem tuendam feſtinabant) ſcelus deſtinatum perpetraſſent. Intervenientibus autem, quos dixi, Burgenſibus, in domicilium ſeſe præfatum receperunt malemeriti, latebraſque illâ nocte invenerunt; cæterum ubi cum die illuceſcerent conſceleratorum nomina & latibulum, fuga ſibi proſpi-

[a] *Ibid. fol.* 311. *a.* [b] *Ib. fol.* 213. *b.* [c] *Ibid.* [d] FF. *ep.* 52. 55. [e] *Ib. ep.* 59. 60. 62.

ciendum

ciendum arbitrabantur *Benedictini*, captis ſtatim cum *Heyneſio* ſecularibus tribus, Carcerique pariter mancipatis. Haud ita multo poſt habitâ de tumultu (in quo ſcilicet nonnulli haud ſine vitæ diſcrimine vulnerati fuerant) quæſtione, ejuſdem Dux ac Incentor deprehenditur *Heyneſius*, & *Oxoniâ* propterea in perpetuum exturbatur; de quo tamen dubium non eſt, quin ſi injurias reſarcire minime recuſaſſet, mitius fortaſſis cum ipſo eſſet actum. Quinimo aliquanto poſt pœnitentiam ſimulans, veniam tandem impetravit; licet in Urbe dein haud ita diu perſtiterit, authoritatem ſe omnem apud vicinos deperdidiſſe, & apud illos juxta & Academicos evileſcere in dies animadvertens; qui propterea Urbe ultro ceſſit, & egeſtate, ut ferunt, haud levi preſſus in exilio quodammodo diem obiit.

Seditioni porro iſti interfuit *Tho. Birydall* prædictus, qui flagitii ejus coram commiſſario compertus, eandem cum prædicto pœnam luebat, eodem die *S. Dionyſii Oxonio* pariter excedere juſſus; quo pariter judicio damnati ſunt *Gulielmus Baker*, *Thomas Bradſhaw* & *Thomas Buclonde*, tametſi revocati tandem fuere, pœnamque remiſſam habuerunt. Earundem inſuper turbarum adjutores ex deprehenſorum confeſſionibus [a] comperiuntur Dominus *Joh. Gytto* Capellanus, Canonici bini S. *Frideſwydæ*, Dominus *Davy* Monachus *Abendonenſis* è Collegio *Londinenſi Oxon.* Dominus *Gryffyth* (qui vulneratus cum eſſet equum conſcendit & *Lydlyngtonam* prope *Oxoniam* aufugit.) Deniq; *Wratton*, *Glaynesford*, *Draycot* aliique haud pauci, de quibus non dixerim quas quiſque pœnas ſubierit, uti nec qualem res ipſa exitum ſortita fuerit; hic ut & alibi paſſim, propter Regiſtrorum lacunas cæcutire coactus.

Turbas antedictas [b] excepit teterrima *Oxonii* lues, quam Sudorem tabificum nuncupabant, quæque eas nobiſcum ſtrages edidit, ut jugulatis Togatorum quamplurimis reliquos pene omnes diſſipârit. Peſtium in hac urbe frequentium cauſam polliciti retro ſumus, & ſane liceat nobis (qui naturam haud eâ indagavimus ratione ut Medicinam exerceamus, aut morborum cauſas aperire valeamus) conjecturam noſtram interponere. Earum quæ pluribus retro ſeculis contigerant originem ingenti Togatorum numero tribuendam partim arbitror, illi enim Urbem adeo replebant, ut vel obſeſſorum, (utpote quorum, ingruente bello, ex agris vicinis magnæ undique catervæ in oppida ſolent confluere) mala paterentur; dum habitacula omnibus commoda & ſalubria minime ſuppeterent. Peſtes noviſſimas, præſertim quæ annis CIↃDVII. IX. XI. XII. & XIV. exarſere, in ſtagnantes ubique, (propter *Iſidis* nempe & *Chervelli* aliorumque rivulorum Alveos ex Oppidanorum incuriâ cœno oppletos) aquas rejiciendas duco; unde ſcilicet detentâ cloacarum colluvie aërem fœdis putridiſque vaporibus, corporum noſtrorum humores accendere aptis, inferciri contigit; accedentibus porro diluviis haud infrequentibus, camarinam iſtam commoventibus dum nec intra ripas continerentur fluvii, nec poſtquam prata invaſerant mature ſatis decurrerent imbres.

Atqui hinc *Iſidem* noſtram, *Nilo* diſſimillimam, non campis tantum ſterilitatem ſed rei literariæ inopiam invexiſſe fatendum eſt. Cæterum huic malo remedium quærentes Academici, à *Richardo Fox* Wintonienſi, *Thomâ Ruthall* Dunelmenſi, *Gulielmo Atwater* Lincolnienſi, Epiſcopis, aliiſque nonnullis, per literas [c] contendebant, ut de expurgandis defodiendiſque fluviorum alveis operam ſibi accommodarent; quorum duo poſtremi quidnam hac in re præſtiterint dicere nequeo, conſtat autem primò memoratum induſtriam nobis haud inutilem addixiſſe, Scholarium fortean ſuorum (quos utique in Collegio à ſe nuper conſtructo collocârat) diſperſione præſertim ductus; quos quidem non ante proximum annum cum Academicorum pleriſque revolaſſe liquet, peſte nimirum tum pene extinctâ, quamvis alibi, ac ſpeciatim in Collegio *Cantuarienſi*, ad ſecundum uſque annum eâdem correpti [d] reperiantur.

CIↃDXVIII.

Sub hujus anni initium (viz. circa finem Quadrageſimæ) Rex & Regina, cum clariſſimo *Wolſeio* ſplendidâque Aulicorum & Magnatum catervâ, *Abendoniam* acceſſere; inque *Bened. Clinorum* Cœnobio hoſpitabantur. Proximo die tranſmiſſi ſunt Togatorum nonnulli qui obſervantiam Academicam profiterentur; *Catharinam* vero Reginam inceſſit cupido *Oxoniam* ipſam, maxime autem S. *Frideſwydam*, inviſendi, cui propterea cum *Wolſeio* accedenti obviam proceſſere Univerſitatis primores (comitante Scholarium frequentiâ haud exiguâ) maximiſque, ut par erat, gaudii & reverentiæ indiciis Reginam exceperunt, quæ ubi præfatæ S. *Frideſwydæ* reliquias ſacras adoraſſet, apud *Mertonenſes*, in Cuſtodis nuperi, eleemoſynarii hoc tempore regii gratiam & honorem, [e] prandere dignata eſt, falſâ interim aliorum Collegiorum ſpe, à quibus truſtra expectabatur; quamvis & alias Univerſitatis ædes adierit priuſquam diſceſſerit.

Cardinalem quod attinet, is Domum Convocationis intravit, & poſtquam nobis de illius una & Optimatum qui aderant adventu gratulati eſſemus, Orationem publice habuit, quâ erga Academiam noſtram ſtudio ſe affectuque propenſiſſimum teſtabatur, quod Lecturas vero quaſdam inſtituere ibidem deſtinaret, Statuta quædam eruditionem ſpectantia corrigendi poteſtatem efflagitavit; de quibus ſane, cùm ſibi invicem repugnarent, emendandis, literas [f] jam ante ad *Richardum Fitzjames Londinenſem*, & ne alios referam, *Johannem Yong Calypolenſem*, Epiſcopos dederat Academia. *Wolſeii* Benevolentiam pronis animis amplectebantur *Oxonienſes*, [g] literaſq; ſuper eâ re ad Cancellarium poſt paulo dederunt, qui licet in hæc primo verba per literas [h] XXII. *Maii* reſponderit, *illud ſe probare non poſſe ut cuiquam alteri præterquam Cancellario, & Magiſtrorum Regentium & non Regentium Cœtui, tanta authoritas ullo modo deferatur*, repetitis tamen precibus de ſententiâ motus eſt; primoq; *Junii* die factum comparet in magnâ Convocatione decretum [i] amplumac ſolenne de Statutis noſtris Cardinalis in manibus deponendis, ejuſq; ad arbitrium caſtigandis aci mmutandis; immo ſancitum pariter eſt, ut Libertates, Jura, ac Privilegia Academica (atque adeo ipſa Academia, ſalvis Collegio cuiq; juribus ſuis) illi traderentur, cum pleniſſimâ poteſtate diſciplinam publicam in quamcunque vellet formam redigendi; atque is acceptis iiſdem ea ſe præſtiturum pollicitus eſt quæ Univerſitati

[a] G. *fol.* 316. 317. 319. *&c.* [b] *FF. ep.* 62. [c] *FF. ep.* 75. 80. 81. *&c.* [d] FF. *ep.* 68. 71. 72. 75. 79. 80. *&c. & in Reg. Coll.* Oriel. *p.* 118. *&c.* [e] *Reg. Coll.* Mert. *fol.* 241. *a.* [f] FF. *ep.* 58. 61. *&c.* [g] *Ib. ep.* 63. [h] *Ibid. ep.* 64. [i] *Ibid. in* FF. *fol.* 31.

sitati in fructum uberrimum & honorem cessura non dubitaret; sub id vero Prælectionum quas meditabatur aliquas *Oxonii* instituit, ac speciatim Rhetoricam illam, quam, prout alibi docebimus, primus omnium [a] obivit *Johannes* quidam *Clemens* cognominatus.

Hoc insuper anno originem habuisse opinor gratiam illam tempore quadragesimali concessam, unde *Dies gratiosi* nuncupantur; Baccalaureos enim quibus determinare incubuit [b] supplicantes in vigilia S. *Gregorii* (hoc est XII. *Martii* ut in Registro hic citato, sed rectius XI.) reperio, ut sibi liceret *è Scholis exire in horâ undecimâ in honorem S.* Gregorii, atque id eâ lege indultum, *ut quilibet eorum utens hac gratiâ dicat Psalterium B.* Mariæ *Virginis in Ecclesiâ S.* Mariæ *pro bono statu Magistrorum*; quod idem & alii deinceps Baccalaurei, eâdem Quadragesimâ, nec aliâ conditione impetrarunt, qui in die & vigilia S. *Patricii* & Divæ *Mariæ* determinabant. Memini quidem in Poetæ [c] cujusdam *Oxoniensis*, *Henrici III.* temporibus viventis, Poematibus, Scholares quosdam occurrere, Magistrum quendam Logices, ut à curis omnibus Scholasticis in festo Natalitio vacarent in hæc verba obsecrantes;

Ut colamus festum purè
Non est opus ut nos curæ
Distrahant Scholasticæ.
Scimus tamen quod de jure
Te coronat flos naturæ,
Logices & Ethicæ:
Probat enim, &c.

At vero cùm hæc lecturas unice videantur spectare, neque Congregationem aliquam, vel cætum magistralem, respiciant, ad Quadragesimalia Baccalaureorum exercitia, ac proinde dies, quos prædixi, gratiosos minime pertinent.

CIↃDXIX.

Hoc primitus anno inchoata est ex Institutione *Wolseianâ* Græcæ linguæ Prælectio, quidquid enim jam ante præstiterat *Grocynus* id sponte & absque mercede aliquâ factum, dum is *Oxoniensium* suorum animos literarum earum studio accendere laboraret, quas utique Academicorum plerique, propter novam partim pronuntiationem ac docendi methodum, ab illo simul & *Erasmo* invectas, maxime autem propter inscitiam & ignaviam rejiciendas penitus, immo conspuendas judicabant; usque dum solenni quadam D. *Thomæ Mori*, militis, Epistolâ, ac *Wolseii* potissimum authoritate moti in meliorem sententiam concesserint. Memoriæ proditum est inter Academicos quosdam male feriatos (qui quidem *Cantabrigienses* [d] *Oxoniæ* agentes fuisse perhibentur) convenisse, ut, quo alios ab Idiomatis ejus studio averterent, operam eidem navantes opprobriis & injuriis omnimodis onerarent; quâ de re *Morum* audi, in epistolâ Commissario, Procuratoribus, ac reliquo senatui Scholasticorum *Oxon.* ult. an. missâ sic differentem:

--- *Ego cùm* Londini *essem, audivi jam nuper sæpiùs quosdam Scholasticos Academiæ vestræ, sive græcorum odio literarum, seu pravo quopiam aliorum studio, seu quod opinor veriùs improba ludendi nugandique libidine, de composito conspirasse inter sese ut se* Trojanos *appellent. Eorum quidam senior (ut ferunt) quàm sapientior,* Priami *sibi nomen adoptavit,* Hectoris *alius, alius autem* Paridis, *aut aliorum cujusquam veterum* Trojanorum, *cæterique ad eundem modum, non aliô consiliô, quàm uti per ludum jocumque veluti factio Græcis adversa Græcarum literarum studiosis illuderent. Itaque hâc ratione factum ajunt, ne quisquam ejus linguæ quidquam qui degustasset, aut domi suæ aut in publico possit consistere, quin digito notetur, cachinno rideatur, & appetatur scommatibus ab aliquo* Trojanorum *illorum ridiculorum, qui nihil rident aliud nisi quòd solas nescium omnes bonas literas; usque adeo in* Trojanos *istos aptissimè quadrare videatur vetus illud adagium, serò sapiunt Phryges.* --- *Cæterum posteaquam huc* Abingdoniam *invictissimum Regem sum comitatus, accepi rursus ineptias illas in rabiem demùm cepisse procedere; nempe nescio quem è* Trojanis *illis hominem ut ipse sentit sapientem, ut fautores ejus excusant hilarem atque dicaculum, ut alii judicant qui facta ejus considerant, insanum, hôc sacro jejunii tempore, concionibus publicis non modo contrà Græcas literas, & latinam politiam, sed valde liberaliter adversus omnes liberales artes blatera sse*, &c.

Cæterum malemeritorum eorum audaciam contundente, aliosque ad spem maximam erigente *Wolseio* Cardinali (adeo verum est *Martialis* illud, *sint Mecænates non deerunt* Flacce Marones) eos brevi in Græcarum literarum peritiâ adipiscendâ progressus fecimus, ut maxima *Contabrigienses* invidia occupârit, qui eandem post paulo linguam anhelare cæperunt, & *Richardi Croke* Oratoris publici argumentis ac [e] facundiâ moti, Cancellarium suum (Episcopum nempe eruditum, ejusque Idiomatis peritum) imitari gestiebant. Quod nos vero attinet, ad promovendum nobiscum Linguæ Græcæ studium plurimum contulere (neque tamen hæc ita velim accipias tanquam si illustrissimi *Wolseii* laudibus quicquam derogemus) *Grocyni* pietas, morumq; gravitas, *Lynacri* πολυμαθεια & Ingenii acumen, denique familiaris *Tonstalli* eloquentia, & *Stopleii* Linguarum callentissimi, eruditio; quibus *Mori* comitatem, *Paciique* doctrinam & urbanitatem addere oportet. His inquam adminiculis fretus literas humaniores nitescere, maximisque incrementis augeri jussit Cardinalis; adeo ut exteræ omnes in summam Academiæ nostræ admirationem traherentur, suosque huc Alumnos erudiendos transmitterent; erepto autem intempestivâ morte *Wolseio*, & ab eversis Monasteriis ac Religione reformatâ turbante in plures annos Republicâ literariâ, ad deploratissimam barbariem nescio an vel pristinâ longe pejorem relapsi sumus.

CIↃDXX.

Hac tempestate privilegia nostra violare, Academicos pessimis modis tractare, pugnarũ deniq; materiam quærere cæperunt Oppidani; nescio an chartis quas

[a] *Ib. ep.* 68. [b] *Reg. H. fol.* 15. *a.* [c] Mich. Cornubiensis, *in Poematibus suis MS.* [d] Twynus *in Apol. lib.* 3. *sect.* 310. [e] *In Orat. ut supra, & in alia, qua* Cantabrigienses *est hortatus ne Græcarum liter. desertores essent. Edit. circa an.* 1526.

Wolsei

Wolſeio tradiderat ſpoliatam exiſtimantes Univerſitatem. Occaſionem itaque nacti Aulæ *Lateportenſis* Togatos armis [a] adorti ſunt, qui intrepide ſeſe defendebant. Eo in conflictu vulnerati bene multi, uno tantum occiſo; *Thomas* autem *Whem*, alias *Wynkynſlay*, Academicorum Dux, (Juri is Canonico operam navabat) Academiâ exturbatur, tametſi victoria Oppidanis videretur ceſſiſſe. Ea res Academicos gravius urebat, qui proinde Civium aliquos, nocturnis inſidiis aggreſſi, pugnis & vulneribus oneratos in fugam vertebant; cæterum ne ob tam grave facinus in judicio ſiſterentur male metuentes qui ejuſdem authores fuerant (his *Thomas Biſley*, *Tho. Houghton*, *Mauritus Canop*, & *Whemus* prædictus, qui in bannitione ſua, ſe *Wykyswey* ſeu *Winkynsley* appellat, nomina erant) *Oxonio* ſe clam proripiebant; prodeunte autem Brevi regio, de quæſtione ſcilicet ſuper certamine illo habendâ, prehenſi ſunt & in Cuſtodiam traditi. Maturandum itaque ob ejuſmodi turbas in privilegiis noſtris augendis & renovandis rati, id negotii Doctori *Johanni London* è *Novo* Collegio (qui ſcilicet rerum noſtrarum admodum gnarus, & contentionum inter Academicos & Oppidanos creberrime motarum peritiſſimus fuiſſe perhibetur) [b] demandavimus; poteſtate eidem factâ, ut Cardinalem de litibus iis certiorem faceret, quod is nempe ſuper iiſdem Doctorem *Longland* Oratorem nuper ad Academiam tranſmiſiſſet. Ejus tandem (decurſo utique deinceps biennio) & *Calypolenſis* pariter ac *Lincolnienſis*, Epiſcoporum, conſilio ac operâ effectum eſt, ut quicquid hac ex parte deſideratum eſſet indultum à Rege haberemus.

In Privilegiis noſtris deſcribendis operam *Wolſeio* inſignem accommodavit præfatus Dr *Londonus*, in Statutis autem emendandis imprimis deſudavit Magiſter *Robertus Carter*, quem propterea in familiæ ſuæ Seneſchallum, & Collegii quod auſpicatus *Oxonii* fuerat Canonicum delegit Cardinalis. Statuta tamen noſtra quod attinet, quamvis, ad properandam eorum caſtigationem, Mr *Rogerus Dyngley*, è Collegio *Omnium Animarum*, & Mr *Gulielmus Griſe*, è Collegio *Magdalenenſi*, Baccalaureus uterque Theologiæ, in curæ ejus partem adhibiti [c] fuerint, tamen propter immenſa quibus implicitus erat *Wolſeius* negotia, & præcipitem deinde magni viri ruinam, extrema operi manus neutiquam acceſſit.

CIↃDXXI.

Incipiebat jam Hæreſis *Lutheriana* (talis enim illâ tempeſtate ubique fere habebatur) latius diffundi, libroſque viri ejus & doctrinam ſedulo per Academiam noſtram ſpargebant nonnulli; quare literas huc tranſmiſit *Wolſeius*, de Academicis quibuſdam *Londinum* amandandis, qui novas illas opiniones excuterent & refutarent, contra fidem catholicam militari viſas. Quapropter habito eâ de re Academicorum ſenatu, *Thomas Brynknell*, è Collegio ſub id *Lincolnienſi*, *Johannes Kynton* Minorita, *Johannes Roper* è Collegio nuper *Magdalenenſi*, & *Johannes* de *Coloribus*, SS. Theologiæ Profeſſores, [d] nominantur, qui *Londini*, in ipſius Cardinalis Ædibus Convocationem ſolennem, cum viris aliis eruditis, Regnique Præſulibus, celebrantes, Doctrinam *Lutherianam*, tanquam veritati Chriſtianæ prorſus repugnantem, damnarunt; cujus cenſuræ apographum *Oxoniam* poſt paulo tranſmiſſum eſt, & Horologio, in Cœmiterio auſtrali Divæ *Mariæ* ſito, à *Nicolao Kratzero*, (à quo nempe fabricatum illud alibi in hoc opere perdiſcas) affixum; *Lutheri* libris & in Academiâ noſtrâ & in *Cantabrigienſi* illâ igni aliquanto poſt concrematis.

Quod prædictos attinet *Oxonienſes*, eorum juxta quilibet ac *Edoardus Powell* S. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ *Sariſburienſis* Canonicus, Collegii autem *Orielenſis* hand ita pridem Alumnus, libellum deinde contra *Lutherum* [e] conſcripſit; quorum opuſculis, conventui academico palam recitatis, acclamatum eſt abunde, datis porro de iiſdem libellis ad *Henricum VIII.* literis, quibus laudatum præ cæteris *Povellum*, immo mirifice deprædicatum, reperies; cujus Tractatus libros binos complectebatur, primo *De ſummo Pontificio, & Euchariſtiæ Sacramento*, altero *De ſex Sacramentis* inſcripto. Opuſculo quidem illo in tantam apud *Henricum* (qui & ipſe librum ſub id adverſus *Lutherum* edidit, & fidei proinde Defenſoris titulum à Pontifice *Romano* reportaſſe fertur, licet falſo ſane nam regibus id noſtris olim adhæſerat) gratiam influxit *Povellus*, ut ad maximas brevi dignitates evehendum iri nemo dubitarit; cæterum ille Repudium ab *Henrico* Rege tantopere expetitum acerrime impugnavit, ac ſupremæ inſuper Regis in rebus Eccleſiaſticis poteſtati omnino reclamavit, quapropter carceri primo mancipatus, & *Londini* deinceps in agro *Fabrorum*, vulgo **Smythfield**, morte mulctatus eſt. *Lutherum* præterea ſcriptis impetivit *Richardus Kedirmiſter*, Abbas *Wynchcombienſis*, qui & altricem habuit *Oxoniam*; cujus perinde ac retro dictorum Libros Typis voluit mandari *Wolſeius*; at vero voto ejus repugnabat Academia, reſponſo [f] in hæc verba, poſt immenſas *Povelli* laudes, dato: *Reliqui* (qui de illâ nimirum controverſiâ ſcripſerant) *ſua nondum edita ſervant opuſcula; tunc edituri, quum tua juſſerit venerata autoritas. Cur tamen ex omnibus* (*quod tua juſſit ſancta paternitas*) *non ſit unus editus libellus, id erat cauſæ, quanquam contra* Lutherum *ſinguli exactiſſime ſcripſerunt, cùm tamen non omnes eodem ordine & ſtilo id egerint, videbatur non poſſe fieri, ut ex omnibus unum conficeretur volumen:* hoc quoque eſt additum, *nunquam ſolere communem omnium Univerſitatem contra quempiam hæreticum ſcribere.* Hunc in modum Academia; quâ invitâ libellos haſce propalandos minime cenſuit Cardinalis; atque hinc evenit ut ne unus quidem (niſi me fallo) eorum publici unquam juris factus fuerit.

Per hæc vero tempora habito Academicorum delectu Viri quidam, ad id præſtandum quam maxime idonei, *Londinum* amandantur, qui de feſtinandâ, prout ſupra dictum, Chartæ ſive diplomatis regii conceſſione & Statutorum recognitione cum *Wolſeio* agerent; quoniam nempe ex non ſatis munitis Privilegiis noſtris ab injuriis minime temperarent Oppidani; & ex ſtatutorum corruptelis ac antinomiis lites inter ipſos Togatos ex lite ſererentur: quod quidem, ut ſupra memoravimus, ſub id [g] contigit, circa Bedelli electionem, quam ubi reſcivit *Wolſeius*, Academicos per literas ad pacem & concordiam cohortabatur, ne aliter in eadem Univerſitas quæ anno nuper CIↃDVIII diſcrimina adduceretur.

Hoc eodem anno, decimo autem quarto *Januarii*,

[a] *H. fol.* 51. *a. & alibi.* [b] FF. *ep.* 169. [c] *Ibid. ep.* 129. 130. 131. *&c.* [d] *H. fol.* 60. *a.* [e] *FF. ep.* 87. 88. [f] *Ib. ep.* 90. [g] *Ibid. ep.* 110. 111.

diſpenſatum

dispensatum [a] erat per Regentes in plenâ Congregatione Magistrorum ad instantiam Reverendi Patris *Richardi* Kederminster Abbatis Monasterii de **Wynchecombe** quod *quilibet niger Monachus Ordinis S.* Benedicti *posteaquam sit admissus in domicilio suo ad Logicam & Philosophiam ut moris est apud eos* (Sic est in quodam [b] Registro) *licite potest in Scholis proficisci, suo Scholastico amictus habitu, & ibidem post Magistros & Baccalaureos sedere & disceptare seu replicare: provisum tamen est, quod nullus eorum sic admissus in generalem Logicum vel in generalem Philosophum prius præsumat sedere seu hujusmodi Actus Scholasticos exercere, nisi ejus admissio prius registretur, in communi Regestro Tabellionis Universitatis.* Indultum autem illud, egregium nec temere impetratum, instante [c] quem prædiximus Abbate in Chartâ pergamenâ descriptum est, & publico Universitatis Sigillo munitum.

Atque hic ille est *Kederminsterus* qui supra coævos omnes in *Angliâ* Cœnobiarchas pietate & eruditione inclaruit, quo insuper præfati Cœnobii Præfecturam administrante (quod à tertio *Henrici VII.* ad sexennium quasi ante Domuum, quas vocant, Religiosarum eversionem feciisse comparet) famulitium illud miris modis floruisse memoratur: habuit [d] enim sub ejusdem præsidio congregatio *Wynchelcombensis* vel *Wynchcombensis*, Monachos numero XXVIII. quorum plures & lectioni & observantiæ regulari ita dediti erant, ut vix præteriret dies aliquis profestus in hebdomoda, in quo non haberetur in sacris literis lectura; Baccalaureus nimirum in Sacra Theologia vetus Testamentum, alter vero eodem gradu insignitus Novum ibidem interpretabatur. *Et quidem ego* (inquit *Kederminsterus*) *in persona mea bis in hebdomada, aliquid ex magistro sententiarum pro mea virili parte explanabam; Ita quod tam pulchrum erat videre quo modo dediti sunt homines sacrarum literarum studio, quomodoque inter se sermone latino etiam in solatio ubi sunt, nec aliter quam si fuisset altera nova Universitas (tametsi exigua) claustrum* Wynchelcombense *tunc temporis se haberet. Et revera inter hæc omnia, ita fervebat apud nos observantia regularis, ita fraterna charitas dilatata est, ut vix crederes tantæ unitatis atque concordiæ claustrum ex tantillo numero in* Anglia *fuisse. Novit profecto misericors Deus quantum eo tempore delectabar, cum Fratribus in claustro circa sacras literas versari; ubi extructa quadam cellula (quam utinam in hunc diem stare permisissem) & die & nocte dedi operam lectioni; atque ea diligentia ut nihil prope sacrarum literarum ac in S. Theologiæ habuerim doctrinæ, quin illud totum isthic in claustro mihi imbiberim. Hæc enim omnia eam ob rem ideo dixi ut posteri discant, sacrarum literarum lucrum sicut in Academiis ita & in claustris haberi, quod plane probat Venerabilis* Beda *incredibilis Doctrinæ, quam haud uspiam alibi quam in claustro & observanita Regulari sese perdidicisse testatur; quod utinam nostræ Tempestatis Monachi, qui putant præter Universitates nullum esse eruditionis locum, pro vivaciori exemplo accuratius amplexarentur*, &c.

CIↃDXXII.

Hoc anno contigit Magistrorum in eligendis Procuratoribus dissensio, quæ cum terminari aliter non posset ad Cardinalem remissa [e] est, (Cancellario Academico certiori tamen interea [f] facto) qui rem omnem quæstionibus rimatus, ex potestate sibi factâ quo tempore statuta chartas & Privilegia academica concredita acceperat, procuratoribus à primo die Termini *Paschatis* ad vigesimum sextum *Maii* munus [g] prorogavit; quibus tempore præstituto fasces deponentibus viros duos egregios (ita enim nuncupati occurrunt) *Laurentium* nempe *Barbour* ex Collegio *Omnium Animarum*, & *Thomam Sterke* è Collegio *Magdalenensi*, [h] subrogavit, qui ad Festum usque S. *Michaelis*, (tum enim liberum se magis quibus jam districtus erat negotiis fore sperabat, unde nimirum electioni concordi & tranquillæ prospici melius possit) Magistratu potirentur, verum haud Procuratorum, at Magistrorum Scholarum titulis insigniti. Adveniente propterea, quod prædiximus, Festo, Pallia & Capas, reliquaque Muneris Insignia exuebant Vice-procuratores illi, ac [i] annuente *Wolseio* suffragia de more conferebant Magistri, & Procuratores in reliquam anni partem, & absque factione aliquâ aut dissidio cooptabant, vicesimo septimo proximi *Octobris* Magistratum [k] inituros, vices eorum interea exequentibus, quos præfati sumus, Scholarum Magistris.

Bello sub hæc inter *Anglos Gallosque* coorto, tributum subditis suis imperabat *Henricus VIII.* quod cum ab Academicis quoque exigeretur, ad illustrissimum Cardinalem [l] confugimus, ut de vectigalibus eximeretur Universitas efflagitantes, quoniam (ut ejusdem verbis utar) *Collegia & Collegiatores exempti fuerunt à pecuniis in usus bellicos conferendis*: Consuetudinem itaque illam, tanquam Togatorum jus quoddam, Regi significavit *Wolseius*, atque onere isto liberandam impetravit Academiam.

CIↃDXXIII.

Ineunte hoc anno, ampliissimam nobis Privilegiorum [m] chartam ab *Henrico* Rege obtinuit, & per Delegatos quosdam transmittendam curavit Cardinalis; quæ cum promulgata *Oxoniæ* esset, Oppidanorum animos plurimum exacerbavit, adeo ut eidem reclamarint, immo obtemperare palam recusarint; unde factum est ut ea Regi denuo traderetur, resque ipsa coram Consiliariis ejus disceptata esset. Cæterum de his plura in annum CIↃDXXVIII. quem si lubet adeas, reservanda duxi.

Eodem quasi tempore *Johannem Longland*, Episcopum *Liucolnienſem*, Oratorem huc transmisit *Wolseius*; qui certiores utique faceret Academicos quæ in animo pridem conceperat Cardinalis absolvenda propediem iri; cogitationes quippe omnes huc referre illum, ut Collegium, prout decreverat, ampliissimum [n] fundaret, atque Reditus eidem assignaret, unde Scholares ducenti, septemque Prælectores honeste ad studia nutrirentur. Porro, quoniam spem omnem in ipso collocassent, nil prius aut antiquius habiturum, quam si Togatis *Oxonienſibus*

[a] *H. fol.* 75. *a.* [b] *Ib. in H.* [c] *Ibid. fol.* 79. *b.* [d] *Reg. sive Hist. Cœnobii* Wynchcomb, *script. per eundem* Kederminsterum *MS. fol.* 40. [e] FF. *ep.* 98. 99. [f] *Ibid ep.* 100. 101. 103. [g] *Ibid. ep.* 102. *& in H. fol.* 87. *b.* [h] *Ib. in* FF. *ep.* 104. *& in H. &c.* [i] *Ib. in* FF *ep.* 105. [k] *Ib. in H. fol.* 95. *b.* [l] FF. *ep.* 95. [m] *In pix. long. nu.* 2. *& in Rot. pat.* 14. Hen. VIII. *in Dom. conversorum &c.* [n] FF. *ep.* 136.

operam

operam ullâ in re haud inutilem navaret, immo eò ſtudium omne & induſtriam collaturum ut Academiam iſtam, Privilegiorum juxta & eruditionis inopiâ preſſam, toto orbe celeberrimam efficiat. Quo autem Benevolentiam hanc ſuam uberius teſtetur, *Oxoniam*, velut ante fuerat [a] pollicitus, cum Rege & Reginâ, ſub initium Quadrageſimæ, perventurum, neque prius inde diſceſſurum, quam ſpecimine aliquo ſatis inſigni quam optime ſe adverſus Academiam animatum oſtendat.

Factis hunc in modum mandatis Cardinalitiis *Oxoniæ* valedixit Epiſcopus; at vero cætus mox Academici frequentiores [b] celebrantur, in quibus de excipiendo Rege *Henrico*, Orationibus nempe habendis, & exercitiis præſtandis, deliberatum eſt; Scholaribus autem ruri feriantibus per nuntios jubetur ut *Oxoniam* quam citiſſime remearent. Cæterum cùm induſtriam haud modicam neque leves impenſas ad ſolennem prædictorum, maxime vero Cardinalis (cui honores tantum non divinos [c] tribuerunt, *Majeſtatis* ſæpe titulo compellantes) receptionem contuliſſent, prorumpente mox [d] peſte, *Oxonio*, cum clariſſimis Hoſpitibus, inauſpicato pelluntur Togati. Aliquanto poſt *Oxoniam* acceſſit præfatus *Longlandus*, quæ ad Collegium *Wolſeianum* promovendum ſpectarent procuraturus, qui Scholaribus & Prælectionibus Cardinalitiis locum cedere [e] juſſit Canonicos S. *Frideſwydæ*; quippe quod illi in Aulis ſparſim & Collegiis huc uſque alerentur, quos ut in unum convocaret Sodalitium *Wolſeium* nuper hortatus fuerat Doctor *Voyſey*, Epiſcopus *Exonienſis*.

CIↃDXXIV.

Ad opus autem auguſtiſſimum maturandum nil quicquam ullâ ex parte defuit (prout infra fuſius edocebimus) præterquam diutinus favoris Regii influxus, dum in eodem abſolvendo totus eſſet Cardinalis, qui Scholarium ſuorum tres minimum quadrantes ex Academiæ noſtræ Aulis & Collegiis deſumpſit, additis Jus Civile aut Canonicum in Curiâ ſuâ exercentibus (hi ex *Athenis* quoque noſtris prodierant) quod ipſis pro formâ ceſſit, hoc eſt exercitiorum ad Gradus capeſſendos requiſitorum loco [f] habebatur. Ab exteris dein gentibus accerſiti ſunt haud pauci. *Cantabrigienſes* etiam (quos nempe [g] inviſerat nuper *Wolſeius*, affectam apud illos, ſeu potius deploratam, Rempublicam literariam ægris oculis perluſtrans) huc frequentes convolabant, ad Artes & ſcientias, nobiſcum jam præmonſtrari ſolenniter cœptas, informari geſtientes. Is enim Cardinalis ſupra omnes mortales, poſt laudatiſſimam Heroinam *Margaretam Richmondiæ* Comitiſſam (quæ *Grocyno*, *Linacro*, *Latymero*, aliiſque auſpicia dederat rei literariæ inſtaurandæ) fatiſcentes ſub tumultuum civilium & Romanæ dominationis jugo Artes, omni ope reſtituere nitebatur.

Collegii *Cardinalitii* primi hoſpites *Cantabrigienſes* præcipue, Baccalaurei in Artibus & nondum Graduati erant, quorum eruditio intra anguſtos & ſordidos veteris diſciplinæ limites adeo ſteterat, ut (ſi horum temporum [h] ſcriptori fides) Academiam illam, omnimodâ pene barbarie infamem, bonarum literarum cognitio ingreſſa vixdum fuerit. Enimvero colligi vel hinc poteſt craſſa Univerſitatis ejus inſcitia, quod inſigne quoddam præſtitiſſe, immo peſſime laboranti ſubveniſſe memoretur *Robertus Barnes*, Auguſtinenſium ibidem Prior, *Lovanii* aliquandiu educatus; qui ſcilicet *Thomæ Parnell* diſcipuli ſui ope uſus, *Terentium*, *Plautum*, *Ciceronem*, & Copiam verborum & rerum, Academicis præmonſtravit.

CIↃDXXV.

Porro quò evidentius falſiſſima eſſe conſtet quæ in Academiæ ſuæ laudem de Collegio hoc *Cardinalitio* perhibent *Crocus* [i] & [k] *Londinenſis*, (eò nimirum deductam fuiſſe Coloniam *Cantabrigienſem* quæ *Oxonienſes*, earundem pene ignaros, Artibus ingenuis imbueret) notandum venit, quod qui huc commigrarunt *Cantabrigienſes* in Scholares tantum *Wolſeianos* admiſſi ſunt, quorum ne unus aliquis aut Prælectoris, aut Canonici ſenioris, aut alio denique honeſtiore munere donatus eſt; unde omnino liquet, percipiendas non tradendas cogitaſſe literas quotquot *Oxoniam* acceſſerint. Inſuper ex literis eâ tempeſtate per Cardinalem ſcriptis liquido patet, ita hos *Cantabrigienſes* hoſpites ſe geſſiſſe, ut ſeriò eum pœnituerit, quod eoſdem huc perduxiſſet. Fateor quidem *Robertum Sherton*, Sacræ Theologiæ Profeſſorem, inter illos reperiri, qui hoc anno [l] ſupplicaverant, ut ad eundem apud nos Gradum admitterentur quo apud ſuos eſſent ornati; cæterum neque hunc Academicos unquam noſtros erudiiſſe confido, cùm in munere nullo verſatus nobiſcum compareat; quod idem & de reliquis omnibus affirmandum; ii autem fuere *Johannes Clarke*, *Joh. Fryer*, *Galfredus* (quem *Nic.* perperam [m] vocat *Londinenſis*) *Harman*, ac *Edoardus Stapuls*, Artium Magiſtri: *Thomas Cuthop*, *Joh. Fryth*, *Gul. Bettys*, *Rich. Cox*, *Henricus Sumner*, & *Wynemerus Alan*, Baccalaurei; qui licet admiſſi *ad eundem*, (nempe Baccalaureatus) gradum pariter ac Magiſtri fuerint, anno tamen poſtquam in Album *Oxonienſe* redigerentur proximo in novâ Logicâ, annoque ſecundo in Philoſophia, diſputare apud *Auguſtinenſes* [n] jubentur.

Huc porro migrarunt (quippe & minime Graduatos commemorare fas eſt) *Gulielmus Bayley*, *Thomas Benſon*, *Edmundus Wolfe* & *Richardus Taverner*; quorum primi duo annos tres, tertius binos, poſtremus autem annum cum dimidio *Cantabrigiæ* poſuerat, qui, velut alibi docebimus, uberrimos nobiſcum in literis progreſſus fecit, multâque tandem eruditione percrebuit. Peregrinos quod attinet, Collegium *Cardinalitium* primitus ornantes, ſic ſe habuere: *Johannes* de *Coloribus*, Dominicanus, *Nicolaus* de *Burgo*, S. Theol. Baccalaureus, & *Petrus Garcia* de *Lalo*, Acad. *Pariſienſis*; quorum primo dictus Theologiæ Doctoratum in Academiâ noſtrâ capeſſivit, librumque, ut præfati ſumus, contra *Lutherum* conſcripſit, proximus autem annis jam octo ſtudiis nobiſcum vacârat, & Prælectoris Theologici munia apud *Magdalenenſes* obierat. His addendi *Nicolaus Cratzer*, *Bavarus*, Mathematicâ ſcientiâ clarus, & *Matthæus Calphurnius*, natione *Græcus*, in

[a] *Ib. in* FF. *ep.* 139. 140. 141. 142. [b] H. *fol.* 113. *&c.* [c] *Ibid. in FF. ep.* 83. 84. 98. 117. 120. 123. *&c.* [d] *Ibid. ep.* 143. [e] *Ibid. ep.* 132. [f] H. *fol.* 194. *b.* [g] Matth. Cantuar. *in Cat. Canc. Acad.* Cantab. *ad finem vitarum Archiep.* Cant. *in b. S.* Jacobi *MS.* [h] Foxus *in Act. & mon. ed.* 1583. *p.* 1192. [i] *In oratione 2. ut ſupra.* [k] *In lib.* 1. *de antiq.* Cantab. *edit.* 1574. *p.* 152. *vide etiam* Fullerum *in Hiſt.* Cantab. *ſect.* 5. *p.* 77. [l] *In H. fol.* 141 *b.* 143. *b. &c.* [m] *In primo lib. ut ſupra p.* 151. [n] *H. fol.* 144. *a.*

Collegio hoc novo Prælector uterque; qui cum aliis quibusdam eruditionem solidam & fœcundam profeminabant, donec epidemicâ lue sub hæc [a] prorumpente Academici plerique omnes dispergerentur; unde & *Cantabrigienses* aliquos *Oxoniâ* pelli, & alios ne huc deinceps commigrarent absterritos fuisse contigit. Atque hunc in modum florere cœpit ac è vestigio emarcuit Sodalitium illud in quo maxime resederat spes nostra; cujus ampliſſima ædificia, (quibus vel ipsa Regum Palatia conferre vix ausim,) & alibi frequenter in Epistolis illustrissimi viri Munificentiam deprædicantibus & captantibus, ac præsertim in [b] literis quibusdam, quarum [c] aliquas duco subjungendas, celebrata supra modum reperies:

Si res Academiæ nostræ (inquiunt *Oxonienses*) *floruere unquam & ad veram & solidam eruditionem aliquis patuerit aditus Princeps in Christo magnificentissime, illud jam incidisse seculum putamus, quo nec occasionem accommodatiorem, nec ingenia magis ad omne genus literarum propensa ætas vidit ulla. Quæ enim major occasio offerri potest, quam quod intelligimus nostros in hac re conatos, non solum probari, sed & adjuvari ac omnibus modis foveri. Ista sola res abunde magna ingeniis incitamenta præbere debet; quod videant se ad easdem properare artes, quibus vestra sublimitas, tantam apud omnes laudem vel potius admirationem est consecuta. Certè cum eminentissimam istam dignitatem pari optimarum literarum cum peritia conjunctam, & eximiam illam in tot longe gravissimis absolvendis causis dexteritatem ac divinam prope facultatem sæpius contemplemur, plurimum gratiæ habemus Deo, qui talia spiritus sui dona hominibus communicare dignatus sit; quique ex olim alumno talem nobis patrem providerit, qui literis ipsis & toti simul Academiæ melius, cumulatius, ac fœlicius consulverit quam nos ipsi nobis prospectum vel votis optare auderemus. Quis etenim in ullam Academiam beneficium majus collatum unquam novit, quam magnificum hoc vestrum quod hic nuper fundatur Collegium. Excellens profecto fuisset & sublime præ nostris omnibus contubernium si his duntaxat ornamentis decoratum esset quibus superioribus his diebus cum illius primordia celebrarentur decorandum nuntiavit* Lincolniensis *Pontifex, nuntiavit autem inter cætera Scholasticos circiter ducentos hoc in Collegio honorificè educandos esse & erudiendos: quæ res inaudita quadam lætitia & solido gaudio perfudit omnes, diuturnam dominationi vestræ jugiter precantes salutem, ut Christus quod in vobis mirifice operatus est confirmaret. De inchoatione enim Collegii vestri celeberrima, nobis hic esset prolixe scribendum, quippe cum multa præclara, & supra quam dici potest splendida fuerit, quia tamen hæc omnia pro rei dignitate explicare non possumus, Pontificem obtestati sumus ut hoc ille argumentum reverendissimæ vestræ dominationi præsens insinuaret, quod ipsum pro incredibili erga nos & Academiam nostram humanitate peregisse non ambigimus, unde in his si fusius celebritatem illam tractaremus pro supervacaneo fortassis haberetur.*

Nunc autem super ea quæ nobis narravit Episcopus ex literis vestris dictorum omnium collegarum salaria insigniter ampliata compertum habemus, deinde præter nonnullas privatas, septem quæ Academiæ vocabuntur lectiones publicas, quæque ad S. Theologiæ, juris pontificii ac cæterarum bonarum Artium enarrationem instituentur, perpetuo stabiliendas. Amplius paucos intra dies conducendos qui profiteantur ab exteris nationibus doctissimos viros; porrò lectoribus ipsis stipendia longe ampliſſima jam esse parata: postremo omnes Scholas vestris sumptibus propediem extruendas. Hæc omnia ubi altius repetimus, ubi partim ea absoluta, partim Christo jubente absolvenda non dubitamus, non amplius posthæc erectum nobis collegium aut Academiæ portionem aliquam, sed Academiam Academiæ uberius exhibitam, scil. Oxoniam *nunc primum per vos fundatam ac omnibus modis consummatam censebimus, præsertim cum vestra intervallo maximo superent cujuscunque unquam fundatoris beneficia: cumque hæc instituta vestra longè exquisitissima certissimam viam muniant ut doctrinam solidam consequamur: pro qua summa vestra in nos benignitate gratiam habemus maximam, opera sedulo ac studiosissime daturi ut eos viros virtute & literis* Christus *nos efficiat, in quos, ut evadamus vestra semper pientissima Majestas cupivit, admonuit, inflammavit. Quod autem de assignandis locis & horis quibus lectores vestri profiteantur, mandavit præstantia vestra, Rectores & præsides Academiæ nostræ obsequentissime perfecerunt: quorum opiniones in scriptis redactas una cum his literis, vestræ sublimitati præsentabit Magister* Robertus Carterus *vir undicunque clarissimus, verum hæc maluimus apud alios quibus ille intus & in cute* (*quod aiunt*) *cognitus non sit ut excellentiæ vestræ; commendare nosmetipsos nostramq; Academiam favori ac benevolentiæ vestræ quid esset aliud quam charissimum filium patri commendare. Certe paternos in vobis affectus hactenus sensimus. Faxit Christus ut tali patre cum nos privatim tum publicè* Britannia *universa, atque adeo Christianus ille orbis diutissime gaudeat, ut & hic studia, & in regno justitia, & in* Europa *tranquillitas sit diuturnissima. Valeat fœlicissime vestra celsitudo.*

CIↃDXXVI.

Vires jam indies colligebat schisma, quod vocabant, *Lutherianum*, inque Collegio potissimum *Cardinalitio* pullulabat, dum *Cantabrigienses* nonnulli, nobiscum huc usque commorantes, idem præcipue foverent. Inter partium earum adjutores primum nunc obtinebat locum *Johannes Clarke*, juniorum Sodalitii ejus Canonicorum alter, cujus & Lectionibus privatis & disputationibus frequentes interfuere Academici, iique è Graduatis haudquaquam postremi; Virum porro illum ob pietatem & eruditionem haud vulgarem tanto in pretio habuerunt, ut de dubiis eum opinionibus creberrime consulerent, aut ipsum adeuntes, aut, siquid quo minus id fieret prohiberet, quæstiones scriptis mandatas transmittentes; quâ in re *Antonii* cujusdam *Delaber*, Aulæ S. *Albani* Alumni, operâ ut plurimum utebantur. Cœtus insuper privatos agitabant *Lutheri* sequaces, in quibus ubi preces ad Deum consociarant, de promovendis Viri dogmatis, (quæ utique libri quidam quos una evolvebant explicata complectebantur) consilia inibant.

His assensi sunt *Nicolaus Owdall* vel *Udale* & *Johannes Dyott*, ut alios, è Collegio pariter *Corporis Christi*, omittam; de quibus certior cum fieret

[a] *Ut fol.* 135. *b.* 138. *a.* & 158. *b.* [b] *In FF. ep.* 128, 129. 132. *&c.* [c] *Ibid. ep.* 136

ejusdem

ejuſdem Fundator vehementer indoluit, hæreſeos utique proſeminium inſtituiſſe ſe arbitratus. Prædictis accedunt è Collegiis *Magdalenenſi*, *Cantuarienſi*, *Gloceſtrenſi*, SS. *Bernardi* & *Mariæ* complures, quorum ſane nonnulli Palinodiam cantabant, aliis autem Sodalitii exterminari, immo in cuſtodiâ ad mortem uſque detineri, vel etiam in cineres cum libris ſuis redigi malebant quam doctrinam quam profeſſi fuerant revocare. Nil vero quicquam profecerunt Pontificii, quamvis doctiſſimus eorum quiſque, placita hæc in Concionibus juxta & diſputationibus omni ſtudio convelleret.

CIↃDXXVII.

Ad accelerandum doctrinæ Pontificiæ exterminium momenta haud levia adferebat *Thomas Garret*, Vici *Mellei Londini* Curatus, qui à *Lutheri* ſequacibus quibuſdam tranſmiſſus, Libros varios attulit; & inter Academicos ſpargebat plures ſacræ Paginæ locos tractantes, ſpeciatim vero Teſtamentum Novum ſecundum verſionem primam *Tindallianam*, primamque libri ejus partem cui *Unio diſſidentium* nomen fuit. Hæc non ita diu Cardinalem latebant, qui de *Garreto* nobiſcum agente certior factus, literas confeſtim ad Commiſſarium Academicum dedit, ut explorandum eundem carcerique mancipandum curaret præcipientes; quæ cùm *Garreto* innoteſcerent, *Oxoniâ* clam ſe proripuit, huc autem, quibus malis avibus neſcio, infra biduum regreſſus, inque eodem quo prius domicilio hoſpitatus, à Procuratoribus prehenſus eſt, & Commiſſario, quem dixi, Collegii *Lincolnienſis* hac tempeſtate Rectori, in manus traditur. Is habito partim de criminibus quorum inſimulabatur examine in cameram ſuam, quoad uſque à precibus ipſe veſpertinis reverteretur, virum [a] concluſit, qui occaſione arreptâ clam interea aufugit & ad *Delaberum* præfatum, in Collegio tunc *Gloceſtrenſi* commorantem, ſeſe contulit, à quo Veſtitu ſeculari inſtructus fugam ulteriorem accelerabat. Irâ jam percitus Commiſſarius nec labori, nec ſumptibus pepercit quo *Garretum* denuo prehenderet, *Delaberi* autem aliorumque, quos de recepto eodem ſuſpectos habuit, cameras ſedulo rimatus, ad ſe poſtremo dictum accerſivit, utpote quem elapſum adiiſſe *Garretum* probe intellexit; virumque meticuloſum, habitâ coram *Londono*, & *Hygdeno*, Doctoribus, ſuper omni re quæſtione, eò denique minis adegit, ut non tantum amici latebras, ſed & *Oxonienſium* viginti & duorum, *Garreto* occulte faventium, Libroſque ab eodem coëmentium, nomina patefecerit.

Dimiſſo *Delabero* viris illis per Miniſtros academicos mandavit Commiſſarius, ut coram ſe comparerent, quibuſcum, habito viritim examine, tam callide egit, ut de libris variis, hæreticæ pravitatis ſtigmate notatis, (in ſuis utique partim, partim in aliorum *Luthero* addictorum manibus) faſſi fuerint; quibus exploratis pariter & occupatis, rem omnem Cardinali per literas aperuit Commiſſarius, unde *Wolſeium* dolor haud levis inceſſit, qui Epiſtolas ad nos plures propediem dediſſe reperitur, atque [b] alteram ſpeciatim è quâ pauca hunc in locum tranſcribere alienum non erit: *Amici noſtri* (inquit ille) *quamplurimum dilecti ſalutem. Non facile explicaverimus quam graviter nos commoverint ea quæ præter omnium expectationem veſtris nuper literis ſignificatis, nec uno in loco hereſin, vel nec obſcuram hæreſis ſuſpicionem aliquorum male affectorum improbitate ſuccreviſſe; nil certe nobis poterit nuntiari moleſtius, quam eam Academiam in cujus virtutibus maxime gloriabamur, & quæ ſana eruditione, firmiſſimo ſemper artium præſidio extitit, & quam vobis omnibus puram illæſam illibatamque exoptavimus, in tantam nunc infamiam & perniciem incidiſſe*, &c.

Academicos deinde hortatur ille ut de reprimendâ *Lutheri* doctrinâ ſedulo deliberarent, male ſcilicet metuens ne per Collegium brevi ſuum penitus diffunderetur; utque ejuſdem vel compertos, vel haud injuria ſuſpectos in Carcerem detruderent, pœniſque aliis mulctarent mandabat: quæ cum præſtitiſſet Univerſitas, Dioeceſanum ſuper rebus geſtis certiorem fecit, à quo etiam efflagitavit, ut, quoniam *Lutheranorum* Coryphæus eſſet *Joh. Clark*, Collegii Canonicus, eundem *Wolſeio* deferret, prout merita exigerent pœnas luiturum.

CIↃDXXVIII.

Ad *Garretum* jam redeo; qui cum haud ita caute & prudenter fugam adornaret, ad *Hinxeiam* S. *Laurentii*, haud procul *Oxonio*, capitur, carcerique mancipatur. Ad Commiſſarium poſt paulo & Doctorum aliquos citatus, criminum multorum, hæreſin tangentium, reus pronunciatur; cumque *Delabero* quem prædiximus faſcem à Beatâ *Virgine* ad fanum S. *Frideſwydæ* in ſolenni Proceſſione portare juberur; quo peracto in Cœnobium *Oſneienſe*, tanquam in firmam Cuſtodiam compingitur uterque, ulteriorem adhuc ſententiam expectaturus. Quod *Lutheranos* attinet ad Collegium *Cardinalitium* ſpectantes, in Cavernam profundam ſub Ædibus ſuis, adſervando pridem Sali inſervientem, detruduntur; quorum nonnulli contractis ex injuriâ loci morbis animam poſt paulo exhalarunt. Horum de numero erant *Joh. Clark*, *Henricus Sumner*, & Dominus *Bayley* A.B. cæterum amicorum precibus fœdiſſimo ergaſtulo liberatus Magiſter *Bettys*, *Cantabrigiam* contendit, & mutatâ ſententiâ ſtudiis ibi incumbens, non multo poſt ad Dignitates haud modicas evectus eſt. De occultatis *Clarkii* libris poſtulatus eſt *Richardus Tavernerus*, at vero illi Cardinalis ipſe patrocinatus eſt, virum ſcilicet Muſicæ tantum operam navantem nullas unquam Eccleſiæ turbas daturum pollicitus; quem tamen fefellit abunde conjectura, nam in Pontificiâ exterminandâ & *Lutherianâ* doctrinâ propagandâ haud inutiliter poſtea deſudavit *Tavernerus*. In cuſtodiam porro traditi ſunt *Joh. Fryth* & *Thomas Lawney* cum aliis nonnullis, qui libertate furtim potiti *Oxonio* ſe confeſtim proripuere. *Lutherianâ* inſuper Hæreſi tactus memoratur *Thomas Curthoppe*; atqui eâdem deinde revocatâ in Collegii *Orielenſis* ſocium ſub id cooptatus eſt. Quod ad aliorum Collegiorum Alumnos ſpectat, in **Bocardo** Caſtrumque *Oxonienſe* haud pauci compingebantur, multaſque calamitates perpeſſi ſunt, licet, habito de quovis examine, quibus denique pœnis affecti fuerint parum liquet; eorum de numero fuere [c] *Edmundus Gareſet*, Capellanus Secularis, & Mag. *Richardus Porter*, quorum poſtremus purgaſſe ſe de hæreſi fertur, & priſtinum in locum [d] reſtitutus fuiſſe. Quo autem tempore contra doctrinam *Lutherianam* Anathemata Pontificia vibrarentur, Doctor *Richar-*

[a] *FF. ep.* 153. [b] *Ibid. ep.* 155. 160. *&c.* [c] *Reg. fol.* 92. *a.* [d] *Ibid.* 164. *b.*

dus *Maudlyn*, Archidiaconus *Leicestrensis*, eandem concione impugnavit; atque *Johannes* [a] quidam *Holyman*, Monachus *Readingensis*, (è Collegio is *Novo* prodierat) instante *Hugone*, Abbate *Readingensi*, *Londinum* missus est, concionem pro gradu (quod *Oxoniæ* ex statutis fieri oportebat) ad crucem *Paulinam* habiturus, in quâ doctrinam *Lutherianam*, acerrime, prout in mandatis acceperat, impetivit.

Turbas hasce, pestemq; hoc nobiscum anno grassantem anteceſſere pariter & comitatæ sunt gravissimæ inter Academiam Urbemque Lites, aliquandiu nimirum inter utramque pendentes, mox autem in aperta dissidia prorumpentes, dum Academicos super variis [b] capitibus postularent Burgenses, ac speciatim *Ballium* & *Byrtonum*, Procuratores, propter injurias, in vigiliis eorum nocturnis, Oppidanis factas, accusarent. Hæc, animis aucti, aggressi propterea sunt illi, quoniam Privilegia nostra, *Wolseio* pridem tradita, nondum vero firmata & Academiæ reddita intelligerent; quæ Cardinalem proinde ejusque familiarem, Episcopum *Lincolniensem*, eâ confestim de re [c] interpellabat; cumque Munimenta varia (nominatim vero tria illa quorum duo à *Sixto IV.* Pontifice tertium ab *Henrico* octavo impetratum fuerat) libtique nobiscum essent, ad Indulta nobis renovanda necessarii, in Regentium Congregatione [d] statutum est, ut ad *Wolseium* transferrentur, quod per Magistrum *Robertum Carter* S. T. B. & Hospitii ejusdem Cardinalis Seneschallum post paulo fiebat. Decurrente autem ante novam illam privilegiorum nostrorum concessionem integro anno, veteres continuò inimicitias revocabant Oppidani, quarum notitiam aliqualem exhibendam duco. Statuit ex veteri consuetudine, & jurisdictione sibi à Regibus olim indultâ, Curiam quam *Letam* vocamus in Prætorio urbano (**The Gild Hall** vulgo appellatur) habere Universitas. Id in mensem *Novembrem*, an. CIↃDXXVII. cadit, missa vero sunt ad *Edm. Iryſh* & *Guliel. Clare* Ballivos mandata de Inquisitoribus sive Juratis octodecim, viris probis sive legalibus (ut cum Jurisperitis loquamur) & Oppidanis impanellandis, hoc est evocandis, quod cùm facturos sese cum municipii primoribus negarent Ballivi, coram Commissario academico comparere [e] jubentur die prædicti mensis decimo sexto; de quibus, ob neglectum vel potius contumaciam insignem, latam his verbis sententiam [f] invenio: viz. *Quod* Edm. Iryshe *nomine pœnæ castrum adiret ante horam xi. ejusdem diei*, & Willielmus Clare *junior*, *carcerem* **Bocardo** *appellatum adiret hora prædicta, usque ad beneplacitum nostrum.*

Anno proximo, Domini nempe MDXXVIII. (is autem ille est in quo jam versamur) litibus inter nos & Oppidanos hauddum expeditis, omnes Doctores, Rectores Collegiorum, & Procuratores Universitatis una cum omnibus Magistris Artium Regentibus & non Regentibus ad rogatum venerabilis viri *Johannis Cotisford* in S. Theologia Professoris tunc Commissarii, in choro Ecclesiæ B. *Mariæ* Virginis XIV. *Julii* [g] convenerunt, ad audiendum scil. nuncia quædam à Reverendissimo in Christo Patre & Domino D. *Thoma* Cardinali, *Eboracensi* Archiepiscopo, summo ac optime merito hujus Academiæ Patrono, per honorabilem D. Doctorem *Hygden* Collegii ejusdem Cardinalitii, Decanum, ibidem exponenda & publicè recitanda. In qua convocatione idem Decanus tria præcipuè egit & significavit.

Primo quidem (*universo cœtu nomine ipsius Reverendiss. Cardinalis plurimum salutato*) *munimenta quædam seu privilegia antiqua* (loquor ex quodam nostro [h] Regestro) *quæ in manibus præfati Rev. Domini aliquamdiu ad Academiæ tamen utilitatem remanserant, sub originali forma in nullo penitus læsa aut immunita reduxit, quo in Archivis Universitatis prout solitum erat reponerentur & conservarentur.*

Secundo in loco præfatus honorandus Doctor intestimonium clarissimum singularis & maximæ benevolentiæ dicti beneficentissimi Patris, ampliſſima quædam privilegia nova omni ex parte absoluta à præstantissimo Cardinali deportavit, & coram omnibus magna cum gratia præsentavit. Quibus ornatissimis privilegiis per Willielmum Tresham *Academiæ scribam distincta ac alta voce prælectis, non solum multo majora & ampliora esse quam ipsa Academia vel votis optare sit ausa, sed & ipsius Reverendiss. Cardinalis etiam sola instantia precibusque gratissimis à serenissimo Domino Rege, magno ejusdem sigillo communita, obtenta & perquisita fuisse liquidissimè constabat: unde & magnum hoc imprimis beneficium atque à propensissimo in Academiam bene merendi studio profectum omnes unaminiter interpretabantur, & se ac posteros pro tanto collato munere, tanto ac tam eximio Patrono, perpetuo devinctos agnoscebant & ingenue confessi sunt. Verum & mandato dicti honoratiss. Cardinalis nova hæc privilegia in ipso Collegio* Cardinalitio *remanent sub custodia Decani ibidem ad usum Academiæ tutissime servanda, donec idem Reverendiss. aliter de iisdem servandis ordinaret.*

Tertio in loco Decanus supradictus palam explicabat quonam pacto Reverendiss. Cardinalis præter inclytum isthoc quod jam sumptuosissime erigit Cardinalitium *Collegium, jam plures lectiones publicas perpetuis temporibus duraturas una cum Scholis novis pro eisdem lectionibus vel suo sumptu haud vulgariter ædificandis, ut primum commode inchoari & stabiliri poterant, inchoandas & stabiliendas firmissime decrevit.*

Qua sane eximia & plane incomparabili munificentia altius pensitata, pensitatis etiam maximis illius Reverendiss. Patris beneficiis & jam olim sæpius, & hisce diebus quotidie collatis, perspecta insuper benignissima ejusdem benevolentia & præcelsa à Deo data potestate, qua omnibus Academiæ rebus reformatione aut melioratione egentibus vigilantissime prospicit & auxiliatur, cum præter preces nihil acceptius referendum inveniretur, precibus idcirco tanquam grata aliqua vicissitudine, munificentiæ Cardinalitiæ aliqua ex parte respondere cupiens universus convocatorum cœtus, sub forma quæ sequitur deditissime tractavit, & ex officiosissima in tantum patronum pietate fœdere sempiterno sancitum fore voluit.

Primo viz. ut singulus quisque ad gradum aliquem in hac Universitate inposterum admittendus seu incorporandus, in sua admissione juramentum præstet corporale, quod quotiens eum solenniter prædicare contigerit infra Universitatis præcinctum, ad Crucem S. Pauli *seu Hospitale B.* Mariæ *extra* **Bishopesgate** Londini, *Reverendiss. in Christo Patrem D.* Thomam

[a] FF. *ep.* 188. 190. *&c.* [b] *In serm. Civ.* Oxon. *& in pix. BB. in tur. Schol.* [c] FF. *ep.* 163. 164. [d] *H.* 155. *b.* [e] *g. fol.* 142. *b.* [f] *Ibid.* [g] *H. fol.* 209. *a.* [h] *Ibid.*

Wolsey

Wolſey *Cardinalem*, Eboracenſem *Archiepiſcopum, nominatim & expreſſe ſuis oratoribus commendabit. ſuper hæc æquiſſimum videbatur, ut idem magnificentiſſimus Cardinalis, omnium ſuffragiorum, Orationum, Eleemoſynarum, jejuniorum, meditationum, ſtudiorum, prædicationum, peregrinationum, ac omnium aliorum piorum operum per ipſam Academiam aut quemvis ejuſdem alumnum fiendorum particeps inperpetuum habeatur.*

Secundo vero, in eadem convocatione determinatum fuit; ut poſtquam dictus Reverendiſſ. Pater ab hac luce ad Deum migraverit, mox exequiæ ſolennes cum miſſa in craſtino pro anima ejuſdem, ab omnibus Graduatis, qui exequiis ipſis & miſſæ à principio ad finem, ſub fidelitatis debito intereſſe tenebuntur, decentiore modo quo poterint abſolvantur & celebrentur. Quæque ſemel in omni anno certo aliquo die, per ipſum Reverendiſſ. Dominum (ſi ita placuerit) aut ſaltem per univerſitatem aſſignando, conſimili modo fiant in perpetuum. Neque vero inferius in aliquo, ſed ſimili modo, aut certe cultius & celebrius perficerentur, quam pro illuſtriſſimo Duce Humfredo *quotannis fieri ſolent.*

Quæ certe obſequentiæ aut potius devinctiſſimæ pietatis officia, omnes uno ore pro meritis & munificentia Cardinalitia, minus digna & longe inferiora ſenſerunt, pro quorum tamen confirmatione ac ſtabilitate perpetua juxta ſtatutorum exigentiam, congregationem quandam nigram, deinde congregationem omnium facultatum brevi celebrandam decreverunt, ubi viz. præſentes articuli ratificentur & robur ſumant per omnes temporis tractus (Chriſto conferente) duraturum.

De chartâ illa ſubtexendum duco, Cardinali denuo traditam fuiſſe, & vel ob præcipitem clariſſimi viri ruinam, vel aliam neſcio quam cauſam, in fiſco Regio ad annum uſque CIↃDLXVI. depoſitam fuiſſe, & demum Academiæ redditam.

Cæterum ad diſſenſiones noſtras cum Oppidanis revertor; qui propter chartam hanc ampliſſimam Univerſitati indultam frendebant ubique, & de abrogandâ eadem, vel ſaltem minuendâ, conſilia agitabant; quam rem ægre, ut par erat, ferentes Academici, (quos utique haud parum angebat Cives nec regiâ authoritate coeceri velle) querelas apud Optimates quoſdam [a] deponebant; atque Oppidanos de graviſſimis, & antiquiſſima Togatorum Privilegia violantibus, injuriis apud Cardinalem criminabantur.

CIↃDXXIX.

Hoc anno, tricesimo autem *Maii* die, pacem inter utroſque, quibus tamen conditionibus non dicam, compoſitam invenio; quamvis odium haud ita multo poſt regium incurrente *Wolſeio*, & Civibus inde ad ſpem novam erectis, Academicis vero in luctu & ſqualore poſitis, diſſiliiſſe memoretur. Menſe nimirum *Januar.* hoc anno, Juramentum ſolitum, legitime licet per Bedellum admoniti, præſtare [b] recuſabant Oppidani, quos cùm ad Beatæ *Virginis* aliquandiu expectaſſent; re infecta, animiſque exacerbati diſceſſerunt Academici; tametſi, potentiſſimo Patrono orbati, in tam gravi injuriâ ulciſcendâ minime ſategerint, donec (quod anno proximo contigit) Commiſſarium & Procuratores, Magiſtrorumque nonnullos Prætorium ſuum (ubi ſcilicet *Letam*, ut prædiximus, quotannis olim celebrabat Academia) menſe *Maii* ingredi prohiberent Oppidani, qui ſcilicet hortante Prætore fores advenientibus præcluſere. Id ſane, ut oportebat, graviter pro piaculo admodum tulimus; quapropter *Gulielmo Pery*, Ballivo ſacris per Commiſſarium [c] interdictum eſt, quamvis & præſentem ſeſe juſſus dederat, & præfatum crimen non aliter quam ex mandato Prætorio admiſiſſe profiteretur. Ballivorum porro alter, *Richardus Gunter*, necnon *Michael Heath*, Prætor Urbanus (è quibus ille per inferiorum forte aliquem, hic vero per *Rich. Wotton* ſuperiorem Theologiæ Bedellum citatus fuerat) comparere coram Commiſſario detrectantes, Anathemate etiam ab eodem [d] percuſſi ſunt. Cenſuræ iſtæ Eccleſiaſticæ ſcriptis deinmandabantur, & Magiſtro *Roberto Blackmore* è *Novo* Hoſpitio, Eccleſiæ S. *Ebbæ* (quam nempe Parochiam incoluit *Heathus*) Rectori traditæ ſunt, ab illo nimirum, vel Curato ejus Domino *Potrellio*, in proximo Saturni die ibidem promulgandæ; quod cùm fieri occiperet reſtitiſſe conſtat Prætorem, Sententiam vero illam tam in eâ quam prædixi quam in *Omnium Sanctorum* Eccleſiâ, die aliquo dominico propalatam deinceps fuiſſe.

Ut paucis abſolvam, ſummo brevi dolore correptus eſt Prætor; atque illum & Privilegiorum multorum, quibus perinde ac ſacris arceri neceſſe erat, amiſſio, maxime vero mortis æternæ (ſiquid ſibi jam humanitus accideret) metus exercebat, immo dies noctesque ſtimulabat, uſque dum à Commiſſario & Procuratoribus eſſlagitârit, ut Anathemate ſupplicem liberarent. A nexu itaque in Conventuali *Carmelitarum* Eccleſiâ, ſolutus [e] per Commiſſarium eſt, præſentibus *Henrico Morgan* LL. D. (ſub id ille Aulæ S. *Edoardi*, in Cœmiterio cognomine ſitæ, Principalis, Scholæque juris Civilis in vicinia poſitæ Moderator erat, tandem vero *Menevenſis* Epiſcopus emerſit) & *Johanne Pye*, Aldermanno; at vero id eâ lege factum eſt ut juramentum corporale præſtaret, *de ſtando Juri & parendo mandatis Eccleſiæ*, atque ſic partim, partim etiam intercedentibus viris quibuſdam principibus (quos inter *Londinenſis* & *Exonienſis* Epiſcopi [f] recenſentur) pax iterum Civibus conciliatur.

An his ſubjungam, (quam quidem commemorare refugit & reformidat animus) Illuſtriſſimi *Wolſei* cladem, hoc anno, & poſt paulo mortem non ſine inexplicabili *Oxonienſium* damno contingentem. Neq; ſane mirum clariſſimum rei literariæ Mecænatem tam præcipitem corruiſſe; quippe ex alto cadentibus rariſſime datur conſiſtendi locus, quæque è nubibus turbantur terram ipſo caſu ſubire neceſſe eſt, & ſepulchrum aut invenire aut facere. *Sed* hæc obiter (neque enim Oratoris nos partes ſuſcepimus) de inclyto illo Academiæ noſtræ Patrono dixiſſe ſat eſt, cujus egregia facinora fatigando vel exercitatiſſimi cujuſque Scriptoris ſtylo ſufficiunt. Ea unice addam quæ in Decreto [g] quodam Univerſitatis, edito in Magnâ Convocatione, anno ultimo *Wolſeii*, viceſimo autem ſeptimo *Decembris*, de eodem in Album Benefactorum referendo, celebratâ occurrunt; ibidem vero tria ejus præcipua Beneficia, in Academicam collata, his verbis commemorantur:

Primum (inquiunt Togati) *magnificum & ſempiternis dignum præconiiis ab omnibus judicabatur be-*

[a] FF. *fol.* 91. 92. 93. 94. 95. *&c.* [b] *H. fol.* 222. *b.* [c] *g. fol.* 335. *b.* [d] *Ibid. fol.* 354. *b.* 355. *b.* [e] *Ibid.* 336. *a.* [f] FF. *ep.* 191. 192. *&c.* [g] *In* FF. *fol.* 89.

dus *Maudlyn*, Archidiaconus *Leicestrensis*, eandem concione impugnavit; atque *Johannes* [a] quidam *Holyman*, Monachus *Readingensis*, (è Collegio is *Novo* prodierat) instante *Hugone*, Abbate *Readingensi*, *Londinum* missus est, concionem pro gradu (quod *Oxoniæ* ex statutis fieri oportebat) ad crucem *Paulinam* habiturus, in quâ doctrinam *Lutherianam*, acerrime, prout in mandatis acceperat, impetivit.

Turbas hasce, pestemq; hoc nobiscum anno grassantem antecessere pariter & comitatæ sunt gravissimæ inter Academiam Urbemque Lites, aliquandiu nimirum inter utramque pendentes, mox autem in aperta dissidia prorumpentes, dum Academicos super variis [b] capitibus postularent Burgenses, ac speciatim *Ballium* & *Byrtonum*, Procuratores, propter injurias, in vigiliis eorum nocturnis, Oppidanis factas, accusarent. Hæc, animis aucti, aggressi propterea sunt illi, quoniam Privilegia nostra, *Wolseio* pridem tradita, nondum vero firmata & Academiæ reddita intelligerent; quæ Cardinalem proinde ejusque familiarem, Episcopum *Lincolniensem*, eâ confestim de re [c] interpellabat; cumque Munimenta varia (nominatim vero tria illa quorum duo à *Sixto IV.* Pontifice tertium ab *Henrico* octavo impetratum fuerat) libtique nobiscum essent, ad Indulta nobis renovanda necessarii, in Regentium Congregatione [d] statutum est, ut ad *Wolseium* transferrentur, quod per Magistrum *Robertum Carter* S. T. B. & Hospitii ejusdem Cardinalis Seneschallum post paulo fiebat. Decurrente autem ante novam illam privilegiorum nostrorum concessionem integro anno, veteres continuò inimicitias revocabant Oppidani, quarum notitiam aliqualem exhibendam duco. Statuit ex veteri consuetudine, & jurisdictione sibi à Regibus olim indultâ, Curiam quam *Letam* vocamus in Prætorio urbano (**The Gild Hall** vulgo appellatur) habere Universitas. Id in mensem *Novembrem*, an. CIↃDXXVII. cadit, missa vero sunt ad *Edm. Iryssh* & *Guliel. Clare* Ballivos mandata de Inquisitoribus sive Juratis octodecim, viris probis sive legalibus (ut cum Jurisperitis loquamur) & Oppidanis impanellandis, hoc est evocandis, quod cùm facturos sese cum municipii primoribus negarent Ballivi, coram Commissario academico comparere [e] jubentur die prædicti mensis decimo sexto; de quibus, ob neglectum vel potius contumaciam insignem, latam his verbis sententiam [f] invenio: viz. *Quod* Edm. Iryshe *nomine pœnæ castrum adiret ante horam xi. ejusdem diei*, & Willielmus Clare *junior*, *carcerem* **Bocardo** *appellatum adiret hora prædicta, usque ad beneplacitum nostrum.*

Anno proximo, Domini nempe MDXXVIII. (is autem ille est in quo jam versamur) litibus inter nos & Oppidanos hauddum expeditis, omnes Doctores, Rectores Collegiorum, & Procuratores Universitatis una cum omnibus Magistris Artium Regentibus & non Regentibus ad rogatum venerabilis viri *Johannis Cotisford* in S. Theologia Professoris tunc Commissarii, in choro Ecclesiæ B. *Mariæ* Virginis XIV. *Julii* [g] convenerunt, ad audiendum scil. nuncia quædam à Reverendissimo in Christo Patre & Domino D. *Thoma* Cardinali, *Eboracensi* Archiepiscopo, summo ac optime merito hujus Academiæ Patrono, per honorabilem D. Doctorem *Hygden* Collegii ejusdem Cardinalitii, Decanum, ibidem exponenda & publicè recitanda. In qua convocatione idem Decanus tria præcipuè egit & significavit.

Primo quidem (*universo cætu nomine ipsius Reverendiss. Cardinalis plurimum salutato*) *munimenta quædam seu privilegia antiqua* (loquor ex quodam nostro [h] Regestro) *quæ in manibus præfati Rev. Domini aliquamdiu ad Academiæ tamen utilitatem remanserant, sub originali forma in nullo penitus læsa aut immunita reduxit, quo in Archivis Universitatis prout solitum erat reponerentur & conservarentur.*

Secundo in loco præfatus honorandus Doctor intestimonium clarissimum singularis & maximæ benevolentiæ dicti beneficentissimi Patris, amplissima quædam privilegia nova omni ex parte absoluta à præstantissimo Cardinali deportavit, & coram omnibus magna cum gratia præsentavit. Quibus ornatissimis privilegiis per Willielmum Tresham *Academiæ scribam distincta ac alta voce prælectis, non solum multo majora & ampliora esse quam ipsa Academia vel votis optare sit ausa, sed & ipsius Reverendiss. Cardinalis etiam sola instantia precibusque gratissimis à serenissimo Domino Rege, magno ejusdem sigillo communita, obtenta & perquisita fuisse liquidissimè constabat: unde & magnum hoc imprimis beneficium atque à propensissimo in Academiam bene merendi studio profectum omnes unaminiter interpretabantur, & se ac posteros pro tanto collato munere, tanto ac tam eximio Patrono, perpetuo devinctos agnoscebant & ingenue confessi sunt. Verum & mandato dicti honoratiss. Cardinalis nova hæc privilegia in ipso Collegio* Cardinalitio *remanent sub custodia Decani ibidem ad usum Academiæ tutissime servanda, donec idem Reverendiss. aliter de iisdem servandis ordinaret.*

Tertio in loco Decanus supradictus palam explicabat quonam pacto Reverendiss. Cardinalis præter inclytum isthoc quod jam sumptuosissime erigit Cardinalitium *Collegium, jam plures lectiones publicas perpetuis temporibus duraturas una cum Scholis novis pro eisdem lectionibus vel suo sumptu haud vulgariter ædificandis, ut primum commode inchoari & stabiliri poterant, inchoandas & stabiliendas firmissime decrevit.*

Qua sane eximia & plane incomparabili munificentia altius pensitata, pensitatis etiam maximis illius Reverendiss. Patris beneficiis & jam olim sæpius, & hisce diebus quotidie collatis, perspecta insuper benignissima ejusdem benevolentia & præcelsa à Deo data potestate, qua omnibus Academiæ rebus reformatione aut melioratione egentibus vigilantissime prospicit & auxiliatur, cum præter preces nihil acceptius referendum inveniretur, precibus idcirco tanquam grata aliqua vicissitudine, munificentiæ Cardinalitiæ aliqua ex parte respondere cupiens universus convocatorum cætus, sub forma quæ sequitur deditissime tractavit, & ex officiosissima in tantum patronum pietate fœdere sempiterno sancitum fore voluit.

Primo viz. ut singulus quisque ad gradum aliquem in hac Universitate inposterum admittendus seu incorporandus, in sua admissione juramentum præstet corporale, quod quotiens eum solenniter prædicare contigerit infra Universitatis præcinctum, ad Crucem S. Pauli *seu Hospitale B.* Mariæ *extra* **Bishopesgate** Londini, *Reverendiss. in Christo Patrem D.* Thomam

[a] FF. *ep.* 188. 190. *&c.* [b] *In serm. Civ.* Oxon. *& in pix. BB. in tur. Schol.* [c] FF. *ep.* 163. 164. [d] *H.* 155. *b.* [e] *G. fol.* 142. *b.* [f] *Ibid.* [g] *H. fol.* 200. *a.* [h] *Ibid.*

Wolsey

Wolsey *Cardinalem*, Eboracensem *Archiepiscopum*, *nominatim & expresse suis oratoribus commendabit. super hæc æquissimum videbatur, ut idem magnificentissimus Cardinalis, omnium suffragiorum, Orationum, Eleemosynarum, jejuniorum, meditationum, studiorum, prædicationum, peregrinationum, ac omnium aliorum piorum operum per ipsam Academiam aut quemvis ejusdem alumnum fiendorum particeps inperpetuum habeatur.*

Secundo vero, in eadem convocatione determinatum fuit; ut postquam dictus Reverendiss. Pater ab hac luce ad Deum migraverit, mox exequiæ solennes cum missa in crastino pro anima ejusdem, ab omnibus Graduatis, qui exequiis ipsis & missæ à principio ad finem, sub fidelitatis debito interesse tenebuntur, decentiore modo quo poterint absolvantur & celebrentur. Quæque semel in omni anno certo aliquo die, per ipsum Reverendiss. Dominum (si ita placuerit) aut saltem per universitatem assignando, consimili modo fiant in perpetuum. Neque vero inferius in aliquo, sed simili modo, aut certe cultius & celebrius perficerentur, quam pro illustrissimo Duce Humfredo *quotannis fieri solent.*

Quæ certe obsequentiæ aut potius devinctissimæ pietatis officia, omnes uno ore pro meritis & munificentia Cardinalitia, minus digna & longe inferiora senserunt, pro quorum tamen confirmatione ac stabilitate perpetua juxta statutorum exigentiam, congregationem quandam nigram, deinde congregationem omnium facultatum brevi celebrandam decreverunt, ubi viz. præsentes articuli ratificentur & robur sumant per omnes temporis tractus (Christo conferente) duraturum.

De chartâ illa subtexendum duco, Cardinali denuo traditam fuisse, & vel ob præcipitem clarissimi viri ruinam, vel aliam nescio quam causam, in fisco Regio ad annum usque CIↃDLXVI. depositam fuisse, & demum Academiæ redditam.

Cæterum ad dissensiones nostras cum Oppidanis revertor; qui propter chartam hanc amplissimam Universitati indultam frendebant ubique, & de abrogandâ eadem, vel saltem minuendâ, consilia agitabant; quam rem ægre, ut par erat, ferentes Academici, (quos utique haud parum angebat Cives nec regiâ authoritate coeceri velle) querelas apud Optimates quosdam [a] deponebant; atque Oppidanos de gravissimis, & antiquissima Togatorum Privilegia violantibus, injuriis apud Cardinalem criminabantur.

CIↃDXXIX.

Hoc anno, tricesimo autem *Maii* die, pacem inter utrosque, quibus tamen conditionibus non dicam, compositam invenio; quamvis odium haud ita multo post regium incurrente *Wolseio*, & Civibus inde ad spem novam erectis, Academicis vero in luctu & squalore positis, dissiliisse memoretur. Mense nimirum *Januar.* hoc anno, Juramentum solitum, legitime licet per Bedellum admoniti, præstare [b] recusabant Oppidani, quos cùm ad Beatæ *Virginis* aliquandiu expectassent; re infecta, animisque exacerbati discesserunt Academici; tametsi, potentissimo Patrono orbati, in tam gravi injuriâ ulciscendâ minime sategerint, donec (quod anno proximo contigit) Commissarium & Procuratores, Magistrorumque nonnullos Prætorium suum (ubi scilicet *Letam*, ut prædiximus, quotannis olim celebrabat Academia) mense *Maii* ingredi prohiberent Oppidani, qui scilicet hortante Prætore fores advenientibus præclusere. Id sane, ut oportebat, graviter pro piaculo admodum tulimus; quapropter *Gulielmo Pery*, Ballivo sacris per Commissarium [c] interdictum est, quamvis & præsentem sese jussus dederat, & præfatum crimen non aliter quam ex mandato Prætorio admisisse profiteretur. Ballivorum porro alter, *Richardus Gunter*, necnon *Michael Heath*, Prætor Urbanus (è quibus ille per inferiorum forte aliquem, hic vero per *Rich. Wotton* superiorem Theologiæ Bedellum citatus fuerat) comparere coram Commissario detrectantes, Anathemate etiam ab eodem [d] percussi sunt. Censuræ istæ Ecclesiasticæ scriptis dein mandabantur, & Magistro *Roberto Blackmore* è *Novo* Hospitio, Ecclesiæ S. *Ebbæ* (quam nempe Parochiam incoluit *Heathus*) Rectori traditæ sunt, ab illo nimirum, vel Curato ejus Domino *Potrellio*, in proximo Saturni die ibidem promulgandæ; quod cùm fieri occiperet restitisse constat Prætorem, Sententiam vero illam tam in eâ quam prædixi quam in *Omnium Sanctorum* Ecclesiâ, die aliquo dominico propalatam deinceps fuisse.

Ut paucis absolvam, summo brevi dolore correptus est Prætor; atque illum & Privilegiorum multorum, quibus perinde ac sacris arceri necesse erat, amissio, maxime vero mortis æternæ (siquid sibi jam humanitus accideret) metus exercebat, immo dies noctesque stimulabat, usque dum à Commissario & Procuratoribus esflagitârit, ut Anathemate supplicem liberarent. A nexu itaque in Conventuali *Carmelitarum* Ecclesiâ, solutus [e] per Commissarium est, præsentibus *Henrico Morgan* LL. D. (sub id ille Aulæ S. *Edoardi*, in Cœmiterio cognomine sitæ, Principalis, Scholæque juris Civilis in vicinia positæ Moderator erat, tandem vero *Menevensis* Episcopus emersit) & *Johanne Pye*, Aldermanno; at vero id eâ lege factum est ut juramentum corporale præstaret, *de stando Juri & parendo mandatis Ecclesiæ*, atque sic partim, partim etiam intercedentibus viris quibusdam principibus (quos inter *Londinensis* & *Exonienſis* Episcopi [f] recensentur) pax iterum Civibus conciliatur.

An his subjungam, (quam quidem commemorare refugit & reformidat animus) Illustrissimi *Wolsei* cladem, hoc anno, & post paulo mortem non sine inexplicabili *Oxoniensium* damno contingentem. Neq; sane mirum clarissimum rei literariæ Mecænatem tam præcipitem corruisse; quippe ex alto cadentibus rarissime datur consistendi locus, quæque è nubibus turbantur terram ipso casu subire necesse est, & sepulchrum aut invenire aut facere. Sed hæc obiter (neque enim Oratoris nos partes suscepimus) de inclyto illo Academiæ nostræ Patrono dixisse sat est, cujus egregia facinora fatigando vel exercitatissimi cujusque Scriptoris stylo sufficiunt. Ea unice addam quæ in Decreto [g] quodam Universitatis, edito in Magnâ Convocatione, anno ultimo *Wolsei*, vicesimo autem septimo *Decembris*, de eodem in Album Benefactorum referendo, celebratâ occurrunt; ibidem vero tria ejus præcipua Beneficia, in Academicam collata, his verbis commemorantur:

Primum (inquiunt Togati) *magnificum & sempiternis dignum præconiis ab omnibus judicabatur be-*

[a] FF. *fol.* 91. 92. 93. 94. 95. *&c.* [b] *H. fol.* 222. *b.* [c] *Ibid. fol.* 335. *b.* [d] *Ibid. fol.* 354. *b.* 355. *b.* [e] *Ibid.* 336. *a.* [f] FF. *ep.* 191. 192. *&c.* [g] *In* FF. *fol.* 89.

neficium, quod dictus Reverendiss. Cardinalis ex mera sua benignitate, nova quædam atque ampliſſima privilegia ab illuſtriſſimo Rege noſtro Henrico VIII. *obtinuerit, & nuper ad Academiam per honorandum virum Doctorem* Hygden, *Collegii ejuſdem honoratiſſimi Cardinalis Decanum, tranſmiſit. Quæ certè privilegia, non ſolum veteribus quibuſcunque abſolutiora; ſed & multo eſſe majora ac ampliora conſtabat quam ipſa Academia vel votis optare auſa: unde & hujus collati muneris facultate, tum tranquillitati ſtudentium, tum univerſo Reip. ſtatui pleniſſimè acmunificentiſſime conſultum omnes una voce aſſereurunt.*

Secundum exuberantiſſimæ iſtius magnificentiæ monumentum, de quo præfati Doctores & Magiſtri mentionem fieri mandabant, præclariſſimum hoc novum eſt quod Cardinalitium *Collegium nuncupatur à dicto Reverendo Cardinali fundatum & jam inſigniter & pro bona parte exſtructum: cujus ſtructura mirifica, quantum* Oxoniam *illuſtrat, quantumque aliquando, quando Chriſti auſpiciis univerſum opus abſolvetur, illuſtrabit, facile verbis explicari non poteſt. Incredibili etenim pulchritudine præpollet, & artificioſa efformatione & expolitione nulla prorſus caret, amplitudine & ſublimitate admirabiliter ſeſe ac præstellentiſſimam oſtendit, oſtendit nimirum vel nunc pulcherrimam ac præcellentiſſimam eſſe cum adhuc tamen nec cæpti operis dimidium exædificetur, nec quæ elegantior futura eſt portio niſi in jactis fundamentis magnopere attingatur. Verum enim vero ubi ingentem numerum Scholaſticorum qui aut in hoc inclyto Collegio enutriuntur ac tandem enutrientur conſpiciat quiſpiam, ubi etiam quam Scholaſticis ipſis largiſluè de omnibus quæ ad eorum victum ac ſtudium pertineant provideatur altius in animo perpendat,* Cardinalitium *certe Collegium non tam* Oxonienſi *Gymnaſio honorificum quam multis modis frugiferum ac maxime opportunum fatebitur. Neque id præciſe de* Oxonio *affirmabit, verum etiam de toto* Britannico *Regno deque ipſa reliqua Chriſtiana religione, quibus celeberrimum iſthoc contubernium ſplendori commodoque haudquaquam vulgari fuerit, utpote eiſdem quàm plurimos in doctrina ſana eruditos indies fæcundiſſimè paraturum.*

Tertium vero ipſius in Academiam pientiſſimæ prudentiæ teſtimonium ſanctiſſimum quoddam inſtitutum tangit, quo Reverendiſſ. Cardinalis Oxonienſi *huic literariæ Reip. optimè & munificentiſſimè proſpiciet. Complures namque lectiones publicas quibus & Scholas novas coaptare proponit apud nos propediem inchoandas decrevit, quarum Profeſſoribus qui ſemper iſthæc profitendi munera obeant doctiſſimi & facundiſſimi Viri magnifica imprimis ac largiſſima conſtituit quotannis perſolvenda ſalaria, per hujus itaque auſpicatiſſimi beneficii inſtitutionem ſtudioſis literarum culioribus conſulturum eſſe Cardinalitiam majeſtatem nemo prorſus ambiget, qui ſaltem non ignorat auditum ipſum præcipuum eſſe diſciplinæ ſenſum, quique vivæ docentis voci ſubeſſe non neſcit latentem quandam energiam diſciplinæ capeſſendæ ſummopore conducentem. Neque illud profecto quod ex dicto inſtituto etiam ſequetur vel toti huic regno non vulgari commoditati fuerit, nempe quod* Britanni *deinceps occaſionem regiones exteras diſciplinæ gratia petendi omnino non habeant, adeo enim exornatam indies reddit Reverendiſſimus Cardinalis* Oxoniam, *adeoque aliquando (Chriſto conferente) præſtabit in omni diſciplinarum genere florentem, ut una quidem inſtar omnium cuncta affatim ſuppeditare valeat. Singulari igitur iſthæc & plane incomparabili Reverendiſſ. Cardinalis in Academiam benignitate altius in animo penſitata,* & quæ ſequuntur. Tum decernitur, ut unus quiſque ad gradum aliquem in hac Univerſitate deinceps admittendus ſeu incorporandus, in ſua admiſſione, juramentum præſtet corporale, &c. nimirum de illo Domino Cardinali in ſuis ſolennibus concionibus nominando, &c. quod particeps ſit omnium ſuffragiorum, &c. tum decernitur porro de ipſius exequiis, &c. poſtremo quod hoc decretum inſeratur communi Regiſtro Univerſitatis nec non libris Procuratorum. Cui mandato per Actuarium Academicum die & anno ſupradictis ſatisfactum eſt.

CIↃDXXX.

Quod in *Cæſaris* invidiam Regi ſuaſiſſet *Wolſeius* (ut *Catharinam* utique fratris olim *Arthuri* conjugem repudiando inceſtu ſe turpiſſimo liberaret) id ſibi in perniciem, & Cœnobiis *Anglicanis* in ruinam vertebat. Etenim cùm dimiſſâ *Catharinâ Annam Bolleyn*, fœminam illuſtrem & *Lutheranorum* partibus faventem, ducturum præſentiret *Henricum VIII.* Repudium, cujus ipſe Author fuerat, occulte morabatur; quod cum Regi innoteſceret, tanquam ingratum ac rebellem è conſpectu ſuo ſtatim arcebat, ad interitum jam inde deſtinatum. Hæc haud ita multo poſt excepit Pontificis (qui & ob cauſam prædictam, & præſertim ob *Cæſaris*, à quo nuper vapularat, metum, de repudiandâ *Catharinâ* aſſenſum minime præberet) non quidem exterminium, è ſuprematu tamen Eccleſiaſtico exturbatio, quam paucis poſt annis ſubſecuta eſt Monaſteriorum in *Angliâ* everſio. Facta hæc *Henrici* notare inſtituti non eſt noſtri, quamvis nec deſint audaces Principum cenſores, qui alterum libidini, vindictæ alterum tribuerint, quique conſtanter aſſerant, venerem illum & ſacrilegium non Pietatem cogitaſſe, cùm illicitas faces, flammis in Cœnobia injectis expiaret. Sed ad rem ipſam redeo. De Repudio illo & in Conſiſtorio *Romano*, & in Academiis paſſim, exteris agitatæ ſunt quæſtiones, in quibus ſane diſceptandis Pontificis, poteſtatem ſibi ſacris Scripturis ſuperiorem nefarie arrogantis, cauſa vacillabat. Nequiſſimus ſane, *Petro*que indignus ſucceſſor, qui ut commodis ſuis uelificaretur Regem concubitu illicito polluendum ulterius pronuntiabat; quare dignas pependiſſe pœnas arbitremur, quod ab Eccleſiæ *Anglicanæ* quam per ſecula conſtupraverat conſuetudine depelleretur. Cæterum ne moras trahamus, ſententias de Repudio ſuas quales optarat *Henricus* peregrinæ tranſmiſerunt Univerſitates; quare mirari ſubit quânam fiduciâ nixi, præſertim ruente jam *Wolſeio*, intervenientibus quoque mandatis miniſque Regiis, reclamârint haud ſemel *Oxonienſes*, unde in ſummum diſcrimen adducta, cùmque Cœnobiis peritura videbatur Academia, niſi æternitati eſſet conſecrata. Rem autem ipſam prout geſta eſt exponendam duco. Archiepiſcopus itaque *Cantuarienſis*, Univerſitatis illius Cancellarius ubi primum reſcivit ſtatuiſſe Regem Quæſtionem, Conjugium ſupra dictum tangentem, Academiæ proponere, rem nobis

nobis omnem per [a] literas aperuit, Quæstione porro sic se habente transmissâ:

An divino & naturali jure sit prohibitum ne frater uxorem fratris, etiam mortui, ducat Uxorem.

Academicis traditæ sunt literæ Archiepiscopales duodecimo *Februarii* præcedentis anni, absolutis vero inde hebdomadis tribus *Oxoniam* cum Mandatis Regiis pervenit Episcopus *Lincolniensis*, qui prolatis literis [b] ostendit velle *Henricum* quatenus *Oxonienses* sui cum Academiis exteris sentirent intelligere; ne dogmatis autem male sanis pertinaciter adhæreant, aut rumores vanos & incertos aucuparentur monere. Voluntate regiâ hunc in modum explicatâ celebratur solennis Academicorum Conventus, ubi in partes statim transitum est, Doctores enim pleriq; tum præmiorum spe tum pœnarum metu ducti, in sententiam *Henrico* arrisuram concedebant, cæterum animis præfracti Togatorum Juniores ut cum illis sentirent adduci nullâ ratione potuerunt. Sic re infectâ solvitur Convocatio; quod cum Regi innotesceret, [c] literas propediem huc transmisit, quas amanuensis alicujus operâ haudquaquam interpositâ ipsum scripsisse *Henricum* facile intelligas, (animum enim præferocem & repulsæ impatientissimum spirant) ad Commissarium Academicum, & Theologiæ Doctores ac Baccalaureos, omissis Regentibus inscriptæ. His ille quam molestè ferat Regentium & Artistarum audaciam explicat, quos quidem illos nondum annos attigisse refert qui prudentiam tam gravibus negotiis parem adferunt; quapropter ut Juniores isti sanioribus consiliis imbuerentur, & ad Doctorum sese exemplum componerent, præcepit; quod si in pervicaciâ suâ hærere, & supremum Regni Magistratum Magisterio suo impugnare statuerent, fore brevi asseruit ut probe intelligant, *non esse bonum irritare Crabrones.*

Eadem tempestate Doctorem *Johannem Bell*, & post paulo Episcopum *Lincolniensem* (quorum maxime consilio in rebus Repudium illud tangentibus utebatur *Henricus*) *Oxoniam* [d] amandavit, rem omnem Academicorum junioribus melius explicaturos, utque errorem suum emendarent hortaturos; quod cum frustra etiam aliquandiu feciissent, Universitatem ad sententiam suam maturè transmittendam per [e] literas incitavit Cancellarius, maxime vero quoniam epistolis regiis responsum jam ab Academiis *Parisiensi* & *Cantabrigiensi* esset. Sin id quo minus fieret dissidentes inter se, & factionem foventes, Togati prohiberent, ut rem omnem triginta quibusdam Academicis, communibus totius convocationis suffragiis nominatis, permitterent suadebat. Sed hæc ejus consilia in cassum cecidere, moraſque nihilo secius nectebant *Oxonienses*, quos propterea gravissime post paulo corripuit *Henricus*, quod in sententiâ suâ referendâ tempus adeo tererent illi; cùm tamen ante plures jam dies Quæstionem publico sigillo munitam, atque his verbis affirmatam, detulissent *Cantabrigienses*:

Prohibitum est divino & naturali jure ne frater Uxorem fratris etiam mortui sine liberis, ducat Uxorem.

Addidit autem rex, statuisse se collectam reprimere iram, quoad usque penitiorem rei notitiam adipisceretur, cujus gratiâ Magistrum *Edoardum Fox Oxoniam* legarat, ne prudentum & præfectorum consilia temerariis juniorum calculis opprimerentur, neve suffragiorum multitudo ponderi præferretur, operam daturum; atque eâ ratione cladem omnem & calamitatem ab Universitate aversurum. Cæterum irrita non minus jam fuit *Foxii* gravitas quam *Belli* haud ita pridem eloquentia fuisset, Artistis, maxime autem Regentibus, obnixe adeo reclamantibus, ut res ad seditionem apertam spectaret, quo tempore intervenerunt Cancellarii Academici [f] literæ, quibus Artistæ quos dixi Convocatione in præsentia submoventur, tanquam indigni qui de responso Majestati reddendo consulerentur; quod quidem absque potestate aliquâ aut exemplo, (quippe ea etiam tempestate statuta vigebant, ex quibus irritum esset quicquid dissentiente Artium facultate decerneretur) atque prorsus extrà ordinem, ob imminentem exigentiam, nequid detrimenti caperet Universitas, factum comparet. Porro autem Theologiæ Doctoribus & Baccalaureis, vel certo eorundem numero, præcepit Cancellarius, ut id negotii reliquorum Academicorum nomine expedirent, & ad exitum perducerent; qui proinde arreptâ post paucos dies conveniendi occasione, Quæstioni his [g] verbis decisæ sigillum Academicum apposuere:

Omnibus Xti fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit. Nos Universitas Doctorum & Magistrorum tam Regentium quam non Regentium omnium & singularum facultatum almæ Universitatis Oxon *salutem in eo qui est vera salus, Professionis nostræ debitum pariter & Christianæ Caritatis officium illud à nobis efflagitat, ut parati ac faciles semper simus de nostræ cognitionis luce aliis libenter impartiri & satisfacere omni poscenti de ea quæ in nobis est fide doctrina & scientia. Cum igitur nos sæpius rogati & requisiti sumus, ut an nobis jure divino pariter ac naturali prohibitum videretur, ne quis Christianus relictam fratris sui morientis sine liberis duceret Uxorem, nostram sententiam explicaremus; quoniam examinatis & discussis cum omni fide, diligentia & sinceritate sacræ Scripturæ locis & Sanctorum Patrum sententiis ac interpretationibus quæ ad eruendam in hac quæstione veritatem facere & pertinere judicavimus, tum etiam auditâ gravissimorum & eruditissimorum Doctorum & Baccalaureorum sacræ Theologiæ, quibus illud negotii demandatum est, opinione & sententia super dicta quæstione post multas frequentes & publicas disputationes ab illis pronuntiata & declarata, invenimus & indicavimus illa longe probabiliora, validiora, veriora & certiora esse, tum etiam genuinum & sincerum sacræ Scripturæ sensum præferentia, & interpretum denique sententiis magis consona, quæ confirmant & probant jure divino pariter & naturali prohibitum esse Christianis, ne quis frater relictam germani fratris morientis sine liberis & ab eadem carnaliter cognitam accipiat in uxorem. Nos igitur Universitatas* Oxonienſis *antedicta ad quæstionem prædictam ita respondendum decrevimus, & in his scriptis ex totius Universitatis sententia respondemus, ac pro conclusione nobis solidissimis rationibus & validissimis argumentis comprobata affirmamus, quod ducere uxorem fratris mortui sine liberis cognitam à priore viro per carnalem copulam nobis Christianis est de jure divino pariter ac naturali prohibitum. Atque in fidem & testimonium hujusmodi nostræ responsionis & affirmationis, his literis sigillum nostrum curavimus apponi. Datum in Congregatione nostræ* Oxoniæ *die octavo Aprilis anno CIↃDXXX,*

[a] *In FF. ut supra ep.* 187. [b] *Ibid. ep.* 193. [c] *Ib. ep.* 194. [d] *Ibid. ep.* 196. [e] *Ibid. ep.* 197. [f] *Ibid.* [g] *In tur. Schol. inter collect. B. T.*

Hanc

Hanc autem *Oxonienſium* determinationem, quam vocant, Regi detulit Commiſſarius Academicus, quem & Togatorum nounnlli comitabantur; *Henricum* vero haud modica inceſſit lætitia, utpote qui cauſam ſuam celeberrimæ Univerſitatis ſuffragio corroboratam abunde intelligeret, cui propterea propenſiorem ſeſe in poſterum [a] ſpondebat. Atqui pauca duco ſubnectenda, Repudium hoc regium, & Academiæ noſtræ pertinaciam tangentia.

I. Primo itaque nemo non videt libera ea in re requiſita ſuffragia, ſed formulæ propoſitæ mancipatum aſſenſum extortum fuiſſe: verum Academicis noſtris ſolenne ſemper fuit terroribus minimè cedere de ſententiâ, nec minis dimoveri.

II. Quicquid in gratiam regis excluſis magiſtris gerebatur, id in ſe irritum prorſus fuit, ſi jura Academiæ ſpectentur. Univerſitas enim noſtra, quod ſæpius monuimus, in Artibus fundata.

III. Suſpicio eſt periclitanti hac in re Authoritati papali ſubveniendum arbitratos Commiſſarium & Collegiorum Præſides, Regentes ut in aſſenſu ſuo negando perſiſterent occulte animaſſe; regiæ nimirum voluntati contranitendum ſibi aperte nequaquam exiſtimantes, ne tum opum & dignitatum ſpe deciderent, tum ulterioris fortean pœnæ periculum adirent.

IV. Utriuſque Academiæ, necnon Cleri *Anglicani* (cujus per hæc tempora ſynodus ſive Convocatio ſolennis habebatur) Procuratores, ut quod *Henrico* cordi eſſet decerneretur ſatagebant; & propter alios in eaſdem partes pertractos præmia reportabant.

V. Repudium illud pro Suggeſto etiam impugnabant Academici nonnulli eruditione & pietate clari; famam Univerſitatis in clandeſtino Togatorum purpuratorum conventu laborare profitentes.

VI. Divortium quidem licet apertè probabant, acriterque tuebantur, Commiſſarius & plerique Collegiorum præfecti, non deerant tamen Doctores qui audacter reclamarent, & contrariam ſententiam Scriptis etiam adſtruerent; quorum de numero [b] (præter *Baynum* quendam) erant *Thomas Kirkham*, ex Ordine Minorum, *Johannes Roper*, Dominæ *Margaretæ* mox ante Profeſſor, *Johannes Holyman*, antedictus, & *Johannes Moreman* è Collegio *Exonienſi*; de quibus nonnulla memoratu digna ſubjungi poſſint; ſed à propoſito noſtro aliena, præſertim cùm ad alia feſtinandum ſit, referre non vacat.

VII. Denique, fruſtra ſane & pœnas academicis interminatus fuiſſet *Henricus*, (tametſi aliquos Pontifici áddictos clam ſe propterea ſubduxiſſe fatendum) niſi nocte intempeſtâ Conventum quem Simile-primo nuncupamus quaſi per latrocinium habuiſſet Commiſſarius, & prolato clanculum Sigillo publico literas quas præfati ſumus firmaſſet: quem cum ſuis in cœtum hunc nocturnum coiturum animadvertens Regentium alter (is è Collegio *Balliolenſi*, & nomine *Henricus* Rex, fuiſſe dicitur, unde adinventam ex joco fabulam crediderim) iiſdem ſe quam citiſſime adjunxit, atque Braccis loco Capucii collo circundatis, facto obſiſtebat, ex eorum ſe numero palam profeſſus qui Commiſſario ſigilli Academici, contra fas & Academiæ jura ſcripto ſubditicio apponendi, uſu interdicerent.

His ita peractis, Rex [c] literas *Edoardo Leighton*, S. Theol. Baccalaureo, poſtremo ſequentis *Julii* dedit, ad Academiam ferendas, de *Wicliffianæ* nimirum doctrinæ capitibus explorandis, ſibique una cum ſententiæ academicæ confirmatione *Conſtantienſi* tranſmittendis. Celebratur [d] proinde ſecundo *Auguſti* die in Choro Eccleſiæ B. *Virginis* frequens Academicorum ſenatus, lectiſque ibidem literis regiis, prædicti viri dogmata *Martino Lyndſey*, Pro-Commiſſario, *Leonardo Hutchinſon* S. T. & *Johanni London* ac *Henrico Morgan* LL. Profeſſoribus, exploranda demandantur. Hi codices noſtros antiquos evolvebant, deque negotio illo ad Convocationem eandem (prorogata enim vel potius continuata ad nonum prædicti Menſis comparet) referebant, cujus juſſu confectum [e] Inſtrumentum, & ſigillo publico ſignatum ad Regem tranſmiſſum eſt; in quo XLV. *Wicliffii* Articuli, *Londini* anno Dom. CIↃDX. ab epiſcopis XIII. & Doctoribus XXX. damnati perhibentur; eodemque anno Capita Viri LXI. *Oxoniæ* in plenâ Regentium & non Regentium Convocatione, inque feſto ſpeciatim Sanctorum *Johannis* & *Pauli*, anathemate ſimiliter percuſſa referuntur. Id inquam Inſtrumenti, cum Confirmationis *Conſtantienſis* [f] apographo *Henrico* traditum eſt, qui quamvis obſequii & induſtriæ Academicæ merita gratus agnoſceret, doctrinæ tamen *Wicliffianæ* fundamina expendens, eidem quodammodo aſſenſiſſe, maxime vero approbaſſe illam de dominatu Papali authoritate nulla ſubnixo, deque eodem (qui ſibi repudium ab uxore denegavit) propediem profligando cogitaſſe fertur.

Sub hæc Teſtamenti ſupremi *Gulielmi Tracy* de **Todyngton**, in Comitatu *Gloceſtrenſi* Armigeri, partem *Oxoniam* tranſmiſit [g] Archiepiſcopus *Cantuarienſis* (qnem utique in Cancellariatu jam verſatum prædiximus) à Convocatione noſtrâ ſedulo excutiendam; quam ſcilicet hæreticæ pravitatis ſuſpectam habuit, dum una cum reliquis Viri mandatis in Curiâ ſuâ de more probaretur. Quapropter inſtitutâ de eâdem quæſtione, tanquam à Catholicâ fide aliena continentem cenſurâ graviſſimâ notabant Academici; in quam ſententiam ante alios venientes Theologi ſigillo publico XXVIII. *Januarii* die corroborandam curabant. An de mortuo addam, cadaver ejus decurſo poſtea biennio ſepulchro erutum, & tanquam Hæretici reliquias flammis fuiſſe adjudicatum.

CIↃDXXXI.

Hic annus teterrimo inter Procuratorum alterum, & Abbatis *Oſneienſis* famulos [h] conflictu infamis eſt, quem tamen à propoſito noſtro minime abludentem attexere non pigebit. Vigilias de more agebat, atque omnem Urbis partem luſtrabat Procurator, Parochiam vero S. *Thomæ* Martyri dicatam ingreſſus in Abbatis quem dixi quoſdam famulos, quæ minime oporteret patrantes, rixaſq; ac turbas moventes incidit; qui neque juſſi diſceſſerunt, neque à maledictis & injuriis ipſi Procuratori inferendis temperabant. Is proinde, ut par erat, eorum aliquos in cuſtodiam duci mandavit, cæterum ſocios reliqui armis quoque defendebant, cùmque Academicis inferiores ſeſe animadverterent, crebris vulneribus debilitati, ad Cœnobium ſuum confugiebant.

Perceptis querelis Procuratoriis, diem *Johanni Bartono*, Abbati, edixit Commiſſarius, quo ad Eccleſiam B. *Virginis* apud **Rewley** in ſuburbiis Oxon. compareret, aut quos diximus malemeritos ad ſupplicium dediturus, aut eorum flagitia in ſe recepturus; qui ſane tempore locoque præſtitutis præſen-

[a] *Ib. in* FF. *ep.* 198. [b] N. Harpesfeild *in tract. ſuo de Matrimonio*, *MS.* [c] *In FF. ut ſupra ep.* 202. [d] *Ib. fol.* 109. *b.* [e] *Ibid. b.* [f] *Ib. fol.* 114. *b.* [g] *Ibid. fol.* 119. *& ſeq.* [h] *R. fol.* 359. *a.* 360. *& alibi.*

ten

tem se sistebat, famulos autem suos accersere recusabat, immo pœnis ab Academiâ irrogandis eximendos asseruit, quod Cœnobium suum extra ditionis Academicæ limites poneretur. Responso tam inepto nequaquam contenti Commissarius atque seniores quidam Academici, denuò monent ut maleficos protraheret, & arbitrio suo stare juberet; atque id facere detrectantem contumaciæ reum pronuntiant. Denique autem (neque enim amplius quicquam hac de re occurrit) maleficorum nonnullos armis spoliatos, habitoque coram Commissario examine carceri mancipatos invenio; quos inter *Gulielmus Forster* & *Gul. Feyner* deprehenduntur, quod argumento quidem satis firmo esse videtur, potestatem his temporibus in prædictâ Parochiâ, hoc est infra Jurisdictionis *Osneiensis* terminos, exercuisse Academiam; licet satis acres in prægressis seculis motas eâ de re controversias repererim.

CIↃDXXXII.

Litibus iis graviores longe, inter Universitatem ac Urbem, de privilegiis variis & Libertatibus coortæ, successerunt; quibus ad Regem *Henricum* perlatis, utrique [a] mandatur ut jura sua omnia in manus regias traderent. Habito itaque in eam rem, tertio Mensis *Januarii*, Conventu Academico, in magnâ convocatione decretum [b] est, consensu majoris partis tam Regentium, quam non Regentium, *ut duo scripta submissionis sive sursum reddítionis sigillarentur, Alterum, in quo universa privilegia, tam regalia quam Episcopalia sursum redderentur in manus Regis* Henrici VIII. *Alterum in quo solum Regalia privilegia sursum redderentur; quod duntaxat (si id fieri posset) in manus ipsius Regis sursum darentur, quem in modum Burgenses* Oxoniæ, *sua privilegia sursum redderent. Porro eisdem placuit, ut omnia privilegia eis ab* Angliæ *Regibus olim concessa, per suos nuntios, ad regiam Majestatem transmitterentur, illis domi relictis quæ ab Episcopis & Papis sunt indulta.* Sic in præsentiâ ordinatum, atqui mutatâ dein sententiâ Diplomata quoque Papalia dedidisse nos opinor, quos utique ipsam Regi Universitatem permisisse proditum est.

Sub idem tempus & pleraque sua Diplomata (non autem omnia, prout è querelis super eâ re frequentibus constat) transmisere Oppidani, una cum [c] Syngrapho quo Regio judicio stare adstringerentur. Lite hunc in modum pendente, siqua juris Academici munera vacare contingeret, ab *Henrico* erant impertienda, à quo Bedellorum speciatim alter cooptatus memoratur; is vero [d] querimonias ultro citroque jactatas perpendens; vetera omnia Universitatis Privilegia rata pronuntiavit, subditisque omnibus, maxime autem Prætori ac Civibus *Oxonienſibus*, ne quodvis eorum violarent edixit. Aliquanto post confirmatæ sunt & libertates urbanæ, quod ex Oppidanorum sententiâ factum non existimo, cùm dissidia post paulo inter utrumque municipium prorumpentia occurrant, quorum plenam contexere Historiam institúti non est nostri: prætermittendum tamen non duco, chartam nostram plures ob causas (eorum altera erat quod Rex visitandam per delegatos suos Universitatem decreverat) revocatam deinceps, neque ante annum, velut in eo perdiscas, CIↃDXLIII. redditam fuisse.

CIↃDXXXIII.

Omisso quam magnifice ac liberaliter Regem *Henricum* superiori anno exceperant *Oxonienses*, ad alia descendam. Hac tempestate *Cantabrigiam* profecti sunt Academici nostri duo, è Collegio *Omnium Animarum*, quibus *Georg. Throgmorton* & *Joh. Ashwell* nomina erant; atque Scholas publicas ingressus eorum primo dictus (Juri hic Civili studuisse fertur) ad disputationem de quæstionibus istis habendam *Cantabrigienses* quoscunque provocavit:

An { *Jus Civile sit præstantius* Medicinâ. / *Mulier morti condemnata & bis suspensa, ruptis laqueis, tertio suspendi debeat.*

Congressi cum *Throgmortono* perhibentur *Cantabrigienses* quinque, viz. *Johannes Redman* & *Nicolaus Ridley*, Artium Magistri, *Johannes Rokesby* & *Elizeus Price*, Hospitii S. *Nicolai* incolæ, Jurisque Baccalaurei, & *Griffithus Tregarne* totius Juris Promus condus, & ipsæ Pandectæ per hæc tempora e habitus, Hospitii S. *Clementis* Alumnus. At vero argumentis eorum omnibus tam caute respondit, tantâ fallacias arte aperuit *Oxonienses*, ut auditoribus plerisque victoriam visus fuerit reportasse.

Nescius equidem non sum rem istam aliter longe, & quod ubique solet, in Academicorum suorum gloriam, nostrorum vero infamiam, (quanquam & utra pars vicerit susque deque habendum arbitror) tradidisse *Londinensem*; qui *Throgmortonum*, tanquam Antagonistarum rationibus obrutum, responsisve suis irretitum, turpiter demum obmutuisse perhibet; idque attonitum adeo habuisse *Ashwellum*, (cui scilicet de secundâ quæstione disputare incubuit) ut formidolosæ suæ insciticæ subitam prætexeret valetudinem; denique egregium illud Alumnorum suorum facinus Annalibus publicis inferendum curasse Universitatem.

At sane, quam semper à vero abhorret *Londinenses*! *Cantabrigiam* quidem concessere Academici bini nostrates; quorum alteri propositum erat disputationem gloriæ causâ sustinere, alter Baccalaureus tantum in Artibus erat, sociumque se itineris vel propter consuetudinem quam cum prædicto habuit, vel laxandi animi gratiâ, adjunxit: quod si Magistris duobus, *Roberto Banks*, & *Thomæ Bernard*, *Cantabrigiâ* huc dein migrantibus, ac in Ædem *Christi* (cujus Canonici deinde fuerunt) receptis, fidem adhibueris; ita se gessisse *Throgmortonum* fatebere, ut victoriam fuerit consecutus. Sed neque mirum quod ægritudine repentinâ corriperetur *Ashwellus*, cum in frequentiori hominum cætu nihil illâ familiarius, pestisque nondum esset immunis *Cantabrigia*, quæ anno prægresso Academicos haud paucos (ut fertur) è medio sustulit, plerosque autem omnes dissipavit. Hæc eadem asserit *Thomas Caius Oxoniensis*, qui contra *Londinenses* primam [f] de antiquitate Academiæ *Cantabrigienses* editionem, librum conscripsit, Typisque mandasset nisi festino nimis fato ereptus fuisset; is vero & *Throgmortoni* æqualis & *Ashwelli* erat Contubernalis, sibi autem prout

[a] *In quodam vol. de Acad.* Oxonienſis *chartis & privilegiis in bib.* Cotton *sub.* Faustina *C.* 7. [b] *FF. fol.* 122. *b.* [c] *In scrin. Civ.* Oxon. [d] *In pix. BB. ut sup.* [e] *Vide* Caium *in lib.* 1. *de Antiq.* Cantab *p.* 19. 20. & Fullerum *in Hist.* Cantab. *sect.* 6. *p.* 105. [f] *Edit.* Lond. *an.* 1568. *in* 8°.

res gesta erat non tantum prædictum utrumque, sed & Magistros paulo ante memoratos, retulisse frequenter perhibet; quibus certe potius quam *Londinensi* credendum nemo dubitet, utpote & pluribus, & veri facile amantioribus. Cæterum *Cantabrigienses* hunc in modum haud unicus lacessivit *Throgmortonus*, quippe anno CIↃCDLXX. omnes Academiæ ejus Regentes in arenam Philosophicam evocavit *Johannes Argentine*, prout Anriquarius a noster à *Gulielmo Worcestrensi* retulit; quod licet *Cantabrigiæ* præstitum asserat b *Fullerus* (unde nimirum *Cantabrigiensem* fuisse colligit *Argentinum*) alibi tamen apud *Worcestrensem* quem dixi liquet disputationes illas in Academiâ nostrâ habitas fuisse; atque ipsum quod attinet *Argentinum*, is ex Ordine Minorum frater (testante Registro c publico) erat, & *Henrici VI.* temporibus, ut ad lectionem Sententiarum admitteretur, nobiscum supplicavit.

Verum utcunque fuerit, indubium est certamina hæc literaria Togatis nostris felicius multò cessisse quam *Cantabrigiensibus* quibusdam, quorum historiolam nescio an fabulam, (nugatoria enim si non & ficta videtur) proinde subtexam, quod inter Viri cujusdam inclyti ludicra memoratam ante annos septuaginta reperio. *Cantabrigienses*, ut prædixi, nonnullos incessit olim cupido quantum in velitationibus Scholasticis præstare possent *Oxonienses* experiendi, quibus huc propterea iter arripientibus, res omnis *Rog. Bacono* nostro innotuit. Is culmi instratorem vestitu habituque ementitus domum aliquam, in Parochiâ puta S. *Clementis*, conscendit, atque eandem stramine tantisper tegebat donec adesse intelligeret Antagonistas, tum autem quasi aliquid ad operas suas necessarium petiturus obviam iisdem fiebat, quorum alter studio ardentissimo flagrans eruditionem, si Diis placet, suam propalandi, his *Baconum* verbis alloquitur; *Rustice quid quæris?* Quibus ille, nullâ interpositâ morâ, *ut mecum versificeris*; priore perculso subjecit statim *Cantabrigiensium* alter, *versificator tu?* cui confestim *Baconus*, *melior non solis ab ortu.* Hinc summa *Cantabrigienses* admiratio cœpit, qui animis conturbati, neque cum Togatis nostris (apud quos utique tam doctos deprehenderent mechanicarum quoque artium infimas exercentes) congredi sustinentes ad suos extemplo remearunt.

At vero de his satis superque; ad hujusce jam anni gesta revertor, quæ quidem ejusmodi fuisse constat.

1- Coortâ nobiscum perniciosâ lue proposita est d dispensatio de Comitiis Academicis apud fratres *Augustinenses*, sive *Prædicatores*, vel in Scholâ Theologicâ celebrandis, Congregationibus interea in Aulâ Divæ *Frideswydæ* habitis.

11. Sexto mensis *Decembris* à commercio cum Scholaribus & Privilegiatis e arcentur *Johannes Pye*, Prætor urbanus, *Johannes Austen* & *Michael Heath* Aldermanni, præter Burgenses viginti, quos nominatim recensere nequaquam attinet, & quorum porro crimina si enarrarem nimius forte essem, & tædium Lectori facerem. Omnino autem liquet gravissimis nos ab Oppidanis lacessitos injuriis per hæc tempora, cum decretoriis armis uti cogeremur, & invicta illa Discommunicationis (quam vocamus) tela vibrare.

CIↃDXXXIV.

Sciendum quod anno CIↃDXXX. in solenni Episcoporum reliquique Cleri Convocatione obtinuerat *Henricus VIII.* ut Ecclesiæ *Anglicanæ* caput ac supremus moderator proximus post Deum agnosceretur; absoluto itaque dein triennio jus illud cum Privilegiis omnibus ac Prærogativis eòdem spectantibus, sibi ac hæredibus suis, legitimisque successoribus, ex publico Ordinum Regni edicto, confirmatum habuit. Rex porro in Convocatione anno CIↃDXXXII. celebratâ à Clero exegerat, ut fidem in verbo Sacerdotii darent, de Conventibus Synodicis, nisi jussu scriptisque regiis citati essent, nequaquam agendis, deque Constitutionibus nullis, sive Synodicis sive Provincialibus, faciendis aut executioni mandandis, in quas ipse non consentiret, & apposito magno *Angliæ* sigillo ratas haberet; qui & Legem deinceps cum Parliamento suo promulgavit, qua Clerus ad promissa hæc præstanda adstringeretur. Decretum submissionis Cleri illud Senatus consultum appellatur, inque compendio f *Poultoniano* ab *Henrico* etiam cognominatur, cujus hæc erat summa, nequam legem in Convocatione sua scisceret Clerus aut inconsulto Rege aut refragante.

His, prout habes dictum, præmissis, tempus jam postulare videbatur ut ad exigendum penitus, & ex *Anglià* turbandum, dominatum Pontificium sese accingeret *Henricus*; qui missis propterea ad viros pietate ac eruditione insignes, in Monasteriis clarioribus alibique degentes, literis, quid eâ quisque de re sentiret, patefacere mandavit. Dantur præterea & ad Academiam *Oxonienſem*, (quam utique summo semper in pretio habuere, superque rebus arduis consuluere Principes) tabellæ g regiæ, quibus perceptis cogitur frequens h Togatorum Senatus, à quo decretum est ut ad quæstionem transmissam (*utrum* scilicet *Episcopus Romanus habeat majorem aliquam jurisdictionem sibi à Deo collatam in sacra Scriptura in hoc regno* Angliæ *quam alius quivis externus Episcopus*) eventilandam penitusque determinandam Theologi triginta, Doctores ac Baccalaurei, designarentur, qui re disceptatâ suffragiis agerent, sententiamque â majori suorum parte probatam sigillo publico muniendam Regique mittendam deposcerent. His ita ordinatis convenere in unum delegati, & argumentis utrinque perpensis, Instrumentum i denique in hæc verba confecere:

Universis S. Matris Ecclesiæ filiis, &c. Johannes *promissione Dei* Lincolnienſis *Episcopus*, *almæ Universitatis* Oxon *Cancellarius necnon universus Doctorum ac Magistrorum Regentium & non Regentium in eadem cœtus salutem in auctore salutis. Quum illustrissimus simul ac potentissimus* Princeps *& Dominus noster* Henricus VIII. *Dei gratia* Angliæ *&* Franciæ *Rex*, Fidei *defensor & Dominus* Hiberniæ, *assiduis petitionibus & querelis subditorum suorum in summo suo parliamento quibusdam habitis, super potestatem & jurisdictionem Romani Episcopi, variisque urgentibus causis contra eundem Episcopum tunc ibidem expositis & declaratis, aditus atque rogatus fuerit*

a Twynus, *in Apol. lib.* 3. *sect.* 233. b *In Hist.* Cantab *sect.* 4. *p.* 64. c *Aa. fol.* 36. d *H. fol.* 292. *a.* e *Inter diversas chartas continent. varios articulos contra Universitatem in chartoph. Civ.* Oxon. f *Cap.* 19. 25. Hen VIII. g *In* FF. *ut supra ep.* 210. h *Ibid. fol.* 128. i *Ibid. fol.* 129. *a.*

ut com-

incommoda Artes paterentur ingenuæ, priſtinam denuo diſciplinam revocandam, & pernicioſa illa Commiſſarii, quem dixi, decreta abolenda impetrarunt.

Ad delegatos jam Regis revertor, *Oxonio* valedicentes, & ad Cœnobium *Abendonenſe* profectos, cujus Monachos apud Dominum eorum *Cromwellium* (ad quem ſcilicet literas frequentes dederunt) tam fœdis convitiis proſciderunt, tantâque verborum ſpurcitie & intemperie onerabant, quanta vel ore duriſſimo ganeonem retuliſſe pudore ſuffunderet. Hinc *Godſtoviam* ſe contulere, ubi licet Monialium cætum univerſum culpâ vacantem, atque opere in quo parerat occupatum reperirent, ut bene tamen de iiſdem loquerentur adduci vix poterant; ſiquidem, ne quod verum eſt diſſimulemus, ſtatuere Viſitatores illi familias pleraſque religioſas vel ſcelerum graviſſimorum ultro inſimulare. Cum interim latifundia ſola & opes quibus abundabant in crimine verſabantur: illi quidem obeſos fratrum ventres facile tuliſſent, niſi plenas pariter turgidaſque crumenas habuiſſent; è quorum numero exiſtimandus an fuerit prædictus Dr *London* Coll. *Novi* Cuſtos, dicat alius quiſpiam, certe is Abbatiſſam *Godſtovienſem* (*Catharinam* ni fallor de *Buckley*) cujus hoſtis erat juratiſſimus, cum magnâ hominum manu adiens, ſeu magis adortus, ut Conventum ſibi tanquam in manus regias traderet mandavit; id autem facere non modo detrectavit illa, ſed inſuper in vindicias accincta, de injuriâ iſtâ querelas propediem apud Secretarium, quem prædiximus, *Cromwellium* depoſuit.

CIↃDXXXVI.

Lecturis quas mox ante memoravimus, ad Collegia nimirum pleraque habitis, Rex alteram quandam, eamque Theologicam addidit, haudquaquam ſuis atqui ſodalitiorum Academicorum impenſis ſuſtentandam, cujus inſtituendæ occaſionem referre non pigebit. Fortunis ſuis haud modice attenuatis remedium quærentes Togati, precibus apud Regem *Henricum* [a] inſtabant, ut primitiis decimiſq, ipſi ex decreto Ordinum conceſſis, liberarentur; quod eâ tandem lege, *Cromwellii* maxime (cujus opem hac in re per [b] literas implorabant) patrocinio [c] obtinebant, ut Prælectorem Theologicum ſuis ſumptibus alerent. Conditionem illam, quamvis aliquanto duriorem, accipiendam rati, de tributo Collegio cuivis imperando convenere Academici, unde annuum XIII. librarum X. ſol. & VIII. denariorum ſummam conficientes, Prælectori quem diximus, uſque dum abrogatum fuerit munus ejus, penſitandam curabant. Immunitatem hanc noſtram à primitiis & decimis ratam poſt paulo habuere Comitia Parliamentaria, quæ & Prælectorem illum (quem Regium nuncupandum, & ab ipſo Rege cooptandum decrevere) [d] confirmarunt; cæterum antiquatam brevi Prælectionem hanc, ejuſque ſtipendium ad uſus alios, paulo ante quam Lecturas quinque fundaret *Henricus*, converſum fuiſſe infra docebimus.

Hoc eodem anno, in tertiâ nimirum dominicâ poſt Adventum, *Mallorius* quidam, *Cantabrigienſis*, è Collegio autem *Chriſti* Artium Magiſter, dogmata quædam fidem Romanam impugnantia nobiſcum retractavit, faſcem de more portans, reliquaque præſtans quæ tum hæreſeos poſtulatis injungebantur, quæque noſtrorum bene multis partes *Lutheranas* ægre amplexantibus (id enim vel exinde colligendum, quod ab Epiſcopis damnatus ille haudquaquam ad ſuos, verum ad nos tranſmiſſus eſt pœnitentiam acturus) terrorem incuterent. Is autem in Eccleſiam Beatæ *Virginis* die prædicto deductus eſt, ubi præſentibus Collegiorum & Aularum Præfectis, Doctoribus ac Magiſtris, necnon ingenti Civium multitudine eódem confluente, concionem habuit *Ricardus Smyth*, S. Theologiæ Doctor, ejuſque facultatis Profeſſor regius, cui utique incubuit religionem *Lutheranam*, quam hæreſin vocabant, convellere, doctrinam vero Pontificiam omni ſtudio propugnare. Refert *Foxius* in opere ſuo act. & monumentorum Eccleſiæ, dum id muneris obiret *Smythius*, percrebuiſſe incerto authore rumorem de Eccleſiâ flammis correptâ, quæ res tantum omnibus metum & terrorem injecit, ut, palinodiâ *Mallorianâ* ſolenniter nondum cantatâ, trepidi, & quaſi divinitus percuſſi, aufugerint. Hæc ille, cum aliis eòdem ſpectantibus, ac fuſiſſime enarratis, quorum omnium ſi penitiorem expetat cognitionem, ad ipſum ſcriptorem, ſub ann. Dom. CIↃDXLI. remittendus eſt Lector.

Sub idem tempus dogmata quoque nonnulla revocavit *Barbourus* quidam, A. M. (quem ſane ab illo ſupra ſub an. CIↃDXXXII. memorato alium non exiſtimo) vir omnimodâ eruditione clarus, qui ad *Cranmerum* Archiepiſcopum, *Lambethæ* agentem, accerſitus, contra Pontificiam Tranſubſtantiationem, argumentis è Divo *Auguſtino* ſumptis tam fortiter militabat, ut quod reponeret adſtantium nemo inveniret, unde in maximam viri admirationem trahebantur omnes; quamvis cum *Cranmero* fortean ſentientes, veritati paulatim jam invaleſcenti æquiores paulo fuiſſe fatendum. Poſtquam autem *Barbourus* iſte legis ſex articulorum, quam vocabant, periculo perterritus, Doctrinam ſuam *Lambethæ* primo, ac dein *Oxoniæ*, ejuravit; affectâ deinceps (inſolitâ prorſus morbi ſpecie) valetudine erat, & dolore puta animi correptus, quaſi lucis eſſet pertæſum, contabuiſſe memoratur.

CIↃDXXXVII.

Togatorum inopiam in anno prægreſſo attigimus, cæterum & calamitatibus adhuc gravioribus conflictati comparent; non modo exhibitionibus, quas vocamus (ſtipendia hæc erant tenuioris fortunæ Scholaribus ex Virorum multorum pietate & Benevolentia provenire ſolita) privati, verum ob peſtem miſerum in modum hoc anno graſſantem diſperſi & diſpalati; quæ quidem tantas in Beatæ *Virginis* Parochiâ ſtrages edidit, ut in Eccleſiâ illâ convenire formidarint Regentes. Actus omnes Scholaſtici, & publica Univerſitatis negotia ad Collegium *Henrici VIII.* in menſem [e] transferuntur; ubi vel alibi prout collibitum eſſet Procuratoribus habenda decernuntur Comitia; denique, Termini S. S. *Trinitatis* initium in diem conſueto ulteriorem [f] differtur, & ex diſpenſatione conſimili ſtatuitur, ut Commiſſario & Procuratoribus liceret cum quatuor tantum Regentibus vel non Regentibus Magiſtris Congregationes celebrare, & quævis Academiæ negotia tranſigere. Plura referre quid attinet? vacua prope-

[a] *Ut in eod. vol. chartarum ut ſupra.* [b] *Ibidem.* [c] *FF. fol. 130. a.* [d] *Ut in pix. PP. faſc. 14.* [e] *I. fol. 24. b.* [f] *Ib. fol. 25. a.*

modum jacebant Musarum domicilia, resque publica literaria pessime affecta, immo in graviſſimum discrimen adducta videbatur, dum non tantum domus quæ supererant (nonnullas enim ante hæc everterat Rex *Henricus*) Religiosæ, sed & Collegia noſtra interitum repentinum expectabant, tametsi (quod Regibus proculdubio ipsis totique genti gratulandum) vana nos formido occupavit, & consimilis post centum & triginta annos procellæ minas elusimus.

CIↃDXXXIX.

Gradus per hæc tempora perpauci capessebant, nemine pene vel vultu benigno, nedum dextrâ liberali, artes ingenuas promovente; Togatis nempe reliquis infamiâ haud levi laborantibus, Monachis autem & Fratribus omni scelere & turpitudine (delatoribus regiis si fides) coinquinatis. Has quidem nonnulli, bonas literas Mecænatibus per hæc tempora orbatas enarrantes, causas assignant; at vero si rem ipsam accuratius expendissent, Aulæ potius libidinem, hominumque nullum quæstui modum statuentium, Avaritiam nominassent, qui Regem propterea abolendo Pontificis Romani dominatui intentum, ad Sodalitia Clericorum omnimoda evertenda, bonaque eorum diripienda, incitabant; cui rei nil magis conducere poterat, quam si Patrimonii cui inhiabant possessores fortiter calumniarentur. Cæterum ut his abscedam, certissimum est defloruisse sub hæc disciplinas, artesque intermortuas jacuisse, dum maxima Aularum noſtrarum pars incolis careret, neque ampliores Collegiis reditus permitterentur quam qui paucis miserè sustentandiis sufficerent; quare meminisset Rex *Henricus*, Academiam noſtram quoad mores juxta & eruditionem in pejus ruentem [a] criminatus, id sibi præsertim aut Consiliariis suis tribuendum fuisse, cum nemo ignoret ingenia hominum paupertate non minus quam luxu corrumpi.

Ut miseram vero Academicorum, per hæc juxta & prægressa modo tempora, egestatem probe intelligas, literarum noſtrarum, ad Virum quendam doctrinâ & authoritate pollentem, transmissarum partem [b] exhibebo; à quo obnixe petimus, ut in eximendâ tributis tum imperatis Academiâ, industriam exerceret. --- *Pauperes enim sumus. Olim singuli noſtrum annuum stipendium habuimus, aliqui à Nobilibus, nonnulli ab his qui Monasteriis præsunt; plurimi à Presbyteris quibus ruri sunt sacerdotia. Nunc vero tantum abest ut in hoc perstemus, ut illi quibus debeant solitum stipendium dare recusent. Abbates enim suos Monachos domum accersunt, Nobiles suos liberos, Presbyteri suos consanguineos: Sic minuitur Scholasticorum numerus, sic ruunt Aulæ noſtræ, sic frigescunt omnes liberales disciplinæ. Collegia solum perseverant; quæ si quid solvere cogantur, cùm solum habeant quantum sufficit in victum suo Scholasticorum numero, necesse erit, aut ipsa una labi, aut socios aliquot ejici. Vides itaque quod nobis omnibus immineat periculum. Vides ex Academia futuram non Academiam, nisi tu cautius noſtram causam egeris*, &c.

CIↃDXL.

Promulgatum hoc anno est [c] statutum Parliamentarium de parte quinta nimirum quatuor solidis è qualibet spiritualis, quam vocamus, possessionis librâ seu minâ per Provinciam *Cantuariensem* Regi pensitandis; ea vero in re Collegiis Academicis, graviſſimâ, ut prædictum, inopiâ pressis, prospectum agnosco. Quippe cautum pariter invenio, ut utriusque Academiæ Collegia, cum Rectoriis iisdem appropriatis, necnon Collegiis *Eatonensi* & *Wintoniensi*, vectigali illo, propter peculiarem Regis Benevolentiam, liberarentur. Eodem quasi tempore rogatam deprehendo [d] legem, de Ædibus speciosis ruinam vetustate aut Incolarum incuriâ minitantibus reficiendis, factâ speciatim earum quæ *Oxoniæ* essent mentione; unde Aulas præcipue, à Scholaribus, ut ante dictum, desertas, & temporis injuria collapsuras, indigitatas crediderim; idque in animo statuisse *Henricum*, ut Academicos, si fieri posset, *Oxoniam* revocaret, vel saltem alios eodem alliceret.

Certe, inter plura quæ Clero sub hæc tradidit, regium habetur mandatum quo Parocho, Vicario, & alii cuivis aliter beneficiato præcipitur, ut qui Reditus Ecclesiasticos ad annuum centum librarum valorem perciperet, Scholarem unum, cui ducentæ autem provenirent libræ, binos (& sic deinceps) in alterutrâ Universitate, vel in Scholâ aliquâ grammaticali, ad studia enutriret; quos utique literis probe instructos operam Patronis suis, in curâ animarum agendâ, aliisque prout opus esset exequendis, navare jussit. Quamdiu invaluerit saluberrimum illud *Henrici* decretum minime comperio, cæterum *Edoardi VI.* temporibus evanuisse penitus nemo dubitabit, qui vel barbariem Academias reliquaque in *Anglia* eruditionis proseminia occupantem, vel prædabundum, divitiisque quoquo modo cumulandis deditum, seculi ejus ingenium, cognitum habuerit.

CIↃDXLI.

Sub hæc de bono Universitatis regimine haud parum solicitus comparet Rex *Henricus*, quod & Ordinationibus circa Procuratorum electionem factis abunde testatus est. Etenim cum eos propter Scholarium paucitatem, turbasque Academicas, è junioribus per hæc tempora Magistris (quos muneribus iis impares esse palam constabat) deligi plerumque contingeret, edixit [e] Rex, nequis ante quam octavum ab Inceptione annum compleret in Procuratorem ascisceretur. Porro præcavendis, quæ in iisdem cooptandis oriri solebant, contentionibus, à Cancellario sive ejus Commissario, Doctoribus vitam cœlibem agentibus, Ædiumque Magistris seu Præfectis in ipsâ Universitate commorantibus, deligendos decrevit, usq; dum aliquid in transversum statuere commodum videretur. Quod Procuratores autem hac ratione electos attinet, mandatum est, ut, juramentis de more onerati, disputationibus omnibus ac nominatim in Parviso habitis, Lecturis, Prælectionibus, Determinationibus, & Ordinariis qui stati, & pro termino celebrari dicuntur, interessent, nihilque præte-

[a] *FF. ep.* 200. [b] *FF. ep.* 118. [c] *Inter edicta vel publica Regni* Angliæ *statuta, edit.* 1587. *p.* 827. *&c.* [d] *Ibidem.* [e] FF. *fol.* 107. *b.*

ut commodis ſuorum ſubditorum in hac parte conſuleret & querelis ſatisfaceret. Ipſe tanquam prudentiſſimus Salomon *ſollicite curans quæ ſuorum ſunt ſubditorum, quibus in hoc regno divina diſponente Clementia præeſt, altius quam ſecum conſiderans quo pacto commodiſſimas regno ſuo ſanciret leges, denique ante omnia præcavens ne contra ſacram Scripturam aliquid ſtatuat, quam vel ad ſanguinem uſque defendere ſemper fuit eritque paratiſſimus, ſolerti ſuo ingenio ſagacique induſtria quandam quæſtionem ad hanc ejus Academiam* Oxon *publice & ſolenniter per Doctores & Magiſtros ejuſdem diſputandam tranſmiſit, viz. an Romanus Epiſcopus habeat majorem aliquam juriſdictionem ſibi à Deo collatam in ſacra Scriptura in hoc regno* Angliæ *quam alius quivis externus Epiſcopus, mandavitque ut habita ſuper hac quæſtione matura deliberatione & examinatione diligenti; quid ſacræ literæ in hac parte noſtro judicio ſtatuunt, eundem certiorem facere ſub inſtrumento, ſigillo communi noſtræ Univerſitatis communito, confirmato curaremus. Nos igitur Cancellarius, Doctores & Magiſtri prædicti ſæpe reminiſcentes ac penitius apud nos penſitantes, quanta ſit virtus ſanctitas ac noſtræ profeſſioni quam conſona res & debita, ſubmiſſioni obedientiæ, reverentiæ, ac Charitati congrua, præmonſtrare viam juſtitiæ ac veritatis cupientibus ſacrarum literarum veſtigiis inſiſtere, ſecuriorique & tranquilliori conſcientia in lege Domini ſacram ut aiunt ſuam anchoram reponere, non potuimus non invigilare ſedulo, quam in petitione tam juſta ac honeſta tanti principi, (cui velut auſpicatiſſimo noſtro ſupremo moderatori obtemperare tenemur) modis omnibus ſatisfaceremus. Poſt ſuſceptam itaque per nos quæſtionem antedictam, cum omni humilitate, devotione ac debita reverentia convocatis undique dictæ noſtræ Academiæ Theologis, habitoque complurium dierum ſpatio ac deliberandi tempore ſatis amplo, quo interim cum omni qua potuimus diligentia, Juſtitiæ zelo, religione & conſcientia incorrupta perſcrutaremur tam ſacræ Scripturæ libros, quam ſuper eiſdem approbatiſſimos interpretes, & eos quidem ſæpe & ſæpius à nobis evolutos & exactiſſime collatos repetitos & examinatos, deinde & diſputationibus ſolennibus palam & publicè habitis & celebratis, tandem in hanc ſententiam unanimiter omnes convenimus ac concordes fuimus, viz. Romanum Epiſcopum majorem aliquam juriſdictionem non habere ſibi à Deo collatam in ſacra Scriptura in hoc regno* Angliæ *quam alium quemvis externum Epiſcopum. Quam noſtram aſſertionem, ſententiam ſive determinationem ſic ex deliberatione diſcuſſam, ac juxta exigentiam ſtatutorum & ordinationum hujus noſtræ Vniverſitatis per nos concluſam, publicè totius Academiæ noſtrorum, tanquam veram certam ſacræque Scripturæ conſonam affirmamus .... teſtificamur per præſentes. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium has literas fieri & ſigillo noſtræ Univerſitatis communi roborari fecimus. Dat. in domo Congregationis noſtræ xxvii die menſis Julii anno à Chriſto nato CIↃDXXXIV.*

His peractis exploratur particularis Collegii cujuſque ac Aulæ ſententia, immo viritim dein examen inſtituitur, propoſitâ ſingulatim quæſtione, an juriſdictionem quis Pontificiam repudiare vellet; quâ quidem in re haud ita diu hærebant Academici (quorum tamen partem longe maximam cum *Romanis* quoad fidem ſenſiſſe ambigendum non eſt) quin plerique appoſitis Inſtrumento cuidam nominibus polliciti fuerint, ſe neque in Concionibus publicis neque privatis Papæ aut ſummi Pontificis mentionem habituros, verum Epiſcopum *Romanum*, vel Epiſcopum Eccleſiæ *Romanæ*, prout occaſio tulerit, vocitaturos. Diſſimulandum ſane non eſt præfractis adeo animis fuiſſe nonnullos qui de fundatione etiam, uti loquimur, Collegii alicujus eſſent, ut munerum ſuorum amiſſione mulctari quam cum ſanis omnibus & prudentibus ſentire præoptarent. Cæterum cum anno proximo viſitatio Academiæ ſolennis inſtitueretur, tam inviſam quibuſdam fuiſſe conſtat ſuperſtitionem Romanam, ut & diverſoriorum publicorum Inſignia à Pontificum aliquo deſumpta, vel Imagines feneſtrales eorum quemvis exprimentes frangerentur; immo in ipſas voces ſævitum eſt, Papâ ac Pontifice è libris quoque Miſſarum ſolennia continentibus ubique eraſis, quâ in re plus quam aut opus eſſet aut mandatum præſtitere nonnulli, vel cæco nimirum zelo vel avaritiâ nimis oculatâ abrepti. Quod alios, abolendæ Romani Pontificis memoriæ palam reclamantes, attinet, moleſtiam haud parvam Magiſtratibus Academicis crearunt, quos inter [a] occurrit Magiſter *Thomas Hawarden*, qui cum è manuali Capellæ *Æneanaſenſis*, cujus nempe Decanus (ſic enim in loco citato nuncupatus reperitur) erat, nomen Pontificium haudquaquam deleret, in Curiâ Cancellarii *Oxon.* per *Georg. Munſon*, ejuſdem Collegii Alumnum, eo nomine poſtulatus eſt; ubi cum temere nonnulla in aſſerendo Pontificis dominatu effutiret, coram Regio Concilio comparere, atque interim de ſe perſonaliter ibidem ſiſtendo ſatisdare jubetur; cæterum qualem denique res illa exitum habuerit ignorare me fateor.

Parvo dein temporis intervallo, Viris quibuſdam, ex [b] diplomate regio xxx. *Jan.* an. Regni xxvi. dato, commiſſa eſt poteſtas, de Latifundiis ad ipſam juxta Eccleſiam ac utriuſque Univerſitatis Collegia ſpectantibus inquirendi. Id negotii nobiſcum adminiſtrabant Dr *Gul. Treſham*, Vicecancellarius ſeu Commiſſarius *Oxonienſis*, *Gul. Freer* Prætor urbanus, *Gul. Barentyne*, *Simon Harecourt*, *Gualterus Stonore*, *Johannes Clerke*, *Thomas Ellyot* & *Johannes Brome*, milites, cum aliis quibuſdam quatuordecim, Armigeris & Generoſis; qui juxta authoritatem ſibi ex edicto regio concreditam, decimas perinde atque ſpiritualia omnia ac temporalia æſtimantes, in librum referenda curabant, cenſuali Conqueſtoris codici vulgo **Domesday booke** haudquaquam diſſimilem; in quem cùm ſodalitiorum quoque ſuorum Proventus deſcriberentur, Academicis noſtris magnopere trepidatum eſt, ne hæc ſcilicet Collegiorum everſioni præluderent male metuentibus.

Sub idem tempus, hoc eſt exeunte anno, vetera Medicorum cum Juriſtis diſſidia [c] concaluere, & acerrime proculdubio inter facultates illas de procedendi & ſedem capiendi ordine fuiſſet diſceptatum, niſi majoribus longe negotiis implicita (rei utique literariæ ruinam imminere ſubverita) Univerſitas, litibus tam exiguis vacandum minime exiſtimaſſet.

[a] *In. Reg. fol.* 327. *b. &c. b.* [b] *In lib. conc. Civ.* Oxon *fol.* 59. [c] *H. fol.* 317. *b.*

CIↃDXXXV.

His ita peractis mittuntur ad Academiam Visitatores regii, à Rege *Henrico*, cujus nempe in manibus libertates & privilegia nostra etiamnum detinebantur, nominati; quorum præcipui erant *Ricardus Layton* vel *Leighton* S. T. B. & *Johannes London* LL. Doctor. De reliquis non dicam quinam fuerint, aut (sive è clero sive è Laicorum numero delecti) de quibus capitibus habendas acceperint quæstiones. Constat tamen in Collegio *Magdalenensi*, quo scilicet visitandi sodalitii causa se primitus cõtulerunt, unam Theologiæ, binas autem Philosophiæ, quartam denique linguæ latinæ Prælectionem institutam, seduloque frequentatam, deprehendisse [a] Delegatos; quibus alteram quandam Linguæ Græcæ addiderunt, ut illi juniores perpetuo interessent, ejusq; Idiomatis Elementis imbuerentur, præcipientes. In Collegio *Novo* binas, Linguarum nempe Græcæ & Latinæ, Prælectiones instituerunt, munera illa obeuntibus stipendia satis honesta assignantes; quod idem & in *Omnium Animarum* sodalitio præstiterunt, in *Corporis* autem *Christi* Collegio Lecturas eas ab ipso Fundatore institutas reperientes: apud *Mertonenses* & *Reginenses* alteram tantum inchoari jussere, honorario liberali sustentandam.

Ad reliqua quod spectat Collegia, censum eorum tali oneri imparem deprehendentes, ut Alumnos suos ad Lecturas in Sodalitiis præfatis habitas compellerent decrevere; ordinato ut hac ex parte peccantibus dimensa in illum diem, idque toties quoties, subtraherentur, nisi absentiæ suæ rationem, à Collegii quoque ad quod pertinerent Præfecto probandam, adferrent. Porro autem, cùm Academicos haud paucos, summam Ecclesiæ calamitatem præsagientes, ad Medicinæ se studium convertisse, (qui raptim deinde ac modice eruditi ejusdem quoque praxin, haud sine multorum hominum pernicie aggrederentur) adverterent Delegati, legem propterea tulerunt, ut Artem nemo illam exerceret, nisi, habito prius per facultatis ejus Professorem publicum examine, quales in Medicinâ progressus fecisset satis constaret; quam quidem legem confirmatam proximo anno à Rege [b] invenio, factâ Professori, quem dixi, ejusque successoribus potestate eorum, qui practicandi (ut vulgo loquimur) licentiam ambirent, doctrinam ac merita explorandi.

Atq; huc equidem usq; nil non præclarum & laudibus cumulandum præstiterunt Visitatores illi, cæterum & turpissima quædam patrasse, immo pulchra hæc facinora pessimis consiliis prætexuisse suspicor, cùm repererim primarium Regis Secretarium *Tho. Cromwellium* (cujus perinde ac aliorum, Ecclesiæ fortean haud magis quam Collegiorum Reditibus inhiantium, gratiam omni studio colligebant) de iis quæ *Oxoniæ* gesserant certiorem facientes ita petulànter & nugabunde lusisse scil. *Duns Scotum* sese in carcerem **Bocardo** compegisse, immo Academiâ cum glossis suis obscuris penitus exturbasse. Addito præterea per jocum, Philosophum jam illum ad infima ministeria detrusum, & imæ plebis usibus necessariis inserviturum, quod utique Latrinarum ubique Postibus affixus compareret. Quin & egregiam fabellam narrant de quodam *Greenfeildo* de Comitatu *Buckinghamiæ* qui cum discreptæ Scholasticorum (nominatim *Scoti*) pagellæ in Areâ *Novi* Collegii vento agitante volverentur; sollicitè easdem colligebat, ut in vivario suo filamentis appendens, Cervis terriculamenta & Priapos efficeret, ad eosdem inter septa sua continendos. His pariter ac indiciis aliis inscitiam tum suam, tum animos exulceratos prorsus adversus eruditionem Academicam testabantur, de quibus dubium non est, quin inferiorum Ordinum ductores conspuendos crediderint, cum in militiâ Scholasticâ Imperatorum nostrorum alterum, nec sane postremum, ludibrio habuerint. Quod me attinet (quanquam non sine labe ea sit eruditio) doctissimis potius nuperi simul & hodierni seculi viris Theologiæ Scholasticæ faventibus, quam tenebrionum eorum sive crassissimæ ignorantiæ sive inexplebili cupiditati, assentiendum opinor; citare hic liceat D^rem *Roperum*, D^rem *Kyntonum* & D^rem *Gulielmum Mossium* seu *Mouscæum*, ut alios taceam qui octo se ac viginti annis Philosophum illum evolvisse, necdum eruditionem ejus omnem hausisse fateri non erubescebant. Revera Aristarchi hi potestate aucti, quam minimè merebantur; facili compendio alios inscitiæ passim postulabant, quo propriam barbariem minus suspectam reddierent; Instauratores se literarum professi, ut eruditorum opes interverterent, rapinis & sacrilegio reformationem prætexentes. Scilicet ultimam perniciem quantum intelligere datur, Universitati molientes, ut certius juxta & compendiosius nocerent, benevolentiam summam, studiorum profectum, morumque castigationem profitebantur. Juris itaque Canonici Prælectioni alteram quandam in Jure Civili addendam procurabant in Collegio, Aulâ, Hospitioque omni habendam; & Scholarium Religiosorum pariter reformationem instituentes, ne eorum aliquis Oenopolium, diversorium publicum, aut Popinam, sive in ipso Oppido sive in suburbiis positam, sub quovis prætextu intraret, vetuere; statuto ut qui hac in re vel noctu vel interdiu delinquentes deprehenderentur, ad Conventum illico suum amandati, atque eidem tanquam carceri mancipati essent. A quo postremo decreto dolorem gravissimum *feminas dupliciter honestas*, sive meretrices *Oxonienses*, maxime vero quotquot lotrices Religiosis iis operas locarent, incessurum festivi illi morum censores spondebant (hæc etiam in literis ad *Cromwellium* datis habentur) quod utique integrum jam ipsis non esset Togatorum titulo tenus Regularium ut olim cameras intrare; quamobrem ambigendum non esse affirmabant, quin *Matronæ illæ honestæ* (sic enim per ludum appellant) de lege hac revocandâ preces brevi & lacrymas interponerent. A Visitatoribus iis gesta hic loci non alia reperio, memoratu scilicet aut lectione digna: constat vero eosdem apud *Mertonenses* nil pene quicquam egisse, quoniam anno proxime prægresso sodalitium illud lustrarat Visitationem Metropoliticam obiens *Cranmerus* Archiepiscopus *Cantuariensis*, cujus sane Commissarius, Doctor *Richardus Gwent*, (is Scholæ nuper Juris Canonici moderator seu principalis fuerat, postmodo autem Archidiaconus *Londinensis*, ac tandem Decanus curiæ de Arcubus emersit) veteres ac laudabiles Collegii consuetudines abolere [c] satagebat, quarum de numero erat, ut debitam Magistris reverentiam nudatis in Collegii area sive Quadrangulo alibique capitibus præstarent Baccalaurei; quos animis efferri, & seniores despicatui habere advertentes Academiæ primores, ne maxima inde

[a] *Ut in quodam vol. diversarum chartarum de* Acad. Oxon. *ut supra, in bib.* Cotton *sub* Faust. C. 7. [b] *In I. fol.* 1. [c] *Reg. Coll.* Mert. *fol.* 280. *a.*

incommoda

prætermitterent quod ad prudentem Scholarum administrationem pertineret.

Porro Rex Idiomati latino in desuetudinem jam abeunti consulendum ratus, ut conciones latinæ, secundum vetera statuta & antiquam Academiæ consuetudinem, haberentur præcepit; aliis insuper ordinatis unde commodi haud parum captura videretur Universitas.

CIↃDXLIII.

Hunc nobis annum duæ res insignem reddidere, quarum altera utilitatem habuit summam, altera vero infamiam & dispendium. Earum prima Benevolentiam regiam spectat, siquidem hac tempestate Libertates, in manibus suis annis aliquot depositas, Academiæ [a] reddidit Rex *Henricus*, quas utique ratas habuit, & à subditorum nemine violandas decrevit. Privilegiorum nostrorum apud Regem depositorum rationem in an. CIↃDXXXII. quæras, quo etiam tempore & chartas suas dediderunt Oppidani, quas tamen haud ita diu detentas crediderim, quod plures in ipso Academiæ nostræ (quas inter Visitatio habenda) nullas autem, quod sciam, in Urbis statu mutationes moliretur *Henricus*. Utcunque, cum Jura nobis, ut modo dictum, restituerentur, constat *Tresshamum* Commissarium [b] factâ apud Regem (ut cum Leguleis loquar) CIↃ. marcarum recognitione in se recepisse, mille libras cautionem præstituram Universitatem, de privilegio nullo ex chartâ regiâ *Wolseii* nuper operâ impetratâ anno Dom. CIↃDXXIII. (quanquam hæc XIII. *Elizabethæ* lege quoque Parliamentaria confirmata fuerit) sibi vindicando. Burgenses quod attinet, libertatibus suâ etiam ex parte Regi permissis, interpositâ mille librarum cautione [c] sponsponderunt, Optimatum se quorundam, ab *Henrico* assignandorum, judicio staturos; atque his ita peractis Libertates receperunt, & pace aliquandiu gaudebat utrumque Municipium; notatu vero dignum est, quod, licet chartas nobis à Pontificibus *Romanis* concessas revocarit, nil aliud tamen meditabatur Rex *Henricus*, quam ut Papalem dominationem Academiâ pariter ac regno ejiceret; cum pristina tamen jura authoritate suâ rata Togatis fecerit.

Maleficium quod dixi Academicis per hæc tempora intentatum, erat fisci publici direptio; quippe XX. *Februarii Johannes Stanshaw* de **Reading** in Comitatu *Bercheriæ* generosus, & *Robertus Raunce* de *Wyecomba* magna in Comitatu *Buckinghamiæ*, Alumnus mox ante *Oxonienſis*, Capellam quandam, ad Cancellarium & Scholares *Oxon.* spectantem, & Ecclesiæ Beatæ *Virginis* contiguam (unde pro veteri Congregationis domo habuerim) circa horam noctis IX. [c] expugnabant, furtimque, prout è citatâ liquet Inquisitione, auferebant *quinque Cyphos argenteos vocatos* **Flat sylver peices**, *Duo pocula argentea, tres Calices de argento aurat. Unum Salinum argenti. Quadraginta duo cochlearia argenti. Unum par precarum de* **Corall**, *cum gaudiis argenti; quadraginta uncias argenti & auri in pendent. Clavis ligationibus Cyphorum, &* **Buckles** *quarundam veterum zonarum vocat.* **Harnels Gurdylls**, *unam Catenam auri, viginti & duos annulos auri, & unum Cochlearium auri ad valentiam centum librarum. Furto statim patefacto inquisitione solenni Prædones per Hutesium & clamorem (ut loquuntur legulei) disquiruntur, capti tamen facinorisq; convicti cum essent, rei mortis, quamobrem nescio, haudquaquam pronunciabantur. *Rauncius* quidem libras viginti Academiæ pependit, penes Commissarium, cujus in [d] computo multis post annis reperiuntur, depositas.*

CIↃDXLIV.

Ineunte hoc anno funesta *Oxoniæ* lues prorupit, quam ego è Pestis sub anno CIↃDXLII. memoratæ reliquiis ortam crediderim; imprimis autem cum Collegiorum Baccalaureis, ac speciatim *Mertonensibus*, dispensatum [e] reperio pro Scholis minime frequentandis, mox vero evulgatâ majorem in modum contagione, in fugam acti sunt Academici, Ruri sibi aut in aliis passim Urbibus, prout sese occasio offerebat, consulentes. In Beatæ sane *Virginis* Aulâ tantopere sæviit, ut alumni ejus omnes *Kidlyngtonam* [f] commigrarint; ubi porro periclitaturos sese advertentes ad S. *Bartholomæi* Hospitale concesserunt, *Orielensibus* accedentes, qui eòdem vitandi morbi causâ confugerant. Cæterum pestis illa secundo vix anno penitus extincta est, adeo ut cum aliis nonnullis hoc temporum tractu nobiscum grassantibus effecerit, ut Togatorum bene multi, Academiam haud unquam revisuri, *Oxoniâ* evolarint.

CIↃDXLV.

Quoniam ad postrema *Henrici VIII.* tempora devenimus, alienum non erit rei literariæ statum expendere, ac Lectori ob oculos ponere. Qui si viros eruditione conspicuos, atque hoc ævi spatium ornantes expetat cognoscere, à [g] *Lelando* quasi in compendio enumeratos accipiat:

Lumina doctrinæ, Grocinus *deinde secutus*,
Sellingus, Linacer, Latimarusque *pius.*
Tunstallus *Phœnix*, Stocleius *atque* Coletus,
Lilius & Paceus, *festa corona viris.*
Omnes Italiam *petierunt sydere fausto:*
Et nituit Latiis musa Britanna *Scholis.*
Omnes inque suam patriam rediere diserti,
Secum Thesauros & retulere suos.

Hi scilicet inter nostrates præcipue eminebant, etenim & alios perplures, eosque haud obscuri nominis *Oxonienses*, si otium suppeteret, recenserem. Quod hos autem attinet, in eorum omnium laudibus plurimus est [g] *Erasmus*; --- Coletum *meum* (inquit ille) *cum audio*, Platonem *ipsum mihi videor audire: In* Grocino *quis illum absolutum disciplinarum orbem non miretur?* Linacri *judicio quid acutius, quid altius, quid emunctius?* Thomæ Mori *ingenio quid unquam finxit natura vel mollius, vel dulcius, vel felicius*, &c. Sane doctrina jam omnimoda ornatiores fiebant Academici, maxime autem Linguæ Græca & latina perpoliri cœperunt, quarum in primâ promovendâ plurimum desudarunt *Gulielmus Grocin,*

[a] *In pix. LL. nu. 5. & Reg. I. fol. 97. &c.* [b] *In pix. BB. fasc. 2. nu. 2.* [c] *Ut in quadam inquisitione penes me A. W. In quibusdam comput. Vicecanc.* [d] *In Reg. Coll.* Mert. *fol. 295. a.* [e] *Reg. Coll.* Oriel. *p. 191.* [f] *In encomiis suis illustrium & eruditorum in* Anglia *virorum, edit.* Lond. 1589. *p. 74.* [g] *In Epist. lib. 8. ep. 2.*

Johannes

Johannes Clement, & quos in Prælectores aſſumpſit *Wolſeius*, in poſtremâ vero elimandâ operam illuſtrem navarint *Job. Stanubridge*, *Gulielmus Lilie*, *Thomas Linacrus*, *Rob. Whittingdon*, & *Thomas Robertſon*, Scholæ *Magdalenenſis Oxon.* Archididaſcalus. Atqui vero, infauſto quaſi ſidere afflati minus quam exoptandum erat profeciſſe videmur; plurimæ tamen aſſignandæ ſunt cauſæ, ob quas ſub noviſſima *Henrici VIII.* tempora in tenebras priſtinas relaberemur. Siquidem repentinâ *Wolſeii* (qui neque labori neque ſumptibus unquam pepercit quibus Academiam noſtram in majora eveheret) à poteſtate pluſquam regiâ præcipitatio, Cœnobiorum (quorum olim pietate ali nobiſcum conſueverant qui rei domeſticæ inopiâ premerentur) everſio, ac, ut alia omittam temporum eorum mala, peſtis in Academiâ creberrime (duodecies utique regnante *Henrico*) graſſata in ipſam bonarum Artium perniciem conveniſſe videbantur. At vero negandum non eſt optabiles in Linguâ Græcâ progreſſus feciſſe noſtrates, quod partim Epiſcopo *Foxio* & *Wolſeio*. Cardinali (uterque enim Idiomatis ejus Prælectorem in Collegio ſuo inſtituit, quorum tamen alterum cum Fundatore ſuo concidiſſe plorandum) tribuere oportet. Et ſane ambigendum non eſt, quin literæ Græcæ haud modice olim aliquando nobiſcum floruerint, quorum Bibliothecas linguæ illius monumentis refertas fuiſſe à *Simone Grynæo* [a] perdiſcas, qui alienigena cum ſit fatetur tamen *Procli* ſe Commentarios diligenter per totam *Europam* exploraſſe, neque alibi quam *Oxoniæ* reperiiſſe, unde plura ſcriptoris ejus apographa deportaſſe ſecum aſſerit, velut in Epiſtolâ quadam ad *Johannem Thomæ Mori* filium conſcriptâ videre fas eſt. Literas græcas ægre tandem amplexam Academiam noſtram haud ſemel prædiximus, cæterum Academias alias fere omnes, in ejuſdem ad accentuum leges pronunciatione, antevertimus; hac enim tempeſtate poſt *Eraſmi* aliorumque monita, non mentem tantum ſed & linguam erudire fategimus. Quæ quidem res, quod quis jure miretur, in *Scotiâ* uſque ad hodiernum diem à viris in literis græcis admodum verſatis, paſſim negligitur. Quin præteriri minime debet, exterorum mira pervicacia & pluſquam vatinianum Linguæ Græcæ odium. Apud *Lovanienſes* ingreſſum illi denegabat & pro virili præcluſit *Martinus Dorpe*, Profeſſorum Academicorum alter, quem ubi dimovere de ſententiâ non poſſet *Eraſmus*, adortus eſt clariſſimus *Morus*, qui & Virum ad ſanitatem redegit, & ne ab iratis ob inſcitiam ejus & pervicaciam Academicis ejiceretur, eloquentiâ ſuâ [b] impetravit, cui quidem nos multum debemus, nè in eadem etiam inſaniâ pariter verſaremur.

Cantabrigienſes quod attinet, Cancellarius eorum *Stephanus Gardiner*, Epiſcopus *Wintonienſis* emendandæ pariter Linguæ Græcæ pronuntiationi ac Eccleſiæ Romanæ juribus promovendis deſudabat. In Orthoeipiam triennium aut quadriennium obnixe inſiſtebat, aliis nonnullis operam accommodantibus, maxime autem juvante Doctore *Johanne Caio*, Antiquario *Cantabrigienſi*, viro in literis iis probe verſato, velut opera quædam *Galeni*, ab illo cum annotationibus edita, teſtantur. Is vero, mitiori licet ingenio præditus, Tractatum [c] conſcripſit, quo vitioſam Linguæ illius pronuntiationem acerrime defendit; *Gardinerus* autem, poſtquam reſcivit omni operâ adniti *Johannem Checum* (publicus hic erat apud *Cantabrigienſes* Idiomatis illius Profeſſor) ut Academicos ad ordinatam rectamque pronuntiationem pertraheret, ſcriptis primo obviavit, diſertis quidem (velut ex epiſtolis ejus ad *Checum* datis liquet) nec non ſatis ingenioſis, at vero errorum ubique, quod fieri neceſſe erat in cauſæ ejuſmodi defenſione, pleniſſimis. Cæterum ubi ex eruditis *Checi* [d] reſponſionibus intellexit Antagoniſtam ſibi argumentis haud facile concutiendum obtigiſſe, authoritatem ſuam interpoſuit *Gardinerus*, legemque tulit nequis *Cantabrigienſis*, cujuſcunque demum conditionis eſſet, aliter quam ex more jam olim recepto (hoc eſt corrupte & barbare) græcas literas pronuntiaret, pœnis, iiſque haud levibus, aſſignatis quæ eâ ex parte peccantibus irrogarentur. An turbatus è Cathedrâ fuerit *Checus* nequeo dicere, certe conſtat aut ſponte (injuriæ fortean tam gravis indignitate percitum) aut invitum munere ceſſiſſe, tametſi Epiſcopum egregie fefellit expectatio, eoque magis invaluere *Checi* ſectatores, quod tyrannidem *Gardinerus* in re literariâ exerceret.

Siquidem in Profeſſorem à Rege nominatur *Thomas Smyth*, vir omnimodâ eruditione, potiſſimum vero linguis græcâ & latinâ ſupra coævos pene omnes inſtructus, is graviſſime ferens amicum ſuum doctiſſimum indignis adeo modis habitum fuiſſe, maxime autem propugnandæ veritatis ſtudio adductus, *De rectâ pronuntiatione linguæ Græcæ* tres libros [e] contexuit, ipſique *Gardinero* nuncupavit, ingentem ſub id præſulis authoritatem minime reformidans. Ibidem vero *Checi* ſententiam argumentis firmis adeo & perſpicuis tutatus eſt, ut non modo Epiſcopi ſed & aliorum omnium qui partes adverſas ſequerentur ora obturârit; ſiquidem adductis veterum Græcorum, *Platonis* nempe, *Ariſtotelis*, *Demoſthenis*, *Ariſtophanis*, & *Dionyſii Halicarnaſſæi* (cujus enimvero inſtar omnium calculus erit, cum in literis iis judicio acerrimo præditus fuerit, prout Opera ejus accurata demonſtrant) teſtimoniis, pronuntiationem vulgari ſub hæc uſu receptam à Græcis recentioribus invectam fuiſſe probat, à priſtinâ illâ, & ſeculo quo ipſa lingua maxime floruerat uſurpatâ, diſcrepantem oſtendens. Enarrat porro ille quam futilis & inepta fuiſſet primæva Græcorum induſtria, ſi uni eidemque ſono exprimendo characteres plures excogitaſſent, atque η, υ, αι, οι, eandem antiquitus quam iota vim obtinuiſſent. Sed hæc extra curriculum. Addam unice virorum eorum, (*Checum* ſentio ac *Smythium*) operâ effectum, ut Linguarum pariter (Græcæ vero potiſſimum) & politioris literaturæ ſtudia apud *Cantabrigienſes* primitus invaluerint, quorum haud pauci ad novam hanc normam inſtituti puram ac genuinam Idiomatis Græci pronuntiationem in multis regni locis diſſeminabant; tametſi falſum eſt quod perhibere videtur [f] *Smythius*, pronuntiationem nempe ſuam amplexos nuper fuiſſe *Oxonienſes*; nam contentionis cum *Gardinero* habitæ ſumma fuit an αι velut ε, & οι tanquam ι efferenda eſſet, (quod Epiſcopus perperam affirmaret) verum dipthongos haſce non aliter atque hodie pronuntiarunt antiquitus *Oxonienſes*, prout ex eorum ſcriptis abunde liquet.

[a] *Vide* Twyni *Apol. lib.* 3. *ſect.* 312. [b] *Stapleton in tribus Thomis in* Tho. Moro, *cap.* 5. [c] *Edit.* Lond. 1574. *in* 4° *quamvis idem* Caius *in alio Tractatu de libris propriis, uſitatam hanc pronuntiationem magno fervore vel potius furore defendit.* [d] Checi *partes ſequebantur viri ob doctrinam inſignes habiti illa ætate, viz.* Joh. Ponetus *poſt Epiſcopus* Wint. Joh. Redman *S. T. P.* Roger. Aſcham, *vide hujus epiſtolam ad* Hubertum, *lib.* 3. [e] *Edit.* Pariſ. *an.* 1568. [f] *In lib.* 1. *de pronunt. ling. græca ad St.* Gardinerum.

De

De reliquis insuper Artibus ac Scientiis notandum, primis *Henrici VIII.* temporibus refloruisse visas, quippe Lecturas suas fundante *Wolseio* Gradus in Grammaticâ & Rhetoricâ (quæ quidem consopitæ jam olim & neglectæ fuissent) capessi cœperunt, præstitis, prout vetera exigerent statuta, in utraque facultate disputationibus. In Facultatibus aliis Inceptores multo frequentiores comparebant, qui nec in Musicâ defuere; Philosophi porro doctiores quam nuperis seculis emerserunt, quod Arti præsertim Typographicæ tribuendum, unde & viliori longe pretio venales prostarent libri, & mendis haud adeo scaterent, aut antiquorum temporum amethodia laborarent. Si de Theologiâ quæras, quinam ejus sub Rege illo status fuerit parum constat; enimvero Scholasticam quod attinet, ab Academicis olim nostris in pretio habitam, clientes jam admodum paucos numerasse crediderim, cum nuperi (ut ante dictum) Academiæ Visitatores Libros eandem tractantes non modo abjiciendos pronuntiarint, sed & vilissimis usibus adjudicarint. Jura Civile & Canonicum pulveri & tineis addicebantur, dum Gradum in iis vix quisquam hominum ambiret, quod resecatam luxuriantis Ecclesiæ potestatem advertentes Academici, nullam brevi utilitatem habitura præsagirent. Denique ut paucis expediam, regnante *Henrico VIII.* disciplinæ propemodum omnes & incrementa haud levia acceperunt & ad interitum vergebant, non ante media Sereniss. *Elizabethæ* tempora pristinum splendorem recuperantes. Sed neque calamitatem tam publicam subterfugere *Cantabrigienses*, quorum Universitatem tenebris iisdem & barbarie obvolutam fuisse scriptores haud pauci prodiderunt.

CIↃDXLVI.

Cæterum accisas jam res nostras, immo pene deploratas, vel ex Aularum nostrarum paucitate intelligas, nam licet trecentas olim, vel adhuc plures, & fama constanti & Registrorum fide ductus, extitisse crediderim, ad octo jam recidisse deprehendo; quarum nomina fuere, *Novum* Hospitium, Aula *Edmundi*, S. *Albani*, *Cervina*, Divæ *Mariæ*, *Alba*, *Lateportensis*, & B. *Mariæ Magdalenæ.* Porro tantâ jam Alumnorum infrequentiâ laborabant earum nonnullæ, ut in censu habendo minoris longe quam olim [a] æstimarentur, in quarum utique [b] alterâ x. in [c] aliâ xv. in [d] tertiâ denique xvi. invenio Alumnos; quod quidem mirum non est cùm in ipsis Collegiis vix Alumnorum numerus constaret; eos intelligo qui publicis impensis nutriti de fundatione esse deberent. Sane quidem literatorum studia tam penitus restinxit Cœnobiorum eversio, ut, juvenes Artes omnes ingenuas perdendas iri suspicati, ad munera civilia, vel etiam mechanica, sese converterint.

Pauciss. certe hoc anno Inceptores, decem utique in Artibus, ac tres tantum in Theologiæ Jurisque facultatibus, [e] occurrunt; sed nec totidem perpetuo se dabant, etenim quæ sæpius aliquando vertente anno (sub exitum nempe *Februarii* aut initium *Martii*, atque iterum in mense *Septembri*) habebantur Comitia, ne semel quidem eodem temporis spatio celebrata comparent. Quod si *Cantabrigiam* respiciamus, nec frequentiores ibidem Academicos deprehendemus, quorum desertas adeo Scholas vacuasque commemorat [f] Scriptor ex eadem Universitate haud incelebris, ut Magistrorum singuli vix singulos habuerint Auditores; quibus perpensis fidem hujus seculi [g] Historico haudquaquam derogabimus, quod ambas Academias clericos totidem emittere minimè posse retulerit, quot obeundæ per *Angliam* Animarum curæ sufficerent.

Hoc ipso nisi multum me fallam anno Rex, qui inter libros prohibitos *Occami* dialogos posuisset, & ab eorundem lectione Academicos aliosque prius interdixerat; M^ro *Edoardo Leighton*, ejus sacellano huc transmisso, procurabat; ut exemplaria in bibliothecis reperienda, è medio tollerentur.

CIↃCDXLVII.

Collocatus jam in solio Rex *Edoardus VI.* animique Academicorum expectatione erant erecti, quisnam scilicet numinis cultus lege esset stabiliendus; dum hinc Pontificii, inde Reformati, vel leviss. spem suam argumentis & indiciis foverent. Pendente hunc in modum Religione, concionem ad Divi *Petri* Orientalis, tempore quadragesimali, habuit Doctor *Johannes Harley*, è Collegio *Magdalenensi* (is Episcopus deinceps *Herefordiensis* evasit) qui cum Papam, & Pontificios mordacibus verbis fortiss. impugnaret, dolore alios metuque affecit, alios autem, quotquot scilicet eximendas è sacris corruptelas peroptarent, lætitiâ replevit. At vero sedi *Romanæ* addictiss. huc usque perstiterunt Academicorum plerique, adeo ut *Harleius* (habitâ prius coram Commissario de doctrinâ ejus quæstione) *Londinum* fuerit amandatus, examen de hæreticâ pravitate subiturus; qui tamen, præponderantibus jam tum Protestantium partibus, furtim dimissus est, trepidantibus utique à quibus esset accusatus & sese occulte subtrahentibus.

His *Oxoniæ* cognitis, sententiam suam nemo protestantium dissimulabat, quin sub amovendæ superstitionis (ut dicitur) prætextu, ea plerumque in Ecclesiis & Sacellis fiebant quæ nullo jure niterentur, & quæ Regis Ordinumque mandatis nondum essent munita; quippe cæco prorsus zelo abrepti homines, fanaticis nuperis præluisse videntur, qui Ecclesiam *Anglicanam* tam miseris modis deformarunt. Sed his prætermissis, ubique jam innotuit stabiliendum mox iri Protestantium Cultum, quapropter ad eorum brevi partes transibant *Oxonienses* nonnulli, quos inter occurrunt Doctor *Cole*, *Novi* Collegii Custos, Doctor *Raynolds*, Custos *Mertonensis*, Doctor *Morwent*, Collegii *Corporis Christi* Præses; *Henricus Sydall*, *Jacobus Curthoppe* Ædis *Christi* Canonici, &c. alios enim sive inferioris ordinis Magistratus, sive Collegiorum tantum socios, referre susperseo: tametsi fatendum est Academicorum plerosque sodalitiis quam superstitione excedere præoptasse; adeo in ipsam penetrant medullam quæ cum lacte materno imbibuntur, neque ferè refert qualia demum sint quæ placeant, at id magis spectandum, quamdiu placuerint.

Imminutus hinc admodum comparuit Togatorum numerus, quare ne animam penitus agerent moribundæ literæ, quæ Regi nuper in utraque Universitate consignata fuerant Collegia ac Hospitia, cum Aulis, Cantariis, Capellis liberis, reliquisque bonarum Artium & Pietatis domiciliis, usui pristino reddantur. Quod stipendia attinet Clericis olim assignata, qui sacra pro felici defunctorum requie, in die

[a] *GG. fol.* 3. *b.* [b] *Ib. fol.* 33. *b.* [c] *Ib. fol.* 42. *b.* [d] *Ib.* 30. *a.* [e] *I. fol.* 110. *a.* [f] Gualt. Haddon *in Lucubrationibus suis edit.* 1567. *p.* 12. [g] Gul Harison *in chron. suo edit.* 1574. *lib.* 2. *cap.* 1.

obitus cujuſque celebrarent, Regi etiam eo conſilio tranſcripta fuerant ut pauperibus inde Academicis proſpiciendum curaret, quod tamen vix aliquâ ex parte præſtitum reperio, partem eorum longe maximam intervertentibus improbis quibuſdam, & lucro vel ſacerrimo deditiſſimis; qui ne veniæ ſibi locum apud Deum hominesve relinquerent ullum, non tantum Proventus quinque Lecturis ab *Henrico VIII.* tranſcriptos detinebant, ſed & in omnia involarunt quæcunque aut ille, aut filius *Edoardus VI.* piis uſibus addixerat; quod cum maximo reformatæ Religionis probro ac dedecore factum videtur, cæterum Regi puero & Aulicis nebulonibus revera tribuendum eſt. Quanta nos mala perpeſſi ſub hæc sumus non eſt hic locus enarrandi, (eadem enim fuſius deinceps enumerabimus) ad Academiam certe *Cantabrigienſem* quod ſpectat, cladem haud vulgarem accepiſſe liquet, ſubtractis non tantum exhibitionibus (quas vocamus) ſed & munificentiâ regiâ, aliiſque bonarum Artium incitamentis; quâ de re abunde conqueſtus eſt Univerſitatis ejus [a] Alumnus quidam in hunc modum.

» Quotquot tamen (ipſum audis) Academiam »*Cantabrigienſem* cognitam habuere ex quo ingen»tia hæc regiæ pietatis dona (Lecturas quinque intelligit, & Collegium ibidem pariter fundatum) »per manus veſtras delata habuit, ad ſuſpicandum »haud injuria ducentur, vos Regi ſimul & Aca»demiæ fraudem feciſſe ut opes ipſi congeratis. »Siquidem ante quam regiæ erga literas & inopiam »munificentiæ facti diſpenſatores eſſetis, in domi»ciliis ad Academiam *Cantabrigienſem* ſpectanti»bus comparebant viri ducenti, Theologiæ ſtuden»tes, & maximam partem haud vulgariter eruditi, »qui cum ipſis Ædibus jam penitns evanuere, Pa»tribus juxta Doctoribus, ac optimæ ſpei juveni»bus omnino abactis. Centum porro diverſæ ſortis »Academici, quos aut amici opulenti, aut Bene»ficia quibus fruebantur, in Aulis & Hoſpitiis ale»bant, vel prorſus diſceſſerunt, vel Collegia ingreſſi "ſunt, pauperiores & inopia plane preſſos neceſſariâ "vitæ ſuſtentatione fraudantes. Hi inquam aliò ſe "maximâ ex parte contulerunt. Quod reliquos vero, "eoſque perpaucos, à pietate quidem & induſtriâ "laudandos, attinet; propter rei familiaris anguſtias, "& exhibitionum inopiam ſtudiorum in Academiâ "curſum abſolvere non poſſunt. Eorum ſane pleriq; "inter horas quartam & quintam matutinas è lectis "quotidie conſurgunt, à quintâ vero ad ſextam "Precum publicarum lectioni, & exhortationi è ver"bo divino ſumptæ, in Capellis propriis inten"dunt, deinde autem vel ſtudiis ſeorſim vacant, "vel Lecturis ſimul interſunt ad horam uſque deci"mam, tum enim ad prandium ſe conferunt, quorum "quatuor Carnis bovinæ portiunculâ, unico denario "coemptâ, & juris, è ſucco carnis, ſale, & farinâ "avenaceâ confecti, tantillo contenti ſunt.

" A prandio illo tam modico ad quintam veſper"tinam aut diſcunt aut docent, tum autem cœnam "prandio vix potiorem adeunt, quâ finitâ vel de "Problematibus quibuſdam argumentantur, vel in "aliis ſtudiis ad horam nonam decimamve operam "ponunt, ſub id vero horam quaſi dimidiam obam"bulando circumque curſando (focum enim nullum "habent) inſumunt, unde ſcilicet lectum ingreſſuris "pedes calefiant. Atque hi quidem laboris patien"tiſſimi ſunt, neque ſtudiis ſponte valedicturi; verum »enimvero eorum nonnullis, propter exhibitionum defectum reique domeſticæ inopiam, neceſſe erit» eadem abrumpere. Hi ſancti ſunt in vivis, qui» Deo omnibus nervis, abſtinentiâ, ſtudiis, labore,» diligentiâ, vigiliis denique & precibus perpetim» famulantur. Quapropter quod pro ſanctis olim &» fratribus *Hyeroſolymitanis* Divus *Paulus*, id ego» Sanctorum *Cantabrigienſium* vice ſuppliciter peto,» ut Mercatores utique hujus Urbis (*Londinum* vult)» prædivites ſymbola conferatis, & oblationes» veſtras ad Academiam tranſmittatis, ſic enim Deo» placebitis, egenos ſublevabitis, de viris denique» eruditis proſpicietis, quorum operâ boni plurimum» regno iſti proveniat, &c.

Sic ille nuper Collegii S. *Johannis* ibidem Alumnus, quem, regnante dein *Mariâ*, ſolum, fidei cauſâ, vertentem deprehendo. Cæterum *Oxonienſes* quod attinet, malis haud minoribus conflictatos fuiſſe ex innumeris quæ facile adferrem indiciis colligendum non dubito; utpote cum & interverſi Reditus noſtri compareant, & ſubtractæ exhibitiones, ipſis earum Largitoribus bonis omnibus ſpoliatis &, ad ſummam egeſtatem redactis: quorum aliqui, dolore ex præteritis, metu autem ob futura (in pejora enim ruitura credebant ſecula) correpti, ac mente demum turbati ſunt, aliis ex ægritudine animi contabeſcentibus, nonnullis vero ad Artes mechanicas, eaſque ſordidiſſimas, nec à togato memorandas, ſeſe convertentibus. Ne in materiâ tam ingratâ diutius hæream, certo certius eſt Latifundia pleraq; ſacra (Cœnobiis, Collegiis, Cantariiſque adempta ſentio, Regiis tum ſumptibus faciendis, tum ſublevandis pauperibus, reique literariæ promovendæ deſtinata) Reg. *Henrico* perinde ac *Edoardo* aut per fraudem ſurripuiſſe, aut precibus extorſiſſe Viros quoſdam nequiſſimos, & in Pietatis bonarumque Artium peſtem ac perniciem natos; qui cum Laici eſſent, & ab Eccleſiâ moribus juxta ac Munere alieniſſimi, neque ſacrilegorum pœnis neque bonorum omnium hortatu induci unquam potuere ut quæ tanto cum ſcelere occupaſſent vel morituri dimitterent. Sed certiſſima ſacrilegos hoſce vultures manebat pœna; quique raptis ab altari extis, pullos ſuos paſcendos ſpondebant, favillâ eiſdem adhærente, una cum magnificis quos exſtruxerunt nidis, miſere conflagrarunt.

CIↃDXLVIII.

Multum jam laboris inſumpſit *Thomas Cranmerus*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, cum Prælatis reformationi ſtudentibus, in abolendis quibuſdam ſuperſtitionibus; verum cum ad doctrinam quoque puram ac priſtinam revocanda eſſet Eccleſia, exterorum quorundam opem imploravit qui hac nobiſcum in re induſtriam exercerent. Accerſitus cum primis eſt *Melanctonus*, atqui is à ſuis detentus haudquaquam acceſſit, quare *Martinum Bucerum* & *Petrum Martyrem* literis ſollicitavit *Cranmerus*; primo dictum *Cantabrigienſibus*, alterum vero nobis Prælectorem deſtinans, eruditione ſcilicet Theologicâ clarum utrumque, poſteriorem vero in doctrinâ Euchariſtiam ſpectante *Zuinglio* potius quam *Luthero* accedentem. In *Angliam* poſt *Bucerum* paulo trajecit *Martyr*, & apud Archiepiſcopum, in Ædibus *Lambethanis*, aliquandiu commoratus, *Oxoniam* ineunte hoc anno tranſmiſſus eſt, proximoque Termino ſacras literas Regius aperuit Prælector. Is pri-

[a] Tho. Leverus *inconcione quadam anglice ad Crucem* Paulinam *his temporibus habita.*

mam

mam ad *Corinthios* Epiſtolam (in quâ ſcilicet Capita plura haberentur Controverſias tum agitatas tangentia) explicare adortus eſt, ſtudia nimirum huc omnia deſtinans, ut errores, quos quidem frequentes jam olim irrepſiſſe conſtat in Eccleſiam, redarguendo, operam Veritati Evangelicæ haud inutilem navaret; quam ſane avidis haud pauci ulnis amplexi ſunt, aliis quæ vera eſſent depreſſo tantum murmure improbantibus; tametſi nonnullos (Collegiorum nempe & Aularum Præfectos, &, quibus in diſciplinam traderentur juniores, Magiſtros) prohibentes repererim, ne Prælectionibus male ſanis (tales enim Pontificiis habebantur) Tyrones intereſſent. Cæterum legentem nemo ad menſes aliquot interpellavit, uſque ſcilicet dum deventum ad Euchariſtiam eſſet, tum enim convelli quam ſcriptis defenderant doctrinam ægre ferentes Academici nonnulli (maxime vero Doctor *Richardus Smyth*, qui prælectiones haſce frequentabat) rumores in vulgus ſpargebant, Antiquorum dogmata evertere *Martyrem*, ritus Eccleſiaſticos concutere, immo adorandum Altaris Sacramentum temerare ſuggerentes.

Poſthæc, inſcio illo & inconſulto (ut quibuſdam placet) Chartas Eccleſiarum oſtiis affigentes Pontificii ſignificabant, diſputationem cum *Petro Martyre* de reali domini in Synaxi præſentiâ poſtridie habendam. Ad Scholas itaque die proximo frequentes contenderunt, & ſubſellia occupantes ſuarum partium homines ita commode collocabant, ut, ſi opus videretur, vel ſtrepitum moverent, vel etiam turbas excitantes omnia permiſcerent; quibuſcum aderant, præter Togatos bene multos, Oppidani quam plurimi, rei partim novitate ducti, partim vero, ſi tumultus aliquis incideret, vel Pontificiis vel Reformatis acceſſuri. Expectabat interim horam præſtitutam *Martyr*, Prælectionem de more habiturus, cum amici quidam intervenerint quænam apud Scholas agerentur nuntiantes, utque domo ſe contineret obſecrantes, quod ex inſolitâ illâ virorum multitudine colligerent rem ad ſeditionem ſpectare, atque Antagoniſtas armis eum non argumentis impetituros. Quibus ille; Turbarum ſe nunquam authorem fuiſſe, prout ipſis eſſet cognitum, cæterum culpandum fore, ſi Munus ſibi à Rege demandatum obire neglexerit; quo tamen ita ſe functurum ſpondebat, ut nullam Pontificiis tumultuandi anſam præberet; dubio autem procul adventum ejus præſtolari complures quorum fallenda non eſſet expectatio. Hinc amicis fidiſſimis ſtipatus ad Scholas perrexit, obvium vero habuit *Smythii*, quem diximus, Servientem, qui chartam porrexit quâ *Martyrem* ille ad diſputandum provocaret. Ibi tum ſuadebant denuo amici ut domum illico reverſus periculo ſeſe eriperet, verum obfirmato is animo Scholam ingreſſus Theologicam, ſuggeſtum conſcendit, ac Adverſariorum audaciam modeſtâ oratione retudit; diſputationem haudquaquam detrectaturum, cæterum Prælectionem in præſentia, cujus gratiâ venerat, habiturum perhibens; ad quam ſe ſtatim accingens, vultu adeo æquabili & immutato linguâ etiam ſtabili & voce expeditâ munus abſolvit (ſpretis interea Adverſariorum clamoribus) ut qui prius doctrinam Viri & eloquentiam nunc conſtantiam (ut dicitur) & fortitudinem obſtupeſcerent.

Ad diſputandum dein ab inimicis, maxime autem *Smythio*, laceſſitus reſpondit, id ſe alio quovis die præſtiturum, paratum enim in præſens non eſſe, quod Quæſtiones illi, contra jus Scholaſticum, ad ipſam diſceptandi horam celaſſent; quibus ita occurrebant Pontificii, tot eum de Euchariſtiâ lecturas conſcripſiſſe, ut quicquid ab ipſis propone-retur, reſponſum in promtu habiturus eſſet. Cum itaque ſatis aliter Adverſariis facere non poſſet, rem tanti momenti (unde ſcilicet periculum eſſet ne ſeditio aliqua oriretur) inconſulto Rege habiturum negavit; interponentibus illis, Diſputationem legitimam habendam iri, Quæſtionibus de more propoſitis, & conſtitutis quorum arbitrio res omnis eſſet moderanda; denique adhibitis porro Notariis, qui utriuſque partis Argumenta & Reſponſiones ſcriptis mandarent. Atque hæc ſane *Martyri* placebant, verum cum rebus iis rite ordinandis tempus minime ſupereſſet, diſputare in præſentia omnino recuſavit.

Cæterum inſtabant adhuc Antagoniſtæ, turbarum nempe quam veritatis appetentiores, quibus ut quæſtio prædicta confeſtim diſcuteretur efflagitantibus, tumultuari cœptum eſt; quam rem ubi advertit Doctor *Wrygbt*, Vicecancellarius, authoritatem ſuam interpoſuit, utque *Smythius* juxta & *Martyr* ad Ædes ſuas, adductis ſecum amicis, accederent præcepit; ubi ſcilicet de Quæſtionibus, atque earundem diſcutiendarum tempore ac ordine, cum rebus aliis eodem ſpectantibus inter utrumque conveniret. His palam, quo adſtantium pleriſque innoteſcerent, prolatis, Bedellis mandatum eſt ut vulgus amoverent, ac deinceps *Martyrem* adiens Vicecancellarius, manu Virum prehendit, & ex ipſo ſuggeſto domum deducit, ne mali quippiam ab inimicis pateretur cavendum ratus. Is autem ad Vicecancellarium tempore præſtituto acceſſit, comitantibus, præter alios, Mro *Henrico Sydall* & Mro *Jacobo Curthoppe*, Ædis *Chriſti* Canonicis, Proteſtantium ſub hæc defenſoribus æque fortiſſimis ac rerum dein potitâ *Mariâ* impugnatoribus acerbiſſimis. Adfuit eodem tempore & *Smythius* cum tribus quibuſdam Doctoribus, & Mro *Arthuro Cole*, ac Mro *Audoeno Ogletborp*, è Collegio *Magdalenenſi* utroque.

Diſceptatum vero aliquandiu eſt de certâ diſputationis methodo, dum æquum eſſe affirmaret *Martyr*, ut ſibi concederetur quem in Prælectionibus conſueverat, in quæſtionibus quoque propoſitis dilucidandis ordinem ſervare; quâ re tandem impetratâ, abhorrere ſeſe præmonebat à terminis pleriſque Scholarum tantum uſu receptis, barbaris pariter & ambiguis, (ſciebat utique Sophiſtam potius quam Theologum haberi *Smythium*) ac proinde cum de *Chriſti* præſentia quereretur, non aliis quam vocibus *Carnaliter* & *Corporaliter* uſurum, quoniam Euchariſtiam enarrans pagina ſacra *Carnis* tantum & *Corporis* mentionem facit, *Materiâ* interim & *Subſtantiâ* ſilentio preſſis; interpoſuit autem ſe ut iiſdem gratificaretur permiſſurum, ut terminis *Realiter* & *Subſtantialiter* prædictorum vice quæſtiones proponi poſſent. His ita, cum aliis quibuſdam, utrinque agitatis tandemque conceſſis, in eam denique ſententiam venere, rem omnem ſanctiori Regis Concilio permittendam eſſe, & diſputationem prout ab illo decerneretur habendam; cui interim quartum *Non. Maii* aſſignarunt, quod ſcilicet adfuturos ſeſe ſponderent delegati Regii. At vero, ſive aliâ de cauſâ, ſive quod liberam non fore Diſputationem, quin à Magiſtratibus quos dixi ſuffulciendos iri Reformatos, præſentiret, clam ſe (ut aliqui ferunt) ante diem præſtitutum proripuit *Smythius*; & primo S. *Andream* in *Scotiâ*, deinde *Lovanium* in *Brabantiâ* profectus eſt.

obitus cujuſque celebrarent, Regi etiam eo conſilio tranſcripta fuerant ut pauperibus inde Academicis proſpiciendum curaret, quod tamen vix aliquâ ex parte præſtitum reperio, partem eorum longe maximam intervertentibus improbis quibuſdam, & lucro vel ſacerrimo deditiſſimis; qui ne veniæ ſibi locum apud Deum hominesve relinquerent ullum, non tantum Proventus quinque Lecturis ab *Henrico VIII.* tranſcriptos detinebant, ſed & in omnia involarunt quæcunque aut ille, aut filius *Edoardus VI.* piis uſibus addixerat; quod cum maximo reformatæ Religionis probro ac dedecore factum videtur, cæterum Regi puero & Aulicis nebulonibus revera tribuendum eſt. Quanta nos mala perpeſſi ſub hæc sumus non eſt hic locus enarrandi, (eadem enim fuſius deinceps enumerabimus) ad Academiam certe *Cantabrigienſem* quod ſpectat, cladem haud vulgarem accepiſſe liquet, ſubtractis non tantum exhibitionibus (quas vocamus) ſed & munificentiâ regiâ, aliiſque bonarum Artium incitamentis; quâ de re abunde conqueſtus eſt Univerſitatis ejus [a] Alumnus quidam in hunc modum.

» Quotquot tamen (ipſum audis) Academiam »*Cantabrigienſem* cognitam habuere ex quo ingen»tia hæc regiæ pietatis dona (Lecturas quinque intelligit, & Collegium ibidem pariter fundatum) »per manus veſtras delata habuit, ad ſuſpicandum »haud injuria ducentur, vos Regi ſimul & Aca»demiæ fraudem feciſſe ut opes ipſi congeratis. »Siquidem ante quam regiæ erga literas & inopiam »munificentiæ facti diſpenſatores eſſetis, in domi»ciliis ad Academiam *Cantabrigienſem* ſpectanti»bus comparebant viri ducenti, Theologiæ ſtuden»tes, & maximam partem haud vulgariter eruditi, »qui cum ipſis Ædibus jam penitus evanuere, Pa»tribus juxta Doctoribus, ac optimæ ſpei juveni»bus omnino abactis. Centum porro diverſæ ſortis »Academici, quos aut amici opulenti, aut Bene»ficia quibus fruebantur, in Aulis & Hoſpitiis ale»bant, vel prorſus diſceſſerunt, vel Collegia ingreſſi "ſunt, pauperiores & inopia plane preſſos neceſſariâ "vitæ ſuſtentatione fraudantes. Hi inquam aliò ſe "maximâ ex parte contulerunt. Quod reliquos vero, "eoſque perpaucos, à pietate quidem & induſtriâ "laudandos, attinet; propter rei familiaris anguſtias, "& exhibitionum inopiam ſtudiorum in Academiâ "curſum abſolvere non poſſunt. Eorum ſane pleriq; "inter horas quartam & quintam matutinas è lectis "quotidie conſurgunt, à quintâ vero ad ſextam "precum publicarum lectioni, & exhortationi è ver"bo divino ſumptæ, in Capellis propriis inten"dunt, deinde autem vel ſtudiis ſeorſim vacant, "vel Lecturis ſimul interſunt ad horam uſque deci"mam, tum enim ad prandium ſe conferunt, quorum "quatuor Carnis bovinæ portiunculâ, unico denario "coemptâ, & juris, è ſucco carnis, ſale, & farinâ "avenaceâ confecti, tantillo contenti ſunt.

" A prandio illo tam modico ad quintam veſper"tinam aut diſcunt aut docent, tum autem cœnam "prandio vix potiorem adeunt, quâ finitâ vel de "Problematibus quibuſdam argumentantur, vel in "aliis ſtudiis ad horam nonam decimamve operam "ponunt, ſub id vero horam quaſi dimidiam obam"bulando circumque curſando (focum enim nullum "habent) inſumunt, unde ſcilicet lectum ingreſſuris "pedes calefiant. Atque hi quidem laboris patien"tiſſimi ſunt, neque ſtudiis ſponte valedicturi; verum »enimvero eorum nonnullis, propter exhibitionum defectum reique domeſticæ inopiam, neceſſe erit» eadem abrumpere. Hi ſancti ſunt in vivis, qui» Deo omnibus nervis, abſtinentiâ, ſtudiis, labore,» diligentiâ, vigiliis denique & precibus perpetim» famulantur. Quapropter quod pro ſanctis olim &» fratribus *Hyeroſolymitanis* Divus *Paulus*, id ego» Sanctorum *Cantabrigienſium* vice ſuppliciter peto,» ut Mercatores utique hujus Urbis (*Londinum* vult)» prædivites ſymbola conferatis, & oblationes» veſtras ad Academiam tranſmittatis, ſic enim Deo» placebitis, egenos ſublevabitis, de viris denique» eruditis proſpicietis, quorum operâ boni plurimum» regno iſti proveniat, &c.

Sic ille nuper Collegii S. *Johannis* ibidem Alumnus, quem, regnante dein *Mariâ*, ſolum, fidei cauſâ, vertentem deprehendo. Cæterum *Oxonienſes* quod attinet, malis haud minoribus conflictatos fuiſſe ex innumeris quæ facile adferrem indiciis colligendum non dubito; utpote cum & interverſi Reditus noſtri compareant, & ſubtractæ exhibitiones, ipſis earum Largitoribus bonis omnibus ſpoliatis &, ad ſummam egeſtatem redactis: quorum aliqui, dolore ex præteritis, metu autem ob futura (in pejora enim ruitura credebant ſecula) correpti, ac mente demum turbati ſunt, aliis ex ægritudine animi contabeſcentibus, nonnullis vero ad Artes mechanicas, eaſque ſordidiſſimas, nec à togato memorandas, ſeſe convertentibus. Ne in materiâ tam ingratâ diutius hæream, certo certius eſt Latifundia pleraq; ſacra (Cœnobiis, Collegiis, Cantariiſque adempta ſentio, Regiis tum ſumptibus faciendis, tum ſublevandis pauperibus, reique literariæ promovendæ deſtinata) Reg. *Henrico* perinde ac *Edoardo* aut per fraudem ſurripuiſſe, aut precibus extorſiſſe Viros quoſdam nequiſſimos, & in Pietatis bonarumque Artium peſtem ac perniciem natos; qui cum Laici eſſent, & ab Eccleſiâ moribus juxta ac Munere alieniſſimi, neque ſacrilegorum pœnis neque bonorum omnium hortatu induci unquam potuere ut quæ tanto cum ſcelere occupaſſent vel morituri dimitterent. Sed certiſſima ſacrilegos hoſce vultures manebat pœna; quique raptis ab altari extis, pullos ſuos paſcendos ſpondebant, favillâ eiſdem adhærente, una cum magnificis quos exſtruxerunt nidis, miſere conflagrarunt.

CIↃDXLVIII.

Multum jam laboris inſumpſit *Thomas Cranmerus*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, cum Prælatis reformationi ſtudentibus, in abolendis quibuſdam ſuperſtitionibus; verum cum ad doctrinam quoque puram ac priſtinam revocanda eſſet Eccleſia, exterorum quorundam opem imploravit qui hac nobiſcum in re induſtriam exercerent. Accerſitus cum primis eſt *Melanctonus*, atqui is à ſuis detentus haudquaquam acceſſit, quare *Martinum Bucerum* & *Petrum Martyrem* literis ſollicitavit *Cranmerus*; primo dictum *Cantabrigienſibus*, alterum vero nobis Prælectorem deſtinans, eruditione ſcilicet Theologicâ clarum utrumque, poſteriorem vero in doctrinâ Euchariſtiam ſpectante *Zuinglio* potius quam *Luthero* accedentem. In *Angliam* poſt *Bucerum* paulo trajecit *Martyr*, & apud Archiepiſcopum, in Ædibus *Lambethanis*, aliquandiu commoratus, *Oxoniam* ineunte hoc anno tranſmiſſus eſt, proximoque Termino ſacras literas Regius aperuit Prælector. Is pri-

[a] Tho. Leverus *in concione quadam anglice ad Crucem* Paulinam *his temporibus habita.*

mam

mam ad *Corinthios* Epiſtolam (in quâ ſcilicet Capita plura haberentur Controverſias tum agitatas tangentia) explicare adortus eſt, ſtudia nimirum huc omnia deſtinans, ut errores, quos quidem frequentes jam olim irrepſiſſe conſtat in Eccleſiam, redarguendo, operam Veritati Evangelicæ haud inutilem navaret; quam ſane avidis haud pauci ulnis amplexi ſunt, aliis quæ vera eſſent depreſſo tantum murmure improbantibus; tametſi nonnullos (Collegiorum nempe & Aularum Præfectos, &, quibus in diſciplinam traderentur juniores, Magiſtros) prohibentes repererim, ne Prælectionibus male ſanis (tales enim Pontificiis habebantur) Tyrones intereſſent. Cæterum legentem nemo ad menſes aliquot interpellavit, uſque ſcilicet dum deventum ad Euchariſtiam eſſet, tum enim convelli quam ſcriptis defenderant doctrinam ægre ferentes Academici nonnulli (maxime vero Doctor *Richardus Smyth*, qui prælectiones haſce frequentabat) rumores in vulgus ſpargebant, Antiquorum dogmata evertere *Martyrem*, ritus Eccleſiaſticos concutere, immo adorandum Altaris Sacramentum temerare ſuggerentes.

Poſthæc, inſcio illo & inconſulto (ut quibuſdam placet) Chartas Eccleſiarum oſtiis affigentes Pontificii ſignificabant, diſputationem cum *Petro Martyre* de reali domini in Synaxi præſentiâ poſtridie habendam. Ad Scholas itaque die proximo frequentes contenderunt, & ſubſellia occupantes ſuarum partium homines ita commode collocabant, ut, ſi opus videretur, vel ſtrepitum moverent, vel etiam turbas excitantes omnia permiſcerent; quibuſcum aderant, præter Togatos bene multos, Oppidani quam plurimi, rei partim novitate ducti, partim vero, ſi tumultus aliquis incideret, vel Pontificiis vel Reformatis acceſſuri. Expectabat interim horam præſtitutam *Martyr*, Prælectionem de more habiturus, cum amici quidam intervenerint quænam apud Scholas agerentur nuntiantes, utque domo ſe contineret obſecrantes, quod ex inſolitâ illâ virorum multitudine colligerent rem ad ſeditionem ſpectare, atque Antagoniſtas armis eum non argumentis impetituros. Quibus ille; Turbarum ſe nunquam authorem fuiſſe, prout ipſis eſſet cognitum, cæterum culpandum fore, ſi Munus ſibi à Rege demandatum obire neglexerit; quo tamen ita ſe functurum ſpondebat, ut nullam Pontificiis tumultuandi anſam præberet; dubio autem procul adventum ejus præſtolari complures quorum fallenda non eſſet expectatio. Hinc amicis fidiſſimis ſtipatus ad Scholas perrexit, obvium vero habuit *Smythii*, quem diximus, Servientem, qui chartam porrexit quâ *Martyrem* ille ad diſputandum provocaret. Ibi tum ſuadebant denuo amici ut domum illico reverſus periculo ſeſe eriperet, verum obſirmato is animo Scholam ingreſſus Theologicam, ſuggeſtum conſcendit, ac Adverſariorum audaciam modeſtâ oratione retudit; diſputationem haudquaquam detrectaturum, cæterum Prælectionem in præſentia, cujus gratiâ venerat, habiturum perhibens; ad quam ſe ſtatim accingens, vultu adeo æquabili & immutato linguâ etiam ſtabili & voce expeditâ munus abſolvit (ſpretis interea Adverſariorum clamoribus) ut qui prius doctrinam Viri & eloquentiam nunc conſtantiam (ut dicitur) & fortitudinem obſtupeſcerent.

Ad diſputandum dein ab inimicis, maxime autem *Smythio*, laceſſitus reſpondit, id ſe alio quovis die præſtiturum, paratum enim in præſens non eſſe, quod Quæſtiones illi, contra jus Scholaſticum, ad ipſam diſceptandi horam celaſſent; quibus ita occurrebant Pontificii, tot eum de Euchariſtiâ lecturas conſcripſiſſe, ut quicquid ab ipſis propone-retur, reſponſum in promtu habiturus eſſet. Cum itaque ſatis aliter Adverſariis facere non poſſet, rem tanti momenti (unde ſcilicet periculum eſſet ne ſeditio aliqua oriretur) inconſulto Rege habiturum negavit; interponentibus illis, Diſputationem legitimam habendam iri, Quæſtionibus de more propoſitis, & conſtitutis quorum arbitrio res omnis eſſet moderanda; denique adhibitis porro Notariis, qui utriuſque partis Argumenta & Reſponſiones ſcriptis mandarent. Atque hæc ſane *Martyri* placebant, verum cum rebus iis rite ordinandis tempus minime ſupereſſet, diſputare in præſentia omnino recuſavit.

Cæterum inſtabant adhuc Antagoniſtæ, turbarum nempe quam veritatis appetentiores, quibus ut quæſtio prædicta confeſtim diſcuteretur efflagitantibus, tumultuari cœptum eſt; quam rem ubi advertit Doctor *Wrygbt*, Vicecancellarius, authoritatem ſuam interpoſuit, utque *Smythius* juxta & *Martyr* ad Ædes ſuas, adductis ſecum amicis, accederent præcepit; ubi ſcilicet de Quæſtionibus, atq; earundem diſcutiendarum tempore ac ordine, cum rebus aliis eodem ſpectantibus inter utrumque conveniret. His palam, quo adſtantium pleriſque innoteſcerent, prolatis, Bedellis mandatum eſt ut vulgus amoverent, ac deinceps *Martyrem* adiens Vicecancellarius, manu Virum prehendit, & ex ipſo ſuggeſto domum deducit, ne mali quippiam ab inimicis pateretur cavendum ratus. Is autem ad Vicecancellarium tempore præſtituto acceſſit, comitantibus, præter alios, M^ro *Henrico Sydall* & M^ro *Jacobo Curthoppe*, Ædis *Chriſti* Canonicis, Proteſtantium ſub hæc defenſoribus æque fortiſſimis ac re um dein potitâ *Mariâ* impugnatoribus acerbiſſimis. Adfuit eodem tempore & *Smythius* cum tribus quibuſdam Doctoribus, & M^ro *Arthuro Cole*, ac M^ro *Audoeno Ogletborp*, è Collegio *Magdalenenſi* utroque.

Diſceptatum vero aliquandiu eſt de certâ diſputationis methodo, dum æquum eſſe affirmaret *Martyr*, ut ſibi concederetur quem in Prælectionibus conſueverat, in quæſtionibus quoque propoſitis dilucidandis ordinem ſervare; quâ re tandem impetratâ, abhorrere ſeſe præmonebat à terminis pleriſque Scholarum tantum uſu receptis, barbaris pariter & ambiguis, (ſciebat utique Sophiſtam potius quam Theologum haberi *Smythium*) ac proinde cum de *Chriſti* præſentia quereretur, non aliis quam vocibus *Carnaliter* & *Corporaliter* uſurum, quoniam Euchariſtiam enarrans pagina ſacra *Carnis* tantum & *Corporis* mentionem facit, *Materiâ* interim & *Subſtantiâ* ſilentio preſſis; interpoſuit autem ſe ut iiſdem gratificaretur permiſſurum, ut terminis *Realiter* & *Subſtantialiter* prædictorum vice quæſtiones proponi poſſent. His ita, cum aliis quibuſdam, utrinque agitatis tandemque conceſſis, in eam denique ſententiam venere, rem omnem ſanctiori Regis Concilio permittendam eſſe, & diſputationem prout ab illo decerneretur habendam; cui interim quartum *Non. Maii* aſſignarunt, quod ſcilicet adfuturos ſeſe ſponderent delegati Regii. At vero, ſive aliâ de cauſâ, ſive quod liberam non fore Diſputationem, quin à Magiſtratibus quos dixi ſuffulciendos iri Reformatos, præſentiret, clam ſe (ut aliqui ferunt) ante diem præſtitutum propripu.t *Smythius*; & primo S. *Andream* in *Scotiâ*, deinde *Lovanium* in *Brabantiâ* profectus eſt.

CIↃDXLIX.

Fruſtratâ, velut præfati ſumus, Academicorum ſpe, diſputatio in exitum *Maii*, hujus anni, differtur; jubentibus nempe *Coxo*, Cancellario, aliiſque nonnullis, quibus pariter viſitanda ſub hæc concredebatur Univerſitas, decimo autem ſeptimo prædicti menſis chartam Oſtio Beatæ *Virginis* affigendam curavit *Martyr*, qua Pontificios in arenam Theologicam evocavit; ea vero ſic ſe habuit.

Doctor Smithus (*ut in hac notiſſimum eſt Academia*) *ad diſputandum me publicè provocavit: Quod cum annuiſſem, & de quæſtionibus unà conveniſſemus, tantumque expectaretur tempus idoneum, abiiſſe dicitur. Sed quoniam aſſeruit, me compluribus rem gratam facturam, ſi quod ab eo petebatur præſtitiſſem, ideo in gratiam Studioſorum pietatis, eaſdem quæſtiones quæ inter me & illum, ſi adeſſet, excutiendæ fuerant, publicè diſputare conſtitui, ſive cum eo, ſi adfuerit, ſive cum quovis alio qui ejus loco velit agere: Ac eas (Deo favente) me tam probaturum quam defenſurum recipio. Viſitatores autem Regii diem xxviii. Maii diſputationibus futuris præſcripſerunt, & diſſerendi nobis liberam poteſtatem fecerunt.*

Hinc accenſi confeſtim ſunt & erecti Academicorum animi, qui partibus quibus favebant operam extemplo addixere, precibus, conſilio, libris denique & argumentis ſuos utrinque juvantes, iiſque victoriam, Antagoniſtis autem infamiam, præſagientes. *Oxoniam* poſt paulo pervenere Viſitatorum quos ſupra memoravimus nonnulli, *Coxus* nempe *Oxonienſis* Cancellarius, *Holbechus* Epiſcopus *Lincolnienſis*, *Heyneſius* Decanus *Exonienſis*, *Nevenſonus* Juris Civilis Doctor, & *Moryſonus* Armiger; qui in die præſtituto ab Eccleſia Divæ *Mariæ* ad Scholam Theologicam, præeuntibus Bedellis, perrexere, quibus pro dignitatis ratione Subſellia occupantibus, prodiit cum adjutoribus ſuis *Martyris* Antagoniſta Doctor *Gulielmus Treſham*, Ædis *Chriſti* Canonicus, eoque in ſede prout moris erat locato, conſurrexit Cancellarius, brevique Oratione quid agendum eſſet enarravit. His ita peractis Quæſtiones diſcutiendæ, quas utique cum Provocatione ſuâ propalaſſet *Martyr*, in hæc verba proponuntur:

I. *In Sacramento Euchariſtiæ non eſt panis & vini Tranſubſtantiatio in Corpus & ſanguinem Chriſti.*

II. *Corpus & ſanguis Chriſti non ſunt Corporaliter aut Carnaliter in pane & vino, neque ut alii dicunt, ſub ſpeciebus panis & vini.*

III. *Corpus & Sanguis Chriſti uniuntur pani & vino Sacramentaliter.*

Deinde Proemium (quod vocant) recitavit, ac poſtmodo precatiunc[illegible]m habuit *Martyr*; quem Oratione excepit *Treſhamus*, quâ ſe vices Doctoris *Smyth* libenter ſuſcepiſſe perhibuit; dein autem argumentis à *Martyre* propoſitis pro virili ſuâ parte ſatisfecit. Die proximo, viceſimo nempe nono *Maii*, comparuit Doctor *Gulielmus Cheadſey*, è Collegio *Corporis Chriſti*, aliiſque de more præmiſſis Reſpondentis partes ſuſtinuit, opponente iterum ſuper iiſdem Quæſtionibus *Martyre*. xxx. *Maii* prodivit *Morganus* quidam *Philipps*, *Morganus Sophiſta* vulgo dictus, Magiſter vero in Artibus Aulæque B. *Mariæ* Principalis; is autem Opponentis vices ſuſtinuit, quod idem die proximo fecit Doctor *Cheadſey*, mox ante dictus, quo tempore finem diſputationibus impoſuit Cancellarius, habitâ, ut in re tam celebri par erat, Oratione ſolenni.

Quiſnam hac in paleſtrâ palmam reportarit, facile quidem eſſet ſi ſupereſſent libri tunc temporis editi conjecturam facere; atqui nec ego, nec hominum quiſpiam pro comperto unquam & explorato habiturus eſt, cum ſtudiis ita abducantur omnes qui eâ deinceps de re verba fecerunt, ut fruſtra quis veritatem expecter. Proteſtantes (ſpeciatim *Coxus*) *Martyri*, Pontificii autem ſibi militantibus victoriam tribuerunt; quorum porro noviſſime dicti affirmare non dubitant, quod *Martyrem Smythius*, priuſquam *Oxonio* excederet, elinguem haud ſemel reddiderat. Utcunque tamen, diſſimulandum non eſt *Smythium*, *Treſhamum*, necnon *Cheadſeium* eruditione eximiâ præditos fuiſſe, immo Sodalitiorum pariter ad quæ ſpectarent ac ipſius Academiæ ornamenta eo nomine emicuiſſe. *Morganus* vero, ſi ætatem viri haud ita maturam ſpectemus, *Oxonienſium* nemini ſecundus videretur, quod & exercitia ejus quotidiana monſtrabant; ſiquidem Concionibus & Prælectionibus famam ſibi haud vulgarem comparavit, in congreſſu autem Philoſophico parem non agnovit. Atque hæc ea ſunt quæ de certamine illo Theologico memoranda duxi, multa enim, brevitati ſtudens, conſultò prætermiſi. Id unice addam, de Euchariſtiâ, ſive in concionibus ſive in diſputationibus, ſive denique in colloquiis familiaribus, diſſerentes Theologos nonnullos reformatos indignis adeo modis ſacra myſteria tractaſſe ac ſi non tantum non adoranda, verum ludibrio & contemptui habenda decreverint; quâ ratione currentem, quod aiunt, plebem incitabant, nil enim ſolennius jam erat quam ut ludis, cantilenis, profanis denique & ludicris vulgi ſermonibus, materiam præberent ſacræ Synaxeos ſymbola. Cæterum hæc ubi percrebuere à Domino Protectore & ſanctiori Regis Concilio mandata [a] ad Academiam deferuntur, de Corporis Dominici myſteriis (ſecundum legem in Conventu Parliamentario, an. CIↃDXLVII. rogatam) animo admodum ſobrio ac demiſſo, prout eruditos potiſſimum deceret, venerandis; ne ſcilicet iram non tantum divinam ſed & regiam incurrerent.

Ad Viſitationem quam ante attigimus quod attinet, ejus occaſionem atque ordinem proximo in loco enarrabimus. Poſtquam ergo Regi, Domino Protectori, regioque Concilio innotuit, in tantâ rerum perturbatione verſatam huc uſque Academiam, ut ab erroribus hauddum purgata Theologos regno eruditos & orthodoxos ſuppeditare non poſſet, Viſitandam propediem decrevere, eamque in rem [b] nominati ſunt in Regiis literis patentibus:

Johannes Dudley Comes *Warwicenſis*, Vicecomes *L'iſle* & magnus Camerarius *Angliæ*.

Henricus Holbech, *Nicolaus Heath* } Epiſcop. { *Lincolnienſis*. / *Roffenſis*.

Gulielmus Paget, miles, familiæ regiæ Antigraphus ſeu Contrarotulator.

Gulielmus Petre, Miles, primarius Regis Secretarius.

[a] *In pix. AA. in turri Schol. nu.* 37. [b] *Ex faſciſc. billarum ſignatarum* 3. Ed. VI. *part.* 1. *in dom. converſ.*

Richardus

Richardus Cox, Ædis *Chriſti* Decanus, Eleemoſynarius regius, & juventutis ſuæ Inſtitutor.

Simon Heynes, Eccleſiæ Cathedralis *Exonienſis* Decanus.

Chriſtophorus Nevenſon LL. D.

Richardus Moryſon, Armiger.

Quibus utique hoc anno, & *Maii* ſpeciatim octavo, commiſſa eſt poteſtas Univerſitatem *Oxonienſem* in Capite & in membris (prout loqui ſolent literæ Regiæ) necnon Capellam Regiam, in Caſtro *Windelſoriano* ſitam, & Collegium *Wintonienſe*, Viſitandi; quod vel ſingulis eorum vel pluribus facere liceret. Sub id porro Academiæ per [a] literas præcepit Rex *Edoardus*, nequi Togatorum ad Præſidis alicujus, Socii, vel etiam Scholaris electionem deſcenderent, aut aliud quippiam patrarent, quod Viſitationi iſti obſtaret, fraudemve faceret; unde nimirum evenit, ut, neglectis in damnum rei literariæ haud modicum ſtatutis publicis & privatis, vigente prædictorum authoritate, Academicorum nemo, illis inconſultis, munus aliquod aſſequeretur. De *Coxo* quidem non eſt diſſimulandum; ſtatutorum illum cujuſque Collegii rationem non habuiſſe, ſed amicos ſuos & clientes Collegiis paſſim intuliſſe; ſiquidem (ut alios referre ſuperſedeam) *Mauritium Ley*, natione *Hibernum*, inter Socios *Exonienſes*, quod per Collegii ſtatuta non licuit, collocavit; ac *Edmundum Coles* Armigerum, eruditionis Academicæ prorſus expertem, ſociis *Omnium Animarum*, *Georgium* vero *Cartwright*, ex Agro *Notinghamienſi*, oriundum (unde nimirum ſodalitio illo ſecundum ſtatuta excluderetur) Collegii *Corporis Chriſti* ſociis ingeſſit; ut *Johannem Edwards* omittam, *Orielenſibus*, ut opinor, per fraudem haud diſſimilem additum. Inſuper autem, ex literis poſtremo dictis conſtat, ſuſpenſam fuiſſe ſtatutorum Academicorum executionem, dum abrogatâ quodammodo Præfectorum noſtrorum & Magiſtratuum juriſdictione, penes Viſitatores unice eſſet ſupplicium delictis irrogare, quæ res turbis & flagitiis haud paucis occaſionem (ut infra docebimus) poſtmodo præbuit. Cæterum ad Viſitationem ipſam fuſius nonnihil enarrandam accedo, ex regio diplomate quænam delegatis præſtanda incubuere proximo in loco exhibiturus. Mandatum vero illis eſt:

I. *Omnia & ſingula Collegia, Aulas, Hoſpitia, & loca alia quæcunque, exercitio Scholaſtico deputata, tam exempta quam non exempta ibidem conſtituta, eorumque Præpoſitos, Magiſtros, Gardianos, Rectores ſive cuſtodes, ac Socios, Scholares, Studentes, Miniſtros & perſonas alias quaſcunque in eiſdem commorantes; deque ſtatu locorum ejuſdem Univerſitatis, nec non ſtudio, vita, moribus & converſatione, ac etiam qualitate perſonarum in eiſdem degentium ſeu Miniſtrantium modis omnibus, quibus id melius & efficacius poterunt, inquirere & inveſtigare, criminoſos ac delinquentes, ſocordes ac ignavos atque culpabiles condignis pœnis uſque ad dignitatum, ſocietatum & officiorum ſuorum privationem, aut ſtipendiorum, proventuum & emolumentorum ſuorum quorumcunque ſequeſtrationem vel quamcumq; aliam congruam & competentem coercionem punire & coercere, atque ad probatiores vivendi mores modis omnibus quibus id melius & efficacius poterunt reducere.*

II. *Contumaces & Rebelles, cujuſcunque ſtatus & conditionis fuerint, ſi quos invenerint, tam per cenſuras Eccleſiaſticas quam etiam incarcerationem & recognitionem, acceptationem & quæcunque alia juris Regni remedia compeſcere.*

III. *Pecunias impendendas quotannis in exequias & convivia, in lectiones publicas vel privatas, ad alios uſus magis convenientes & in alias formas convertere.*

IV. *Pecunias autem in aliquo Collegio impendendas ex fundatione ejuſdem Collegii in Choriſtas, Cantores, & alias impenſas ratione quotidiani ſervitii (ut vocatur) Eccleſiaſtici: aut in pueros grammaticales ad alimentum, ſociorum vel Scholaſticorum ad Philoſophiam vel alias Artes diſcendas in eodem vel alio Collegio conſtituendas, convertere. Magiſtros, Præpoſitos, Præſidentes, Socios vel Scholares quoſcunque illis officiis indignos non proficientes, ſtatutis Collegii vel commodo Reipublicæ, & bonarum literarum id exigentibus expellere & amovere, & alium & alios in amotorum loco præficere & ſubſtituere.*

V. *Ceſſiones quorumcunque, Præpoſituras, Magiſteria, Præſidentias, Gardianatus, Societates ſeu officia in locis prædictis habenda, coram Viſitatoribus facta ſeu exhibita, auctoritate regia admittere, eaque vacare, & pro vacantibus diſcernere, & in loca ſic per ceſſionem aut alio quovis modo vacantia perſonas habiles & idoneas ſubſtituere.*

VI. *Collegia duo vel plura, ſive regiæ ſive cujuſcunque alterius fundationis fuerint (ſi Viſitatoribus ex utilitate Academiæ videbitur) in unum conjungere.*

VII. *Cantarias, nominaque Cantariarum in quocunque Collegio Fundatarum earumque fundationes mutare, aliaſque appellationes illis imponere, & fructus, reditus, ac proventus dictarum cantariarum ad Scholarium exhibitionem aſſignare, ac dictæ Univerſitatis, ac Collegiorum & Aularum incorporationes, fundationes, ſtatuta, ordinationes, privilegia, compoſitiones, computos & alia munimenta quæcunque exigere & recipere, eaque diligenter examinare & diſcutere, formas divinorum officiorum, diſputationum & publicarum lectionum, collationes quoque graduum & honorum qui eruditionis ergo proponuntur ſtudioſis mutare & in commodiorem rationem inſtituere.*

VIII. *Injunctiones & ſtatuta quæ Viſitatoribus pro commodiore ordine videbuntur idonea, perſonis in eiſdem degentibus nomine regio tradere, & vice & authoritate ſua eis inducere & aſſignare, pœnaſque convenientes in eorum violatores infligere & irrogare, ſtatutaque, ordinationes, conſuetudines, compoſitiones (ſi quas compererint eiſdem contrarias ſive impugnantes) tollere & penitus annihilare.*

IX. *Juramentum obedientiæ & fidelitatis Regi & hæredibus ſuis debitum, deque renuenda, renuntianda, penituſque abneganda Epiſcopi Romani prætenſa uſurpata & ficta authoritate, & quæcunque alia juramenta ex ſtatutis hujus Regni præſtari requiſita ab omnibus infra loca prædicta inſtitutis exigere & recipere.*

X. *Congregationes & convocationes Præpoſitorum, Gardianorum, Studentium & Miniſtrantium pro executione præmiſſorum aut reformatione quacunque*

[a] *In tur. Schol.*

facere, concire & revocare, cauſas etiam inſtantiarum examinare, & fine debito terminare: ac omnia & ſingula alia quæ circa hujuſmodi Viſitationis, inquiſitionis ſeu reformationis totius Academiæ negotia ſive hic expreſſa fuerunt ſive non expreſſa, quæ neceſſaria fuerunt ſeu quomodolibet opportuna, facere & exequi.

Et quoniam ſtudium Juris Civilis (iuquit Rex in his ſuis literis patentibus) *non ſolum jam aliquot annos deferbuiſſe in Academia noſtra* Oxon, *verum etiam propemodum extinctum eſſe nobis indicatum eſt, præcipuam vobis omnibus curam & ſollicitudinem imponimus, ut quibus poteritis viis & modis illud excitetis & ampliſicetis, cui ſtudio ut poſſitis amplius mederi, & fructu laboris ac diligentiæ juventutem ad illud accendere, pleniſſimam ac ſummam authoritatem per abſolutam & regiam noſtram poteſtatem vobis conceſſimus univerſum numerum in lege Civili ſtudentem in Collegio B.* Mariæ *vocatæ* **The New Colledge of Oxford**, *in Collegium* Omnium Animarum, *& univerſum numerum in Artibus ſtudentuum in Collegio* Omnium Animarum, *in Collegium prædictum B.* Mariæ, *commutandum, transferendum & conſtituendum, prout vobis commodiſſimum fore videbitur. Sic ut in Collegio* Omnium Animarum *tantum ſint qui legis Civilis ſtudio vacabunt, & in Collegio B.* Mariæ *prædicto, illi tantum ſint, qui artium & verbi Dei ſtudio poſthac ſemper incumbent.*

Dedimus quoque vobis, (inquit præterea Rex) *auctoritatem, Collegium Medicinæ in aliquo idoneo loco dictæ Univerſitatis conſtituendum, deputando aliquod unum Collegium illi ſtudio quodcunque vobis videbitur, & eos ſocios in illo Collegio Medicinæ deputando, qui ad Medicinam ſtudium ſuum velint convertere, ſi ad hoc per vos idonei judicabuntur, ſocios Collegii noſtri Medicinæ faciendum, eos vero qui nolunt ſequi illam artem, vel ad eandem minus idonei judicabuntur, in alia Collegia transferendum, vel penſiones Magiſtro ſive ſociis illius Collegis aſſignandum*, &c.

Authoritate itaque ampliſſimâ donatis Viſitatoribus, eorum haud pauci *Oxoniam* pervenere, quæ ſibi mandata eſſent exequenda cogitantes. Cæterum Concioni imprimis interfuere, à Doctore *Martyr* in hæc verba, è capite XVI. Evang. ſecundum *Johannem* deſumpta, habitæ; *Amen Amen dico vobis, Quicquid à Patre in meo nomine petieritis conceſſurus eſt vobis.* Is vero Textu prius de more dilucidato; ſermonem ad Delegatos convertit, ſeculi preſentis mala enarrans, hominumque ingenia ab ipſis rerum primordiis ad pejora ſemper proclivia oſtendens, quibus ſubjecit tempus à bonis omnibus expetitum *Oxonienſibus* tandem obtigiſſe, quo ſcilicet (quod Magiſtratibus potiſſimum incumbit præſtandum) purgatâ Univerſitate, pietatis æque ac literarum Proſeminio, Eccleſiæ pariter & Scholis conſuleretur, & inſtitutâ utrobique ſaluberrimâ diſciplinâ, de Viris in poſterum proſpiceretur, qui populum Dei ad ſupremi tum Numinis cultum, tum ad Artes vere bonas & ingenuas informarent, &c. Nonnulla deinceps addidiſſe *Martyrem* quæ Pontificiis haud adeo cordi eſſent minime ignoro, verum, ut illa tacitus prætermittam, conſtat quod ad rem ipſam accincti Viſitatores Collegii cujuſque ſtatum, Alumnorum nempe numerum, ſtipendia, & mores inquirebant; nonnullis, qui Proteſtantium nimirum Religionis impugnatores acerrimi fuerant, quæſtionem haudquaquam ferentibus, atque Academiæ propterea ultro valedicentibus; quorum aliquos ad Collegia *Novum*, *Magdalenenſe*, & Ædis *Chriſti* ſpectaſſe reperio.

Quod deſides attinet & maleferiatos, Collegiis illico pulſi ſunt, ipſique plebi ludibrio habebantur; verum licet circa exequias, & convivia (velut mandatum ſupra intelligas) quæcunque fierent haud ita multis diſplicerent, Choriſtas tamen Pueroſq; ſymphoniacos ſtipendiis (quæ Philoſophiæ ſtudio deinceps erant aſſignanda) privatos ægre admodum tulere Oppidani, utpote quorum filii perplures iiſdem paſcerentur ad Artes triviales in Collegiis erudiendi. Quapropter literas illi ſupplices, in domo ſuâ Municipali, communi omnium conſenſu exaratas, & ſigillo urbano ſignatas, Regi detulere; ut mandata hac ex parte ſua revocaret efflagitantes. Ibidem vero Regi *Edoardo* ſignificabant, filiorum ſuorum complures eliminatos jam eſſe, periclitantibus reliquis, quorum in Collegio altero triginta, in alio quadraginta, in tertio denique quinquaginta reperirentur, quibus Victum, Veſtitum, & diverſorium ſuppeditarent ſodalitia, in Logicâ porro aliiſque Artibus inſtruendos procurantia. An addam ſcholæ ſpeciatim *Magdalenenſis* mentionem facere Cives, ubi ſuorum haud pauci literarum inferiorum exercitiis aſſueſcerent, demum vero ſubjungere, quod ſi neceſſaria hæc ſtudiorum ſubſidia puerulis adimerentur, id ſibi ac poſteris ſuis dolendum impendio fore. Hunc inquam in modum damna quæ paſſuri eſſent Oppidani Regi *Edoardo* aperiebant, qui quidem Optimatum quorundam, Academiæ præſertim faventium, ſuaſionibus impulſus votorum aliquâ ex parte compotes faciebat. Cæterum ad alia jam delegatorum geſta venio, qui de Collegiis pluribus in unum redigendis conſilia miſcebant, verum incœpto poſtmodo abſiſtebant, monentibus quibuſdam neceſſe id nequaquam fore, quod licet tenuiores tum eſſent Sodalitiorum aliquorum proventus, ſperandum reformatâ tamen Religione, rebuſque Regni & Eccleſiæ pacatis, Benefactores brevi emerſuros quorum pietate ampliores longe redderentur; quodque Rex ipſe decreverat Rectorias haud paucas & Latifundia Cœnobiis nuper adempta Collegiis illis tranſcribere. Memoriæ proditum eſt in uniendis uti dictum Collegiis induſtriam præ aliis exercuiſſe *Coxum*, Viſitatorum (quod præfati ſumus) alterum, & Ædis *Chriſti* Decanum; cui tamen authoritate haud modicâ pollenti in irritum cecidere conatus, neſcio an quoniam res omnis ſuffragiorum numero tranſigeretur, an quia turbante mirum in modum Republicâ tanto negotio haud ſatis vacarent Delegati.

Ad Cantarias Collegiatas quod ſpectat, earum aliquæ in Scholarium inopum ſtipendia (exhibitiones vulgo appellantur) converſæ ſunt, aliis tamen, maxime vero quæ in Eccleſiis Parochialibus erant, quarum aliquot patronatus ad Collegia ſpectabant, ad uſus plane diverſos applicatis. De Juris Civilis ſtudioſis à *Novo* Collegio ad *Omnium Animarum* (quod in mandatis acceperant) deductis haudquaquam conſtat, quare priſtinas utrobique leges & conſuetudines perpetim invaluiſſe crediderim; ſed nec de Collegio Medicis aſſignato quicquam reperitur, quod negotiis Regni publicis tribuendum, quibus dum Delegati plerique omnes diſtinerentur, Viſitationis Academicæ pars maxima trium vel etiam pauciorum humeris incubuit. Sub idem vero tempus quo ſupra dicta præſtitere, Regiminis Academici formam, acceptâ eam in rem poteſtate, immutarunt,

mutarunt, abolitis quæ ad Cultum divinum pertinerent consuetudinibus haud paucis (quod idem & *Cantabrigiæ* à Visitatoribus aliis eodem quasi tempore fiebat) conditoque novo illo Satutorum a Codice, quæ postmodo *Edoardi VI.* statuta, aut, brevitatis causâ, statuta *Edoardina* audiebant; quæ licet antiquis Academiæ legibus plerumque adversarentur, vigorem tamen suum, donec Statuta usque hodie invalescentia procuderentur, retinebant.

Cæterum pedem jam aliquantisper referamus, quæ ante inchoatam *Oxoniæ* Visitationem fierent revisuri. Eorum nonnulli qui reformandam sperarent Religionem, injuriis tum privatis tum publicis Pontificios onerabant, maxime vero postquam intellexere antiquata quodammodo esse, (suspensâ nimirum ex literis Regiis eorum executione) Collegii cujusque Statuta. Ut Concionatores aliquos omittam, antedictos convitiis omnimodis & maledictis intemperanter cumulantes, (in concionibus etiam frequenter vocabant filios meretricis *Babylonicæ* & tales, *qui haberent formam pietatis, sed qui vim ejus abnegarent*) *Thomas* quidam *Bickley*, è junioribus Collegii *Magdalenensis* Alumnis, spreto edicto Parliamentario regiâque irâ posthabitâ, in vigilia *Pentecostes*, dum Missarum solennia celebrarentur, ad Capellæ *Magdalenensis* Altare supremum perrexit, sacraque Corporis Dominici symbola proterve & irreverenter corripiens in terram comminuta disjecit; stupentibus quotquot aderant irâque percitis, eorum vero animis qui è longinquo, propter Festi celebritatem, advenerant quam maxime exacerbatis. Eodem quasi tempore *Henricus* quidam *Bull*, ejusdem Collegii Alumnus, Thuribulum, in dictæ Ecclesiæ choro, sacrificulo immodeste eripuit: cujus temeritati accessit Baccalaurei cujusdam, cognomine *Williams*, audacia; is enim juramentorum de tuendâ pace vinculis susque deque habitis, sacra facientem, ac Evangelio jam perfunctum adytis protraxit, librumque quo usus fuerat fastidiosè abjecit. Porro autem nec ausis hisce temerariis contenti ex præfato sodalitio Academici, accitis sibi junioribus quibusdam secures comparabant, Chorumque ingressi Codices libris XL. minimè coemendos dissecabant. Alia vero contra statutorum decreta, pacem publicam, & bonos mores, perpetrata lubens prætereo, quibus apertissime adversus Domini Protectoris sententiam deliquerunt togati, nec solum Disciplinam Academicam sed & Regis *Edoardi VI.* gesta & consilia turpissimâ labe conspersérunt; atque inde magis dolebant boni omnes, quod quæ supra retulimus haudquaquam ab ignarâ, & in pessima proclivi plebe, verum à togatis potissimum, qui scilicet reformandæ Religionis Authores haberentur, fieri animadverterent.

Cæterum ad Collegium retrodictum, (in quo utique maxima Togatorum pars ad Protestantes transierat) quod attinet, purgandi Cultus divini fervor inferioris notæ Viros haud unice corripuit; siquidem Præses reliquique sodalitii Magistratus, Doctorem *Coxe*, Ædis *Christi* Decanum, imitati, neque mandata Domini Protectoris expectantes, sacrorum celebrationem in plerisque immutabant. Hi autem Missarum Pontificiarum (quibus sane magna populi frequentia interesse solebat) in locum preces publicas totamque liturgiam, qualis nempe apud sacellum regium recepta jam fuerat, invexere; missas tamen quas *Dominæ* & *Crastinam* vocant retinendas judicabant, usque dum vel Visitatorum, vel Regis ipsius & Sanctioris Concilii jussu abolerentur. Insuper Ceremonias pleraſque, maxime vero quæ sacri Baptismatis fontem respicerent, è medio tollebant; neque quem dejecisse *Bickleium* prædiximus elevari denuo panem permiserunt. Denique, ne his diutius immorer, dispendia tam gravia in Collegio illo passæ sunt Romanistarum partes, adeoque ipsum Collegium, ut Epistolâ [b] XVIII. Cal. *Jan.* anno Dom. CIↃDLIV. scriptâ Cardinali *Pool* adventum suum in *Angliam* congratulati ejusdem Socii, Patrocinium Viri non alio nomine efflagitarint. Alia jam recenserem in Collegiis reliquis temere perpetrata, nisi ad majoris momenti negotia festinarem, atque prædictorum consimilia ex rapido quodam zeli æstu, maxime vero ex captandæ Visitatorum gratiæ desiderio, gesta intelligerem.

CIↃDL.

Ad Delegatos tandem regios revertor; quorum nonnulli *Oxoniæ* etiamnum perstitere, ea peragentes quæ viros literas humaniores & pietatem Christianam professos minime decebant. Etenim summa Universitatis ornamenta, simul & præsidia, Bibliothecas nimirum, innumeris tum nostrorum tum exterorum elucubrationibus refertas, diripi aut permiserunt aut ultro etiam jubebant; unde ingens Librorum Manuscriptorum multitudo, nullam (nisi siqua literis rubris in codicum fronte depictis inest) superstitionem præ se ferens, aut flammis aut Latrinæ addicebatur. Libri Theologiam Scholasticam tractantes vilissimas artes exercentibus passim divenditi sunt; quotquot autem circules aut Diagrammata continerent lacerandi protinus vel concremandi videbantur, tanquam certissimis indiciis artis magicæ comperti. Ad Bibliothecam publicam quod spectat, de illius direptione alibi sumus dicturi; quamvis vix mitiora perpessæ fuerint privatæ illæ ad Sodalitia quæque spectantes. Siquidem â *Mertonensibus* librorum manuscriptorum copiam immensam, quantæ nimirum vehendæ vix plaustrum sufficeret, ablatam invenio; hi autem materiam Theologicam, Astronomicam, & Mathematicam tractabant, à Sociis, earum scientiarum famâ duabus tum proxime præterlapsis centuriis quam maxime inclarescentibus, conscripti. Deportati vero usibus turpissimis inserviebant plerique, aliquos tamen ab interitu vindicarunt rerum antiquarum studiosi, quorum de numero habetur *Garbrandus Herks*, natione *Batavus*, & in Beatæ *Virginis* Parochiâ, Bibliopola, cujus à filio dein coemptos Bibliothecæ publicæ, *Bodleii* pietate instauratæ, detulere Viri quidam in *Athenas* nostras animis propensiores; ibidem vero usque hodie comparent, veteribus inscriptionibus dignoscendi.

Cæterum & maximâ ex parte spoliata est Bibliotheca *Balliolensis*, quam tamen libris Collegii *Dunelmensis* aliquatenus mox inde instructam reperio; quos inter numerandi sunt qui quatuor Voluminibus Acta Concilii *Basilienſis* complectuntur, *Balliolensibus* à *Gualtero* (ut opinor) *Wrygbt*, post Collegii *Dunelmensis* ante dicti (cujus nempe Guardianus is erat) Dissolutionem *Balliolensibus* donati. Plerosque autem *Balliolensium* qui supereſſent libros divendidit inde *Robertus Persons*, Collegii Bursarius, atque comparatâ eâ ratione pecuniâ alios Protestantiũ partibus patrocinantes (tales autem in Bibliothecâ

[a] *Lib. statut. E.* [b] *In Reg. Coll.* Magd. *E. fol.* 96.

tum

tum illâ ſcriptores minime deprehendebantur) coemit; quod mirum non eſt cùm is ad Romaniſtas hauddum declinaverat. Bibliothecas porro *Exonienſem*, *Reginenſem*, & *Lincolnienſem* purgatas invenio; quantum vero damni fecerint parum liquet. Hoc certe pro comperto habemus, Antiquorum patrum, P. etiam *Lombardi*, *Tho. Aquinatis*, *Scoti* & Scholaſticorum, quos vocamus, aliorum, necnon Criticorum Opera, denique quæcunque Pontificiorum Scholiis illuſtrata eſſent Volumina, è Bibliothecis tum publicis tum privatis, immo ex ipſis Academicorum Muſæis, turbata fuiſſe.

Inſuper, ne quicquam hac ex parte ad ſummam & impietatem & ſtultitiam, Scriptorum antiquorum contemptum exprimendum deeſſet, magnos dictorum Librorum acervos ad forum publicum in feretris deportabant, flammiſque ibidem tradebant, Juvenes quidam malemeriti, *Scoti* & *Scotiſtarum* funus appellantes; quæ quidem res probum quemque & vere doctum graviſſime angebat, ſequentium vero annorum ſtudiis quam optime præluſit, nam integro *Edoardi* Regno nil aliud *Oxoniæ* deprehendiſſes quam nugatorios quoſdam Argumenti Poetici aut Grammatici libellos, aliaſque otiantis Academiæ vaniſſimas ineptias. Enimvero ſub hæc anniſque prægreſſis tam gravia monumentorum literariorum diſpendia partiebantur Academiæ juxta & Domus Religioſæ, ut mirum non ſit priſcorum ſaltem temporum cognitionem tam obſcuram ad nos deſcendiſſe; eruditionem vero omnimodam, utpote cujus Opes viliſſimo pretio addictæ conſpicerentur, apud potioris primò notæ Viros, dein apud ipſum vulgus, ſordeſcere cœpiſſe. Porro autem Abbatias & Conventus quod attinet, in iis evertendis tam nulla bonarum literarum (quantum ad libros ibidem coacervatos) habita eſt cura, ut *Johannes Balæus*, animo à Pontificiis, ſiquis unquam alius, averſiſſimus, in queſtus eâ de re graviſſimos coram ipſo *Edoardo VI.* [a] proruperit. Siquidem Domicilia illa ſuperſtitioſa coementium plerique librorum inibi repertorum aliquos latrinis adjudicabant, aliis autem in Candelabris Ocreiſve detergendis utebantur, haud paucos vero Aromatariis & ſmegmata vendentibus diſtrahebant, reliquis denique Navigia vectoria onerabant Bibliopegæ, & mercatores, ut apud Gentes exteras, maniores literas non ita barbare tractabant diſtraherentur. Cæterum neque ipſius Univerſitatis alumnos hoc turpiſſimo ſcelere eximit *Balæus*; qui de Propolâ quodam refert, Bibliothecas binas haud incelebres ſolidis quadraginta coemiſſe, quarum libris loco chartæ emporeticæ, (quæ mercibus nempe liſſimis tegumento cederet) decem jam annos uſus eſſet, dimidia eorum parte etiamnum ſuperſtite. Infandum ſane hoc *Anglicani* nominis dedecus, unde his temporibus protritæ omnino & deſpicatui habitæ eruditionis infamiâ merito laboravimus, quibuſcum graviores jam clades acceperunt Artes Ingenuæ quam aut à *Romanorum* olim *Saxonum*que victoriis, aut *Danorum* denique, ut *Normannos* taceam, Incurſionibus.

Memoriæ prodidit [b] Scriptor quidam ſub *Henrico VI.* in pretio habitus, quod Inſulæ noſtræ Regibus ſolenne fuerat, Viros doctrinâ inſignes ſuis paſſim impenſis in Cœnobiis alere, quibus utique incumberet priſcorum Authorum, maxime autem Hiſtoricorum & chronographorum, Opera deſcribere & ab interitu vindicare. Hunc ille morem antiquitus quidem invaluiſſe, ſuis autem temporibus in deſuetudinem quodammodo abiiſſe perhibet, evaneſcentibus inde veterum elucubrationibus. Quod ſi eo vivente ita ſe res habuerit, Artiumque bonarum vicem graviſſime proin doluerit *Gaſcoignus*, quantâ ſolicitudine cruciandum iri exiſtimabimus ſi in hæc tempora incidiſſet? In luctu ſane & mœrore poſiti marcebant boni omnes & eruditi, quorum haud pauci de conſervandis quæ reliqua eſſent rei literariæ monumentis conſilia inibant, ſed propter immenſam qua premerentur Muſarum Sectatores egeſtatem conata nunquam perfecere.

CIↃDLI.

In tam ingratâ materiâ quid ulterius hærendum? Partim turbantis Reipublicæ malis, partim vero Viſitatorum fraude & malitiâ, nobiſcum pariter & *Cantabrigiæ* graviſſime affectæ ſeu magis intermortuæ jacebant literæ. Ad pauciſſimos, ſecula ſi inſpicias antiqua, reciderant Academici, quamcunque potius fortunam experiri quam iniquiſſimis Delegatorum geſtis quodammodo aſſentiri præoptantes. Collegia omnia, potiſſimum vero Aulæ antiquiores, aut Togatis carebant, aut miſerrimæ Fratrum Mendicantium turbæ, Conventibus ubique ſuis pulſæ, in perfugia ceſſere. Aularum reliquæ, inter quas illa S. *Edmundi*, incultæ ab Academicis & deſertæ comparebant; dum bonarum literarum ſtipendia, vel approbantibus penes quos imperium eſſet, vel ſaltem conniventibus, ſubtraherentur. Porro temerata ubique ſunt utriuſq; Academiæ jura, cum Privilegiis nimirum ſuis collapſuras Scholas brevi ſperantibus Oppidanis, qui vulturum inſtar cadaveribus inhiabant, & domuum religioſarum latifundiis paſti, pretiis leviſſimis ſibi adſcriptis; cladibus illis nondum Saturi, Epiſcoporum, Eccleſiarum Cathedralium, necnon Collegiorum reditus, uſque requirebant; furioſi plane homines, quibus non ſubvenit, cum Academiâ urbem perituram; nec diuturnas eſſe illas opes, quæ cito, & per neſas acquiruntur. Conclamatæ quidem adeo res noſtræ videbantur, ut per *Anglium* parentes deinceps filios ad Academias rari admodum tranſmitterent; impenſas in iiſdem educandis neceſſarias, ſtudiorum vero præmia dubia prorſus & incerta, ſecum in animis perpendentes.

Inſuper, qui Muſarum in Caſtris annos complures militaverant conſultiſſimum habebant ad occupationes à Literis fere alienas ſeſe convertere, quâ de re querelas effundentem reperio Ædem quandam *Cantabrigienſem*, quæ annonæ & neceſſariorum, necnon Mecænatum inopiam criminata, plura maximæ ſpei ingenia ab uno quodam Academiæ ejus Collegio avolaſſe affirmat quam in reliquis omnibus ſupereſſent. Hæc in Epiſtolâ quadam à Sodalitio Divi *Johannis* ad Ducem *Somerſetenſem*, Dominum utique Protectorem, datâ occurrunt cujus ſane partem aliquam, rerum nempe cognitu dignarum refertiſſimam, hunc in locum tranſcribere non verebor. Ibidem vero recenſitis duabus quibuſdam Sodalitii ſui calamitatibus, ad tertiam denique in hæc verba deſcenditur. --- *Diu nos preſſit, in miram anguſtiam compegit, & in extremam conditionem non nos ſolum ſed reliquos omnes ſtudioſos detruſit. Quæ illa eſt? Duriſſima caritas omnium rerum vendibilium. Augetur pretium omnium, pecuniæ noſtræ*

[a] *In præemio ſuo ad librum cui tit. eſt* Iter laborioſum Johannis Lelandi *pro* Angliæ Antiquitatibus obtinendis *edit. anglicè* Lond. 1549. [b] Thomas Gaſcoigne *in* 1. *part. Dict. Theol. p.* 485.

noſtra non augetur. Quomodo olim duodecem denariis, nunc non licet vivere viginti. Qui authores ſunt tantæ miſeriæ? Dicemus, & domino monente ac demonſtrante dicemus. Sunt illi qui domum ad domum conjungunt, qui rapinas pauperum congerunt, qui fructum eorum rariſſimè comedunt. Hæc dicit Dominus per Eſaiam *Prophetam, nos apertiùs loquemur. Sunt illi, qui hodie paſſim in* Anglia *prædia Monaſteriorum graviſſimis annuis reditibus auxerunt. Hinc omnium rerum exactum pretium: hi homines expilant totam Rempublicam. Villici & coloni univerſi laborant, parcunt, corradunt, ut iſtis ſatisfaciant: hinc ſinguli coguntur ſingulis imponere, & univerſa Reſpub. graviſſimè premitur. Hinc tot Familiæ diſſipatæ, tot Domus collapſæ, tot communes menſa aut jam nullæ, aut in angulos & latebras concluſæ. Hinc (quod omnium miſerrimum eſt) nobile illud decus & robur* Angliæ, *nomen inquam Temannorum* Anglorum *fractum & colliſum eſt. Et hæc etiam miſeria maximè redundat in authores ejuſdem. Quotuſquiſque enim eſt Mercatorum* Londinenſium, (*hi homines hanc miſeriam mirificè concitârunt*) *qui non anguſtiùs, tenuiùs, & preſſiùs his temporibus vivit, quàm cùm paſſi ſunt alios homines vivere? In nullam partem Reipub. majori impetu invaſit hoc malum quàm in rem literariam: reliqui homines ita liberi ſunt ut poſſint quærere ſibi vitam; ſtudioſi non quærunt, ſed quæſitam recipiunt: quæ ſi augetur, hoc fit non operâ illorum, ſed bonitate aliorum. Poſtremò, debet pecunia noſtra, aut major eſſe, quod cupimus; aut caritas rerum minor eſſe, quod per Te fore ſperamus; aut fructus ſtudiorum minimus erit, quod maximè omnium metuimus. Hæc tanta caritas rerum & hæc nulla Charitas hominum intra hos paucos annos expulit ex hoc uno Collegio plura optima ingenia, quàm nunc ſunt perfectè docti viri in tota Academia: nec ſolùm expellit præſentes, ſed aufert unà etiam univerſam abſentium ſpem.*

Cæterum nec ſidus aliquod *Oxonienſibus* benignius affulſit, utpote apud quos non tantum rareſcere cœperunt præſtantioris eruditionis Academici, verum & ipſa primarum Artium proſeminia (Scholas Grammaticales volo) prorſus exaruere, tametſi eorum nonnullis ſtipendia etiamnum penſitata fuiſſe haudquaquam diſſimulabo. Sed neque in Univerſitatibus conſtiterunt Delegatorum Regiorum ſcelus & Avaritia, qui ſuis invicem veſtigiis inhærentes Ludos ubique literarios, egregiâ majorum pietate inſtitutos, everterunt, peſſumque dedere; proximorum annorum inſcitiæ viam hac ratione apertiſſimam ſtruentes, poſteroſque tenebris adeo ſpiſſis damnantes, ut opus aliquanto poſt fuerit Parochis, infantia pluſquam puerili deſipientibus, injungere, ne in publico prius comparerent quam & Scripturæ Capita & Homilias ſecum ſemel atque iterum evolviſſent.

CIↃDLII.

His inquam, &, quæ ſuperventura videbantur, gravioribus rei literariæ detrimentis (ſiquidem omnia in peius ſemper ruebant) tribuendum, quod Academiæ noſtræ univerſi fere valedixerint Togati. Quanquam enim in caſus quantumlibet adverſos obduruerant; hæc deerat conſtantia, poſſe pereuntem Matrem Academiam coram ſpectare: alibi tertarum extrema quæque ſuſtinuiſſe pars quædam felicitatis videbatur: proinde confertim hinc fugere ac ſi Seceſſionem aliquam ſolennem molirentur, aut peſte, aut belli injuriis abacti fuiſſent. Revera Univerſitatis an forma qualiſcunque vel maxime incondita ſuperfuerit ambigendum arbitror, cum Scholas publicas quatuor vel quinque, Theologicæ illi Auſtrum verſus adſidentes, ad Collegia vero quædam ſpectantes, coemptas ab Oppidanis repererim, qui eaſdem ſolo complanantes, aream ipſam Hortis ſuis addiderunt, Tegulis autem & Materia in Domiciliis ſibi extruendis utebantur. In Scholis Artium, à D. *Thoma Hokenortono* Abbate *Oſneienſi* ſub *Henrico VI.* conditis pannos exſiccabant mulierculæ lotrices; ipſâ earum areâ, Scholis ſupra dictis vicinâ, in Hortum pariter converſâ. Siquidem diſputationes Quadrageſimales, quibus maxime inſerviebant Scholæ præfatæ, antiquarant Viſitatores, ſubſtitutis in earum locum declamationibus, quæ alibi præſtitæ fuerunt & quamvis eaſdem denuo [a] revocarit D. *Joh. Maſon*, Miles, (qui utiq; in Cancellarium hoc anno delectus eſt) Scholas eâ ratione frequentandas iterum ſperans, non plures tamen ſexdecim Determinantibus in Academiâ reperti ſunt; quippe licet Togati jam mille & quindecim in Collegiorum & Aularum Albis [b] comparerent, eorum tamen pars maxima Univerſitati in æternum renuntiarat.

Quod reliquos vero attinet, ad Reformantium ſe partes plerique adjunxerant, quorum zelus (propter capitale odium quo Religionis Romanæ aſſertores, à quibus graviſſima nuper paſſi eſſent proſequebantur) per anteperiſtaſin quandam intenſiſſimus evaſit, adeo ut terminos Philoſophicos (quoniam apud Romanenſes receptos) non vanos tantum, ſed & ſuperſtitioſos haberent; exercitia proinde antiqua aſpernati, Gradus autem academicos Antichriſtianiſmi, ut ita dicam, arguendos exiſtimantes; quos nonnulli in tantâ rerum perturbatione, & evertendæ prorſus Eccleſiæ metu ſuſcipere recuſabant, alii interim qui melius ominabantur, ex inopiâ & ſtipendiorum ſolitorum defectu aditu ad eoſdem præcludebantur. De literarum titulis inſuper habitis atque honore violato non eſt quod queramur; cum eruditio ipſa animam ageret, ultimumque duceret ſpiritum: ruentibus Scholis, & exercitiis Philoſophicis è medio ſublatis. Quin in eum ſtuporem perventum; ut concionatori cuidem in initio Reg. *Elizab.* qui ſe *Oxonienſem* jactitaſſet, ad incitas redegerit ridicula hæc quæſtio; quæ pars orationis eſſet vox iſta, *decenter?* qui ignorantiam hac excuſatione etiam defendebat quod nuperi Viſitatores, omnia exercitia Academica & inſtitutionis methodos quo tempore illic egerat abrogaſſent. Sed quid ego circa temporis hujus barbariem, Determinantium paucitatem, domicilia Muſis erepta aut dilapſa penitus, immoror. Eo jam proceſſerat inſana delegatorum pietas, ut ipſæ Univerſitates Aſinorum ſtabula, Meretricis *Babylonicæ* Lupanaria, Scholæ poſtremò Dæmoniorum delubra vulgo audirent. Quod ſi Academiæ noſtræ ſtatum ulterius inſpicias, fiſcum publicum Vaſis olim argenteis, pecuniâ, & ceimeliis, quæ jocalia vulgo audiunt, aliâque ſupellectile innumerâ Benefactorum pietate refertum, aut ab ipſis Reformandæ Academiæ authoribus, aut ab Academicis Pontificiis *Oxoniæ* in perpetuum valedicturis direptum expilatumque invenies.

Sublata ſunt ſtudiorum noſtrorum, maxime vero quæ à ſede Romanâ fuerant conceſſa, munimenta, convulſis Regiſtrorum haud paucis ſcriniis, Ciſtiſque,

[a] *Reg. I. fol.* 135. *b.* [b] GG. *fol.* 68. *a.*

quotquot reliquæ erant (in quibus pecunia antiquitus deponi à rei literariæ Mecænatibus solebat ad angustioris fortunæ togatos sublevandos) spoliatis omnino & exinanitis. Denique, ne omnia persequar, nil plane prætermissum est quod ad disciplinam Scholasticam, rei literariæ decus & incrementa, nominisque togati gloriam, delenda aliquatenus pertineret. Hinc autem animos, ut fit, sumentes Oppidani libus Academicos vexare haudquaquam reformidabant, quippe *Martiallum* & *Rogersium*, Procuratores, quod domum ejus noctu sæpius, mensibus *Junii* & *Julii*, pro jure suo essent ingressi, furti & Feloniæ aliorumque gravissimorum criminum [a] postulabat *Edoardus Formannus*, Civis *Oxonienſis*; Majoris eâ in re, & Magistratuum urbanorum consilio ac authoritate usus. Hunc inquam in modum (neque enim reliquas improborum Civium injurias referre vacat) violatis Academiæ juribus, nil antiquius videbatur quam ut ad *Coxum* Cancellarium, & *Goodrichium* Episcopum *Elienſem*, supremum vero Regni Cancellarium, supplices [b] confugeremus; quorum nisi interveniissent ad Oppidanos [c] literæ (quibus nempe Vigiliarum jura Procuratoribus asserebant, Chartæ porro *Henrici IV.* de Seneschallo, deque Scholarium causis coram Judice alieno minime agendis, mentionem facientes) imminutam proculdubio dignitatem habuisset, vel Civibus fortean subjeciſſet deinceps Universitas.

CIↃDLIII.

Turbulentum, ne pejus dicam, *Edoardi VI.* Regnum prætervecti jam sumus, *Mariæ* Reginæ sceptrum capessentis tempora attingentes; quæ quidem profligatam ex *Anglià* dominationem & religionem Pontificiam in integrum restituit, nonnulla tamen præstitit quæ ad recreandam quodammodo Academiam, & suscitandam tepentem adhuc suis in cineribus eruditionis favillam, haud parum conferrent. Imprimis vero juramenta nupera, maxime autem de rejiciendâ Pontificis Romani authoritate, abrogari jussit, vetito ne Collegiorum Socii aut Præsides iisdem ulterius onerarentur, quâ de re ad *Magdalenenſes* speciatim [d] transmittuntur mandata, quod non alibi scilicet injurias adeo graves perpessi fuerant Pontificii. Cæterum in revocandis Romanæ Religionis ritibus tam graviter desudabant Academici revocati juxta & Oppidani, ut *Maria*, pensandam eâ in re *Oxonienſium* industriam cogitans, publica Regni Comitia celebranda nobiscum decreverit; tametsi mutatâ postmodo sententiâ Senatum *Westmonasterii* indixerit.

Sub id vero, Protestantium Præsul, *Thomas Cranmer*, Archiepiscopus *Cantuarienſis*, è Turri *Londinenſi Oxoniam* amandatur, coram Reginâ Regnique Ordinibus de iis quæ sub *Edoardo VI.* gesserat rationem redditurus; verum habito, ut modo dictum, alibi Parliamento, de viri dogmatis (quæ & nobiscum acerrime defendebat, propugnatâ maxime Reformatorum circa sacram Synaxin sententiâ) quæstionem instituunt Academici, damnatisque ejus libris hæreticæ pravitatis reum pronuntiant. At vero his inpræsentiarum omissis, utpote fusius deinceps enarrandis, ad *Mariam* redeo, quæ sane Universitatem vultu admodum benigno lustravit, & non tantum Scholas Musis redditas pristino donavit splendore, verum & vim antiquam obtinere jussit vetera Academiæ Statuta, immo bonarum se Artium altricem præstitit, Rectoriâ de **Southpetherwyn**, in Agro *Cornubienſi*, Rectoriâ de **Seyston** in Agro *Leiceſtrenſi*, & Rectoriâ de **Holmcultram** cum Capellâ de **Newton** *Arloch*, in Agro *Cumberlandenſi*, Universitati transcriptis; quarum prima ad Prioratum de **Olvescroft**, tertia vero ad Cœnobium de **Holmcultram** nuper spectarat. His inquam Beneficiis Academiam auxit Regina *Maria*, cujus Charta [e] eam in rem data est 11. *Maii* anno Regni primo; quæ quoniam rei, sub Rege *Edoardo VI.* literariæ miseram commemorat conditionem, operæ pretium duco ut partem ejus aliquam Lectori exhibeam:

Regina omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint salutem. Gravissimorum hominum testimoniis ad aures nostras perlatum est, ac certissimis quibusdam rationibus nobis quasi ob oculos positum, nostram illam Academiam quæ Oxonii *sita est, alterum totius regni lumen, olim bonarum literarum omnium celeberrimum emporium, sic & temporum injuriâ afflictam esse, ut penè inculta jaceat, & inopiâ harum rerum quibus dignitas omnis sustinetur adeo oppressam esse, ut extincta jam penè & quodam quasi squallore contabuisse videatur. Publicas enim illius Scholas, in quibus olim fiebat statis quibusdam & solennibus diebus frequens discentium concursio, vastatas & in privatos hortos conversas: Publicum thesaurum direptum: ornamenta publica ablata, & publica vectigalia ita tenuia, imò ita ferè nulla esse accepimus, ut neque publicis usibus aliquâ ex parte sufficiant, neque publicarum causarum defensioni & injuriis propulsandis respondeant. Nos igitur Academiam illam quâ contemtâ & desertâ nec orthodoxa fides defendi, nec in rebus controversis veritas erui, nec certè in Repub. justitia administrari potest, penè oppressam & jacentem erigere atque excitare, illiusque squallorem depellere, & inopiam nostrâ munificentiâ sublevare ad regium munus nostrum pertinere existimantes, ut posthac habeat quo & suas Scholas erigat, erectas teneat perpetuis ut speramus futuris temporibus, & se suaque privilegia adversus quarumcunque injuriarum procellas defendat, &c.*

Cæterum invisendi jam sunt ipsi Academici, quos pro diversis partium studiis varie affecit immutata, postquam in Solio confederat *Maria*, rerum facies, exultanribus mirum in modum Romanensibus, & injuriarum quibus lacessiti sub *Edoardo VI.* fuerant vices rependentibus. Porro autem, quod feciſſe Protestantes temere quidem & inconsulte retro dictum imitati sunt Pontificii, missarum solennia, reliquaque quæ ad Religionem suam spectarent in Ecclesias haud paucas confestim revocantes; Reformatis interea Liturgiam Anglicanam retinentibus, tametsi Consessum Parliamentarium animis admodum demissis, spesque quodammodo vacuis, expectarent. Utrinque ergo summa cum industriâ agitur, ut partibus vires decusque accederent. hinc Romanenses, altarium ornatum, missarum solennia, processionum pompam, nec non juventutis tum in bonis moribus, tum etiam in literis institutionem sedulo procurabant: Protestantes itidem Liturgiâ, & concionibus apud populum, (quod fidissimum semper illorum telum) sese exercuere. Atque duplicem ita numinis Cultum in Academiâ tantisper perstitisse constat; cæterum innotuere post paulo Reginæ circa rem divinam con-

[a] *Ibid. in I.* 130. *b.* & *in* GG. 64. [b] *FF. fol.* 131. *b.* 132. [c] *In I. fol.* 213. *a.* [d] *Reg. Coll.* Magd *penes Vice-præsidem fol.* 4. *a.* & 6. *a.* [e] *Pat.* 1. Mariæ *Reg. part.* 6. & *in cista communi Universitatis in Thesaur. Coll. CC.*

filia

filia, cui proinde, quod fieri consuevit, Epistolam quandam gratulatoriam transmittendam decrevere Sodalitiorum Præpositi, Magistro *Johanni Jewell*, Collegii *Corporis Christi* Socio, id negotii demandantes. Hoc hostili in virum animo factum liquet, quem utique munere illo fungi non aliter posse sponderent, quam ut vel Pontificiorum exacerbaret, vel suorum à se mentes alienaret; verum spes eos egregie fefellit, utrisque enim dubio quodam & obscuro scribendi genere satisfecit *Jeuellus*, & Epistolam, à *Treshamo* Commissario ac Doctoribus nonnullis prius approbatam, grate admodum accepit *Maria*, Summa vero ejus, quantum intelligere datur, hæc fuit.

Quem dolorem non ita pridem de clarissimi Regis *Edoardi* morte acceperunt, eum narrat proximis diebus lætissimam rerum à novo principe gestarum famam, universum depulisse: Omnes graviter doluisse cùm illa indoles in ipso ætatis flore cecidisset: ita nunc demum tanto magis lætari, quanto ipsam graviore & propiore è periculo ereptam & conservatam viderunt: Ipsius salutem qua una Reip. salus continebatur, clam, palam, insidiis, armis petitam fuisse. Narrat affinitates, conspirationes, necessitudines, tormentorum vim, & pecuniæ magnitudinem: narrat populi applausum & honores amplissimos quos Cives etiam alibi detulerunt,&c.--*Oxonienses* autem, quibus fortunæ Ornamenta desunt, quique omnia sua quæcunque sint (quæ præter animorum & literarum opes nulla suppetunt) semper ipsius Majestati consecraverunt, non aliter Officium testari potuisse, quam vehementer gaudendo & quamvis minori cum strepitu, non minori tamen cum studio & pietate & ipsam Reipub. & ipsi Rempub. gratulari. Deumque precari, ut qui rerum initia incruenta & fausta esse voluit, idem omnia regni tempora eadem fœlicitate prosequatur.

Cum hæc scriberet *Jeuellus*!, in optimam spem erectus comparet, Reginam in causâ religionis non ita omnia mutaturam: quod & ex Proceribus aliqui, cum solenniter *Oxoniæ* renuntiaretur Regina, omnibus spondebant. Dum vero literæ istæ publicè legerentur, primum Dor *Treshamus* Commissarius, serio animum advertere videbatur; cum autem eodem tempore magnam Campanam, quæ *Thomas* Ædis *Christi* vocatur, sonare contingeret; quam etiam ille, ut ad missam auspicato magis vocaret, ante paucos dies reparatam novo nomine insignivit, & *Mariam* baptizavit: lectionem illam literarum interrumpens, & subitò exclamans, *O* (inquit) *bellam & suavem harmoniam, O pulchrum* Mariam, *ut sonat Musicè, ut tinnit melodice, ut placet auribus mirificè!* Et quidem hominem mente alienatum & furore correptum quis facile crederet? Videbatur enim pluribus, speciatim Protestantium, valde indecorum & prorsus intempestivum, Doctorem in re seria & severa ludere, & cum literas primo quoque tempore ad Principem transmittendas expendere debuisset, alienissimo tempore de campanæ suæ musica ineptum sermonem inferre.

Aliquanto post cùm *Oxoniam* pervenirent Visitatores aliqui, ab Academiâ, &, quæ ibidem administraret, muneribus, se ultro abduxit *Petrus Martyr*, *Smythio*, haud semel ante memorato, in integrum restituto, iisdemque donato. Sunt qui scribant *Oxoniæ* ob id partim valedixisse, & *Lambetham* se, tanquam in perfugii locum, contulisse *Martyrem*, quod injurias, ad quas homini inferendas Academicos, maxime autem Ædis *Christi* Alumnos hortaretur *Treshamus* (quem nempe disputationem cum illo sustinuisse quondam retulimus) devitare aliter non posset. De *Martyre* autem in Carcerem compingendo deliberatum invenio, quem non aliam ob rem dimittere visum est, quam quod in *Angliam* interpositâ quoque fide publicâ evocatus trajecerat. Discessurum rebus omnibus necessariis instruxit ante alios *Steph. Gardinerus*, supremus jam Regni Cancellarius; sive doctrinam viri meritaque veneratus, sive Pontificios Antagonistæ tam strenui metu liberandos confestim arbitratus. Utcunque, illo abeunte dici non potest quantum in Scholâ Theologicâ (ubi prælegentis nuper verba scriptis continuo mandabant Academici, adeo ut Auditores vix plures quam Tabelliones numeraret) solitudinem reperiisses, Imitatoribus ejus, ad Beatæ *Virginis* alibive in Ecclesiis raro comparentibus, verum aut ruri passim aut in Collegiis suis delitescere aliquandiu cupientibus, quorum plerique ex Ædis *Christi*, *Magdalenensis*, & *Corporis Christi* Collegiis fuere. Hi inquam incertos rerum eventus taciti expectabant, donec (perspectâ tamen, & exploratâ Reginæ sententiâ) Delegatos *Oxoniam* transmitteret *Stephanus Gardinerus*, Episcopus *Wintonienſis*, plenâ iis potestate Collegia ditioni suæ subdita, (*Novum* scilicet, *Corporis Christi*, *Magdalenense*) Visitandi. Inter delegatos hosce primum obtinebant locum D. *Richardus Read*, Miles, & Doctor *Gualterus Wryght*, Archidiaconus *Oxoniensis*, quorum authoritate Collegio *Novo* pelluntur nonnulli, aliis Sodalitio sponte cedentibus; ibidem vero & pristinum resumpsit usum (quæ sociis regnante *Edoardo VI.* turbas frequentes dederat) Missa Pontificia, constituris etiam quibus plectendi essent pœnis qui eidem quovis modo adversarentur.

His autem rebusque aliis, de quibus tamen parum constat, ibi peractis, ad *Magdalenenses*, XXVI. *Octobris*, perrexere Visitatores, habitâque de iis quæ sub Rege nupero gesta contra Pontificios fuerant quæstione, ad socios quatuordecim exturbarunt. Doctorem *Haddon*, in Præfectura brevi admodum versatum, Magistratum sponte deponentem invenio; quod Honorem utique & Divitias quascunque intemeratæ conscientiæ postponendas existimaret. Cum *Thomæ* autem *Benthamo*, Decano, præciperet antedictus *Readus*, ut juniores propter absentiam à sacris castigaret, respondit ille se quidem simulati sub *Henrico VIII.* cum Pontificiis consensus pœnitentiam egisse, neque ad repudiatum denuo cultum redire statuisse; iniquum vero ducere in illos animadvertere quorum facta sciens ac volens imitaretur. Sodalitio itaque ejectus, ejusdem supplicii participes, ut alios omittam, habuit *Thomam Bickley*, & *Henricum Bull*, de quibus retro dictum; quibus addendi *Johannes Fox*, *Laurentius Humphrey*, *Michael Rennyger*, *Johannes Molins*, *Arthurus Saul*, *Petrus Morwing*, *Hugo Kyrke*, & *Lucas Purefoy*, acerrimi omnes Religionis Protestantium defensores. Inter hæc vero, cùm non tantum altare Vestesque sacræ minime comparerent, sed & Sociorum nemo Missarum solennia celebraret, aut celebratis interesset, immo Clerici & Choristæ Antiphonarum vices obire palam recusarent, famulorum suorum ope usi sacra omnia obibant cum suis Visitatores; qui junioribus quotquot aberant aut dimensa [a] subtrahebant, aut virgarum pœnas irrogabant. De *Aldworthio* quodam, Baccalaureo, scriptum post paulo [b] occurrit quod, propter alia quædam delicta, & quoniam *contumeliosus in sacerdotes esset & intempestive accederet*

[a] *In Reg. Coll.* Magd. *ut supra fol.* 8. *a.* 12. 13. 15. *&c.* [b] *Ib. fol.* 13. *b.*

ad missam in exequiis Henrici VI. *datum erat illi ergo in mandatis, ut singulis diebus interesit missæ matutinali, & genibus flexis ad columnam australem in templi medio orationi operam daret, ut illius prava opinione & malis moribus læsi, resipiscentiæ & novæ pietatis exemplo sanarentur.*

Verum de his abunde satis; Delegatos jam ad Collegium *Corporis Christi* deducamus, cujus Præses *Robertus Morwent*, Seniorque quidam Socius *Henricus Walsh* dictus, se suosque Romanis addictissimos testaturi, Pallia sacra, pulvinos, vasa argentea, Candelabra, reliquaque rei divinæ ornamenta ostentabant, per nuperorum viz. *Ed. VI.* temporum naufragia, caute repositа, & tuto reservata; quibus subjecit illico Dr *Wryghtus*, maximum tamen Collegii sui ornamentum deperdidisse eos, *Jeuellum* intelligens, qui postquam adventare Visitatores inaudierat, muneri ultro renuntiavit. Cæterum Sodalitium hoc Visitaturi Delegati reformatæ Religionis vestigia pene nulla offendebant; socii enim Benevolentiam eorum qui rerum potirentur imprimis captandam rati, in revocando Ecclesiæ Romanæ cultu obnixe admodum sategerant, quæ ad ornamenta & apparatum illum promovendum, spectarent undique conquirentes. Hinc *P. Martyr* (*Oxoniæ* valedicturus) cum ad vesperias Campanam in eo Collegio subito pulsari, & Socios & Alumnos certatim convenire audiret, tristis & suspirans, dixisse fertur, *Hoc tintinnabulum omnem meam doctrinam evertit.* Denique vero, ut his abscedam, quinam inde eliminati fuerint ignorare me fateor, tametsi reduces jam inveniam bene multos, Sodalitio, temporibus Regis *Edoardi*, motos; & quasi octodecim aut viginti anno isto & proximo sequenti in Munera vacantia cooptati occurrunt.

CIↃDLIV.

Post *Martyris* discessum profectionem pariter ad exteros instituebant *Oxonienses* haud pauci, quos inter se dant *Magdalenensium* ante dictorum pleriq;, *Foxius* nimirum, *Benthamus* (hic *Lichfeildiæ* dein & *Conventriæ* Episcopus emersit) *Bickleius*, Guardianus postmodo *Mertonensis*, & Episcopus *Cicestrensis*; *Saulus*, *Molensius* (Archidiaconus ille S. *Paulinus* regnante *Elizabethâ* evasit) *Humphredus* denique, ut reliquos taceam, & *Rennygerus*. His accedunt è Sodalio *Corporis Christi Johannes Jewell*, & *Gulielmus Cole* (is eidem deinceps præsidebat) comitante *Ricardo Bartue*, Collegii ejusdem olim Socio, qui sub hæc tempora à *Catharinâ Caroli Brandon*, Ducis *Suffolciæ* Relictâ, Domini autem *Willoughby*, Baronis de **Ersby**, filiâ & hærede, in maritum assumebatur. *Mertonensem* refero unicum, *Johannem* nempe *Parkhurst*, cui subjicere placet *Christopherum Goodmannum*, ex Æde *Christii*, & *Johannem Wooltonum*, *Æneanasensem*, in Episcopum postmodo *Exoniensem* ab *Elizabethâ* creatum. Hi inquam & alii partim *Francofurtum*, & *Argentoratum*, partim *Genevam* commigrabant, verum à loci postremo dicti incolis quoad fidem & disciplinam Ecclesiasticam discrepantes alio brevi migrabant, *Gulielmum* quendam *Whyttinghamum*, Alumnum *Oxoniensem*, Ducem secuti, cujus de gestis quam plurima referrem, nisi à suscepti Operis ratione aliena prorsus viderentur. *Jeuellum* quod attinet, *Oxoniæ* aliquandiu commoratus est, in Aulâ *Lateportensi* degens, ubi & discipulos pristinos ad pietatem juxta & eruditionem summâ industriâ informabat, quos inter occurrunt *Rogerus Prynne* ac *Edoardus Anne*, quorum noviſſime dictus Religionis Protestantium amore accensus, contra Missam Pontificiam poema scripsit; eamque ob rem à Magistro *Walsh*, *Corporis Christi* (ad eandem enim societatem spectabat *Annus*) Decano virgis in Refectorio publico castigatus est, plagis quæ infligerentur Carminum numerum æquantibus. Cæterum is Collegio dein vel vi vel sponte cedens, anteactorum pœnitentiâ ductus Pontificiis adhæsit, & in *Omnium Animarum* Capellanum ac postmodo Socium delectus est. Ad *Jeuellum* redeo, qui in Aulâ retro memoratâ haud ita diu egerat, cùm Inquisitoribus, quos vocant, quibusdam, à Doctore *Martiall*, Ædis *Christi* Decano, assignatis, respondere coactus, & feritatis Ecclesiasticæ metu perculsus, Romanæ fidei Articulis subscripsit; quamvis *Oxoniâ* post paulo *Londinum*, ac dein *Francofurtum*, contendens, gravissimo propter ignaviam suam proditamque religionem dolore corriperetur, unde subscriptionem quam prædixi coram magnâ populi frequentiâ in Ecclesiâ Protestantium *Francofurti* revocavit.

Per hæc tempora, vel etiam paulo ante quam noviſſime dicta peragerentur, contingebant celeberrimæ illæ inter Doctores quosdam aliosque ex utraque Academiâ Togatos cum *Thomâ Cranmer* Archiepiscopo *Cantuariensi*, & *Nicolao Ridley*, ac *Hugone Latimero*, Episcopis pridem *Londinensi* & *Wigornienſi*, Disputationes; quas cum Præsulum eorundem martyrio fusius quidem enarrat *Foxius*, si paucis tamen & quasi in transcursu attingam ab instituto meo alienum facturus minime videor.

Anno itaque prægresso, quasi decimo *Martii* die, Turri *Londinensi* eximuntur præfati Ecclesiæ *Anglicanæ* Antistites, & *Windelsoriæ* aliquandiu in custodiâ asservati, *Oxoniam* denique transferuntur, quod circa decimum *Aprilis*, hoc anno, factum est. Carceri nobiscum urbano, cui nomen **Bocardo**, imprimis mancipantur, ubi solum dein *Cranmerum* custodire visum, *Ridleio* in *Edmundi Iryſh*, Aldermanni *Oxonienſis*, *Latimero* autem in Ballivi alterius domum transducto. Paucis ante hæc diebus literas ad suos dederat *Stephanus Gardiner*, Episcopus *Wintonienſis*, Cancellarius vero Academiæ *Cantabrigienſis*; quibus præcepit ut inito super ea re consilio doctissimos quosque suorum è numero desumerent, qui Ecclesiæ *Romanæ* militantes, *Oxoniensibus* in disputatione cum Episcopis retro dictis sustinendâ subsidio venirent. Quapropter habito totius Academiæ Senatu, octo quibusdam viris id negotii demandatum est, quorum nomina subjicere non pigebit:

Johannes Yong, S. T. P. Vicecancellarius, & Magister sive Præfectus Aulæ *Pembrochianæ*.

Johannes Seton, S. T. P.

Richardus Atkynson, S. T. P. Præpositus Collegii *Regalis*.

Gulielmus Glynne, S. T. P. — Mr sive Præfectus Coll. — *Reginæ* / *S. Johannis Christi*.
Thomas Watson S. T. P. — Mr sive Præfectus Coll. — *Reginæ* / *S. Johannis Christi*.
Cuthbert Scot S. T. P. — Mr sive Præfectus Coll. — *Reginæ* / *S. Johannis Christi*.

Thomas Segewyke, *Albanus Langdale* } S. T. PP.

Tertio post die *Oxoniam* pervenere Delegati *Cantabrigienses*, & ad Insigne *Crucis* hospitati honoraria à Commissario Academico percipiebant, deferentibus eadem Bedellis; eo autem perrexere Doctorum nostrorum

noſtrorum aliqui, ut eorum adventum gratularentur, conſilia ſuper futurâ diſputatione miſcerent. Die proximo Magiſtrorum Regentium Congregatio celebratur, literæque quas ſecum advexerant *Cantabrigienſes* à Venerabili cætu ejuſdem Academiæ palam recitantur; quarum ejuſmodi erat initium: [a] *Gravi nuper & turbulenta tempeſtate (ſicut vos ſcitis & experti eſtis Reverendi in Chriſto Fratres) Eccleſiæ noſtræ horribiliter jactatæ ſunt. Tetra etenim ſeditioſi erroris*, &c. Poſthæc, diſpenſatione ſuper eâ re propoſitâ & per Regentes conceſſâ, incorporantur, prout loqui ſolemus, Doctores *Cantabrigienſes*, à Doctore *Audoeno Ogl[illegible]p* ad Gradum præſentati; quibus peractis, habu[illegible]que poſtmodo in Beatæ *Virginis* Adyto de negotii totius adminiſtratione Conventu ſolenni, quem Convocationem nuncupamus, Doctores omnes ac Magiſtri ad Quadrivium, ac deinde ad Ædem *Chriſti* cum celebritate conſolitâ proceſſerunt, rei divinæ interfuturi. A meridie in *Virginis* deiparæ Capellâ, Eccleſiæ ad boream contiguâ, conveniunt Religionis Pontificiæ propugnatores, cùm aliis quibuſdam numerum triceſimum tertium conficientibus; inde autem Adytum ſupra dictum (nos Cancellum appellamus) ingreſſi, ac ſubſellia, coram ſupremo Altari in formam triangularem diſpoſita, occupantes, *Cranmerum* imprimis, dein *Ridleium*, ac tandem *Latimerum* ad ſe jubent accerſi, ut Articulis quibuſdam ſubſcriberent fruſtra mandantes.

Die Lunæ proximo (is in XVI. *Aprilis* incidit) in unum, ad Collegium *Exonienſe*, coeunt Vicecancellarius reliquique Doctores, unde ad Scholam Theologicam proficiſcuntur, Quæſtiones tantum binas eventilandas ſuſcipientes; quæ ſic ſe habuere:

I. An poſt prolata per Sacerdotem Conſecrationis verba, naturale Chriſti Corpus realiter in Euchariſtiâ inſit?

II. An in Euchariſtiâ, poſt prolata Conſecrationis verba, ſubſtantia alia quam Chriſti Carnis ac Sanguis ſuperſit?

Cæterum priuſquam ad alia deſcendamus, Doctores quoque *Oxonienſes*, Cauſam Romanam defendentes recenſendos duco; qui quidem, velut è Regiſtris Academicis conſtat, ejuſmodi fuere:

Hugo Weſton S. T. P. Collegii *Lincolnienſis* Rector & in eadem diſputatione Prolocutor.

Gulielmus Treſham, S. T. P. Ædis *Chriſti* Canonicus.

Henricus Cole LL. D. nuper Collegii *Novi* Cuſtos.

Johannes Harpysfeild, LL. D. ejuſdem Coll. nuper Socius.

Audoenus Oglethorp[illegible] S. T. P. Collegii *Magdalenenſis* Præſes.

Gulielmus Pye S[illegible] P. Collegii *Orielenſis* nuper ſocius, nunc autem Eccleſiæ Cathedralis *Ciceſtrenſis* Decanus.

Gulielmus Cheadſey S. T. P. nuper Collegii *Corporis Chriſti* ſocius.

Richardus Smyth S. T. P. Ædis *Chriſti* Canonicus.

Johannes Smyth, S. T. B. Collegii *Orielenſis* Præpoſitus, & pro D[na] *Margareta* Theologiæ Profeſſor publicus.

Robertus Ward (S. T. B. ni fallor) Collegii *Mertonenſis* Socius.

Johannes Fecknam S. T. B. Decanus mox ante Eccleſiæ S. *Pauli*, nunc autem Cœnobiarcha *Weſtmonaſterienſis*, quem anno CIↃDLVI. ad Doctoratum in Theologiâ, præſtitis haudquaquam exercitiis, evectum reperio.

His ergo, & *Cantabrigienſibus*, cum aliis nunnullis, pro cujuſque dignitate conſidentibus, & Prolocutore in Cathedrâ profeſſoriâ, haud ita pridem demolitâ, collocato, *Cranmero* Reſpondentis locus, è regione poſitus, aſſignatur, cui adſidebat à quo adductus fuerat Prætor Urbanus. Die proximo *Ridleius*, poſtremo autem *Latimerus* Reſpondentis vices obibat; qui, finitis hunc in modum diſputationibus, coram Doctoribus ad Beatæ *Mariæ* viceſimo *Aprilis* convenientibus, una cum *Cranmero* comparuerunt, & Articulis pridem oblatis ſubſcribere denuo recuſantes ab Eccleſiâ Catholicâ reſecati pronuntiantur, atque in priſtinum cuſtodiæ locum quiſq; remiſſus eſt.

Die proximo ad ſuos remearunt *Cantabrigienſes*; literas [b] ſecum noſtras ad Academiam ſuam deferentes, undecimo calendas *Maii* datas, in hæc autem verba inchoatas: *Accepimus literas veſtras Viri graviſſimi, & Fratres in Chriſto chariſſimi, dilectionis veſtræ erga noſtræ Academiæ cætum univerſum teſtes luculentiſſimas. Quibus in literis quod Deo inprimis Opt. max.* &c. Quod diſputationem vero antedictam attinet, locus iſte haudquaquam recipit enarrandam; quamvis à *Rogero Marbeck*, A. B. & Ædis *Chriſti* Alumno, pulchre exarata & ad præfatum *Gardinerum* tranſmiſſa perhibeatur. Omitto autem & literas diſputationes haſce complectentes, & ad ſeditionem ſpectare dictas; integrum quoque commiſſionum Theologicarum ſeriem à Magiſtro *Shepſide* (*Ridleii* is Levir erat) conſcriptas, necnon ipſius *Ridleii* literas, (quas omnes tanquam mendaciis & calumniis refertas ignibus tradiderunt Pontificii) proferre in præſentiâ ſuperſedebo. De ipſis vero Epiſcopis commemorandum arbitror, quod in arctiſſimâ cuſtodiâ ad decimum uſque ſextum *Octob.* an. CIↃDLV. adſervati *Ridleius* & *Latimerus*, ad ſupplicium protrahuntur, cui locus aſſignatus eſt in quo tuguriola quædam, è regione *Ballıolenſium* ſita, hodie conſpicis, inter quæ Murumque urbanum fluentum adeo pellucidum paucis ante hæc annis comparuerat, ut **Canditch** ei, hoc eſt *candida foſſa*, nomen imponeretur, quo in hodiernum uſque diem innoteſcit. Huc inquam deducti ſunt fortiſſimi Religionis Proteſtantium Defenſores, &, præſentibus, præter ingentem Scholarium juxta & Laicorum multitudinem, utriuſque Municipii Magiſtratibus, ignibus vivi concremantur. Fama obtinet ad Carceris ſui, **Bocardo** nimirum, faſtigium conſcendiſſe *Cranmerum*, dumque inde ardentes conſpiceret Deum flexis genibus obnixe rogaſſe, ut vires cruciatibus majores Epiſcopis impertiret, quos quidem ipſe, eodem in loco, viceſimo autem primo ſequentis *Martii*, tam genere mortis quam conſtantiâ imitatus eſt, ſi non ſuperavit; quæſtionibus prius mirum in modum à Delegatis vexatus, & fratrum duorum Hiſpanorum ſuaſionibus ut à Religione recederet ſollicitatus. Ferunt flammas ingreſſurum vultu admodum hilari & jucundo amicis valedixiſſe, cumque *Gulielmo Ely*, *Æneanaſenſi* (is Collegio Divi *Johannis* dein præſidebat) cujus nempe amicitiâ & conſuetudine

[a] In I *fol.* 142. *b.* [b] Ib. *in I. fol.* 142. *b.*

uſus pridem fuerat, dextras interjungere voluiſſe, id autem detrectaſſe virum, & Antiſtitem his verbis corripuiſſe, *fas non eſſe cum Hæreticis, maxime vero ad dogmata quæ ſimulato animo ejurarat denuo declinante, familiariter congredi.*

Cæterum quod fratres mox ante dictos attinet, *Philippum* Hiſpaniarum Principem, *Mariam* Reginam in Uxorem ducturum, comitati ſunt; cùmque Reginæ & Cardinali *Polo* opus eſſe videretur eruditos aliquos *Oxoniam* tranſmittere, qui pernicioſam (talis enim habebatur) *Martyris* Doctrinam ex Academicorum animis evellerent, aptiores ad eam rem inveniri poſſe deſperabant, quod & exteri eſſent (quos venerari ſemper *Anglos* probe norunt) & Theologiæ, polemicæ præſertim, cognitione pleroſque anteverterent. Eorum alter, *Petrus* à *Sotho* appellatus, S. Theol. Profeſſor erat, Ordiniſque S. *Dominici* Frater; in eundem vero nobiſcum Gradum XIV. *Nov.* anno ſalutis CIↃDLV. ex merâ gratiâ admiſſus eſt, neque enim (quod lib. II. pag. 37. col. 2. traditum invenies) ex more ſolenni Incæpit. Alteri *Johannes* de *Villa Garcia* nomen fuit, quamvis *Johannes Fraterculus* à Proteſtantibus vulgo nuncupetur; de quo plura ſi expetis ad Profeſſorum Theologiæ regiorum, in Operis hujus libro ſecundo, Catalogum remittendus es. Ad utrumque autem quod ſpectat, multiplici quidem eruditione inſtructiſſimi erant, & diſputationibus juxta, & Concionibus, immo familiaribus ubique colloquiis Hæreticis, quos vocabant, obnitebantur; in eo operam omnem ponentes, ut eorum authoritatem apud Clerum populumque imminuerent. Neſcius non ſum fuiſſe & Fratrem alterum, *Antonium Reſcium*, ſeu *Raſcium* vocitatum, qui Proteſtantium dogmata omni ſtudio convellebat, quique propter multas Conciones Diſputationes & Lectiones *Lutetiæ Pariſiorum* & *Oxoniæ*, admiſſus fuit ad lectionem alicujus Libri ſententiarum, i. e. ad Gradum Baccalaurei in S. T. an. Dom. CIↃDLVIII. menſe Julio. His addunt nonnulli *Bartholomæum Caranza*, Hiſpanum, de Ordine S. *Dominici* Fratrem, cujus tamen in Annalibus noſtris mentionem nullam invenio factam, in eorum proinde ſententiam haud temere deſcenſurus qui de eo verba faciunt. Utcunque tamen, de prætatis conſtat ad obitum uſque *Mariæ* Reginæ nobiſcum egiſſe, tum vero Religionis quoque ſuæ interitum præſentientes, modiſque indignis ab *Oxonienſibus* habitos, ad ſuos revolaſſe.

Hoc anno furti ſive feloniæ ſuſpectus [a] *Antonius Garnet*, A. M. è Collegio *Balliolenſi*, cauſam in Prætorio urbano, juxta indubium Univerſitatis privilegium, coram Seneſchallo Academico dicturus erat, cùm præcluſis foribus id fieri vetarint Ballivi, vel Felonum bona, vel ſaltem cauſarum Academicarum cognitionem, arripere ſibi cupientes. Poteſtatem [a] ſane eam in rem à Rege & Reginâ factam habuit Seneſchallus, quare dicam civibus in Camerâ ſtellatâ impegit Univerſitas, Decretumque ſub anno proximo ratificandum impetravit.

CIↃDLV.

Hoc anno ad promovendam rem literariam converſa *Maria* Regina Academiæ noſtræ Privilegia, tum antiqua tum recentiora, [b] confirmavit; curavitque porro ut in Camerâ ſtellatâ per ſanctioris Concilii Dominos [c] ſciſceretur, ut Cancellario ac Magiſtris *Oxonienſibus* liberrimus in Prætorium ingreſſus pateret, utque Curias illi conſolitas, quas *Letas* appellamus, ibidem celebrarent, ſub ducentarum librarum pœnâ Civibus contravenientibus irrogandâ. Lege [d] Inſuper in Conventu Parliamentario ſancitum eſt, ne Proviſorum regiorum, (Coactores quoque nuncupantur) aliquis, citra quintum ab *Oxonio* lapidem (id Privilegii ad viceſimum uſque milliare pertingere juſſerat *Henricus VIII.*) annonam alioſve proventus, invito poſſeſſore, ſuo pretio occuparet.

Eodem quaſi tempore duobus Academiam Subſidiis (ſic Tributa Regibus penſitata appellamus *Angli*) hoc anno colligendis, levavit [e] *Maria*; recreandæ hiſce artibus, & priſtino ſplendore donandæ Univerſitatis, ſpem, eamque haud incertam, fovens; cujus tanta certe adverſus *Athenas* noſtras Benevolentia eluxit, ut de memoriâ ejus Conjugiſque *Philippi* annuo quaſi feſto perpetuandâ, ictis etiam inter Togatos fœderibus, tranſactum repererim. Sed his prætermiſſis, hoc eodem anno inauditâ quadam annonæ charitate *Oxonia* [f] laboratum eſt, quapropter uſq; dum laxare eandem contingeret (haud dum enim prodierat de Proviſionibus hoc eſt reditibus ad annonæ pretium exigendis Statutum) ruri ſe continebant integra propemodum Academicorum Sodalitia.

CIↃDLVI.

Per hæc tempora retrahendis ad ſedem Romanam *Oxonienſibus* incumbens *Reginaldus Polus*, Cardinalis, Archiepiſcopus *Cantuarienſis* (quem copiam prius Cancellario noſtro [g] impertiiſſe liquet reſipiſcentes Eccleſiæ *Romanæ* reconciliandi, & hæreticæ pravitatis reos Apoſtaſiæ culpâ liberandi) ex legatinâ ſuâ poteſtate viros quoſdam conſpicua dignitate nominavit, qui Academiam integram viſitarent, deque rebus omnibus, prout uſus efflagitaret, quæſtiones inſtituerent. Hi autem fuere

Jacobus Brokes, Epiſcopus *Gloceſtrenſis*.

Nicolaus Ormanet, *Patavinus*, Archipresbyter plebis Bodoleſini, *Viennenſis* Diœceſ. Pontifici Rom. *Julio III.* charus, cui, vel *Marcello II.* qui nunc ſedebat, Datarius fuit.

Henricus Cole, LL. D. Collegii *Eatonenſis* prope *Windelſoriam* præpoſitus: Is doctoratu in S. Th. ſub hæc, præſtitis haudquaquam exercitiis, ornatus eſt.

Robertus Morwent S.T.P. Collegii *Corporis Chriſti* Præſes.

Gualterus Wryght, LL. D. Archidiaconus *Oxonienſis*.

Quod ad *Brochium* attinet, vir erat eruditione haud vulgari, Eloquentiâ minime contemnendâ, Comitate vero morumque facilitate prorſus amplectendâ inque pretio habendâ. In *Ormanetto* nil aliud quam arrogantia intolerabilis eminebat; qua re tam mirifice excellebat, ut ne fingi quidem aut cogitari quicquam poſſet arrogantius. Fuit *Colus* eruditione ad

[a] In *pix. PP. faſc.* 14. & *in ſcrin. Civ.* Oxon. [b] *Pat.* 2. & 3. Phil & Mar. *part. unic. in Dom. Converſ. & in pix. long.* I. *nu.* 3. [c] *Regeſt. Decret. Cam. ſtellatæ*, *Term.* Paſchæ 1. & 2. Phil. & Mar. *pag.* 135. *In pix. etiam PP. faſc.* 14. *Denique in Reg. I. fol.* 149. & 150. [d] Harus *in privileg. fol.* 198. [e] *Ut in ſtatut. Regni publicis. edit.* 1587. [f] *Reg. Coll.* Magd. *ut ſupra. fol.* 12. *a.* & *alibi* [g] *In pix. MM. nu.* 22.

ſuam

ſuam opinionem eximia, ad aliorum vero mediocri, natura tam inſigniter moroſa, ut nihil mirum ſi nec ſacra Biblia, quæ combuſſerat, ei placere potuerunt. *Morventi* ſane merita haud poſtrema fuere, mirâ enim frugalitate pollebat, ſeniumque ſuum (ætate enim provectior jam erat) à contemtu ſummâ prudentiâ vindicabat, unde Magiſtratu digniſſimus habebatur, licet diſputandi, parteſque pontificias tuendi artem haud adeo calleret. Denique de *Wryghto* minime diſſimulandum, variis plane tam eruditionis quam Naturæ ornamentis inſtructum; neq; enim in illo homine quicquam deſideres præter conſtantiam, quæ cum bonos omnes maxime decet, tum paſtores præcipue, quorum nempe eſt ſtabilem & certam, non errantem, vagam & deſultoriam de religione habere ſententiam. Hi autem, quos prædiximus, ad Viſitationem ſolennem quaſi viceſimo *Julii* ſeſe accinxere, dieque proximo (*Ormanetto* Juris Civilis Doctoratu, quem *Paduæ* olim ſuſceperat, prius donato) ad Beatam *Virginem* Subſellia occupantes de Collegiis ipſis eorumque Alumnis inquirere cœperunt, & pro virili ſuâ parte (neque enim vel inimicorum ſupprimendas duco virtutes) nitebantur ut non modo Cultus Romanus, verum & diſciplina Academica, priſtinum reſumeret ſplendorem. His vero datum in mandatis à *Polo* Cardinale fuerat, ut ſuper triginta quibuſdam Capitibus examen inſtituerent, de rebus ſub *Edoardo VI.* geſtis à Commiſſario, Procuratoribus, Collegiorum & Aularum Præfectis, necnon aliis quibuſcunque viris, ſciſcitantes. Cæterum quia Capitum quæ dixi longa nimis eſſet enumeratio, duo tantum, eaque omnium prima, ſubtexenda judico: quærere itaque incubuit.

1. *An fundationes, ſtatuta & laudabiles conſuetudines Univerſitatis & ſingulorum Collegiorum & Aularum ab omnibus & ſingulis quos ea tangunt obſerventur: Et ſi negativè reſponderint, exprimant ſpecialiter quæ non obſervantur & qua de cauſa.*

11. *An tempore Schiſmatis aliquid ſtatutum ſit, vel uſu introductum fuerit, quod Canonicis obviat inſtitutis & antiquis fundationibus, ſtatutis, privilegiis & conſuetudinibus deroget: & ſi affirmativè reſponderint, exprimant ſingulariter, quæ fuerint introducta, & qua de cauſa*, &c.

At vero ut Viſitatorum eorum geſta ſuccincte recenſeam, ejectis qui in impugnando cultu Pontificio Induſtriam præcipue exercuerant, Biblia omnia *Anglicana*, cum Commentariis eodem Idiomate conſcriptis diligenter explorabant, ignibuſque in medio foro delebant. Libros porro omnes Proteſtantium cauſam aſſerentes è Bibliothecis publicis ejecerunt, ſiquos autem in privatis Academicorum Muſæis reperirent flammis tradiderunt, eorum Poſſeſſoribus aut aliter mulctatis, aut etiam Univerſitate pulſis. Secum vero in fide diſſentientes, (quos Hæreticos uno nomine vocant Pontificii) diligenter adeo perquirebant, ut vel fugâ vel latebris proſpiciendum ſibi habuerint Reformati. Ego quidem fando accepi, Domum præfati *Garbrandi Herks*, (patriâ ille Religionis cauſâ exulabat) Aulam *Bulkleianam*, in Beatæ *Virginis* Parochiâ ſitam, incolentis, melioris notæ Proteſtantibus perfugium præbuiſſe; qui ut inimicos melius laterent ſacra omnia in Cella quadam ampliori obibant. Ad Viſitatores redeo; qui de geſtis ſuis omnibus, præſertim vero de ſtatutorum Academicorum defectu, certiorem fecerunt Cardinalem, quare cùm aliquanto poſt in *Maſoni*, Cancellariatum ſibi ultro abrogantis, locum, communibus omnium ſuffragiis delectus eſſet *Polus*, integrum Statutorum [a] Codicem ad Doctorem *Reginaldum* vulgo *Raynolds*, Vicecancellarium tranſmiſit, præcepitque ut Legum ea vim tam diu ſortirentur, donec adſcitis ſibi ex quavis Facultate Delegatis, quænam antiquanda, quænam retinenda eſſent decerneretur. Id poſtmodo negotii Ædium Præfectis, publiciſque Prælectoribus, demandatum [b] reperio; quorum quatuor Philoſophorum, quinque Jus Civile, duo autem Canonicum profitentium, quinque denique Medicorum, & quatuor Theologorum nomine aſſumpti ſunt. Statutis autem illis, hunc in modum evolutis penituſque inſpectis, plenum Legum vigorem [b] impertivit Cancellarii & Convocationis authoritas, adeo ut ſancte & religioſe à Togatis omnibus obſervanda promulgarentur; quæ cum in rebus ad Cultum Divinum ſpectantibus ſevere admodum decernerent, Academicos haud paucos ad partes Reformatorum propendentes Academiâ propediem abegerunt. Aulis etiam, non ſine maximo Academicorum diſpendio, exceſſerunt complures, quod conſtrictius jam inde fieret earum Regimen cùm diſcinctius olim eſſe conſueverit.

Inter hæc commoniti ſunt Viſitatores, ut quæſtionem exercerent de moribus & religione *Catharinæ Cathie*, ſive *Dampmartin*, *Martyri* pridem enuptæ, ante annos autem quatuor fato functæ, & in Ædis *Chriſti* Eccleſiâ haud procul Reliquiis Sacris S. *Frideſwydæ* ſepultæ. Hi itaque *Oxonienſes* aliquot ad ſe accerſunt, quibus cum demortuâ neceſſitudinem interceſſiſſe norunt, id utique in animo habentes, ſi ex indiciis quibuſcunque hæreticæ pravitatis arguendam deprehenderent, erutum è ſepulchro fœminæ cadaver flammis exurere. Cæterum reſpondentibus quos ad ſe citârant, Idiomatis quo uſa fuerat *Catharina* imperitos fuiſſe ſe, ac proinde quod ad ſententiam ejus in rebus ſacris attineret nil unquam percepiſſe, re infectâ ad Cardinalem reſcribunt Delegati, virumq; totius negotii certiorem faciunt. Is autem ulteriori probatione haudquaquam expectatâ, literas ad Doctorem *Martiall*, Ædis *Chriſti* Decanum (quem nempe conſilio ſemper præcipiti, animoque rariſſime pacato, uſum conſtat) [d] tranſmiſit, quarum ſumma erat, quod quoniam *Catharina Cathie*, memoriæ abominandæ fœmina, matrimonium cum *Petro Martyre*, Hæretico, contraxiſſet, tametſi caſtitatis voto utrique obſtricti jam pridem fuerant; quoniam etiam in deteſtabili fornicatione cum prædicto, ſacræ Euchariſtiæ veritatem *Oxonii* impugnante, vitam traduxiſſet, diemque obiens prope glorioſæ Virginis, S. *Frideſwydæ* Sepulchrum tumulata eſſet, Corpus itaque bonis omnibus inviſum effoderet, & prout ſibi conſultiſſimum videretur ab Eccleſia ejuſque limitibus procul amandaret. Perceptis ergo Literis Cardinalitiis, mandata viri perfecit *Martiallus*; feminæque Cadaver in Sterquilinio Stabulis ſuis proximo inhumandum, ſi tamen inhumatio illa dici poteſt, curavit.

Ibi quinquennio integro computruiſſe liquet, poſtquam autem devoluto ad *Elizabetham* Imperio ſtabilitus denuo eſſet Reformantium Cultus, datis ad Ædem *Chriſti* literis ut honeſtiori in loco reponeretur mandarunt Præſulum aliqui, maxime vero Archiepiſcopus *Cantuarienſis* & Epiſcopus *Londinenſis*. Eam rem ante omnes obibat Magiſter *Jacobus Calfhill*, Ædis præfatæ Subdecanus, qui effoſſo à famulis Cadavere, carnem aliquâ ex parte reliquam & candorem priſtinum retinentem, oſſa autem ex nimio ſtercoris humore luxata reperit; qui ſcilicet loculo

[a] *In E. p.* 83. *&c.* [b] *In I. fol.* 163. *b.* [c] *Ibid. fol.* 166. *b.* [d] *In Reg. GG. fol.* 91. *b.*

ſatis

satis speciosо inferri jubens, ad S. *Frideswydam* deposuit, tempus magis opportunum expectans, quo cum solenni, ut par erat, pompa justa exequiarum persolverentur. Reliquias interea *Frideswydenses* sedulo perquisivit *Calfhillus*, à Pontificiis quibusdam Repositorio (quod vocant) suo exemptas, & alibi in Ecclesiâ reconditas intelligens, prout se occasio daret in tutiorem locum deportandas; quas quidem sacculis duobus holosericis (temporis injuriâ, & adorantium oculis nigredine quadam obsuscatis) invenit, & *Catharinæ* quam dixi ossibus commiscuit; quæ scilicet contumulanda pariter & ab injuriis hac ratione in posterum prohibenda meditabatur. Tertio Idus *Jan.* CIↃDLXI. confluente magnâ hominum frequentiâ, laudata est pro concione *Catharina* (scommatis interea nonnullis in S. *Frideswydam* jactis) atque sepulturâ jam tertium donatur; cujus die proximo (Dominicus is erat) mentionem honoris plenam fecit *Robertus Rogerson*, ex Æde mox ante dictâ Alumnus, dum Evangelium populo annuntiaret. Atque hac ratione superstitiosâ, ex vaticinio aliquo antiquo, formidine exoluti sumus; quippe credebant veteres si Reliquiæ *Frideswydenses* (quæ semper religiosissimè conservabantur per Canonicos ejusdem Prioratus) alio transferrentur, ruituram propere Ecclesiam ipsam, soloque iri æquandam. Verum his omissis, Epitaphium utrique (pariter enim ut prædixi inhumatæ erant fœminæ) contexuit Academicorum aliquis in hæc verba:

Hic requiescit Religio cum Superstitione.

CIↃDLVII.

Omissâ Contentione, quæ hoc anno inter Collegii *Universitatis* Socios in eligendo Præside, quem Magistrum appellant, coorta, & ad Cancellarium denique & Procuratores remissa est; reliquâ etiam Visitatione, quam ad exitum tandem perduxere *Colus* & *Ormanettus*, silentio pressâ; de Academiæ quoad eruditionem statu paucis edisseram. Imperante *Edoardo VI.* despicatui, velut retro dictum, habitæ fuerant Artes ingenuæ, maxime vero Theologia Scholastica; & enimvero in gratiam cum illis hauddum redierat vel rudis & ignara plebs, vel Togatorum ipsorum plerique, quod è temporum eorum Annalibus facile perdiscas. Porro in recuperandis Sodalitiorum Proventibus, Ædificiisque recreandis desudabant nunc unice Magistratus Academici, Togatorum Ingeniis ad spem majorem haudquaquam excitatis. De Theologiâ quid existimandum, cujus Schola, regnante *Mariâ*, vix unquam patebat, Prælectionis Dominæ *Margaretæ* stipendio ad Scholas reficiendas [a] conversо? Quid de Exercitiis Theologicis dicendum, cum tantâ Theologorum (Doctorum potissimum quorum haud plures tribus comparuisse nobiscum constat) inopiâ premeremur, ut eadem secundum [b] Statuta præstituris Opponentes deessent.

De Concionibus certe proditum, vix unam integro Mense *Oxonii* fuisse habitam; Prælectoribus publicis aut præ ignaviâ aut Artium quas profiterentur imperitiâ Munera sua rarissime obeuntibus. Linguam Græcam in desuetudinem pristinam abiisse quid attinet referre? ut paucis expediam, tametsi Ecclesiæ Romanæ cultum postliminio revocatum & ex animi sui sententiâ stabilitum in omne ævum (exturbandum enim denuo perpauci conjectabant) haberent, adeo tamen in populi animis inolevit literarum contemptus & fastidium, quin & eruditionis adeo imminuta præsidia, ut ægrè ad infelices artes transitus fieret. Atque inde factum est ut integro sexennio tres tantum in Theologiâ, in Jure Civili undecim, inque Medicinâ non plures quam sex Incipientes reperias: in facultate vero Artium anno quodam octodecim, altero XIX. tertio autem XXV. quarto denique XXVII. ad Magisterium evectos deprehendas. Cæterum licet acisæ adeo & attenuatæ fuerint res nostræ, Regnante tamen *Mariâ* minime deerant qui Academiam aliquâ ex parte ornarent; siquidem occurrunt nonnulli qui Disputationibus Logicis & Philosophicis magnam sibi opinionem excitabant, quorum nomina simul & Collegia Lectori duco exhibenda.

In Collegio *Novo* perplures comparebant, quorum primos ducebant ordines *Johannes Rastall* ac *Edoardus Bramborow*; viri à rei etiam Grammaticæ peritia laudem haud vulgarem adepti.

E Collegio *Orielensi* erant, *Gulielmus Allyn*, & *Joh. Herniman*; quorum primus unâ cum disceptandi Arte quam optime calluit, sophismata omnia ad ungnem fuerat edoctus, quippe qui *Morgani*, Sophistæ clarissimi, sub an. CIↃDXLIX. memorati Discipulus extitit & Imitator. Is vero ineunte Sereniſſimæ *Elizabethæ* Regno *Oxoniâ* se proripuit, & Cardinalis titulo S. *Martini* in Montibus postmodo evasit.

E Collegio *Mertonensi* 1. *David* de la *Hyde*, cui in Scholis comparenti locum illico cesserunt omnes. Hic vero in Linguis Græcâ & Latinâ probe erat versatus, & dicendi præsertim facultate pollebat; Orationem autem in magnâ *Mertonensium* frequentiâ, habuit, multum sane decantatam & acumine pro seculi ejus ingenio minime vacuam; quam *de Fano & Ligno* nuncupatam super *Gasparo* (cujus cognomen *Heywood* latine significat fœnum & lignum) in *Regem*, quem vocant, *Fabarum* (is in tempore *Nativitatis* deligi solebat, &, quod in Generosorum Ædibus etiamnum obtinet, ludos & jocos solennes moderabatur) creato contexuit, qui quidem *Heywoodus* munus illud personatum *Mertonensium* postremus gessit. Quod *Hydum* vero attinet, primis *Elizabethæ* temporibus Collegio pulsus in *Hiberniam* concessit, ubi solidâ magis eruditione imbutus est, ac Theologiæ, Matheseos, rerumque antiquarum peritissimus emicuit. II. *Gasparus Heywood*, mox ante dictus, Poeta & Philosophus haud incelebris emersit, anno autem sequenti in Socium *Omnium Animarum* cooptatus est, & Religionem reformante *Elizabethâ* ad exteros migravit, apud quos Familiam *Jesu* ingressus in eadem ad extremum usque diem perstitit. Filius is erat *Johannis Heywood*, Poetæ sub *Henrico VIII.* conspicui. III. *Johannes Wolley*, ad Ordinem Equestrem ab *Elizabethâ* evectus, quæ & Secretarium primò, deinde sanctiorum Conciliorum participem fecit.

E Collegio *Omnium Animarum* fuere *Petrus Johnson* & *Franciscus Babington*; quorum noviſſime dictus munus hoc anno Procuratorium gessit, postmodo autem Collegio *Lincolniensi* præfuit, & Prælecturam Dominæ *Margaretæ* obivit.

Inter *Balliolenses* occurrunt bini quidam, ab Elenchorum peritiâ deprædicati; è quibus alter *Robertus Wode* appellabatur, alterius enim nomen sedulo licet quæsitum, nullibi, quod sciam, deprehendendum.

[a] I. *fol.* 141. *b.* [b] *Ibid. fol.* 144. *a.* 176. *b.*

Collegium

Collegium *Corporis Christi* decorabant *Richardus Edwards*, & *Gulielmus Mugge*; quorum primus inter Poetas Comicos, reique Musicæ peritos, deinceps claruit, velut infra in hoc opere monstrabimus.

E Collegio *Lincolniensi* deprehenduntur *Antonius Atkins* & *Christophorus Hargrave*, prædictorum nemini secundi, propter expeditam vero disputandi copiam in summâ, apud Tyrones præsertim, admiratione habiti.

Ad *Magdalenenses*, Ædisque *Christi* Alumnos quod spectat, è Scholis vel Academicorum sibilis exigendi videbantur, quod licet facundiâ & copiosa perorandi facultate pollerent, Artis tamen disputatricis Expertes essent. Collegia vero *Dunelmense* & *Bernardinum* vacua pene jacebant, (nisi quatenus *Wryghti* & *Kemalli*, Doctorum, Baccalaureis in habitacula cederent) undè Canilia lustra, joco populari vocabantur usque dum *Thomæ Pope*, & *Thomæ White*, Militum, pietate latifundiis essent locupletata. Porro observare datur, plurimos hac tempestate qui primis tyrocinii literarii annis egregiam de se spem feciissent, superbiâ primum, dein commessatione, & perpotationibus ebrios, stupidos plane factos, ingeniumque cum industriâ perdidisse.

Hoc insuper Anno morbus hic grassabatur Epidemicus, qui à fructuum horariorum esu proveniisse credebatur: & proinde Commissarius, ne venderentur, programmate publico interdixit.

CIↃDLVIII.

Diem sub hæc obeunte *Mariâ*, sceptrumque jure hereditario capessente *Elizabethâ*, dici non potest quam derepente novam induerit formam Academia; exultantibus ubique & vix præ gaudio sese capientibus Reformatis, Pontificiis autem de religione suâ haud parum solicitis, quamvis confirmandæ in posterum spem aliquam subesse arbitrarentur. In Collegiis quidem nonnullis tanta fuit *Romanistarum* fiducia, ut in Scholarium aliquos paulo liberius de rebus sacris, maxime vero de Sacramento, quod vocant, Altaris, locutos animadverterent; tametsi alibi, atque apud *Magdalenenses* [a] potissimum, injuriarum quas sub *Mariâ* perpessi fuerant memores Reformati, occasionem quotidie captarent Pontificiis molestiam creandi; nimirum rasos irridebant vertices; de magnatum scandalo, si quid temere dictum, dicam intentabant, Missarum denique solennia retinere laborantibus, minitabantur. Curis itaque variis exerciti plerique Academiæ Primores *Oxoniæ* se clam subtrahebant, vitam in tenebris ducturi quoadusque quorsum hæc evaderent, quibusque partibus accederet Regina, palam innotesceret; ne officio tamen suo deesset *Tresshamus*, Cancellarius natus (è vivis enim eodem quo *Maria* die migrârat *Polus*) Senatum Academicum [b] indixit, de Epistolâ gratulatoriâ Reginæ, ut fit, transmittendâ deliberaturum. Conscriptam itaque & à Convocatione, prout mos est, approbatam *Londinum* detulit *Tresshamus*, *Reginaldo*, Collegii *Mertonensis* Custode, necnon *Wryghto*, Doctoribus pariter utrisque, cum Juniore Procuratore virum comitantibus; qui ubi eandem & chirothecas totius Universitatis nomine *Elizabethæ* offerret, miræ in rem literariam, *Athenas*que speciatim nostras, Benevolentiæ testimonia accepit amplissima. Atque haud ita multo post, hoc nimirum ipso & sequente anno à promissis se minime recessuram ostendit Regina; quæ in solenni Ordinum conventu Legem [c] procuravit rogandam, de Primitiis Decimisq; Academiæ tum nostræ tum *Cantabrigiensi*, necnon Collegiis *Eatonensi*, & *Windelsoriano* in perpetuum remittendis; statuto ut quicquid hac ex parte vel ab *Henrico VIII.* vel decessoribus quibuscunque suis, indultum fuerat, vigorem pristinum plenumque retineret. Porro autem cùm lata esset lex de decima, necnon, decimâ quintâ parte temporalium, uti nos loquimur, regiæ Majestati pensitandâ, quarum altera semel, altera bis exigebatur, tributis iis eximendas [d] pronuntiavit Academias.

Et enimvero sic à naturâ & industriâ comparatam constat *Elizabetham*, ut prima Regni sui momenta bonorum omnium animos tacitâ quadam Voluptate perfuderint; quæ non nisi annis aliquot interpositis (neque enim curæ tantum ingentes sed & gaudia stupere aliquandiu homines jubent) palam prorupere. Siquidem anno tandem Dom. CIↃDLXI. lætitiæ popularis indicio, Campanarum scilicet pulsatione, testari cœptum apud nos, quanti *Elizabetha* fieret, ex occasione quam breviter admodum (neque enim locum ampliorem in Historiæ hujus nostræ transcursu meretur) enarrandam arbitror. In Festo S. *Hugonis* anno prædicto socii quidam *Lincolnienses* (quibus utique solenne olim erat lautius illo die prandere) ad Ecclesiam suam *Omnium Sanctorum* statim à meridie convenerunt, Campanarum usu ciborum (perperam licet) coctionem adjuturi. Eodem propere advolavit *Johannes Wayt*, Prætor Urbanus, Religione nimiâ, non dico pietate, vir, qui Socios præfatos increpans vanitatis pontificiæ insimulabat, tanquam si *Dirige* (ut loquuntur *Romanistæ*) celebrarent, & operas superstitiosas *Mariæ* Reginæ, illo minirum die fato functæ, elocarent. Respondebant autem plerique id se laboris tuendæ sanitatis gratiâ suscepisse, contra autem affirmante uno aliquo, ob renuntiatam illo die Sereniissimæ *Elizabethæ* in *Mariæ* locum successionem, lætitiam suam propalare voluisse, mutatâ confestim sententiâ ut S. porro *Martini* aliarumque quarundam Ecclesiarum Campanæ sonarent edixit Prætor. Atque hanc sane originem habuit Campanas pleraque die prædicto pulsandi consuetudo, quam toto clarissimæ Reginæ tempore & postea usum tenuisse nullus dubito, cùm in Ecclesiarum Parochialium computis annuis hæc passim occurrant --- *Item Campanas in Festo sancti* Hugonis *pulsantibus*.

CIↃCDLIX.

Hoc anno Sodalitia nostra lustranda destinans *Elizabetha*, ad id maturius præstandum Præfectorum Academicorum literis, de Protestantibus à Pontificiis pessime habitis, excitata est; quapropter Universitatis Magistratibus continuo rescripsit, ut *Christinæ Religionis Cultores* (sic utique appellandos duxit Reformatos) *in omnibus publicis negotiis & privatis benigne tractarent* præcipiens; quo minus autem ad Præsidis, Socii, aut Scholaris, Academici denique alicujus ad Munus quodvis Electionem procederent diserte prohibens. Porro & Alienationes, sive possessionum mutationes, fieri vetuit, rebusque aliis Togatos interdixit (*exceptis quæ ad terrarum suarum cultum necessarium spectarent*) usque dum visitatio, quam in animo jam volvebat, solennis haberetur.

[a] Reg. Coll. Magd. *fol.* 21. *a* & *b*. 24. *b*. [b] *I. fol.* 178. *b*. 179. *a*. [c] *Inter statuta Regni* Angliæ *publica, ut supra.* [d] *Ibid.*

Interjectis vero menſibus perpaucis, Viros ad eam rem quam maxime idoneos delegit,

Richardum nempe *Coxe* Epiſcopum *Elienſem*: hunc *Edoardi VI.* temporibus in eodem munere verſatum prædiximus.

Johannem Williams, Baronem de **Thame**: moriebatur vero hoc anno XIV. *Oct.*

Johannem Maſon Militem, quondam ſocium Collegii *Omnium Animarum.*

Thomam Benger, Militem.

Gulielmum Kyngsmylle, Armigerum.

Johannem Warner, Collegii *Omnium Animarum* Cuſtodem.

Gualterum Wrygbt, LL. D. Archidiaconum vero *Oxonienſem.*

Johannem Watſon, A. M. Cancellarium S. *Pauli, Londini.*

Robertum Bynge, Armigerum, *&c.*

Quibus ut humanius agerent, & ab aſperitate omnimodâ temperarent, mandavit; quod probe nimirum intelligeret humanitate & manſuetudine leniri, ſibique conciliari poſſe, ſummi autem juris acerbitate alienandos magis iri Togatorum animos. Ad Capita de quibus quæſtionem haberent quod ſpectat, nullibi quidem recenſita deprehendo; munera tamen Academica conferendi poteſtatem acceperunt, *Oxoniam*que pervenientes quæcunque Cultui ſuperſtitioſo inſervirent è Collegiorum Sacellis Eccleſiiſque ſimul Parochialibus (& illas enim purgandi factam habuerant copiam) ejecerunt. Ob fidem dein exulantes revocabant, priſtiniſque muneribus donabant; antiquatis vero, maximam partem, ſtatutis à *Polo* conditis, *Edoardinis* illis obtemperare jubebant Academicos; æquabiliter autem adeo ac temperate ſe gerebant, ut ob mediocrem eam limitibuſque præfinitam Delegatorum authoritatem gratias [a] Reginæ his verbis habuerit Univerſitas; --- *tua Celſitudo Legatos ad nos mittere dignata eſt, viros præclariſſimos qui non ſolum authoritate regia, intermiſſa reſtituerent, diſſipata componerent, collapſa reſtaurarent, ſed etiam paterna manſuetudine, omnes iſtius Scholæ ſtudioſos ad obedientiam eorum quæ Regni decretis conſtituta ſunt, allicerent potiùs & invitarent, quem vi & minis cogerent, & compellerent, &c.* Inſuper, cum Incipientibus quibuſque diſpenſatum [b] fuit, quo minus Capita quædam *Londini* olim damnata (pro *Ruſſellianis* prædictis habenda exiſtimo) tactis Evangeliis ejurarent, quoaduſque ſcilicet ex maturâ Delegatorum conſultatione deſpiceretur quid eâ in re decernendum eſſet, quod id nempe Juramenti Legibus *Angliæ* municipalibus repugnare videretur.

Ad Viros jam deſcendo Officiis Academicis per hæc proximeque ſequentia tempora exutos; ii autem (ut Comitem *Arundellianum* Concellariatum ultro deponentem omittam, quanquam id nonnullis in Viſitatione perperam factis adnumerandum velint bene multi) ſic ſe habuere:

Doctor *Richardus Martiall*, Ædis *Chriſti* Decanus, cum Delegatorum poteſtatem agnoſcere detrectaret, *Londinum* abductus, Carcerique mancipatus eſt. Vide, ſi lubet, de illo plura in Ædis *Chriſti* notitiâ.

Doctor *Gulielmus Treſham*, Ædis præfatæ Canonicus, juramentum de regio Supremata præſtare recuſavit, & à Munere propterea ſubmotus *Bamptonam* in hoc Agro (Vicariorum enim unus erat) migravit, ibique circa annum ſalutis CIↃDLXIX. diem obiit.

Doctor *Richardus Smyth*, ejuſdem Ædis Canonicus, Munere ſuo pulſus *Duacum* ſe contulit, ubi Divi *Petri* ibidem Decanus evaſit, diemque extremum clauſit an. dom. CIↃDLXIII. Scriptor quidem haud incelebris erat, & acerrimus fidei Romanæ defenſor.

Doctor *Thomas Reginaldus* vulgo *Raynolds*, Collegii *Mertonenſis* Cuſtos, ab ipſâ Reginâ, ad Curiam *Hamptonenſm* agente, Magiſtratu exutus pronuntiatur, quarto *Septembris* die; quam ſententiam coram Sociis quibuſdam *Mertonenſibus* in ipſis viri Ædibus, triduo poſt propalabant Dominus *Williams*, Baro de **Thame** ac *Gualt. Wryghtus* & *Thom. Whytus*, Doctores. Parvo temporis intervallo in Cuſtodiâ firmâ deceſſit.

Thomas Coveney, Magdalenenſium Præſes, Magiſtratu motus eſt propterea quod ſacris Ordinibus (ut videtur) initiatus non eſſet, & Sociorum aliquos ejuſdem Collegii hoc ipſo anno aſperius tractaſſet.

Doctor *Gulielmus Cheadſey*, Collegii *Corporis Chriſti* Præſes, & Magiſtratu & Ædis *Chriſti* Canonicatu privatus eſt; cui in Munere illo *Gul. Bocher*, è Sodalitio primo dicto, in hoc autem Magiſter *Robertus Bankes* (quem propter ductam Uxorem eodem ejecerant Viſitatores *Mariani*) ſubrogatur.

Doctor *Gulielmus Wryght*, Collegii *Balliolenſis* Magiſter, ſive Præſes, è munere illo turbatus eſt; ſuffecto in ejus locum per delegatos Doctore *Babyngton.*

Magiſter *Johannes Smyth*, Præpoſiturâ *Orielenſi* tandem ejicitur; licet propter temperatiores animi affectus eodem diutius frueretur, Prælecturâ interim Dominæ *Margaretæ*, ſequenti anno, privatus.

Magiſter *Hugo Hodgſon*, Præpoſitus Coll. *Reginenſis*, biennio poſt officio ſuo vel ſponte ceſſit, vel etiam ſubmotus eſt.

Magiſter *Henricus Henſhaw*, Collegii *Lincolnienſis* Rector, munus ſuum, permittentibus Delegatis, ultro depoſuit.

Magiſter *Thomas Slythurſt*, Collegii Sacroſanctæ *Trinitatis* Præſes, Magiſtratu pulſus eſt; cujus in locum, Viſitatorum juſſu, ſucceſſit Magiſter quidam *Teldard*, qui ſolum nuper ob fidem verterat, & ad exteros evolârat. Neſcius non ſum Viri hujus exiſtimationem à Libello [c] quodam famoſo, annis abhinc aliquot prodeunte lacerari, ipſumque, tanquam amoribus meretriciis deditum in hæc verba proſcindi:

Aud him whom conſcience once did cauſe
For deadly vice away to flye,
Now being trap'd in the ſame clauſe
With *Telding* **voice doth errour crye.**

Verum ſi male feriati cujuſque calumniis fides commoderur, Viros probos aut pios nullibi gentium reperire erit; & ſane de *Teldardo* illo retulit, qui eundem in Munere eo excepit, Doctor *Kettle*, vitam tetricam potius nimiumque ſeveram quam intemperantem traduxiſſe.

[a] *FF. fol.* 131. [b] *I. fol.* 185. *b.* [c] *Edit. per* Tho. Bulkley, *Coll.* Om. An. *MS.*

Magiſter

Magiſter *Alexander Belſyre*, & Magiſtratu Coll. S. *Johannis*, & Ædis *Chriſti* Canonicatu ejectus.

Magiſter *Gulielmus Elye*, noviſſime dicto in Sodalitii Divi *Johannis* Præfecturâ ſubrogatus, minimoque temporis intervallo exturbatus deprehenditur.

Magiſter *Gulielmus Martiall*, Aulæ S. *Albani* Principalis, Magiſtratu ſe, paucis poſt hæc annis, abdicare coactus eſt.

Magiſter *Gulielmus Allyn*, Aulæ Beatæ *Virginis* Principalis, de quo ſupra. Hic *Orielenſium* Sodalitio ſponte ceſſit, tametſi Munus ejus ante annum CIↃDLXV. vacuum non pronuntiarint Socii.

Georgius Edrycus vulgo *Etheridge*, regius Linguæ Græcæ Profeſſor; de quo alibi in hoc Opere plura reperies.

Jacobus Dugdale, Collegii *Univerſitatis* Magiſter (ſic Præſidem Sodalitii vocamus) duobus poſt hæc annis per Delegatos prædictos ejectus eſt, ſubſtituto in ejus locum *Thomâ Key*, ſeu *Kay*, Rectore de **Tredington**, in Agro *Wigornienſi*; qui quidem eruditione haud vulgari præditus erat, verum cum re præſenti deliberabat ſemper, & ad partes victrices facile tranſibat. Quam rem *Pitſeo* minime innotuiſſe opinor, aliter enim Virum illum, Reformatis poſtremo addictiſſimum, inter Scriptores ſuos illuſtres haudquaquam retuliſſet, quin Apoſtaſiæ potius notâ (qua in Proteſtantium ſententiam venientes ubique inurit) deturpaſſet.

CIↃDLX.

Enumeratis qui opum & dignitatum amiſſione mulctari maluerint, quam regii Suprematus Juramento obſtringi, nonnullos recenſebo ad bonam ſeſe frugem recipientes, & Authoritatem Regibus à Deo impertitam agnoſcentes. Primus erit Doctor *Gualterus Wryght*, Commiſſarii Academici Officio creberrime functus, nunc autem in Delegatorum regiorum numerum aſſumptus; quem ſane inter Viſitatores, ab Epiſcopo *Wintonienſi* ad Collegium *Magdalenenſe*, regnante *Mariâ*, viſitandum nominatos, fuiſſe conſtat, atque clementiâ, quâ præditus erat, inſigni reliquorum feritati frænos quodammodo injeciſſe. Corpore quidem luſcus erat, animo autem quam optime oculatus, ſummoque Lites quaſcunque dijudicandi acumine præditus; quod Pontificiis, *Mariæ* temporibus, adhæſerit culpâ nequaquam eximendus, veniam tamen egregie dein promeritus, cùm ſtatim ab *Elizabethæ* ingreſſu Concionem in *Omnium Sanctorum* Eccleſiâ *Oxoniæ* habuerit, quâ errorem ſuum aperte faſſus, Cultus fideique *Romanæ* vanitatem voce quidem imbelli argumentis vero (ut dicitur) fortiſſimis propalavit, Eccleſiæ autem *Anglicanæ* Liturgiam acerrime tutatus eſt. Proximo inde anno iniquâ valetudine ſenſim languebat, & octavo demum poſtquam decubuit die è vitâ migravit; dolentibus mirum in modum Academicis, qui non ſecus ac publicum parentem luxere. Proximum ſibi locum vindicat (ut Doctorem *Thomam Whyte*, e Collegio *Novo* alioſque taceam) *Thomas Neale*, qui Religionem quoque Reformatam amplexus dicitur; licet ſimulato id animo feciſſe crediderim, atque Virum propterea Scriptorum ſuorum Albo intuliſſe *Pitſeum*.

Inſtituti jam Operis ratio poſtulat, ut Socios etiam & Scholares commemorem Suprematui regio reclamantes, & Sodalitiis proinde vel cedentes ultro vel, ut par erat, eliminatos. Hos inter primos ducent ordines Collegii *Novi* Alumni, quod alterius cujuſque Recuſantes (ita ſub hæc nuncupari cœperunt qui Jus regium agnoſcere detrectarent) numero ſuperent; quorum quidem Catalogum Lectori non invidebimus. Fuere autem, *Gulielmus Knott*, Juris Civilis Doctor, *Johannes Catagre* LL. B. *Thomas Butler* LL. Doctor (illum Epiſcopi *Wintonienſis* Cancellarius ejecit) *Antonius Forteſcue* LL. B. *Robertus Poyntz* A. M. *Robertus Fenne* LL. B. qui exilium, vincula, aliaque mala ob Religionem pontificiam paſſus eſt; *Johannes Fenne*, prædicti frater Grammaticam ad Fanum Burgi S. *Edmundi*, Collegio pulſus, præmonſtravit, atque inde etiam ejectus *Lovanium* conceſſit, ibique anno Dom. quaſi CIↃDCXIII. mortem oppetiit: *Johannes Fowler* A. B. *Lovanium* ſe contulit, & Typographiam ibidem exercuit. *Johannes Hardy* Civiliſta, *Johannes Noble* A. B. & *Thomas Darrell*, per Epiſcopi *Wintonienſis* Cancellarium Collegio exturbati. *Richardus Whyte* A. B. de *Baſingſtochiâ*; *Duaci* reliquam vitam egit, magnamque eruditionis famam poſt ſe reliquit. *Edoardus Atſlow*, M. D. *Lucas Atſlow*, A. M. prædicti frater, è Sodalitio motus quod ſacris Ordinibus initiari abnueret. *Johannes Raſtall*, A. M. *Johannes Mundin*, ex Agro *Dorſetenſi*, ab Epiſcopo *Wintonienſi* Collegium Viſitante pulſus, ad exteros trajecit, inque Clerum *Romanum* aſcitus Sacerdos quem Seminarium nuncupamus audiebat, inque *Angliam* remeavit; *Wintoniâ* vero *Londinum* contendens ab *Hammono* quodam Leguleio detectus eſt, & Secretario *Walſinghamio* traditus; qui habitâ ſtatim quæſtione Virum in Carcerem detrudit, atque is Proditionis dein ex Lege compertus cum aliis quatuor ejuſdem Religionis ad patibulum *Tybournenſe* prope *Londinum* morte mulctatur, XII. *Febr.* ann. CIↃDLXXXIII. *Gulielmus Norwode*, *Thomas Shelley*, *Johannes Ingram*, & *Johannes Buſtard*, ſodalitio ejiciuntur quod ſacris ex Liturgiâ *Anglicanâ* celebratis intereſſe recuſarent. *Audoenus Lewes Duacum* ſe contulit, inque Academiâ illâ Profeſſoris Regii munus obivit. Denique ne omnibus recenſendis immorer, *Gulielmus Pomerell*, S. Theologiæ Baccalaureus, & Capellanorum alter, in *Hiberniam* evolavit.

Collegio Divi *Johannis* aut ſponte aut coacti ceſſere *Johannes Bavent*, *Radulphus Windon*, *Leonardus Stopes*, *Henricus Shaw*, Magiſtri ac Socii; *Gulielmus Wyggs*, & *Jonas Meredith*, Baccalaurei, itidemque Socii; quos omnes in Clerum pontificium admiſſos, cumque aliis quibuſdam prehenſos Carceri de **Wisbich**, in agro *Cantabrigienſi*, mancipatos fuiſſe liquet, tametſi quaſnam dein pœnas luerint nequeo dicere. *Wyggſium* ſane quod attinet, cruentâ Viri cujuſdam pariter incarcerati dextrâ truncidatum confido, motâ de re divinâ lite; alienum enim iſtum à *Gulielmo* illo *Wyggs*, Sacrificulo Romano, & *Kingſtonæ* prope *Londinum* primo *Octobris* ann. dom. CIↃDLXXXVIII. capitali ſupplicio ob læſam majeſtatem affecto, fuiſſe arbitror. Eodem vero Sodalitio pulſus comparet *Thomas* quidam *Bramſton*, alias *Brimſton*, qui ubi annos aliquot cum Doctore *Johanne Fecknam*, Abbatum *Weſtmonaſterienſium* poſtremo, degerat, in partes tranſmarinas migravit, & circa annum CIↃDCVIII. animam exhalavit. De reliquorum Collegio iſto ejectorum nominibus parum conſtat.

Collegio *Mertonenſi*, propter aſpernatum quoque de ſuprematu regio Juramentum, exturbati occurrunt *Robertus Dawkes*, *David* de la *Hyde*, & *Antonius Atkins*, Socii.

E Sodalitio *Omnium Animarum*, (ut alios prætermittam) *Thomas Dorman*, & *Thomas Dolman*, Socii; qui ad exteros trajicientes Clerum Pontificium ingressi sunt.

Collegio *Corporis Christi* binos tantum eliminatos reperio, *Gulielmum* nempe *Shepery* (de quo in Sodalitii ipsius Notitiâ fusius edisserendum) & *Jacobum Fenne*, *Fennorum* antedictorum fratrem. Is autem propter detrectatum, quod jam sæpe memoravimus, juramentum & à Gradu repellitur, & Sodalitii ejus Scholarium numero ejicitur, unde Collegium *Glocestrense*, earundem sub id partium adjutoribus plenum, adivit, assumptisque in disciplinam junioribus quibusdam, eodem etiam post paulo abscedere coactus est. In Comitatum dein *Somersetensem*, solum utique natale, commigravit, & calamitatibus haud paucis ob fidem conflictatus, ad Patibulum *Tibournense* tanquam Sacerdos quem Seminarium vocant Leges (tametsi talem fuisse indiciis pene nullis deprehensum fertur) pœnas capitales expendit *Februarii* XII. anno Domino CIↃDLXXXIV.

Sodalitio *Magdalenensi* tum anno isto tum proxime sequentibus exturbati sunt bene multi, quorum nomina tacitus in præsens omittam; dicendus tamen Magister *Johannes Wrygbt*, Socius, cui in Reipublicæ *Anglicanæ* administrationem imprudenter admodum post hæc invecto [a] mandarunt Præses ac Socii, *ne Mensis unius spatio publice ad populum* Oxoniensem *vel privatim in Collegio absque vi, dolo & fuco, sententiam & judicium suum exponeret de Sacrificio Missæ & de primatu* Elizabethæ *Reginæ*, &c. Cæterum cum morem ille haudquaquam gereret Munere suo aut, Collegio permittente, ultro cessit, aut invitus ejiciebatur.

Collegio *Lincolniensi* pulsi sunt complures, verum inferioris notæ cum fuerint locum in Historiâ nostrâ nequaquam merentur.

Collegio etiam Sacrosanctæ *Trinitatis* vel vi vel sponte valedixerunt Academici haud pauci, quorum de numero fuere *Leonardus Fitzsimons*, *Thomas Scot*, & *Thomas Ford*. Novissime autem dictus Sacerdotibus seminariis aut Jesuitis postmodo accessit, inque *Angliâ* deprehensus ad Patibulum paulo ante dictum Proditoris pœnas luebat, XX. aut XXVIII. *Maii* an. Dom. CIↃDLXXXII. His proculdubio addi possent alii perplures Sodalitiis reliquis pulsi, nisi eorum nomina Scriptorum omnium silentio premerentur, & sedulo licet indagantem laterent.

CIↃDLXI.

Purgatis hunc in modum *Athenis* nostris, doctisque perinde ac indoctis exilio mulctatis, turbante etiam ob nondum finitam Visitationem Republicâ literariâ, mirum non est si de splendore pristino multum perdiderit Academia. Quod quidem ambigi nullo modo potest, cùm Exercitia perpauci in Scholis per hæc tempora obierint, atque anno superiori in Theologiâ nemo, unus vero in Jure Civili, in Medicinâ denique tres, & in Artibus haud plures quam octo Inceperint; hoc autem anno ne unus aliquis Theologus, Medicus, aut Jurisperitus in Comitiis steterit. Porro ad eam jam inopiam redacti fuerant Togatorum quam plurimi, ut impetratâ eam in rem Commissarii [b] licentiâ stipem ostiatim emendicârint, honestiori illâ, quâ sublevari olim consueverant, Cœnobiorum Benevolentiâ destituti. Cum ergo his angustiis premerentur Artes, minimè mirum tot à nobis desciviſſe: non Academiâ tantum sed *Angliâ* insuper relictâ. Animos quidem plurimorum solicitos habuit mutata toties intra decennii spatium religio: & cum fluctuarent omnia, futuris inhiare, quam præsentibus acquiescere consultius esse duxerant. Interim fanaticus reformantium nonnullorum æstus, (qui gradus & eorundem insignia, literas humaniores, patrum antiquorum scripta, Ecclesiasticos ritus, & priscæ pietatis ceremonias, capitali prosequebantur odio (si calculos rectè conferamus, merito inter præcipuas numerabitur causas tantæ obstinationis quæ in juventutis Academicæ animis hac tempestate versabatur.

Annus insuper iste hoc habet memorabile, quod Academiam Privilegiis quodammodo orbatam, & injuriis proinde suis obnoxiam credentes Oppidani (& revera valetudine diuturnâ laborârat, necdum vires collegerat Universitas, Magistratibus nostris in stabiliendis Collegii cujusque Censu ac Juribus, & Indultis de mortuâ manu impetrandis unice occupatis) jura ejus quæcunque labefactanda facile sperabant, immo impotenter adeo se gesserunt, ac si ditionem Academiam, tanquam veram Dominatus pontificii propaginem, resecandam brevi expectarent. Siquidem contra Magistratus nostros, Curiam quam *Letam* vocamus in Prætorio habituros, insurrexerunt *Thomas Ryley* & *Johannes Hartley*, Ballivi urbani, qui juratos duodecim Civium de numero ad testimonium dicendum citare, sive impanellare pro officii ratione, requisiti, id detrectabant eamque ob rem ad Commissarium accersiti, pertinaciter admodum quod fecissent defendebant. Decimo itaque *Novemb.* hujus anni, in solenni Regentium & non Regentium Convocatione, commercio cum Scholaribus & Privilegiatis [c] arcentur, quam pœnam integro Mense subibant, decimo enim *Decembris* criminis sui gratiam ad meliorem mentem redeuntes deprecati, Universitati [d] conciliantur.

CIↃDLXII.

Sciendum quod anno superiori turbulentus *Romanensium* animus patere occœpit, dum illi à Legati pontificii in *Angliam* adventu, (qui quidem sermone tum frequenti percrebuit) spiritus novos colligerent, & à Concilio *Tridentino*, in quo mali quippiam procudendum contra Reginam *Elizabetham* iri existimabant, ad spem majorem erigerentur; quod sane hoc anno è seditione quadam inter *Mertonenses* coortâ magis innotuit, unde magni aliquid agitari credebant prudentes plerique, siquidem ubi juxta initium *Januarii* novissime præterlapsi Munus ultro deposuerat Doctor *Jacobus Gervase*, Collegii Custos, quinque Virorum nomina (quorum etiam duo vel tres è Sodalitio nunquam fuerant) Archiepiscopo transmiserunt Socii, qui tamen tres tantum antiquitus & secundum statuta eosq; potissimum ibidem nutritos offerre solebãt, è quibus unus aliquis in demortui vel Resignantis locum sufficiendus esset. Ægre ferens Archiepiscopus insolens hoc factum rejectis omnibus *Jo.* quendam *Manne*, Collegii olim *Novi* Socium delegit, & in Custodem nominavit, atque illo moras trahente, nec *Oxoniam* ante exitum *Martii* hujus anni perveniente,

[a] Reg. *Coll.* Magd. *ut supra fol.* 29. *a.* [b] *Reg. GG. fol.* 262. *a. & alibi.* [c] *Reg.* I. *fol.* 198. *a.* [d] *Ibid. fol.* 199. *a.*

Sodalitii

sodalitii Præfectura penes M^rum *Gul. Hawle*, (inter socios enim superiores, quos nuncupamus, is erat) resedit. Hunc animo in Pontificios propensiori fuisse jampridem crediderant *Oxonienses*, quam rem ipse nunc aperte nimis testabatur, revocatis Religionis *Romanæ* ritibus quibusdam. Siquidem pro virili laborabat, ut Hymnos aliquos à Vigilia *Omnium Sanctorum* usque ad Beatæ *Virginis* Purificationem, in Festorum Vigiliis ac Vesperiis, focum publicum in Refectorio circumeuntes canerent, quorum in locum Psalmos *Davidicos*, hodierno etiam die usurpatos, substituerat prædictus *Gervasius*. Cum vero Munus suum obiret, cui præcinere incubuit, Magister *Jacobus Leech*, Juniorum Sociorum alter, prodiit confestim *Hawlus*, librum Viri de manibus eripere, flammisque tradere præ se ferens; his insuper additis *sese ad Tibiam ejus haud ultra saltaturos*. Hoc autem, aliisque consimilibus in *Romanistarum* gratiam gestis, factum est ut apud *Mertonenses* animis aucti Pontificii rebus novis studerent, contraque sentientes injuriis frequentibus lacesserent, immo tanquam de victis triumpharent; quod tyrones inter potissimum fiebat, præcipiti ut fit ardore in sententiam quamcunque facillime pertractos.

Cæterum *Oxoniam* denique perrexit antedictus *Mannius*, proximoque die (is in xxx. *Martii* incidit) cum Doctore *Babington*, Vicecancellario, Doctore *Whyte*, *Novi* Collegii Custode, aliisque quibusdam, ad *Mertonenses* accessit, Sociisque obviam extra Portam factis, literas Archiepiscopales tradidit, super electione suâ in Custodem conscriptas. Hæserunt quidem socii, remque ipsam in secundum *Aprilis* diem differendam pronuntiarunt, atque tum denuo rediit, circa horam IX. matutinam, *Mannius*, à retro pariter dictis ac *Henrico Norrys* de *Wythamiâ* prope *Oxon.* Armigero, & *Antonio Forster* de *Cumnorâ*, Generoso, deductus; obseratam vero communi Sociorum omnium consensu portam inveniens cum Magistro *Johanne Broke*, Seniorum altero, ad se accersito, de recludendâ eadem egit, hominemque eo tandem pertraxit ut voti compotem fecerit; quod an ex metu & ignaviâ, an vero ex Juris Archiepiscopalis conscientia fecerit Lectori permittendum. Eam vero ob rem excanduisse ferunt integrum Sodalitium, *Hawlus* autem intromisso Custodi colaphum impegisse memoratur; quæ cum Archiepiscopo essent nuntiata, Socios omnes per literas monuit ut vicesimo sexto sequentis *Maii*, atque inde de die in diem, præsentes sese in Ecclesiâ suâ sisterent, vel ab ipso vel ab Vicario ejus Generali Visitandos. Tempore itaque præstituto de rebus tum iis, tum aliis Collegium tangentibus quæstio habetur; atque confirmato per Vicarium quem dixi *Mannio* Sodalitio ejicitur *Hawlus*, reliqui autem earundem partium sectatores verbis castigantur, quiq; à re *Romanâ* abhorrerent collaudantur, ac spe novâ implentur.

Quod *Hawlum* vero attinet, Medicus quidem, pro seculi ingenio, insignis habebatur, qui ad Collegium inde *Universitatis* migravit, & circa medium sequentis *Decembris* dolore animi interiit; dispersis vel antea vel haud ita multo post quotquot cum illo consilia sociassent; quorum de numero *Rogerus Gifford* procellas eas visitatrices experiri nolens Sodalitio sponte cessit. *Johannes Potts* & *Ambrosius Appleby*, *Mannio* invisi, anno sequenti sub prætextu quod perjurii tenerentur, ab eo sunt exturbati; quorum primò dictus *Lovanium* post paulo & ad loca alia transmarina se contulit, comitante discipulo suo quodam, *Arthuro Faunt* appellato, qui in Societatem *Jesu* receptus eandem denique eruditione suâ ornavit. De *Broke*, quem fidem supra fefellisse diximus, proditum est, interposito quasi biennio, propter fraudatum dum in Dispensatoris (Bursarium nuncupant Academici) munere versaretur Collegium, exterminatum fuisse. Postremo, ad *Mannium* quod spectat, honore postmodo auctior emersit, in Decanum *Gloucestrensem* ab *Elizabethâ* Regina creatus, & legatione ad Regem *Hispanum* (qui *Goosmannium* quendam, *Toleti* Decanum, Oratorem huc postea amandârat) missus, de quibus per jocum Regina dixerat, se fratri *Hispaniarum* Regi dignas rependisse vices; is siquidem *Goosemannum* (id Anserem hominem apud nos sonat) huc direxit, hinc vero illuc abiit *Mannius* (id est homo) si minus nomine, re tamen Anser. Hactenus vero de seditionis pontificiæ seminibus apud *Mertonenses* sparsis, & Magistratum gerentium industriâ feliciter præfocatis, dictum esto; qualia & in aliis passim Collegiis jacta fuisse dubium non est, tametsi parvo temporis intervallo penitus exaruerint.

CIↃDLXIII.

Hoc anno funesta *Oxoniæ* lues grassabatur, & Academicos quotquot supererant dissipavit, adeo ut in ipsam Universitatis perniciem exarsisse videretur; quam utique in reformandâ pridem Religione maximâ Alumnorum parte spoliatam prædiximus. Revera Secula antiqua si respicias exinanitam quodammodo agnosces, unde infrequenter admodum præstabantur exercitia, & perpauci eorum qui rei divinæ inservirent eruditione vel modicâ pollebant; quod è Sereniſſimæ *Elizabethæ* edicto, quo Sacerdotes nonnulli scripturæ Capita & Homilias secum haud semel evolvere jubentur priusquam ad populum perlegerent, abunde liquet. Neque desunt alia affectæ rei literariæ indicia, quæ tamen impræsentiarum haudquaquam recensebo. De Linguâ vero Latinâ non omittendum, egregiam comparuisse ejusdem imperitiam, ac proinde statutum à Reginâ fuisse ut sacra nobiscum Idiomate illo celebrarentur, unde scilicet in usum iri revocandum sperabat. Concionatores quidem tam paucos numeravimus ut præter Magistrum *Thomam Sampson* Ædis *Christi* Decanum, & Doctorem *Laurentium Humphrey*, Collegii *Magdalenensis* Præsidem, ne unum repererim; quibus nonnulli tertium quendam (*Andream* forte *Kingsmill*) Artium Baccalaureum, è Collegio *Omnium Animarum*, addunt. Viri autem præfati prædicandi vices diebus dominicis obibant, cùmque ad *Catharos* ipsi declinarant, Academicorum animos *Calvinisticis* opinionibus, nec facile deinceps eluendis, infecerunt; discedente autem *Sampsono*, & *Humphredo* frequenter absente, Conciones futiles plane & ineptas habitas ad Academicos fuisse testatissimum vel ex unicâ historiolâ fiet: siquidem cùm paucis post hæc annis die quodam dominico haudquaquam compareret qui munere illo fungeretur, Ecclesiam B. *Mariæ* adiit *Richardus Taverner*, de **Woodeaton**, Armiger, Vicecomes *Oxoniensis*, gladioque cinctus, & catenulam auream de collo gestans, suggestum conscendit, atque Academicos hoc exordio salutavit.

Arriving at the Mount of S. Maries **in the stony stage where I now stand, I have brought you some fine biskets, baked in the Oven of charitie, carefully conserved for the**

the chickens of the Church, the ſparrowes of the ſpirit and the ſweet ſwallowes of ſalvation, &c.

Quæ latinè ſic ſe habent:

» Monti S. *Mariæ* admotus, ſaxeo ſuggeſto quo in-»ſiſto, elegantes attuli placentas, fervido charitatis fur-»no coctas, cautè conſervatas, pro Eccleſiæ pullulis, »Spiritus paſſeribus, ſuavibuſque ſalvationis hirun-»dinibus, &c. Minime opus eſt monere Pulpitum olim Eccleſiæ Academicæ, è lapide conſtructum: quin & eo ſeculo, paranomaſiis vocibuſque tinnulis mirum in modum vulgus hominum ſibi placuiſſe. Vir autem ille ſic perorabat; quem è Collegio *Cardinalitio* fuiſſe, inque Artibus Incœpiſſe, ſacriſq; Diaconatus Ordinibus initiatum ſcribam ſeu Clericum Signetti (ſigillum ita regium privatum nuncupamus) ſub *Henrico VIII.* & *Edoardo VI.* emerſiſſe conſtat, velut è libro hujus Operis ſecundo perdiſcas. Doctrinâ quidem, quod tamen haud temere credideris, non vulgari præditus perhibetur; atqui Religionem non modo pontificiam odio habuit, ſed adverſus legitimos Eccleſiæ noſtræ ritus, innocuaſque ceremonias, animum geſſit infenſiſſimum. Ad *Athenas* autem noſtras revertor, quas Concionatores perraros, ſaltem inſigniter doctos, numeraſſe vel exinde patet, quod & in Collegio *Mertonenſi*, illâ olim ex parte florentiſſimo, ne unus jam deprehenderetur, unde factum eſt ut abſoluto poſthæc biennio *Edmundum* quendam *Bunny*, Artium Magiſtrum, propter defectum Theologorum, in ſuorum numerum cooptârit; quem proſeminandi dein verbi facultate claruiſſe, ſacrumque ſuggeſtum conſcendiſſe toties ferunt, ut nonnullis *Dyſenteria Theologicâ* laborare diceretur.

CIↃDLXIV.

Diſciplinæ ſub hæc Academicæ, quæ annos nempe complures defloruerat & ad interitum jam vergebat, proſpiciendum arbitrabantur Togati, & diſpenſationum imprimis ac Gratiarum, aut indignis, aut ſub formâ ſaltem indecorâ, indulgeri ſolitarum, agebatur cura; Leges autem ſaluberrimæ de gradibus (maxime vero in Theologiâ, Jure ac Medicinâ) conferendis procudebantur. Procuratoribus inſuper [a] demandatum eſt Viros è facultate quavis idoneos nominare, qui de Prælectionibus aliiſque, prout bonarum Artium intereſſe videretur, exercitiis Statuta conderent; de quibus proditum non invenio quid hac in re præſtiterint, exercitia tamen aliqua, propter Superſtitionem, aut vanitatem Sophiſticam antiquaſſe ſuſpicor. De Academicorum dein quoad veſtitum luxu cautum [b] invenio, lege latâ nequis Præſes aut Alumnus Graduatus vel Scholaris, munere aliquo, ſtipendio annuo, aut Beneficio Eccleſiaſtico in Collegio Aulâve fructus, Induſio amplius quam ſimpliciter ad Collum Carpoſve rugato uteretur, neve Rugæ illæ pollicem dimidium in latitudinem excederent, aurumve aut argentum aut ſerici denique quippiam intertextum haberent.

Ordinatum pôrro ne antedictorum aliquis Collare indueret ultra pollicem alterum replicatum; neve Caligam gereret niſi ſimplici panno ſubſutam, tibiiſque æqualem, ex virgâ tantum unâ & menſurâ ſeſquipedali confectam, nec fibulis aut inſtitâ, maxime vero ſericâ, ornatam. Denique ſtatutum ſimul nequis eorum Diploida Cæruleam, albam aut flavam indueret, &c. conſtitutis etiam pœnis quæ ſecus facientibus irrogarentur. De Albo vel matricula inſuper, cui Scholarium ac Privilegiatorum nomina prout fieri olim conſueverat inſcriberentur, [c] comparando, deque pecuniâ illo nomine ſolvendâ, ordinatum; quod ſcilicet turbante in reformandâ religione Academiâ deperditæ eſſent veteres noſtræ Matriculæ. Deinde autem in revocandis, emendandis, & explanandis Statutis [d] laboratum eſt; & ne hiſce diutius immorer, tam ſedulo nobis evigilabat Cancellarii noſtri induſtria, ut nil plane prætermitteretur quod ad refovendam inſtaurandamque Univerſitatem quicquam conferret.

CIↃDLXVI.

Reniteſcere, ut diximus, ſub hæc cœpit celeberrima *Britannici* orbis Academia, licet, ob cauſas retro memoratas Viris eruditione claris haud adeo abundaret; eandem vero ulterius adhuc recreavit novoque donavit ſplendore Sereniſſimæ *Elizabethæ* adventus, in hunc annum propter nuperam Peſtem rejectus. *Cantabrigiam* illa jam ante biennium inviſerat, Ludiſque ibi Scenicis tam ſocco quam Cothurno accommodatis excepta [e] fuerat; quo tempore & *Athenas* noſtras perluſtrare conſtituens, prohibitam quam avide expetebat voluptatem ægre tulit.

Hoc autem anno, viceſimoque nono *Auguſti* (is in diem Jovis incidit) Marchionem *Northamptonenſem*, Comitem *Leyceſtrenſem*, (Cancellarius tum ille Academicus erat) Dominum *Strange*, Dominum *Sheffeild*, ac Dominum *Paget*, Barones, Secretarium *Cecyll*, & *Nicolaum Throgmorton*, Militem, cum aliis quibuſdam, quos ipſa poſt biduum ſubſequi decreverat, præmiſit Regina, quonam apparatu quantaque feſtivitate recipienda eſſet exploraturos. Optimatibus vero tam illuſtribus obviam, ut par erat, equis inſidentes proceſſere Doctor *Kennallus*, Vicecancellarius, reliquique Sodalitiorum præfecti; Togatis inferioribus pro Graduum & dignitatis ratione in ampliſſimo illo Ædis *Chriſti* Quadrangulo collocatis, atque Hoſpites Patricios expectantibus. Cæterum dum *Oxoniam* ingrederentur illi tanta imbrium copia (quæ & adventantes fuerat comitata) decidit, ut interturbata quam cogitabant Academici ſolennitate, *Kennalli* Ædis confeſtim intrârint; ubi Comitem præfatum Magiſter *Thomas Potts*, ex Æde *Chriſti*, Secretarium vero Magiſter *Robertus Benſon*, Orationibus, ut fit, aliquamdiu detinebant. Cum *Pottſio* illo ſermones dein fertur conſeruiſſe *Cecyllus*, & rationem efflagitaſſe, cur de Monarchiâ ſcripſerit *Ariſtoteles*, cujus tamen (ut ipſe aiebat) ſeculo id genus Regiminis omnibus ferè Græcis penitus diſplicuit? idem vero de Privilegiis poſtea noſtris diſſeruiſſe perhibetur. His autem peractis laute admodum cum Vicecancellario prandebant Proceres, & Baccalaureos ex Æde *Chriſti* tres, ad id poſt paulo præſtandum accerſitos, Quæſtionem hanc à Secretario propoſitam eventilantes collaudabant:

An divitiæ plus conferant ad doctrinam aſſequendam quam Paupertas?

Circa horam denique tertiam aut quartam pomeridianam *Woodſtochiam* remeabant Optimates, vultu ac verbis teſtati magnam ſe à breviſſimâ iſtâ Literatorum conſuetudine voluptatem percepiſſe.

[a] I. *fol* 207. *b*. [b] I*n KK. fol.* 5. *a*. [c] *Ibid. in KK. fol.* 6. *a*. [d] I*bid. fol.* 11. *a*. [e] *Vide in lib. cui tit. eſt*, Regina literata ſive de adventu Elizabethæ Reginæ Angliæ ad Acad. Cantabr. *edit.* Lond. 1568.

Triceſimo

Tricesimo primo *Augusti*, (dies ille Saturni erat) ad Scholas ante meridiem contendebant *Huntingdonensis* & *Leycestrensis*, Comites, cum aliis haud vulgaris notæ viris ; ac Doctorem *Laur. Humphrey* magnâ cum sui laude prælegentem audiebant, Disputationibus vero solennibus postmodo interfuere. Appetente nocte ipsa demum accessit *Elizabetha*, cui prope *Wolvercotam*, in extremis nimirum Academicæ Ditionis limitibus, obvii fiebant Comes *Leycestrensis* quatuorque Doctores (*Kennallus* nempe Vicecancellarius, *Laur. Humphredus*, *Tho. Godwynus*, & *Tho. Whytus*) purpurâ reliquisque Gradus insignibus vestiti, cum octo porro Artium Magistris, Collegiorum & Aularum Præfectis. Postquam observantiæ, ut oportebat, erga Reginam indiciis inter se certârant omnes, Bedellorum trium superiorum baculos eidem, de more, tradidit Cancellarius, quos ubi acceperat denuo ille Bedellisque reddiderat, solenni *Elizabetham* oratione excepit Magister *Rogerus Marbeck*, nuperus *Orielensium* præpositus at nunc Ædis *Christi* Canonicus, cujus ita se habuit initium ; *Multa sunt Divinæ erga nos bonitatis testimonia*, &c. Illa vero finitâ, Oratorem ipsum ejusmodi verbis alloquitur Regina ; *Multa de te prius audivimus, nunc autem qualis revera sis intelligimus* ; de quo addidit Legatus *Hispanus* (*Gosemannus* seu *Goosmannus Toleti* Decanus nuncupatus) quod *non pauca multis sed multa paucis complexus est.* Mox autem inde *Marbeckio* juxta reliquisque Doctoribus ac Magistris dextram porrexit, eandemque deoscu-landi honorem impertivit *Elizabetha* ; *Humphredum* vero ad se accedentem his verbis compellabat : *Domine Doctor, laxa hac vestis te quam optime decet* ; *unde miror quid rei sit, quod dogmate adeo arctari placeat* ; *sed criminari nunc temporis nolo.* sic utique propter scrupulosam nimis, quod *Catharis* familiare, in levioris momenti rebus ad Cultum divinum spectantibus conscientiam, objurgandum blande Virum existimabat ; cui tamen honorem quem prædiximus haudquaquam denegabat.

Iter dein repetebat cum illustri comitatu Regina, deducentibus eandem Academicis, ac Baculos præferentibus, qui equis etiam vehebantur, Bedellis ; ad primum vero ab Urbe lapidem cum Aldermannis & Burgensibus, numerum decimum tertium complentibus, obviam factus *Thomas Willyams*, Prætor, Magistratus sui Gestamen, *Elizabethæ*, non sine consuetis Obsequii indiciis, tradidit, eoque recepto Oratiunculam Linguâ vernaculâ habuit, quâ finitâ totius Municipii nomine Poculum argenteum decem libris æstimatum (in quo autem duplici laminâ illinendo ad quadraginta veteris, uti loquimur, Auri minas erogârant cives) Reginæ obtulit.

Portam aliquanto post, circa horam nempe quintam aut sextam, Borealem, **Bocardo** dictam, ingressi sunt omnes ; atque *Robertus Deale*, è Collegio *Novo*, Hospitem nobis tam illustrem Oratione solenni gratulabatur, collocatis ad utrumque Plateæ borealis latus Academicis usque *Quadrivium* vulgo **Quatervois** pertingentibus, dumque *Elizabetha* Essedo splendido vecta præteriret in genua prolapsis & *Vivat Regina* comprecantibus, quibus vultu regio & tamen jucundo respondit sæpius illa *gratias ago, gratias ago.*

Juxta *Quadrivium* prædictum lætitiam Academicam oratione Græcâ (quæ quidem horæ quadrantem durabat) testabatur Magister *Lawrence*, regius Idiomatis ejus Professor ; quem abunde collaudavit *Elizabetha*, Orationibus quas unquam perceperat græcis anteponendam illam asseverans ; atque hanc porro animi sui sententiam eodem Idiomate proferebat, interpellatam licet ob doctissimæ multitudinis reverentiam affirmans, & ulteriorem cum Viro sermonem in Ædibus suis pollicita. Ad Ædem vero *Christi*, viam utrinque ornantibus Magistris ac Baccalaureis, perrexit, eamque ad Refectorii publici Ostium inferius Oratione latinâ excepit Magister *Kingsmyll*, Orator Academicus, cui gratias benigne habuit, materiâ humiliori (incredibilis adeo erat celsissimæ Virginis modestia) depressum asserens. Posthæc ejusdem Ædis Ecclesiam intravit, Conopæo superius tecta, quod à Doctoribus quatuor, (*Humphredo* nempe, *Kennallo*, *Whyto*, & *Rich. Barbero*) gestabatur ; pulcherrimis interim Studentium, utrinque positorum, & vestes Dalmaticas indutorum, ordinibus *Vivat Regina* succlamantibus. Ad dextrum chori latus instructum, velut oportebat, erat Subsellium plane augustum, in quo scilicet precibus, ob felicem ejus ad Universitatem adventum à Doctore *Godwyn* celebratis, intendebat ; quibus interponebatur Hymnus quem *Te deum* appellamus, & voce humanâ & Buccinis quas **Cornets** nuncupant canebatur. His autem omnibus illum in modum peractis, ad Ædes sibi in diversorium assignatas per Hortum Doctoris *Westphaling* proficiscebatur. An addam vero Portæ Collegii amplissimæ, Refectorii etiam Ostio, quædam græce & latine conscripta, maxime autem ad Portam antedictam comparuisse Schedam prælongam carminibus, à Doctore *Johanne Piers* conscriptis, refertam ; atque alia insuper contexuisse *Calfhillum*, dictæ Ædis Canonicum, quæ sic se partim habent :

Inclyta fœminei Virgo quæ gloria sexus
Et generis decus & Gentis Regina Britannæ,
Grata venis nobis, perfectaque Gaudia portas,
Imperfecta tui subiens monumenta Parentis.

Primo *Sept.* die (Dominicus is erat) Conciones Anglicanas in præfati Collegii vel Ædis Ecclesiâ obibant Doctor *Gulielmus Overton*, & Magister *Thomas Harrys* (hic ad Collegium *Novum* spectabat) quas ut melius perciperet Regina, Sellam habuit sublimiorem è regione suggesti erectam. Cæterum illa Concioni matutinæ haudquaquam interfuit, dum in Camerâ vero privatâ ageret adductus est maximæ spei puer, *Petrus Carew* dictus (quem, ut id obiter adnotem, pro Doctoris *Carew*, nuperi Ædis illius Decani, filio habuerim) qui animum regium oratiunculâ latinâ & versiculis græcis egregie demulcebat, siquidem *Cecyllum* Secretarium illico accersi jussit, puerumque blandis verbis compellans ut eadem coram Secretario repeteret hortabatur ; quod quidem non absque jucundo quodam adstantium stupore præstitisse fertur. *Age*, inquit Regina, *repetas* ; *quanquam verear nè ita egregiè perorare possis, quemadmodum cum primo recitares.* At vero his omissis, eadem nocte agebatur Comœdia latina titulo *Marcus Geminus*, Scenâ splendidissimâ (ne apparatum omnem theatralem referam) in Ædis *Christi* Refectorio constructâ, cereisque multâ arte ornatis incinctâ ; spectaculis autem iis præter ipsam *Elizabetham*, magnamque Procerum & Generosorum multitudinem, interfuit Legatus *Hispanus*, qui tantâ voluptate perfusus memoratur, ut vel Reginæ delicias intempestivis cujusque rei laudibus interturbârit cui, *da veniam* inquit Regina, *nolim voluptatem quam audiendo ea quæ geruntur perciperem,*

earundem

earundem præconiis mihi perire: tandem vero hoc teſtimonium perhibebat Legatus, *multa vidi, ſed hæc ſunt admiranda, & ſic referam ubi in patriam venero.*

Proximo die Scholas tempore matutino adibat cum Optimatibus haud paucis Legatus mox ante dictus, Prælectiones nimirum tum Publicas tum ordinarias, quas vocamus, audire geſtiens; quamdiu enim *Oxoniæ* commorata eſt Regina, gymnaſmata omnia literaria, tanquam in pleno Termino, celebrabantur. Moras autem diutiſſimas in Scholâ Theologicâ, prælegente nimirum *Humphredo*, jam ſæpe dicto, trahebant Proceres; quem propter eruditionem conſpicuam laudibus innumeris cumulabant. Deinceps vero ad Collegium *Novum* contendebant illi, atque nominatim Comes *Leyceſtrenſis*, & *Cecyllus* Secretarius, quos binis Orationibus exceperunt *Georg. Coriat*, & *Gul. Reginaldus* vulgo *Raynolds*, Artium Baccal.; quorum primus & commendationem ingenii haud levem, & nummum aureum reportavit. Diſputationibus in Ædis *Chriſti* Refectorio, à meridie habendis intereſſe ſtatuit Regina, verum quo minus id commode fieret prohibebat Scena, quæ cum apparatu theatrali ſpatium haud exiguum occupabat; quapropter in Ædibus ſuis ſe continens à Magiſtro *Thomâ Neale* Libris binis donata eſt; quorum alter Prophetas omnes è Linguâ Hebraicâ (cujus utique Profeſſor is Regius erat) transfuſos complectebatur, alter vero Collegiorum *Oxonienſium* effigies, cum Carminibus latinis cuique ſubſcriptis, continebat. Adventante nocte agebatur in Refectorio ſæpe dicto Comœdia anglicana, cui titulus *Palæmon & Arcyte*, authore Mag. *Rich. Edwards*, ad Capellam regiam tunc temporis pertinente; atqui vixdum exhiberi cœpta erant ſpectacula, cum ex confluentis multitudinis pondere Pegmata quædam collaberentur; unde, viris quinque graviter læſis ac vulneratis, tres tantum interfecti ſunt, *Walkerus* nempe Togatus ex Aulâ Beatæ *Mariæ*, *Penneius* quidam Cereviſarius, & *Johannes Gilbert*, Collegii *Corporis Chriſti* Coquus. Id infortunii ſolicitam quam maxime Reginam habuit, quæ miſſis illico cum Vicecancellario Chirurgis ſuis, ut contuſorum ſaluti diligentiſſime proſpicerent mandavit; atqui animum à ludicris avocatum ita deinceps oblectatum ferunt, ut riſum vel nolenti excuſſerit fabula, & Poeta gratiis regiis ampliſſime fuerit ornatus.

Tertio *Septembris* die, qui Martis erat, ad Beatæ *Virginis*, poſt meridiem, cum Proceribus ſuis, pedes inceſſit *Elizabetha*, Diſputationibus in Philoſophiâ Naturali & Morali ab horâ ſecundâ ad ſextam uſque habitis interfutura; quo etiam tempore Valvis & Parietibus affigebantur Carmina Latina, Græca, & Hebræa, cum Tabulâ quadam topographicâ, prædicti *Neli* operâ exaratâ, maximamque *Oxoniæ* partem, maxime autem Collegia & Aulas (quorum cuilibet ſubnexi erant verſiculi aliqui) exhibente: quod idem & biduo deinceps fiebat. Super materiâ morali Reſpondebat Magiſter *Edmundus Campion*, Moderatoris vicibus Magiſtro *Johanni Belly*, Opponentis vero, (ut tres alios taceam) Magiſtro *Richardo Briſtow* demandatis; cum autem oratiunculam habens, primo dictus his verbis uteretur, *Deus ſervet Majeſtatem tuam, te quæ hæc facis; te qui hæc mones*, ſubriſiſſe fertur Regina, Comitem *Leyceſtrenſem* hunc in modum allocuta, *atque adeo te domine laudum omnium participem eſſe oportet.* In re vero Morali Reſpondebat Magiſter *Johannes Wolley* è Collegio *Mertonenſi*, moderante Magiſtro *Thomâ Cooper*, *Magdalenenſi*, qui laudes tum haud exiguas meruiſſe dicebatur; Opponentis autem, ante reliquos (quatuor enim fuiſſe liquet) munia obibat Magiſter *Jacobus Leech*, *Mertonenſis*; quem ob eruditionis merita collaudaſſe ibidem perhibetur *Elizabetha*. Speciatim cum epiphonemate hoc, quæ in theſi ſua prius affirmaſſet, confirmata aſſerens, *hæc omnia vitâ & ſi opus eſt morte comprobabo*: Regina temperare ſibi non potuit, quin *Euge & bellè* exclamaret.

Die proximo ad Collegium *Mertonenſe* perrexerunt Proceres, nec non (qui ibi hoſpitabatur) Legatus *Hiſpanus*, & ſuper Quæſtionum phyſicarum primâ, ac ſecundâ moralium (pridie ſcilicet ad Divæ *Mariæ* minime eventilatis) diſceptantibus intendebant; mutatis tantum qui Reſpondentium partes tuerentur. A meridie ad Eccleſiam jam ſæpe dictam perrexit Regina, ex Diſputationibus in Jure Civili quatuor horas continuatis voluptatem haud modicam perceptura; quippe cum prolixis nimium Doctoris *Tho. Whyte*, è *Novo* Collegio, (Opponentis hic perſonam ſuſtinebat; Reſpondente Doctore *Gulielmo Awbrey*, è Collegio nuper *Omnium Animarum*) argumentis modum imponeret *Kennallus*, his verbis interpoſuit *Elizabetha*; *pergat quæſo Domine Moderator.* Illo die ad Ædem *Chriſti* prandebat Regina, Dynaſtis omnibus apud *Magdalenenſes* laute habitis; ubi poſtmodo, jubente Secretario, in ejuſmodi Theſin perorabant Baccalaurei tres; Cauſidico, Medico, an vero Rhetori obtingerent bona paterna, ſi jus primogenituræ prætermittendum eſſet. Eadem nocte, reliquâ præfatæ Comœdiæ parte (agi enim heri non poterat, propter tardiorem ſuæ Majeſtatis à Beatâ *Virgine* reditum) animum regium paſcebant Academici; quem quidem jucunditate mirâ repleviſſe memorantur; adeo ut vocatum ad ſe Ludi ſcriptorem, interpoſitis quoque præmiorum promiſſis, abunde collaudârit, immo familiari ſupra quam credi poteſt ſermone compellârit. Imo drammatis Perſonas, ipſa ſigillatim percurrere, & illuſtrare dignata eſt. Palæmonem *ita amorem finxiſſe dixit, ut veras conciperet flammas, & ſerio amaret.* Arcytam *viri fortis ſpirantem eſſe imaginem, qui Venerem armatam fronte gereret; animoſque non alliceret, ſed expugnaret.* Trecatium *nequam hominem, technis fuiſſe fraudibuſque inſtructiſſimum.* Perithoum, *ita furioſum agere; ut ſatis conſtaret ipſum magis ſapere, quam qui ſibi viderentur præ aliis ſobrii.* *Theſeum* venationem tam acrem inſtituere, ut metuendum ne qui in feneſtris confertim ſtabant pueri, ſe præcipites in terram darent, ut canes ſequerentur. *Æmiliam* ſimplicitatis intemeratæ virginem: quæ licet blande caneret, atque ſola in horto decerperet flores, indefloratum tueretur caſtitatis decus. Is autem qui perſonam hanc ſuſtinuit (quem puto *Carew* ſuprà dictum fuiſſe) adeo impensè Reginæ placuit, ut octo aureos in præmium retulerit.

Drama hoc Academico etiam palato gratum adeo fuit, ut *Damonis Pythii*que fabulæ, quæ tunc in theatris dominabatur, anteferendum duxerint communi ſuffragio ſtudioſi.

Die Jovis, qui in *Septembris* quintum incidit, Diſputationes poſt prandium ad Beatæ *Virginis* habebantur, ſumptis è re Medicâ quæſtionibus; Reſpondebat autem Doctor *Thomas Francys*, Moderatoris munia obeunte Doctore *Maſters*, atque tribus tantum (Academicis enim ſeptem demandatæ erant vices illæ) propter temporis anguſtias opponentibus. Diſceptatæ poſtmodo ſunt quæſtiones etiam Theologicæ, Reſpondentis Doctore *Humphredo*, Moderantis vero clariſſimo *Juello*, Epiſcopo *Sarisburienſi*

risburiensi, personam sustinente; atqui horum quoque Opponentium non plures quinque (licet septem essent assignati) partes suas agebant, tempore nimirum sensim, uti prius, præterlapso. His ergo non sine magnâ omnium voluptate, ac Togatorum commendatione peractis, consurtexit *Elizabetha*, & oratione, si fœminam simul respicias & Seculum, egregiâ, si Reginam vero prorsus admirandâ, finem Comitiis (neque enim quicquam defuit quod ad eorum celebritatem conduceret) fecit, immo sudores Academicos affatim compensavit. Siquidem, ne contra pudorem muliebrem peccare videretur, Legatum *Hispanum*, Comitem *Leycestrensem*, ac deinde *Cecillum* obsecrata ut eorum aliquis illo munere fungeretur, ad Academicos postmodo conversa, stupentibus quotquot aderant in hæc verba peroravit:

Qui male agit odit lucem: & ego quidem quia nihil aliud nisi malè agere possum, idcirco odi lucem, id est conspectum vestrum. Atque sanè me magna tenet dubitatio, dum singula considero quæ hîc aguntur, laudemne an vituperem, taceamne, an eloquar: Si eloquar, patefaciam vobis quàm sim literarum rudis: tacere autem nolo, ne defectus videatur esse contemptus. Et quia tempus breve est quod habeo ad dicendum, idcirco omnia in pauca conferam, & orationem meam in duas partes dividam, in laudem & vituperationem. Laus autem ad vos pertinet. Ex quo enim primum Oxoniam *veni, multa vidi, multa audivi, probavi omnia. Erant enim & prudenter facta, & eleganter dicta. At ea quibus in Prologis vos ipsi excusastis, neque probare ut Regina possum, neque ut Christiana debeo. Cæterum quia in exordio semper adhibuistis cautionem, mihi sanè illa disputatio non displicuit. Nunc venio ad alteram partem, nempè vituperationem, atquè hæc pars mihi propria est. Sanè fateor parentes meos diligentissime curavisse, ut in bonis literis rectè instituerer, & quidem in multarum linguarum varietate diu versata fui, quarum aliquam mihi cognitionem assumo: quod etsi verè, tamen verecundè dico. Habui quidem multos & doctos Pædagogos, qui ut me eruditam redderent, diligenter elaborarunt. Sed Pædagogi mei posuerunt operam in agro sterili & infæcundo, ita fructus percipere vix poterant aut dignitate mea, aut illorum laboribus, aut vestra expectatione dignos. Quamobrem etsi omnes vos me abundè laudastis, ego tamen quæ mihi conscia sum, quàm sim nulla laude digna facile agnosco. Sed finem imponam orationi meæ barbarismis plenæ, si prius optavero & voto unum addidero. Votum meum hoc erit, ut me vivente sitis florentissimi, me mortua beatissimi.*

Statim atque Togatos his verbis exhilerârat Regina, ad Cœnacula sive Aulam suam remeare perrexit, cumque Ecclesiæ jam portam egressura esset, libellum quendam Græcis Carminibus refertum à Magistro *Etheridge*, ejus olim Linguæ Professore nobiscum regio, accepit, illustria *Henrici VIII.* facinora complectentem. Cumque *Edwards* Comœdiæ modo laudatæ author, *Etherigium* Tutoris nomine coram Reginâ salutaret: illa per jocum respondit, nequam puerum non satis à Præceptore flagris castigatum. Absolutâ dein cœnâ in Ædis *Christi* Refectorium deducta est *Elizabetha*, ubi Tragœdiam exhibebant Academici, *Prognen* appellatam, à Doctore *Jacobo Calfhill* conscriptam; cui non sine voluptate aliquâ interfuisse fertur, gratiasque postea Authori habuisse, tametsi spectantium inde animos jucunditate multo minori quam è Comœdia mox ante dictâ perfusos agnoscendum.

Sexto *Septembris* die (Veneris is erat) habitus est frequens totius Academiæ Senatus, in quo Viri perplures prosapiâ partim illustri ac nobili, partim in dignitate constituti, Gradu Magistrali clariores adhuc fiunt, & Togatorum numero adscribuntur; atque post aliquanto in Ædis *Christi* Refectorio juramentum (ab omnibus enim, cujuscunque conditionis fuerint, exigitur, qui pileo nobiscum donantur) præstant *de observandis statutis, Libertatibus, Privilegiis, & Consuetudinibus hujus Universitatis*, præsentibus ibidem Cancellario, Pro-Cancellario, Procuratoribus, aliisque Academiæ Præfectis. Post demum in Ædis modo dictæ Ecclesiâ Concionem latinam habuit Doctor *Johannes Piers*, cui Proceres quidem plerique interfuere, absente tamen Reginâ, quod animum, ex hesternâ Tragœdiâ & Disputationibus nonnihil fessum, hauddum collegerat. Tempore quasi prandii Chirothecarum paria sex, tanquam summæ observantiæ & pietatis pignus exiguum, *Elizabethæ*, Academicorum omnium nomine, detulerunt Vicecancellarius & Procuratores; ac honoraria munera deinde Optimatibus, ac Reginæ præsertim famulantibus, habitâ dignitatis cujusque ratione, pariter obtulere. Hæc lætâ fronte animoque propensissimo nemo non accepit; cum Æde vero *Christi* excederet, Academiæ mox valedictura, *Elizabetha*, discessum ejus oratione haud ineleganti prosequebatur Magister *Tobias Mathew*, quâ oblectatam adeo perhibent mentem augustam, ut Virum Scholaris sui titulo cohonestârit. Hinc autem per *Quadrivium* ad Portam orientalem incessum est, Cohortem splendidissimam deducentibus ex *Oxoniensium* numero qui in Urbem fuerant comitati; maximaque Togatorum inferiorum multitudine, in ordinem pulcherrimum redactâ, *Vivat Regina* repetitis, prout ipsa perrexit, vicibus comprecante. Ecclesiæ Beatæ *Mariæ*, & Collegiorum *Omnium Animarum* ac *Universitatis* parietibus innumera pene affigebantur poemata, Togatorum propter abitum hunc regium mœstitiam & desiderium exprimentia. Cum ad pontem prope Collegium *Magdalenense* ventum esset, certiorem fecit Reginam D. *Franciscus Knollys*, Miles, ac Senescallus urbanus, ditionis suæ limites ulterius haud protendi; quapropter illâ ad Prætorem & Municipes conversa, eorum labores gratiis innumeris remuneravit, prosperaque omnia Municipio precata, cum Academicis solis iter fecit, quorum Cancellarius, *Leycestrensis*, ad Collem sylvæ *Shotovianæ* (is duo quasi milliaria ab urbe distat) pertingenti nuntiavit hoc in loco præfiniri Juris Academici Præcinctus. Constitere protinus omnes, atque *Elizabetham* oratione eruditâ & facundâ tantisper detinuit Mr *Rogerus Marbeck*, supra memoratus, in quas nuper angustias adductæ fuerant literæ explicans, novam vero jam lucem iisdem affulsisse perhibens, & illustriores quam priscis unquam seculis reddituram pollicitus. Oratione finita manus augustæ osculum viro impertivit, & æternam obsequii ac sudoris nostri memoriam spondens Regina, *Vale* inquit, oculis huc conversis, *Academia inclyta, valete subditi fidissimi, valete Scholares charissimi, deumque studiis vestris propitium habeatis*; *Valete, Valete.*

Atque de commoratione nobiscum regiâ sic dictum esto. Id unice addendum, indiciis adeo apertis adeoq; frequentibus patefactam potentissimæ Virginis adversus Artes ingenuas Benevolentiam, ut accensâ inde majorem in modo Togatorum spe (utcunque enim nudam crepent virtutem jejuni Dogmatis *Platonici* Imitatores, certo tamen certius est perpaucos compa-

ruisse ejusdem Cultores qui præmiis minime allicerentur) vigiliis & laboribus immensis certatum fuerit, torque egregia paucis post annis emerserint eruditionis lumina quot nullam unquam Academiam uno aliquo Seculo nobilitarunt.

CIↃDLXVIII.

Omissis rebus aliquot quas anno CIↃDLXVII. nisi momenti paulo minoris videantur, inscripsisse oporteret; memorabile est, licet unum præcipue Collegium attingat, quod hoc anno evenit. Siquidem nuperas *Mertonensium* turbas, ante sexennium, si bene memini, coortas, imitatum *Corporis Christi* Sodalitium, res novas moliebatur, assumpto sibi, rejectis quoque mandatis Regiis, Præside, qui ob Superstitionis pontificiæ patrocinium Collegio, cujus Socius fuerat, pridem exulârat. Huic *Robertus Harrysson* nomen erat,& Gradu Magistrali fruebatur;quem in Mri *Thomæ Grenway* officium Præsidis resignantis, locum cooptabant Socii, tametsi vacante adhuc Magistratu Mr quidam *Gul. Cole* (Collegii hic olim Socius fuerat, ob fidem vero, Regnante *Mariâ*, solum vertere coactus,& *Tiguri* apud *Helvetios* mala innumera perpessus est,adeo ut ad propulsandâ famem muribus vesci necesse habuerit) regiis literis obnixe commendaretur. His ad *Elizabetham* perlatis, electionem, quam dixi, irritam pronuntiavit, vitio & contra statuta factam asserens, utque id Muneris *Colo* demandarent Socii expresse jubens. Rescripserunt illi nil quicquam nisi ex Juramentorum conscientiâ feciisse se, quo responso irritatur magis quam delinitus est Reginæ animus; adeo ut *Oxoniam* brevi transmitteretur. Doctor *Horne*, Episcopus *Wintonienſis* (ad quem scilicet Sodalitium visitandi jus spectabat) ut *Colum* illum admittendum curaret in mandatis habens. Collegium hic denique per vim intravit (adventanti enim introitus, obseratis Portis, præcludebatur) & Capellam ingressus, convocatis, quos seniores vocant, Sociis superioribus, negotii sibi demandati ignaros non esse affirmavit, utque *Colum* illico in Præsidem assumerent præmonitos, & id detrectare obstinantes, Sodalitio eliminatos palam declaravit; aliisq; eorum in locum suffectis quos jussis regiis obtemperaturos novit, Virum prædictum in Ædis ejus Præfecturâ collocavit. Sub id autem Cancellario Academico, Episcopo (quem præfati sumus) *Wintoniensi*, *Gulielmo Cecill*, Equiti ac Secretario supremo, *Thomæ Coopero*, ac *Lawrentio Humphrey*, Theologiæ Doctoribus, *Georgio* denique *Acworth*, Legum Doctori [a] edictum est ut Collegium illud lustrantes variis de rebus quæstionem haberent, inque malemeritos vel pœnis levioribus vel etiam expulsione animadverterent; ejus vero rei is exitus erat, ut ejectis *Romanistis*, aut Superstitioni exterminium jam in *Angliâ* passæ ulla ex parte bene cupientibus, *Protestantes* animis erigerentur, commodisque suis consulendum iri intelligerent.

Quod ejectos attinet, eorum tres fuere *Edmundus Rainolds*, *Milo Windsore*, & *Georgius Napier*; quorum primus *Johannis Rainolds* frater natu major erat, ad Aulam vero *Glocestrensem*, Pontificiorum sub hæc perfugium, se contulit, ibique ad annum usque ætatis XCII. vitam in otio ac pace traduxit, tum enim mortem opulentissimus obiisse perhibetur.

Ad secundum quod spectat, *Oxoniæ* etiam plerumque degebat, & eruditione demum haud vulgari inclaruit, *antiquæ enim Historiæ artifex peritus & ornatissimus trilinguium meorum alumnus*, *Twyno* [b] nostro appellatur. Librum fertur scripsisse cui titulus *Academiarum quæ aliquando fuere & hodie sunt in Europâ Catalogus & enumeratio brevis.* Universitatis porro *Oxoniensis* Antiquitatibus insudasse perhibetur cum librum suum ederet *Twynus*, ac proinde à propalando eodem abstinuisse. De aliis viri scriptis parum constat, quanquam consimilis plane argumenti Collectanea quædam vidi, quæ credulum nimis, immo delirum, ne mentiar, arguunt. Animam exhalavit, zelo magis temperato præditus Pontificius,anno dom. CIↃDCXXIV. ætat. quasi LXXXII. inque Collegii *Corporis Christi* (cui Libros suos, cum aliquâ nummorum summâ consignavit) Sacello sepultus est; pecuniam vero & aliis locis, maxime autem pauperibus legavit. Cæterum ad exteros migravit *Napierus* ille, inque Collegiorum *Anglicanæ* genti extructorum aliquo operam bonis literis aliquandiu dedit, verum *Oxoniam* denuo perveniens, ibiq; & in vicinia cum Viris aut sanguine sibi aut religione conjunctis vitam agens, *Kertlingtonæ* tandem comprehenditur, & coram *Chamberlaino* quodam, Armigero, Pacisq; Justitiario, examinatus, Castro *Oxoniensi* mancipatur. In Conventu demum juridico (nos **sessions** appellamus) Proditionis compertus, suspendio damnatur; ac semivivus, de more, ad Castrum prædictum dissecatur IX. *Nov.* an. dom. CIↃDCX. Capite ac postmodo artubus in Portarum quatuor Urbis *Oxoniensis*, inque maximæ illius Ædis *Christi*, fastigio collocatis; unde à Pontificiis ubique trepidatum; quod hic nempe nullius pene nominis vir cum esset, in secretis forte confessionum percipiendis occupatus, in seditione vero movendâ, aut populo ad partes suas pertrahendo non multum versatus : ob senium canosque miserandus, ob eruditionem vero aut pelliciendi artem minime metuendus ultimum supplicium pateretur.

De *Colo* autem antedicto, primo Collegii ejus uxorato Præside, nonnulla libet subjicere; utpote cùm is Magistratu potitus Sodalitii Proventus tam infeliciter administrarit, ut ante *Joh. Reginaldi* prædicti eodem in Munere deinceps versati tempora, ære sese alieno haudquaquam expedierit. Ea vero de re apud Episcopum *Wintoniensem*, Collegium illud visitantem, postulatus *Colus* purgare se nullo modo poterat; atqui subirato tandem Episcopo, & quando ita se res haberet fieri non posse quin Sodalitio valediceret perhibente, respondit cum gemitu reus, *itane Domine muribus denuo* Tiguri *vesci oportet*; quibus verbis inflexum adeo Præsulis animum ferunt, ut mutatâ confestim sententiâ, Magistratu porro frui, cæterum melius Collegii rebus consulere jusserit.

CIↃDLXIX.

Roberto Dudley Comiti *Leycestrensi* adscribitur Visitatio illa, cujus propterea suasorem fuisse perhibent, quod Sodalitii mox ante dicti Corruptelas Clientum non modo literis sed oculis etiam suis, dum *Oxoniæ* nuper ageret, edoctus esset. At vero ille rebus sese nostris ulterius immiscuit, in Cancellariatu enim per hæc tempora versatus,Regimen Academicum omni propemodum ex parte immutavit; nonnullis quidem in meliorem, rebus vero plerisque in pejorem formam redactis. Ultimo anno veterem

[a] *Ut in Offic. chartac. apud Aulam* Albam Lond. [b] *In Apol. Antiq.* Oxon. *lib. 2. sect. 67.*

eligendorum

eligendorum Procuratorum formam abolevit; quam electionem sub formula quæ *per instantes* dicitur plerumque habitam, alibi ostendam. Commissarium insuper, seu Procancellarium, inconsulta nonnunquam Convocatione, quod factum antiquitus rarissime comparet, [a] nominabat. Dissimulandum tamen non est quod ex usu publico factum liquet, siquidem primus instituit ut Vicecancellarius, Procuratores Ædiumq; Præfecti in unum prius convenirent, deque re quavis rationes conferrent, quam totius Academiæ Senatus haberetur: antiquatâ, cujus in locum succesfitConventus ille, Congregatione nigrâ; in quâ scilicet quæ à Convocatione solenni transigenda essent significare solebant Procuratores. Porro, decrevit idem ut publica, maxime vero majoris momenti, negotia occulte & per scrutinium, non autem (ut prius) palam & suffragiis coram Procuratoribus aperte collatis expedirentur.

Cæterum de his satis. Locus autem postulat ut de Visitatoribus ineunte Reginæ *Elizabethæ* Regno huc transmissis pauca ediſſeram; quippe qui, potestatem pristinam aut retinentes adhuc aut factam de integro habentes, novissimos illos *Corporis Christi* Lustratores imitabantur; Superstitionis enim pontificiæ vel suspicione laborantes ad se accersebant, deque iisdem quæstionem instituebant, convictos vero penitus exterminabant, suspensione à muneribus aut incarceratione levius delinquentibus irrogatâ. Negotii illis haud parum faceſſebat Collegium *Exoniense*, utpote in quo complures esse confiderent *Romanis* partibus egregie addictos, quamvis neminem invenirent qui eosdem illo nomine ad se protraherent, reosque peragerent. Quapropter M^tum *Gulielmum Wyot*, Subrectorem, quem vocant, accedere ad se jubent, neve Pontificii alicujus nomen silentio premat edicunt, atque mandatis minime obtemperantem in Castrum primo, inque Carcerem dein **Bocardo** [b] conjiciunt, ubi à decimo *Januarii* ad Festum usque *Paschatis* detentus, & præter alia incommoda, valetudinem adversam expertus est. Anno ab hoc proximo de Magistro *Johanne Neale*, Rectore, (Collegii hunc sui Socium creârat Fundator Collegii D. *Johannis* Baptistæ, atqui ille variante postmodo in *Anglia* Cultu Divino eundem ultro exuerat) quæstio habetur; cùmque sacris, secundum Ecclesiæ *Anglicanæ* Institutionem apud suos celebratis, interesse recusaret, neque se coram Delegatis, monitus licet haud semel, præsentem sisteret, Magistratu ejectus est. Sententiam hanc ferebant *Tho. Cooperus*, *Laur. Humphredus*, *Herbertus Westphalingus*, & *Kennallus*, Doctores; in Ædis *Christi* Cathedralis Sacello Theologico pro tribunali pronuntiantes.

CIↃDLXXI.

In initio hujus Anni, exeunte nempe Quadragesimâ, gravissima togatos pestis adorta [c] est; quæ cum plures hebdomadas crudelem in modum sæviret, calamitosum literis Justitium indixit, Lecturis ordinariis & exercitiis reliquis Scholasticis omnino cessantibus; quæ quidem non ante Sacrosanctæ *Trinitatis* terminum repetita [d] deprehenduntur. Ex dispensatione autem, eam ob rem indultâ, ordinatum est ut Exercitia ruri (in Sodalitiorum puta Domiciliis, devitandæ præsertim pesti, ibidem extructis) præstita pro formâ cederent, hoc est ad Gradus æque conducerent ac si iisdem *Oxoniæ* functi essent Academici. Ad pestem ipsam redeo, truculenter adeo per integram Urbem, potissimum vero in Collegiis & Aulis grassantem, ut vertente anno *Oxonienses* minimum sexcentos [e] jugulârit; ne septingentos, eoque plures, referam, qui eadem lue correpti non absque summo vitæ discrimine & cruciatibus immensis evasere. Ut verbo dicam, evulgata est mirum in modum pestis illa, morboque tam exitiali laboratum perpauci meminerunt.

Cæterum neq; omni ex parte damnandus venit annus iste, quippe ex Ordinum regni, Conventum jam solennem celebrantium, consensu Academiam tum nostram tum *Cantabrigiensem* in Municipium seu Corpus politicum (Collegium appellant Juris Civilis Professores) [f] evexit Regina; tametsi ejusmodi pridem fuisse nostram ut ex aliis indiciis, ita etiam ex *Henrici VIII.* cum *Oxoniensibus* de repudio suo edisserentis, Epistolâ [g] quadam facile colligendum. Utcunq;, ex edicto tum Parliamentario in unum firmius coaluere Sodalitia nostra, statuto ut Cancellarii, tanquam Capitis, Magistrorum autem & Scholarium velut Corporis, in omne ævum perennaret successio. Porro Libertates Academicas, turbis Regni nuperis jus fasque permiscentibus protritas, tantumque non penitus abolitas, in integrum restituit *Elizabetha*; Majorum enim suorum Indulta omnimoda, maxime autem Chartam *Henrici VIII.* amplissimam, Cardinalis *Wolsei* operâ impetratam, corroboravit.

CIↃDLXXII.

Crudelissimæ Pestis rabie *Oxoniâ* turbatos prædiximus Academicorum plerosque; eorum vero benè multos, deficiente tandem quo alerentur peculio, victum ostiatim emendicasse constat, impetratâ prius (quod ex lege in solennibus Regni Comitiis hoc anno rogatâ facere oportebat) Cancellarii, vel ejus Deputati [h] licentiâ, publico sigillo munitâ; ne scilicet pro mendicis malemeritis & vagabundis habiti pœnas de more luerent. Idem illud & à *Cantabrigiensibus* nonnullis stipem quoque ostiatim colligentibus (an vero consimili aliquâ ratione ad inopiam redactis dicat alius quispiam) factum liquet; cùm in Edicto illo Parliamentario statutum compareat, ut iisdem illi atque nostrates pœnis plecterentur, si victum ostiatim quærerent licentiâ consimili haudquaquam impetratâ.

Exeunte quasi *Augusto Woodstochiam* accessit Regina, quam post paulo (tricesimo nempe primo dicti Mensis) observantiam suam testaturi adibant Præsulum Academicorum haud pauci; quorum de numero *Humphredus*, nobis jam sæpe memoratus, Orationem [i] plane facundam Togatorum omnium nomine habuit; multa quidem edisserens quæ ad rem divinam pertinerent. Dextræ postmodo osculo eorum quemlibet dignata est virgo augusta (interpositis animi erga Universitatem nostram amicissimi Promissis omnino innumeris) atque pretii dein, uti decuit, haud vulgaris chirothecas ab iisdem accepit.

[a] *KK. fol.* 8. *b.* & 246. *&c* [b] *Reg. primum Coll.* Exon. *p.* 96. [c] *Ibid. p.* 101. [d] KK. *fol.* 107. *a.* [e] *Reg. secundum Coll.* Mert. *p.* 27. [f] *Ut in Pix. A A. in* Turri *Schol. nu.* 11. *& in* Har. *de privilegiis fol.* 200. [g] *In* FF. *epist.* 195. [h] *GG. fol.* 103. *a & alibi.* [i] *Edit.* Lond. 1572.

CIↃDLXXIII.

Sub hæc tempora majori ſtudio & ardore exigi cœpit ut Eccleſiæ *Anglicanæ* Liturgiam integramq; Diſciplinam vere Chriſtianam, deſcripto etiam nomine ſuo, agnoſceret quiſquis miniſterio Eccleſiaſtico nomen daret. Siquidem eâ in re parcius huc uſque ſategerant Epiſcopi, & aſſenſum quem dixi præfractius denegârant rebelles, quod Canones in Convocatione Clericali ante decennium confecti non ante annum noviſſime elapſum authoritate Parliamentariâ rati haberentur. Porro autem, hac tempeſtate Subſcriptionem illam & Gradus capeſſentibus imperabant Magiſtratus Academici, quam non ſine turbis eâ de re motis detrectabant Togatorum haud pauci, uniformem precum publicarum injunctionem cavillati, Rituſque & Diſciplinam ſupremâ Regni poteſtate ſtabilitam authoritate ſuâ, hoc eſt nullâ, concutere & immutare laborantes. Per hæc inſuper tempora librum edidit projectâ vir audaciâ *Thomas Cartwright*, *Admonitiones* inſcriptum, Regnique Ordinibus ad meliorem (ſi diis placet) frugem perducendis exaratum; arque inde aucti adeo animis comparebant prædicti, ut alios tam Concionibus & Prælectionibus quam Colloquiis familiaribus ſollicitarent, ne ad ſanorum ſeſe exemplum componerent.

His vero ad Cancellarium, ac deinceps Concilium Regium, perlatis, reſcriptum [a] Univerſitati eſt, ut ſiquis in rebus ad Cultum divinum ſpectantibus conformem ſe minime præſtaret, quin ſeditionem proinde aliquam aut moliretur aut foveret, pœnas comprehenſus pro delicti qualitate & quantitate expenderet. De diſſenſionum earum anteſignanis minus conſtat, cæterum rebelles pleroſque è Collegiis præſertim Ædis *Chriſti*, *Magdalenenſi*, *Corporis Chriſti*, ac Divi *Johannis*, ex Aulâ quoque *Magdalenenſi* fuiſſe opinor. Fama obtinet turbarum earum ſuaſores & adjutores extitiſſe Doctorem *Humphredum*, Doctorem *Gulielmum Cole*, & alios quos omitto, de quibus tamen ſententiam hic meam nequaquam interpono, quod Virorum eorum geſta compluribus aliis melius innotuerint. Utcunque, qui Cultui ſeſe ac Diſciplinæ legibus jam conſtabilitæ haudquaquam accommodarent, *Cathari* appellabantur, ſpurciſſimâ licet laceratæ, quam integram & illibatam eſſe oportet, Eccleſiæ labe contaminati. Ea vero vox deinceps prorumpente bello civili in **Roundheads** (quos Capite rotundos nuncupes) atque poſtmodo in *Presbyterianos* & **Nonconformiſts** abiit.

CIↃDLXXIV.

Cancellarium jam inceſſit cupido promovendæ apud Academicos Linguarum cognitionis; quapropter *Johannem* quendam *Druſium* (oriundus hic *Flandriâ* erat, & propter Religionem ſuam patriâ carebat) Convocationi ſolenni [b] commendabat, ut Linguam ille *Syriacam* in Scholarum aliquâ explicaret, ac Stipendio proin honeſto paſceretur, efflagitans. Initis eâ de re conſiliis, Cancellarii voto aſſenſum eſt, annuuſque XX. marcarum Proventus, è Collegiis pro ratâ cujuſque portione colligendus, *Druſio* aſſignatur; conſtituto etiam ut reverentiam homini, tanquam publico Academiæ Profeſſori, præſtarent Togati. Hunc autem *Oxonii* ante biennium fuiſſe liquet; ubi ad Baccalaureatum, quo ſcilicet ornatus *Lovanii* comparuit, admiſſus eſt. Cæterum ſtipendio, quod prædiximus, nobiſcum donatus, indultam inſuper aliquandiu à *Mertonenſibus* Cameram habuit, à quibus quadraginta quotannis ſolidos integro quinquennio [c] percepit; verum cum induſtriam in Idiomate præfato aliiſque præmonſtrandis exercuiſſet, Magiſtri Demum Gradu ornatus, ad ſuos remeavit, & *Lugduni Batavorum* Cathedram Profeſſoriam occupavit, velut è Libro [d] *Athenæ Batavorum* inſcripto fuſius perdiſcas.

Hoc inſuper anno & alia nonnulla memoratu haud indigna occurrunt; notandum enim. I. Magnas Regentibus turbas dediſſe *Johannem* quendam *Barebonium*, Artium Baccalaurenm, ſtudioſiſſimum *Petri Rami* tum in Diſputationibus tum Colloquiis quotidianis imitatorem; quem eo nomine à Gradu Magiſtrali ſub hæc [e] repellebant, nec eodem aliter cohoneſtandum pronuntiabant, niſi, præſtitis prout nova exigerent Statuta Exercitiis, de Quæſtionibus tribus, mature propalandis, Opinionem *Ariſtotelicam*, adverſus antagoniſtas quoſcunque, defenderet, inque Præfatiunculâ quam Suppoſitionem vocamus, palam agnoſceret *ſe inter differendum nimis acri contentione aliquos Magiſtrorum Regentium offendiſſe*, quæ tamen præſtitiſſe nequaquam opinor, quoniam nec inter hujus nec ſequentis anni Inceptores in Catalogis Comitialibus deprehenditur. II. Literas [f] ad Convocationem dedit Cancellarius in *Stufoldi* cujuſdam gratiam, Librorum antiquorum Monopolium, quod vocamus, ſive uni conceſſam emendi & diſtrahendi poteſtatem efflagitantis; qui quidem ex maturo Delegatorum quorundam conſilio voti compos factus eſt, licet rei ita literariæ haud adeo conſuleretur, cum libri inde Manuſcripti, quantivis juxta & nullius pretii, ad exteros quotidie tranſmitterentur. III. Comitia in adventum *Elizabethæ* rejecerunt Academici, quorum tamen ſpes inanis eâ ex parte fuit. IV. Sub initium *Septembris* comitia fœdalia, viſum franci plegii (ut loquuntur Legulei) habituri in Prætorio erant Vicecancellarius, Procuratores, Doctores ac Magiſtri, cum Seneſchalli Deputato; cæterum præcluſis foribus ne id facerent [g] prohibebat *Guliel. Noble*, Ballivorum alter, ſeditioſus Civis & turbulentus; qui propter injuriam illam & contumaciam in Caſtrum primo *Oxonienſe* compingitur, ac dein à Commercio cum Togatis & privilegiatis, necnon à ſacris, arcetur. Exarſerunt inde majorem in modum (ſiquidem inchoatæ pridem fuerant) Academicos inter & Oppidanos lites, quorum utrique coram Reginâ & ſanctiori ejus Concilio comparebant, cauſamque dicebant; verum prolatis quæ ad Privilegium prædictum aliaque noſtra Jura pertinerent (quibus [h] omnibus ſpeciatim inſiſtere longum eſſet) ſecundum Togatos ferebatur ſententia. Ballivum autem præfatum quod attinet, ad menſem uſque *Octobrem* anni CIↃDLXXVI. rebellis perſtitit (tametſi coram Senatu Academico citatus, & ſuper capitibus quibuſdam examinatus [i] fuerat) ſub id enim graviſſimo morbo correptus, ut in gratiam cum Univerſitate admitteretur ultro [k] petebat; quæ quidem viri, ut par erat, in calamitate haud modicâ conſtituti miſerta, votis tandem annuit, licet quæ ſingulari ſuæ inſolentiæ prætexeret ille inepta prorſus exiſtimaret. Atque hic ille eſt quem anno CIↃDLXVII menſe *Octob.* proſcriptum ſeu [l] diſcommunicatum (velut loquimur)

[a] *In KK. fol.* 148. *a.* [b] *Ibid. fol.* 177. *b. &c.* [c] *Reg.* 2. *Coll.* Mert. *ut ſupra p.* 27. 35. 47. 53. *&c.* [d] *Edit. per* Meurſium *an.* 1625. *lib.* 2. [e] *KK. fol.* 169. *b.* [f] *Ibid. fol.* 171. *a.* [g] *Ibid. fol.* 174. *b.* [h] *Vide ibid. fol.* 185. *& in B.* 121. *C.* 128. *&c* [i] *Ib. in* KK. *fol.* 193. *a.* [k] *Ibid.* 223. *a.* [l] *Ibid. fol.* 48. *a.*

quimur) invenias propter læsam ab uxore suâ, muliere arroganti & inverecundâ, Doctoris *Cooper*, Procancellarii, dignitatem.

CIↃDLXXV.

Sub hujus anni exitum *Antonium Corranum*, nationе *Hispanum*, ea vero tempestate Evangelium *Londini* annuntiantem, Academiæ per [a] literas commendavit Cancellarius, à Togatis contendens ut hominem Doctoratu in Theologiâ insigniorem redderent. Habitâ super eâ re Convocatione solenni, gratiam illam denegare visum est; atqui cum adverterent Academici Cancellario in animo esse virum Prælecturâ Theologicâ donare, Catechizandi Munus ei ultro polliciti sunt, agitato de eliminandis penitus Superstitionis pontificiæ reliquiis Conventu. Enimvero ut primum innotuit statuisse Cancellarium sanctiusq; Reginæ Concilium *Corrano* in Album *Oxoniense* relato, Scholæ Theologicæ cathedram concedere, dici non potest quanta formido quantaq; mœstitia *Calvinistarum* partium Duces occupavit, quos utique de causâ sæpe leviſſimâ vel plane nullâ suscitandæ denuo, quam dixi, Superstitionis metus incessit. Qui quidem Superiorum consilia criminandi occasionem ex animo nacti, voces ambiguas & ad Seditionem spectantes in vulgus spargebant, flammas Universitati injecturum *Hispanum* haud levi deinceps operâ restinguendas, occulte obgannientes. De Viro autem ipso perhibebant, probare nimirum eum non posse quod vel ab Ecclesiâ aliquâ peregrinâ, vel ab *Anglicanâ* nostrâ in Clerum fuerit ascitus; hæreticæ vero pravitatis eum suspectum habuisse Ecclesiam *Gallicanam*, & Doctorem illustrem *Theodorum Bezam*, cujus [b] Epistolâ quadam, hæreseos palam insimulatum perhibebant. Periculum itaque subesse affirmabant ne causam ille pontificiam clanculum & ex insidiis (quod aperto Marte multo magis metuendum) tueretur; fieri enim posse ut Liturgiæ, Articulis, & Apologiæ nostræ simulato animo coram regio Concilio subscripserit, *Pelagium* fortean eâ in re imitatus, qui errorem suum (quo utique opera humana divinæ gratiæ anteferret) ab Episcopali in *Palæstinâ* Synodo damnatum, revocavit, ac *Romam* dein purgandi sui gratiâ migravit, literis quoque eam in rem ad *Innocentium* datis; verum in *Britaniam* dein trajiciens totam pene Insulam, immo Orbem fere Christianum turpissimâ Doctrinæ suæ labe infecit, quam Dogmati *Romano* hærere etiamnum referebant.

Porro *Hispanum* nostrum quod attinet, promisisse quidem aiebant coram Sanctiori Concilio apertius in posterum sententiam suam de rebus sacris proferre, verum pristinam illam verborum caligine obtectam usque hodie latere; siquidem scripta quædam, *Operum divinorum Tabellam* nuncupata, in plebem dissemināsse, *Pelagianismi* merito suspecta, utpote quæ prædestinationis & justificationis doctrinam tantis involvant tenebris, ut meliora de se sperandi materiam haudquaquam præbuerit. Denique Discipulum ejus habitum fuisse *Franciscum* [c] *Puccium*, propter dogmata pernicioſa, quibus togatorum ingenia corruperat, Universitate nostrâ haud ita pridem exturbatum. Hæc inquam accusationis ejus capita erant, quæ sane tanti ponderis videbantur, ut summe laboratum fuerit ne in Academiam admitteretur *Hispanus*, quem tamen (sed habito prius de fide ejus diligentissimo examine) Prælectoris postmodo munus obiisse nobiscum constat, prout sub an. CIↃDLXXIX ostendemus.

Sub id vero rei literariæ curam agens Conventus Parliamentarius, & Togatorum stipendiis prospiciendum arbitratus, legem [d] tulit ne Tenementa, Decimæ, Latifundia, quæcunque demum Collegii cujusque *Oxoniensis* aut *Cantabrigiensis*, necnon *Wintoniensis* atque etiam *Eatonensis*, possessiones alia lege dimitterentur, quam ut tertia saltem veteris Reditus pars quotannis pendenda superesset; quo nomine certam Tritici, Brasiique (nos **Mault** appellamus) mensuram paciscerentur Sodalitia, ab Empheututis statis quibusdam diebus percipiendam; quod nisi præstitutis temporibus fieret, ordinatum est ut eorum quisque pecuniam loco annonæ, in proximo antequam deberetur Mercatu utrobique æstimandam, persolveret. Fama obtinet D. *Thomæ Smyth*, Equitis aurati, & Secretarii primarii (monente tamen *Henrico Robinson*, Præposito *Reginensi*) opera effectum, ut lex illa ex improviso quodammodo rogaretur, dum Senatores admodum pauci intelligerent an ex Academicorum usu magis esset si pecuniam quam si annonam perciperent. Ut ut fuerit, dubium non est quin literatorum inde commodis quam optime consuleretur, Collegiis antiquis Censu eâ ratione auctis, immo de integro, ut ita dicam, dotatis.

Hoc eodem anno ineunte quasi *Octobri*, peste tam graviter laboratum *Oxoniæ* est, ut fuga salutem quærerent Academici bene multi, *Sed v° Novembris sequentis* (loquor ex quodam [e] Regiſtro) *fractis per Dei misericordiam pestis viribus, Procancellarius, vocata Congregatione terminum inchoabat, sed lectiones ordinarias, per Auditorum paucitatem & fortasse periculi metum, rejiciebant in mensem Januarium. Cætera verò exercitia quæ ad gradus suscipiendos spectabant libere cuivis permisit.*

CIↃDLXXVI.

Condita sub hæc sunt Statuta [f] nonnulla, Academicorum in Vestitu luxum reprimentia, & Exercitia insuper publica in meliorem formam redigentia; constitutis, quæ delinquentibus irrogarentur, pœnis. His autem omissis (utpote in quibus speciatim recensendis nimius essem) notandum venit quod in plena Magistrorum Convocatione, primo *Junii* habita, *Orta* [g] *est controversia de quibusdam privilegiatis personis, etiam jurejurando Oppido astrictis, & in Civium antea numerum ascriptis: utrum mere privilegiati seu potius Oppidani nuncupandi, vel etiam privilegii sui beneficio omnino privandi sint. Quæ quidem Controversia ultro citroque diu jactata & agitata fuit, de eaque multi multa quidem verba fecerunt, suasque sententias liberè copioséque dixerunt: ad extremum verò nihil erat confectum, nec quicquam certi de hac re constitutum.*

In eadem convocatione (loquor iterum ex præfato Regiſtro infra citato) *lis alia seu controversia oriebatur de incorporatione* Cantabrigiensium *& admissione eorum in Universitatem nostram, eorundemque in Sinum Universitatis receptione, ita ut eodem sint apud nos loco & numero quo apud suos, i. e.* Canta-

[a] *Ibid. fol.* 207. *b.* [b] *Nu.* 58. 59. *&c.* [c] *De* Franc. Pucci, *vide epist.* Socini. [d] *Inter statuta Regni publica edit.* 1636.
[e] *Reg.* 2. *Coll.* Mert. *ut supra p.* 48. *& alibi.* [f] *B. fol.* 209. *& in* KK. *fol.* 217. *&c.* [g] *Ibid. in* KK. *fol.* 213. *a.*

brigienſes, *fuerunt* : eventilato nimirum *utrum petitio illa Incorporationis & Dignitatis ſit gratia, vel potius diſpenſatio, ducenda & dicenda*; (hoc eſt an pro conceſſa haberi deberet, ſi major ſuffragantium pars conſenſerit; an omnium ſuffragia adhibenda) *Quæ quidem contentio & controverſia, poſt longam diſceptationem & maturam deliberationem tandem profligata & ad exitum perducta fuit; majore parte convocationis uno conſenſu, unoque ore ſtatuente & decernente antedictam petitionem ſemper in poſterum pro gratia eſſe habendam.*

Viceſimo quinto ſequentis *Octobris* in alia celebri convocatione proponebantur articuli varii per Delegatos convocationis in formam ſtatutorum collecti. *Qui quidem articuli poſt maturam deliberationem* (loquor iterum ex eodem [a] Regiſtro) *confirmabantur. Inde controverſia mota eſt de his qui in aliis Academiis promoti an obtenta apud nos incorporatione, eiſdem cenſeri debeant loco & ſtatu quibus in aliis Univerſitatibus gaudebant. Et placuit convocationi favorabiliter decernere, ut quilibet nactus incorporationis beneficium, eiſdem habeatur loco & ſtatu quibus in aliqua alia forinſeca Univerſitate gaudebat. Sub hac tamen cautione, ut in hac Univerſitate juniores habeantur pro illo anno tantum, in quo ſteterunt in aliis Academiis, aliquo alio ſtatuto, aut conſuetudine hujus Academiæ in contrarium non obſtante. Hoc Decretum tantiſper non obtinere dum reſcitum fuerit quomodo* Oxonienſes Cantabrigiæ *tractentur. Deinde data eſt poteſtas Doctori* Yeldard, *Collegii SS.* Trinitatis, *D.* Jeames *Coll.* Univerſitatis. *D.* Squire, *Coll.* Balliolenſis. *D.* Kennall *Ex Æde* Chriſti. *D.* Lloyd. *Coll.* Jeſu. *D.* Culpeper *Coll.* Novi *& aliis Magiſtris vel octo eorum cum Vicecancellario & Procuratoribus, omnia ſtatuta antehac edita conſiderandi, imperfecta corrigendi, inutilia & ſuperſtitioſa abrogandi, male diſpoſita in ordinem redigendi; neceſſarias etiam allocationes ſcriptoribus, & aliis circa illud negotium occupatis faciendi. Proviſo ſemper ut omnia ea, quæ de novo adjicientur, ſive ut ſtatuta integra ſive ut partes ſtatutorum, nullum robur habeant niſi à Convocatione poſtea fuerint approbata.*

Haud ita diu, ſub finem nempe anni, magna inter *Lincolnienſes*, de cooptando Rectore incidit contentio, Viris tribus aut quatuor ad id Muneris aſpirantibus; quorum de numero erant Magiſter *Gulielmus Wilſon*, cujus ſpem fovebat Archiepiſcopi *Cantuarienſis* poteſtas; nec non Epiſcopi *Roffenſis* Sacellanus quidam, in Pro-eleemoſynarii loco verſatus, cujus in gratiam literas ad Academiam tranſmiſerat *Elizabetha.* His acceſſit tertius quidam, Magiſter *Thomas Underhill*, qui Comitis *Leyceſtrenſis*, Cancellarii Academici, patrocino uſus, Magiſtratum tandem, rejectis aliis omnibus, obtinebat. Atqui vero dum prædictorum quiſque ſui electionem quo jure quaque injuria promoveret, appellata comparet Curia de Arcubus; aliaque, quæ in præſentia referre non eſt opus, patrata ſunt, unde violatis Collegii ejus privilegiis detrimentum haud leve ipſa pateretur Univerſitas; tametſi de Sociis *Lincolnienſibus* commemorandum, quod ab electione in quam conſenſerant nec vi nec minis dimoveri poterant, verum obſeratis ac munitis Collegii Portis, Præfecturam per injuriam occupantes ingreſſu prohibebant.

[a] *In fol.* 222. *b.*

CIↃDLXXVII.

Oxonii hac tempeſtate degebat *Rowlandus* quidam *Jencks*, privilegiatus & in Bibliopolarum numerum aſcitus & aſcriptus, vir eo demum impudentiæ ſeu potius inſaniæ provectus, *ut familiari ſermone ſuo impie & ingrate* (loquor ex quodam [b] Regiſtro Academiæ) *non in Reipublicæ ſolum* (*quæ quidem hiſce temporibus optimè conſtituta*) *verum etiam in Religionis* (*quæ hodie quia Chriſtiana eſt*) *cum ub univerſa* Angliæ, *tum imprimis* Oxonienſi *Academia ſancte & ſincerè colitur, accurate pugnaciterque defenditur, fœliciſſimum florentiſſimumque ſtatum inceſto ore inveheretur. Cujus quidem veſani hominis petulans & furibunda oratio, evidenti pro argumento judicioque fuerat, religionem puram illam quidem & ſinceram, quæ hac tempeſtate immenſa ſolius Dei bonitate & benignitate in animis omnium rectam vivendi viam ingredientium, & debitum Deo honorem cultumque tribuentium, jam altus penitus defixa radicibus inſedit & inveteravit; ſibi omnino non placere aut probari, ſed longiſſimè à vero divini numinis cultum abeſſe & abhorrere. Verum cum in tam lubrica & ſcopuloſa cauſa aliquid certi ſtatuere, perq; judicium politum & limatum pronuntiare, aut quo ſupplicii genere hominem tam robuſta improbitate notum, tam in Deum ipſum ſceleratum, in religionem impium, in Principem longè auguſtiſſimamque ingratum; pro rei atrocitate, & ſceleris magnitudine afficere ac mulctare par & æquum eſſet, arduum quiddam atque difficile cum primis apparuiſſet, cauſaque iſta in Magiſtratuum concione examinanda; potius quam Magiſtrorum convocatione exagitanda videretur: denique cum hujus imprudentis & temerarii homunculi eò prorumpat audacia, ut non unius hominis exiſtimationem violare, ſed totius religionis puritatem, ſinceritatem, integritatem nefariis ſpurciſſimiſque ſuis ſermonibus in ſummam apud imperitam multitudinem invidiam rapere & adducere geſtiat*, &c.

Sancitum igitur in convocatione primo *Maii* hoc anno habitâ, deque ſcelerato decretum eſt, ut comprehenſus illico & catenis revinctus *Londinum* tranſmitteretur, examen coram Cancellario Univerſitatis regiiſque Conſiliariis ſubiturus, ad quos nempe præcipua criminum ejus Capita eodem quaſi tempore deferebantur. Occupantur noxii bona omnia, inque Ædibus ejus explorantur Bullæ Pontificiæ & libelli famoſi, Majeſtatem Regiam impetentes; de ipſo autem *Londinum* deducto quæſtio coram præfatis habetur, quâ finitâ *Oxoniam* remiſſus eſt, in Carcerem ibidem compingendus, & in proximas Aſſizas, hoc eſt conſeſſum Judicum forenſem, adſervandus, qui quidem quarto menſis *Julii* ad Prætorium vetus in Area caſtrenſi inchoatus, biduo durabat. Siſtebatur ille pro tribunali, & graviſſimorum criminum poſtulatus & compertus ſententiâ aliqua ex parte capitali (auribus enim mulctatus eſt maleficus) damnabatur; quo tempore (quod commemorare quidem refugit pene animus) Lues adeo repentina (conſpirantibus multitudine hominum, fervorem æſtivum duplicante, fœtore noxiorum, & fortean ſpiritu aliquo venenato è terrâ ſubito prorumpente) homines invaſit, ut pro tribunali mortem ipſam ſediſſe, liteſque haud aliter extricandas decre-

[b] *Iterum ex* KK. *fol.* 237. *a.*

toria

toria ſententia determinaſſe dicas, cum de Actore pariter & Reo Judice & condemnato pronuntiatum fuerit. Enimvero præfocatis extemplo compluribus, moribundos ſeſe & quaſi ſemivivos proripuere alii, horas admodum paucas ſupervicturi. Qua de re cantilena lugubris, per Academicum quendam Juniorem poſt paulo promulgata fuit, quam tamen brevitatis cauſa omittam.

Cæterum alienum non erit potioris notæ viros eâ peſte correptos animaſque exhalantes referre; ii autem fuere *Robertus Bell*, Eques, & Scaccarii Baro capitalis, *Nicolaus Barham*, Serviens ad Legem, Religioni pontificiæ infenſiſſimus uterque; quod fortaſſis in cauſæ ſuæ patrocinium adducturi ſunt *Romaniſtæ*, quos tamen monitos vèlim ne ſecreta Dei conſilia accuratius rimentur, cum ad ea quæ in ſacris literis propalavit Numen caligantes tam crebro deprehendamus. Porro autem prædictis addendi *Robertus d'Oiley*, Miles, ac Vicecomes *Oxonienſis*, quidam *Hart* ejus Deputatus, *Gulielmus Babington*, Eques auratus, *Robertus d'Oiley*, *Wenmannus*, *Danverſius*, *Fetiplacius*, *Harcourtus*, Irenarchæ; *Kerlæus*, *Grenwoodus*, *Naſhius*, & *Forſterus*, Generoſi; quibus annumerandi, ut alios taceam bidui ſpatio diem obeuntes, Jurati plerique omnes. Homines quaſi ſexcentos primâ nocte decubuiſſe refert ſcriptor [a] quidam, Medicinam ea tempeſtate nobiſcum faciens; qui evulgatâ poſtridie contagione, ad centum in Viculis proximis tactos perhibet.

De morbo autem in Urbe noſtrâ graſſante, & *Oxonienſes* perplures breviſſimo temporis intervallo jugulante, pauca è Regiſtro [b] *Mertonenſi* ſubjungam: *--- xv°. xvi°. & xvii°. Julii ægrotant plus minus trecenti homines, & infra duodecim dierum ſpatium mortui ſunt (ne qui errem) centum Scholares præter Cives non paucos. Tempus ſine dubio calamitoſum & luctu plenum, nam quidam lectos deſerentes (agitati neſcio quo morbi & doloris furore) ſuos cuſtodes baculis cædunt & abigunt: Alii per areas & plateas inſanientium more circumcurſant: alii in profundum aquarum præcipites inſiliunt: nemo tamen (ſummi Dei gratia) deſperanter perit. Franguntur omnium animi: fugiunt Medici, non propter neceſſitatem Fratrum ſed propter ſe & ciſtas creati: relinquuntur miſeri. Domini Doctores & Collegiorum Præfecti ad unum pene omnes abeunt. Cuſtos vero noſter (Bickleium* intelligit) *longe omnium vigilantiſſimus domi apud nos manet, in ægrotis omnem curam, laborem, diligentiam, impenſas collocat; die toto & nocte etiam intempeſta eos ſedulò inviſit: moriuntur è noſtris quinque. Omnis Aula omne Collegium aut domi, aut in via ad patriam, ſuos habet mortuos. Mirari quis poſſet multitudinem ad medicaſtrorum domos cum matulis citato curſu properantium, pharmacopolarum etiam conſervata, ſyrupos, olea, aquas dulces, pyxides, cujuſque generis confectiones breviſſimo tempore exhauſta. Laborant ægroti vehementiſſimo tum capitis tum ſtomachi dolore, vexantur phreneſi, privantur intellectu, memoria, viſu, auditu, & cæteris etiam ſenſibus. Creſcente morbo non capiant cibos, non dormiunt, miniſtros aut cuſtodes non patiuntur: ſemper vel in ipſa morte mira eorum ſtrenuitas & corporis robur, at eo declinante, omnia modis impensè contrariis eveniunt. Nulli complexioni aut conſtitutioni parcitur: choleri-cos tamen præcipuè hic morbus moleſtos habet; cujus ut cauſam, ſic & curas ignorant Medici,* &c.

Tanti mali originem ſcire ſi geſtias Lector, Reorum turbæ occultum ſecum e ſitu & ſquallore Carceris venenum quod contraxerant deferentes merito adſcripſeris: quâ tamen in re noſtri non eſt affirmati quippiam pronunciare: ſententia illa certe veriſimilis prorſus eſt, cum vinctorum duo vel tres paucis ante diebus in vinculis [c] perierent quam pro tribunali ſiſterentur. Quod ſi quærat aliquis cur itaque non ante ſecundum poſtquam protrahentur, & puriori aurâ purgati quadammodo viderentur, diem virus hoc diffuderint malefici, intelligat oportet non primo ſtatim impetu intromitti plerumque venenum, atquî vividis adhuc & intactis ſpiritibus eas naturæ copias ſuppetere quibus hoſtem occultum aliquandiu propellat, quæ tamen repetitis inſultibus (maxime vero cum ex præteritorum dierum æſtu & occupationibus labefactatæ fuerint haud modice vires) impares, tandem ſuccumbunt. Utcunque, ſententiam hanc noſtram calculo ſuo confirmat *Baconus* S. *Albani* Vice-comes, Vir ſane ab hodiernis ubique Philoſophis in pretio habitus: *Perniciоſiſſimus eſt* (inquit [d] ille) *fœtor Carceris, qui Captivos diu arcte & ſqualide habuit; experientia apud nos bis terve notabili, neque ſupra memoriam meam; cum tam Judicum nonnulli qui pro tribunali ſedebant, quam plurimi ex aſſeſſoribus, nec non ſpectatoribus etiam invadente ſubito morbo exceſſerunt è vitâ, &c.* Atque poſt paulo --- *Sed talis aura nocet, quam aliqua cum Corpore humano cognatio penitiſſime inſinuat, ſpirituſque proditorie afficit.* Ibidem vero hanc ipſam Peſtem velle *Baconum* nullus quidem dubito; tametſi ubinam altera illa contigerit minus conſtat. Certe tale quiddam *Cantabrigiæ*, in Conſeſſu judiciali, tempore quadrageſimali habito, anno *Henrici VIII.* XIII. dom. CIↃDXXII. obortum liquet; tacti enim ſunt Juſtitiarii ac Generoſi cum Ballivis & adſtantium pleriſque, mortuiſque inde haud paucis, qui ſalvi tandem evaſerunt periculoſe admodum decubuere.

Porro Morbum illum pro eodem habent nonnulli (perperam quidem, nam Typus ejus longe diverſus) quem Sudorem Anglicum appellat *Leonard. Fuchſius*, cujus primordia anno CIↃCDLXXXV. hoc eſt primo *Henrici VII.* inſcribuntur; licet annis poſtmodo CIↃDXXVIII. *Henrici* nimirum VIII. viceſimo, & dom. CIↃDLI. qui cum quinto *Edoardi VI.* convenit, recruduiſſe compareat. Alii inſuper luem hanc Pontificiis impingunt, ſiquidem in Regiſtro [e] paulo ante citato genita perhibetur *ex artificioſis, Diabolicis, & plane papiſticis flatibus, è Lovanienſi Barathro excitatis, & ad nos clam emiſſis*; verum huic ego ſententiæ calculum haud temere adhibebo, quamvis, amotâ magicæ artis ſuſpicione, miſceri ita poſſint venena, ut Aura ipſis in vehiculum cedat, qua mediante in ſanguinem humanum penitiſſime deſcendant; quâ ex parte nec deeſt nobis prædicti *Baconi* patrocinium: --- *Res eſſet* (inquit [f] ille) *cum magno conjuncta periculo, compoſitiones ejuſmodi uſurpare in Ædibus, magno populi confluxu, ut in Templis, Judiciis publicis, Ludorum ſolennitatibus, & ſimilibus; cum Aeris intoxicatio non minus ſit metuenda quam aquæ*, &c. Quod *Sanderi* [g] opinionem attinet, qui Peſtem hanc *ingens miraculum* appellat, deoque vindici aſſignat, ſententiam in Bibliopegum prolatam Injuſtitiæ coarguens, ineptiſſi-

[a] Georg. Edrycus *in Hypomnematibus ſuis in aliquot libros* Pauli Æginetæ *edit.* Lond. 1588. *lib.* 2. [b] *Reg. ſecund. p.* 612. [c] *Ibidem.* [d] *In ſylv. ſylvarum cent.* 10. *num.* 914. [e] Mert. *in ead. pag. ut ſdp.* [f] *In cent.* 10. *ut ſupra nu.* 915. [g] *In lib.* 3. *de ſchiſmate* Anglic.

mam

mam ſane & tamen arrogantiæ plenam exiſtimo. Quandonam enim in conſilium Te, audaciſſime ſummi numinis Cenſor, adhibuit juſtiſſimus ille Judex? aut an prima Religionis elementa tam penitus ignoras, ut non intelligas, prætermiſſis ſæpe impiis ærumnis exerceri, & adverſa pati Pios? Certe cum Schiſmaticorum noſtrorum cætu omnino ſentis, qui ſibi militare Providentiam putant, & zelo quodam fanatico obcæcati mala quævis repentina aliis in pœnam, ſuæ autem factionis hominibus in ſalutem aut pœnitentiam, irrogata pronuntiant.

Verum his omiſſis, obiter notandum nuperam illam Vicecomitis *Norfolcienſis*, necnon Capellani & Famulorum ejus mortem, octavo *Martii* anno dom. CIↃDCLXVI. ad Conventum juridicum *Thetfordiæ* celebratum, contingentem temere nonnullos huic noſtræ æquiparare, erroris graviſſimi arguendi, cum cladem illam vino ex mixturâ aliquâ pernicioſo obtigiſſe conſtet. Cæterum ea de re non amplius addam niſi quod omnes apud nos Quæſitores ſuperioris ſubſellii (uno aut altero exceptis) ſcil. Duodecemviri de Grandi (ut loquuntur Leges,) Inquiſitione, ſtatim fere poſt relictam *Oxoniam* mortui ſunt. *Et ut quiſque fortiſſimus* (loquor ex præfato [a] Regiſtro) *ita citiſſimè moritur. Fœminæ non petuntur, nec certè pauperes; neque etiam inficitur quiſquam qui ægrotorum neceſſitatibus ſubminiſtrant, aut eos invi-ſerit. Sed ut fuit morbus hic inſigniter violentus; Ita neque diu duravit: nam infra unius menſis curriculum ad priſtinam pene ſanitatem reſtituuntur omnes: ut jam denuò mirari poſſis tot Scholares, tot etiam cives urbem & plateas linteis capitibus indntos obambulantes; & nomen clementiſſimi Dei noſtri in omne ævum ſuſpicere.*

CIↃDLXXVIII.

Hunc nobis annum illuſtravit aliquatenus *Caſſimeri*, Ducis peregrini, necnon Comitis *Leyceſtrenſis*, Cancellarii Academici adventus; de quibus tamen plura non referam, quam omnimodo bonarum Artium apparatu, deliciiſque quas Hoſpitibus adeo ſplendidis offerre ſolent Muſæ *Oxonienſes*, exceptos fuiſſe. Et ſane quiſquis Academiam hanc noſtram unquam inviſit benigniores nullibi gentium Togatos, aut à comitate magis deprædicandos, compariſſe teſtabitur; apud quos nullum officii genus, erga exteros potiſſimum, prætermiſſum agnoſcat. Ejus rei exemplum ſatis luculentum exhibere non gravabor, ſiquidem anno CIↃDX. *Oxoniam* pervenit *Hiſpanus* quidam, Univerſitatis *Montiſpeſſulani* Alumnus, literas Epiſcopi *Wintonienſis* commendatrices ſecum adferens; qui quamvis Magiſter tantum in Artibus, & Medicinæ Baccalaureus eſſet, exercitiis Scholaſticis [b] exceptus eſt, aſſignatis qui diſputandi facultate maxime pollerent, quorum bini Baccalaurei erant in Artibus (è Collegio *Orielenſi* alterum, alterum vero, *Johannem Blyſſe* nuncupatum, è *Mertonenſi* fuiſſe proditum eſt) ad *Auguſtinenſes* committendi; aliis porro ad Scholas locatis qui in arenam quoque Philoſophicam deſcenderent. Ex velitationibus iis magnam percepiſſe fertur voluptatem Peregrinus; quem die proximo, una cum Doctoribus haud paucis *Oxonienſibus*, laute admodum, epulis opipare inſtructis, & liberaliter habuit *Mertonenſium* Cuſtos.

Hoc eodem anno quæſtio apud Delegatos Academicos [c] incidit de privilegiis juribuſque Magiſtro in Artibus Juriſque Civilis Baccalaureo debitis, quiſnam ſcilicet eorum locum alteri cederet; re autem acriter utrinque diſceptatâ Magiſtro tandem adjudicatum eſt præcedendi jus, quod in hunc uſq; diem jure quidem ac merito obtinet, quodque anno quoque CIↃDXIII. controverſum [d] invenio, uſq; dum decreviſſent Artiſtæ, Juris Civilis ſtudioſos ad Gradum nequaquam admittere, niſi ſeriò bonaque fide ſponderent primas ſeſe Magiſtris ubique daturos. Atque hæc mihi conſimilis argumenti lites in animum revocant, anno CIↃCCCLXIX. exortas; quippe tum eventilatum iuvenio an Theologiæ Baccalaurei & Magiſtri in Artibus, an vero Decretorum Baccalaurei potiorem ubique locum occuparent; quâ de re anno proximo, quinto autem Cal. Aprilis [e] *Ordinatum fuit per deliberationem totius congregationis Regentium legitime celebratæ, quod inter quoſcunque Religioſos in Univerſitate contigerit ſimul eſſe Baccalaureos ſive Opponentes in Theologia vel Magiſtros in Artibus & Baccalaureos in Decretis, tam Baccalaurei in Theologia quam Opponentes ac etiam Magiſtri in artibus præferendi ſunt Baccalaureis in proceſſionibus & aliis locis quibuſcunque propter ſuos gradus magis veuerabiles & labores plurimum diuturnos.*

CIↃCDLXXIX.

Sub hæc de eradicandis penitus Pontificiorum apud nos reliquiis ſolicita erat Academia; quæ id propterea negotii ſpectatâ tum eruditione Doctoribus demandavit, quibus permiſſa eſt [f] poteſtas ſtatutum hunc pridem in finem conditum evolvere, & prout opus videretur auctius ac emendatius reddere. Munere ſuo ſummâ fide curaque fungebantur Delegati, Statutumque cum additamentis quibuſdam, in Juventutis literariæ fructum & veritatis evangelicæ incrementum dilucidatis, Concilio Academico, ſolenniter indicto, detulerunt; eorum vero quæ hac de re tranſegerant Capita præcipua [g] Regiſtro in margine allegato accipe.

I. *Ad extirpandam hæreſim quamcunque & ad informandum in vera pietate juventutem, libros hoſce legendos cenſemus & ſtatuimus viz.* catechiſmum Alexandri Novelli *majorem Latine & Grace, vel Catechiſmum* Johannis Calvini *Latinè Græcè & Hebraice, vel Elementa Chriſtianæ Religionis* Andreæ Hyperii, *vel Catecheſin* Heydelburgenſem *pro captu Auditorum & arbitrio legentium.*

II. *His adjungi poſſunt* Henrici Bullingeri *Catecheſis pro adultis, & inſtitutiones* Calvini *vel Apologiæ Eccleſiæ Anglicanæ, vel articuli Religionis in Synodo* Londinenſi *conſcripti & authoritate Regia Editi cum explicatione locorum Communium teſtimoniis à ſacra ſcriptura aut interdum è patribus deſumptis. Ad primam lectionem juniores, ad ſecundam provectiores omnes nullo gradu inſignitos aſtringi volumus.*

III. *Catechiſmos omnes, ſanæ huic doctrinæ contrarios, alioſque libros ſuperſtitioſos & papiſticos legi & haberi interdicimus.*

[a] *Reg. 2. Coll.* Mert. [b] *Ut in* Reg. *primo Coll.* Mert. *fol.* 208. *b.* [c] KK. *ut ſupra fol.* 253. *a.* [d] *In G. fol.* 176. *b. &c.* [e] C. *fol.* 64. *a.* [f] KK. *fol.* 264. *b.* [g] *Ibid.* 266. *a.*

IV. *Hanc*

IV. *Hanc legendi & interpretandi provinciam demandamus privatim Tutoribus, publicè alicui Catechistæ in singulis collegiis & aulis per Præfectos assignando.*

V. *Quo decretum hoc diligenter & inviolatè observetur, examen habeatur domi per Catechistam, aut etiam Præfectos in Academia singulis anni terminis per Procancellarium adhibitis Prælectoribus S. Theologiæ quia Studiosis convocatis præfectus rationem exigant.*

VI. *Si quis docentium aut discentium negligentior aut alioqui culpabilis deprehendatur, judicio Præfectorum, aut si opus sit Procancellarii corrigatur & puniatur.*

Hunc autem in modum de fidei pontificiæ exterminio consilia miscebant togati, quos aliquâ ex parte secuti dein sunt Oppidani; utpote qui anno Sereniſſimæ *Elizabethæ* XXVIII. Concionum infrequentiam expendentes, annuum viginti Marcarum stipendium Prælectoribus binis decernebant, qui die quovis dominico, in Ecclesiâ Divi *Martini*, verbum suis vicibus annuntiarent; id vero muneris primi omnium obibant Magister *Richardus Potter*, è Collegio SS. *Trinitatis*, & Magister *Johannes Pryme* è Collegio *Novo*, partibus pontificiis infensissimus uterque; quorum postremo dictus scriptis quoque in *Romanistas* libris haud modice inclaruit.

Ad Catechizantium autem Munia, paulo ante dicta, quod spectat, deerant sane, in Aulis præsertim, qui eadem capesserent, donec exteris quibusdam, patriâ ob fidem exulantibus, & nobiscum tum commorantibus, deferrentur. *Antonio* enim *Corrano*, sub ann. CIↃDLXXV. commemorato, Aulæ *Gloceſtrensis*, *Mariana*, & *Cervina* [a] assignantur. Aulam *Magdalenensem* sortitus est *Petrus Rhegius*, natione Gallus, è *Parisiensium* Academiâ Magister in Artibus, ex nostrâ vero Theologiæ Baccalaureus. *Bensirio*, (is de la *Benseris* etiam vocatur) Academiæ *Cadomensis* Alumno Aula *Lateportensis* obtigit. Præfatis vero omnibus honesta quibus alerentur stipendia sunt constituta. Non equidem sum nescius & Peregrinos alios patriâ ob Religionem extorres, & nobiscum per hæc tempora hospitatos, Academicorum pietate & [b] benevolentiâ vitam (haud secus ac *Albericum Gentilem*, Juristam, & *Joh.* quendam *Driescium*) toleraſſe (quales erant *Aegydius Gualter*, ex Academiâ novissime dictâ Artium Magister, *Petrus Lositlierus Vellierius*, Gallus, Jurisque Civilis & Theologiæ Doctor, *Schevelerus* denique & alii quos referre non attinet) cæterum an eorum aliquis aut Prælegendi aut Catechizandi munere functus fuerit ignorare me fateor. De Hispano illo, *Corrano* cognominato, pauca lubet subnectere, utpote quem turbas nobis haud leves dedisse constat. Cancellarii literas, in sui gratiam conscriptas, attulisse, ac Theologiæ Doctoratum ambiisse prædiximus; repulsam vero hac in re passus est quoadusque de hæresi cujus insimulabatur se [c] purgaret, vel saltem *Edmundi*, Arehiepiscopi *Cantuariensis*, ac *Edwyni*, Episcopi *Londinensis* (quibuscum scilicet necessitudo ei intercesserat) literas impetraret, hæreticæ pravitatis immunem testantes. A Præsulibus ergo contendebat *Corranus*, ut tantorum criminum suspicione levarent, quod tamen feciſſe haudquaquam comparent, Universitatis fortean exemplo moti, quæ de Viri probitate ambigendum arbitrabatur. Intervenere aliquanto post ab Ecclesiis Reformatis *Gallicanâ*, & *Hispanâ*, necnon *Belgicâ*, [d] literæ, quæ cùm in Senatu Academico legerentur *Corranum* Criminum multorum & errorum postulabant; quem tamen rejicere prorsus, aut *Oxoniâ* pellere, indignum, ne periculosum dicam, videbatur, cum non tantum à Cancellario, sed & à Delegatis illis Regiis quos supremos nuncupamus (quorum porro examini se pridem subjecerat) commendatus nobis esset. Quamobrem sententiam porro suam in Prælectionibus quibusdam Theologicis aperuisse hominem, atque suspicionem hæreseos à se amoliendam suscepisse, perpendentes, Doctores aliquot & Magistros nominavimus, qui super capitibus quorum insimulatus erat quæstionem haberent; quibus cùm satis abunde faceret Hispanus, nil se quod Hæresin saperet credidisse unquam ostendens, factam habuit potestatem in Academiâ ulterius commorandi, neque tamen Doctoratum, ut opinor, obtinuit, cum eodem ornatus nullibi compareat.

Porro *Corranum* quod attinet, postquam Epistolam ad *Romanos* commentatus esset, aliaque insuper scripta edidisset, de opinionibus falsis pariter & ineptis, quam vere non dicam, postulabatur. Cæterum eodem tempore *Gallus* quidam *Petrus Baro*, appellatus, ad prælecturam *Cantabrigiæ* admovebatur. Is cum Lecturas aliquas latinas in *Jonam* pro muneris ratione habuisset, Librumque *De fide* inscriptum edidisset; parum seculi istius hominibus satis fecit; & heterodoxiæ coarguebatur, à *Calvini* nimirum Sectatoribus oppugnatus quibus admodum invisus fuisse dicitur, quorum occultis quoque machinationibus studioque indefesso factum perhibetur ut, post multos demum annos, Munere pariter & Academiâ abscesserit. Innumeris fidem erroribus, prædictis assentiendum si ducas, contaminârat ille; imminutæ Scriptorum neotericorum, summâ eruditione præditorum, existimationis reus; insuper revocatæ Theologorum (quos vocant) Scholasticorum, & Pontificiis addictorum, lectionis postulandus; Quem scopulum ut evitarent *Calvini* apud nos sectatores voce tenus *Cathari*, inanem, & anilem percipiendæ Theologiæ methodum sequebantur, humanioribus literis, Patrumque & Conciliorum veterum decretis contemptui habitis. Ad *Corranum* redeo, quem omni opera desudasse perhibent (id enim verum sit an falsum nostri non est instituti decernere) quo Doctrina Pontificia in *Angliâ* denuo pullularet, conatibus autem ejus obstitisse *Calvinistarum* præcipue industriam ac vigilantiam. Cæterum de Viro illo plura non subjungam, quam *Hispali* vulgo **Seville** in *Hispania*, Patre *Antonio Corrano*, Legum Doctore, natum fuisse, inque Matriculam nostram an. dom. CIↃDLXXXVI. ætat. LIX. relatum inter Ædis *Christi* Togatos plures annos transegisse.

Petrus Lositlierus Villerius pro Doctoratu ante triennium [e] supplicârat, Gratiamque concessam habuerat, literis licet *Corranianis* apud Vicecancellarium & principes quosdam Academicos errorum multorum insimulatus; purgasse enim se, non sine summo Delatoris opprobrio & infamiâ, memoratur. Ad *Bensirium* (is *Benseris* porro audiebat) quod spectat, vix integro nobiscum anno egerat, cum [f] literæ ab Academiâ *Cadomensi* adferrentur, datæ V. Non. *Julii* an. CIↃDLXXVI. quibus gratiæ *Oxoniensibus*, propter Dominum de la *Benseris*, pastorem suum

[a] *Ib.* 277. *b.* [b] *Reg.* 2. *Coll.* Mert. *ut supra p.* 27. 53. 60. 73. *&c.* [c] *Ibid. in* KK. 204. *a.* 207. *b.* [d] *Ibid.* 260. *a.* [e] *Ibid. in* KK. 209. *b.* 219. *a.* [f] *Ibid.* 221. *a.*

(sic enim appellare visum) patrio Solo ob bella Civilia carentem Hospitio exceptum, & benignissime tractatum haberentur; quem, pacatâ jam *Galliâ*, remittendum ad suos iri petitum est. At vero tacenda non est literarum earum pars aliqua, Doctorum sub hæc Oxoniensium ubertatem enarrans: *Quod autem illum* (inquiunt *Cadomenses*) *per literas evocavimus nos utpote æquissimos rerum judices, boni consultores non ignoramus, cum doctissimorum virorum copia abundetis, quorum sane (quod non nisi maximo cum doloris sensu proferre possumus) inopia laboramus*, &c. *Gallorum* quidem precibus annuit Universitas nostra, factâ Viro discedendi & in Patriam remeandi potestate; tametsi loci partim amœnitate, partim vero eruditis *Oxoniensium* colloquiis & humanitate conspicuâ detentus, plures nobiscum annos deinceps posuit, in Munere prædicto versatus; quod idem & à *Corrano* exterisque quibusdam aliis factum comperet.

CIↃDLXXX.

Instituta passim catechizandi Munera in anno novissimo prædiximus, nunc autem de Togatis, meliore cum fructu, publice etiam ad pietatem informandis deliberatum reperio; ordinato [a] ut primo cujuslibet Termini die Concio latina ad Beatam *Virginem*, atque aliæ porro linguâ vernaculâ compositæ, ibidem, in Festis duobus post *Pascha* proximis, tempore matutino haberentur; Sermoni enim *Paschali* Ædis *Christi* Ecclesiã [b] assignavimus. Conciones vero hasce *Anglicanas* (necnon ad Ecclesiã Divi *Petri* Orientalẽ in Festo *Paschatis* post Meridiem antiquitus habitam) ad Divæ *Mariæ*, Dominicâ proximâ in Albis, (nos **Low Sunday** vocitamus) inter horas octavam & undecimam matutinas, denuo repetendam constituimus; quæ quidem omnia multis post annis invaluere, tandem enim immutata quodammodo sunt, ordinato ut Concionum altera non in Festo *Paschatis* verum in die *Parasceves* haberetur, quod ad hodiernum usque diem obtinet. Eadem quasi tempestate, Concionum, diebus Festis ac Dominicis, durante etiam, (prout loquimur) Vacatione, obeundarum, agebatur [c] cura, eo nimirum consilio ut Religione Reformatâ mature penitusque imbuta pubes Academica, quicquid fidem Curiamve *Romanam* saperet respuere condisceret. At vero paucis admodum comparentibus qui ætate pariter & concionandi facultate reliquos antecederent, Munia illa junioribus plerumque demandata sunt, qui ea frequenter effutire consuevere, quibus Charitas christiana plurimum læderetur, adeo ut hac de re querelæ [d] creberrimæ apud Cancellarium deponerentur. A Senatu autem Academico sancitum denique est nequis sacrum in Universitate Suggestum conscenderet, nisi impetratâ prius Procancellarii licentiâ, quam etiam ambire fas non esset, nisi quantum peritiâ Theologica polleret ante annum in proprio Sodalitio, aut concionando aut catechizando ostendenti, vel Præsidis sui aut Professoris Regii, Theologici scilicet, testimonio ornato, vel Articulis denique, in Convocatione pridem probatis, necnon Liturgiæ *Anglicanæ*, subscribenti.

Hoc eodem anno, sexto autem *Aprilis* die, *inter horam quintam & sextam matutinas, in ipso canæ tempore* (loquor ex quodam [e] Registro) Oxonia *nostra maxime terræ motu quatitur, exanimantur omnes, foras ruunt, domos nutantes attoniti relinquunt; nihilque aliud expectant, quam ut dehiscat terra & viros absorbeat. Conturbantur omnia; passeres qui se in ædificiorum latebras ad quiescendum contulerant, subito devolant; cæli volucres in terra considunt, Boves multis in locis præ tam inopinata rerum mutatione mugiunt. Sed per Dei gratiam citissimè hoc terrore, sed non omni timore liberantur. Neque solum* Oxonium *rarissimam hanc terræ conquassionem est passum, sed & tota* Anglia & Francia & Flandria & *aliæ passim Regiones, idque eodem temporis articulo senserunt, adeoque ipsum mare sic est hoc motu agitatum, ut Nautæ æquor sulcantes præsentem submersionem verentur*, &c. Literas [f] deinceps Cancellarii commendatitias, decimo nono *Octobris* datas, attulit Doctor *Niphus*, peregrinus, scientiâ medicâ & Philosophicâ clarus; quem propterea in Academiæ nostræ sinum admissum reperio, factâ insuper copiâ Medicinam in publico quovis loco aperiendi, id quod præstitisse virum constat, qui etiam Honorariis haud paucis ob operam eâ in re navatam fuerat remuneratus. Octavo sequentis *Februarii* inter Vicecancellarium & Procuratores, de nominandis Mercatus Clericis, incidit Controversia, cujus integrum processum cum juramentis utrinque, XVIII. proximi *Aprilis*, datis [g] vidi, decisam vero nullibi deprehendo, tametsi ex indiciis quibusdam colligi possit victoriam reportasse Vicecancellarium.

Hoc insuper anno falsitatis arguendus venit [h] *Fullerus*; quod utique dicat Epistolam ad nos, cum Testamenti Novi Græci & Latini, multæ antiquitatis Apographo, transmisisse *Bezam*, norunt autem omnes *Cantabrigiam* transmissam. Porro Epistolæ ejus, octavo Id. *Decemb.* an. CIↃDLXXXI. datæ, exemplar extat in postremo Bibliorum Polyglottensium Volumine, statim post Commentarios *Grotianos*, ubi ad *Cantabrigienses* inscribitur. Qui cum nec accepti, prout ipse conquestus est, muneris certiorem fecerint *Bezam*, ingrati quidem animi notam subierunt, & quam nobis perperam intentavit *Fullerus* rectius suis impingenda est dica.

CIↃCDLXXXII.

Litis, Academiam inter [i] & Vicecomitem *Oxoniensem*, de Privilegiis quibusdam executioni mandandis, anno prægresso coortæ, compositionem summus prætervecti: de Universitate vero ipsâ referendum, quod licet Leges nuper tam rei divinæ quam eruditioni saluberrimas tulisset, irritâ tamen id spe fecerat, iisdem hoc annoque superiori omni propemodum ex parte [k] violatis, & neglectis. Rari admodum fuere qui aut verbum Dei annuntiarent aut annuntiantibus [l] adessent, quamvis magna Clericorum multitudo, relictis ubique quarum Pastores erant Parochiis, *Oxoniam* per hæc tempora accederent, inertiæ ac desidiæ quam propagandæ fidei appetentiores. His accessit Tutorum Academicorum inertia, qui cùm sibi in disciplinam traditos ad purioris Cultus cognitionem erudire negligerent, Pontificiis ansam præbuere juventutem Togatam inescandi, & ad exteros catervatim alliciendi, in Seminariis utique, quæ vocant, suis educandam. Sciendum enim, partium *Romanensium* emissarios

[a] *Ibid. in KK.* 308. *a.* [b] *Ibid.* 304. *a.* 308. *a.* [c] *Ibid.* 308. *b.* [d] *Ibid.* 314. *a.* 315. *b.* [e] *Reg.* 2. *Coll.* Mert. *p.* 70. [f] *Reg. KK. ut supra, fol.* 344. *a.* [g] *Ibid. fol.* 345. *b. &c. vide etiam in fol.* 222. *&* 377. *b.* [h] *In Hist. Eccles. Angl. lib.* 9. *sect.* 4. [i] *Ibid. in KK.* 330. 337. *&c.* [k] *Ibid.* 338. *& seq.* [l] *Reg. L. fol.* 232. *a. & b.*

frequentes

frequentes in viculis undique propinquis inque ipsâ *Oxoniâ*, etiamnum delituisse, licet hoc maxime anno & nostratium & *Cantabrigiensium* curæ in eo evigilarent, ut Sacrificuli quicunque Pontificii prehenderentur. Ad Academicos revertor luxui adeo deditos, ut Hospitia *Londinensia* Juri municipali dicata vel etiam Aulam regiam, vestitu superarent; animis autem adeo turgentes, ut Graduato cuique, & se quovis nomine longe potiori, locum vix cederet inferiorum infimus. An addam præterea, Prælectiones Linguæ Græcæ & Hebraicæ, necnon Medicinæ, Juris, & Theologiæ perraro fuisse habitas (nequid pejus de Lecturis ordinariis dicam:) cujusq; vero Auditores paucos admodum, immo aliquando nullos, comparuisse; atque monitos porro quibus Disputationes Theologicas obire incumberet, raro admodum muneri satisfeciſſe; medicis interim illis, & in Jure Civili, oscitanter admodum præstitis.

Denique, si Logicæ & Philosophiæ rationes inspicias, à veterum institutis declinasse nostrates fatebere; adeo ut his omnibus rite perpensis, Academiam *Oxonienſem Oxoniæ* quæsiveris, tanta erat ejusdem idque in pejus immutatio. At vero omittendum non est, languentem illum rei literariæ statum secum opportunè reputasse *Athenarum* nostrarum Primores, siquidem Statutis omni propemodum ex parte mancis ac imperfectis (quamvis & Pesti Mense *Octobri* [a] prorumpenti, aliquatenus tribuenda videantur) mala hæc [b] imputari possint, & emendanda proin eadem, inque meliorem formam redigenda, Doctoribus quibusdam, aliisque rerum earum peritissimis, commendabat. Academia; cui quidem negotio insudatum tantopere, proximorum Vicecancellariorum temporibus, invenio, ut haud modica brevi fuerint integerrimæ fidei incrementa, dum Gradus nullus, ne dum primus ille, Baccalaureatus, aliis quam Religionis Reformatæ Præceptis quam optime instructis deferretur.

CIↃDLXXXIII.

Hoc anno in *Angliam* trajecit Princeps quidam *Polonus*, Palâtinus nempe *Siradienſis*, *Albertus* de *Alaſco* dictus, Curiam *Anglicanam* invisendi cupidus, maxime vero prudentissimæ *Elizabethæ* desiderio ductus. Postquam autem Cancellario innotuit statuisse virum Universitatem nostram quam famâ dudum perceperat oculis quoque, priusquam Regno excederet, perlustrare, literas [c] eâ de re ad Academicos dedit, ne incauti nimirum & nil tale opinantes opprimerentur. Decimo postea *Junii Ricotâ* una cum Cancellario & Optimatibus nonnullis profectus est *Polonus*, & haud procul ab Orientali Urbis *Oxonienſis* parte obvios habuit Doctorem *Humphredum*, Doctorem *Tobiam Matthew*, Doctorem *Arthurum Teldard*, Doctorem *Martinum Culpeper*, Doctorem *Herbertum Westphaling*, purpurâ indutos omnes, quorum postremo dictus Hospites, ut par erat, illustres oratione solenni excepit, cui gratias eo nomine amplissimas linguâ latinâ egit Peregrinus. Cum propius jam ab Urbe abesset splendida illa Nobilium cohors, obviam facti sunt Prætor, Aldermanni, & Ballivi (ut alios taceam) qui Magistratus Insignibus, Purpura nempe, præfulgebant, habitâ vero per Scribam urbanum (is Magister in Artibus fuisse memoratur) oratiunculâ latinâ, Procerum quisque Chirothecis donatur. Pergente dein turbâ conspicuâ, tibias lituosque inflarunt cornicines quidam in Portæ Orientalis tecto collocati, quin & Hospites postmodo salutarunt innumeri togati, in plateâ altâ utrinque dispositi, & habitu ac Insignibus pro Graduum differentiâ internoscendi. Ventum exinde ad Beatæ *Virginis* est, ubi cum Doctoribus aliis, veste pariter purpureâ indutis, comparuit Vicecancellarius Academicus, qui Muneris sui Insignia Cancellario de more tradidit, atque ubi Orationem, quod fieri assolet, obierat publicus Orator, Peregrino magni pretii Biblia cum chirothecis, Optimatum vero cuique chirothecas deferendas curavit; ob dona exigua vultu ubique hilari, verbisq; benevolentiæ plenis pensata, abunde lætatus. Hinc ad *Quadrivium*, atque inde ad Ædem *Christi* perrexere hospites illustres, cujus à Decano & Canonicis, cum ingenti Alumnorum frequentiâ obviam effusis, ad Cœnacula sua deducuntur; qui voluptatem dein, appetente nimirum nocte, haud exiguam ex pulvere nitrato, arte variâ obvoluto, inque formas plures dispositio, atque in magno illo Collegii Quadrangulo accenso, percipiebant.

Proximo mane Concioni latinæ, à Doctore *Matthew* habitæ, ac dein exercitiis variis, ad Scholas publicas præstitis, interfuit peregrinus; postmodo autem ad Collegium *Omnium Animarum* profectus, cum ejusdem Custode, Vicecancellario illâ tempestate Academico, prandebat, non tantum oratione disertâ dum mœnia intraret, & Carminibus Portæ appensis exceptus, verum & Exercitiis nonnullis, ibidem à prandio præstitis, admodum delectatus. Inter horas tertiam & quartam pomeridianas ad Beatæ *Virginis* perrexit, & Disputationibus in Theologiâ, Jure Civili, Medicinâ, Philosophiâ Naturali & Morali celebratis (quæ quidem die etiam proximo, eodem loco ac tempore, habitæ comparent) intendebat, atque inde reversus ad Ædem *Christi* (quod quamdiu nobiscum egit feciſſe dicitur) cœnabat; Comœdiæ vero deinceps cum illustri Procerum comitatu interfuit, *Rivales* nuncupatæ, ac in Ædis prædictæ Refectorio exhibitæ; unde sane ingenti omnium animi lætitiâ perfusi memorantur. Die sequenti Scholas adivit *Polonus*, & à Prælectionibus ac Disputationibus variis voluptatem haud exiguam hausit; atque inde ad *Magdalenenſes* deductus prandio, ut fit, lautissimo, iisdemque quibus pridie apud *Omnium Animarum* officiis excipitur. Tempore pomeridiano Beatæ *Virginis* Ecclesiam denuo invisit, & à velitationibus philosophicis (adeo deliciis literariis satiari non poterat) miram percepit jucunditatem; quæstionum vero quas tunc temporis eventilavimus de numero erant:

An Mares vivant diutius quem Fœmmæ? Aff.

An sit Divindtio per Stellas? neg.

Respondebat autem Mag. *Nicolaus Maurice*, è Collegio *Corporis Christi*, qui Oratione admodum eleganti ipsis Disputationibus præluſit. Opponentium vices obibant, Magister *Thomas Singleton*, *Æneanaſenſis*, Mag. *Johan. Wickham*, ex Ædè *Christi*, Mag. *Matth Gwynne*, è Coll. S. *Johannis*, & Mag, *Gul. Tooker*, è *Nova* Collegio; Moderatoris personam sustinente Magistro *Thomâ Leyſon*, Procuratorum seniore; quorum quisque munere ita suo functus perhibetur, ut laudes immensas ab Au-

[a] Reg. Mert. *ut supra p.* 88. *&* *Reg. Coll.* Exon. *p.* 135. [b] *Ibid. in Reg. L. ut supra* 234. *b.* [c] *Ib. in L.* 234. *b.*

ditorum quolibet reportârit, maxime vero à Comite illo *Palatino*, qui virorum ingenia & eruditionem ubique poſtea deprædicavit. His ita peractis, atque cœnâ apud Ædem *Chriſti* finitâ, animi Procerum Tragœdiâ, cui *Dido* nomen erat, ibidem oblectati ſunt; Epulis *Trojano* appoſitis, quarum pars erat ipſa *Troja*, dum Urbis excidium enarravit, in bellarium ingens confecta, & denuo ſed incruento *Marte* diripienda. Dulce porro erat rura in urbem invecta protenus cernere venatores cum Canibus feras inſectantibus (quæ quidem ſpectacula ab iis quæ *Elizabethæ* pridem exhibita fuerant haud multum diſcrepabant) necnon *Mercurium* & *Irida*, deſcendentes & aſcendentes machinarum ope, ſceniſque oculos fallentibus, conſpicere. Omitto Tragemata Grandinis, & aquam roſaceam Imbris vicem ſuppleviſſe, e ſacharo nive inſuper arte multâ in ſcenam decidente. Die tertio Concionem tempore matutino habuit Doctor *Gul. James*, & Collegia poſtmodo nonnulla inviſit Nobilis peregrinus, Orationibus, Carminibus & Diſputationibus ubique exceptus, qui in ſingulis deſudantibus gratias ex tempore haud uno Idiomate habuit.

Ad *Novum* deniq; Collegium ſumptuoſe exceptus & Exercitiis præterea Scholaſticis honoratus, *Woodſtochiam* iter arripuit, neque enim dapibus lautiſſimis, apud *Johannenſes* (quorum etiam parietes laboribus poeticis onerabantur) detineri voluit, eo tantum uſque moratus quoad Sodalitii ejus Alumnus aliquis Oratione haud ineleganti perfungeretur. Hinc autem à Doctoribus bene multis, Ædiumque Præfectis, purpurâ ſplendentibus, ad primum quaſi Lapidem deducitur, ibique, Oratione prius perpolitâ ab Oratore Academico habitâ, dimiſſus cum Cancellario reliquiſque Dynaſtis eſt; qui *Londinum* haud ita multo poſt profecti, tantis apparatum Academicum laudibus apud Reginam cumulabant, ut illa ſcriptis ad nos [a] literis non minores Univerſitati gratias habuerit quam ſi ipſam ſplendidis adeo modis tractaſſet. Et revera impenſæ grandes admodum factæ ſunt, dum pauperes muſæ ſortem ſemper ſibi negatam imitabantur: neque tamen prodegiſſe dixeris ſi intelligas Virum illum omnibus numeris abſolutum, & *Marti* non minus quam *Mercurio* deditum fuiſſe. Linguarum is multarum, Philoſophiæ, Matheſeos peritiâ coævis pleriſque antecelluit; corpore procerus, nec tamen animo erat elatus; ob Comitatem egregiam morumque facilitatem vix alibi reperiendam, ingenium inſuper haud vulgare, & ſuaviſſimam eloquendi facultatem, in pretio apud omnes merito habitus. At vero diſſimulandum non eſt, pecunias effundendo Liberalitatis terminos egreſſum (tametſi Caſtella quinquaginta in dotem Uxoris accepiſſe conſtat) *Angliâ* etiam poſt quatuor Menſes excedere coactum, ne ſcilicet ob æs ex quo ſe expedire non poterat alienum in Carcerem compingeretur. Ad ſuos vero regreſſus inopiâ tandem haud modicâ laborabat, prout ab *Anglo* quodam [b] generoſo, qui hominem dein *Cracoviæ* vidit, memoriæ proditum [c] eſt. Adeo mortalibus in perniciem vertit coacervatis frui fortunæ, Corporis, Animi denique bonis, niſi Cumulo acceſſerit Prudentia.

CIↃDLXXXIV.

Hoc anno, menſe autem *Julio* [d] literas, inſtante Reginâ, ad Academiam dedit Cancellarius, præcipientes nimirum, nequis Exercitiis minime præſtitis ad Gradum aliquem admitteretur, neve habitum alienum induentes togati rixas in Agris vicinis & pugnas cierent; atque in hæc denique [e] verba Univerſitatem allocutus, Epiſtolæ enim partem hic ſubjici non gravabor: *--cum Sereniſſimæ Reginæ nuntiatum ſit gradus Academicos apud vos per diſpenſationes, & gratuitam largitionem conferri eruditione & meritis inſuper habitis, jubet mandatque ut exercitia, temporiſque decurſus per ſtatuta compleantur, priuſque quis ad Baccalaureatum in Theologia, Jure, Medicinâ, aliave quavis facultate aſpirare præſumat, ne quis Doctoratum ambiat, niſi lectionibus curſoriis, & concione ad Clerum prius habitis: Exceptis tantum filiis Regum, Comitum, & Baronum jus ſuffragii in ſuperiori Parliamenti domi habentium*, &c. *Item ut Diſpenſationes pro tempore* (loquor ex eodem [f] Regiſtro hic citato) *vel exercitiis, poſt gradum ſuſceptum præſtandis non concedantur*, &c. Cæterum quantum nobis, Dii boni! ab Inſtitutis hiſce ſaluberrimis aberratum? nos non tantum Exercitia bene merentibus condonamus, ſed Gradus indoctis, immo bonas literas ne à limine quidem ſalutantibus, largimur, quo nomine liberales peſſime audiunt Artes noſtræ, & faxit Deus ne ad ſummam inde tandem aliquando inopiam redigantur. Ad Cancellarii noſtri mandata redeo, quorum poſtremum executioni omni operâ tradendum ſuadens, dum Concionem ad Beatæ *Virginis* anno Dom. CIↃDCII. obiret, Doctor *Airay* è Collegio *Reginenſi*, Doctorem *Howſon*, Vicecancellarium, perſtrinxiſſe obiter exiſtimatus eſt; quod cum eo nempe pro Exercitiis ad Gradum requiſitis diſpenſatum fuerat; *Et hinc illæ lachrymæ*, & irarum deinceps gliſcentium cauſæ.

De his vero ſatis; *Januario* ſequenti *Oxoniam* denuo venit Cancellarius, inſignioris notæ viris haud paucis, & gymnaſmatum Scholaſticorum delicias pariter expetentibus, ſtipatus. Quamdiu hoſpitatus nobiſcum fuerit haud facile dixerim, at vero benigne, ut par erat ſuſceptum, & Comœdiis binis (quarum altera ad Ædem *Chriſti*, altera autem apud *Magdalenenſes* edita eſt) mirifice oblectatum deprehendo. Tempore inſuper matutino Lecturis publicis, à meridie vero Diſputationibus in Eccleſiâ Beatæ *Mariæ* habitis, interfuit, quarum præcipua [g] erat quâ congreſſi ſunt *Johannes* ac *Edmundus* (alii vero *Gulielmus*) *Rainoldii*, ſanguine quidem conjuncti (fratres enim erant) fide autem abunde diſſociati, cùm *Proteſtantium* alter, alter vero (temperantiori licet zelo) partes pontificias tutatus fuerit. De his perperam fertur, Antagoniſtam in ſententiam ſuam utrumque pertraxiſſe; velitationibus enim iis, quantum ad eruditionem ſpectat, ita ſunt perfuncti, ut neuter alteri palmam videatur præripuiſſe, verum de utroque dicendum quod:

Concurrere pares, & cecidere pares.

Johannem quod attinet, elucubrationibus cultiſſimis publicique juris factis inclaruiſſe nemo ignorat; *Edmundus* vero mediocritatem ſervans, & ſaluti

[a] *In L. ut ſupra*, 235. *b.* [b] *D.* Ric. Baker. [c] *In chron. ſuo ſub an.* 1583. [d] *Ib. in L.* 241. *a.* [e] *Ib.* 242. *b. Ibid.* 241. *b.* [g] *Ut inter Collect. Mri* Milonis Windſore, *MS.*

potius

potius ſuæ proſpiciendum quam deſperatis *Romanenſium* rebus ſubveniendum arbitratus, obſcurus vixit, ac nil unquam edidit quod Pontificiam aut Curiam aut Culinam ſaperet; cujus Epitaphium [a] hunc in locum ſubjungere lubet:

Ingens Oxonii Rainoldus *gloria*, *notus*
Fraternâ famâ, *nec minus ipſe ſuâ.*
Magnus fortunæ, *virtutis major alumnus*
Hic, *ſed parte ſui deteriore jacet.*
Mens cælum migravit, *ut hinc quoque præmia fælix*
Sumat, *virtutes cæperat unde ſuas.*

Ad Cancellarium revertor, qui inconditam Univerſitatis Diſciplinam corrigendam quam citiſſime ratus, ſtatuta varia, de emendandâ eadem hoc anno (monente utique & Regiâ Majeſtate) confecta, inſpexit; quorum [b] alterum Hiſtriones *Oxoniam* commeare prohibuit.

Eodem quaſi tempore audaciam ſibi effrænatam ſumentes *Romaniſtæ*, Libellos famoſos Typis quoque excuſos, propalabant, quibus non tantum Reginæ famam lacerabant, ſed & ſubditos ad eandem interficiendam hortabantur. Hoſce igitur ſeditionis fomites *Oxoniæ* etiam ſparſos & à Togatorum nonnullis coemptos conſtabat, quapropter (poſtquam per publicos Regni Præcones proclamatum eandem in rem eſſet) in Senatu Academico [c] ordinatum eſt, nequis virus illud pontificium, ſub graviſſimis pœnis, occultaret nedum diffunderet; unde Univerſitati ſe ſubtrahentibus malemeritis quibuſdàm, de aliis quæſtio haud infrequens habita comparet. Libellos eoſdem publicaſſe [d] fertur *Gregorius* quidam *Martin*, è Collegio pridem *Divi Johannis*, quod tamen veriſimile non fit cùm diem ille jam ante biennium obierit; de Typographo autem ſatis conſtat, cui pœnas utique graviores, maleficiis tamen vix pares, irrogatas reperio.

CIↃDLXXXV.

Operam, ut prædiximus, omnem in pertrahendis ad ſe *Anglis*, & ſeditione aliquâ movendâ ponebant *Romanenſes*, at vero neque *Catharorum*, partes ſuas peſſimis artibus corroborantium, deerat induſtria; ſiquidem huc ad noviſſima Comitia acceſſerunt Miniſtri quidam *Scoti* (Sacerdotis utique nomen abominantur illi) & in ſollicitandis Collegiorum Sociis, vel ſaltem Artium Magiſtris, obnixe deſudabant, ut Schiſmatis ſui participes quam plurimos facerent laborantes. *Oxonienſibus* hi imprimis ſuadebant ut Diſciplinam quam procuderant Eccleſiaſticam probarent, & conſtitutionibus quibuſdam aſſenſum, ſubſcriptis etiam nominibus, præberent, quarum prima (etenim haud pauciores duodecim adinveniſſe memorantur) ſic ſe habuit.

» Nemo hominum, Academicus licet, Miniſte»rium ultro ambiat, neque Miniſterio vago incer»toque fungatur. Quodſi aliquem evocârit Eccle»ſia aliqua particularis, id Claſſi ſeu Conventui ad »quem ipſe ſpectârit, vel Synodo cuivis Eccleſiaſticæ frequentiori, notum faciat, cujus literis (di»gnus ſacro Munere ſi videatur) Epiſcopo com»mendetur, in Clerum tum denique aſciſcendus. «

Decretum vero illud, cum aliis conſimilibus, ad agitandam tumultibus Eccleſiam, & procellam (quacum haud ita pridem conflictati ſumus) borealem in *Angliam* admittendam ſpectare videbatur; neque ſane difficile jam erat Academicorum animos rerum novarum ſtudio accendere, quâ in re operam præcipue navabat Magiſter *Georgius Gellibrand*, è Collegio *Magdalenenſi*, Doctoris *Humphredi* opinionibus omnino mancipatus, qui in id maxime incubuit ut Togatos *Oxonienſes* (quod idem *Cantabrigiæ* ſatagebat *Cartwrightus*) ad partes ſuas alliceret. Negotium (inquit ille in Epiſtolâ quadam ad *Feil*»*dum* aliquem XII. *Januarii* datâ) de quo ad me» ſcripſeras aggreſſus ſum, & Academicorum inge»nia à trium vel quatuor Collegiorum Togatis non»nullis ſedulo exploravi. Periculi quidem haud pa»rum rebus iis ſubeſſe deprehendo, quamvis enim» Reformationem expetant plerique, ad particularia» tamen ſi deſcendas, corruptelas, unde graviſſimus» prudentiores dolor inceſſit, expendiſſe videntur per»pauci. Sententiam porro ſuam deſcriptis nomini»bus profiteri recuſant bene multi, ne ſcilicet priuſ»quam Reformatio ipſa matureſcat pericula haud le»via adirent metuentes. Reformandæ inſuper Eccle»ſiæ ſtudentium plerique Ordinibus nondum initiati» comparent, cæterum juniorum præcipue de numero» ſunt, licet ad magna demum perventuros ſperâ»rim, niſi aſpere nimis tractati animiſque fracti, » præmaturi deſciverint. Literas tuas expecto, prout» ipſe ſpem feceris, & occaſio tulerit, hac porro in» re operam poſiturus; eorum vero qui nobis favent» numerum inibo, tibique ſignificabo, *&c.*

CIↃDLXXXVI.

Quo ſpei nil quicquam ſupereſſet ſanari unquam poſſe Eccleſiarum *Romanæ* & *Anglicanæ* diſſenſiones prælectionem hoc anno Theologicam *Oxoniæ* inſtituit *Franciſcus Walſingham*, Eques auratus, & Secretariorum regiorum primus; Vir Ponntificiis pariter infenſus, & affectu in *Catharos* propenſiſſimus; qui Prælectionem, quam dixi, eo conſilio molitus eſt, ut fidem noſtram & pontificiam immenſum inter ſe repugnare, neque ullo modo coaleſcere poſſe, innoteſceret; vel (à Regiſtro [e] quodam Academico loquor) *Ut Sacræ Scripturæ textus & Religionis fundamenta, per locos communes tractentur, & controverſiæ ſubinde ortæ eventilentur, eo modo quo* Rhemis *aliiſque Scholis tranſmarinis in Pontificiorum gratiam fieri aſſolet; ſed in firmamentum Orthodoxiæ Anglicanæ*, &c. Id vero muneris Doctori *Johanni Rainolds*, Collegii *Corporis Chriſti* deinceps Præſidi, demandavit *Walſinghamus*, infinitæ prorſus lectionis, ac memoriæ immenſæ Viro; qui cùm apud exteros in Seminario, quod vocant, *Anglicano* aliquandiu egiſſet, parteſque pontificias amplexus tutatuſque omni ſtudio fuiſſet, fratris *Gulielmi* (vel potius ut nonnulli perhibent *Edmundi*, vel fortean utriuſque) argumentis de ſententia motus, odio dein immortali *Romanenſes* proſequebatur, quod non aliter exprimendum ducebat quam ad *Preſbyterianos* declinando.

[a] *In Eccleſia de* Wolvercote *prope* Oxon. *an.* 1583. [b] *L. ut ſup.* 242. *a.* [c] *Ibid.* 281. *a.* [d] *Per eundem* Bakerum *ut ſupra ſub* [e] *L. fol.* 286. *a. & b.* 288. *a.*

Prælectorem itaque tam idoneum nactus *Walſingham* compotem ſe voti futurum ſperabat; is autem officio ſuo ter qualibet hebdomadâ, durante Termino, fungebatur, ingenti Scholarium coronâ cinctus, & à togatæ gentis pube laudibus ſupra mortales omnes cumulatus. Dubium quoque non eſt quin celebratus mirum in modum fuerit Prælectionis ejus Inſtitutor, tametſi à quibuſdam malignius illa interpretantibus diceretur, hoc illum propagandæ veritatis obtentu, rapinas tantum ſacerrimas (quo nil *Catharis* unquam ſolennius) celare voluiſſe; cum Epiſcopatus *Oxonienſis*, diutius per hæc tempora vacantis, proventum malis artibus plurimum imminuerit. *Rainoldus* autem Cathedræ admotus authoritatem epiſcopalem quoad poſſet labefactabat; de quo dicere nequeo quamdiu id muneris obierit, quanquam ſatis conſtat Prælectiones ejus pleraſque excuſas poſt Viri obitum fuiſſe, non ſine magno, ut quibuſdam videtur, Theologorum fructu. Denique, ne his diutius immorer, ejuſmodi hominum dolis ac induſtriâ, necnon diutino Comitis *Leyceſtrenſis*, *Calviniſtis* addictiſſimi, Cancellariatu factum eſt, ut, conſpirante præterea deſultorio quodam ipſius ſeculi genio, novam quodammodo formam inducrit Theologia *Oxonienſis*, immo erutis quaſi priſtinis illis, tantum non nova reformatæ Religionis fundamenta jacerentur.

Hoc eodem anno *Oxoniæ* inter Togatos aliquos & *Henricum*, Dominum *Norrys*, Baronem de **Ricot** in Agro iſto Locum-tenentem Regium, famuloſque ejus, lis ſatis acris incidit; quam quoniam obiter tantum attingunt Annales Academici, fuſius nonnihil, referendam duco, licet loco fortaſſis in Hiſtoriâ illâ vix dignum exiſtimârint curioſi magis rerum æſtimatores. Accidit quod Saltum *Shotoverianum* ingreſſi fuerint *Magdalenenſes* aliqui, ferinæ nimirum furtim ſurripiendæ cupidine ducti; quorum alterum, *Thomam Godſtow* nominatum, in furto deprehenſum & ad ſe illo nomine adductum Carceri mancipavit præfatus *Norryſius*, quem proinde reliqui, ſiquando *Oxoniam* accederet, adoriri ſtatuerunt, adſcitis ſibi in ſubſidium Academicis aliis, qui ob togatum injuria tam gravi (talis enim irâ percitis habebatur) affectum indignabantur. Circa Feſtum S. *Michaelis* ad Urbem hanc pervenit præfatus *Norryſius* Comitiis trimeſtribus Seſſionibus nimirum (prout nobis loqui conſolitum) juridicis, quolibet anni quadrante celebrari conſuetis, interfuturus; ad Inſigne autem *Urſi* hoſpitatum intelligentes Academici, licet validâ famulorum catervâ ſtipatum, armis aggrediebantur, ipſum prehendendum, peſſimiſque modis habendum, cogitantes; in quos tamen impreſſionem cum ſuis faciens *Maximilianus*, *Norryſii* filius, ſeditioſos ad Beatam uſque *Virginem* repulit, ibi enim interpoſitâ Vicecancellarii & Procuratorum (à tumultus nempe ſtrepitu convolantium) authoritate pugna dirimitur; ſed Togatorum numero jam, ut fit, increſcente, eoſdem blandis potius verbis quam vi reprimere ſatagebat Vicecancellarius, præſertim cum furorem concepiſſent, quod ſuorum nonnulli vulneribus eſſent affecti, hoſtibus interea neutiquam illæſis, quos inter *Norryſii* Saltuarius ſauciatus graviſſime comparuit. Edixit ergo Vicecancellarius ut ſuos ubique in Collegia compellerent, & obſeratis foribus egreſſu dein prohiberent, Sodalitiorum Præfecti; nec tamen ita paci ſatis conſultum, in Collegii enim *Omnium Animarum* & *Univerſitatis* tectis, nec non Eccleſiæ *Magdalenenſis* turri, tranſitum Viri præſtolabantur Academici, dum *Ricotam* contenderet. Unde non aliter ejus ſaluti proſpectum, quam ut famuli menſæ tabulatum arripientes, conopei loco uterentur; & tanquam ſcuto, lapidibus undique impetitum protegerent. Ita ſalvus ægre evaſit *Norriſius*, plurimis ſuorum vulneratis, & in vitæ diſcrimen adductis. Quid plura, de tumultuantibus habetur quæſtio, eorumque nonnullis expulſione, aliis vero levioribus pœnis, mulctatis, in gratiam denuo cum Togatis, quos utiq; hoſtes adeo truculentos ſenſerat, imo in conjunctiſſimam benevolentiam rediit *Norryſius*.

CIↃDLXXXVII.

Hunc annum infamem [a] reddiderunt veteres illæ, diutius jam conſopitæ, ac poſt integrum pene Seculum recrudeſcentes Togatorum *Borealium* cum *Auſtralibus* inimicitiæ; quas non abſque cæde ac ſanguine ſedatas crediderim, quanquam de earum ortu, incrementis, exituque parum conſtat. Quod me attinet, *Wallis* enimvero (hos enim partibus ſemper acceſſiſſe ſæpius prædictum) tribuendas opinor; qui in Collegiis quibuſdam, maxime autem *Omnium Animarum*, ſub hæc adeo pollebant, ut majori ſuffragiorum numero potiti omnia pro animi ſui ſententiâ facerent, ipſum ſodalitium tantum non peſſundantes; quod etiam, velut è Scriptis haud paucis liquet, apud *Orielenſes* præſtitere.

CIↃDLXXXVIII.

Medio quaſi *Auguſto* hujus anni Academiam denuo & poſtremum [b] inviſit Cancellarius; quippe gymnaſmatis Scholaſticis, quæ jucunditate haud parvâ Advenarum animos perfundere ſolent, aliquandiu detentus, *Cornburiam* in hoc Agro conceſſit, nec ita multo poſt è vitâ ibidem migravit, eique in Munere Academico ſuffectus eſt D. *Chriſtophorus Hatton*, Eques auratus, ſupremus *Angliæ* Cancellarius. Comitis *Leyceſtrenſis* Magiſtratum quod attinet, perennante quodammodo illo plurima quoad Univerſitatis Regimen quod ſuprà innuimus immutata ſunt, quæ cùm à nonnullis laudentur ab aliis pari jure exploduntur. Academiam quidem ille eruditorum inopiâ preſſam, Viris vero probis & bene moratis abundantem invenit; luxu autem & mollitia fluentem reliquit. De illo revera dicendum, ſummis vitiis conjunctas virtutes poſſediſſe, eminente licet noviſſime dictorum numero, optimeque factis ſplendorem omnem eripiente. Cùm in ipſius Regni moderamine plurimum polleret, quicquid ſibi collibitum eſſet inter Togatos patravit, quorum geſta & conſilia clam & confeſtim reſcivit, occultâ Clientum aliquorum operâ uſus, quos inter primum obtinebant locum Doctor *Gualterus Baylie*, Doctor *Martinus Culpeper*, Magiſter *Artburus Atye*, & Magiſter *Thomas Allen*. Primo dictus ſub Comitis auſpiciis Poſſeſſiones ſibi amplas & opimas comparavit, verum poſtremis ejuſdem temporibus & gratiâ ejus excidit, & à Medicinâ Reginæ faciendâ pulſus (ut opinor) eſt; quæ mala paſſus dicitur propterea quod Viri conjugem, *Cumnoræ* prope *Oxoniam* in Ædibus *Antonii Forſter*, agentem, veneficio tollere detrectaret.

[a] *Collect.* Mil. Windſore *ut ſupr.* [b] *Ut videtur in Reg. L. 293. b.*

De

De *Culpepero* fertur, Comitis favore & potentiâ fretum, Sodalitium cui præerat dolo malo rexiſſe, ac ſeditionem ibidem & diſſidia foviſſe. Ad tertium quod ſpectat, Comitis ille Secretarius erat, ejuſque patrocinio Cenſum plane luculentum adeptus eſt; cujus nempe literis uſus Collegia quædam eò perpulit ut Poſſeſſionum & Latifundiorum Dimiſſiones (quas vocamus) diutinas & Reverſiones parvo ſibi pretio indulgerent; quorum de numero erat Rectoria impropriata de **Northmore**, in hoc ipſo Comitatu quæ pertinuit ad *Johannenſes*, Advocatio Eccleſiæ de **Steepleashton**, in eodem Agro, ad *Æneanenſes* ſpectans; ne Meſſuagium illud Primarium, **Spitling** dictum, & fundum integrum manerii de **Yabland** terraſque alias, referam, Reginæ quidem, ut præ ſe tulit *Leyceſtrenſis*, revera autem Magiſtro *Atye*, à *Magdalenenſibus* dimiſſa. An addam damnum hunc ingens Collegio in quo literas perceperat Academicas, *Mertonenſi* nimirum dediſſe; utpote qui Manerium de **Waldon**, apud *Surrienſes*, in annos CIↃCIↃCIↃCIↃCIↃ. hoc eſt in æternum, Sodalitio extorſit; tametſi male adeo parta peſſime, quod uſu venit, dilaberentur, poſteris viri ad ſummam, ut ferunt, egeſtatem, immo mendicitatem, redactis. *Allenum* quod attinet, reliquos enimvero probitate antevertebat, tantamque apud *Leyceſtrenſem* gratiam inierat, ut is Epiſcopatu ſæpius donandum cogitarit, quod ne fieret obſtitere otii vitæque privatæ deſiderum, animuſque in *Romanenſes* propenſior. His addere poſſem Doctorem *Babington*, Sacellanum, qui apud Comitem plurimum quidem primitus valebat, licet patroni ſui ſibi animum deinceps alienarit, quod Concioni funebri in obitum Comitiſſæ *Leyceſtrenſis*, (ea *Cumnoræ*, in Ædibus *Forſteri* malis artibus è medio ſublata eſt) ad Beatam *Virginem Oxonii* habitæ tribuendum opinor; dum enim commemoratis integerrimæ fœminæ virtutibus lachrymas auditoribus exprimeret, excidit viro ſemel atque iterum illam fato immaturo, & per homicidium interemptam fuiſſe.

Ad Comitem vero ipſum revertor, cujus ſub imperio detrimenti plurimum paſſa eſt Univerſitas, quippe Præfecturas aliaque Munera Academica pro arbitrio plerumque conferebat, quod aut Benevolentiam ejus captantes Togati, aut potentiam veriti, jure ſuo ubique abſcederent. Cæterum ejuſmodi factis Superſtitionis pontificiæ exterminium prætexuit ille, dum Cultui ſincero & incorrupto ſtudentes evehere præ ſe ferret, tametſi vix quempiam lateret *Catharorum*, maxime autem Clientum ſuorum, commodis & incremento conſultum voluiſſe, quo etiam conſilio Collegia nonnulla jure quo gaudebant emunxit Principales Aulis, ſibi antiquitus annexis, præficiendi. Ea vero munera chariſſimis Sectæ *Calviniſticæ* anteſignanis ſemper detulit, fidei immemor quam præſtiterat *Nicolao Balgay*, S. Theologiæ Profeſſori, & Archididaſcalo aliquando *Magdalenenſi*, necnon Magiſtro *Johanni Caſe* (hi pueros in Ædibus Oppidanorum, quas Aulas pridem fuiſſe conſtabat, ex veteri illo & laudabili inſtituto omnium poſtremi erudiebant) quibus utique ejuſmodi Magiſtratus, ſi forte aliquando vacare contingeret, omnino debebatur.

Ad Academicorum ſub ejus imperio Mores quod ſpectat, à probitate quemadmodum monuimus multum deſciviſſe liquet, nam perpotationes, concertationes de pecuniâ multiplices, aliaque à togatis ne nominanda quidem, increbuere, Libellis quibuſdam famoſis, carmine ſub id conſcriptis, fidem ſi adhibeamus. Cultus in veſtitu tum nimius erat, Senioribus nullam pene reverentiam præſtabant juniores, qui per plateas intempeſtive, hoc eſt horis ſecundum ſtatuta nefaſtis, frequentes obambulabant, aliaque patrabant quæ viros adeo principes commoverunt, ut nil prius potiuſve habuerint quam ut Academiæ tam in capite, prout loquimur, quam in membris Viſitatio inſtitueretur. Eminvero ſiquis rei Academicæ ſub viro illo curſum ac geſtorum ſeriem oſcitantius intueatur, nec penitiſſime inſpiciat, maxime vero ſi literas ejus, excerptis è ſacrâ paginâ ſententiis ubique refertas, dignas fide cenſuerit, omnia huc ſtudia deſtinaſſe crediderit, ut *Athenæ* noſtræ quam maxime florerent; licet fictâ illa boni literarii ſpecie conſilia longe diverſa occultaſſe fatendum ſit.

Inſtituiſſe non diſſimulo ut concionandi & catechizandi labores in Sodalitio quovis frequentiores eſſent, verum inanibus iis falſi zeli præſtigiis operam adeo luſit, ut ad peregrina pontificiorum Seminaria (quâ de re in literis ſuis ad Convocationem noſtram datis frequentius conqueritur) cereberrimi avolarint Academici. Irrito etiam conatu in emendandis quæ perperam à nobis fierent, atque hoc ſpeciatim anno in luxu quoad veſtitum coercendo, tam abſens, per literas, quam præſens deſudavit; violati ſæpius juris Academici, & dominationis impotentiſſimæ exemplis, ante oculos obverſantibus animoſque togatorum exacerbantibus. Mirum ſane videbatur quod Academicos ad pacem & concordiam crebro adhortaretur, & *Catharis* interim notiſſimis turbandæ non minus Reipublicæ quam Academiæ authoribus impenſe faveret. An Prælectiones publicas aliaſque ejus temporibus creberrime omiſſas, an Tutorum in diſcipulis ſuis ad bonam frugem & pietatem informandis negligentiam referam? Certe reticendum non eſt qualem anno CIↃDLXXVII. in eligendo Collegii *Lincolnienſis* Rectore tyrannidem exercere voluit; quâ de re cum ad Archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſcriberent S. Theologiæ Baccalaurei Artiumque Magiſtri haud pauci, Archipræſulis opem contra *miram quandam petitionem*, *immo contra exemplum inauditum & horroris plenum*, *damnique plurimum Reipublicæ ſuæ illaturum*, diſerte implorabant. Cæterum de viro illo abunde dictum; id unice addam, ſi vim & injuriam Collegio *Corporis Chriſti* in Præſide eligendo ann. CIↃDLXIIX. Sociiſque haud vulgaris notæ bene multis exterminandis, factam præfatis adjicerem, nemini fore dubium quin à Viro peſſime ac violenter acta iis quæ cum rei literariæ fructu geſſerit plura longe & majora fuerint.

CIↃDLXXXIX.

Quicquid in reformandâ Univerſitate ptætermiſerat *Leyceſtrenſis*, à Succeſſore ejus hoc anno pro virili invenio procuratum, qui operam imprimis dedit ut ad Gradum aliquem admittendi rationem fidei redderent, quâ ex parte nulla pridem adhibita fuerat diligentia, veluti conquerentem [a] reperias Epiſcopum *Herefordienſem*, *Oxonienſium* in Diœceſi ſuâ heterodoxiam expertum. *Romanenſes* porro *Oxoniæ* aut in vicinia latitantes, & ineſcatos togatorum juniores, ad Seminaria peregrina tranſmittentes, ſedulo exploravit Cancellarius; qui & Academicorum in veſtitu luxum coercuit, & alia eorum vitia caſtigavit.

[a] *Ib. in L. 295. a. b.*

Exeunte

Exeunte hoc anno diem obiit Doctor *Lawrentius Humphrey*, cujus mortem udis oculis percepisse togatos non est dubium, utpote viro omnimodâ eruditione instructissimo, pio insuper, ut qui maxime, animoque demisso, dextrâ denique pauperibus protensâ semper & liberali, orbatos. Prima studiorum tyronicia in ludo *Magdalenensium* grammaticali posuit, & Collegii ejus Semi-cominarius vulgo **Demy** ac postmodo Socius emersit, quo tamen in Munere haud ita diu versatus est, nam Sceptrum capessente *Mariâ* pulsus in *Germaniam* cum clarissimo *Jeuello* aufugit, & calamitatum omnium particeps evasit; *Zurichiæ* autem inter *Helvetios* commoratus Tractatum *Origenis*, de rectâ fide, de Græcis transtulit, & *Philonis* Librum de Nobilitate latine reddidit, superque eâ ipsâ materiâ libros ipse tres conscripsit quibus *Optimates* titulum fecit. Ab exteris regressus Collegii *Magdalenensis* Præses, Regius Theologiæ Professor, in illâ Facultate Doctor, Decanus denique *Wintonienſis* evasit; publicis autem Lecturis & Concionibus, ad annos multos *Oxoniæ* habitis, honorem Cultui reformato haud exiguum peperit, quæstum vero sibi uberiorem nequaquam lucratus est, neque enim supra Decanatum prædictum in Ecclesiâ unquam perrexit; quod quidem meticuloso nimis & perverso in re divina zelo, (quem superstitionem jure optimo appellaris, licet eandem in Ecclesiam *Anglicanam* absurde admodum impingant fanatici) fortasse ascribendum, unde ritus innocuos & ceremonias perosus stabilitum Numinis Cultum in materiâ quoque indifferenti, quam vocamus impugnabat, eoque nomine molestiam sibi haud modicam apud Collegii sui Socios creavit. Ut rem omnem in pauca conferam, non tantum Præfecturâ *Magdalenensi*, Regiique Professoris Munere, verum & Vicecancellariatu multis annis functus, Sodalitium tum suum tum ipsam Academiam Dogmatis *Calvinistici* Sectatoribus replevit, in multos dein annos, irritâ quoque recte sentientium industriâ, togatos opinionum suarum labe inficientibus. Difficile adeo est in medio consistere, dum eorum facta vel sententiam improbamus à quibus mali quippiam passi sumus; atque inde revera evenisse opinor ut nil pene amplectendum arbitrarentur Reformatorum nostrorum perplures nisi quod Pontificiorum dogmatis ex diametro opponeretur.

CIↃDXC.

Hoc anno memoratu dignum occurrit, quod Conciones diebus Festis & Dominicis tempore etiam Vacationis, seu Justitii Academici, nuper habitæ, nunc autem ob virorum eâ facultate pollentium paucitatem in desuetudinem abeuntes, revocatæ [a] fuerunt; eo nimirum consilio ut pullulantia Religionis pontificiæ germina protererentur, juvenesque Theologiæ studentes prædicando Evangelio insuescerent, animisque erigerentur. Eodem quasi tempore [b] sancitum est, ut Canonici Ædis *Christi* die quovis dominico, durante Termino, conciones per se haberent, nisi rationem à Vicecancellario probandam afferrent cur id per Deputatos præstituri essent. Statutum porro ne, quæ jam pene exoleverat, Articulis fidei & disciplinæ Ecclesiasticæ subscribendi consuetudo, in posterum omitteretur.

Eadem insuper (nisi me fallo) tempestate institutæ sunt Conciones, quas Lecturas vocabant, die quolibet Martis, tempore matutino, primo ad *Omnium Sanctorum* per Doctorem *Henricum Airay*, *Reginensem*, alioque Sectæ *Calvinisticæ* Imitatores, deinceps vero ad Beatam *Virginem* per Collegiorum Alumnos, easdem suis vicibus obeuntes, habitæ; cui tamen oneri subtrahendos curavit *Mertonenses* *Henricus Savile*, Miles, vir à supervacaneis hisce *Catharorum* inventis alienissimus. Mos autem ille ad bella usque civilia obtinuit, annoque CIↃDCXLVI. deditâ nimirum copiis Parliamentariis urbe, denuo convaluit, atque inde ad Sereniſſimi *Caroli II.* in *Angliam* reditum perduravit.

CIↃDXCI.

Per hæc tempora Disputationum in Theologiâ, Jure, ac Medicinâ habebatur [c] cura, ordinato quibus eâ ex parte delinquentes pœnis plecterentur. Conciones vero, de quibus in anno superiori dictum, quod attinet, intermissas quidem non invenio, caterum eâ obeuntium contentione partiumque studio habitæ comparent, ut cum maximo Ecclesiæ emolumento infrequentiores longe fuissent, cùm dogmata alii pontificia alii *Presbyteriana* & Schismatica tueri palam, non metuerint. *Romanensibus* militantium præcipui videtur fuisse *Johannes Buckfold*, è Collegio *Omnium animarum* Capellanus, & *Bernardus Robinſon*, Socius *Reginensis*, quorum primus [d], postremo vero dictus, secundo *Maii* hoc anno prædicabat, uterque autem Pontificiis tam aperte visus est patrocinari, ut coram Doctore *James*, Vicecancellario, Procuratoribus, & Actuario publico, in Divæ *Mariæ* Cancello [d] conventus Concionem suâ manu exaratam jurejurando adactus tradiderit, eademque evolutâ & perpensâ pœnas pro meritis luerit; quod pontificiis terrori, nostratibus vero solatio futurum speravimus.

Turbas quidem nobis haud leves dabant præceps ejusmodi hominum audacia, & dissentiones inde propediem concalescentes, quæ sane infandis rem literariam, immo divinam, calamitatibus afflixissent, nisi industriam haud vulgarem interposuissent non tantum Academiæ sed & Regni Gubernatores. Siquidem hæc ubi rescivit *Elizabetha*, de iisdem apud Cancellarium frequentius conquerebatur, qui crebris proinde ad Universitatem transmissis [e] literis, ac tandem Nuntio eam in rem amandato, magnopere postulabat, ut in deprehendendis Jesuitis & & Missificatoribus quibuscunque seminariis operam omnem poneremus, neque Superstitionis pontificiæ compertum aliquem in Sodalitio quovis Academico perstare pateremur.

CIↃDXCII.

Lites anno prægresso in Cancellariatu conferendo (aliis *Robertum Essexiæ* Comitem, aliis vero *Thomam Sackvill*, Baronem de **Buckhurst**, peroptantibus) obortas prætervecti sumus; ad Reginam vero Academiam nostram postremum jam invisentem descendimus. Etenim vicesimo secundo *Septembris*, *Woodstochiâ*, Comitatu, ut par erat, illustri stipata, excedens iter *Oxoniam* ingressa est *Elizabetha*, cui

[a] *Ibid. in L.* 246. *b.* 247. *a.* [b] *Ib.* 297. *b.* [c] *Ib.* 250. *b.* [d] *Ibid. in L.* 255. *b.* [e] *Ib.* 253. *b. &c.*

in extremis

in extremis Juris Academici limitibus obviam de more facti sunt, præter Vicecancellarium & Bedellos superiores, plerique Ædium Præfecti purpura splendentes; Procuratoribus etiam & Magistris haud paucis, Muneris & Gradus Insignia gestantibus, una progressis. Peractâ, ut fit, Oratione solenni, & Reginâ Munusculis quibusdam, quod fieri assolet, donatâ (quæ quidem illa gratiis Idiomate latino habitis abunde pensavit) versus Urbem perrexere omnes; in Parochiæ vero S. *Ægidii* finibus obviam se dedere Prætor urbanus, Aldermanni, ac Ballivi, cum Oppidanis aliis suorum quoque Vestitu ornatis; cùmque eorum alter, quem Syndicum seu Recordatorem appellant, *Elizabetham* oratiunculâ aliquandiu detinuisset, Calicem ei argenteum deauratum, cum Nummis quos Angelos nuncupamus sexaginta, Municipii nomine obtulit Prætor. Urbem ingressa *Elizabetha* ingenti omnium clamore ac plausu excipitur, togatis Plateam utrinque à Portâ boreali ad Ædem usque *Christi* ornantibus, quorum primi erant inferiores Collegiorum Scholares, Commensales, Generosi ac Aularii, atque eorum de numero alter oratione, Carminibus alter, lætitiam & obsequium Academicum testabatur; quod idem dein præstitit Baccalaureus quidam, cui gratias latine habuit Regina.

Ventum inde ad *Quadrivium* cum esset, græce peroravit publicus linguæ ejus Professor, gratiasque regias eâdem linguâ reportavit; quod & de Magistris binis referendum, quorum alter Oratione, Carminibus alter, *Elizabetham* aliquandiu detinuit, quam postmodo ad Ædem *Christi* pertingentem in magno illo Quadrangulo solenniter excepit Orator Academicus, exundantem Togatorum lætitiam explicans. Post paulo in Ecclesiam Cathedralem, sub Conopæo à Doctoribus quatuor sustentato, deducitur, ibique Hymno *Te Deum* dicto, sacrisque nonnullis ob salvum ejus adventum celebratis, cum pluribus pii animi indiciis adfuit. Integrum in excipiendis Hospitibus tantis apparatum quoad nobiscum versarentur, hoc est ad XXVIII. *Septembris*, enarrare non attinet; siquidem à pristino illo anno CIↃDLXVI. usurpato parum admodum discrepabat. Conciones die dominico obibant dictæ sæpius Ædis Decanus, & vel Doctor *Martinus Heton*, vel Magister *Johannes Purefoy*, ejusdem Canonici. Diebus reliquis, tempore autem matutino, Prælectiones tum solennes tum ordinariæ habebantur, munere illo viris quibusdam è facultatibus singulis ob eruditionem electis demandato. Horâ porro decimâ matutinâ Disputationibus quotidie Quodlibeticis fungebantur Magistri decem totidemq; Baccalaurei, quibus etiam ob rei Philosophicæ peritiam partes illæ concredebantur; diebus autem pleriisque, post meridiem, Commissiones in Jure Civili, Medicinâ, & Theologiâ, ad Beatam *Virginem* celebrabantur. Appetente nocte Ludi nonnunquam Scenici in Ædis *Christi* Refectorio ab Academicis agebantur; quanquam de iisdem quinam fuerint aut quo plausu excepti minus mihi constat. Ad Collegia quælibet in promptu erant Orationes; siquando eorum quodvis inviseret Regina pronuntiandæ; quæ quidem earum nonnullis interfuit, mirâque urbanitate ac verborum suavitate ad singulas respondebat.

Septembris vicesimo quinto sanctiori Reginæ *Elizabethæ* Concilio, necnon Magnatibus reliquis & Generosis, (haud pauciores enim LX. vocati ad prandium comparent) Epulæ quam lautissimæ apud *Mertonenses*[a] instituuntur, quibus apparatu splendidissimo in Refectorio publico exceptis, visum est dapes quoque literatas percipere, tanquam si absque Cupediis philosophicis absolutum omnibus numeris non esset convivium. Disputabant autem Sociorum aliqui super quæstione illâ

An dissensiones Civium sint utiles Reipublicæ?

Respondentis personam sustinebat Magister *Henricus Cuffe*, Linguæ Græcæ Professor publicus; opponentibus Magistro *Thomâ French*, Magistro *Richardo Trafford*, Mag. *Henrico Wilkynson*, & Mag. *Henr. Mason*; Moderatoris vero munia obeunte Mag. *Tho. Savile*, Procuratorum Academicorum altero. Finitis non sine maximâ dictorum Virorum laude, atque adeo ipsius Sodalitii gloriâ ingenti, Disputationibus, ad cameram Magistri *Gaspari Colmer* profecti sunt Consiliarii Regii, cum Regis *Gallicani* Legato de arduis Regni negotiis deliberaturi. Diei proximi gesta prætermitto; vicesimo autem septimo præfati Mensis, tempore matutino, Optimates haud pauci aliique potioris notæ Aulici Magisterio donantur, à meridie vero Legatus mox ante dictus (cui nomen Dominus *Beuvoys* la *Noude*) eodem Gradu ornatur; atque inde velitationes Theologicæ in Ecclesiâ Divæ *Mariæ* coram *Elizabethâ* celebrantur, quibus finem eleganti & copiosâ Oratione imposuit Doctor *Westphaling*, Episcopus *Herefordiensis*; qui quæstionem, *An liceat in rebus divinis dissimulare*, erudite admodum & secundum veræ pietatis normam dilucidavit, licere quidem viro Christiano perhibens veritatem evangelicam silentio nonnunquam premere, minime vero eandem deserere, aut contrarii quippiam profiteri. Qui Opponentis partes sustinuit, sic argumentabatur. *Licet de rebus divinis disputare, ergo licet dissimulare.* Porro disputatione procedente sic rem confecit; *Id quod nunc ago, de rebus divinis disputans, est dissimulare; sed quod nunc ago, de rebus divinis disputans, est licitum, ergo dissimulare est licitum.* Quod argumentum ad captum aulicum compositum, non leviter illis placuisse dicitur. Orationem autem illam Præsulis *Herefordiensis* quod attinet, prolixior aliquanto videbatur, quam neque resecavit, bis licet Reginæ (quoniam & ipsa ad Academicos perorare eodem tempore decreverat) jussu admonitus; à quo statim contumaciæ suspicionem amoliri nitebantur Aulici quidam, *Elizabethæ* significantes, si contrahere sermonem laboraret turbandam adeo iri Præsulis memoriam ut sensus verbis haudquaquam constaret.

Distulit vero in proximum diem Orationem suam Regina; tunc enim accersitis Ædium Præfectis aliisq; nonnullis eosdem latino Idiomate compellavit, maxime autem Doctorem *Johannem Rainolds*, in *Catharorum* partes, quod omnibus innotuit, aperte declinantem, ob curiosam nimis & meticulosam circa Cultum divinum conscientiam corripuit, quem & monitorum dein istorum immemorem ad Curiam *Hamptonensem* verbis acerbius castigavit. His vero peractis, Orationem quam prædixi auspicata est *Elizabetha*, cùmque in *Cecyllum* Baronem de **Burleigh**, supremum *Angliæ* Thesaurarium, annis jam gravem, pedibusque vietis stantem, oculos forte conjiceret, substitit repente, & sedile viro accommodari jussit, animoque quam maxime præsenti suscepto deinceps munere fungebatur. Eâ postmodo de re verba cum Reginâ faciens Aulicorum aliquis,

[a] *Reg.* 2. *Coll.* Mert. *p.* 158.

gratiâque quâ apud ipsam pollebat fretus, id eam feciſſe aſſerebat, ut oſtenderet ſermonem ſe pro libitu abrumpere poſſe, quod tamen pridie aggredi non auſus eſſet Epiſcopus. Ne vero literatæ principis monumentum memoriâ apud poſteros digniſſimum pereat, En tibi Orationem [a] ipſam, nullibi, quod ſciam, hucuſque propalatam:

Merita & gratitudo ſic meam rationem captivam duxerunt, ut facere cogant quæ ratio ipſa negat: Curæ enim regnorum tam magnum pondus habent, ut potius ingenium obtundere, quam memoriam acuere ſoleant. Addatur etiam hujus linguæ deſuetudo, quæ talis & tam diuturna fuit, ut in triginta ſex annis, credo vix trigeſies me uſam fuiſſe meminerim. Sed fracta nunc eſt glacies; aut inhærere, aut evadere oportet. Merita veſtra, non ſunt laudes eximiæ & inſignes, ſed immerita mea: non doctrinarum in multis generibm exercitia, quæ declaraſſe vos cum laude ſentio: non Orationes multis & variis modis eruditè & inſigniter expreſſæ: ſed aliud quiddam eſt multò pretioſius atque præſtantius, amor ſcilicet veſter, qualis nec unquam auribus, nec ſcripto nec memoriâ hominum notus fuit: cujus exemplo parentes carent, nec inter familiares cadit: immo nec inter amantes, in quorum ſortem non ſemper fides incidit, experientia ipſa docente, qualem nec perſuaſiones, nec minæ, nec execrationes delere potuerunt; imo in quem tempus poteſtatem non habet quod ferrum conſumit; quod ſcopulos minuit id ipſum ſeparare non potuit. Iſta ſunt ejuſmodi, quæ æterna futura putarem, ſi & ego æterna eſſem. Ob quæ ſi mille pro una linguas haberem, gratias debitas exprimere non valerem: tantum animus concipere poteſt, quæ exprimere nequit. In cujus gratitudinem ab initio regni mei, ſumma & præcipua mea ſolicitudo, cura & vigilia fuit; ut Reſpublica tam externis inimicis, quam internis tumultibus immunis ſervaretur, ut quod diu & multis ſæculis floruiſſet, ſub meis manibus non debilitaretur.

Poſt enim animæ meæ tutelam in hoc ſolo meam perpetuam ſolicitudinem collocavi, quod ſi pro totius ſalute tam ſemper fuerim vigilans, cum & ipſa Academia pars ejus non minima putetur: quomodo non & in illam extenditur iſta cautio, pro qua tanta diligentia uſura ſemper ſum, ut nullo ſtimulo opus ſit ad eam excitandam, quæ ex ſeipſa prompta eſt ad promovendam, ſervandam, & decorandam, illam. Nunc quod ad concilium attinet, tale accipite, quod ſi ſequamini haud dubito quin erit in Dei gloriam, Veſtram utilitatem, & meum ſingulare gaudium. Ut diuturna ſit hæc Academia, habeatur imprimis cura ut Deus colatur, non more omnium opinionum, non ſecundum ingenia nimis inquieta & exquiſita: ſed ut lex divina jubet & noſtra præcipit, non enim talem principem habetis, quæ vobis quicquam præcipiat quod contra conſcientiam vere chriſtianam eſſe deberet. Scitote me prius morituram quam tale aliquid acturam, aut quicquam juſſuram quod in ſacris literis vetatur. Si cum corporum veſtrorum ſemper curam ſuſcepi: deſeramne animarum? Vetet Deus. Animarum ego curam negligam, pro quarum neglectu anima mea judicabitur? longè abſit. Moneo ergo ut non præeatis leges ſed ſequamini, nec diſputetis num meliora poſſint præſcribi, ſed obſervetis quæ lex divina jubet, & noſtra cogit. Deinde memineritis ut unuſquiſque in gradu ſuo ſuperiori obediat, non præſcribendo quæ eſſe deberent, ſed ſequendo quod Præſcriptum eſt: hoc cogitantes: quod ſi ſuperiores agere cæperint quæ non decet, alium ſuperiorem habebunt à quo regantur, qui illos punire & debeat & velit. Poſtremo ut ſitis unanimes: cum intelligatis unita robuſtiora, ſeparata infirmiora, & citò in ruinam caſura.

His ita prolatis, colloquia cum Doctoribus aliquandiu miſcebat, ac diſceſſum poſtea adornabat *Elizabetha*; à meridie enim *Oxonio* receſſit, dumque per Urbem iter faceret Beatæ *Virginis*, & Collegiorum *Univerſitatis* & *Magdalenenſis* parietes poeticis Academicorum lucubrationibus onuſtos conſpiciens, indiciis tum aliis, tum nutu præſertim perbenigno & frequenti teſtabatur quanti faceret Togatorum, precibus eam & lachrymis proſequentium, amorem & obſervantiam. Ad collem dein *Shotoverenſem*, extremos utique ditionis Academicæ limites, à Doctoribus & Magiſtris qui adventantem exceperant deducta eſt; ibi autem oratione, ut fit, valedictoriâ tantiſper detenta, officia noſtra gratiis innumeris ac regiæ denique dextræ oſculo abunde penſavit; oculiſque in Urbem poſtremo conjectis, his verbis utebatur, *Vale*, *Vale chariſſima* Oxonia, *Deus tibi benedicat*, *filioſque tuos numero*, *ſanctimoniâ & Virtute adaugeat*. Hinc vero iter ſtatim *Ricotam* carpebat.

CIↃDXCIII.

Hoc anno Academiam noſtram inviſit Heros illuſtris *Johannes* de la *Frì*, Eques, hypotoparcha *Charnotenſis*, à Rege *Gallorum* Legatione in Angliam miſſus, quem una cum *Nicolao Ruffo*, S. *Aubini* Domino, & *Lodovico* Barone *D'orbee* ſplendide admodum tractavimus; diſputationibus porro Theologicis (quas in Scholâ facultati illi dicatâ celebrandas curabant Univerſitatis Primores) excepto, necnon Gradu deinceps Magiſtrali [b] decorato.

Hunc eundem annum *Athenis* noſtris iniquum reddidit Peſtis truculenta, quæ tantâ nobiſcum rabie graſſabatur, ut Senatui Academico opus videretur Termini S. *Michaelis* initium ad Feſtum uſque *Omnium Sanctorum* [c] prorogare, concionibus interim & exercitiis quibuſcunque ſeu Actibus Scholaſticis ceſſare juſſis; utque ulterius etiam differantur ſancito, niſi ante præfatum diem reſtingui penitus teterrimam luem, vel miteſcere ſaltem contingeret. Morbum illum immenſis nonnulli diluviis tribuerunt, cæterum ubi in exundantem potius hominum frequentiam, ex ludorum ſcenicorum aliorumque deſiderio *Oxoniam* Comitiorum tempore confluentem, rejiciendus comparuit, eamque ob rem apud Cancellarium & Conſiliarios regios depoſitæ ſunt querelæ, emanârunt illico (hoc eſt exeunte *Julio*) ab iiſdem ad Vicecancellarium & Sodalitiorum Præfectos [d] literæ ne Hiſtriones deinceps in Academiam admitterentur præcipientes; ne ſcilicet (prout ibidem legas) togatorum non modo corpora ſed & animi inficerentur, & Academia juventuti *Anglicanæ* ad pietatem æque ac bonas literas erudiendæ deſtinata in conſceleratorum abiret proſeminium. Ludis vero ſcenicis reclamaſſe imprimis *Rainoldſium* conſtat, qui eoſdem non Concionibus modo & colloquiis quotidianis verum & Libro ſub hæc edito impugnavit (refellere eundem poſt paulo nitebatur

[a] *In Reg. Coll.* Mert. *p.* 160. [b] *Reg. L. ut ſupr.* 262. *b.* [c] *Ibid.* 263. *a.* [d] *Ibid.* 262. *a.*

Doctor

Doctor *Gager*) Scholares autem personas induentes præcipue damnavit, & Alumnorum speciatim Ædis *Christi*, Histrioniam toties regnante *Elizabethâ* exercentium, facta improbavit.

CIↃDXCIV.

Quæcunque *Hattoni* pridem industriam effugerant morum ac disciplinæ togatæ corruptelæ, easdem sub hæc delere satagebat *Buckhurstius*; qui Virum nempe illum in Cancellariatu excepit, omnique studio, instantibus Reginâ & Consiliariorum nonnullis, operam dedit, ut res nostras in meliorem formam redigeret. Is Academiæ imprimis Rectoribus, [a] mandavit:

I. Ut Jesuitas Seminarios, quos vocant, & Pontificios qui Recusantes audiebant explorarent, ac Universitatis finibus exterminarent.

II. Ut operam darent & prospicerent ne Religionis *Romanæ* vel suspecto alicui in disciplinam crederentur Adolescentes. Quæ quidem injuncta prius deprehendo, executioni licet haud ita sedulo tradita.

III. Ut Prælectiones ex Majorum institutis, vel etiam prout rei Literariæ interesset, haberentur.

IV. Necui male feriato integrum esset in Academiâ commorari, qui aut suis vicibus Respondere, aut Facultatis suæ Prælectiones frequentare abnueret.

V. Ut Habitus cuilibet Gradui competentes in usum revocarentur, quo nimirum à se invicem internosci possent Academici; quâ ex parte magnâ sub id infamiâ flagravimus; quolibet pene pro animi sui libidine quem vellet maxime vestitum induente.

VI. Ut luxus denique in habitu reprimeretur; quam in rem plura jam olim, irrito licet conatu, prodierant mandata.

Hæc inquam literarum à Cancellario transmissarum summa erat; integrum vero negotium Collegiorum ac Aularum Præfectis committum est, adeoque junctis operis procuratum ut de præmissis nulla deinceps querela suboriretur. Porro bonis moribus & reformatâ pietate (nisi quod nonnulli ad *Puritanismum* vergerent) instructiores evaserunt indies Academici, plurimique magna cum laude per hæc tempora in literis floruerunt.

CIↃDXCV.

Hoc anno memoratu dignum occurrit, quod *Georgius* quidam à *Missenbuck*, Legationem ab *Hassiæ* Lantgravio ad *Elizabetham* obiens, *Oxoniam* pervenit, literasque in sui gratiam ab *Essexiæ* Comite conscriptas tradens, consolitis obsequii & honoris indiciis, Muneribus nempe vel exercitiis philosophicis (vel fortean, quod infrequens non erat, utrisque) exceptus est, & Gradu deinceps magistrali [b] donatus; quod idem de Comite etiam de **Solmes** [c] referendum, qui literas quoque commendatitias à præfato Comite gloriæ Academicæ studiosissimo, attulit.

Hic porro inferendum censeo, antiquum illum ad Crucem *Paulinam* concionandi morem omissum ab *Oxoniensibus* advertisse [d] Cancellarium & Episcopum [e] *Londinensem*, ac propterea efflagitasse ut Viros quosdam, eâ reliquis facultate præstantes, nominaret Universitas, qui diebus nonnullis iisdem assignandis evangelium ibidem annuntiarent. Operam nos, ut par erat, polliciti sumus, fidemque suam per literas [f] obstrinxit *Thomas Martin* (Ædes ille **Scrope-house** seu **Scrope-place**, è regione Ecclesiæ S. *Andreæ* incolebat) de munus illud obeuntibus hospitio, quoad *Londini* agerent, excipiendis.

CIↃDXCVI.

Aliquanto post emendata plurimum est exercitiorum à Juristis ac Medicinæ studiosis (maxime vero novissime dictis, priusquam ad Praxin essent licentiandi) præstandorum methodus. Eadem quasi tempestate coemptæ [g] sunt Tabulæ trinæ, in quibus utique Statuta sub hæc atque pridem, continendis in officio junioribus procusa, describerentur, publico aliquo in loco omnium oculis subjecta; nequis nimirum ignoraret quid sibi faciendum, quidve fugiendum incumberet. Quamvis autem ad absolutum perfectumque Academiæ Regimen nonnulla etiamnum deessent, ita se tamen in plerisque gerebant Togati prout cordatiores Musarum Cultores oportebat, unde florere mirum in modum Artes ingenuæ, Pietasque & boni mores invalescere cœperunt.

Hoc etiam anno, Mense autem *Januario*, literæ [h] Prætoris & Municipii *Londinensis*, necnon Confratriæ Mercatorum, quos Mercerios nuncupamus, ad nos delatæ sunt, ut Viros idoneos transmitteremus efflagitantes, qui ad Collegium ex D. *Thomæ Greshami*, Militis, testamento institutum, & à Conjugis ejus morte auspicandum, Professorum in qualibet Facultate muniis fungerentur. Ex mandatis viri supremis Prætori & Municipio Professores Theologicum, Astronomicum, Geometricum, & Musicum eligendi jus competebat; Merceriis permisso ut Juris, Medicinæ, & Rhetoricæ Prælectores cooptarent. Perceptis vero, quas prædixi, literis, Academicorum Artis cujusque & Scientiæ peritiâ reliquis præstantium delectum [i] egimus, è quibus ad se amandatis nonnullos seligebant *Londinenses*, annuo quinquaginta librorum stipendio cuivis assignato; illi autem, cum *Cantabrigiensibus* quibusdam, Mense *Junio* sequentis anni prælegere diebus præstitutis exorsi sunt; quos quidem referendos nominatim duco, utpote Provinciam illam primitus procurantes. Sic vero se habent;

Theologiam aperiebat

Antonius Wotton è Collegio *Regio* Cantabrigiensi;

Medicinam

Doctor *Matth. Gwynne* è Collegio Divi *Johannis* Oxon.

Jus Civile

Henricus Mountlow.

Musicam

Doctor *Johannes Bull*, *Cantabrigiensis*, in ejusdem vero Facultatis Graduisque Album nobiscum re-

[a] *Ib.* 272. *a.* & *b.* [b] *Reg. Ma. fol.* 14. *b.* [c] *Comp. Vicecanc.* [d] *Ibid. in Ma. fol.* 10. *a.* [e] *Ib.* [f] *Ibid fol.* 7. *a.* [g] *Ib.* 8. *b.* [h] *Ib.* 21. *a.* [i] *Ib.* 22. *b.*

latus; vir illâ in arte exercitatiſſimus, eoque nomine tam ab *Elizabethâ* quam Regibus & Principibus peregrinis (exteras enim Gentes perluſtravit) in pretio habitus. Effigiem ejus depictam tibi exhibet Tabella in Scholâ noſtrâ Muſicæ ſuſpenſa.

Aſtronomiam

Edoardus Brerewood, è Collegio pridem *Æneanaſenſi* Oxon.

Geometriam

Henricus Briggs, *Cantabrigienſis*, poſtmodo autem ejuſdem Facultatis Profeſſor *Oxonienſis*.

Rhetoricam

Caleb Willis, A. M. ex Æde *Chriſti* Oxon.

CIↃDXCVII.

Hunc annum nobilitarunt Munificentiæ, bonis Artibus ſaluberrimæ primordia; cujus ſi Authorem & incrementa ſpectes, fructumque immenſum rei inde literariæ provenientem, neque illuſtriſſimi Patroni conſiliis imparem, perpendas, pronus fatebere Lector, Opus adeo ſplendidum nec ab alio ſuſcipi, nec ad tantam alibi amplitudinem excreſcere tam ſubito potuiſſe. Cæterum ut rem ipſam paucis attingam, impeditos egregie, ob Biblophylacii publici defectum, eruditionis progreſſus advertens *Thomas Bodleius* Armiger (ad locum dein Equeſtrem à Sereniſſimo *Jacobo* evectus eſt) reficiendum priſtinoque ſplendori ac uſui reddendum cogitavit, quod á Duce *Gloceſtrenſi* aliiſque Mecœnatibus fundatum ac Libris inſtructum, á maleficis autem nonnullis ſub reformatæ Religionis initia ſpoliatum fuerat. Id ubi in animo conceperat, deſtinatam Beneficentiam Academicis primo quoque tempore patefaciendam exiſtimavit; quapropter [a] literas ad Doctorem *Ravis*, Vicecancellarium poſt paulo dedit, quas tanquam divini quiddam continentes (nil enim prohibet quo minus rerum cum laude geſtarum æque ac principum natales & incunabula ſacrâ quadam veneratione proſequamur) ſubtexendas arbitror.

Domine

„ Tametſi tibi nondum ut opinor innotui, ſcru-
„pulum tamen id mihi haudquaquam injecerit, quo
„minus opem tuam in re Academiæ veſtræ commodis
„plurimum conductură efflagitem. Id ego ſemper con-
„ſtitui inque animo decrevi, ſi mihi unquam facultatem largiretur Deus optimus maximus quicquam
„quod poſteris eſſet profuturum conficiendi, amorem ac ſtudium quo bonas perpetim literas amplexus
„ſum indiciis nonnullis teſtatiſſimum facere. Res
„ſane mihi anguſtior obtigit quam ut propenſiori
„animi mei voluntati reſpondeat munificentia, eandem tamen quibus poſſum argumentis hunc in modum teſtificari conſtituo. Bibliothecam publicam
„*Oxonii* olim extitiſſe tam locus ipſe quam Annales
„veſtri & Statuta ſatis declarant; id ego Ædificii
„in veterem formam propriis impenſis redigam, priſtinoque uſui reſtituam, Scamnis Pluteiſque & re-
„liquâ ſupellectile adornandum curans, unde ſcilicet
„ad idem Libris quoque inſtruendum alii impellantur.
„Atque hæc ſane quamprimum parari poterit Mate-
„ries efficere decrevi, quo propoſiti mei fructum alique propediem percipiatis. Quoniam vero ex
„Benefactorum multorum pietate Libris tantum in-
„ſtructa erat Bibliotheca, Reditibus vero certis ac
„annuis carebat, atque inde factum denique eſt ut
„Codicum aliis vetuſtate corruptis, aliis autem direptis, ipſum quoque Inſtitutum evaneſceret; quo
„tantum deinceps malum præcaveatur, Cenſum (ſi
„Deus dederit) annuum ac perpetuum vobis conſi-
„gnabo, in Libris coemendis, Officiariorum ſalariis
„uſibuſque aliis neceſſariis erogandum; quod ſi cura
„porro in Codicibus & reliquo apparatu ab injuriis
„conſolitis tuendo adhibeatur, ſeculis forte venturis
„Gazophylacium innumeris Voluminibus inſtructum
„comparebit, id quod ſtudioſis emolumento ac le-
„vamini, ipſi autem Univerſitati ſummo futurum eſt
„ornamento. A te itaque peto ut, (quoniam nihil ag-
„grediar niſi quod iidem comprobârint) ſententiam
„hanc meam togatis prout tibi conſultiſſimum vide-
„bitur patefacias, quamprimum enim admiſſam intellexero, quæ ſum pollicitus quantâ poſſum celerita-
„te præſtabo; quibus tamen commode magis exequendis, ſcire velim an ex licentiâ de *manu mortua*
„aut aliâ quavis ratione, factam ſibi habet poteſtatem
„Univerſitas Proventus aut Poſſeſſiones ulteriores
„adeundi; quod ſi Inſtrumentum aliquod veteris ali-
„cujus Donationis Bibliothecæ factæ Academicis ſu-
„pereſt, cum bonâ eorum veniâ ejuſdem Apogra-
„phum videre expeto, uti & Statutorum, ſiqua ſunt
„à Fundatoribus aliiſve de Librorum uſu conditorum
„exemplaria. Atque hæc ea ſunt quæ mihi in præ-
„ſentia occurrunt, ad quæ ut quamprimum tibi vacabit reſpondeas obſecro, & ſi penes me unquam fuerit
„parem rependere gratiam, ad id præſtandum para-
„tiſſimum invenies, tibi licet adhuc ignotum. *Lond.* XXIII. *Febr.* an. dom. CIↃDXCVII.

Amicitiæ tuæ ſtudioſiſſ.
Thom. Bodley.

Hunc in modum Vir illuſtriſſimus; cujus literas in Convocatione palam recitandas curavit Vicecancellarius, magnâ lætitiâ geſtientibus Academicis, unoque omnium conſenſu ordinato ut quæ petiverat *Bodleius* ſine morâ aliquâ concederentur; ad quem aliquanto poſt tranſmiſſam reperio Epiſtolam æternam tantæ Benevolentiæ memoriam ſpondentem.

CIↃDXCIX.

Hoc anno *Caſparus* quidam *Thomannus*, è Paſtoribus Scholæ *Tigurinæ* (cujus Avus paternus Conſulatum in Urbe *Tigurinâ* magnâ cum laude geſſerat) *Oxoniam* pervenit, & (quod Paſtores, Profeſſores & Miniſtri Eccleſiæ & Scholæ *Tigurinæ*, quorum literas [b] ſecum commendatitias attulerat efflagitârant) imperatis collegiatim ſymbolis annos aliquot ad ſtudia enutritur; quam ob rem tranſmiſſas poſt paulo à *Rodolpho Hoſpiniano*, præcipuo Scholæ *Tigurinæ* Moderatore, gratias deprehendo. Cæterum id nobis haud ita profuit, aut Eccleſiæ *Anglicanæ* in fructum ceſſit, cum *Thomannus* iſte *Genevæ* potiſſimum Diſciplinis imbutus, atque Peregrinos alios, *Oxoniæ* illâ (ut olim) tempeſtate hoſpitatos, ſecutus, variis Academiam erroribus, *Calviniſmum* præcipue olentibus, & à fide noſtra diſcrepantibus, coinquinârit; inter calamitatum proinde quas vix hodie ſumus eluctati Authores numerandus.

[a] *Ib. in Ma. fol.* 31. *a.* [b] *Ib. in Ma. fol.* 41. *b.*

Huic

Huic etiam anno inſcribitur *Johannis* illius *Caſe*, Philoſophi quidem cum primis recenſendi, mors, cui pii juxta omnes ac eruditi lachrymis parentabant. Natus is eſt *Wodſtochiæ* in Agro *Oxonienſi*, atque ibi primis literarum elementis imbutus Collegii *Novi*, ac poſtmodo Ædis *Chriſti*, puer ſymphoniacus evaſit, unde à *Johannenſibus* in Socium aſſumptus paucorum annorum intervallo haud vulgarem ſui admirationem diſputandi acumine excitavit. Ad *Romanenſes* dein propendens Collegio exceſſit, ductâque uxore, & impetratâ eam in rem ab Academiâ poteſtate, Diſcipulos ſibi comparavit, quos ſuis in Ædibus, infra Parochiam *Magdalenenſem* ſitis, ad bonas Artes tam ſedulo erudivit, ut, Scholâ ejus Diſputationibus aliiſque exercitiis, Sodalitiorum noſtrorum ad inſtar, fervente, Doctos perplures in publicum emiſerit. Diſcipulorum vero ſuorum in uſum haud pauca conſcripſit, quæ typis deinceps mandavit, viz. Commentarios in *Ariſtotelis* Organon, necnon Phyſicorum & moralis Philoſophiæ libros. Medicinam haud modice calluit, magnamque inde famam ſibi peperit, cujus tum Praxi, tum juvenum inſtitutione, vim pecuniæ non mediocrem collegit, cujus maximam partem in piis uſibus collocavit; quippe (ut alia liberaliſſimi animi ſpecimina prætermittam) & nummos Collegio *Novo* nonnullos detulit, & quadraginta librarum ſummam *Wodſtochienſibus* dedit, quatuor tenuioris fortunæ artificibus mutuo accommodandam, præter libras viginti Municipio *Oxonienſi* donatas, Civibuſq; binis pauperibus, commercia facientibus, eadem ratione permittendas: libras autem quinque Parochiæ *Magdalenenſi* (quibus ſandapilæ integumentum coemeretur) collatas, libraſque totidem reficiendo apud *Wodſtochienſes* Pauperum Hoſpitio (Hoſpitale vulgo nuncupamus) conſignatas, cum donis aliis levioribus, non attinet referre. Neque de viro illo amplius addam, quam pietati & literarum ſtudio deditum, laboris vero patientiſſimum fuiſſe, conſuetudine etiam quotidianâ, non ſine facetiis jucundâ & urbanâ (quibus acceſſit Corporis quoque decor & gratia non contemnenda) familiariter ſecum congredientes quam maxime ſibi devinxiſſe. Diem obiit temperantioris zeli vir, qui ſua frui conſcientiâ, quam in aliorum graſſari maluit: inque Collegii S. *Johannis* Capellâ ſepultus eſt, ubi & Epitaphium ejus conſpicere licet.

CIↃDC.

Contigit hoc anno inter Doctorem *Thornton*, Vicecancellarium, & Procuratores Academicos (maxime vero ſeniorem, Magiſtrum *Osborne* appellatum) de poteſtate quam adverſus Baccalaureos Determinantes exercerent illi, diſſidium acerrimum; cujus tamen ipſiſſima origo, primaque incrementa haud adeo luculenter patent. Cæterum hæc ſcriptis mandata ſunt, eo demum exarſiſſe lites illas, ut cum terminandis exercitiis quadrageſimalibus Orationem de more in Beatæ *Virginis* Cancello haberet Dominus *Lloyd*, Collectorum ſenior, officii debitæque tanto Magiſtratui reverentiæ immemor, famam Vicecancellarii verbis contumelioſis [a] violare non reformidârit; quam ob rem ille, probatis reliquorum Baccalaureorum exercitiis, utriuſque Collectoris Diſputationes pro formâ minimè ceſſuras pronuntiavit, & in proximum uſque Terminum veniam illis facere diſtulit.

Quod diſſenſionem vero ipſam attinet, eas Academiæ turbas dedit, ut neceſſe fuerit ad Cancellarium Viroſque aliquot ab *Elizabethâ* nominatos pacandam deferre; quæ tamen conſopita potius videbatur quam è medio penitus ſublata, tranſmiſſa enim quaſi ad poſteros eſſet, inter eundem Vicecancellarium proximique anni Procuratores denuo recrudeſcebat, dum ille poſthabito prorſus eorum jure, ſpretâque Statutorum publicorum authoritate, omnem ſibi in Comitiis poteſtatem [b] arrogaret. Id illi, ut par erat, inique ferentes, Congregationem quam nigram vocamus, inconſulto Vicecancellario, indixerunt, & convenientibus ibidem potioris notæ Academicis compluribus, criminum quorum coarguendus erat Vicecancellarius Capita præcipua deſcripſere, ipſique dein Cancellario tranſmiſerunt. Ut paucis expediam, hæ juxta aliæque, in accepti expenſique rationibus utrinque ſubducendis coortæ, lites ita demum terminatæ ſunt, ut victoriam pars neutra reportârit, digladiantium quolibet propter obvia delicta, maxime vero ob turbatam Univerſitatis pacem aſpere increpito, verbiſque caſtigato. Ejuſmodi vero diſſidia Statutorum noſtrorum repugnantiæ & antinomiis rectiſſime tribuerim, de quibus eâ frequenter tempeſtate conqueſti ſumus; unde Delegatis quibuſdam (quorum de numero erant Magiſter *Tho. Allen*, ex Aulâ *Gloceſtrenſi*, & Mag. *Tho. James*, è Collegio *Novo*) emendandæ [c] traduntur leges Academicæ, quæ quidem in meliorem tum, neque tamen perfectam, redactæ ſunt formam, ſiquidem (quod in anno dom. CIↃDCXXXIII. referendum) eâ poſtmodo in re, Sereniſſimi *Caroli I.* auſpiciis, felicius deſudatum.

CIↃDCII.

Turbas prædictas graviores quædam, & momenti longe majoris, hoc anno [d] exceperunt; à *Catharis* nimirum & *Calviniſmi* Studioſis, quibus utique ſcatebat ſub hæc Academia, concitatæ; qui & Eccleſiæ Diſciplinam rituſque integerrimos omni operâ convellebant, & Doctorem *Howſon*, Vicecancellarium, alioſque Academiæ Primores, ſermone obtrectationis pleno impetebant. Hi præſertim erant *Johannes Sprynt*, Artium Magiſter, ex Ædc *Chriſti*; *Henricus Airay*, S. Theologiæ Profeſſor, & *Robertus Troutbeck*, è Collegio *Reginenſi* uterque; de quibus aliiſque nonnullis, criminum rationem in Eccleſiâ Divæ *Mariæ* reddere detrectantibus, querelæ primo apud Cancellarium, dein vero apud ipſam Reginam ſanctiuſque ejus Concilium deponuntur, unde negotium omne ad Delegatos circa res Eccleſiaſticas regios remiſſum eſt, qui quæſtione habitâ, & argumentis utrinque eventilatis decrevere, ut eorum quæ temere effutierant præfati palinodiam in Senatu Academico ſolennem canerent. Id à *Spryntio*, partium nempe Coryphæo, imprimis præſtitum eſt; habitâ poſtmodo *Troutbeckii* retractatione, qui ejuſdem doctrinam tutatus fuerat, & pro virili ſuâ parte argumentis corroborarat. Ad Doctorem *Airay* (quem Concionem obeuntem perſtrinxiſſe obiter Vicecancellarium in anno CIↃDLXXXIV. commemoravimus) quod ſpectat, amicorum ope & interceſſione pœnas evaſit; reliquos autem objurgatos graviter, & ne dogmata ſua proſeminarent, verum pacifice ſe gererent, & Superioribus obtemperarent admonitos dimiſere Delegati. *Sprintius* vero

[a] *Ibid. in Ma.* 42. *a.* [b] *Ibid.* 45. *a.* 65. *b.* [c] *Ibid.* 35. *b. &c.* [d] *Ib.* 71. *a. & b.* 72. *a.*

ad *Thornburiam* in Agro *Gloceſtrenſi* verbi dein Miniſter extitit, & mutatâ mirum in modum ſententiâ, Librum de conformandis in re divinâ moribus conſcripſit.

At vero tametſi dogmata hunc in modum ſua revocarant ſeditioſi, animos tamen inde, quod fit, ſumpſerunt *Cathari* imperitiores, tanquam vi potius quam argumentis agendum nobis agnoſceremus. Et revera vix ulla demum arte domandos ſenſimus *Calvini* Sectatores, quos dubio procul nobiſcum progenuerunt Reformatorum primorum nonnulli, ob fidem regnante *Mariâ* in *Germaniâ* potiſſimum exulantes, & quos numero haud modice auctos conſtat dum Vicecancellarius eſſet *Humphredus*, iiſdem addictiſſimus. His inquam Academiam fruſtra liberare nitebantur ejuſdem Rectores, verum (quod Sereniſſimi *Caroli I.* tempora in omne ævum nobilitabit) ſponte tandem, vel potius ſupremi numinis juſſu, deſæviit apud nos morbi vis, cui à Medicis prudentiſſimis irrito toties conatu adhibita ſunt remedia.

CIↃDCIII.

Ad ſuperos jam conceſſerat *Elizabetha* Regina, (quam Benefactorum ſtatim albo inſcribendam ſuffragiis communibus decreverunt Academici) Sceptroque *Anglicano* potitus fuerat *Jacobus*, cum funeſta *Londini* Peſtis exarſit, quæ longe late poſt paulo evulgata *Oxonium* menſe *Julio* occupavit, viruſque tam propere (accedente nefario aliquorum commodi ſui ſtudio, publici autem neglectu) undique diffudit, ut Terminus S. *Michaelis* in ſecundum *Novembris*, ac deinde (ob graſſantem adhuc morbum) in primum, atque poſtea in quintum *Decembris* [a] rejiceretur; quo die indictâ Congregatione Magiſtrorum pauciſſimi comparebant, neque enim ante *Februarium* ſequentem truculenta ceſſavit Lues. Miſerrima quidem illâ tempeſtate erat rerum *Oxonienſium* facies, dum nil aliud quam gemitus, lachrymæ & ejulatus prodeuntium Auribus Oculiſque obverſaretur; Oppidanorum pleriſque ad imam egeſtatem detruſis, immo victu tandem quæque ad tolerandas calamitoſæ vitæ reliquias neceſſaria eſſent carentibus, abſumptâ quam ab Academicis XVI. *Septembrus* (quo die Sodalitia ſua diſſolverant) [b] impetrarant pecuniâ eleemoſynariâ. Fugâ quidem ſaluti ſuæ proſpexerat opulentior quiſque, reliqui autem peſtis quodammodo obliti, & cum truculentiori jam hoſte (famem volo) congreſſi, ad Seditionem quotidie ſpectabant, reſiduo Togatorum manipulo necem interminati niſi panem pereuntibus ſuppeditarent. Præcluſæ perpetim erant Collegiorum & Aularum Portæ, paucis admodum quibus eorundem cuſtodia commiſſa erat ibidem manentibus: clauſæ porro ubique erant Officinarum fores & pergulæ, Animante nullo, nedum Cane aut Feli, præter ægrotorum Cuſtodes ac Veſpillones, in publicum prodeunte; adeo ut Plateæ paſſim immo Forum ipſum gramine obtegeretur. Sepeliendis tantum patebant Eccleſiæ; Deum tamen precibus quotidie in Sacellis ſuis ſollicitabant Scholares, & ſupplicationibus aſſiduis urgebant, ut iræ tandem ſuæ morbique teterrimi æſtum reſtingueret; quod quidem Menſe, ut præfatum, *Februario* indultum, licet funeſta lues reverſis Academicorum bene multis ſequente *Aprili* denuo proruperit; cujus tamen rabiem, poſt miſericordiam divinam, repreſſit ſedula magis quam antea Magiſtratuum induſtria. Sed neque prætermittendum quod anno CIↃDCV. poſt diſceſſum nempe regium, concaluere iterum latentis morbi cineres; qui eo ſane exarſit ut infectorum alii ad Noſocomium & tuguriola in Prato **Portmede** vocato, alii autem ad Caſulas in vico, prope Collem *Heddingtonenſem* jacenti, & **Cheney lane** dicto, extructas amandarentur.

Sub hæc vero manavit ubique rumor, exterminium ex *Anglià* paſſurum jus Civile, qui cùm haud incertis Authoribus ſpargeretur (ſiquidem in eodem eliminando ſatagebant melioris notæ Viri nonnulli) ejuſdem Profeſſores & Candidatos ſolicitos quam maxime habuit; adeo ut qui cum Medicis Artiumque Magiſtris de dignitate pridem & Præceſſione digladiati fuerant, in Facultate ſuâ ab interitu tutandâ operam jam omnem ponerent. Hi autem clamoribus & querelis quotidianis Academiam interpellabant, ut ſalutis ſuæ rationem aliquam haberet effigitantes; quare VI. *Martii* coacto frequenti Togatorum Senatu, [c] Orationem habuit Vicecancellarius, quâ Doctoribus & Magiſtris ſignificavit, *Academiæ hujus quatuor eſſe capita ſive Ornamenta* (ut ipſiſſimis ejus verbis utar) *ſuper quæ tanquam firmiſſima fundamenta ipſe Univerſitatis ſtatus collocatur, viz. Studia Theologiæ, Juriſprudentiæ, Medicinæ & humanarum Artium, quorum uno demto neceſſario ſequitur totius ædificii ruina*, &c. Enarravit [d] deinceps Doctor *Henricus Martin*, è Collegio *Novo*, quantum inde detrimenti acciperet Reſpublica ſi Facultas ea funditus everteretur: quapropter uno omnium conſenſu ordinatum eſt, ut Cancellarii, Comitiſque *Devonienſis* (apud Regem ille gratiâ jam plurimum valuit) opem eâ in re implorarent Academia, quam neque ſpes fefellit, nam delatis ad Procerem utrumque per Primores quoſdam noſtros literis, evanuere prorſus & ad nihilum reciderunt pernicioſa malevolorum conſilia; immo refocillata ſtatim ſunt Juriſtarum ſtudia, quod ex unico illo eorundem incitamento, *Jacobi* nimirum Indulto, ſatis liquet; cum poteſtas enim nobis perinde & *Cantabrigienſibus* per literas *Jacobi* patentes, magnoque *Angliæ* Sigillo munitas (noſtræ duodecimo *Martii* hoc anno dabantur) permitteretur Viros duos nominandi, qui, quoties Regni Ordines convenirent, in Domo (prout loquuntur *Angli*) Communium ſederent, & ſuffragii jus habentes negotia noſtra procurarent, diſerte ſumus admoniti, ut in Senatores noſtros deligeremus viros in Jure *Cæſareo* verſatos, & abinde Civili Prudentia inſtructos.

Cæterum de Privilegio illo hic obiter notandum, regii quidem amoris & benevolentiæ indicium fuiſſe, rebus tamen Academicis in damnum potius quam commodum ceſſiſſe, quod Senatores olim complures (plerique enim omnes ad alterutram Univerſitatem aliquando ſpectarunt) Artium ingenuarum utilitati conſuluere, nunc autem pietatis ſeſe erga Matrem vinculo liberatos arbitrati, id oneris binorum quorundam in humeros deponunt, quo & illi frequentius levari cupiunt, ſuum unice quæſtum intuentes; quoniam enim poſſeſſionibus nullis in Academiâ fruuntur, Municipii proinde (quod Senatoribus reliquis contra accidit) cujus perſonam ſuſtinent commodum ſuo nequaquam intertextum animadvertunt.

[a] *Ibid. in Reg. Ma. fol.* 75. 76. [b] *Ib. fol.* 75. *b.* [c] *Ib. fol.* 77. *a.* [d] *Ib.*

CIↃDCIV.

Moleſtiam quam Vicecancellario, Doctoribus & Procuratoribus ultimo anno creârat [a] libellus, Petitio Miniſtrornm Eccleſiæ *Anglicanæ* de Ceremoniis quibuſdam aliiſque Corruptelis (Liturgiam nempe, Presbyterorum delectum & Stipendia, ac Diſciplinam Eccleſiaſticam tangentibus) tollendis ac emendandis nuncupatus, qui etiam *Browniſtarum* jurgiis locum fecit, referre ſuperſedeo. Congreſſum vero, Regiſque *Jacobi* cum fratribus diſſentientibus ſive Miniſtris Catharis colloquia, ad Palatium *Hamptonenſe* habita, prætermittenda non duco, utpote quæ fructum haud ſpernendum protulere, novam Bibliorum Sacrorum verſionem. Opus illud Viris quadraginta & ſeptem demandatum eſt, in Claſſes tres, *Weſtmonaſterienſem* ſcilicet, *Oxonienſem*, & *Cantabrigienſem*, diſpertitis; noſtratium vero nomina ſi recenſebo ab inſtituto haudquaquam aberrabo. Fuere autem:

Doctor
- *Johan. Hardyng*, è Collegio *Magdalenenſi*.
- *Joh. Rainolds*, Coll. *Corporis Chriſti* Præſes.
- *Thom. Holland*, Coll. *Exonienſis* Rector.
- *Rich. Kylby*, Coll. *Lincoln.* Rector.
- *Rich. Brett* ejuſdem Coll. quondam ſocius.

Magiſter
- *Milo Smyth*, è Coll. quondam *Æneanaſenſi*.
- *Rich. Faireclough*, è Coll. quondam *Novo*.

Quibus incubuit Prophetas tum majores tum minores, cum Lamentationibus, tranferre.

Doctor
- *Georgius Abbot*, Eccleſiæ *Wintonienſis* Decanus, & Coll. *Univerſitatis* Magiſter.
- *Ægidius Thomſon*, Regiæ Capellæ *Windleſorianæ* Decanus.
- *Joh. Ravis*, Ædis *Chriſti* Decanus.
- *Hen. Savile*, Coll. *Merton.* Cuſtos.
- *Johan. Harmar*, Collegii *Wicamici* apud *Wintoniam*, Cuſtos.
- *Johan. Aglionbie*, Aulæ *Edmundi* Principalis.
- *Johan. Perin*, Ædis *Chriſti* Canonicus, & *Wigornienſis* Decanus.
- *Leonardus Hutten*, ejuſdem Ædis Canonicus.

Quorum penſum erat Evangelia omnia, cum Actis Apoſtolorum, & Apocalypſi, in linguam vernaculam transfundere; quam in rem Sacræ paginæ Apographa omnia, tum è publicâ illâ tum è privatis quibuſque Collegiorum Bibliothecis, evolvenda acceperunt. Poſtquam vero munere ſuo, quod annis haud ita multis contigit, perfuncti eſſent prædicti, conſilia cum Ædium Præfectis miſcebat Vicecancellarius, alioſque pietate haud modicâ & eruditione Theologos nominavit, qui eorum Tranſlationes, conſultis Hebraicis juxta & Græcis fontibus, recognoſcerent, & ſi opus eſſet caſtigarent. Superbis autem id unice addam apud Doctorem *Raynolds* in Collegio *Corporis Chriſti* ſemel qualibet hebdomadâ conveniſſe, ejuſque ope & conſilio in elucubrationibus ſuis accurandis uſos fuiſſe reliquos; tametſi ipſe podagrâ interim graviſſime affligeretur.

[a] *Edit.* Oxon. 1603.

CIↃDCV.

Hunc nobis Annum beavit Sereniſſimi Regis *Jacobi* conſpectus, is enim XXVII. *Auguſti*, cum Reginâ & *Walliæ* Principe, magnoque Procerum comitatu, *Wodſtochiæ* valedicens *Oxoniam* contendebat, conſuetudinis togatæ deſiderio flagrans. Adventanti obviam, ut fit, proceſſere Cancellarius, Vicecancellarius, Procuratores, Ædiumque Præfecti, & in ultimis Academici juris limitibus eleganti Oratione exceptus eſt; cui ulterius progreſſo occurrebant Prætor urbanus, Seneſchallus, civeſque reliquis dignitate præſtantiores, à quibus nummis quibuſdam aureis donatus *Oxoniam* ingreditur, & apud San-*Johannenſes* Oratione aliquandiu detinetur. Portam dein Boream intravit, plauſuque ingenti & aliis exultantium animorum indiciis à togatis frequentibus (ſiquidem ad CIↃCIↃCCLIV. ea tempeſtate cenſebantur) Laicis autem innumeris ad Ædem *Chriſti* deductus eſt; habitâ tamen prius ad *Quadrivium* **Dnaterbois** per Doctorem *Perin*, Græcæ linguæ Prælectorem, pro Suggeſto eam in rem erecto, Oratione græcâ. Cæterum eum Ædem, ut modo dictum, *Chriſti* ingreſſurum voluptate haud modicâ perfudit *Iſaacus Wake*, Orator Academicus, qui nec eloquentia quidem carebat, nec affectuum regiorum ignarus erat, & *Jacobum* propterea laudibus à ſapientiâ reque literariâ deſumptis cumulavit. Ad templum dein ſub Conopeo, à Doctoribus quibuſdam purpurâ fulgentibus ſuſtentato deductus, ſacris aliquantiſper vacavit, quæ, interpoſito de more Cantu, & Muſico Organorum concentu, ob ſalvum ejus adventum celebrabantur; iis autem finitis ad Cœnacula ſua perrexit, multitudine hominum immenſâ maximum Collegii Quadrangulum opplente, ejuſque parietes clamoribus & felicitatis comprecationibus concutiente. Ad *Magdalenenſes* interea profectus eſt, cum ſplendido Aulicorum famulatu, Princeps *Henricus*, cui obvii fiebant Præſes ac Socii, quorum alter *Jacobus Mabbe* nuncupatus, exundantem ſuorum lætitiam oratione teſtabatur, quam reliqui magnâ Poematum vi, parietibus ubique & Portis affixa exprimere nitebantur. Luſtratis vero tantiſper pulcherrimi Quadranguli lateribus, ad ipſius Præſidis Ædes deducitur *Henricus*, ubi à Juvenibus quibuſdam natalium ſplendore claris, inque arenam poſt paulo philoſophicam deſcendentibus, excipitur; quibus juxta & Epulis utrobique finitis, ad Ædis *Chriſti* Refectorium perrexit ibique una cum Rege ipſo & Reginâ, ac illuſtri Optimatum catervâ, animum voluptate paſcebat, à Comœdiâ latinâ, quam dictæ Ædis Alumni agebant, quæque *Vertumnus* appellabatur, perceptâ.

Proximo mane ad Beatæ *Virginis* Eccleſiam progreſſi Diſputationibus Theologicis interfuere, in quibus Reſpondebat Doctor *Aglionby*, Doctor vero *Holland* & alii quinque opponentium partes obibant. Poſt meridiem velitationes in Jure Civili habebantur, Reſpondente Doctore *Blencow* è Collegio

Orielenſi

Orielenſi, Opponentibus autem Doctore *Gulielmo Eird* è Collegio *Omnium Animarum*, & aliis quinque, Profeſſore vero Regio Moderatoris perſonam ſuſtinente.

Die tertio Commiſſionibus in re medicâ animos oblectabant Hoſpites auguſtiſſimi, non niſi peritiſſimo cuique demandato ut eâ in arenâ deſudaret, unde ingens & Facultatis ejus & ipſius Academiæ laudibus cumulus acceſſit. Hinc vero ad Collegium *Novum* deducti Epulis lautiſſimis excipiebantur, & ſuaviſſimo interim Apparatus muſici concentu animos paſcebant; & ad Eccleſiam poſtmodo Divæ *Mariæ* profecti Diſputationibus Philoſophicis intendebant, unde mirâ jucunditate perfundebantur, vices nobis poſtea rependente *Jacobo*, qui cùm Diſputationes clauderet, Academicos Oratione facundâ & eleganti cohoneſtavit. Rex inde ad Ædem *Chriſti* ſe contulit, Princeps autem *Henricus* ad *Magdalenenſes* conceſſit, quorum in Refectorio cœnavit; à nobili deinceps & generoſâ juventute tum Orationibus exceptus tum Carminibus aliiſque munuſculis, ipſi tamen gratiſſimis, donatus. Eadem vero nocte Patrem illuſtriſſimum conveniens, ad Collegium Divi *Johannis* una deducitur, ubi Ludum ſcenicum, cui *Annus recurrens* nomen erat, exhibebant Togati; facetum adeo & demulcendis ſpectatorum affectibus accommodatum, ut eorum animos voluptate haud modicâ compleverit.

Die quarto, commorationis autem regiæ poſtremo, Bibliothecam publicam, à clariſſimo Equite, *Thomâ Bodleio*, inſtauratam, mediumque tantum Ædificium, Ducis maximè *Humphredi* impenſis olim extructum, complectentem, luſtravit *Jacobus*; qui Theologicam deinceps illam, Biblophylacio ſubjacentem, Scholaſque Artium in vicinia poſitas inviſit, unde ad Collegium *Æneanaſenſe* perrexit & oratione aliquandiu detentus, Sodalitia *Omnium Animarum* & *Magdalenenſe* adivit, Refectorii utrobique ac Bibliothecæ, aliorumque Ædificiorum ſplendore ac ſupellectile plurimum delectatus; interea vero temporis Magnatum perplures Gradu magiſtrali ornantur, quidni enim ornatos dixerim, cum nec eundem aſpernatus fuerit potentiſſimus Rex, & novum titulis auguſtis additamentum conciliaſſe crediderit.

Finitis prandii epulis Regem conveniunt potioris notæ Academici, diſceſſuro nimirum valedicturi, quorum de numero Procurator junior præterita Togatorum gaudia Oratione ſolenni teſtatus, fidem noſtram æternamque obſervantiam profitebatur; quibus peractis, honoratiori cuique dextram exoſculandam porrexit literarum patronus & decus *Jacobus*.

Atque hactenus de Rege nobiſcum hoſpitante dictum eſto; ſiquis autem delicias literarias reliquumque quo eundem excepimus apparatum fuſiori ſtylo explicatum deſiderat, conſulat velim libellum â cl. v. *Iſaaco Wake*, *Mertonenſi*, Oratore vero, ut prædiximus, eâ tempeſtate Academico (ad dignitatem dein equeſtrem evectus is eſt) conſcriptum, *Regem*que *Platonicum* nuncupatum. Cæterum eâ de re id unice addam, Exercitiis Scholaſticis non otioſum interfuiſſe Auditorem, verum munia quoque literaria obiiſſe *Jacobum*, eaque tum ingenii feſtivi, tum Judicii firmiſſimi ſpecimina dediſſe, unde eruditionis etiam Principatum ſibi facile vindicaret, dignuſque haberetur qui in Artium & Scientiarum Republicâ Imperium obtineret; quod cùm conſueto plauſus genere, fremitu nimirum incondito, teſtarentur Togati, rei primo novitate perculſus, cognito autem quid ſtrepitu illo ſibi vellent, mirum in modum delectatus perhibetur.

Sub id, in animis ſecum reputantes Academici in diſcrimen quam immenſum adducta nuper fuerat cum Rege & Proceribus Reſpublica *Anglicana* (quam ſcilicet abſque mirâ numinis providentiâ conjuratorum Pontificiorum inſidiæ pulvere nitrato peſſundediſſent) *Romanenſes* ſedulo explorabant, & *Oxoniâ* ejecerunt; facto præterea in frequenti Togatorum Senatu, XVI. *Decembris* habito, ſolenni de Privilegiatis decreto; ſancitum enim ut qui cum Uxore ac liberis (conjugati ſi eſſent) ſacris ad Eccleſiam ſuam parochialem non intereſſent, neque Collegiorum vel Aularum Sacella, neque Eccleſiam denique Cathedralem, Cultus Divini gratiâ, frequentarent, privilegio omni ac munere, ſive Academico ſive in Sodalitiorum quovis obeundo exturbarentur, inque perpetuum deinceps cõmercii omnis interdicto ſubjacerent.

CIↃDCVI.

Hoc anno commemorandum occurrit quod Concionem ad Beatæ *Virginis*, XXVI°. *Octobris*, obiens *Gulielmus Laud*, S. Theologiæ Baccalaureus, nonnulla protulit quæ Academicis pleriſque, *Calviniſmo* nimirum jam penitus imbutis, Superſtitionem Pontificiam ſapere viderentur; quapropter virum ad ſe accerſivit Doctor *Airay* Vicecancellarius (mentionem ejus haud adeo honorificam anno CIↃDCII. factam invenies) ſuperque traditâ pro Suggeſto doctrinâ quæſtionem habuit. At vero durante in hebdomadas nonnullas ejuſdem eventilatione, ita ſe demum purgavit *Laudus*, ut publicam dogmatum ſuorum Retractationem evaſerit, tametſi ut eadem in Senatu Academico haberetur Primorum noſtrorum complures percuperent & elaborarent; qui Virum tamen tanquam ad Papicolas propendentem, ſi non & revera Papicolam, calumniabantur, eaque de illo probra ſpargenda curabant, unde conſortium ejus devitarent omnes, neque benigniori alloquio obvium dignarentur. Ut paucis dicam, in conſuetudine Academicorum quotidianâ multis *Laudus* opprobriis oneratus eſt, & graviora adhuc paſſurus videbatur, niſi Vicecancellarium ipſe admonuiſſet Magiſtratum ſuperiorem appellandum iri; & niſi Cancellario inſuper, quem *Londini* forte inviſit, ſignificaſſet Doctor *Gulielmus Paddey*, è Collegio aliquando S. *Johannis*; tum eruditione ſummâ, tum ſpectabili morum probitate & ſanctimoniâ præditum eſſe *Laudum*; ſed & Concionem ejus ſuis ſeſe auribus percepiſſe, neque quicquam advertiſſe quod legitimæ offenſæ anſam præberet.

His autem prætermiſſis, de corruptelis Togatorum mores & diſciplinam Scholaſticam tangentibus deliberari cœptum eſt; atque ſtatutorum imprimis, quorum ex antinomiis [a] perjurium frequenter incurrebant Academici, ratio habebatur. Reprimendæ dein ebrietatis agebatur cura, ſiquidem exoleverat ſub hæc prægreſſi ſeculi (quo Medicinæ uſum obtinebat vinum *Hiſpanicum*, & in Pharmacopoliis propterea venale proſtabat) temperantia, & abrogato *Apollinis* Imperio nomina *Baccho* dediſſe videbamur; an Aulicos nobiſcum haud ita pridem diverſatos imitati non dicam, quanquam ſi ita ſe res habuerit Præceptores brevi admodum anteceſſimus Diſcipuli. Utcunque fuerit, id ægre quidem ferebant Gubernatores Academici,

[a] *Reg. K. fol.* 1.

demici, adeo ut legem [a] rogârint Delegati nonnulli à Senatu noſtro nominati, ne Graduatus quiſpiam aut Privilegiatus, neve eorundem famuli, Hoſpitium publicum, Oenopolium, domumve aliquam in quâ Alla aut Cereviſia lupulata divenderetur, intrarent; maxime autem ne luſu quovis illicito ibidem utentes de pecuniâ contenderent, ſub pœnâ duorum ſolidorum ob primum delictum, quatuor ob ſecundum, decem vero ob tertium ſolvendorum; ſtatuto inſuper quod ſiquis quartâ vice hac ex parte peccaret, tanquam ebrioſus plecteretur, hoc eſt eaſdem quas amoribus meretriciis dediti pœnas ſubiret. Cauto interim ne ex Decreto illo quicquam fieret quod Cœnis Veſperialibus, ſive Epulis Comitiorum tempore ultra Sodalitiorum limites frequenter inſtitutis, fraudi ſit. Ordinatum porro eſt, ne Baccalaureorum Determinantium (ſic illos quoque nuncupamus qui nondum determinarunt) aliquis Collectoris Munus Comeſſationibus & Compotationibus ambiret, quod ſi peſſimo illo largitionis genere id officii obtinuiſſe deprehenderetur, eodem confeſtim ſpoliandus eſſet. Epulis porro & commeſſationibus, in Scholis tempore Quadrageſimali olim celebratis, interdictum eſt, conſtitutâ, quæ ſecus facientibus irrogaretur, Mulctâ pecuniariâ.

Diſciplinæ Scholaſticæ emendationem quod attinet, in Exercitiis quibuſdam [b] revocandis conſtitit, quorum de numero erant Diſputationes in *Parviſiis* dictæ, aliæque nonnullæ in Feſto *Ovorum* haberi antiquitus conſolitæ. Cæterum neque defuit ſub hæc Delegatorum induſtria, in reſecando Caſularum, infra limites Academicos erectarum, numero exercita; quæ cum ex inſanâ oppidanorum avaritiâ quotidie conſtruerentur, Academicos noſtros eo perpulere, ut [c] conſilia cum *Cantabrigienſibus*, eodem jam incommodo laborantibus, miſcentes, Legem à Regni ordinibus ferendam efflagitarint, de Tugurioliſ quæ infra certum annorum terminum excitata comparerent evertendis. Id vero obiter adnotandum duxi quod ex quæſtu illo urbano damna graviſſima pateretur Univerſitas. Primo enim, hinc factum eſt ut Inquilinis ejuſmodi ſcaterent Suburbia qui ſordibus & pœdore morbis peſtilentialibus fomitem præberent, ſi non & eoſdem accenderent; quorum alterum & ante triennium, & ineunte dein *Caroli I.* Regno feciſſe crediderim. II. Creſcebat eâ ratione Mendicorum turba, adeo ut iiſdem alendis vix ipſa Collegiorum æraria, uni iſti uſui addicta, ſufficere tandem poſſe viderentur. III. Augebatur inde Civium maleferiatorum numerus, qui Academicorum juniorum ingenia corrumperent, & Vitiorum illecebris ineſcatos à ſtudiis avocarent. At vero à Caſularum earum frequentiâ quantum detrimenti caperet Reſpublica noſtra fuſius alibi ediſſerendum.

CIↃDCVII.

Exeunte hoc anno lites præfervidæ Magiſtros Regentes & *Novi* Collegii Sodalitium colliſerunt, de jure quodam dicti Collegii, cujus Socii pro gratiâ minime ſupplicant priuſquam ad Gradum aliquem admittuntur, coortæ, à Cancellario autem contra Regentium ſententiam [d] dijudicatæ, quod priviſegio illo ultra ducentos annos potitos diceret *Wicchamicos*.

Eodem quaſi tempore in eligendis Procuratoribus magna emerſere Academicorum diſſidia, quibus in partes abeuntibus, & diſcrepantibus ſuffragiis Magiſtratum quodammodo ipſum lacerantibus, jacturam famæ haud modicam facturi videbamur, niſi finem tumultus illi mature ſortirentur. Eam itaque in rem vim priſtinam [e] obtinere juſſimus Statuta quædam vetera, novis etiam quibuſdam conditis; conſtitutis quoque gravibus quibus plectendi eſſenti pœnis qui id Muneris largitione quavis aut ambitu captaſſe deprehenderentur. Et enimvero ſive ſeculum illud *Elizabethæ*, ſive tempora longe antiquiora reſpicias, (cùm frequentibus nempe *Auſtralium* & *Borealium* conflictibus agitaretur Academia) in Procuratorum deſignatione, aut morum ac doctrinæ, aut fortitudinis ſaltem animique tuendis Univerſitatis juribus accommodati, habitam ſemper invenies rationem; nunc autem dierum nil aliud intuebantur Togati quam Candidatorum opes; Imperio digniſſimum arbitrati qui ſuffragantium ſibi Catervas Epulis & Perpotationibus excepturus, atque adeo Patrimonium ſuum diſſipaturus videretur. Quod quidem peſſimo inſuper exemplo fiebat, Magiſtros enim eâ ex parte imitati Baccalaurei Collectores ſibi aſſumpſere qui conſimili luxu facultates prodigerent; quorum porro in Bacchanalibus malorum, ut fit, ingentium ſemina jacebantur, cujus rei documenta nonnulla hoc anno dabantur, maxime autem viceſimo ſexto *Februarii*, quo die Collectorum Dapibus vinoque exhilarati, ſeu potius mente turbati, Baccalaurei, accitis ſibi Non-graduatis bene multis ad Campos *Bullingtonenſes* convolabant, folliculi pedalis certamine congreſſuri; juvenili vero novi quippiam patrandi ardore accenſi Ericeto mox flammas ſubjecerunt, multaque ejuſdem jugera in cineres redegerant, priuſquam Multitudinis agreſtis interventu ulteriori maleficio interdiceretur.

Hoc eodem anno fatis conceſſit *Joh. Rainolds*, Coll. *Corporis Chriſti* Præſes, ſummum enimvero Academiæ noſtræ in re literariâ decus & ornamentum. Vir erat memoriâ plane incredibili præditus, adeo ut ſpirantis Bibliothecæ titulo jure optimo donandus videatur; probitate autem & ſactimoniâ mortalium pleriſque tam longe antecellebat, ut dignum crediderim quem Calendario inferret Rubrica, niſi quod Sanctorum memoriis ipſe vivus non ſatis faveret. Cujuſcunque generis aut argumenti libros evolviſſe opineris; in Ethnicorum enim perinde ac ſanctorum Patrum Scriptis verſatiſſimus erat, atque Linguis præterea Theologo aut uſui aut ornamento futuris inſtructus. Ingenio quidem prompto & acuto, Judicio autem ſtabili ac firmo, Induſtriâ denique indefeſſâ prorſus utebatur; adeo ut ſedulitate aſſiduâ *Originem* ipſum, *Adamantinum* licet ob laborum patientiam cognominatum, anteceſſerit. Poſtremo, Artem quamcumque vel Scientiam nominaris, eandem tam penitiſſime calluit ac ſi uni perpetim inſudaſſet. A Colloquio illo *Hamptonenſi*, cum *Jacobo* Rege & Antiſtitum nonnullis de rebus ſacris habito, moderatior rediit, quanquam de quibuſdam acriter in eum, ibidem dictis, apud ſuos creberrime conquereretur. Apud Academicos pene omnes in ſummo ſemper pretio erat, & felicem ſeſe deprædicabat quiſquis conſuetudinem ejus aſſequeretur. Tempus omne ſucciſivum bonæ ſpei Juvenibus impendebat, quos ad Virtutem veramque eruditionem informabat & adhortabatur; cujus generis officio ob valetudinem paulo ante mortem interpellato, ſupremi Teſtamenti Curatoribus mandavit, ut Libros ſuos omnes (excipio tamen quos Collegio ſuo Viriſque quibuſdam

[a] *Ibid. in K. fol. 4. a & b.* [b] *Ibid. fol. 2. a. & 5. a.* [c] *Ib. 5. a.* [d] *Ib. 14. b. 15. a. & b.* [e] *Ib. 16. a.*

principibus legavit) Adoleſcentibus ejuſmodi dividerent; quales nempe in Sodalitio quovis *Oxonienſi* comparebant, eorum nonnullis haud pauciores quam viginti numerantibus, qui illo nomine quod vivo pridem innotuiſſent Benevolentiæ illius participes fiebant.

CIↃDCVIII.

Concionem ultimo anno in *Apocalyp.* cap. xx. verſ. xii. ad Ædem *Chriſti*, cujus Capellanus tum erat, obierat *Humphredus Leech*, A. M. (Evangelium is antea *Salopiæ* annuntiârat) & ad ſermonem de Conciliis evangelicis deſcendens ea temere effutierat quæ Togatis quibuſdam haud modice diſplicerent. Idem ille cùm Verbum denuo xxvii. *Junii* hoc anno prædicaret, ſuper eodem argumento ediſſerendum ſuſcepit, Academicorum vero animos tantopere exacerbavit, ut Concionis Apographum exegerit Doctor *Leonardus Hutten* Provicecancellarius. Redeunte demum, qui tum forte aberat, Doctore *Kyng* Vicecancellario, coram ipſo aliiſque quibuſdam Doctoribus totius negotii examen inſtituitur; inque hæc tandem verba ſententiam profert Vicecancellarius: *Magiſter* Leech, *ob Doctrinam adulterinam & Scandalum præbituram* (*quam utique ab Eccleſiâ* Romanâ *propugnari, & à quâ abſurda haud pauca ſequi probe intelligis*) *in Concionibus tuis proſeminatam ſilentium tibi, authoritate Vicecancellarii, indico; deinde, hujus Ædis Decanus Dimenſis & Sacellani Munere in tres Menſes interdico.* Hac autem pœnâ damnatus ille Archiepiſcopum appellavit, cùmq; eandem revocandam haudquaquam iri, prout ſperârat, animadverteret, fidei pariter patriæque valedixit. *Nemetacum* vero ſeſe præcipuum *Atrebatum* Urbem conferens Dogmatis ſui Vindicias, Libro quem *Veritatis Triumphum* appellavit comprehenſas, edidit; quas tamen poſt paulo refutabant *Daniel Price* è Collegio *Exonienſi*, qui *Defenſionem Veritatis* conſcripſit, & Doctor *Sebaſtianus Benefeild*, è Collegio *Corporis Chriſti*, qui in Appendice Libri cui titulus *Doctrinæ Chriſtianæ ſex Capita*, &c. idem præſtitit.

Cæterum de his hactenus. Ad Academiam jam ipſam revertor, Doctorem *Richardum Bancroft*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, in Cancellarium cooptantem, Comite nimirum *Dorcetenſi* diem ſub id obeunte. Magiſtratu autem donatus *Brancroftus*, nil quicquam prætermiſit quo Togatos, temporum eorum vitiis coinquinatos, ad meliorem frugem perduceret; quamobrem 1° ut Statuta de frequentandis Concionibus, deque Juventute Academicâ ſedulo catechizandâ, ſcil. primis Religionis Chriſtianæ elementis imbuendâ, executioni traderentur, [a] edixit; haud utique ignarus, maximam tyrocinii literarii curam eſſe agendam, quod prima Virtutum juxta & Vitiorum rudimenta (tanquam quæ in Utero materno fœtui recenter formato imprimuntur Imagines) perennare deprehendantur. Eam porro in rem præcepit Cancellarius, ut alia quædam ſtatuta religioſe obſervarentur; è quibus nempe Togato nulli licitum eſſet Tutoris munia obire, niſi Vicecancellario, & Theologis quibuſdam aliis, ibidem aſſignatis, ut id faceret permittentibus; quod ſane utinam in hodiernum uſque diem obtinuiſſet, cùm nullâ unquam arte præcaveri melius potuerint Pontificiæ fraudes, nec non *Catharorum* inſidiæ, quibus nimirum in diſciplinam nobiſcum ſæpiſſime traduntur Adoleſcentes; eo facilius corrumpendi quod nucibus heſterno quaſi die relictis altiora jam tum ſapere occipiant, Doctrinam autem ſitientes erroris cujuſque aut hæreticæ pravitatis Virus (tanquam Auræ peſtiferæ aculeos jejuni) in ipſa præcordia confeſtim admittunt, ſeu potius arripiunt.

II. Mandavit inſuper Cancellarius, ut Concionibus ad Clerum, Precibuſque Termini cujuſque initio habendis, necnon frequentandæ ſacræ Synaxi diligentius proſpiceretur, cui quidem tam rari hac tempeſtate intereſſe ſolebant Academici, ut bonos omnes metus inceſſerit, ne zelus ille integer & ſincerus in eorum pleriſque defuerit, qui imprimis apud eos requiritur, qui officio ſuo fungentes plebem imperitam Cultus Divini ſtudio accendere potuerint.

III. Decretum porro quod preces ſolennes diebus præſtitutis haberentur, quibus gratias Deo optimo maximo ageremus propter Coronam Anglicanam *Jacobo* delatam propterque eundem ac Regni Ordines periculis immenſis, maxime autem pulveri nitrato (quod ſupra in anno CIↃDCV. attigimus) ereptos.

IV. Sed neque publico omnium Cultui unice conſultum, conſtitutum enim ut in Collegiis ſeorſim ac Aulis rei divinæ mane ac veſperi intenderent Togati, ac ter minimum quotannis ſacrorum Myſteriorum participes fierent; à primo ſtatim ad Academiam adventu Catechiſmo, Religionis elementa complectente, imbuerētur; ſancito etiam fidei quod Chriſtianæ Articuli, publicâ authoritate approbati, quater vertente anno in Collegiorum Sacellis ac Aularum Refectoriis prælegerentur, quo ſcilicet Veritati Evangelicæ à teneris quodammodo unguiculis inſueſcerent literati, probeque intelligerent quænam ſint quibus aſſenſum præberent ac ſubſcriberent in Matriculam Academicam referendi, aut Gradu aliquo donandi.

Ad hæc, ut Schiſmati & hæreticæ pravitati occaſio omnis præcideretur, ſtatutum eſt, ne in Sodalitiis ſuis victitantes, potiſſimum vero concionantes, aut publice vel privatim Prælegentes, contentionis cupidine ducti novi quippiam, aut ab Eccleſiæ *Anglicanæ* Doctrinâ diſcrepantis, maxime autem Superſtitionem pontificiam olentis, venditarent; quod à fortuitâ quoque erroris alicujus defenſione auſpicati, ne exiſtimationis jacturam facere videamur, eo tandem impellamur mortales, ut eidem ſemo patrocinemur, ſcabiemque aliis affricemus; quâ ex parte exemplum nobis nuperum ſupperebat, & noſtrorum animis etiamnum obverſabatur: *Lechium* volo, qui ubi doctrinam inſalubrem è Suggeſto ſemel propalaverat (loquor ex quodam [b] Regiſtro) Univerſitatis plauſum potius quam veritatem aucupatus, intereſſe ſui credebat eandem pro virili tueri, atque adeo poſthabito exoptatiſſimo illo intemeratæ Conſcientiæ ſolatio ad *Romanenſes* defecit, gloriæque inani animi fortean tranquillitate litavit.

Præterea vero, bonarum literarum habita eſt ratio, in Eruditionis Academicæ profectum conſtituto:

I. Ut munere ſuo cum doctrinâ & prudentiâ fungerentur Facultatis cujuſque Prælectores.

II. Ut frigeſcentium per hæc tempora Diſputationum cura diligentius ageretur, & ne omitterentur unquam operam darent Rectores Academici.

III. Ut quotidiana ſtudioſorum Colloquia Idiomate latino inſtituerentur, quo nempe futurum denique ſperabatur quod ex uſu frequenti linguam illam familiarem ſibi redderent qui ex ephebis nondum

[a] *Reg. K. fol.* 28. 30. 31. *&c.* [b] *Ibid. in K. fol.* 31.

exceſſerant;

excesserant ; cùm illâ tempestate (quod quidem de seculo etiam nostro perhibendum) doctissimo cuique, atque omnibus aliàs numeris absoluto, sermonis ejus promptitudo deesset, quam nemo unquam hominum absque exercitatione perpetuâ consecutus est.

Denique, morum quoque cortuptelis obviandum videbatur, ac proinde nequis Togatorum Oenopolium, aut Popinam, præsertim vero domum infamem ingrederetur, prohibitum est ; Optime enim noverat prudentissimus Cancellarius immodica perpotatione corrumpenda iri ingenia ; mente scil. poculis obrutâ, petulantiæ & lasciviæ fræna laxari, & à suspectis commerciis ad aperta flagitia promptissimum esse transitum. Sed neque prætermissa est nimii in Vestitu sumptus castigatio, edicto præterea ut in Conventibus publicis habitu omnes Academico uteremur; porro ne gens illa hominum, quæ in tetrico vultu, & supercilio breviori coma, pietatem ponit (nil habens solennius quam nodum in scirpo quærere) occasionem aliquam arriperet Academicos, atque adeo Clerum ipsum, calumniandi, capillitio nobis demissiori interdictum est, quo sane nil quicquam magis haberi decorum sub id occœpit ; tametsi *Elizabethæ* temporibus, qui Cæsariem aleret prolixiorem *Bacchi Martisve* Cultoribus annumeratus, in luxum omnimodum & libidinem effusus crederetur.

CIↃDCIX.

Hoc anno memoratu dignam invenio Baccalaurei cujusdam è Collegio SS. *Trinitatis* (cui nomen *Edmundus Campion*) temeritatem & audaciam ; is enim dum Disputationibus apud *Augustinenses* fungeretur, hanc Thesin proposuit & propugnavit, *Licere subdito Religionis causâ à Principe deficere, & arma contra eum sumere* : Quæstionem vero illam argumentis, quod necesse erat, Rebellioni patrocinantibus tuebatur, atque eadem proinde XVI. *Aprilis* in Senatu Academico jussus retractavit. Cum hæc autem Cancellario imprimis, ac Regi demum innotescerent, Vicecancellario & Procuratoribus haud leviter succensuit *Jacobus*, quos utique male administratæ Academiæ insimulavit, quod se Adolescentulus imberbis tanti momenti negotiis immiscere, immo Proditionem aliis suadere sustinuerit; si tale vero quippiam deinceps contingeret, periculum ipsos non modicum adituros edixit.

Hoc loco enarrandæ sunt lites quibus cum oppidanis sub id contendebat Academia. Siquidem anno prægresso *Richardum Paynter*, è Parochiâ Divi *Thomæ*, alias S. *Nicolai*, & *Gulielmum* quendam *Tyrer*, in Ballivos delegerant Oppidani, quorum novissime dicto, diem post paulo obeunti, subrogatus est *Johannes Smyth*, è Parochiâ S. *Aldati*, qui Socium seditiosum & turbulentum imitatus magnam nobis molestiam creavit ; Urbem scilicet, sub fures sive Felones explorandi, bonaque eorum occupandi prætextu, re autem ipsâ violandi juris Academici studio, noctu perlustrans. Id ægre admodum, ut par erat, ferebant nostrates, decimoque proin tertio *Octobris*, hoc anno, (donec munere enim cederent prædicti expectavimus) utrumque ad se, Curiam in aquilonari illo Sacello, Beatæ *Virginis* Ecclesiæ conjuncto, celebrantem, accersivit Doctor *King* Vicecancellarius, & à *Paynteto* statim quæsivit [a] quoties durante Ballivatu suo, qui ad Festum *Michaelis* exierat, *per plateas Universitatis & Civitatis* Oxon. *nocturno tempore inter horas nonam vespertinam & quartam matutinam, sine Cancellarii Universitatis prædictæ, seu ejus locum tenentis consilio seu assensu, aut nulla intimatione eidem Cancellario seu ejus locum tenenti insuper prius facta ambulasset* : respondit autem ille *quod anno ultimo, dum Ballivus esset urbanus, qualibet noctis horâ foras prodierat, Felones infra urbem & Universitatem* Oxon. *exploraturus, absque licentiâ aliquâ à Domino Vicecancellario ejusve Deputato prius impetratâ, quod scilicet virtute Hutesii & Clamoris, regio nomine sæpius habiti, feciisse se aiebat, idque decem minimum noctibus præstitisse.* A *Smythio* deinceps eadem interrogantur, cujus idem omnino responsum erat, *se ter minimum aut quater Urbem noctu obambulasse* agnoscentis. His peractis, ex Statuto contra Noctivagos & pacis perturbatores sententiam tulit Vicecancellarius, & *Paynterum* libris XX. *Smythium* vero VI. libris (utrumque nimirum in cujusque obambulationis pœnam solidis quadraginta) mulctavit, infra dies octo numerandis ; quibus decursis, neque tamen pensitatâ pecuniâ, Curia denuo Academica celebratur XXVII. ejusdem mensis, in quâ præsentem se sistit *Paynterus*, cumque nec nummos, nec fidejussionem proferret, carceri mancipatur, ibidem detinendus usque dum Mulctam persolveret. Comparere detrectârat *Smythius*, & proinde à Lictore comprehensus in Carcerem eundem detrusus est ; quo autem serio jam agere Academicos intelligeret uterque, ex Cancellarii jussu in Carcerem ab urbano diversum, reliquo nempe Comitatui assignatum, compinguntur.

Aliquanto post Fautorum suorum ope & patrocinio usus *Paynterus*, appellationem interponit, nimirum, è Curia Regii Banci seu tribunalis, Breve *Habeas Corpus cum causâ* dictum, adeptus est, ad Vicecomitem scilicet ejusve Deputatum transmittendum. Illo itaque percepto, Commentariensi per rescriptum IX. *Novemb.* in mandatis dedit Vicecomes ut prædictum *Paynterum Thomæ Marcham*, & *Baldwyno Hodges*, Lictoribus urbanis, in manus traderet, *Londinum* utiq; transferendum. Eundem itaque XIII. præfati mensis coram regii Banci Justitiariis sistebat Vicecomitis Deputatus, qui quoniam causam intentatæ litis, & detenti in Carcere *Paynteri*, quam ex rescripto prius memorato ad Vicecom. misso attulisse oportebat, proferre in præsentiâ non valeret, comperendinatam litis actionem habuit, quæ quidem die præstituto eadem de causâ in XXV. antedicti mensis rejiciebatur ; tum autem Virum denuo adduxit Vicecomitis Deputatus, una cum Brevi *Habeas Corpus cum Causâ* nuncupato, ac ejusdem executione, sive Returnato, in hæc [b] verba conceptis :

JACOBUS *Dei gratia* Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ *Rex, Fidei defensor, &c. Omnibus ad quos præsentes hæ literæ nostræ pervenerint salutem. Inspeximus quoddam Recordum coram nobis habitum in hæc verba. Placita coram Domino Rege apud* Westmonasterium *Termino S.* Michaelis *anno Regni D. Jacobi nunc Regis* Angliæ *septimo.* --*Rotulo* 83°. ff. *Dominus Rex mandavit Vicecomitem* Oxon. *Breve suum clausum in hæc verba*-ff. Jacobus *Dei gratia Rex* Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ *Rex fidei Defensor, &c. Vicecomiti* Oxon *salutem. Præcipimus tibi quod corpus* Richardi Paynter *in prisona nostra sub custodia tua, ut dicitur, detentum sub salvo*

[a] *Ut in lib. Actorum in manibus Registrarii Cancellarii Universitatis.*

[b] *Ibid. in K. fol.* 45. *b.* 46. *a.*

& ſecuro conductu una cum die & cauſa captionis & detentionis ſuæ quocunque nomine cenſeatur in eadem habens coram nobis apud Weſtmonaſterium *die jovis proxime poſt craſtinum S.* Martini *ad faciendum & recipiendum ea omnia & ſingula quæ curia noſtra coram nobis de eo ad tunc & ibidem conſideravit in hac parte, & habeas ibidem tunc hoc Breve: Teſte,* T. Flemming *apud* Weſtmonaſterium *nono die Novembris anno Regni noſtri* Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ *ſeptimo &* Scotiæ *xliii.*

Rooper.

Virtute cujus quidem Brevis Henricus Samborne *Armiger Vicecomes Comit. prædicti eidem D. Regi apud* Weſtmonaſterium *ad diem prædictum certificavit in hac quæ ſequitur forma.*

ſſ- *Ego* Henricus Samborne *Armiger, Vicecomes Comitatus* Oxonienſis, *Domino Regi certifico, quod Univerſitas* Oxon *eſt antiqua Univerſitas; quodque eadem Univerſitas nunc eſt, & à tempore cujus contrarii memoria hominum non exiſtit uſitato & approbato, fuit corpus politicum & corporatum, conſiſtens ex Cancellario, Magiſtris & Scholaribus ejuſdem Univerſitatis. Quodque iidem Cancellarius, Magiſtri & Scholares nunc habent, & à tempore cujus contrarii memoria hominum non exiſtit, uſitato & approbato, habuerant & habere conſueverunt & debuerunt, cuſtodiam & gubernationem tam dictæ Univerſitatis quam villæ & Civitatis* Oxon, *nec non conſervationem pacis & curam vigiliarum, earumque præfecturam tempore nocturno tam infra Univerſitatem* Oxon *prædictam, quam infra Villam & Civitatem* Oxon *prædictam, & ſuburbia ejuſdem. Et quod Cancellarius dictæ Univerſitatis pro tempore exiſtens toto tempore prædicto, pro ſe aut per Commiſſarium ſuum legitimè deputatum, uſus fuit & conſuevit curiam tenere infra Univerſitatem prædictam ad libitum ſuum propunitione & coercione omnium malefactorum, pacis perturbatorum, Noctivagantium & Tranſgreſſorum contra ſtatuta, libertates, conſuetudines & privilegia ejuſdem Univerſitatis, tam per incarcerationem, quam per pœnam pecuniariam. Et quod iidem Cancellarius, Magiſtri & Scholares, toto tempore prædicto, uſi fuerunt & conſueverunt condere & conſtituere leges, ſtatuta & ordinationes, pro bona gubernatione & regimine tam tempore nocturno quam diurno, tam Scholarium Univerſitatis prædictæ quam Inhabitantium Villæ & Civitatis* Oxon *& ſuburbiorum ejuſdem. Et ulterius Domino Regi certifico, quod* Richardus Paynter *in Brevi prædicto infra nominatus, xiii. die Octobris anno Domini CIↃDCIX. coram* Johanne King, S. *Theol. Doctore, & Commiſſario Reverendiſſ. in Chriſto Patris* Richardi *providentia divina Archiepiſcopi* Cantuarienſis *& almæ Academiæ* Oxon *Vniverſitatis prædictæ rite Deputato in curia ejuſdem Cancellarii tenta in Eccleſia B.* Mariæ *Virginis* Oxon *infra Vniverſitatem* Oxon *prædictam eodem xiiio die Octobris prædictæ an. Dom. CIↃDCIX. prædicto, legitimo modo conventus fuit, pro eo quod idem* Richardus Paynter *inventus fuit in communibus plateis Civitatis* Oxon *noctivagus, inter horas nonam poſtmeridianam & quartam matutinam ſine cauſa rationabili contra formam & effectum cujuſdam ſtatuti per præfatum Cancellarium, Magiſtros & Scholares contra Noctivagantes legitime editi, & per diverſa Domini Regis & Progenitorum ſuorum Regum & Reginarum* Angliæ *chartas & ſtatuta hujus regni* Angliæ *conceſſa, ſtabilita, & approbata, per quod quidem ſtatutum proviſum & ſancitum eſt, quod quicunque convictus fuerit coram Cancellario vel ejus Commiſſario Vniverſitatis prædictæ pro tempore exiſtente pro nocturna vagatione (ut prafertur) ſine cauſa rationabili, forisfaceret pro qualibet offenſa, de qua bis convictus fuerit xl. ſolidos ad uſum prædictorum Cancellarii, Magiſtrorum & Scholarium Vniverſitatis prædictæ pro tempore exiſtent. Et, ſi poſt hujuſmodi convictionem prædictam, mulctam pecuniariam infra viii. dies tunc proximè ſequentes non perſolverit ad uſum prædictum, tunc incarceretur per judicium ejuſdem Curiæ, quouſque mulctam pecuniariam pradictam ad uſum prædictum perſolverit. Et quia præfato Commiſſario in curia prædicta ad tunc & ibidem manifeſtè apparabat tam ex propria confeſſione ipſius* Richardi Paynter *per decem ſeparatas noctes inter primum diem Octobris anno Regni dicti D.* Jacobi *nunc Regis ſeptimo, noctivagatum fuiſſe ſine cauſa rationabili contra formam ſtatuti prædicti, ideò idem* Richardus *in eadem Curia ſuperinde ritè & legitimè convictus fuit; & per eandem curiam tunc & ibidem condemnatus fuit ad ſolvendum ad uſum prædictum xl. ſolidos pro qualibet vice noctivagationis ſuæ prædictæ. Et quia prædictus* Richardus Paynter *infra viii. dies poſt convictionem ſuam prædictam, mulctam prædictam ad uſum prædictum non ſolvit, ideò per judicium ejuſdem curiæ tentæ coram prædicto commiſſario xxv. Octob. anno ſeptimo ſupradicto in Eccleſia B.* Mariæ *Virginis prædicta commiſſus fuit ibidem remanſurus quouſque mulctam prædictam ad uſum prædictum perſolverit. Et hæc eſt cauſa captionis & detentionis prædicti* Richardi Paynter *in priſona prædicta. Cujus corpus coram Domino Rege juxta exigentiam Brevis prædicti paratum habeo, prout interius mihi præcipitur.*

Henricus Samborne *Armiger Vicecomes.*

His palam in Curiâ recitatis, ſententiam tulit D. *Thomas Flemmyng*, Miles, ſupremus *Angliæ* Juſtitiarius ex re pridem judicatâ, ſive *ſecundum Caſum* (ſic ſe habent ſententiæ verba) *anni noni* Henrici *ſexti*; juxta quem ſcilicet rejectâ appellatione ad Curiam Cancellarii *Oxonienſis* remittendus erat *Paynterus*, ibique judicandus. Huic ſententiæ ſuffragabantur quotquot ibidem aderant aſſeſſores, noxium propter Contumaciam & Arrogantiam acerbe corripientes, & *Oxoniam* relegandum decernentes, quorum de numero erant D. *David Williams*, & D. *Job. Croke*, Milites, qui etiam teſtificabantur, Privilegio ab Oppidanis iſtis labefactato quando illi in Academia literis vacabant, ſcil. ante annum triceſimum, nullo obnitente uſos fuiſſe Togatos. Denique, aliis quibuſdam quod in Litibus tranſigendis fieri aſſolet, ſecundum juris municipalis formulas peractis, *Oxoniam* reducitur *Paynterus*, inque Carcerem conjicitur, ubi ad octavum *Decembris* diem aſſervatur, tum enim in Curiâ Academicâ comparuit, & Vaſa quædam Argentea penes Vicecancellarium Cautionis loco depoſuit, de viginti nimirum Libris mature ſolvendis, ſumptibuſque omnibus, & damnis in litigando factis, Univerſitati rependendis; nominatim vero xxiv. ſolidis *Johanni Snow* litis procuratori penſitandis. Vt rem omnem paucis complectar, amicorum quorundam ope apud Vicecancellarium uſi

Paynterus

Paynterus juxta & *Smythius* (Carceri namque mancipatus & is erat ,) inque frequenti Academicorum Senatu, XXVI. *Martii* habito, culpam fassi & pœnitentiam profitentes, pœnamque suppliciter deprecati, veniam impetrarunt, maximâque Mulctarum parte levati sunt, *Paynteri* solidis quadraginta, *Smythio* autem non pluribus duodecim imperatis.

Referendum porro quod pendente adhuc lite, causâ se casuros præsentientes, atque haud vulgarem propterea in modum indignati Cives, Viros binos Privilegiis Academicis utentes in carcerem [a] compegerant, *Sylvestrum Pearson* & *Alexandrum Hill* appellatos, quorum primus Scandulariorum de numero erat, qui cum Cœmentariis pridem & fabris lignariis intestini operis impetrârant ut in Academiæ Sinum reciperentur. Id autem ubi rescivit Vicecancellarius, ut Custodiâ statim eximerentur prædicti, transmisso etiam Brevi, Sigillo, quod vocamus, dimidiato, munito, deposcebat, cumque id facere detrectarent Cives, deliberationem eâ de re cum Universitatis Primoribus habuit, reperto autem quod indubia vetustissimaque Academiæ Jura infringerentur, Convocationem solennem XXVII. *Octobris* indixit, ubi præcipuos tantæ injuriæ Authores Commercio cum Scholaribus & Privilegiatis prohibuit. Instrumento [b] eam in rem vicesimo *Novembris* facto, & Beatæ *Mariæ* Scholarumque Ostiis affixo; nomina vero eorum qui hoc fulmine percellebantur hæc fuere.

Richardus Hanns, Cerevisiarius, Prætor ultimo anno urbanus.
Gulielmus Potter, pannorum propola.
Gulielm. Wright, Aurifex.
Johannes Bird, pannorum etiam propola.
Thomas Bird, scriptor trapeziticus.
} Viri primarii.

Ibidem porro in hæc verba decretum reperio; *quod nullum Collegium, Ecclesia Cathedralis, vel Aula, nulla persona privilegiata infra præcinctum Vniversitatis* Oxon, *cujuscunque status vel conditionis, nec per se nec per alium, directè, vel indirectè, mediatè vel immediatè, cum aliquo prædictorum, vel eorum ministris, vel servientibus contrahat, vel cum iis vel eorum aliquo, Ministris vel Servientibus eorum commercium aliquod habeat, vel exerceat, nec aliquid ab iis, vel eorum aliquo, Ministris, Servientibus vel Domesticis eorum emat: & ut sollicite omnibus caveatur modis, ne quis alius, cujuscunque artis, status vel conditionis, aliquid ab iis vel eorum aliquo, Ministris, Servientibus, vel Domesticis eorum emat, quod in usum suum convertatur sub pœna quinque librarum legalis monetæ* Angliæ, &c.

Fulmine illo Academico percussos dolor metusque haud vulgaris occupavit, qui pœnam sese tam gravem non sine facultatum suarum dispendio subire posse deprehendentes, crimina supplices agnoscebant, & interpositis Prætoris Civiumque præcipuorum precibus veniam tandem consequebantur, factam Academiæ injuriam his [c] verbis profitentes.

III. *Dec.* CIↃDCIX.

» Agnoscimus quod ex pactis conventis, cum Universitate pridem initis, omnino oportebat *Sylvestrum* « *Pearson*, cum Breve Sigillo Academiæ dimidiato « munitum ejus in gratiam ad nos mitteretur, prote- « nus liberasse, & cùm eundem dies duos vel tres post « allatum Breve in Carcere detinuerimus, Universitati « injuriam feciisse fatemur. Atqui incarceratum *Alexandrum Hill* quod attinet, id neque à nobis, neque « consciis nobis aut consulentibus, verum à *Thomâ Wentworth* Recordatore factum asseveramus, nulloque modo rem gestam probamus.

Per me {
Thom. Harrys Majorem.
Isaacum Bartholomew,
Rich. Brian,
Matth. Harryson,
Gualt. Payne,
Rich. Hanns,
Henr. Toldervey,
Gulielm. Potter.
}

Placatis eâ ratione Academicis, in Convocatione quarto *Decembris* celebratâ iisdem reconciliantur præfati, ordinato ut in locum pristinum [d] restituerentur; quod [e] idem de *Carolo Raynsford* fabro lignario intestini operis, *Johanne Bright*, Scandulario, & *Thomâ Edwards*, Cæmentario, memorandum, qui quidem Anathemate illo civili (Discommunicationem volo) notati pridem fuerant, Vinculisque jam iis, perinde ac antedicti, soluti; unde pace aliquandiu usi sumus, quam tamen eorundem nonnulli deinceps, quod infra ostendemus, turbarunt.

CIↃDCX.

Ineunte hoc anno Magister *Johannes Mason*, Collegii *Corporis Christi* Socius, *Francisci* vero *Mason*, *Mertonensis*, Frater, in præstandis quæ ad Theologiæ Baccalaureatum requirerentur exercitiis, in dogmatis Pontificii corruptelas imprudenter admodum impegit; quâ de re habitâ per Vicecancellarium ipsumque Regem quæstione, errores suos in Convocatione, duodecimo *Junii* celebratâ, his [f] verbis revocavit:

Cum in exercitiis meis publicè præstitis non solum à reformatæ Ecclesiæ doctrina aberraverim, sed etiam in Pontificorum errores incautus imprudensque inciderim: Protestor coram Deo & hac venerabili Convocatione, me ab omni hæresi Papistica abhorrere, humillimeque me submittere judicio Ecclesiæ Anglicanæ, Domini Vicecancellarii, Doctorum, Procuratorum & Magistrorum hujus florentissimæ Academiæ. Veniam insuper petens ab iis quos in hac parte læsos esse intellexero, paratus insuper ad satisfactionem, vel publicè vel privatim quandocunque visum fuerit iis penes quos authoritas est.

Humilis vester Orator & supplicans Johannes Mason.

His palam prolatis, ulterioris quam Gratiæ tertiâ vice denegatæ pœnâ plectendum non censebant Togati.

Sub idem tempus Regni Ordines imitati Academici (siquidem in Conventu nuper Parliamentario,

[a] *Ibid. in Reg.* K. *fol.* 41. *a.* [b] *Ibid.* 42. *b.* 43 *a.* [c] *Ibid.* 44. *a.* [d] *Ibid.* [e] *Ibid.* 45. *a.* [f] *Ibid. fol.* 52. *b.* & *in pix. AA. nn.* 30.

qui huc usque durabat, Juramentum fidelitatis, in iisdem Comitiis tertio Regis *Jacobi* conditum, sponte dederat Senatorum quisque, decreto ut id à Synodi *Londinensis* patribus ad proximum eorum consessum præstaretur) eos inquam secuti, qui ægre semper ferebant si in officio erga Principem anteverterentur, nostrates, jurejurando de fidelitate sive Allegantiâ (ut cum Leguleis loquar) Regi præstanda sese ultro adstringebant, quo, secundum literas [a] à Cancellario perceptas, onerabantur primitus Vicecancellarius Ædiumque Præfecti necnon Procuratores, à quorum postremis in eadem postmodo verba adigebantur Magistri. Deinceps vero, quod in mandatis quoque à Cancellario acceptum, ut Baccalaurei in Artibus, immo quisquis nomen Albo Academico inscriptum haberet, idem præstaret postulatum est; quam ob rem plurimi qui *Romanensibus* occulte faverent, aut *Calvinismo* inficerentur, se clam subtrahebant, id nimirum Sacramenti devitantes; unde fructum quidem ingentem percepimus, cognito postea quinam ab Ecclesiâ, vel potius ipsâ Republicâ, dissentirent.

Proximo in loco occurrit Doctorum & Magistrorum cura in coercendâ ebrietate (quæ sane haud modice per hæc tempora, cum maximo rei literariæ opprobrio, vigebat, tametsi reprimendæ eidem Statutis quibusdam nuperis consultum fuerat) adhibita; Legibus [b] nonnullis eum in finem rogatis, quarum de numero erat quâ Togatis omnibus edicebatur, ut in Collegiis suis Aulisve pernoctarent, vetito nequis Civium, sive Oppidanus sive Privilegiatus, eorum aliquem hospitio nocturno exciperet, sub pœnâ XL. solidorum si per Mensem integrum exciperet, servatâ eadem in quocunque temporis spatio proportione. Ordinatum [c] insuper est, *quod siquis in posterum Tutor fuerit alicui hujusmodi Tenebrioni à Regimine Universitatis cultuque publico divino se subducenti & latitanti infra parietes alicujus privilegiatæ personæ, eumque aliquo doctrinæ genere instituendum susceperit infra Civitatem* Oxon *vel suburbia ejusdem, vel infrà Universitatem* Oxon *& præcinctum ejusdem, ab ipsa Universitate expellatur & penitus sit bannitus.* Denique, quo hæc effectum sortirentur, constitutum est, ut in his pariter ac Statutis Religionem tangentibus executioni debitæ mandandis, Vicecancellario adessent, opemque quam diligentissime ferrent Sodalitiorum Gubernatores.

CIↃDCXI.

Majorem jam in modum creverat Academicorum numerus, ad mille enim ducentos & quadraginta censebantur, adeo ut amplior seditiosis Campus pateret, sive *Papismi* (quem quidem hauddum exaruisse penitus fatendum) sive *Calvinismi*, uberiorem fructum spondentis, semina spargerent; quâ sane in re operam jam tam Scriptis & Concionibus quam Disputationibus & Colloquiis navabant nonnulli. Cæterum consiliis nefariis mature occurrendum ratus *Egertonus*, Baro de **Ellesmere** (in Cancellarium hunc nuper cooptârat Academia) eas contraveniendi rationes [d] excogitavit, quibus utriusque Sectæ Imitatores ad pauciores brevi recidebant, immo Pontificia illa post paulo prorsus deleta est, cujus reliquiæ ad Seminaria transmarina migrabant: *Cathario* interim plerisque fidem disciplinamque Orthodoxam specie saltem animoque simulato amplectentibus. Dissimulandum tamen non est, quod ad irritum cecidissent Viri prædicti, necnon Magistratuum Academicorum eâ ex parte conatus, nisi subsidio veniisset Regis *Jacobi* (qui nil unquam antiquius habuit quam ut in purgandis Doctrinæ & pietatis fontibus laboraret) industria, cùm *Calvinistæ* enim puriputi essent Ædium aliquarum Præfecti, regiâ omnino authoritate opus erat ut à diffundendis opinionibus prohiberentur.

Hoc præterea anno Universitatem Turbis novis vexabant [e] Oppidani, de excubiarum nocturnarum jure coortis, quod sibi obnixe adeo vindicabant illi, ut Processu forensi coram regii Banci Judicibus litigatum ab utroque Municipio fuerit. Indicitur proinde Conventus Academicorum solennis, in quo enarrat Vicecancellarius quot quantasque injurias ex Privilegiorum, maxime vero ejus quod excubias nocturnas attingit, imminutione passi essemus; quibus tamen posthabitis in pace nos inter ac Oppidanos conciliandâ desudatum jam frustra fuisset, quod conditiones non nisi iniquissimas offerrent fastuosi Cives. His explicatis uno omnium consensu terribili Discommunicationis fulmine, XXIV. *Aug.* publice vibrato, feriuntur præcipui turbarum earum Authores & Adjutores, quales [f] erant,

Richardus Smyth, Sartor.

Thomas Sawbridge, Lintearius, Ballivorum urbanorum alter.

Johannes Bird, pannorum propola.

Thomas Bird, scriptor trapeziticus.

Porro eâdem sententiâ damnatur *Thomas Wentworth*, Recordator, Vir sane dissidiorum istorum Dux & Præcentor, atque Academiæ hostis adeo infensus, ut æternum nobis odium tactis etiam Evangeliis denuntiasse [g] videretur. Edictum vero nequis Cancellarii imperio subditus patrocinio ejus in litibus uteretur, aut commercium quodcunque cum ipso Famulisve ejus exerceret; decreto insuper quod Annalibus nostris insereretur *Wentworthius* ille *Infestissimus & Inimicissimus huic Universitati.* Vigente adhuc Discommunicatione merces à prædictis coemere denuo cœperunt Togatorum nonnulli, officii sui & Juramentorum de tuendis pro virili Academiæ Juribus præstitorum immemores, quos propterea ne in tam gravi delicto persisterent, propositis quæ ex Statuto irrogandæ essent pœnis, monebant Vicecancellarius & Sodalitiorum Præfecti; quo tempore querelæ crebriores de *Gulielmo Potter*, Prætore nupero, apud Gubernatores Academicos deponuntur, quod is utique paulo ante quam Magistratu abiret, Ballivos ne arrepti ut supra dictum Juris quicquam dimitterent [h] hortatus, pecuniam ex Ærario urbano sustinendis cum Universitate litibus erogârat. Propter hæc itaque & alia in Academiam nefarie admissa, communibus nostrorum suffragiis Commercii cum Togatis & Privilegiatis habendi potestate privatur; quam sententiam IX. *Novembris* die propalatam [i] invenio.

Exacerbatis hoc pacto utrinque animis, postquam dicam sibi invicem haud unicam impegerant, & præcipua gravaminum suorum Capita protulerant Municipia, litem omnem Procuratoribus sive Advoca-

[a] *Reg.* K. *fol.* 54. *a.* 56. *a.* [b] *Ibid.* 57. *a.* [c] *Ib.* 58. *b.* [d] *Vide ibid. fol.* 69. *b.* [e] *Ib. fol.* 70. *a.* [f] *Ibid. in K.* 72. *b.* [g] *Ib.* 70. *b.* 72. *b.* [h] *Ib. in K.* 77. *b.* [i] *Ib. &* 78. *a.*

tis

tis quibusdam suis, in Senaculo ad Palatium *Album* conventuris, dirimendam permisit *Jacobus*, atque ibidem xi. *Junii* CIↃDCXII. secundum Academicos decisum est; jussis Discommunicatis *Oxoniam* redire, ibique errores suos palam profitentes veniam eorundem efflagitare; quod haud secus factum in Convocatione primo sequentis *Augusti* celebratâ, sub ejusmodi [a] formâ:

„ Quandoquidem censuerunt Optimates Regi à „sanctioribus Consiliis (quibus utique gravamina „quædam & dissentiones, Universitatem inter ac Ur„bem coortis, terminandas concredidit excellentissi„ma sua Majestas) quod neque illicite neque cum „injuriâ Discommunicatione usa est Academia; ac „proinde à Viris honorabilibus ordinatum est ut „Discommunicatorum nostrorum quisque Universi„tati se absque dolo malo subjiceret, & infra dies qua„draginta post exaratum illud Decretum satis Vice„cancellario Magistrisq; publice in Domo Convoca„tionis faceret, quodque his præstitis in locum pri„stinum restituti in eandem apud Academiam gratiam „admitteremur quâ ante Discommunicationem fructi „sumus; nunc itaque nos ipsi ingenue submittimus, „agnoscimus etiam & profitemur quod ex animis „dolemus, causam aliquam Universitati ejusve Mem„bro cujuscunque dedisse nos, unde conjiceretur Pri„vilegium aliquod Academicum imminuere destinasse „aut Discommunicationem ullo modo meruisse: „atque hic spondemus Libertates legitimas, Privi„legia & Consuetudines hujus Academiæ inviolatas „deinceps conservaturos; obnixe etiam venerandum „hunc Senatum obsecramus, ut submissionem istam „plenæ satisfactionis nomine accipiat, utque Dis„communicationis edictum rescindere placeat, nosq; „ejus vinculis liberatos in pristinam gratiam admitte„re, utque nobis integrum sit Commercium cum „Collegiis ac Aulis, & Personis omnibus privile„giatis exercere.

Gulielmus Potter. Richardus Smithe.
Johannes Bird. Thomas Bird.

Priusquam vero hæc palam recitarentur, singuli culpam conceptis sub hac formâ in domo Convocationis [b] verbis agnoscebant, & observantiam nobis in posterum pollicebantur:

„ Ego fateor me in Universitatem peccasse, eamque „ob rem dolore afficior, promitto autem quod Li„bertates legitimas, Privilegia & Consuetudines „Universitatis illibatas in posterum servabo.

Hanc delicti recognitionem literis protenus mandabat Actuarius Academicus, cumq; aperte in Domo Convocationis à Procuratorum altero perlecta esset, ejus Apographum Noxiorum cuique dabatur, cui ipse nomen suum subscripsit, & sigillum apposuit. Atque hac tandem ratione offensam quam apud Academicos merito incurrerant tollendam procurabant Oppidani, agnitione solenni & submissionibus Ordinum nostrorum iram restinguentibus, adeo ut Discommunicationis pœnâ levatos illico [c] pronuntiarent. Cæterum quod *Wentworthium* & *Sawbridgium*, retro dictos, attinet, eorum primus injuriarum quibus Togatos affecerat [d] pœnitentiam egisse, pœnamque fuisse deprecatus comparet, quod de altero non affirmârim, utpote quem Anathemate illo civili irretitum ad obitum usque crediderim.

CIↃDCXII.

Hunc annum rerum memorabilium feracem abunde reperio, suo autem quamque ordine scriptis mandabo.

I. Festum *S. S. Philippi & Jacobi*, quod in primum *Maii* diem semper incidit, Concioni [e] assignavit Convocatio, apud *Mertonenses*, ex *Thomæ Bickley*, Episcopi nuper *Ciceſtrensis*, Testamento supremo habendæ, is enim pecuniam legârat unde Reditus annui coemerentur, Prædicanti in Honorarium cessuri.

II. Dirui jam cœperant veteres illæ Artium Scholæ; quapropter ne Exercitia Muneraque Academica omitterentur, iisdem hunc in modum [f] prospectum est.

Prælectionum Ordinariarum, inter horas octavam & nonam matutinas haberi solitarum, quinque in Scholâ Theologiæ, tempore consueto, locis autem à Procuratoribus assignandis, obeundæ decernebantur; duabus, insuper dictæ Scholæ Atrio, seu Proscholio, ac totidem Beatæ *Virginis* Cancello attributis; certis utrobique locis à Procuratore quoque nominandis.

Disputationes Quodlibeticæ in prædicto Cancello, horis consolitis, habendæ erant.

Disputationes in *Parvisiis*, quas Generales nuncupamus, horis olim præstitutis, in Capellâ Divæ *Mariæ* Boreali, aut in præfato Cancello; aut deniq; in Domo Congregationis, obire oportebat; certi loci assignatione Procuratori permissâ.

Sex solennes Lecturæ, ab Artium Baccalaureis priusquam Incipiant habendæ, vel prædictam Capellam, vel Cancellum, vel Domum Congregationis sortiebantur.

Determinationibus Baccalaureorum Quadragesimalibus obtigit Schola Theologiæ, vel Ecclesia Beatæ *Mariæ*, vel si collibitum Procuratoribus esset, præfata Congregationis Domus.

Denique, Lecturas in Vesperiis quod attinet, locus iis à Vicecancellario & Procuratoribus assignandus erat.

III. Inter Collegii *Londinensis* hujusque Academiæ Medicos [g] motæ sunt lites, ex denegatâ scilicet Doctoribus nostris & Licentiatis Artem illam exercendi potestate, qualem vero exitum habuerint nequeo dicere. Constat autem utramque Universitatem cum iisdem anno CIↃDCVI. super eâ re [h] litigasse, atque D. *Edoardi Coke*, Militis, supremi Placitorum Communium Justitiarii, ope & patrocinio victoriam reportasse.

IV. Principem illustrem *Fredericum* quintum *Rheni* Palatinum hoc anno expectavimus, qui cùm negotiis gravioribus avocatus invisere Academiam non posset, absentiæ causam Vicecancellario per [i] literas significavit; ad quem tamen Munuscula consueta, Chirothecas nimirum, transmisimus; quorum nomine gratias humanissimas percepimus, literis [k] aliis à Viro Augusto ad Vicecancellarium datis, quarum ejusmodi erat initium; *Reverende & Clariss. Domine Doctor oblatas à vestra Academia chirothecas*, &c.

V. Concionem ad Beatæ *Virginis* obiens Doctor *Johannes Howson*, Ædis *Christi* Canonicus, anno-

[a] *Ib. in* K. 93. *a. & in pix. AA. nu.* 40. [b] *Ib. in K.* 93. *b.* [c] *Ibid.* [d] *Ib.* 142. *a. & in AA. ut supra nu.* 41. [e] *Ibid. in* K. 82. *a.* [f] *Ib. fol.* 103. 104. *&c.* [g] *Ib. in K.* 105. *a.* [h] *Ib. fol.* 2. *b.* [i] *Ib.* 116. *b.* [k] *Ib.* 117. *b.*

tationes

tationes in ſacra Biblia *Genevenſes* obiter perſtrinxit, ea perperàm explicaſſe perhibens quæ divinam Chriſti naturam, & Mediatoris officium ſpectarent, quâ ex parte cum *Arrianis* & *Judæis* contra veritatem evangelicam ſenſiſſe viderentur Annotationum earum Autores. Id ægre ferens Doctor *Rob. Abbot* (hoc tempore, niſi me fallo, Provicecancellarius) Hominem aut ſuſpenſione aut Retractatione ſaltem ſolenni mulctavit, *propter Conciones publicas minus orthodoxas & offenſionis plenas*; revera autem aſperius tractatum fuiſſe *Howſonum* crediderint quotquot vel unicum illud Sereniſſimi Regis *Jacobi* Suffragium rite perpenderint, is enim Commentationes illas tanquam partium ſtudio abductas Cenſurâ Regiâ notavit.

VI. Mortuus hoc anno eſt *Henricus Princeps*, populi *Anglicani* amor & deliciæ, qui Proſapiam ſplendidiſſimam Virtutibus illuſtravit; cujus ex obitu gravior, ut par erat & veriſimile, mœſtitia Togatos inceſſit, qui manibus proinde auguſtis bifariam parentàrunt. Primo enim dolorem Academicorum ingentem enarravit Magiſter *Rich Corbet* Procuratorum alter, Orationem in Eccleſiâ Divæ *Mariæ* habens, cui tale erat initium : *Quam ſit ſemper vobis, & pronum juſto ſervire dolori, ſobriiſque lachrymis obtemperare, ipſi mihi vos dixiſtis modo, qui & egregio Oratori & invido argumento fideliter ceſſiſtis, mihi tantum poſt conſumptum humorem & hiſtoriæ meæ, fidem veſtram, & ſuſpiria præſtituri*, &c. Porro frequentibus Epicediis integrum librum complevere, Juvenem tot laudibus, tantoque luctu proſecuti, ut facile conſtaret niſi in fratre ſuperſtitem habuiſſet, vix talem unquam peperiſſe *Britanniam*.

VII. Compertum jam erat tuguria CL. infra annos quinquaginta erexiſſe Cives, quod non ſine ſummo Academicorum detrimento (ut taceam id Regi quoque fraudi fuiſſe, cujus ex Sylvis haud procul hinc diffitis lignum frequenter, in foci nempe fomitem, ſuffurabantur tenuiores eorundem incolæ) factum jam ante oſtendimus. Querelis autem eâ de re ad Concilium regium delatis, Cancellario Academico & Seneſchallo urbano demandatum eſt tanto malo mederi, & præcavendo deinceps invigilare.

VIII. In extremis agente clariſſimo illo bonarum literarum Patrono *Bodleio*, quantum languori ejus atq; morbo indolerent teſtabantur Vicecancellarius, Ædium Præfecti, ac Procuratores, literas XVII. *Januarii* datas his verbis auſpicati : *Quos dolores ſolent adnata membra affecto corde perſentire, iiſdem plane nos* (*clariſſime* Bodleie) *te Corde noſtro periclitante laboramus*, &c Reliqua ego impræſentiarum omitto, utpote *Oxoniæ* tandem [a] edita. Poſtquam autem fatis conceſſerat, Viri obitus, & Legata Scholis novis piiſque aliis uſibus adſcripta, in Convocatione pateſiunt, ubi deliberatum ab Academicis eſt quonam pompæ funebris apparatu tanti Mecœnatis manibus juſta perſolverent, quibus XXIX. *Martii* ann. CIↃDCXIII. aſſignatur. Paucis ante diebus Corpus ab Ædibus ejus, in vico S. *Bartholomæi* minori *Lond. Oxoniam* [b] deportatur, & in Collegii *Mertonenſis* Refectorio deponitur, Armis aliiſque ordinis Equeſtris Inſignibus de more ornatum, præſentibus etiam, quo major defuncto honor deferretur, Fecialibus tribus (quorum primus erat *Clarentius*) cum aliis potioris notæ bene multis, *Lawrentio* nimirum fratre demortui natu majori, *Johanne Bennet*, Milite, LL. Doctore ac Curiæ Prærogativæ Archiepiſcopi *Cant.* judice, *Gul. Hakewill* ex hoſpitio *Lincolnienſi Lond.* Armigero (hi duo ſupremorum mandatorum Curatores erant) *Georgio Hakewill*, S. Theol. Profeſſore, *Gulielmi* fratre, & *Lawrentio* denique *Bodley*, mortui Nepote, & Collegii *Mertonenſis* hac tempeſtate Portioniſta.

His addendi, Doctor *Gulielmus Goodwyn*, Ædis *Chriſti* Decanus (concionem is funebrem habuit) Doctor *Singleton* Vicecancellarius, Procurator uterq; & Bedelli omnes, cum Collegii *Mertonenſis* Sociis, Capellanis, Portioniſtis, ac famulis, necnon Academicis pauperioribus LXVII. (*Bodlei* nempe annos numero æquantibus) à Sodalitiorum Præfectis ex Teſtamento ejus nominatis, pulloque veſtitu donatis; ipſius enim viri famulatum, alioſque nonnullos prætermitto. Aderant porro Collegiorum omnium & Aularum Rectores, ac Togati propemodum innumeri, Graduum Inſignibus ornati, qui cum retro dictis circa nonam horam matutinam funus à *Mertonenſibus* per Ædes *Chriſti*, atque inde (ut tantæ ſolennitati amplior daretur locus) ad *Quadrivium*, hinc vero ad Divæ *Mariæ*, ac poſtremo per Vicum *Scholarum* in Scholam Theologicam deducebant, depoſitoque ibidem Corpore, illuſtriſſimi Herois laudes Oratione facundâ & eleganti percenſebat Mag. *Richardus Corbet*, ex Æde *Chriſti*, qui Oratoris nempe publici vices tunc temporis obivit. Ad beatæ poſtmodo *Mariæ* (ubi ſcilicet κενοτάφιον pridem erectum fuerat) revectum eſt corpus ibique Concionem habuit Doctor *Goodwin*, antedictus; præſtitis autem reliquis omnibus, funeri ſplendorem conciliantibus, ad *Mertonenſem* denuo Eccleſiam deducitur, ſacræque magni viri exuviæ (habitâ prius in Tumuli margine per Magiſtrum *Johannem Hales*, Collegii Socium, oratione [c] luculentâ) ad ſuperiorem chori partem, ſub Pariete autem Boreali, inhumantur. His ita peractis, in Collegii Refectorium una cum Sodalitiorum Præfectis redeunt quotquot pullati inceſſerant, prandioque quod c. libr. valebat excipiuntur; cujus utique impenſæ ex libris illis DCLXVI. XIII. ſol. & IV. den. deſumptæ fuerant, quam pecuniam ſumptibus funebribus aſſignârat *Bodleius*, cujus de morte ac ſepulturâ hæc forte ſufficiant, in vitâ vero rebuſque geſtis enarrandis nemo unquam nimius eſſe poterit. Die proximo *Lawrentium Bodley* Demortui fratrem Theologiæ Doctoratu, *Gulielmum* autem *Hakewill* (è Collegio hic olim *Exonienſi* fuerat) & *Gulielmum Camdenum*, fecialem Regem *Clarentium* ante dictum, Magiſterio [d] decoravit Senatus Academicus.

CIↃDCXIII.

Hoc anno memorabilis occurrit moleſtia Procuratori *Corbetto*, ex Æde *Chriſti* ob Concionem in die *Paſchatis* habitam, creata; ſiquidem ille localem Domini ad Inferos deſcenſum ſuadens, *Calvinum* tanquam veræ fidei corruptorem obiter notavit, eâq; de re tam graviter à Magiſtro Conciones ſolennes (quarum plenior alibi in hoc opere fit mentio) memoriter Repetente increpitus eſt, (quod hortante Doctore *Abboto* factum ſuſpicabantur Academicorum plerique) ut niſi animo plane infracto prædi-tus eſſet, Academiâ ſe clam prorepturus videretur;

[a] *Ann. Dom.* 1658. K. *ut ſuph a fol.* 118. *a.* [b] *Reg.* 2. *Coll.* Merton. *p.* 244. [c] *Edit.* Oxoniæ *ad finem* Bodleiomnemæ 1613. [d] *Ib. in*

periculi

periculi adeo plenum hoc temporum tractu erat *Calvinum*, Magistratuum aliquorum delicias, quodcunque ob delictum verbis castigare. Eodem quasi tempore de novâ Collectores eligendi ratione deliberatum [a] est, ex occasione scilicet motarum in iisdem superiori Quadragesimâ cooptandis turbarum. Id vero negotii Delegatis quibusdam permissum invenio, quâ tamen in re parum admodum præstitisse comparent, cum vetus ille Collectores deligendi modus ad Cycli usque Procuratorii institutionem, hoc est ad annum CIↃDCXXVIII. obtinuerit.

Hoc insuper anno *Josephus* quidam *Barnatus* cum gente, tum superstitione, Judæus, *Oxonii* agens (ubi juniores Academicos satis feliciter instituit in literis hebraicis) subdola fraude simulaverat, se Dominum *Jesum* pro vero *Messia* seriò amplecti & venerari; pristinis blasphemiis graviter indolere, fratrum suorum occæcatos oculos, obdurataque cordâ mœstè deflere; nihil ardentius desiderare, quam ut in Christianæ Ecclesiæ sinum per sacramentum Baptismi admitti mereatur. Hisce dolis ut aliorum Doctorum, ita præcipue *Arthuri Lakæi*, Collegii *Novi* Custodis, dignissimi, postea Episcopi *Bathonienſis*, benevolentiam captaverat. Dies quidam dominicus publicè indictus est Baptismo in B. *Mariæ* Ecclesiâ solenniter administrando, atque *Gulielmo Tuissio* ejusdem Collegii socio mandatum est, concionem habere Sacramento præviam; quam ille satis studiosè adornat. Verum die proximo ante Baptismum suscipiendum, bonus *Josephus* clanculum se subducit. D. Doctor *Lake* pedites Equitesque emittit *Josephum* persecuturos, quem deprehensum *Oxoniam*q; reductum, frustra objurgant catechistæ, is enim ultro profitetur, se ad ejuratum Judaismum redire, Christum ridere, Baptismum contemnere; scilicet crumenam jam satis impleverat. *Tuissius* concionem quam paraverat seponit, pro re natâ dicturus de justissimo Dei Judicio, deq; perversa gente in reprobum animum tradita in hunc usque diem, quod quidem præstitit non sine totius Academiæ & plausu, & admiratione; nimirum orationem habuit compositam paucioribus horulis quam vulgus ingeniorum septimanas, imo menses, requirit ad parturiendam conciunculam soni quidem plenissimam, sed sensus satis vacuam, & post longissimas moras usque abortivam.

CIↃDCXIV.

Prætermissâ *Gulielmi Powell*, è Collegio *Jesu*, *Gualterum Williams*, ex eodem Sodalitio, ultimo *Februarii* interimentis Causâ (cujus utique cognitionem vindicabat sibi Universitas, *Powello* satisdare coacto in Consessu proximo juridico, quem *Assisas* nuncupamus, se compariturum) Seditionem contra Vicecancellarium & Doctores à Magistris quibusdam Regentibus motam referemus. Ægre siquidem ferentes illi Facultatis Artium, in quâ ipsam quoque Academiam fundatam intellexere, Professores, nudatis in Domo Congregationis & convocationis Capitibus, tanquam si Ferulæ hauddum manum subduxissent, considere, in tollendâ disciplinæ puerilis portiunculâ satagendum arbitrabantur. Erat ante alios ad ejusmodi quippiam aggrediendum paratus *Henricus* quidam *Wightwicke*, qui Statuti eam in rem conditi mentionem aliquam percipiens, & à Magistrorum Regentium juxta & Non-Regentium, Convocationem celebrantium, Imagine, in occidentali illâ Beatæ *Virginis* fenestrâ olim conspiciendâ (ibi autem coopertis omnes Capitibus cum Cancellario considebant) nonnihil colligendum opinatus, Pileum ipse in Senaculo prædicto induebat, ut ereptum sibi jus assererent alios adhortatus. Pertracto tandem in eandem sententiam Regentium altero (qui quidem strenuum dein magis ac intrepidum sese quam ipse *Wightwickius* ostendebat) ab eorum plerisque impetravit, ut Libello cuidam supplici nomina subscriberent, quo Privilegium hoc suum à Cancellario efflagitarent. Consilia Regentium Doctori *Singletono*, Vicecancellario, mature innotuerunt, qui Cancellario confestim rem omnem aperiebat, & ab illo potestatem [b] accepit prout sibi videretur decernendi; instituto autem de *Wightwickio* examine, tanquam Academiæ decus ac Regimen evertentem (quod scilicet juramentum ipse dedisset de Ritibus, Consuetudinibus, & Privilegiis Academicis tuendis & conservandis) Universitate pellit, perlectis ad reliquam Congregationem (quæ sane fidem *Wightwickio* datam fefellit) Cancellarii literis, quibus ipsam ob rerum novarum studium objurgavit. Motus denique amicorum hortatu & consilio *Wightwickius* animum præferocem & pertinacem deposuit, ac libellum [c] supplicem, (appositis in Viri gratiam Episcopi *Londinensis*, & *Johannis Bennet*, Equitis aurati, nominibus) Cancellario Academico obtulit, ut in Universitatem denuo admitteretur impense rogans. Is rem omnem ad Vicecancellarium remisit, prout ipsi collibitum esset statuendum concedens, à quo in proximâ Convocatione XXV. *Junii* celebratâ comparere jussus *Wightwickius*, præsentem se dedit, & in medio divæ *Mariæ* Adyto, seu Cancello, velut nobis loqui solitum, collocatus, pœnitentiam his [d] verbis profitebatur:

Ornatissime Domine Procancellarie, vosque Domini Doctores pientissimi, quotquot me vel banniendum vel bannitionem meam ratam esse voluistis, ut vobis omnibus & singulis innotescat [c] *discupio: me* Henricum Whitwicke *pileum coram Domino Vicecancellario* Thoma Singleton *capiti haud ita pridem imposuisse, qnod nemini Magistrorum in Congregatione vel Convocatione licere fateor. Scitote quæso præterea, me supra dictum* Henricum *à sententia Domini Vicecancellarii ad venerabilem Domum Congregationis provocasse, quod nec licitum nec honestum esse in causa perturbationis pacis facilè concedo. Scitote denique me solum, manus Academicorum egregiè merentium Theologiæ Baccalaureorum & in Artibus Magistrorum in hac corona astantium Collegiatim & Aulatim cursitando rescripto apponendas curasse, in quibus omnibus Præfectis diplicuisse, in pacem almæ hujus Academiæ & in dignissimum nostrum Procancellarium deliquisse, parum volenti animo confiteor, & sanctitates vestras humillimè imploro, ut quæ vel temerè & inconsultò, vel volenter & scienter feci, ea, ut deceat homines, condonentur.*

Henricus Wightwicke.

His palam recitatis delicti sui veniam indultam habuit ille, pristinumque statim in Venerabili Consessu locum capessivit; qui tamen cùm Collegii nuper *Pembrochiensis* Magister, sive Præses

[a] *Ibid. in K. fol.* 131. *a.* [b] *Ibid. fol.* 145. *b. & in pix. AA. nu.* 31. [c] *Ibid. in* K. [d] *Ib. fol.* 146. *b. & in pix. AA. nu.* 32. [c] Discupio *sensu plane contrario*

esset (rectoriâ postmodo de **Kyngerbey** in Agro *Lincolniensi* fruebatur) adduci non poterat ut fateretur se pœnam unquam deprecatum fuisse, renitente enim integrâ Academiâ voto potitum, atque adeo animo & consiliis invictum, junioribus pridem Academicis divenditabat ; post annos nimirum quadraginta sex neminem fore superstitem existimans qui mendacii coargueret, at vero Annalium oblitus quorum fide rerum gestarum Veritas ex altâ & obscurâ temporum abysso, tanquam ex Puteo illo philosophico, haud raro eruitur. De hac autem circa Pilei jus contentione adeas, si lubet, an. CIↃDCXX.

CIↃDCXV.

Omitto contentiones inter *Laudum* Collegii S. *Johannis*, & *Abbotum* Professorem Regium de *Calvini* dogmate exortas, quod à primo in Concionibus impugnatum, ab altero autem acerrime defensum. Hoc autem anno Regem *Woodstochiæ*, mense *Augusto*, habentem adibant Vicecancellarius, Procuratores, & nonnulli Ædium Præfecti, cum aliis quibusdam observantiam quoque suam testari cupientibus, quorum omnium nomine *Jacobum* Regem, Oratione concinnâ & eleganti salutavit publicus Academiæ Orator, atque una cum reliquis dextræ augustæ osculum impertitum habuit, Rege interim spondente, pristinâ sese benevolentiâ Universitatem perpetuò amplexurum. His peractis, honoraria munera de more obtulimus ; neque amplius quicquam eâ de re, aut aliâ quavis, hoc anno occurrit quod commemorandum videatur, Dona quædam si excipias Academiæ delata, quorum alterum augendo Prælectionis cujusdam stipendio consignatum est, ac proinde suo loco referetur.

CIↃDCXVI.

Absoluta pridem erant Collegia *Wadhamense* ac *Jesu*, cæterum Vices suas in publicis Exercitiis, aliisque Academiæ negotiis, hauddum fuerant sortita ; quapropter eâ re Delegatis quibusdam demandatâ, constitutum [a] est, ut *Wadhamensi* statim ante quam *Lincolniensi*, Collegio autem *Jesu* prius quam *Balliolensi* vices illæ obtingerent ; utque quoad concionandi seriem primum locum obtineret Sodalitium *Jesu*. At vero id habuit incommodi adauctus Collegiorum nostrorum numerus, quod *Calvinismi* fines latius inde diffunderentur ; Regi itaque significatum est, quam esset metuendum ne totum denique Regnum occuparet *Presbyterianismus*, si cum disciplinarum rudimentis eundem imbiberent Academici ; factu vero illud facillimum jam esse, quod pauci admodum tribus Articulis Canone tricesimo sexto comprehensis assensum suum subscriptis nominibus profiterentur, atque inde fieri ut qui Ecclesiastico regimini adversarentur, & Liturgiæ administratione cæterisque muniis sacris insuper habitis concionibus toti vacarent homunciones, prælectores sive **LECTURERS** dicerentur, & ab Ecclesiæ *Anglicanæ* Doctrinâ aliena dogmata proseminarent. His inquam ad Regem perlatis, cum Episcopis aliisque quotquot secum adessent Ecclesiasticis Consilia, XVIII. *Jan.* miscebat, & post maturam deliberationem, Mandata illa ad Vicecancellarium, nonnullos Ædium Præfectos, Theologiæ Professores, binosque Protectores [b] transmisit, eorum nempe operâ executioni sedulo tradenda.

I. Edixit, ut Articulis tribus, paulo ante dictis, subscriberent quicunque ad Gradum aliquem admittendi essent.

II. Ut nemo in Urbe *Oxoniensi* Evangelium prædicare permitteretur ; qui rebus in omnibus, maxime autem Subscriptione illâ, Ecclesiæ *Anglicanæ* conformem se minime præstaret.

III. Ut Togatorum quisque Concioni ad Beatæ *Virginis* habitæ interesset, neque interea temporis Ecclesiam quamcunque aliam adire liceret ; utque Concionibus prædictis diligentius prospiceretur, ne scilicet vel tempore matutino vel pomeridiano omitterentur.

IV. Ut Disputationes Theologicæ, quas Ordinarias vocant, non paucioribus quam tribus in arenam descendentibus perficerentur.

V. Ut sedulo magis in posterum caverent Magistratus, ne Oppidanorum Ædes, præsertim vero noctu, frequentarent Togati.

VI. Ut & in Sacellis, & ad Scholas, habitu Scholastico uteretur Academicorum quisque.

VII. Ut Theologiæ tyronibus in manus traderentur Authores cum Ecclesiâ *Anglicanâ* quoad Doctrinam ac Disciplinam potissimum sentientes ; utque ad operam iisdem, necnon sanctis Patribus, Conciliis, Scriptoribus Scholasticis, Historicis, ac Polemicis impendendam excitarentur ; ne scilicet in Abbreviatoribus, scriptisque compendiariis diutius hærentes lubrica ponerent studiorum Theologicorum fundamenta.

VIII. Necui pro sacro Suggesto aut in Scholis licitum esset Doctrinam aliquam, ab Ecclesiâ *Anglicanâ* minime probatam, obnixe ac dogmatice defendere.

IX. Ut quotannis in Termino S. *Michaelis* Regiam Majestatem (si in has forte Regni partes accedere contingeret) adirent Vicecancellarius, & Professores bini Theologici, vel totidem Sodalitiorum Præfecti ; certiorem nempe facturi quatenus jussa hæc sua executioni essent mandata, suumque sortirentur effectum.

Ab his autem Constitutionibus numeranda sunt decrescentis nobiscum *Calvini*, Scriptorumque ejus, existimationis primordia ; quæ quidem decreta longe magis profuissent, nisi obstitisset Doctor *Goodwyn*, Ædis *Christi* Decanus, Socerique Doctoris *Prideaux* Vicecancellariatus, in eadem pene tempora incidens ; vel potius nisi eadem pro virili suâ parte impugnasset ipse *Prideauxius* ; quibus malis accessit Doctoris *Benefeild*, è Collegio *Corporis Christi*, Professorum Theologicorum alterius pigritia ; qui quamvis *Calvinismo* pariter adhæreret, quietis tamen appetentior erat. Utcunque, licet fructu uberiori caruerint Constitutiones istæ, illum tamen *Presbyterianis* metum injecerunt quamprimum promulgarentur, quem neque vicesimus inde annus omnino delevit ; anno enim CIↃDCXXXVI. ab *Henrico Burton*, vici **Fryday street** *Londini* Parocho in famoso quem edidit libello convitiis impetitas invenio, novisque Archiepiscopi *Laud* Præsulumque reliquorum machinamentis, evertendæ penitus Religioni excogitatis, annumeratas.

[a] *Reg. Convoc. N. fol.* 29. *b.* & 30. *a.* [b] *Ibid. fol.* 32. *a.* & *b.*

CIↃDCXVII.

Ad Mandatorum eorum executionem redeo; quam nempe Vicecancellario & Sodalitiorum Præfectis, aliisque nonnullis [a] concredidit Comes *Pembrochiensis*, in Cancellarium Academicum haud ita pridem cooptatus; quos ut industriam eâ in re haud vulgare me exercerent adhortabatur. Quo Capita vero supradicta statutis munirentur, aut in Statutorum formam redigerentur, Delegati quidam à præfatis nominantur, qui sociatis operis & consiliis decreta quædam ultimo *Martii* [b] condiderunt, hunc sese in modum habentia.

Quod Capita, seu Articulos fidei attinet, primo in hæc verba subscribendum decernebatur: *Ego A. vel nos B. B. perlectis prius vel ab alio coram me vel nobis recitatis Orthodoxæ fidei & Religionis Articulis xxxix & in sacrâ Synodo* Londini *habita anno Dom. CIↃDLXII. constabilitis, simulque tribus capitibus in alia Synodo* Londinensi *sub annum CIↃDCIV. decretis & in Canonem xxxvi. redactis sciens volensque, seu scientes & volentes, ex animo subscribo, vel subscribimus.*

Ejusmodi porro condita est Academicum quemvis Vicecancellario & Procuratoribus in Domo Congregationis præsentandi formula: *Præsento vobis hunc meum Bac. vel Scholarem, ut admittatur, &c. ad quam quidem admissionem scio eum aptum, habilem & idoneum moribus & scientia. Quem insuper scio legisse, vel ab alio recitatos audivisse, omnes Articulos quibus coram Procuratoribus subscripsit.*

Ad Articulum secundum quod spectat, hunc in modum ordinatum est; *quod* scilicet *nulli publicè concionandi intra Academiæ Pomœria facultas prius concedatur, quam Collegii Aulæve suæ Præfecti, Eove absente Vicarii ejus aut surrogati ubi tum agit testimonio approbatus fuerit, æqualem ac parem subscriptioni suæ vitam accommodasse & constanter accommodare.*

De Articulo tertio his verbis constitutum: *siquis in publicis Academiæ Concionibus præsentem se non exhibuerit, vel tum ubi eas haberi contigerit, ad aliam Ecclesiam se contulerit, si decimum octavum annum compleverit, sive gradu aliquo insignitus fuerit sive non insignitus, xii. den. pœna mulctator. si vero decimum octavum annum non superaverit, & gradu aliquo Academico ornatus non fuerit, eandem pecuniæ summam solvito, aut pro arbitrio Domini Procancellarii & Procuratorum Virgis cæditor. Si quis vices suas in concionando non subeat viginti sol. pœna plectitor, sicut anteactis temporibus, vetera Academiæ statuta exigunt.*

De quarto autem in hæc partim verba: *Disputationes Theologicæ quas Ordinarias vocant in Auditorio Theologico, non minus quam tribus Opponentibus perficiuntor; quo in numero Professor Regius semper unus habetur. Opponentes Thesibus pro forma discutiendis, & de more valvis Ecclesiæ B.* Mariæ *Virginis affigendis, prænomina & nomina danto, Simulque cujus Collegii cujusve Aulæ alumni sint subscribunto; Ornamentis insuper Scholasticis, ut cujusque gradus postulat, decenter induti, ab Ecclesia B.* Mariæ *Virginis præeunte Moderatore ad Scholam Theologicam procedunto, &c. &c.*

Circa Articulum quintum plurima sunt constituta; in Oenopoliis nimirum aut popinis, &c. deprehensos monendos primo, dein publice castigandos si per ætatem liceret, &c. mulctandos denique, esse & quartâ vice peccantes Academiâ exterminandos, &c, quæ cum locum sibi ampliorem vendicent brevitati studens omittenda censui.

De Articulo sexto sancitum inter alia, *quod singuli Gradu aliquo insigniti ad publica exercitia, Disputationes, publicas preces in Ecclesia B.* Mariæ, *Conciones ad Clerum latinas Anglicasve, denique preces diebus festis intercisisve in Collegio habendas, cultu Academico gradibus suis convenienti procedunto. Qui non paruerit, pro secunda* III. *sol. &* IV. *den. pro tertia* V. *sol. pro quarta demum* VI. *sol. & viii. den. mulctâ, fisco Academico per Procuratores colligenda, applicandaque adscitor. Artium Baccalaurei, Scholaresque sive Equitis aurati, sive Armigeri, Generosive filii in sedilibus in usum Magistrorum dispositis, concionum publicarum, aliorumque conventuum tempore, ne discumbunto. Nobilium filii & ii quorum habenda est ratio, locum à latere utrinque occupanto: reliqui neque sedento neque caput operiunto.*

De septimo autem in hunc modum: *In Prælectionibus catechisticis, quæ in singulis Collegiis Aulisve haberi solitæ sunt, Christianæ fidei Religionis Articuli xxxix. in Synodo* Londinensi *anno CIↃDLXII. Decreta leguntor explicenturque per Sacrarum Scripturarum axiomata, Patrum antiquorum & Conciliorum testimonia solidè confirmentur.*

De nono denique in hæc verba: *Quicunque communis nostræ fidei decretum aliquod secus inter concionandum interpretatur, quam Sacra Scriptura determinatum est, vel alieni pravique dogmatis opinionem fovet, ex quo partium studio probabiliter esse addictum constet, tametsi concionandi facultas illi antea indulta sit, Procancellarius continuo atque hoc innotuerit illum coram se & sex Doctoribus Theologis simpliciter senioribus qui in concione interfuerint (quorum unum Professorem Regium esse semper volumus) aut si aliqui forte defuerint, eorum loco substituendis Theologiæ Baccalaureis qui tum in concione præsentes fuerint, convenito, deinde si quis in hoc genere peccasse convincatur, ne ulterius contagio erroris serpat & foras ad multitudinem emanet, errorem sic disseminatum publice revocare teneetur., perque quadrimestre spatium ab officio concionandi & (si videbitur commodum) amplius longiusq; tantisper inhibeatur, donec plene resipuerit & Ecclesiæ Anglicanæ institutis per omnia obsequentem sese accommodaverit.*

Hactenus itaque de statutis iis, quæ cum essent propalata *Catharos* miris modis turbatos ac solicitos habuere, Doctori autem *Laud* invidiam haud modicam cumulabant, quod is nempe & Articulorum suasor, & Delegatorum Statuta illa condentium alter fuerat; quibus tamen vel inviti obtemperabant, ne scilicet regiâ autoritate injuncta labefactantes non tantum expulsione sed & graviori aliquo supplicio plecterentur.

[a] *Ib. in N.* 37. *b.* [b] *Ib. fol.* 41. 42. 43. *& in* C. *fol.* 149. *&c.*

CIↃDCXIIX.

Collegium nuper, optimo quidem instituto, *Chelseiæ* prope *Londinum* fundarat Dr *Matth. Sutclive*, Ecclesiæ *Exoniensis* Decanus, eruditis nempe Theologiæ Polemicæ Professoribus destinatum; in illo enim ali perpetim voluit qui Ecclesiam *Anglicanam* contra *Romanenses* & Schismaticos scriptis defenderent. In Sodalitium illud *Oxonienses* complures assumpserat, quibus ad Episcopatus nuper aliasve dignitates evocatis, ab Academiâ nostrâ per [a] literas hoc anno, vel haud ita pridem, petivit *Sutclivius*, ut viros Controversiarum peritiâ reliquis præpollentes nominaret, qui in discedentium locos cooptarentur; transmisso etiam eorum Catalogo quos ipse ad id Muneris idoneos præsertim existimaret. Perceptis Viri literis, designationem ejus quoad pleroſq; probavimus, Schedulam vero aliquatenus ab acceptâ diversam rescribentes obtulimus, quam Calathum recte appellâris floribus ex amæniſſimo musarum horto excerptis onustum; nomina autem sic se habuere.

Johannes Prideaux
Sebastianus Benefeild } SS. T. P. P.
Thomas James,

Georgius Carleton, è Collegio aliquando *Mertonensi.*

Edoardus Gee, è Collegio *Æneanasensi.*

Richardus Fitzherbert, è Coll. *Novo.*

Georgius Birket.

Christophorus Potter
Daniel Ingoll } è Coll. *Reginensi.*

Johannes Sanderson.

Richardus Corbet, ex Æde *Christi.*

Daniel Featley, è Coll. *Corporis Christi.*

Matth. Style
Nath. Norrington } è Coll. *Exoniensi.*
Nath. Carpenter

Quinam eorum in Sodalitium illud admissi fuerint ignorare me fateor; verum id habeo pro comperto, & alios nonnullos expetitos, cumque plurimis honoris & benevolentiæ indiciis exceptos fuisse.

CIↃDCXIX.

Cum secum in animo reputaret *Henricus Savile*, Miles, & Custos *Mertonensis*, quantum detrimenti ex inculto & tantum non penitus derelicto Matheseos studio paterentur literæ, Ad Academicorum Ingenia ejusdem amore inflammanda se convertebat. Impetratis ergo licentiâ regiâ & Universitatis consensu, binas hoc anno Prælectiones, alteram nempe Geometriæ, Astronomiæ alteram, instituit; prædiis quibusdam transcriptis quibus splendide ac liberaliter sustētari possent earum Professores. Primam ipse Prælectionem Geometricam, die Mercurii, in hebdomadâ Comitiali, an. CIↃDCXX. obivit; Scholam Theologicam horâ nonâ matutinâ ingressus, & à Vicecancellario, Doctoribus plerisque, ac frequenti Magistrorum aliorumque Graduatorum coronâ, cinctus. Idem ille diebus tribus aut quatuor proximis, necnon in aliquam sequentis Termini partem ibidem præstitit; dein vero ad Scholam novam, Geometriæ ab Academiâ assignatam, se contulit, ibique ad Natalem usque domini, seu potius Termini exitum, prælegit.

Proximo Termino Magistro *Briggs*, in Professorem à se nominato, Cathedram concessit, atque is octavo *Januarii*, horâ octavâ matutinâ, Munus adivit, & Academicos Oratione facundâ salutavit; sequenti autem hebdomadâ, diebus Lunæ ac Mercurii *actualiter* prælegit, *Savilium* in primo Elementorum *Euclidis* libro excipiens, & cum Propositione ejusdem nonâ auspicatus; qui quidem Arithmeticam porro, ter qualibet Septimanâ, *Mertonensibus* præmonstravit, quibuscum Commensalis erat quamdiu *Oxoniæ* commorabatur. Prælecturam Astronomicam quod attinet, eadem fungi detrectabat *Savilius*, partibus iis Doctori *Bainbridge* demandatis, qui Orationem proinde auguralem IX. *Jan.* CIↃDCXX. habuit. Cæterum abs re non erit & reliquam illustrissimi Mecænatis munificentiam paucis complecti, I. Bibliothecam Mathematicam privatam in prælectorum suorum usum juxta Scholas Mathematicas instruxit. II. Cistæ, quam ipse instituit, Mathematicæ centum libras donavit. III. Novarum Scholarum fabricæ centum & viginti libras dedit. IV. Bibliothecam *Bodleianam* pluribus tum typis excusis tum manuscriptis libris rarioribus ornavit. V. Officinam Universitatis Typographicam literis Græcis innumeris, literarumque matricibus (monumento insigni) ditavit. Tandemque Testamento almæ Universitati, Prælectoribus suis, cistæque Mathematicæ annuum quadraginta librarum reditum in dotationis quæ præcesserat mantissam legavit.

CIↃDCXX.

Huic anno inscribenda sunt Prælectionis in Naturali Philosophiâ, necnon Horti Medici, primordia; siquidem de iisdem instituendis agi jam primitus cœptum est, quorum Fundatores oblatam à se benevolentiam summo cum gaudio amplecti togatos intelligentes, in absolvendis quæ molirentur moras haudquaquam trahebant. Sub idem tempus Opera sua erudita, publici nunc juris facta, *Oxoniam* transmisit *Jacobus* Rex, locupletissimo nimirum Biblophylacio nostro inferenda. Quibus acceptis, XXIX. *Maii* indicitur Senatus Academicus, ad quem & ipsius Authoris & Scriptorum laudes pro rostris deprædicavit Magister *Richardus Gardiner*, ex Æde *Christi*, Oratoris publici vices obiens; Orationem vero his verbis exorsus: *In re tam augustâ, tam Basilica, quorsum (Academici) more solito angustis hisce parietum Carceribus vestrum compingitis Oratorem?* &c. Facto autem dicendi fine, perlecta palam est Epistola, quantâ ex dono Regio lætitiâ perfunderentur, gratiasque quam infinitas *Jacobo* haberent Togati, hunc in modum testata:

Serenissimo Jacobo, *tam Stylo, quam Sceptro Regi.*

Augustissimum, & verè Βασιλικὸν δῶρον (*Rex Serenissime*) *tanquam Ancile quoddam cœlitùs de-*

Lapsum

[a] *Ibid. in N. fol.* 40. *a.*

lapſum pio affectu amplexa eſt Ancilla veſtra, Oxonienſis *Academia. Cujus enim pectus non accendat aureum hoc ſolis jubar? Quos ſtimulos non imprimat perpetuum honoris ſignum, & ampliſſimum favoris monumentum? Parum abeſt, quin ſpatioſus* Britanniæ *ambitus ſimul in Academiam laxetur, & unanimis undequaque populus ad Regis exemplum compoſitus, in Gentem Philoſophorum vertatur. Agnoſcit ſacrum Muſarum adytum Majeſtatis veſtræ genium, aureo volumine incluſum. Agnoſcunt circumſtipantes reliquorum Muſæ anteſignanum hunc Phœbum, cujus radiis ſuas debent ſtricturas. Felicitatem tamen ſublimi, debitâ tamen, ſuperbiâ admiratur Bibliotheca, cujus fidæ cuſtodiæ tam Regale depoſitum conſecratur. Gloriatur univerſa Studioſorum cohors, Majeſtatem veſtram, quàm gladio accingi, & imperii habenas literarum Caduceo moderari. Deſinant igitur ambulantium hominum cadavera literas deſpicere, quas neſciunt; cùm cogitarint Principem tam multa ſcientem quam regentem, horarum formulas viciſſitudine Regiminis, & ſcriptionis dividentem; ac ſi æquè jucundum in literis, ac imperio verſari. Quid ſupereſt, niſi ut æternitatem cogites, cum literas æternas eſſe facias. Nos interim grato ore reſonabimus, monarchæ* Jacobi *otium plus patriæ, & humano generi profuiſſe, quam aliorum negotium & exercitus*

Sacræ Majeſtati veſtræ
devotiſſima
Oxonienſis *Academia.*

Sub ejuſdem anni finem, de Jure Magiſtrorum Regentium, Capita nimirum in Congregatione & Convocatione operiendi poteſtatem ſibi vindicantium, deliberari denuo cœpit; hi ſiquidem, aſcitis ſibi Non-Regentibus quibuſdam, Libellum [a] ſupplicem conſcripſere, & LIII. nominibus munitum Vicecancellario, Doctori nempe *Prideaux*, porrigebant; quem utique præcipiti conſilio haud ita deditum norunt, & propterea æquiorem ſibi quam *Singletonum* fuerant experti ſpondebant. Hic rationibus quibus petitio illa niteretur (quarum de numero erat, quod in Congregatione & Convocatione Judicum ſubſellia occuparent & Magiſtri Regentes) mature perpenſis, ſupplicum votis libenter annuit, ipſumque Libellum ad Cancellarium tranſmiſit, ut aſſenſum ſuum adhiberet efflagitans. Precibus tam juſtis haudquaquam repugnavit ille, verum [b] literas propediem ad Vicecancellarium dedit Convocationi impertiendas; quæ quidem ejuſmodi fuere:

„Salutem imprimis ex animo precatus, notum vo-
„bis facio quod rationem quâ Pileos in Congrega-
„tione & Convocatione induendi copiam ſibi aſſerere
„ſategerunt Magiſtri Regentes in tam bonam accipio
„partem, ut, licet recolenti quamdiu contrarium
„obtinuerit, quam ſedulo etiam & quam fruſtra id
„ſibi Privilegii vendicârint nuper Magiſtri (reni-
„tente ſcilicet & reclamante prudenti illo maximiq;
„conſilii viro Reipublicæ Cancellario, Deceſſore
„meo) longiori ad deliberandum ſpatio opus eſſe vi-
„deretur, tamen jus eorum indubium, Methodumq;
„id ambiendi prudentem & à ſeditione alienam
„(alteram enim, vel etiam unicam, denegati pridem
„crediderim cauſam quod viam longe diverſam pe-
„tendi inierant) hæc inquam, & non tantum *Cantabrigienſium* (quamvis vel unicum eorum hac in re ſufficeret exemplum) verum & Cœtus cujuſque conſuetudinem intuenti (in quorum utique nullo Capita Judicibus nudantur) æquum ac juſtum videtur eorum votis eatenus ſaltem aſſentiri, ut Senatus Academici Suffragiis permittam. Nemini ut ſpero opinandi cauſa ſuppetit quod mihi deſit poteſtas Morem hodiernum perennare, ſi in eo laborarem, jubendi, (quaſi minus quam Anteceſſorum meorum aliqui ea in re valerem) vel quod plauſum eorum captare ſit animus, ereptum utique olim ac detentum privilegium reſtituenti. Enimvero, ſola juris eorum cogitatio, decoris etiam & honoris Academici (quem ſane augendum potius quam imminuendum fore exiſtimo ſi illis detur obtectis capitibus conſidere) intuitus me induxere ut eâ de re tam propere decernerem, &c.

certiſſimus veſter Amicus

Dat. *Lond.* in Caſtro
Baynardi *Pembrochienſis.*
IV. *Dec.* CIↃDCXX.

His, de more, coram Academiæ Ordinibus recitatis, quæſitoque an placeret omnibus ut literæ obtinerent; communi ſuffragantium conſenſu Regentibus indultum eſt ut opertis Capitibus tam Congregationibus quam Convocationibus deinceps intereſſent (quo jure in hodiernum uſque diem fruuntur) modo Pileis uterentur; cautum enim tunc temporis eſt (ut alia omittam ibidem ſancita) ne Galeros induentes ſuffragia ullo modo ferrent. Quod ſi rogites quonam pacto in deſuetudinem jam ante abierit, ſeu deperditum plane fuerit, Privilegium illud, Regentium ſane culpæ & incuriæ tribuendum arbitror, quorum plerique ut Præfectorum Academicorum authoritatem excuſſiſſe quodammodo ſeſe oſtenderent Magiſterium adepti, Galeros perpetuo gerebant, in Congregatione tamen haudquaquam induendos; unde cùm alios lateret quamobrem Capita nudarent illi, Pileos etiam exuere cœptum eſt, iique, invaleſcente ſenſim conſuetudine, non ſine piaculo tandem uſurpandi videbantur.

CIↃDCXXI.

Sub hæc tempora *Oxoniam* denuo (huc enim ante triennium aut quadriennium acceſſerat) inviſit *Marcus Antonius* de *Dominis*, ſeu *Dominicis*, Archiepiſcopus *Spalatenſis*, & *Dalmatiæ* Primas; quem non ſine omnibus debitæ obſervantiæ indiciis exceperunt Academici, Orationibus nempe ac Epulis in variis paſſim Collegiis, Diſputationibus autem ad Scholas exhibitis, quibus ipſe haud parum delectatus fertur, Doctore *Prideaux* laudibus ante alios cumulato. Vir quidem erat ſpeciosâ Corporis formâ præditus, mirâ vero ſermonis ſuavitate & copiâ inſtructus; in victu & in Colloquiis haud ita parcus, neque tamen immodicus; quem ſane tantâ veneratione colebat Academia, ut neque Regis alicujus peregrini Legatum tam gratum admiſerit Hoſpitem, cujus proinde Hiſtoriolam hunc in locum ſubjungere lubet. In Scholâ *Jeſuiticâ* enutritus fuit, & fide *Romanâ* imbutus, ad Epiſcopatum primo *Segienſem*, deinde ad Archiep. *Spalatenſem* tranſlatus eſt. Tandem vero animo non ſatis ſincero ad Reformatos tranſivit, &

[a] *Ib. in* N. *fol.* 99. *a.* & *b.* [b] *Ibid. fol.* 100. *a.*

in Angliam an. CIↃDCXVI. ſe contulit, ubi à Rege *Jacobo* ſummâ gratiâ exceptus, Hoſpitii *Sabaudienſis*, ſive **de la Sqvoy**, *Londini* Magiſter (ſic Rectorem ejus appellamus) factus eſt, ac Decanatu *Windelſoriæ* donatus, decimoq; octavo *Maii* CIↃDCXVIII. inſtallatus. Sed Pontificium illud virus, quo à teneris in Societate prædictâ imbutus fuerat, ſicut occultare nunquam potuit (neque enim vel minima ſanæ Conſcientiæ ſcintillula in eo comparuit, qui in Beneficiis Eccleſiaſticis perinde ac in Muneribus temporalibus conferendis omnia per fas ac nefas ad ſe ac ſuos trahebat, quæſtui quoquo modo faciendo incumbens) ita evomere denuo, orbique patefacere, non erubuit.

Siquidem homo ambitioſus & avarus, qui à primo ſtatim adventu opes ampliſſimas locumque in Eccleſiâ *Anglicanâ* minime contemnendum nactus fuerat; majora tamen, immo immenſa, ſpe devoraſſet, ubi advertit regiam, ut par erat, Majeſtatem ſenſim & per gradus quoſdam in dignitatibus deferendis procedere, præſtigiis quibuſdam ac dolis *Gundamauri* Comitis in ſpem *Salernienſis* Archiepiſcopatus inanem adductus, falſam eam amplitudinis peregrinæ Imaginem certiſſimis in *Angliâ* poſſeſſionibus ac honori prætulit; quamvis Reditus ei annuus & ſatis liberalis, & qui modeſto homini abunde ſatisfaceret, proveniret. Ad *Romaniſmum* itaque redire cupiens, à Rege per literas enixe petiit ut bonâ ejus cum veniâ *Romam* proficiſceretur, quam petitionem licet Rex pientiſſimus haudquaquam probaret; profectioni tamen ejus minime obſtitit; ut exterminatum vero, & in Regna ſua nunquam deinceps admittendum, amandavit, hoc tantum pro Colophone addens, *Nebulo huc acceſſit, Nebulo illuc recedat.*

Is autem regio mandato potius quam indulto obtemperans, circa feſtum *Annuntiationis* an. dom. CIↃDCXXII. *Bruxellas*, atque inde *Romam* remeauit, ubi dignam ſimulatâ pietate mercedem tulit, & *Eccleſiæ*, quam per turpiſſimam fraudem ingreſſus fuerat, Anglicanæ, ac authoritati ſimul Pontificiæ, victima cecidit. Siquidem licet paulo humanius à Papâ & Aſſeclis ſuis primo exciperetur, aliquandiu tamen in Monaſterio detentus, & in Ergaſtulum deinceps detruſus per Inquiſitores, quos vocant, *Romanos*, ad firmandam populi ſuperſtitionem, & excidium quod in Republica ſua Antichriſtiana ſcriptis eruditiſſimis (quid enim vetat & *Balaamum* veri nonnunquam Prophetæ partibus fungi?) molitus eſſet *Antonius* reficiendum, tanquam Apoſtata hæreticæ pravitatis accuſatur, tandemque ſive morbo, ſive inedia, ſive veneno extinctus, ejuſdem criminis jam mortuus condemnatur; ignique pro more *Romano*, quo in Cadavera quoque ſævitum eſt, concrematur.

De viro illo referendum porro, quod dum iter ad *Anglos* faceret inſidias plurimas, ſibi à *Jeſuitis* in *Germaniâ* ſtructas, evaſit; quodq;, præter Libros de Republicâ Eccleſiaſticâ, Hiſtoriam egregiam Concilii *Tridentini* edidit, de qua variæ admodum fuere hominum ſententiæ, probantibus nonnullis, aliis vero, ac præſertim Eccleſiæ *Gallicanæ* reformatæ Theologis, omnino damnantibus; denique, quod cùm diſceſſum adornaret, id teſtimonii, adſcripto etiam nomine, de Eccleſiâ *Anglicana* perhibuit, ad primævam utique ſinceritatem propius accedere illam quam aliam quamcunque Reformatam.

Hoc eodem anno *Wodſtochiam* pervenere Rex & Regina, cum *Walliæ* Principe, ſplendidoque Procerum Comitatu; de quibus excipiendis cogitantes Academici, nil quicquam prætermiſere quod ad apparatum Hoſpitibus tam auguſtis dignum pertineret. Innuentibus autem Optimatibus quibuſdam Regi aliiſque gratiſſimum fore Ludum Scenicum; Comœdiam conſcripſit Magiſter *Bartenus Holyday*, Ædis *Chriſti* Alumnus, cui *Artium Connubia* titulum fecit, argumenti revera ſerii nimis & Scholaſtici, neque Regi ullatenus jucundi, quin etiam ex temporis anguſtiâ tantum non extemporanei; cùm enim XXVI. *Auguſti* (dies ille dominicus erat) ad noctem exhiberi occiperet, abſoluto Actuum uno atque altero, haud ſemel ſpectaculis ſeſe ingratis ſubducturus videbatur *Jacobus*, quem Aulicorum nonnulli ut Ludi exitum patienti animo expectaret obſecrabant, ne ſcilicet non tantum Poetæ ſed & reliquis Academicis ſpem omnem adimeret; ſtudiaque in poſterum reſtingueret. Cæterum conſtat ingenio ſalibuſque haud ita penitus caruiſſe Comœdiæ ejus Authorem, temporis vero anguſtiis preſſum (ſeptimanæ enim non plures quam ſex & ludo ipſi, & integro ejus apparatui, ſuppetebant, prout mihi à pluribus nuntiatum eſt) ex præcipiti nimis argumenti delectu & compoſitione peccaſſe.

CIↃDCXXII.

Hoc anno commemoranda imprimis venit Magiſtri *Gulielmi Knight*, ex Aulâ *Lateportenſi*, ad Divi *Petri* Orientalis, in Dominicâ *Palmarum*, concionantis Doctrina, Seditioni movendæ omnino accommodata. Etenim cum augendo Sodalitii ſui honori ſtudens Doctor *Thomas Clayton*, Aulæ præfatæ Principalis, vicem alteram prædicandi à ſuorum aliquo, tempore Quadrageſimali, obeundam ad Eccleſiam antedictam obtinuiſſet, eandem *Knighto* illi (is autem Ingenii haud infelicis ſpecimina in Concione ad Beatæ *Virginis* nuper habitâ, aliiſque alibi in rebus, edidiſſet) demandavit; qui ſumptâ in Textum parte noviſſimâ commatis noni cap. XIX. ſecundi lib. *Regum*, quæ ſic habet, *Quid hic agis* Elijah? De Prophetæ perſecutione ſermonem inſtituit, atque explicato quibus ille modis ac rationibus uſus calamitates ejuſmodi ſubterfugerat, ad hanc tandem Quæſtionem deſcendit, *Utrum Subditis licitum eſſet, ut ſeſe ob Religionem afflictos defenſuri, Arma contra Principem capeſſerent*; quam cum affirmare non vereretur, ad Doctorem *Peirce* Vicecancellarium deinde citatus quæ in ſcriptis haberet tradere, Concionis etiam Authores ac ſuaſores (tales enim, eoſque haud vulgaris notæ Academicos fuiſſe non dubitabat Vicecancellarius) patefacere jubetur, mandato præterea ut eorum nomina proferret, quos, impertitâ priuſquam ſacrum conſcenderet Suggeſtum Concione, conſilii ſui participes fecerat.

Reſpondit ad hæc *Knightus* quoad Doctrinam illam *Paræum* hodiernum apud *Heidelbergenſes* Theologiæ Profeſſorem ſecutum ſe, quod is decimum tertium Epiſtolæ ad *Romanos* Caput commentatus idem plane affirmaret, verum ut Authorem præcipuum ederet ipſum *Jacobum* Regem hac ex parte imitatum, qui *Rupellenſibus* contra Regem ſuum arma moventibus ſuppetias eſſet miſſurus. Porro quod ad illos ſpectaret quibuſcum Concionem ſuam communicârat, præter Magiſtrum *Johannem Herbert*, Vicarium de **Radley**, prope *Abendoniam*, & Magiſtrum *Johannem Code*, ex Aulâ retro dictâ utrumque, nemi-nem ſibi occurrere. Examine hunc in modum habito, Carceri cum duobus quos prodidiſſet Sociis manciparur

mancipatur *Knightus*; Vicecancellarius autem rem omnem Doctori *Laud*, Episcopo *Menevensi*, per literas propediem aperuit; Concionem illam seditiosam promovisse, eique faviſſe perhibens Theologos insigni morum gravitate præditos. Super hisce *Jacobum*, quicum gratiam haud vulgarem collegerat, certiorem illico fecit Episcopus, atque is *Knightum* cum Concione suâ ad se transmitti mandavit, qui de doctrinâ male sanâ interrogatus, eodem flagitii obtentu, atque iisdem pene verbis quibus ad Vicecancellarium haud ita pridem usus fuerat, respondit, inque Carcerem propterea *Westmonasterien-sem*, **the Gatehouse** appellatum, compingitur; quibus peractis, ad Vicecancellarium hunc in modum [a] rescripsit *Jacobus*.

„ Fidelis & admodum dilecte; salutem tibi pluri-„mam impertimus. Non possumus non laudare cu-„ ram prudentem quâ contra *Knightum*, Concionatorem illum seditiosum, usus es, quâque binos „ illos Artium Magistros *Herbertum* & *Codæum* in „ custodiam tradidisti, ob quam etiam gratias tibi „ regias tribuimus, edicentes ut de duobus postremis sedulo explores ad qualem sententiam circa „ Doctrinam ac Disciplinam propendisse observatum „ fuerit, neque nobis eâ de re certioribus haudquaquam factis pristinâ eos libertate dones. Volumus „ insuper ut, ex occasione præsentium, Collegiorum „ & Aularum vestræ Universitatis Præsides ac Rectores convenire facias, quodque de Theologiæ „ studio utrique pridem Academiæ tam serio com-„ mendavimus iis in animos revoces; nimirum ut „ qui Facultati illi nomina dederint sacræ imprimis „ paginæ incumbant, Concilia deinde Patresque antiquos, ac demum scriptores Scholasticos evol-„ vant, à Neotericis sive *Jesuitis* sive *Catharis* „ prorsus abstinentes (quos utique rebus publicis, „ & Monarchiam tangentibus sese immiscere constat) „ quo scilicet nil aliud quam Christum Cruci affixum „ annuntiare condiscant, in quem unice scopum studiis suis omnibus collimare tenentur. Atque Præ-„ sidibus & Rectoribus prædictis nostro nomine man-„ dabis, ut in Sodalitio quisque suo enixe laboran-„ tes operam pro viribus dent ut methodus illa per „ integram Academiam servetur, rationem negli-„ gentiæ ex Allegiantiâ suâ reddituri, &c.

Ad Palatium *Album*, XXIV. *Apr.* ann. dom. CIↃDCXXII.

Mandata hæc regia facturus Vicecancellarius, Sodalitiorum præfectos ad Ædes suas [b] convocavit, perlectisque literis Regiis, ut exequendis quæ præciperentur sedulo incumberent adhortabatur; literæ autem ipsæ, una cum conventus prædicti Actis, in solenni Ordinum Academicorum consessu paucis post diebus promulgantur. Præfatam vero *Paræi* Doctrinam quod attinet, ne Ingenia juvenilia eâdem deinceps corrumperentur, visum est Regi Sanctioque ejus Concilio Commentarios viri retro dictos flammis adjudicare; postquam nempe de iis perinde ac ejusdem farinæ Libris quibuscunque sententiam suam, adscripto etiam nomine, edidisset Episcoporum nostrorum quotquot convenire commode poterant Ordo maxime Reverendus; dogmate prædicto tanquam seditioso, Scripturisque sacris & Conciliorum ac Patrum antiquorum effatis repugnante, necnon ab Ecclesiæ *Anglicanæ* Doctrinâ & Constitutionibus alienissimo, Censurâ gravissimâ notato. Transmisso autem eam in rem [c] edicto Regio, postremo *Maii* exarato, & subscriptis Consiliariorum quatuordecim nominibus munito, Bibliothecas tum publicas tum privatas, atque Bibliopolarum insuper Officinas, perscrutantur Vicecancellarius Ædiumque Præfecti, Librum *Paræi* antedictum explorantes, qui accersitos ad Sodalitii cujusque Refectorium Togatos, eodem excedere vetabant donec eorundem Musæa rimati essent; deprehensa vero Commentariorum quos dixi Volumina in Divæ *Mariæ* Cœmiterium, sexto *Junii* sequentis, deferri mandabant, & coram ordinibus Academicis flammis deleri, quod idem *Londini* ad Crucem *Paulinam*, XXIII. mensis ejusdem, (dominicus is erat) & *Cantabrigiæ* eadem quasi tempestate præstitum memoratur.

Cæterum neque ibi constitit Universitatis nostræ Industria, quæ ut maculam sibi ab unius Alumni temeritate & inscitiâ aspersam penitus elueret, Assertiones *Paræi* ac Propositiones in Quæstione prædictâ, ad Seditionem præcipue spectantes, excerpendas è Commentariis ejus curavit, & Senatui togato, XXV. *Junii* habito proponendas; quo tempore Vicecancellarius, Doctores, Procuratores, Magistri Regentes, unanimi consensu super eisdem propositionibus vel Assertionibus, non solum divinis Oraculis, Decretis Conciliorum, scriptis Patrum, & primitivæ Ecclesiæ fidei & professioni, sed etiam monarchico culmini subdole ruinam minitantibus, decreverunt [d] in formulam subsequentem.

Propositio prima.

Episcopi & Pastores Magistratus suos, impios aut injustos, si contumaces sint, possunt & debent de consensu Ecclesiæ Satanæ tradere, donec resipiscant.

Censura.

Hæc propositio est erronea, impia & sanæ politiæ subversiva.

Propositio secunda.

Subditi, non privati, sed in Magistratu inferiori constituti, adversus superiorem Magistratum, se & Remp. & Ecclesiam seu veram Religionem etiam armis defendere jure possunt, his positis conditionibus. I[a] *Cum superior Magistratus degenerat in Tyrannum.* II[a]. *Aut ad manifestam Idololatriam atque Blasphemias ipsos, vel subditos alios, vi vult cogere.* III[a]. *Cum ipsis atrox infertur injuria.* IV[a] *si aliter incolumes fortunis, vitâ, & conscientiâ esse, non possunt.* V[a]. *Ne prætextu Religionis, aut Justitiæ, sua quærant.* VI[a]. *Servata semper ἐπιεικείᾳ & moderamine inculpatæ tutelæ, juxta leges.*

Censura.

Hæc propositio est falsa, seditiosa, & callidè restringitur ad conditiones annexas, sub quibus latente serpentinô dolô, quilibet Seditiosus facilè se expedire potest.

Propositio tertia.

Subditis merè privatis, sine legitimâ vocatione neque ad invadendum Tyrannos ante periculum, neque ad defendendum se contra eos in periculo, neque ad vindicandum se post periculum, arma capessere licet, si ab ordinariâ potestate defendi possunt.

[a] *Ib. in N. ut supra fol.* 143. *a.* [b] *Ibidem.* [c] *Ib. fol.* 146. *a.* [d] *Ibid. in N. fol.* 146. *b.* 147. *&c.*

Censura

Censura.

Hæc propositio supponit falsa, & est insidiosa & seditiosa.

Propositio quarta.

Subditis merè privatis, si Tyrannus tanquam latro aut stuprator in ipsos faciat impetum, & ipsi nec potestatem ordinariam implorare, nec aliâ ratione effugere periculum possint, in præsenti periculo se & suos contra Tyrannum, sicut contrà privatum Grassatorem, defendere licet.

Censura.

Hæc propositio est falsa, periculosa, impia.

Ad hæc, præcavendis in posterum turbulentis ejusmodi, & pacem publicam labefactantibus doctrinis, declaratum ab Academiâ & statutum est.

I. *Quod secundum Canonem Sacrarum Scripturarum, Subditos nullo modo vi & armis Regi vel Principi suo resistere debere, nec illis, arma vel offensiva, vel defensiva in causâ Religionis vel aliâ in re quacunque contra Regem, vel Principem suum, capessere licere.*

II. *Quod singuli Doctores & Magistri Universitatis* Oxonienſis, *unà cum Baccalaureis in Jurisprudentiâ & Medicinâ, subscriberent censuris & Decretis prædictis.*

III. *Quod Singuli ad Gradus in quacunque facultate promovendi, ante admissionem primo subscribant veritati harum censurarum: deinde eôdem tempore suscipiant juramentum corporale, se non solum propositiones prædictas ex animo condemnare & detestari, sed etiam condemnaturos & detestaturos in perpetuum. Forma juramenti sequitur in hæc verba.*

Tu jurabis, te ex animo & bonâ fide consentire Decreto convocationis habitæ die Martis, viz. vicesimo quinto die Junii anno Dom. CIↃDCXXII. super quibusdam propositionibus falsis, seditiosis, impiis, & ibidem damnatis, & quod nullam prædictarum conclusionum, earúmve sententiam docebis, defendes, vel tenebis publicè aut occultè, neque aliquem hujusmodi Doctorem vel Defensorem ope, consilio vel favore juvabis, sed quantum in te est impedies, ita te Deus adjuvet, tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis.

Eodem porro tempore, quo Scopulum in quem ex præpostero studiorum cursu, (qui quidem nobiscum sub hæc in usu passim erat) incurrerat *Knightus* reliqui devitarent Academici, ordinatum est ut monita & consilia Regia, sub anno dom. CIↃDCXVI. superius memorata, in Collegiorum Sacellis, & publico aliquo Aulæ cujusque loco palam fierent ; ut sanior nimirum & utilior hauriendæ Theologiæ methodus Tyronibus innotesceret. Atq; tanta hinc sensim facta est Ingeniorum Academicorum immutatio, ut *Calvini*, Cathedram sibi soli pridem vindicantis, gradatim evilescceret existimatio ; cujus rationes abhinc expendere, non effatis temere assentire occœpimus, Ecclesiæ *Anglicanæ* dogmatis pariter invalescentibus.

Sub idem tempus carcere eximuntur *Herlertus* & *Codæus*, quorum primus ad Vicariam suam pertenuem se contulit, ubi in vivis agebat cum ego hæc scriberem, hoc est an. CIↃDCLXVIII. mense *Octob.* alter autem in Patriam mox inde remeavit. Ad *Knightum* quod spectat, in Custodia duobus pene annis detentus perhibetur, & casu tandem liberatus; siquidem cum in Turrim *Londinensem*, ex inimicitiis illum inter ac Ducem *Buckinghamiæ* coortis, compingeretur Comes *Oxonienſis*, à *Belgis* nuperrime reversus, contigit ut Amicorum ejus & famulorum aliqui in Carcerem *Westmonasterienſem*, **The Gate-house** dictum, detruderentur, quorum alter Capitaneus erat, Cameramque *Knighto* proximam sortitus Viri forte conditionem & crimen scisciabatur. Non detrectavit ille certiorem de utroque facere, pauperem se Scholarem esse, ob doctrinam vero male sanam in Concione propugnatam carceri mancipatum ; cujus propterea sortem misertus alter, fidem dedit quamprimum Libertatem ipse adipiscceretur, in eo Custodiâ eximendo operam positurum. Haud ita multo post conciliatâ inter Ducem & Comitem gratiâ, & novissime dicto libertate cum suis donato, apud eundem de liberando *Knighto* instabat Capitaneus, is autem Episcopum *Williams*, magni Sigilli Custodem adiens causam incarcerati agebat, in Sacellanum sibi assumendum iri, ac secum ad *Belgas* profecturum pollicitus. Angebatur mirum in modum Episcopus quod Custodiâ tam diu detineretur *Knightus*, accersitum vero ad se blandis verbis ut malorum quæ perpessus fuerat oblivisceretur adhortatus, Vestitu novo donabat, nummisque præterea instructum ad Regem adducebat, criminis veniam suppliciter petiturum ; quibus peractis cum Comite prædicto in *Belgium* trajecit, verum præcipitem illam Aeris victusque mutationem non ferens animam brevi exhalavit.

Occurrit hoc in loco & ad alia descensurum moratur Mr *Edoardus Hurde*, Collegii *Corporis Christi* Socius, qui *Rainoldum* suum magnâ semper veneratione suspiciebat. Hic vero, parvo post crematum *Paræi* Librum intervallo, Concionandi vices ad Beatæ *Virginis* obivit; sive autem tractatum tam aspere *Knightum* ægre ferens, sive aliâ quavis de re indignatus, ea durissimo ore effutire non est veritus quæ tam Ecclesiæ quam Academiæ famam lacerarent; sed neq; personis pepercit, aut â convitiis, quod saltem in sacro suggesto oportebat, abstinuit. Quapropter ad Vicecancellarium citatus, verbisque acerbissimis castigatus, aut ab Universitate in perpetuum exulare, aut eorum quæ temere protulerat Palinodiam canere jubetur, quorum postremum in Convocatione XXV. *Junii* celebratâ, flexis etiam genibus, præstare [a] præoptavit.

Exeunte quasi *Septembri*, Academiæ per literas edixit *Jacobus*, ut *Paræi* librum *de Jure Magistratuum & Potestate & Authoritate Regia*, cum aliis nonnullis ejusdem Viri scriptis Episcoporum quorundam operâ eventilatum, flammis mandaret ; quod primo *Octobris* die à Togatis factum est, cum eadem quâ in concremendis pridem Commentariis usi fuerant celebritate.

Vicesimo *Januarii* sequentis, in quem nempe dies Lunæ incidit, coram Vicecancellario, Doctore *Rawlinson*, Doctore *Prideaux*, Doctore *Thomâ Anian*, Doctore *Fell*, Doctore *Thomâ Iles*, Doctore *Parker* Aulæ S. *Albani* Principali, & Doctore *Pincke* [b] conventus est *Gabriel Bridges*, Artium Magister

[a] *Ibid. in N. fol. 145. b.* [b] *Ib. 157. b.*

& Collegii *Corp. Christi* Socius, in Ecclesia B. *Mariæ* de divinis decretis pro concione disceptans, parum ad eorum gustum qui tum temporis in Academia præerant, heterodoxiæ postulabatur, cui proinde sententiam suam in Senatu Academico ut revocaret injungitur, præcepto etiam, ut pœnitentiam professus, se nullum in posterum Dogma defensurum istiusmodi sponderet. Mandatum porro, ut mutatam suam quoad Capita prædicta sententiam testaturus, proximo Termino, die autem à Regio Professore assignando, pro Theologiæ Baccalaureatu Respondens Propositiones hasce tueretur:

Decretum Prædestinationis non est conditionale.
Gratia sufficiens ad Salutem non conceditur omnibus.

Atque hæc omnia non secus facta sunt; vicesimo enim tertio præfati Mensis in Convocatione palinodiam [a] cecinit; neque multo post in Theologiâ Respondit: tam acri studio in vexatissima hâc causa, ab Academiæ Primoribus per ea tempora desudatum; imo à plerisque creditum ejusmodi industria (*Calvini* partibus favente *Abbotto* Archiepiscopo) aditum ad dignitates quibus postea fructus est ampliſſimas struxisse Vicecancellarium.

CIↃDCXXIII.

Utcumque vero incrementa accepisse videretur *Genevensis* doctrina, ejus urbis disciplina non perinde placuit. In publico numinis Cultu decoris ac magnificentiæ ratio habebatur; tametsi enim improbari sub hæc cœperint clarissimi *Laudi*, favore Regio magis indies aucti, aliorumque eundem imitantium dogmata (quibus utique *Arminianismi*, vel etiam *Pelagianismi*, notam inurere solenne erat) promptum minime erat consiliis ejus, quæ reverentiam in divinis officiis peragendis suadebant, obniti. Quin & sententia quæ absoluto decreto, & Stoicæ necessitati adversabatur nonnullis admodum videbatur favorabilis; præsertim cum contrarium dogma pœnarum & præmiorum rationem tollere, & labefactandis unice Virtuti ac Pietati accommodari videatur. Verum de hisce disputare non est nostri instituti. Proditum autem est, opiniones hasce quæ per secula omnia humanum genus exercuerant, hoc præsertim ævo plurimorum animos mirum in modum exacerbasse; adeo ut tam in Colloquiis familiaribus quam disputationibus publicis nihil fere aliud audiretur. Fando accepi privatos conventus statis diebus, scilicet post duas quasque septimanas, hunc in finem agitari solitos, ut velitationibus perpetuis se ad pugnam instruerent, ubi numero atque studio, si non argumentis, superiores plerunque erant Decreti absoluti, &, ut alii loqui amant, horribilis assertores.

Per hæc porro tempora ad corrigendos Academicorum mores sese convertebant Magistratus nostri, utque ebrietati materiam eriperent Popinas, Cereris debacchantis Sacella, ad pauciores recidere jubebant; quod plures nimirum hac tempestate quam annis unquam prægressis comparerent. Brasii quoq; confectorum numerum imminuebant, qui quidem pauciores quam hodie censebantur, rem vero ipsam in Artem redegerant quam nemo antiquitus profitebatur; Nam Brasium sibi olim conficiebat Cervisiarius quisque, unde Brasiator quoque audiebat. Cæterum his à Vicecancellario, monentibus Viris quibusdam principibus, peractis & decretis, hordeum pauperes viliori pretio coemebant (licet plerisque mercatus diebus Plaustra tantum quinque eodem onusta accederent) quibus nempe in tritici locum, propter inopiam ejus & charitatem, cessit. Ad hæc, Togatis præceptum est, ut Habitu Scholastico, Graduumque Insignibus, in Cœtu quovis & Conventu publico, uterentur; quam rem Disciplinæ Academicæ splendorem accersere nemo ignorat, tametsi in desuetudinem sub id quodammodo abierat. Prohibitum [b] insuper quo minus Ocreas & Calcaria gererent Academici, quorum usque adeo invaluerat usus, ut à Magistris etiam quotidie induerentur, Insaniæ potius quam vanitatis arguendis; siquidem ocreati in Comitiis incedunt Doctores, ut ostendant quocunque evocentur expeditos esse ad prædicandum Evangelium, hi vero quid aliud subindicabant, quam studiis quorum pertæsum erat valedicere paratos. Habitum vero illum neque commodum neque decorum improbabant Nostrates, quotquot prudentiâ & gravitate pollebant, exteri autem ad unum omnes tanquam vesanum obstupuere; quare ne in partibus etiam transmarinis existimationis suæ jacturam faceret Universitas, statutum est nequis Togam indutus Ocreas gereret, ordinato ut qui contra Legem eam promulgatam peccaret, Graduatus si esset, binis solidis & VI. den. in primi, in secundi vero delicti v. sol., atque inde toties quoties mulctaretur; Gradu autem nullo insignitus pœnâ corporali, si ætas pateretur lueret, aut pro Vicecancellarii & Procuratorum arbitrio, ob quamlibet peccandi vicem plecteretur.

CIↃDCXXIV.

Perpauca hoc anno occurrunt memoratu digna; prætermittendum tamen non est legem tulisse Regni Ordines de *Isidis* Alveo à *Bircotâ Oxoniam* usque purgando ac defodiendo, quo scilicet commeatus aliaque necessaria in Universitatis Urbisque usum ac subsidium subvehi magis commode possent; res vero ipsa ex utroque Municipio Viris haud paucis demandata est, transmissio, ad eosdem Diplomate, quod Commissionem nuncupamus. Quo hæc autem executioni citius traderentur, decrevit Universitas quod Marcæ bis mille, sibi à *Nicolao Kempe*, Equite aurato, de *Islingtonâ* in Agro *Middlesexiano*, legatæ in Opere illo erogarentur; quæ tamen pecunia ex mercium vecturâ fructuve alio exinde provenienti, colligeretur denuo, & in Cistâ aliquâ reponeretur. An dicam porro Reg. *Jacobum Wodstochiæ* habentem, XXIV. *Augusti* adisse Academiæ Primores, observantiam nimirum Principi suo debitam testandi cupidos; quorum de numero Doctor *Prideaux* Vicecancellarius ad Regem, reliquorum nomine, peroravit, Orationem his verbis auspicatus: *Quod Portio Latroni, è Scholis in forum protracto ut peroraret publice, accidisse refert* Seneca: *illum nempe usque eo fuisse confusum ut à solœcismo inciperet*, &c. facto autem dicendi fine, acceptisque Regii favoris indiciis ac promissis, *Oxoniam* remearunt Nostrates; atque huc præterea die proximo accesserunt *Gallorum* Regis Legatus, & Optimates nonnulli, quos à Vicecancellario Ædiumque Præfectis benigne sus-

[a] *Ibid. in N. fol. 258. a.* [b] *Ib. fol. 156.*

ceptos Gradu [a] Magiſtrali, & honorariis conſolitis donavimus. Legati ejus nomen ac tituli erant, *Antonius Ruſaus* Marchio de **Fiat**, Dominus de **Chelly & Longimeau**, &c. Denique an hic obiter adnotabo, Lecturam Anatomices à *Richardo Tomlins*, Armigero *Weſtmonaſterienſi*, inſtitutam hoc anno ac dotatam fuiſſe; de quâ tamen plura legas in Prælectionum publicarum Notitiâ?

CIↃDCXXV.

Fatis jam conceſſerat Rex *Jacobus* (quem Benefactorum ſuorum Albo vivum inſeruerat Academia) Rerum vero potitus *Carolus I.* Comitia Parliamentaria *Weſtmonaſterii* indixit, quæ cum celebrari occiperent, propter Peſtem ibidem ac *Londini* miſerum in modum graſſantem, *Oxoniam* transferebantur. Præmiſſis autem ad Vicecancellarium & Sodalitiorum Præfectos à ſanctiori Concilio [b] literis, præceptum eſt Academicis, ut Cameras Senatorum uſibus concederent, veniam Tyronibus facerent ad parentes recedendi, maximè vero curarent ut Ædes *Chriſti* in Aulam regiam ceſſura Auguſtis hoſpitibus pateret. *Oxoniam* itaque poſt paulo conveniunt Regni Ordines, primoque menſis *Auguſti* ſolennem celebrant conceſſum, Scholam Theologicam ſortitis Plebis Deputatis (Prolocutoris Cathedrâ prope illam veterem Profeſſoris Regii collocatâ) Proceribus vero, ſeu Baronibus, in Xyſti ſcholis ſuperſtructi latere Boreali confidentibus; cujus pars Orientalis ſcribarum pergulis, Muniiſq; quibuſdam ad eorum Cœtum ſpectantibus aſſignata eſt, auſtralis autem tanquam apodyterium, aut porticus, vacabat. Cæterum haud ita diu conſilia miſcebant Senatores, decimo enim quinto *Auguſti* Parliamentum, in rebus levioribus vel parum gratis occupatum, diſſolvit Regia Majeſtas, cui *Vanum* proinde cognomen attributum eſt, antiquum nempe illud, *Oxonii* etiam habitum, & à geſtis fanaticis *Inſanum* nuncupatum, quadantenus imitato.

Sub idem tempus vulgata nobiſcum eſt lues peſtifera, ex Advenarum nempe frequentiâ in Urbem invecta; quare Scholaribus, ſtatim atque diſceſſerant Regni Ordines reverſis, avolare denuo neceſſe fuit. Termini ergo initium à nono *Octobris* in tertium *Novembris* [c] rejicitur, & ceſſante nondum peſte in nonum ejuſdem menſis [d] prorogatur; præcluſis interea Scholarum Portis, miſeroque Exercitiis publicis indicto Juſtitio, paucis denique admodum Collegia Aulaſque incolentibus, quibus utiq; demandatum à Præſidibus fuerat intra præcinctus Sodalitiorum conſiſtere. Diffuſum porro eſt per integram pene Urbem teterrimi morbi virus, adeo ut magna Civium multitudo ad tentoria & caſulas in Prato ad municipes ſpectans & **Portmead** appellatum, extructa deferrentur; pauperrimo quovis Collegiorum & Parochiarum ſymbolis vitam tolerante. Ut verbo expediam omiſſo ubique commercio, clauſiſque Officinis juxta & Collegiis, luctu omnia & mœrore ſquallebant, donec hominum demum precibus & calamitatibus inflexum numen iræ ſuæ modum imponeret. Obſervatum tum denique à Magiſtratibus eſt, Tuguriola frequentia in ſuburbanis pridem conſtructa ad ſpargendum Peſtis illius Venenum plurimum contuliſſe; quapropter eâ de re apud Regem, ſanctiuſque ejus Concilium, querelæ protenus deponuntur, quorum authoritate obductum quidem in præſens eſt malum, non autem ſanatum; ſiquidem de eodem nocumento anno CIↃDCXL. conqueſti, Tuguriola CLXXIX. ab anno CIↃDCXX. erecta deprehendimus; reperto præterea quod illâ tempeſtate in iiſdem diverſarentur Inquilini ſive Hoſpites mendici (**Inmates** à legibus appellantur) CCXLI. Dolendum porro eſt, malum hoc toties nobis fatale, indies hic loci invaleſcere, Civibus compendio ſuo unice intentis, areas omnes & angiportus vilibus ædificiis undique opplentibus.

CIↃDCXXVI.

Hunc annum nil aliud inſignivit quam Lecturæ Muſices inſtitutio, quæ à Doctore *Gulielmo Heyther*, ad Sacellum Regium ſpectante, hujus autem Academiæ in illâ Facultate Doctore, fundata. Is enim annuum ſexdecim librarum, ſex ſol. & octo den. Reditum Univerſitati eâ lege tranſcripſit, ut Libræ tredecim ſex ſol. & octo denarii Magiſtro Muſices, hoc eſt Artem illam in Scholis, præſtitutis diebus, exercenti, in ſtipendium cederent; quod reliquum vero eſſet theoreticam ejus partem ſemel minimum quovis Termino explicanti penderetur, quod ſane à Magiſtro *Johanne Allibond*, è Collegio *Magdalenenſi*, integro anno præſtitum eſt; aliis autem omnibus munus poſtmodo detrectantibus decrevit Univerſitas, ut Profeſſoris ejus Honorarium cum aliis quibuſdam emolumentis Magiſtro alicui in artibus, à Vicecancellario & Procuratoribus nominando, deferretur, qui, ſumpto à re muſicâ argumento, Orationem die Saturni ante Comitia haberet, hoſpiteſque gratiſſima omnibus acroaſi exciperet.

CIↃDCXXVIII.

Huc uſque ſolenne fuerat ut ſodalitia quædam, reliquis Togatorum numero potiora, inito fœdere munus ſibi Procuratorium perpetuo vindicarent, unde abeunte in factiones Academiâ, qui partes ſuas inferiores fore præſentiebant, vel non Reſidentes quos vocamus Magiſtros vel etiam Parochos gradu nunquam noſtrâ inſignitos rure evocatos ſibi in ſubſidium accerſerent. Hinc turbas haud leves creberrime moveri, ac turpiſſimam diſciplinæ Academicæ maculam inuri contigit; quod cùm hoc quoque anno eveniret, Decreta [e] quædam ad Univerſitatem circa medium *Aprilem* tranſmiſit Cancellarius, quorum vi non modo irrita habebantur Togatorum peregrinorum ſuffragia, verum juramentum dare juſſi ſunt noſtrates, ſe non titulo tantum tenus ad Collegium aliquod ſpectare, ſed emolumenti quippiam ex Fundatorum & Benefactorum Munificentia percipere; aliter nullam calculorum ſuorum habendam eſſe rationem; mandato præterea ut in Aulis degentes, aut in Collegio aliquo commenſales, interpoſito etiam juramento profiterentur, centum ſeſe dies currente qui præceſſerat anno ibidem tranſegiſſe. His autem in Convocatione perlectis, & à majore ſuffragantium parte probatis, reclamarunt [f] aperte Procuratores, aſſenſum ſuum iiſdem denegantes; quod ſcilicet partium ſuarum, Munus Procuratorium viris pridem deſignatis deferre cupientium, conſilia eſſent peſſundatura. Ut

[a] *Ib. in N. fol.* 193. *b.* [b] *Ib. fol.* 210. *b.* [c] *Ibid.* 213. *b.* [d] *Ibid.* [e] *Ib. in N.* 253. *b.* [f] *Ibid. fol.* 254. *a.*

breviter

breviter dicam, hæc ubi Cancellario innotuerunt, [a] literas ad Academiam, vicesimo præfati Mensis, dedit, in Convocatione post biduum celebratâ propalatas, quarum summa erat, quod posthabitâ Procuratorum interceſſione, donec eam sibi potestatem jure competere ostenderent, velle se Statutum quodvis eam in rem rogari visum pro non rogato haberi, neque vim aliquam retinere. Has ubi literas palam perlegerat Magister *Halswell*, Procurator senior, Convocationem dimisit Vicecancellarius, eo autem discedente perstiterunt ibidem Procuratores, Doctores nonnulli, & Magistri bene multi. Statutum vero mox inde [b] recitavit Procurator antedictus, sic se partim habens: *Et sint duo Procuratores Assessores in singulis causis tractatis in Universitate ipsi Cancellario, & unus judex ad inhibendum in causa appellationis, & in omnibus Actibus solennibus Universitatis; ad cujus ordinis & seriei observantiam tenetur sub pœna perjurii Graduatus quilibet in hac Universitate, & cuilibet adversanti toto virium conatu resistere.*

Hinc itaque & aliunde constat, in diem eundem, viz XXII. *Aprilis* incidisse magnum illud de Munere Procuratorio certamen, in quo Competitores ex alterâ parte erant Magister *Robertus Williamson*, Collegii *Magdalenensis*, & Magister *Thomas More* è *Novo* Collegio; ex alterâ vero Magister *Athertonus Bruch*, Collegii *Æneanasensis*, & Magister *Robertus Lloyd*, è Collegio *Jesu*; quorum postremo dicti factam sibi in suffragiis ferendis injuriam arbitrati (& sane fama obtinet electionem ex æquo minime fuisse habitam) querelas ad Regem deferebant; is autem [c] literas statim ad Cancellarium dedit, quas ille suis quibusdam inclusas ad Academiam illico transmisit, in hæc nimirum verba conscriptas:

„ Fidelis admodum, & admodum dilecte Cognate „ & Cancellarie; salute te impertimus plurimâ. Non „ sine dolore tumultus ac turbas, Academiam nostram „ *Oxoniensem* in eligendis Procuratoribus agitantes „ percepimus. Vix quidem adduci potuimus, ut cre„ deremus in tali Togatorum conventu Ingenia adeo „ ultra modum omnem ferocia esse reperienda. Ve„ rum ejus rei fama nuntiis tam variis, tamque fre„ quentibus, ad nos perlata est, ut fidem adhibea„ mus omnino oporteat. Exempla talium authorum „ integræ Reipublicæ corrumpendæ sufficiunt, & si „ quo pede cœperunt pergant illi, nobis necesse erit „ eam adhibere severitatem, quâ adversus Academiam „ priscis retro seculis tam celebrem uti nollemus. In „ Cancellariatu ibidem tu versaris, & siqua sub auspi„ ciis tuis aut eruditionis aut Morum jactura fiat, „ rationem à te reposcamus oportet. Quamvis autem „ Loco isti & excubuisse curam tuam & in posterum „ excubituram constat, tamen longe adeo ac late reso„ nârat tumultus ille, ut fieri non potuerit quin te de „ compescendo eodem admoneremus. Atque harum „ præterea vi tibi injungimus, ut industriam continuo „ omnem ad componendum, qui illos inter exortus „ est, tumultum conferas, necnon Vicecancellario, „ Collegiorum Præsidibus, & cujuscunque condi„ tionis aut Gradus Scholaribus edicas, ad Electio„ nem hanc pacifice absolvendam sese accingant, „ rationem secus facti cum summo sui periculo reddituri, &c.

Ad Palatium *Album*
XIV *Maii.*

Atque hunc in modum iracundia nobis Regia innotuit, quam compescuisse se in [d] literis retro dictis perhibuit Cancellarius. Rem vero omnem Sanctiori suo Concilio permisit Rex *Carolus*, & causâ utrinq; coram cœtu illustri dictâ, Universitati nono *Junii* [e] mandatum est, ut Magister *Williamson* & Magister *Lloyd* in anni sequentis Procuratores admitterentur; quod proinde factum comparet, Procuratoribus natis Muneris sui Insignia in Senatu Academico, XIII. præfati mensis coacto, deponentibus.

Vicesimo quinto sequentis *Februarii* in Convocatione illo die celebratâ perlectæ sunt [f] literæ à *Johanne Finch*, Senatus Parliamentarii plebeio Prolocutore, transmissæ; Universitati nempe mandantes, ut suorum nomina deferret; quotquot à decimo tertio *Elizabethæ* anno Doctrinam aliquam voce, scriptis, aut alià quavis ratione propalârant Fidei Articulis, illo anno stabilitis, vel sensui eorum vulgari, vel denique receptissimis Ecclesiæ *Anglicanæ* Dogmatis, repugnantem: pariterque significaret quænam Acta, Determinationes, Censuræ, Retractationes, Submissiones, Processusve alii juridici in Registris nostris deprehenderentur, quorum utique Apographa vera ac genuina exhibere jussi sumus. His vero cum Cœtu Academico communicatis, publicos Universitatis Annales Delegatis quibusdam evolvendos demandabant Procuratores, quo scilicet Senatui hac ex parte satisfieret; tametsi, quod me attinet, quonam hæc respexerint, quidve eâ postmodo in re peractum fuerit, prorsus ignoro.

CIↃDCXXIX.

Cæterum Regio adhuc animo obversabantur nuperi Academicorum tumultus; cum Subditorum vero omnium, ac præsertim Gentis togatæ paci studeret *Carolus*, de præpediendis in posterum tam fœdis litibus consilia inivit; quam in rem nil magis conducere monebat *Laudus*, quam si Munus Procuratorium Collegio cuivis certis vicibus assignatum esset, habitâ tamen Alumnorum ratione, ita ut qui Fundationis amplitudine, ac Togatorum numero potiores deprehenderentur, Munus illud frequentius obirent. In eandem continuo sententiam veniebat *Carolus*, Cyclumque curavit conficiendum, qui non ante annum vicesimum tertium decurritur, quo temporis spatio fasces Procuratorii Ædi *Christi* sexies; Collegio *Magdalenensi* quinquies; Collegio *Novo* quater; *Mertonensi*, *Omnium Animarum*, *Exoniensi*, *Æneanasensi*, Divi *Johannis*, ac *Wadhamensi* ter; Collegiis SS. *Trinitatis*, *Reginensi*, *Orielensi*, & *Corporis Christi* bis; reliquis vero singulis, *Universitatis* nimirum, *Balliolensi*, *Lincolniensi*, *Jesu*, & *Pembrochiensi*, semel tantum obtingerent. Ingens quidem est Cycli ejus fructus, nam præter Seditionis materiam è medio sublatam, spatium inde Sodalitio cuique vicem nempe suam ante plures annos cognoscenti, conceditur, virum aliquem quam maxime idoneum in tantum Magistratum designandi. Ad *Laudum* redeo, qui Statuta varia eodem spectantia condidit, Regique & Sanctiori ejus Concilio obtulit; quæ cum ab utroque probarentur, missa cum regiis [g] literis ad Cancellarium sunt. Hunc de integro negotio certiorem fecit *Carolus*; nimirum Academicorum in quovis Collegio lustro quodam con-

[a] *Ib. in N.* 254. *b.* [b] *Ib. a.* [c] *Ib.* 261. *a.* [d] *Ib. in N.* 260. *b.* [e] *Ib.* 261. *b.* [f] *In Reg. Convocationis R. fol.* 6. *b.* [g] *Ib. in R. fol.* 2. *a. & b.*

dito, initoq; Alumnorum cujuſq; numero, cum quibuſdam è Concilio ſanctiori Proceribus deliberaſſe perhibens, ſe Sodalitii cujuſque eligendi vices Alumnorum numero, quoad fieri poſſet, & rei ipſius natura pateretur, accommodaſſe; ſiquidem licet Collegiis majoribus vices frequentiores adſcriberentur, minoribus tamen id fraudi nequaquam eſſe, cùm eorum quodvis ſemel minimum vertente cyclo Procuratorem ſortiatur, quod nec XL. vel etiam L. annorum ſpatio antiquitus obtigerat. Literas ergo Regias cum cyclo ac Statutis XXVII. *Decembris*, ad Academiam [a] tranſmiſit Cancellarius; quæ quidem poſtremo Menſis ejuſdem die in Convocatione ſolenni propalantur, & communibus omnium ſuffragiis admittuntur & approbata.

Hoc eodem anno, ineunte *Auguſto*, *Belgarum*, *Gallorum*que Legati, una cum gentis noſtræ Optimatibus haud paucis, aliiſque potioris notæ viris, *Oxoniam*, inviſendæ Academiæ gratiâ, pervenere. Perluſtratis autem Bonarum Artium Hoſpitiis pleriſque, *Mertonenſes* adierunt, quorum ab altero, Magiſtro *Edoardo Nevill* appellato, Oratione luculentâ aliquandiu detinentur; deinceps vero ſumptuoſo dapum apparatu, in Xyſto Sodalitii deambulatorio [b] excipiuntur. Decimo nono prædicti Menſis *Bartonâ* prope *Abendoniam Oxonium* acceſſerunt Rex & Regina, verum nullâ interpoſitâ morâ *Wodſtochiam* ſtatim profecti ſunt; quos viceſimo tertio menſis ejuſdem adibant Univerſitatis Primores, habitâque Academicorum omnium nomine ab Oratore publico oratione, magni pretii chirothecis donabant, honoraria etiam Dynaſtis Auliciſque plurimis elargiebantur; Doctorem vero *Brent*, Collegii *Mertonenſis* Cuſtodem, ibi tum forte præſentem, ad dignitatem Equeſtrem evexit *Carolus*. Viceſimo ſeptimo præfati Menſis die, *Oxoniam* adventabant Hoſpites auguſti, obvioſque prope Foſſam viridantem, vulgo **Green-ditch**, habuere Prætorem, Aldermannos, & Civem quemque præcipuum, à quibus, totius Municipii nomine, Calicem ſpecioſum auro oblitum accepit Rex, Reginâ chirothecis eximiis donatâ; quorum uterque Collegium primo *Wadhamenſe*, ac Bibliothecam dein publicam perluſtrabat; cùm in ejus autem & Scholarum tecto plumbeo deambularet illuſtris Comitatus, de reliquis Vici *Murilegorum* (vulgo **Catſtreet**) Ædificiis, Beatam *Virginem* Scholaſque interjacentibus, diruendis, aliiſque eorum in locum extruendis, quæ Academiæ uſibus aut emolumento inſervirent, habita eſt mentio. Id Operis aggreſſurus erat *Laudus*, Epiſcopus tum *Londinenſis*; quare Tabellam topographicam, Ædes omnes hortoſque fundum illum occupantes exhibentem, exarandam *Londinum*que deferendam curavit Univerſitas, ut à Rege ſcilicet ac Epiſcopo inſpiceretur. Cæterum ad *Carolum* redeo, *Mertonenſes* proximo in loco inviſentem, cui obviam prodibant Cuſtos ac Socii, eorum altero M^ro *Jacobo Marſh* dicto, Hoſpites auguſtos Oratione ibidem detinente, qui in Xyſtum poſtmodo præfatum deducti Epulis Sodalitii impenſis opipare, ut par erat, inſtructis [c] excipiuntur. Poſt hæc *Gulielmum Spencer*, de **Yarnton**, in hoc Agro, in locum Equeſtrem evocavit *Carolus*, & pleriſque Collegii partibus perluſtratis *Bartonam* denuo migravit.

CIↃDCXXX.

Die Saturni, qui *Aprilis* decimus erat, in Ædibus ſuis ad Caſtrum *Baynardi Londini* repentinâ morte (licet illam diu antea prædixiſſet *Allenus* noſter) è medio ſublatus eſt *Gulielmus* Dominus *Herbert*, Comes *Pembrochienſis*, & Cancellarius Academicus. Ne tantus itaq; Magiſtratus diutius vacaret, inter Togatos paſſim de præclaro aliquo bonarum literarum Mecænate ſubrogando deliberatum eſt; dum illo Munere dignior nemo videretur quam Clariſſimus *Laudus*, *Londinenſis* Epiſcopus, tametſi idem quoque ambiret *Philippus*, Comes *Montgomerienſis*, qui tanquam hæreditario quodam jure ad ipſum ſpectaret (demortui enim frater germanus erat) in potiundi Magiſtratus ſpem erigebatur. Proximo poſt allatum de Comitis *Pembrochienſis* obitu nuntium die, Collegia ſedulo obibant quotquot Epiſcopum optarent, maxime vero *Johannenſes*, qui nil reliquum fecere quo partes ſuæ firmandæ viderentur: aliis interim, præcipue autem *Calviniſmo* imbutis, necnon *Cambro-Britannis* omnibus operam Comiti indefeſſam navantibus; quod idem à Collegiis *Balliolenſi*, *Orielenſi*, *Lincolnenſi*, & *Æneanaſenſi* præſtitum eſt, Epiſcopi nimirum *Lincolnienſis* patrocinio ſubditis, à quo literas nuntioſque in gratiam Comitis (Præſulis enim *Londinenſis* rebus non adeo multum favebat *Lincolnienſis*) perceperant. Atque hunc in modum ſatagentibus utrinque Togatis, die proximo Senatum Academicum [d] coegit Doctor *Frewen* Vicecancellarius, qui Cancellarii mortem *Andoveræ* in Com. *Bercherienſi* edoctus (ibi enim tum forte agebat, ſuſcepto ad perluſtrandas Collegii *Magdalenenſis* poſſeſſiones annuo itinere) *Oxoniam* protenus revolavit, ne Comitis partes (ſiquidem *Laudo* ſtudebat) ſe abſente invaleſcerent male metuens. Inito autem ſuffragiorum numero Munus reportavit Epiſcopus, Competitorem ut perhibent, longe ſuperans; etenim e Scriptori capitales inimicitias profeſſo quis fidem adhibuerit, *Laudum* vitio creatum, & non ſine Magiſtratuum calculos ſubducentium perjurio alteri prælatum affirmanti? tametſi non ignoro viros aliquos judicio pollentes, inque Electione illâ ſuffragia ferentes (quorum etam nonnulli in vivis adhuc verſantur) aſſeveraſſe adverſas partes tantum non æquaſſe illos qui à Comite ſtarent. Utcunque, dubium non eſt, quin è re noſtrâ fuerit quod Epiſcopo deferretur iſte honos, quo nemo unquam boni publici, maxime vero literarii, ſtudioſior comparuit; etenim ſi bella civilia, Præſuliſque caſum in ſeptennium porro diſtuliſſet Deus, Univerſitatem noſtram Ædificiis, Libris, Diſciplinâ, denique priſcorum temporum monumentis miris adeo modis auctiorem reddidiſſet, ut vel junctis propemodum totius Orbis Academiis palmam præripuiſſet *Oxonienſis*. Tametſi autem tanti Præſulis geſta non capit arctati hujus operis compendium, nonnulla tamen Togatos reſpicientia attingere non verebor.

Quamprimum itaque Cancellariatum, quem ſe minime ſperaſſe [f] refert, adeptus eſſet, ad reformandam Academiam ſe totum convertebat; iis diſciplinæ corruptelis (prout ab amicis quibuſdam *Oxonii* agentibus certiorem ſe perhibet factum) laboraſſe tunc temporis eandem conqueſtus, ut niſi mature

[a] *Ib. in R.* [b] *Reg.* 2. *Coll.* Mert. *p.* 302. [c] *Ibid.* [d] *Ibid. in* R. *fol.* 19. *b.* [e] Prynnius *in lib. ſuo, cui tit. eſt*, Canterburies Doome *p.* 71. [f] *In Geſtis Cancelariatus ſui Academiæ* Oxon *MS. p.* 7.

admodum

admodum de remedio prospiceretur, ne umbra quidem Academiæ videretur superfutura. Quamvis autem eorum quæ perperam nobiscum fierent ignarus non esset (utpote à quo anni perplures, eorumque nonnulli in Sodalitii Præfecturâ, positi *Oxoniæ* fuerant) Vicecancellario tamen præcipere imprimis visum est, ut de re omni in Exercitiis aut Moribus obveniente certiorem se quavis hebdomadâ faceret; ad quem rescripturum se qualibet septimanâ spospondit, & quid laudaret, quid vero improbaret, quid præterea in Universitatis commodum fieri vellet edocturum. Quæ methodus adeo feliciter cessit rei literariæ, ut quamdiu Magistratum gesserit, idem deinceps præstiterit, & à Vicecancellario perpetuo exegerit.

Statutis in rudem potius congeriem quam Corpus unum redactis usa multis retro seculis fuerat Universitas; tollendis autem quæ hinc provenirent incommodis, atque adeo Legibus ipsis emendandis inque meliorem ordinem disponendis, necnon aliis quibusdam, prout ætatis præsentis usûs efflagitaret, condendis, frustra semper insudarant Academiæ Primores; quæ tamen ante omnia præstanda novit *Laudus*, quod aliter nil quicquam corrigi apud *Oxonienses* posset. Cæterum nescius non erat quantis difficultatibus conflictandum in illo esset opere, utpote cui irrito bis conatu, dum ipse *Oxonii* ageret, incubuerant Delegati Academici, quorum de numero & ipse fuerat dum id secundùm aggrederentur, atque inde quænam consiliis tam salubribus obstarent perdidicit, licet auferendis iisdem haudquaquam sufficeret. Non ita multo post ad Episcopatum *Londinensem* evectus, Comiti *Pembrochiensi* (quem nempe anxium habebant facta quædam Academicorum vesana) denuntiavit, nunquam fore ut his malis mederetur, nisi Statutis emendatis & in Codicem unum redactis Togatos in officio contineret. Hortante qui Viri sententiam probabat Cancellario, totius negotii impedimenta explicavit *Laudus*, viam quoque quam inire expediret ostendens, à Delegatis in Convocatione nominandis auspicatus: atque eo quidem usque processerant Reipublicæ literariæ Ordines, Episcopi monitis ac præceptis adjuti, cum diem obiret *Pembrochiensis*, inque ejus locum substitueretur *Laudus*. Is itaque potestate jam amplissimâ munitus, obstantia quævis eluctari, opusque arduum pariter & glorioſum absolvere statuit; cui officere præsertim intellexit hominum aliquorum pervicaciam, tanti facinoris laudem ipsi quidem invidentium, id autem à quovis alio præstandum percupientium.

Cæterum quid hac in re fecerit deinceps edocebere: notandum interea quod Cancellariatum ingresso molestiam haud levem creabant Academicorum duorum, ad Beatam *Virginem* 11° *Maii* concionantium delicta. Eorum primus *Exoniensis* erat, qui reverentiam Numinis in Ecclesiis testandam, hoc est Cultûs externi decorem, speciatim vero Gestum ad Sacram Synaxin venerabundum, improbavit. Alter ad Collegium *Orielense* spectabat, Magister *Johannes Tooker* nuncupatus; is autem non tantum Articulos quinque, *Arminianismi* vulgo insimulatos defendit, verum & Synodum *Dordracenſem* notavit; edicto nimirum regio, sub id tempus divulgato, haudquaquam obtemperans, quo Clericis omnibus prohibitum erat ejusmodi quæstionibus sese immiscere; quas nempe Ecclesiam *Anglicanam* discerpsisse propemodum constabat, quasque aliquandiu consopitas evanescere demum posse sperabatur. His vero ad Cancellarium perlatis, literas ad Doctorem *Johannem Tolson* Vicecancellarii Deputatum, septimo Mensis ejusdem, dedit, ut accitis sibi Doctoribus duobus vel tribus Magistros prædictos corriperet, & ne consimili in posterum errore laberentur admoneret præcipientes: nolle enim se dixit pœnas iis publicas irrogare, quod Magistratum recentem acerbiorem reddere, ac Togatorum à se animos alienare nequaquam oporteret; maxime autem quod Conciones illas prius fuisse compositas intelligeret quam sibi deferretur Cancellariatus. Cæterum hic locus postulat ut Viri clarissimi Gesta quædam huic anno inscripta commemorem. I. Ædis *Christi* Præbendam Linguæ *Hebraici* Prælectioni annectendam [a] procuravit, Diplomate Regio eam in rem impetrato; quod licet ægre ferrent aliqui, fructum tamen haud modicum perceptura videbatur Academia, apud quam scilicet incultæ sub hæc jacebant sacræ Linguæ radices. II. Enixe [b] laborabat, ut ad Habitum Scholasticum in Cœtu quovis locove publico gerendum impellerentur Togati. III. Reverentiam Gradui Magistrali debitam [c] revocavit, quam non modo apud Artium Baccalaureos, verum Tyrones quosq; & in matriculam Academicam pridie relatos, evanuisse constabat; adeo ut neque in Plateis, neque in Conventibus publicis, à quoquam fere præstaretur. IV. Contra Gradus temere & pro libitu [d] cumulantes, hoc est plures eodem tempore capessentes, (qui quidem creberrimi sub id comparebant) nonnulla statuit; ob quæ juxta & alia, non sine uberrimo Artium ingenuarum fructu gesta, gratias ingentes ab ipsâ Universitate, necnon Doctore *Morrys*, Linguæ *Hebraicæ* Professore, & Procuratoribus Academicis accepit; postremo dictis operam indefessam in corrigendis quæ ad Vestitum ac Mores pertinerent condicentibus.

CIↃDCXXXI.

Hunc nobis annum turbulentum reddidere Togati quidam seditiosi; Academiæ Regimen tum Convocationes distrahendo, tum opiniones in Concionibus male sanas disseminando, tum denique conjurationes clandestinas ineundo, concutere nitentes. Primum eorum consilium erat Delegationem, ad emendandas Leges Academicas, inque meliorem formam redigendas institutam dirimere; Procuratorum dein animos à Cancellario alienare, turbasque eâ ratione omnimodas Togatis dare; qualem vero turpissimæ machinationes effectum fuerint sortitæ deinceps edocebere. Notandum interea haud inanibus conjecturis colligi posse quinam primos eorum ordines duxerit. *Nomen ejus* (inquit [e] Cancellarius) *dissimulabo*, *muneri non Viro parcendum ratus*: & revera Regius ille Professor erat, à Seniorum nonnullis ob lectionem diffusam, & partium *Antiremonstrantium* studium, à Junioribus ob scommata & facetias in summo pretio habitus.

Cæterum hic post siparium prudens latitabat, aliis in scenam prodeuntibus, quorum de numero erat Magister *Thomas Hill*, ex Aulâ *Cervinâ*, qui Concionem ad Beatæ *Virginis* XXIV. *Maii* obiens, Thesin sibi sumpsit Epistolæ Divi *Jacobi* cap. I. vers. XVI. atque hæc, Regio edicto insuper habito, inter alia enuntiavit- „ & si mihi par zelo tempus & eru-

[a] Ib. *in Reg. R. fol.* 23. 24. *&c.* [b] *Ib.* 24. *a.* [c] *Ib. b.* [d] *Gest. Canc.* Laud. *ut sup. p.* 16. 17. *&c.* [e] *In Gest. ut supra p.* 35.

» ditio ſuppeteret, annon pulcherrima ſe hic dat oc-
» caſio enarrandi quam temere, ne dicam crudeliter,
» Regis cœleſtis Decreta & Statuta tractarunt *Pelagii*
» Cultores. At vero maleficiis hoſce, & quocunq;
» modo, honorem aſſequi oportet, cujus illecebris
» irretiti ob eandem atque olim *David* rationem,
» ſanam reſpuunt Doctrinam; quoniam ſcilicet ei-
» dem non favent Proceres 1. *Sam.* XXIX. VI. Scriptu-
» ras Sacras pejus habent quam *Tuneti* Chriſtianos
» *Turci*, turpiſſimi erroris miniſterio mancipantes,
» habituque receptiſſimo indutas, *Papiſmo*, vel, qui
» nihilo melior eſt, *Pelagianiſmo* militare jubentes,
» &c. jacula pontificia in cote *Batavâ* recens exacua-
» ta altius penetrarunt, & niſi medicina ſtatim adhi-
» beatur lethifera deprehendentur. Perſuaſiſſimum
» habeo, fœdas exterorum opiniones haud adeo in-
» valuiſſe, neque perplures Veritatem iiſdem con-
» trariam quaſi ex diametro impugnantes comparuiſſe,
» ſi in cogitationibus ſuis ſeriis & ſolitariis quæſtiones
» haſce expendiſſent, &c.

His ille contra obſequium Principi debitum perorans pacemque tum Academicam, tum præſertim Eccleſiaſticam, perturbavit; quapropter coram Vicecancellario, & nonnullis Ædium Præfectis conventus (re interim Cancellario per literas nuntiatâ) Palinodiam in proximâ Convocatione demiſſam canere jubetur. Ea in decimum ſextum *Julii* incidit; atque ibi tum errata flexis genibus [a] retractavit, contra Regias ſeſe Injunctiones deliquiſſe perhibens, Clerum in partes miſere diviſum per invidiam committendo, inque partem alteram hæreſin *Pelagianam* ac ſuperſtitionem pontificiam impingendo; necnon tam Eccleſiæ quam Reipublicæ Regimen probris fœdiſſimis contaminaſſe faſſus, quod aſſereret opiniones falſas ac fœdas viam ad Dignitates expeditiſſimam ſtruere.

Inter otium Academicum turbantes primus occurrit Magiſter *Thomas Ford*, ex Aulâ *Magdalenenſi*; is enim quod Concionem duodecimo *Junii* habens Præſulibus *Anglicanis Arminianiſmum* ore duriſſimo imputaſſet, mandata Regia violaſſe arguitur, eoque nomine apud Cancellarium accuſatur, qui Vicecancellario confeſtim præcepit, ut puniendum pro meritis curaret. At vero monitis iis non erat opus, quippe eodem quo habita eſt die concionem depoſcebat Vicecancellarius, cumque tradere illam abnueret *Fordus*, ad Viri Cameram perrexit, obſeratoque oſtio Sigillum ſuum appoſuit, introitu quemvis prohibens, donec viros quoſdam deligeret quibus chartas venenatas explorandas demandaret, quas tamen eadem nocte inter horas octavam veſpertinam & ſeptimam matutinam furtim conſtat ſurreptas. Accerſito deinceps ad ſe mandabat Vicecancellarius ut Concionis Apographum dederet, dubitanti autem an id facere teneretur, deliberandi & in ſententiam ſanionem veniendi ſpatium conceſſit; fruſtra licet, nam cum ut idem faceret à reverſo exigeretur, nolle ſe reſpondit, id aliter quam ſecundum Statuta præſtare; cumque carcerem adire, ob contumaciam, juberetur, domum ſe contulit pertinax & perjurum caput. Citatus denuo *Fordus* ad Vicecancellarium animo obſtinabat, nolle ſe Concionem tradere affirmans, niſi id Statuti alicujus vi præſtare teneretur; porro aut ſe multum falli, aut non poſſe Vicecancellarium à Togato aliquo exigere ut Carceri, ſe, ex fide Academiæ datâ, manciparet. Dimiſſus tunc temporis eſt, ac ſexto *Fulii* ſequentis, inter horas primam & ſecundam pomeridianas, comparere juſſus; qui quidem præſentem ſe in Ædibus Vicecancellarii dedit, atque interrogatus quanam ratione intercederet quo minus aut expulſione, aut aliâ aliquâ pœnâ plecteretur ob denegatum Concionis Apographum, metu tandem fractus, gratiamque delicti efflagitans, Chartas ſuas protulit, & ea continere tactis Evangeliis aſſeruit, quæ duodecimo *Junii* ad Beatæ *Virginis* enuntiârat. Hac viri pœnitentiâ, pœnæque deprecatione motus Vicecancellarius, tantum de ſupplicio remiſit quantum detenta Concio promeruiſſet, cæterum Carcerem illico vi juramenti Academici adire juſſit, atque ibidem perſtare uſque dum quod ad perturbatæ pacis actionem pertineret decerneretur. His autem Cancellario per literas ſignificatis, puniendi noxii mora longior interpoſita eſt, quod & alii nonnulli eadem quaſi tempeſtate delictum conſimile admiſiſſent.

Siquidem interea dum hæc agerentur, vices ſuas ad Beatæ *Mariæ* obeuntes Magiſter *Ægydius Thorne*, Collegii *Balliolenſis*, & Magiſter *Gulielmus Hodges* è Collegio *Exonienſi*, uno eodemque errore ducti *Arminianiſmum* Præſulibus noſtris aſſuunt, veteremq; aliquem Ritum in re divinâ revocatum tanquam novitatis poſtulant, & damnandum pronuntiant. Ad Vicecancellarium eâ de re accerſiti, & Concionum Apographa tradere juſſi, id facere abnuunt ad Convocationem provocantes, quam quidem Provocationem temere admiſerunt Procuratores, & de nominandis Delegatis deliberabant, cùm Regem appellaret Vicecancellarius. Fateor ſane Statutum jam tum aliquod extitiſſe quod Procuratoribus eâ in re, maxime vero provocantibus, videretur patrocinari; cæterum facile erat præſentire, detrectatâ Vicecancellarii ſententiâ, litem ad Cancellarium, vel etiam ipſum *Carolum*, deferendam iri, quorum alteri incubuit dignitati ſuæ in Vicario læſæ proſpicere, alteri autem proculcatam edictorum ſuorum authoritatem omnino vindicare.

Secundum hæc, literas [b] ad Cancellarium primo *Auguſti* dedit Doctor *Duppa*, Ædis *Chriſti* Decanus, de contentionibus nimirum iis certiorem facientes; quarum partem maximam dignam arbitror quæ hunc in locum ſubjungatur. » Huc uſque (inquit ille) dominationem veſtram negotiorum Academicorum « notitiâ haudquaquam interpellavi, utpote quorum « procurationem viro fidiſſimo commiſſam novi, à quo « etiam hebdomadâ quavis res geſtas edoctum arbitror. At vero tam graves nos turbæ tum è ſuggeſto tum aliunde nuper exagitarunt, ut niſi moleſtiam inde aliquam capere teſtarer, pro Corporis « ejus quod tu moderaris membro ſenſu plane deſtitu- « to habendus eſſem. Neque enim ejuſmodi ſunt tumultus nuperi, ut tanquam quotidiani contemni « poſſint, verum ipſam Regiminis radicem feriunt, « egregie jam periclitantem. Controvertitur Vice- « cancellarii poteſtas, Peccantium appellationes acci- « piunt Procuratores, quibus utique incumbit eidem « adeſſe, & opem ferre, Delegati nominantur quos « ad noxios propius accedere conſtat quam ad Judices. « Atque utinam hic mali terminus eſſet, ulterius pro- « repat oportet Gangrena; ſiquidem hiſce artibus fiet « ut ſeditioſorum evadat Proſeminium Academia, in « Eccleſiam perinde ac Rempublicam prodeuntium. « Cæterum id mihi ſpem facit, viam iniiſſe illos « (Appellationem intelligo) ad ſacram Regis Ma- « jeſtatem rem deducturam, cum ſola ejus vox procellam hanc ſedare queat; quod ſecum imprimis repu- « taſſe neutiquam opinor. Animis jam pendent Aca- « demici omnes, in partes licet contrarias diviſi, atq;

[a] *Ib. in R.* 35. *b.* [b] *In Geſt. Canc.* Laud. *p.* 35.

hic

„ hic totius rei exitus futurus eſt, ut vel pacem rebel-
„ les in officio continentem ſortiamur, vel perfractis
„ penitus juris repagulis tumultibus omnia permiſ-
„ ceantur.

Hunc ille in modum; at vero admiſſâ, ut prædiximus, à Procuratoribus noxiorum provocatione Libellum Regi ſupplicem contra Concionem *Fordianam* detulit Vicecancellarius, una cum Appellatione de Cauſâ ſuâ ad eundem factâ; quibus circa duodecimum *Auguſti* præſente Cancellario perlectis, Litem ſeſe in itinere animi cauſa habito, ſive Progreſſu quem vocamus, ſolenni *Wodſtochiæ* cogniturum, & ex æquo bono deciſurum ſpoſpondit *Carolus*. Viceſimo itaq; tertio Menſis præfati, ibidem coram Sanctioris Concilii Dominis, pluribuſque Collegiorum Præfectis, Cauſam integram eventilavit Rex, factâ utrinque dicendi, & quæ cuiq; ſuppeterent in ſui defenſionem proferendi copiâ: ſententiamq; deinceps ferens edixit, ut Procurator uterque in proximâ Convocatione Muneris Inſignia deponeret, aliis duobus ex iiſdem Collegiis eorum in locum cooptatis; utque Academiâ pellerentur *Thomas Ford* ex Aulâ *Magdalenenſi*, *Ægidius Thorne*, *Balliolenſis*, & *Gulielmus Hodges*, *Exonienſis*; denique, ibi tum coram ipſo ac Proceribus, verbis aſperrimis, ob Munera ſua peſſime adminiſtrata, ac incitatos ſeditioſos animiſque auctos, corripiebantur Doctor *Prideaux* Collegii *Exonienſis* Rector, & Doctor *Wilkinſon* Aulæ *Magdalenenſis* Principalis. Hanc ſententiam regio nomine ferebat Dominus Vice-comes de **Dorchester**, Secretarius primarius, qui & Doctores prædictos reprehenſione graviſſimâ caſtigavit; Rege poſtmodo palam affirmante quod munere ſuo jure merito privandus eſſet *Prideauxius*, cui tamen crimen ſeſe condonaturum, quod & è Famulatu ſuo jampridem fuiſſet, erroreſque deinceps correcturum ſperaret, & ejus vice ſupplicem ſeſe exhibuiſſet Cancellarius. Ad *Franciſcum Hyde*, factionis Authoribus merito annumerandum, quod ſpectat, ab Univerſitate is aberat cum antedictos ad ſe accerſeret *Carolus*, eaque ratione accuratioris examinis diſcrimina ſubterfugiebat; verum Regem ſibi graviſſime infenſum edoctus, conſultiſſimum duxit eundem ultro adire, agnitâque culpâ pœnas deprecari. Poſt hæc autem Secretario præfato mandavit *Carolus*, ut, quo ſententia ſua executioni debitæ traderetur, literas conſcriberet à ſe ſignandas, & in Senatu Academico propalandas; quas quidem die proximo datas, juſſa regia hunc in modum patefeciſſe deprehendo.

Primo (inquit [a] Regia Majeſtas) Appellationem (Vicecancellarii intellige) juſtam pronuntiamus; *Thomam*que *Ford*, *Ægidium Thorne*, & *Gulielmum Hodges* (quorum etiam Cauſæ arbitrio noſtro permiſſæ ſunt) ditioni veſtræ reddentes mandamus, ut omnes confeſtim Univerſitate exterminentur, prout Statuta veſtra eâ ex parte requirunt.

Deinde, quoniam Procuratores, quibus incubuit Vicecancellario adeſſe, & in authoritate ſuâ & Regimine Academico ſuffulciendis ſubſidio venire, turpiſſime ſe geſſerunt, inobedientiæ nimirum omnimodæ patrocinando, & Appellationes in caſu manifeſtò perturbatæ ac violatæ pacis admittendo, necnon ſubdole ac verſute poſt admiſſas Appellationes (maxime vero *Thornæanam*, cujus apertiſſima fuerat contumacia, & Concio fœdiſſima) rem adminiſtrando: de illis ergo volumus & mandamus, ut (quod & ipſis heri declaravimus) Magiſtratu ſe ſtatim in Convocatione exuant, tanquam ſi integer ſibi annus decurriſſet, utque Collegiis ad quæ ſpectant integrum ſit binos alios nominare, ſecundum Statuta vobis nuper eâ de re condita cooptandos & admittendos. His autem exequendis Convocationem protenus, eâ quam præcepimus ratione, indicetis, atque hanc noſtram ſententiam divulgabitis, in eadem nempe implendâ ſatagentes.

Poſtremo, *Franciſcum Hyde* ex Æde *Chriſti*, & *Richardum Hill* è Collegio *Æneanaſenſi*, viros quoque ſeditioſos, quod attinet, mandamus, ut quamprimum ad Univerſitatem noſtram redierint in promptu eſſe jubeatis, certioremque eâ de re Cancellarium veſtrum faciatis, quo ſcilicet accerſiti ſuper iis quorum poſtulabuntur criminibus reſponſa interponant, dictâque cauſâ pœnas pro eo ac meriti videbuntur perſolvant.

Perceptis mandatis regiis, in Convocatione xxvi. *Auguſti* celebratâ Magiſtratu ſe [b] abdicant Procuratores, aliis duobus pridie delectis eorum in locum ſubrogatis; eodem vero die, ſtatim poſt dimiſſam Convocationem, Beatæ *Mariæ* Valvis affigitur Charta [c] viros exilio à Rege mulctatos Academiâ in perpetuum exturbandos decernens, utque intra quadriduum eadem excederent mandans; id quod factum tempore præſtituto eſt, Togatis innumeris exterminatos ex Urbe deducentibus.

Eodem vero tempore recitatæ ad Senatum Academicum ſunt [d] Conſtitutiones quædam regiæ, ejuſmodi delictis aut præcavendis in poſterum aut puniendis accommodatæ, ſic autem ſeſe habentes.

Primo (inquit *Carolus*) ſi Vicecancellario viſum fuerit Togati alicujus Concionem depoſcere, quæ vel præſenti vel querelas ab alio aliquo percipienti offenſionis minime immunis compareat, quocunque is Gradu ornatus fuerit, Apographum ejus verum ac perfectum, interpoſito quoque juramento, tradet; inſpectâ vero penituſque recognitâ Concione, Authorem ad ſe, ſi noxius deprehendatur, citabit Vicecancellarius, vel Statuti (quod vocant) *Leyceſtrenſis*, vel recentioris illius de ſex Doctoribus ſibi aſſumendis vi, quæ vigorem priſtinum retinebunt, uſque dum eâ de re novis quibuſdam legibus proviſum fuerit.

Porro, ſi cauſâ aliquâ flagitare viſâ Vicecancellarius cuiquam ut in cuſtodiam ſe det præceperit, vel in Carcerem compingendum Bedello tradiderit, is nullâ interpoſitâ morâ (ſic enim Statuta requirunt) ſeſe ultro dedet, Carcerem non repugnanter aditurus; quod ſi facere detrectârit eo ipſo pacem perturbaſſe cenſebitur, neq; Appellationis beneficio fruetur.

Denique, Delegatis eâ jam in re occupatis mandamus, ut Opus præclarum ac ſplendidum quantâ poſſunt celeritate abſolvant; ita tamen ut omiſſâ protenus reliquorum curâ Statuta duo de Appellationibus condant, quorum alterum Caſus (quos vocant) Inſtantiæ, & negotia ad Curiam Cancellarii pertinentia reſpiciet, alterum de aliis omnimodis Appellationibus aget, in quibus procudendis ab antiquis Academiæ noſtræ legibus parum admodum, quoad fieri id poterit, abſcedent, hodiernis tamen malis & incommodis omnino obviantes: utque Statutum aliud ſtatim conficiant, de Conventu Præfectorum omnium Academicorum, *Oxoniæ* commorantium, hebdomadali, die nimirum quovis Lunæ, tam intra Terminum quam extra, celebrando, in quo prout occaſio tulerit de negotiis Univerſitatis noſtræ pacem ac Regimen tangentibus deliberandum erit, atque inde ex maturo eorum conſilio res aliqua, ſiquando opus videbitur, Convocationis arbitrio permittetur, ſecundum

[a] *Reg. R. ut ſupra fol.* 37. *b.* 38. *a.* [b] *Ib. fol.* 38. *b.* [c] *Ib. &c.* [d] *Ib. fol.* 38. *a.*

cundum conſtitutiones Cancellario à nobis tradendas, vobiſque ab illo impertiendas, &c.

Cæterum de his hactenus; ad exterminatos jam revertor, quos inter præfractioris contumaciæ reus *Thornæus* tandem emollitus ſupplicem Cancellario Libellum, ſed irrito incœpto, porrigebat, culpam demiſſe faſſus, utque in Academiam denuo admitteretur efflagitans. Id facere abnuit *Fordus*, ad *Devonienſes* autem profectus, & amicorum quorundam ope ac induſtriâ uſus, iu Vicarium ſeu Prælectorem in oppido **Plymouth** cooptandus jam erat, cùm literæ *Caroline*, operâ *Laudi* impetratæ, ad dicti vero loci Prætorem & Municipium datæ, intervenirent, ne id ullo modo, ſub offenſæ apud Regem ſubeundæ pœnâ, fieret prohibentes.; tranſmiſſis quoque ad Epiſcopum *Exonienſem* literis, electum admittere vetantibus. *Hodgeſium* quod attinet, res ei melius vertebat, quippe Majeſtati Regiæ ſupplicem ſeſe exhibens, & Cancellarii gratiam, interpoſitâ de abluendis deinceps priſtinæ pertinaciæ maculis fide, efflagitans, indultum habuit ut vitam, quam vocant, probationis altero anno in Univerſitate ageret, quo ſcilicet meliora de ſe ſperandi materiam præberet; quod tamen his legibus conceſſum eſt.

1. Ut Concionem ad Beatæ *Virginis* obiens, Palinodiam publice caneret, culpamque fateretur, quod mandatis Regiis immorigerum ſe geſſiſſet, vetitæ controverſiæ pro concione ſe immiſcendo. Id ille primo ſequentis *Januarii*, magnâ cum laude præſtitit, tranſmiſſo propediem ad Cancellarium Concionis ſuæ exemplari.

11. Ut flexis in Senatu Academico genibus, præbitiſque futuræ obſervantiæ indiciis manifeſtis, errorem ſuum his [a] verbis (id quod XV. *Decembris* fecit) revocaret:

„ Ego *Gulielmus Hodges* ſponte ac ſincere coram „ venerabili iſto Convocationis cœtu agnoſco, quod „ in Concione, per me viceſimo ſexto *Junii* noviſſi„ me præterlapſi, ad Beatæ *Mariæ* habitâ, ad Capi„ tum eorum tractationem deſcendi, quibus ex Re„ giis ſuæ Majeſtatis injunctionibus interdictum mi„ hi erat; atque inſignem eâ in re contra ſacram ſuam „ Majeſtatem contumaciam, non ſine dolore inte„ gerrimo, profiteor. Porro cum luctu ſincero fa„ teor, nonnulla ibidem effutiiſſe me, quæ Regi„ minis Eccleſiaſtici exiſtimationem imminuere vi„ deantur, cùm opiniones falſas & hæreticas ad Di„ gnitates aſpirantium adminicula nuncupârim. Hæc „ autem, una cum toto ſermonis mei curſu, ejuſ„ modi à Cœtu ibi tum præſente haberi potue„ rint quæ ad ſeditionem ſpectant. Fateor ultro inſi„ gni hoc meo, nullamque habente excuſationem, „ delicto, Cenſuram aſperrimam pœnaſque graviſſi„ mas promeruiſſe me, ac proinde ſupplicio æquiſſi„ mo à regiâ Majeſtate mulctatum, utpote criminis „ tam atrocis reum. Atq; nil aliud adferre poſſum cu„ jus nomine celeberrimâ hac Univerſitate donari de„ nuo petam quam illuſtriſſimi Principis clementiam. „ Confeſſionem hanc meam & Submiſſionem vene„ rabili huic Senatui humillime offero, veniam tum „ ab Academiâ univerſâ tum præſertim ab honora„ tiſſimo noſtro Cancellario efflagitans, quem præ„ terea animo quam maxime demiſſo obſecro, ut con„ feſſionem hanc meam ſacræ ſuæ Majeſtati in manus „ tradat, tanquam obſequii promptiſſimi, præſentis „ juxta & futuri, teſſeram & arrhabonem.

Gulielmus Hodges.

[a] *Ib. in* Reg. *R. fol.* 42.

CIↃDCXXXII.

His ita peractis, decurſoque in crimine ſuo plorando, agendâque pœnitentiâ, integri anni ſpatio, Libellum Regi ſupplicem detulit; atque ægre tandem impetrato ut in priſtinum apud Academicos locum omnino reſtitueretur (ſiquidem Collegii *Exonienſis* ſocius fuerat) ad Cancellarium cum libello prædicto remiſſus eſt, qui voluntatem regiam his verbis, eidem ſubſcriptis, ſignificavit.

9. Sept. an. 1632.

De petitione illâ deliberavit Regia Majeſtas, « eique gratioſe viſum eſt temporis ſpatio Supplici « olim in probationem aſſignato finem imponere, ſen- « tentiamque de eodem XXIII. *Auguſti* anno Dom. « CIↃDCXXXI. *Wodſtochiæ* prolatam prorſus re- « vocare; quem ut pœnis relaxetis ſubſcriptio hæc « mea, Petitioni ejus, ex mandato Regio, appoſita, « vobis loco Warranti legitimi erit.

Guil, Londinenſis.

His autem in Convocatione, die *Octobris* viceſimo habitâ, perlectis, *Hodgeſium* in priſtinum honoris & privilegiorum locum repoſitum pronuntiavit Procurator ſenior; atque is poſt *Carolum* ſecundum populo ſuo divinitus redditum S. Theologiæ Profeſſor, Vicariorum *Bamptonienſium* in Com. *Oxon.* alter, Rector de **Ripple**, & Archidiaconus *Wigornienſis* merito evaſit, neque enim ſeditioſis denuo acceſſit, aut partibus ſeſe ingeſſit, verum pacem deinceps & concordiam inter omnes pro viribus fovebat. Quod pariter de *Thornæo* dicendum, qui ad Archidiaconatum, aliaſque Eccleſiæ dignitates promovebatur.

Porro ad Magiſt. *Richardum Hill*, & *Franciſcum Hyde* quod ſpectat, quamprimum *Oxoniam* rediere, eorum quæ circa turbas prædictas geſſerant rationem reddere coacti ſunt, pœnitentiâ vero ducti veniam ſoliciti petebant; etenim primus animum fractum ac demiſſum Cancellario bis per literas teſtabatur, quarum alteræ XXII. *Octob.* alteræ VII. *Novemb.* anno prægreſſo exaratæ fuerunt; in utriſque autem culpam à ſe amolitur *Prideauxium* criminando, cujus ductu ab officio aberraſſe aſſeverabat. Cancellarium vero adivit *Hydus*, delicti ſui, & ſpeciatim quod contumaciter ſe geſſit coram Delegatis ad Appellationes retro dictas recipiendas nominatis, pœnas deprecaturus; qui quidem ad Vicecancellarium remiſſus eſt, cujus gratiam per literas XVI. *Novemb.* anni ſuperioris datas imploravit, nec ita multo poſt errorem coram eodem Ædiumque Præfectis humillime faſſus, condonatum habuit.

Poſt iſtos *Antiremonſtrantes*, adverſus juſſa Regia pacemque publicam delinquentes, ſuccedit diverſarum partium importunus propugnator; qui etiam perpetrati facinoris debitas luebat pœnas, ſiquidem ad Vicecancellarium hoc anno, viceſimo nempe primo *Auguſti*, accerſitus [b] eſt (deferente doctore *Prideaux*) *Robertus Rainsford*, ante biennium *Wadhamenſis*; quod ſcilicet duodecimo dicti Menſis die Concionem ad Beatæ *Virginis* obiens, Gratiam Univerſalem propugnaſſet, & Electionem ex prævifa fide aſſeruiſſet. Eam inquam ob rem coram

[b] *Ibid. in R. fol.* 49. *b.*

Vicecan-

Vicecancellario ac Doctoribus nonnullis in Æde *Christi* comparuit, erroremque in proterendâ Regii edicti majestate admissum supplex [a] agnovit; delicti veniâ eâ lege impetratâ, si intemerata deinceps jussa regia servaturum sponderet. Quæ quidem pœna privatim irrogata, cum alii delicta sua publicè luissent, lenior æquo *Antiremonstrantibus* videbatur, & apertissimum præjudicati animi illorum qui tum temporis rerum potiebantur indicium; & quidem si de obsequio Regiis mandatis minus præstito tantum ageretur verum dixissent; sed (quemadmodum ex iis quæ superius monuimus liquet) gravior noxa seditionis, & Magistratuum contemptus adjiciebatur plurimorum errori, unde non mirum si quorum culpæ variabant, iidem in pœnis distinguerentur.

Ita exacerbatis utrinque animis, lites inter Academicos indies magis fervebant; quæ ab Ecclesiâ ad compita & popinas; à concionibus, ad cantilenas famosas & satyras transibant. *Cathari* enim, qui se oppressos reputabant, quandoquidem aliter non poterant, convitiis & maledictis vindicias moliebantur, & posthabitâ pace publicâ, juramentorum fide, ac mandatorum regiorum authoritate, libellum famosum, versu conscriptum, Mense *Septembri* hujus anni *Oxoniæ* spargebant. Huic titulum fecerant, *Acies Academica Epidemicorum Arminianorum*, ad modos musicos cantilenæ tunc temporis pervulgatæ quæ *Miles veteranus* dicebatur, compositum, ne Inscriptionem nempe disparem haberent Carmina insulsa simul & amarulenta, famamque Vicecancellarii, Doct. *Ric. Corbet*, Dr *Tho. Jackson*; Magistri *Petri Turner*, Doct. *Duppa*, Doct. *Potter* è Coll. *Reginensi*, Doct. *Marsh*, Doct. *Tolson* è Coll. *Orielensi*, utque alios taceam illustrissimi Cancellarii (cui Ducis munia demandabantur) futilem in modum lacerantia. Ex indiciis & conjecturis verisimillimis rhythmorum eorum habitus est author *Gualterus Rogers*, è Collegio *Jesu* Artium Magister, qui de iisdem postulatus exterminio damnatur, quanquam supplicem se postmodo Cancellario exhibens redditus Academiæ [b] comparet in Convocatione sexto *Junii* ann. CIↃDCXXXVIII. coactâ; quo tempore Rectoriâ de **Mordeforde** in Agro *Herefordiensi* fruebatur. Denique per integrum annum à gradu repelluntur penes quos Libelli ejus deprehensa sunt exemplaria.

Cæterum, ne motarum turbarum culpa omnis apud Magistros resideat, tumultus longe majores sub exitum Quadragesimæ novissime præterlapsæ concitârant Baccalaurei; eo tandem prorumpentes, ut pacis studio adductus Vicecancellarius, Baccalaureis ex Æde *Christi*, instante Doctore *Duppa* Decano, indulserit suas respondendi vices omittere; quo nempe aliorum iisdem infensorum consilia ludificaretur. At vero his ad Regem perlatis, Cancellario statim transmittuntur [c] literæ, ut motibus hisce Academicis sedandis, inque posterum cohibendis, operam impenderet præcipientes; utpote à quibus rei literariæ æstimatio ubique evilescerer. Mandata is regia [d] literis suis, *Aprilis* decimo tertio datis, inclusa Universitati protenus deferenda curavit; quibus in Senatu Academico divulgatis, viri quidam nominantur, qui de jussis illis executioni tradendis rationem inirent.

De *Catharis* jam uberior nobis materia succrescit, audaciâ nimirum & numero mirifice auctis, adeo ut spretis omnino Legibus adversus conciliabula illicita olim rogatis, Cœtus occultos, cultus, ut fit, divini fuco decoratos, agitarent. Non deerat autem festiva quædam Togatorum cohors, *Collegium Vermiculorum* sese appellantium, & Conventus frequenter celebrantium, in quibus Prælectiones *Catharorum* more obeuntes, eorum tum vocem tum gestum æmulabantur, immo nil quicquam prætermittebant quo ficta Schismaticorum pietas in ludibrium verteretur. Hos inter, Metaphysicam in eodem Collegio comico prælegit Academicus quidam ad *Novum* Hospitium, ac deinde ad Aulam *Cervinam*, spectans; qui partibus quas ludos pridem fecerat rerum potitis, ultro accessit, diemque obiit *Catharorum* Coryphæus, nullâ tamen re clarior quam eruditissimo Antagonistâ Doctore *Henrico Hammond*, quicum vivus, impari licet congressu, decertabat. Eorum quoque de numero erat *Samuel Kynaston*, è Collegio *Omnium Animarum*, qui hoc anno, sub Terminum S. *Michaelis*, sententias quasdam ridiculas excogitavit, & Magistro *Rogers*, *Novi* Hospitii Principali assuebat, tanquam precum in Ecclesiâ suâ parochiali ad Deum conceptarum partem disseminatas. Ejus rei *Kynastonus* postulatus est apud Vicecancellarium, qui repetitis querimoniis permotus noxium ad se citavit, & confitentem reum coram se pluribusque Ædium Gubernatoribus (speciatim *Rogersio*) veniam à læso petere jussit; quod quarto sequentis *Januarii* [e] præstitit, aspere ibidem increpitus, & ne consimili postmodo in re peccaret admonitus.

Eodem mense, in Festo nimirum *Epiphaniæ*, Concionem ad Beatæ *Mariæ* habuit *Gulielmus Hobbs*, S. Theologiæ Baccalaureus, qui contra atque edixerat Regia Majestas de perseverantia Sanctorum verba faciens, coram Vicecancellario & quibusdam Sodalitiorum Præfectis conventus est, fassusque errorem Palinodiam tantum, in pœnas irrogatam, vicesimo quinto dicti Mensis die in Ædibus Vicecancellarii [f] obivit. Hoc insuper anno occurrit Constitutio quædam à Sodalitiorum Præsidibus, nono præfati Mensis super Edicto regio circa quinque Articulos facta, & ad Cancellarium transmissa; cujus tamen confirmationi tam diu immoratum est, ut qualem denique exitum obtinuerit nullibi quod sciam compareat.

CIↃDCXXXIII.

De Statutorum nostrorum defectibus, redundantiis, antinomiis, & obscuritatibus, ex temporum partim lapsu, & immutatis inde institutis; partim vero ex reformatâ Religione provenientibus; necnon de incommodis rem inde literariam gravantibus, haud semel breviterve prædictum habes. Eorum quoque labores sparsim in hoc Libro attigimus, qui castigandis iisdem, & Academicorum omnium captui usibusque aptandis frustra incubuerunt; aut negotiis nempe suis avocati, aut ipsius operis difficultate immensâ perpetim absterriti. Ad id ipsum post cæteros aggrediendum, Universitatem (prout retro dictum) paulo ante mortem incitârat Comes *Pembrochiensis*, Cancellarius Academicus; verum accincti vixdum ad opus eramus, cum ejusdem suasor ac author Comitem præfatum in Cancellariatu exciperet; *Laudum* intelligo, Episcopum *Londinensem*, qui hortando, monendo, increpando tam sedulam eâ in re operam navabat, ut hoc tandem anno penitus absolveretur. Cujus negotii seriem, quam à tempo-

[a] *Ib. in R.* 50. *a.* [b] *Ib.* 154 *b.* [c] *Ib. in R. fol.* 45. *a.* [d] *Ib.* 44. *a.* [e] *Ib. in R.* 53. *b.* [f] *Ib.* 54. *a.*

rum eorum in quibus gesta sunt omnia annalibus, scriptisque aliis authenticis collectam, subjiciendam duxi.

Allatis eam igitur in rem Cancellarii *Pembrochiensis* [a] literis, XXIII. *Junii* CIↃDCXXIX. datis, Doctores octo, Magistri autem & S. Theologiæ Baccalaurei septem, Delegati à Senatu Academico renuntiantur; quibus utique Statuta nostra recognoscere, inque meliorem formam redigere, demandatum esset. Hi in Turris Scholarum Camerâ supremæ proximâ sæpius coibant, & consilia conferebant; cæterum cùm ex majori suorum numero (quorum aliquos quotidie abfuturos dubium non erat) tardiores facturi progressus viderentur, novam obeundi Operis rationem adinvenere; rem omnem paucis quibusdam, quos Subdelegatos nuncupabant, commendantes: qui utique collecta in compendium Statuta integro consessui permitterent, pro ejusdem arbitrio vel probanda vel rejicienda, vel denique si opus esset corrigenda. In Subdelegatos autem delecti sunt:

Robertus Pinck, S. Theol. Professor, *Novi* Collegii Custos.

Thomas James, S. Theol. P. ex eodem aliquando Sodalitio, nunc vero in vico **Halywell** in suburbiis *Oxon.* degens.

Richardus Zouch, LL. D. ex prædicto olim Collegio, jam autem Aulæ S. *Albani* Principalis, & in Parochiâ Divi *Petri* ad Orientem commoratus.

Bryanus Twyne, S. Theol. Baccalaureus, è Collegio pridem *Corporis Christi*, tempestate vero illâ in vico *Penverthingiano* vocato degens.

Convenere crebro Viri illi, de optimâ maximeque expeditâ Opus tam arduum ad exitum optatum perducendi ratione deliberantes, hortante sæpius Cancellario monitisque quotidianis eosdem impellente. Statutorum denique antiquorum Fasciculum attulit Doctor *James*, quem ut sine morâ admitterent Delegati, legumque vi donandum censerent, contendebat; at vero cum eundem evolverent illi, nil aliud quam nudam Statutorum veterum Collectionem, Repugnantiis, Antinomiis, Decretisque dudum antiquatis, ubique scatentem, deprehenderunt. Quapropter opus adeo imperfectum instituto haudquaquam respondere, neque pristinis Togatos incommodis liberare posse advertentes, haud ita magni æstimandum arbitrabantur; ipsum vero *Jamesium* compellantes, non debere se in tanti momenti negotio unius alicujus collectaneis prorsus niti perhibuere; cæterum si ipsi videretur cum priscis Legum exemplaribus excerpta collaturos, fidemque eorum perspectam habentes Statutorum repugnantias reliquosque errores, quoad fieri id posset, emendaturos. At vero subiratus ille, atque ægre ferens Elucubrationes suas despicatui haberi, Chartas arripuit, cætuique in perpetuum valedixit, etenim parvo temporis intervallo ex Paralysi interiit.

Superstitibus jam Subdelegatis tantum tribus, unanimi Delegatorum omnium consensu Magister *Petrus Turner*, è Collegio *Mertonensi*, in locum *Jamesii* substituitur. Demortui vero Musæum sedulo dein rimatus est *Twynus*, Collectanea prædicta nequicquam explorans; Librum tamen alterum Statuta vetera manu viri exarata complectentem reperit; coemptumque observationibus suis & adnotatis adauxit & illustravit. Eodem quasi tempore alterum quendam Statutorum codicem nacti sunt Delegati, à Magistro *Thomâ French*, Registrario seu Protonotario nuper Academico conscriptum; qnibus accessit tertius quidam operâ Doctoris *Darrell* compositus, atque in hunc diem in Gazophylacio *Bodleiano* adservatus.

His freti subsidiis & adminiculis ad rem ipsam serió accinguntur, verum adventante Termino *Londinensi* eo avocantur *Zouchæus* & *Turnerus*, quorum primus inter Antecessores *Londinenses*, sive juris Cæsarei Doctores censebatur, alter autem Geometriæ Prælecturâ in Collegio *Greshamensi* gaudebat: sed neque Doctori *Pinck*, Collegii sui negotiis frequentius præpedito, Operi isti quotidie vacare licuit. Quapropter statuit *Zouchæus* occupationibus suis succisivi temporis nonnihil suffurari, & quid solus præstare posset experiri; collectis autem & in compendium redactis super capite uno atque altero veteribus Statutis, eadem cum delegatis deinceps communicabat, cæterum instituto examine mancas admodum & imperfecta quæ proferebantur comparebant (neque enim fieri aliter potuit, cum negotiorum in Congregatione & Convocatione transigendorum rationem, necnon Statutorum eodem spectantium usum ignorare se agnoverit *Zouchæus*) & proinde tanquam minus utilia rejiciebantur; quæ ipse apud se solus fuerat commentatus.

Mutatâ ergo iterum sententiâ, inter *Zouchæum* ac *Twynum* convenit, ut, absente etiam altero, alter operi insudaret, donec occasio ferret consilia coram miscendi, junctisque auspiciis, quæ seorsim præparabantur per titulos sive capita, (ita enim opus imprimis partiri placuit) recognoscendi. Quinetiam sese obstrinxere industriam nunquam obrumpere quoad Statutorum Corpus usquequaque absolutum darent; paucis tamen maturæ magis deliberationi reservatis, quæ sic se habuere.

I. Caput de Judiciis, communibus Delegatorum omnium suffragiis D. *Henrici Martin*, Equitis aurati, aliorumque ad Cœtum Antecessorum prædictorum spectantium, & in Jure Civili quam optime versatorum, judicio prudentiæque permissum; ita tamen ut in quantum fieri id posset Statutorum veterum ratio haberetur.

II. Porro Statutum unum atque alterum de Appellationibus, communi Delegatorum pene omnium consilio & operâ conditum fuit, ad arbitrium nempe Domini Regis, qui litem inter Vicecancellarium ac Procuratores, ut supra dictum, de appellationis jure non ita pridem terminaverat; & ideo instituebatur consessus præfectorum Hebdomadalis, in quo de rebus ad Universitatem spectantibus ageretur; omniaque in domo convocationis transigenda prius discuti deberent quam illic proponerentur. Quæ res apud Magistros invidia non vacabat.

Quod Leges autem ab antiquis diversas, & in majoris momenti re aliquâ immutatas attinet, ejusmodi fuere:

I. Prima erat quæ Cancellarii Munus respicit, & quinam ad idem administrandum habiles & idonei sint decernit.

II. Secunda Professoris Theologici Honorarium, (quod utique; præter stipendium olim solutum eidem obvenit) descripsit; necnon suffragium ejus in dogmatis censurâ notandis, adhibendum attingit.

III. Tertia de literis *Henrici VIII.* patentibus agit, quarum nempe vi Gradum nemo in Medicinâ capessat nisi approbante Facultatis ejus Professore. His vero in rebus præstitum nil quicquam est nisi ex Cancellarii (ad sedem *Cantuariensem* evectus jam

[a] *Ib. in R. fol.* 11. *b.*

ex

erat

erat) vel Delegatorum saltem plurimorum consilio, in Conventu Præfectorum hebdomadali deliberantium. Mitto dicere quæ in prælectionibus ordinariis, præsertim indotatis addita fuerant aut immutata: necnon quæ ad examen publicum, à graduum in artibus candidatis subeundum, feliciter fuerant innovata.

Denique autem Delegatorum omnium, sed præsertim Subdelegatorum duorum antedictorum *Zouchæi* nimirum & *Twyni*, (quibus operam quoque suam accommodavit, quoties ab occupationibus necessariis vacaret, *Turnerus*) labore ac vigiliis ad Coronidem perducitur opus, in titulos, Sectiones & Paragraphos dispertitum, & à *Twyno* pulchre exaratum. Convenere deinceps die quovis Lunæ, cum Sodalitiorum Præsidibus in Turris, uti nos loquimur, Scholarum Camerâ prædictâ Delegati plerique omnes, & Statuta singula palam recitante *Twyno*, rationem cujusque, maxime vero aut immutati aut de novo conditi, reddebant invicem ac deposcebant; Subdelegatorum autem operâ (ut id quoque adnotem) Consuetudines Academicæ, vel revocatæ pridem vel institutæ, in formam statutorum redactæ fuerant, legumque vim sortiebantur. Perlecto velut prædixi integro opere, & emendato, prout usus efflagitavit, suffragiisque dein comprobato statuto quovis, notulisque obiter margini appositis significato quinam singulis diebus progressus fierent, recognita tandem sunt omnia & castigata; Autographum vero ipsum, una cum chartis quibusque, Collectanea vel adnotationes operi pridem inservientes complectentibus, penes *Twynum* adhuc jacebat, quod is nempe Codicis exemplar proprium in usum transcribere meditabatur.

Paucis postquam hæc peragerentur diebus, (xx. nimirum *Augusti*) decurrebat jam Vicecancellariatus Doctoris *Duppa*) an. CIↃDCXXXIII. coacto frequenti Togatorum Senatu [a] sancitum est, ut à Cancellario manus ultima Statutis imponeretur, qui literas mox inde ad Vicecancellarium dedit, Archetypum eorum volumen deposcendi, & ad se transmittendi, potestate instruentes. Atque hoc pacto ereptæ sunt *Twyno* lucubrationes suæ, qui & oleum & operam perdidisse visus est; neque enim Codicem amplius conspexit, alteri cuidam (*Turnero* nisi me fallo) demandato, ut eundem perpoliret, & excudendum accuraret; in quo saltem additamenta deinceps haud pauca comparebant, in *Twyni* Autographo neutiquam reperienda, quod ex adversariis scriptisque ejus, quæ ipse vidi, abunde constat.

Aliquanto post *Twynum* ad se accersivit Vicecancellarius, ac velle Cancellarium & expetere perhibuit, ut Præfatiuncula aliqua Operi præfigeretur novæ hujus editionis usus & necessitatem explicans; enarrans etiam quoties id variorum Cancellariorum temporibus, spe licet & labore ad irritum semper cadentibus, susceptum fuerat: alium vero præterea neminem penso illi parem arbitrari se, ac proinde obsecrare ut operam Academiæ tam utilem futuram ipse navaret. Ad hæc *Twynus*, id negotii detrectandum omnino existimans, nullamque præteritorum laborum rationem habitam subinnuens, satis sibi rebus in iis desudatum respondit, cujus præsertim industriâ integrum Opus ad umbilicum esset perductum, honore omni in alterum derivato. Cæterum interjecto parvo temporis intervallo, idem ab eo contendebat Vicecancellarius, curaturum pollicitus Cancellarium, ut nec harum illum nec superiorum vigiliarum pœniteret; quapropter rem denique aggressus *Twynus*, Annales Academicos, libros que alios labore immenso evolvit, integram eorum qui hac ex parte præstita fuerant notitiam explorans; ventum autem ad *Elizabethæ* Reginæ tempora cum esset, & quemadmodum operam in Statutis castigandis lusissent Visitatores Regii enarrare occiperet, quotidianis Vicecancellarii interpellationibus fatigatus, opus hauddum absolutum tradidit, neque recognoscendi ejus, aut Apographum sibi comparandi, spatium impetravit.

In hebdomadali Præfectorum Academicorum Conventu, post hæc proximo, præsentibus etiam delegatis eòdem citatis, de Munere quodam publico de novo statim instituendo deliberatum est; siquidem Cancellarii nomine confessum illum admonuit Vicecancellarius, ex re literariâ plurimum fore, si perpetuum Registrorum & munimentorum Custodem deligerent, honesto stipendio, prout vero ipsi decernerent colligendo, alendum. Id eorum plerique confestim probabant, multa Universitatis damna & dispendia tardiori Muneris illius institutioni tribuenda censentes; quanquam alii excogitatum quidem laudarent, non autem opus esse crederent ut id officii perpetuum esset; quibus tamen à sententiâ statim discedentibus, inter omnes convenit ejusmodi Officiarium instituendum esse, neque malignius de Honorario ejus decernendum, at vero titulum totiusque muneris rationem in Cœtum proximum hebdomadalem rejiciendam, cujus arbitrio Statutum ea interim de re condendum permitteretur. Vicecancellarii postmodo in Ædibus coibant Subdelegatorum nonnulli, Legemque qualem hodie conspicimus componentes, *De publico Archivorum custode* inscripsere; quæ postquam à Sodalitiorum Præfectis comprobata & sancita fuerat, Cancellario transmissa est, ejus nimirum authoritate Libro Statutorum inserenda. Hæc autem, una cum Legibus omnibus Academicis, exeunte quasi Vicecancellariatu Doctoris *Duppa*, hoc est XXII. *Julii* CIↃDCXXXIV. edita est & propalata; in Convocatione vero undecimo sequentis *Augusti* Celebratâ id Muneris *Twyno* [b] demandatur, volente Cancellario & hortante, ut ea ratione immensos Viri labores aliquatenus pensaremus.

Atque sic habes, Lector, Statutorum nostrorum emendationem, fusius, quoad instituti Operis compendium pateretur, exhibitam, plausu quidem à sanis plerisque exceptam, à malevolis autem pacique Ecclesiasticæ infensis damnatam, convitiisq; laceratam. In Librum vero illum invectus nominatim est [c] *Primius*, qui uti locos ejus alios non probat, ita verba illa in Præfatione ubi de *optandâ temporum felicitate* fit mentio, potissimum convellit; quod quidem haud injuria videtur feciſſe, cùm probe norit temporibus iis felicitatem nullam constare potuisse, quibus ipse suique similes in pretio esse occiperent.

Memorare hic liceat, quanquam temporis seriem sim prætervectus, in vesperiis Comitialibus, sexto *Julii* hoc anno celebratis, Propositiones hasce, è vicesimo Ecclesiæ *Anglicanæ* Articulo desumptas, propugnasse Doctorem *Petrum Heylin*, qui in Theologiâ tum incepit:

An Ecclesia authoritatem habeat in fidei controversiis determinandis? Aff.

An Ecclesia authoritatem habeat interpretandi sacras Scripturas? Aff.

[a] *Ib. in R.* 69. *a.* [b] *Ib. in R.* 95. *a.* [c] *Vide in lib. suo cui Tit. est* Canterb. Doome *p.* 420. 548.

An Eccleſia poteſtatem habeat decernendi ritus & ceremonias? Aff.

In hiſce vero eventilandis, quædam Profeſſori excidiſſe narrantur minus modeſta: nimirum quod Cathedra ejus Doctoralis ad dirimendas Controverſias Scholaſticas tanquam certiſſimum Oraculum eſſet conſulendum, aliorum judicio parvi admodum habito. Quæ quidem (ut fieri ſolet) ex famâ mirum in modum aucta, ſummam homini invidiam conflarunt.

Quibus utique ad Cancellarium perlatis, Regique ab illo nuntiatis, ut capita quorum argueretur ad *Prideauxium* tranſmitteret, ejuſque ad eorum ſingula reſponſum depoſceret, mandavit Rex *Carolus*. Viceſimo ſecundo *Auguſti* die literas à Profeſſore percepit *Laudus*; in quibus ita ſe purgaſſe fertur, ut diluiſſe prorſus objecta videretur, à ſanorum omnium quoad prædicta mente haudquaquam ſe abhorrere oſtendens, qui ut innocentiam ſuam apertiorem faceret, proteſtationem quam vocant unà tranſmiſerat, ſententiam ſuam in iis quorum poſtulatus fuerat explicare cupiens, atque his eandem verbis profiteri auſpicatus:

» Uti, (inquit ille) Eccleſiam Catholicam in fidei
» meæ Symbolo memoratam agnoſco & credo; ſic
» Eccleſiam *Anglicanam* (in quâ & educatus ſum &
» è Baptiſmi lavacro ſuſceptus) tanquam præcla-
» riſſimum ejus membrum ſummâ veneratione pro-
» ſequor, &c.

De *Prideauxio* addendum, ex ſimultatibus inveteratis (quæ etiam magna Eccleſiæ lumina, ſanctiſſimoſque homines ſæpius exercuere) forte etiam ex dogmate, quod fervores neſcio quos ſecum apportare dignoſcitur, Archiepiſcopi rebus admodum fuiſſe infenſum: at vero cum in Arma & ſchiſma apertum *Calviniana* prorumperet factio, ſingulari fide & conſtantiâ emicuiſſe illum: Eccleſiæ *Anglicanæ* fortiſſimum Aſſertorem, & Præſulem imprimis reverendum: quibus nominibus, graviſſimis ærumnis, maliſq; innumeris confflictabatur.

Hoc etiam anno commemoranda venit Magiſtri *Johannis Burges*, è Collegio *Pembrochienſi*, temeritas & audacia, in Sodalitii Refectorio tertio *Junii* anni prægreſſi patefacta, & ad ſeditionem omnino ſpectans. Quippe ibi tum ab Aulæ ejus Togatis petitum eſt, ut reficiendæ Divi *Pauli Londinenſis* Eccleſiæ Symbola conferrent; is autem pecuniæ eos in uſus erogandæ reclamitans, Eccleſias non eſſe ſimpliciter neceſſarias affirmavit, futili plane argumento nixus, quod utique Deus in ſpeluncis etiam & ſilvis coli poſſet; quibus addidit malle ſe decem ſolidos Eccleſiæ illi diruendæ, aliiſque ubi deeſſent exædificandis, largiri, quam quinque ſolidos recreandæ eidem deferre, &c. Hic vero in Senatu Academico, ſub forma quam ipſe decerneret Cancellarius, palinodiam canere juſſus eſt à Delegatis ad res Eccleſiaſticas regiis; quod ſexto *Februarii*, hoc anno, præſtitiſſe [a] deprehenditur, tunc demum permiſſo ipſi ut munus aliquod cui pridem inhiârat aſſequi poſſet.

CIↃDCXXXIV.

Hoc anno referendus occurrit *Gulielmus Prynne*, egregius ille Hiſtrio-maſtix & Idolum vulgi, quem pro eo ac meritus fuerat de Gradu turbavit, ac ditionis ſuæ limitibus exterminavit Academia. Siquidem is Collegii *Orielenſis* Commenſalis, & Baccalaureatu in Artibus ornatus olim fuerat; ob librum vero, ſeu potius Libellum famoſum, qui *Hiſtrio-maſtix* inſcribebatur, per hæc tempora editum, minis quinquies mille, ex cameræ ſtellatæ cenſurâ, mulctatus eſt, (tametſi imprimendi licentiam obtinuiſſe conſtat) addito præterea in pœnarum cumulum, ut matris Academiæ ſinu tanquam degener, nominiſq; Togati dedecus, excuteretur. Perlatis eam in rem ad Cancellarium literis, una cum Degradationis formulâ, in Senatu Academico XXIX. *Aprilis* [b] coacto executioni tradita eſt Magnatum ſententia, peractis quæ in abdicando pellendoque Academico quovis fieri aſſolent, quæque ego hunc in locum ſubtexerem, niſi quod in Regiſtris noſtris nequaquam compareant, ab ipſo nimirum *Prynnio* exciſa, cùm capite plectendi Archiepiſcopi cauſam quærerent Rebelles, & Annales proinde Academicos *Londinum* curarent deferendos. Utcunque, ipſius Programmatis Divæ *Mariæ* oſtio affixi formulam accipe, in Regiſtro [c] quodam partim uſque hodie ſuperſtitem.

Cum Gulielmus Prynne, *olim hujus Academiæ Alumnus, jam vero opprobrium, in quodam contra Hiſtriones libello, & Theatri Flagellum titulum proferente, ut in ſolium ſecurius inveheret; multa in principem, populum, Eccleſiam, Curiam, licentiâ pluſquam ſcenicâ evomuerit, animoſque omnium quantum in eo erat proritando, tantum non claſſicum cecinerit, veraſque etiam Tragœdias, ſi daretur occaſio, concitaturus; cumque decretum è camerâ ſtellatâ ad nos pervenerit, quo perſpectum habemus, hoc illi impunè non ceſſiſſe, ſed inter alia graviſſima cenſuræ ſtigmata non ultimo loco habitum, quod dignus erat, ut priuſquam Aurium (ſenſorii diſciplinæ) jactaturam fecerat, titulo & gradu Academico exueretur: Nos* Brianus Duppa *Academiæ* Oxon. *Procancellarius, totuſque ſenatus Academicus, tam dignæ (ut par eſt) cenſuræ obſecundentes, ne inglorium hoc calumniæ nomen inter humaniores diſciplinas audiatur, prædictum* Gulielmum Prynne *è ſtudioſorum numero (ex quo ſuis ſeipſum moribus jam antea expunxerat) publico prorſus ſcito delemus, & ne artibus ulterius in dehoneſtatum cedat, infimum illi (quem ſolum hic acceperat) gradum detrahimus, ut Academia noſtra, cujus ſalutares ſuccos in venena mutavit, tam indigno nomine liberata, eum poſthac non agnoſcat filium, qui impie adeo diſceſſit, in Reipub. Eccleſiæ, bonorum omnium hoſtem.*

Dat. è Domo Convocat. XXIX.
Apr. CIↃDCXXXIV.

Cæterum de viri ejus moribus ac ingenio, necnon ardentiſſimâ quâ ad obitum uſque flagravit ſcriptitandi cupidine, ac æterno convitiandi Epiſcopos pruritu (& ſane mirum non eſt peſſime ſemper apud illum audiviſſe Clerum *Anglicanum*, cum Archipræſulis potiſſimum operâ auribus fuerit mulctatus) conſule ſi lubet Operis hujus librum ſecundum; ibi enim inter Collegii *Orielenſis* ſcriptores reperiendus eſt. Non eſt tamen diſſimulandum Anarchiæ Antimonarchicæ tandem pertæſum, operam ſatis ſedulam nec prorſus inutilem in principe poſtliminio reſtituendo navaſſe. Ita tamen ut in Eccleſiæ regimine Democratiam *Genevenſem* uſque ſuaderet.

[a] *R. fol.* 80. *a.* [b] *Ib. fol.* 81. *b. &c.* [c] *Ib.* 85. *a.*

Sub

Sub initium sequentis *Julii* Concionem latinam ad Clerum obiens Magister *Thomas Cooke*, S. Theologiæ Baccalaureus, Collegii autem *Æneanasensis* Socius, nonnulla temere effudit offensionis plurimum habentia; quapropter ad Ædes Vicecancellarii XIX. Mensis prædicti citatus, coram ipso & Academicis quibusdam aliis errorem suum non tam revocavit quam innocentem sese professus est; formulam his [a] verbis conceptam perlegens, subscriptoque nomine perlectam agnoscens.

» Quoniam in Concione latinâ, per me nuper ad
» Beatæ *Virginis* habitâ, verba quædam prolata sunt
» unde colligi possit in aliquorum contra edictum
„ regium, de Quæstionibus nempe controversis &
„ tractari vetitis, peccantium delictis haud ex æquo
„ se gessisse, verum conniviſſe Vicecancellarium; hæc
„ testabuntur ex animo dolere me in ejusmodi sen-
„ sum inflecti posse verba mea; palam vero profiteor in
„ animum nunquam induxisse me, ut talem Rectori
„ meo maculam inurerem, neque in ipsum Regimen-
„ ve ejus collimasse, utpote qui ad prædicandam hac
„ ex parte æquitatem ejus, quam ad calumniis one-
„ randam paratior sum. Atque coram illo recogni-
„ tionem hanc sincere & ex animo exhibeo, ut tum
„ ille, tum alii omnes apud quos offensam subiisse con-
„ tigit, eadem acquiescant efflagitans. Cujus in rei
„ testimonium nomen meum subscripsi,

Thomas Cooke.

Præsentibus nobis,

Thom. Iles.
Thom. Jackson. } S. Th. PP.
Thom. Walker.

His palam recitatis, virum ut ab argumentis consimilibus in posterum temperaret, (ne scilicet Regiæ Majestatis jussa violare videretur) admonitum, dimisere Primores; sed nequâ apud posteros flagret invidiâ viri optimi memoria, sciant velim quod Ecclesiæ Anglicanæ filius omni ex parte obsequentissimus ad obitum usque perstitit. Et hoc sane testamento supremo, verbis disertis, inserendum curavit, habitis insuper Deo gratiis quod sibi infra ejusdem Ecclesiæ Cancellos nasci morique contigerat; utpote quâ puriorem aliquam, aut ad Institutionem Apostolicam propius accedentem, saltem annis decies terque centenis proxime prægressis, nullibi gentium comparuisse, prorsus constaret. Subjungendum restat, quantacunq; meritum solâ Vicaria de **Drayton** in agro *Salopiensi* fructum fuisse, usque dum, reddito suis *Carolo* II. Episcopi *Londinensis* (*Sheldonus* is erat, benignissimus literarum omnium Mecænas) patrocinio, Vicariorum *Bamptoniensium* in Com. *Oxon.* alter, necnon Archidiaconus *Salopiensis*, emerserit; quibus sane muneribus indignus non erat, utpote quem pietas ac eruditio egregie commendarent.

CIↃDCXXXV.

Hunc annum nobilitarunt clarissimi Cancellarii gesta quædam, silentio neutiquam premenda.

1. Primo enim Libros perplures manuscriptos Universitati [b] consignavit, atque huc transmisit, in Bibliothecâ, abinde locupletissimâ, reponendos; viz. *Hebraica* volumina quatuordecim, *Arabica* quinquaginta quinque, *Persica* septendecim, *Turcica* quatuor, *Græca* quadraginta quatuor, *Italica* tria, *Gallica* totidem, *Anglicana* quadraginta sex, *Latina* supra bis centum, præter alia quadraginta sex, sed recentiora, & è Collegio *Herbipolensi* in *Germaniâ*, tempore belli *Suecici*, desumpta. His autem non sine ingenti Togatorum omnium gaudio acceptis, gratias illustrissimo Patrono, per [c] literas XXVIII. *Maii* datas, egit Academia; hunc illas in modum auspicata. *Reverendissime Cancellarie. Dum verbis te fragilem fateris, & factis immortalem te comprobas*, &c,

II. Porro, ut Ædis *Christi* Præbenda Oratoris publici muneri in perpetuum annecteretur à *Carolo* I. [d] impetravit; quod tamen promissum potius quam præstitum comparet. Utcunque, gratias, ut par erat, Mecænati suo habuere & Orator *Strodus* & Academia; literis [e] ad eundem XX. *Martii* ab utroq; datis, quarum aliis ejusmodi erat initium; *Tam grandia, tamque numerosa, profudisti nobis beneficia*, &c. aliis autem ejusmodi; *Cum in Corpore Academiæ sim ipse lingua*, &c.

III. Chartam insuper ampliſſimam Academiæ indulgendam procuravit, quâ scilicet libertates ejus antiquas & Privilegia, dilucidata passim & novorum additamento aliquatenus adaucta, rata [f] haberentur. Id vero Diplomatis magno *Angliæ* sigillo, tertio *Martii* apposito, munitum est & corroboratum, *Carolinum* autem in reliquorum discrimen appellatum; atque ob hoc juxta, & beneficium novissime dictum, [g] literas ad *Carolum* transmisit Academia animi in Musas *Oxonienses* tam propensi memoriam nunquam sibi elapsuram pollicita. Cæterum neque erga Cancellarium, neque viros quosdam principes, in chartâ illâ impetrandâ operam nobis accommodantes, eadem grati animi [h] officia prætermisit Universitas.

Hac tempestate anceps, nobisque impendio molesta intervenit [i] controversia, quæ difficilem hanc nobis necessitatem attulit, ut aut erga Patronum nostrum ingrati, aut Matrem Academiam perfidi videremur. Nimirum Archiepiscopus *Cantuariensis* sedi suæ subjectam, & proinde visitationi obnoxiam Academiam utramque censens, obsequium hac ex parte à nobis deposcebat; sed interceſſerant fides Universitati præstita, & juramentorum, quibus ad tuenda privilegia & jura ejus adstricti fuimus, pia memoria. Infracto ergo animo restiterunt Togati; nec illi viro cesserunt, qui omnia tunc temporis apud Regem potuit, imo (quod longe majus) qui omnia à nobis meruit. Unde licet protractâ in annum sequentem lis esset, tandem decimo quarto *Junii* causa utrinq; coram Rege & sanctiore ejus concilio, ad Aulam regiam *Hamptonensem* dicta est, ubi quidem periculum fuerat ne victi discederemus: constat tamen nihil nos exinde passos: quin nec Archiepiscopum jus illud sibi deinceps asserendo molestiam nobis creasse. Pariter etiam optandum, quod id juris Archipræsul nemo arripere sibi in posterum velit, quippe non sine maximo Artium liberalium dispendio exercendum.

Quin præteriri non debet egregium illud constantiæ *Oxoniensis* documentum; quod cum Registrum *Hari* nomine insignitum sibi transmittendum

[a] *Ib. in R. fol.* 90. *b.* [b] *Ib.* 109. *a.* [c] *Ib.* 109. *b.* [d] *Ib.* 121. *a.* [e] *Ib. & in Gest. Canc.* Laud *fol.* 98. [f] *Ib. in R. fol.* 115. *b.* 116. *&c.* [g] *Ib.* 116. *a.* 120. *b.* [h] *Ib.* 116. *b.* 117. *b.* 118. *a. & b.* [i] *Ib. in R.* 123. *b.* 124. *&c.*

juberet *Laudus*, unde cauſæ ſuæ præſidia ſperaverat, aperte reſtitimus : atque illi unius libri denegavimus uſum, qui mille nobis donaſſet ; adeo potior fidei quam officii ratio ; nec in libertatis publicæ Invaſore Mecænatem Cancellariumve agnovimus.

CIↃDCXXXVI.

Mandata [a] pridem typis fuerant Statuta Academica, cæterum vi legum carebant, nêque iiſdem obtemperare tenebantur Togati, uſque dum archetypum eorum exemplar promulgaretur ; quapropter Codicem manuſcriptum magno *Angliæ* Sigillo, necnon duobus illis Archiepiſcopatus & Cancellariatus, munitum, *Oxoniam* tranſmiſit Regia Majeſtas. Illum attulere Doctor *Johannes Bancroft* Epiſcopus *Oxonienſis*, D. *Johannes Coke*, miles à Secretioribus Regis Conciliis & primarius Secretarius, D. *Henricus Marten*, Eques auratus, Admiralitatis & Curiæ Prærogativæ Judex D. *Edwardus Littleton* Miles, Procurator ſive Sollicitator Regis generalis, *Thomas Rives* Advocatus Regius, Juris Civilis Doctor. Hi inquam *Oxoniam* XXI. *Junii* pervenere, literas Regias, XXII. dicti menſis datas, una cum Libro præfato ſecum adferentes ; die vero ſequenti in Capellâ boreali Eccleſiæ B. *Mariæ*, cui ab *Adamo Brom* nomen impertitum, convenientes, atq; inde ſolenni pompâ præeuntibus Bedellis deducti, in frequentiſſimo totius Academiæ Senatu ad Divæ *Mariæ* prope Vicecancellarium collocantur, qui *Cokii* ſe humiliter proſtrantis de manibus literas regias percepit, & Procuratorum ſeniori tradidit, voce nimirum clarâ de more propalandas. Velle autem *Carolum* conſtabat, ut Sodalitiorum omnium Præfecti adſcriptis nominibus profiterentur, ſe codicem illum tanquam veram Regiminis & obſequii normam amplecti, utque eodem de ſtatutis hiſce atque olim de veteribus iis obſervandis ac tuendis juramento obſtringerentur : mandato præterea ut *Oxoniam* reverſi, ſiqui tum abeſſent, Collegiorum & Aularum Rectores, id ipſum coram Vicecancellario præſtarent, ſuoſque ſinguli eodem dein Sacramento adigerent, ad Statutorum iſtorum obſervantiam fidem obligantes, quemadmodum ad priora utcunque confuſa & male ſecum cohærentia juramentis ſe adſtrinxiſſent.

Archipræſulis poſtmodo [a] literas, *Lambethæ*, decimoquinto *Junii*, datas, protulit Vicecancellarius ; quibus ejuſmodi erat initium : *Non diu abhinc eſt, quod literas patentes, Libertates avitas*, &c. in quibus, ut alia omittam, ſibi ſe & Academiæ gratulari perhibuit illuſtriſſimus Cancellarius, *quod Statuta ſitu & pulvere tantum non ſepulta, in lucem reducta, & ſuis numeris tituliſque diſtincta videret : multo tamen magis* (inquit ille) *quod placuit Academiæ in frequenti Convocatione (ne uno refragante) rem totam ad me curamque meam referre, ut ſub incude mea limarentur, & à me confirmationem acciperent*, &c. Et poſt paulo ſic--*Tranſmiſi vobis ſtatuta quæ annum probationis apud vos complevere, jam ex uſu illo in nonnullis emendata, & propoteſtate à vobis conceſſa, & ſub ſigillis meo veſtroque in debita juris forma confirmata ; cum ecce placuit Regi Sereniſſimo muſiſque veſtris addictiſſimo, ſuam etiam ſuperadjicere confirmationem, manu propria & ſigillo magno munitam, quod Academiæ honorem, moribus diſciplinam, ſtatutis venerationem & firmitatem, nequit non conferre*, &c.

His finitis confirmationis ſtatutorum formula lecta & publicata [c] fuit per ſcribam ſive Actuarium Univerſitatis, quàm Reverendiſſ. noſter Cancellarius Statutorum coronidi appoſuerat, ſigillis Archiepiſcopatus juxta ac Cancellariatus, appenſis. Publicata inſuper fuit & lecta confirmatio Sereniſſ. Regis *Caroli I.* quam propria manu ſignavit, & magno ſigillo *Angliæ* munivit. Iſtis præmiſſis honoratiſſ. Vir D. *Johannes Coke* orationem [d] auſpicatus eſt vernaculo ſermone, plenam gravitatis, qua Regis amorem in Rempublicam noſtram literariam & Literatos omnes abunde teſtatum fecit, necnon Cancellarii curam & vigilias in noſtrum commodum & morum emendationem indefatigatas enarravit. Illâ finitâ Vicecancellarius Statutorum codicem, ſive pandectas excepit & amplexus eſt nomine Univerſitatis, & latinè accurata [e] Oratione laudabat fortunas noſtras, qui tanta Principis munificentia, & Cancellarii opera frueremur. Poſt hæc juxta ſtatutorum exigentiam juramento prius præſtito Vicecancellarius, Procuratores, & ſinguli Collegiorum & Aularum Præfecti qui tum aderant, nomina & cognomina ſua ſubſcripſerunt in fine libri Statutorum. His de more palam recitatis, & reliquis omnibus quæ ad tanti negotii celebritatem ſpectarent rite peractis, dimiſſum eſt Concilium Togatum ; à quo, die proximo literæ [f] tàm ad Regem quam Cancellarium dabantur, quibus ob hæc aliaque animorum paci bonoque literario excubantium teſtimonia, nulla ſe unquam obſervantiæ aut gratitudinis indicia prætermiſſuros ſpondebant Academici.

Nono ſequentis *Julii* literæ [g] aliæ in Convocatione perlegebantur, decimo ſexto *Junii* à Cancellario datæ, quæ quoniam quantivis pretii Ceimelia, Univerſitati donata, complectuntur, hunc partim in locum tranſcribendæ videntur --- *mitto autem* (inquit ille) *Libros non unico Idiomate deſcriptos, quos ſpero ſacrabit Deus. Sunt autem ni fallor*, Hebraici *Octodecim*, Perſici *quatuordecim*, Arabici *quinquaginta*, Armenicus *unus*, Æthiopici *duo*, Chinenſis *unus*, Græci *duodecim*, Latini *ſexaginta quinque*, Anglicani *duodecim*, Gallici *quatuor*, Hibernici *duo. Quos omnes non ſine ſumptu intra anni proximè elapſi ſpatium congeſſi, & nunc in Bibliothecam* Bodleianam *reponendos mitto.*

Cum his mitto Aſtrolabium Arabicum *ære puriori deſcriptum, quo me ditavit vir omni eruditionis genere inſtructiſſimus, & olim Academiæ noſtræ Alumnus, nunc decus*, Johannes Seldenus.

Mitto etiam effigiem Sereniſſ. Regis Caroli, *ne fama ejus ære perennior ſuo ære deſtitueretur. Nullibi autem melius locari poteſt Rex muſarum Patronus, quam apud vos & inter Muſas. Volo autem ut in Clauſtris illis ubi libri mei MMS. ſiti ſunt collocetur caput hoc nunquam ſatis venerandum, ut in memoriam veſtram revocet, cujus dignatione (ſub Deo) factum eſt, ut illa, qualia qualia ſunt, quæ in veſtram gratiam facta ſunt, præſtare poſſem. Et ut veluti inſpector ibi ſtet, ne quis libros quaſi ſub intuitu Regis poſitos, ullo modo violare auſit.*

Nummi mihi non ſunt. Eâ in re S. Petro *fere æqualis ſum. Numiſmata tamen quædam diuturnâ ſollicitudine conquiſivi. Acervum nolui vobis mittere, ſi enim*

[a] Oxoniæ 1634. [b] *Ibid. in R.* 126. *a.* [c] *Ib. b.* [d] *Geſt. Canc.* Laud *p.* 101. *&c. & in Geſt. Procanc.* Pinke *p.* 57. [e] *Ib. in Geſt. Procanc.* Pinke *p.* 61. [f] *Ib. in R.* 127. *a. & b.* [g] *Ib.* 128. *a.*

enim uſui nulli ſunt, niſi videre, & numerare ad Studioſos pertineat. Redegi itaque omnia quæ paravi, in ſeriem eamque doctrinalem, ut per eandem, Ordinem ſæculorum, & temporum poſſitis uno quaſi intuitu aſpicere & per Reverſa, ut vocantur, maximas quaſq; ſummorum Imperatorum actiones, & Temporum Vices, & Accidentia rerum publicarum planius videre, & per ea difficiliora quædam Hiſtoricorum loca melius intelligere, & quandoque de Hiſtoriarum veritate etiam in rebus cognitu neceſſariis judicare poſſitis, &c.

Inſuper, etiamſi ab Idololatriâ abhorret animus, tamen quo vobis contemptui ſit magis Gentium vecordia, duo accipietis ſuperſtitionis ludibria, Idola duo; unum Ægyptiorum *vetus, alterum Heſternum* Indorum *Occidentalium*, &c. His perlectis, poſt accuratam orationem per Vicecancellarium habitam, in qua honoratiſſ. noſtri Cancellarii munificentiam prædicabat, rogante Vicecancellario Senatorum noſtrorum ſuffragiis, decernuntur [a] literæ gratulatoriæ ad Cancellarium mittendæ, quarum initium ſic ſe habet. *Reverendiſſime Cancellarie, vocitemus te licet Academiæ Patrem, Ductorum Angelum, Archangelum, ecquid nimis! Agnoſcimus te ampliſſimam divinæ munificentiæ ciſternam, &c.*

Cæterum de his hactenus. Nequid autem ad complendam temporum eorum felicitatem nobis deeſſet, hoc anno Regis à ſanctimoniâ perinde ac eruditione in omne ævum deprædicandi conſpectu, imo etiam conſuetudine uſi ſumus. Quamvis enim doctrinâ, abſit verbo invidia, Patrem, prudentiâ vero & Imperii amplitudine omnes *Anglicanæ* Gentis Reges anteceſſerit, in ſummo tamen rerum faſtigio colloctaus, Muſarum inopum commercium aſperna tus non eſt, immo amicitiam, quam in Principes ac ſubditos intercedere negant Philoſophi, cum erudito quovis coluit arctiſſimam; cujus ad Academiam noſtram adventus, una cum apparatu Togatorum literario, rebuſque aliis eodem ſpectantibus, proximo in loco referendus occurrit.

Hujus anni æſtatem calamitoſam reddidit lues truculenta, in variis Regni locis, ac *Londini* potiſſimum, graſſata; quapropter Togatorum juxta & Civium, maxime vero Sereniſſimi *Caroli* & Comitatus auguſti ſaluti proſpiciens, Comitia [b] prorogavit Senatus Academicus; intermiſſo eâdem de cauſâ Conventu judiciali quem Aſſizas nuncupas mus. Excluſâ propterea Magiſtratuum noſtrorum (poſt gratiam divinam pientiſſimi Regis conſervatricem) curâ & induſtriâ Peſte, *Carolo Wodſtochiâ* cum Reginâ & Famulatu aulico adventanti obviam, XXIX. *Auguſti*, proceſſere Vicecancellarius ac reliqui Reipublicæ togatæ Primores. Eſſedum ingreſſi ſunt Cancellarius Academicus (is huc viceſimo quinto dicti Menſis pervenerat) ſummus *Angliæ* Theſaurarius, *Londinenſis*, *Wintonienſis*, *Nordovicenſis*, ac *Oxonienſis* Epiſcopi; Equis vero inſidebant Doctores ac Magiſtri, necnon Bedelli ſuperiores, qui prælatis Baculis primos eorum ordines ducecebant. Hi autem ſecus fontem, quem vocamus, *Ariſtotelicum* progreſſi aliquandiu ſubſtitere, Hoſpiteſque illuſtres expectabant; atque poſt paulo adfuere Rex & Regina, *Carolus* Princeps, Elector *Palatinus*, fraterq; ejus *Rupertus*, uno omnes Eſſedo vecti; quo viſo, Curru ſuo egreſſi ſtatim ſunt Optimates quos dixi ac Præſules, ex Equis quoq; deſcendebant Doctores ac Magiſtri, propiuſq, ad Eſſedum auguſtum accedentibus omnibus ac genua ſubmittentibus, Orationem facundam habuit Vicecancellarius, quaſi horæ quadrante finitam. Poſthæc Bedellorum Baculos Regi, prout fieri antiquitus conſuevit, offerebat Cancellarius, redditoſque Bedellis denuo in manus tradidit; procedentibus autem, & ad Urbem pene pertingentibus occurrebant Prætor ac Aldermanni, cum potioris notæ Civibus quibuſdam, Equis pariter invectis; quorum de numero Recordator *Carolum* oratione aliquandiu detinuit, atque Regi traditum deinceps eſt poteſtatis urbanæ Geſtamen. His ita peractis *Oxoniam* deducuntur Hoſpites illuſtriſſimi, præcedentibus Oppidanis, & ad Sodalitii *Johannenſis* Portam gradum ſiſtentibus; ibi enim Regem ſalutavit Magiſter *Thomas Atkinſon*, Sociorum alter; Orationem obiens brevem quidem ſed elegantiſſimam, utpote ipſius *Caroli* ſuffragio comprobatam, & apud Cancellarium haud modice poſtmodo laudatam. Hinc per vicos *Borea-portenſem* & *Piſcarium* perrexit Comitatus auguſtus, quamvis autem Plateæ latera infinita Civium juxta & Togatorum Habitu ſcholaſtico indutorum, multitudine exundarent, nemo tamen, ſolito *Carolum* plauſu excepit, aut *vivat Rex* comprecatus eſt; an ex lætitiâ ingenti obmuteſcentibus omnibus, vel, quod verifimilius, ſilentio modeſtiam & obſequium teſtantibus, dicat alius quiſpiam: Ædis vero *Chriſti* Portam ingreſſum Oratione, quam plerique omnes approbarunt, detinuit *Strodus*, publicus Academiæ Orator, his *Carolum* verbis compellare exorſus: *Maximorum optime, & optimorum maxime Rex; ſi omnium Muſarum Linguæ in me unum confluerent*, &c. Regem poſtmodo ſplendidiſſimis Chirothecis, Reginam Bibliis *Anglicanis* pulcherrimis, Principem denique Electorem Politiâ *Hookeri* Eccleſiaſticâ, fratremque *Rupertum* Commentariis *Caſarianis*, Anglice redditis, & eruditiſſimi Viri D. *Clementis Edmonds*, Equitis aurati, annotationibus dilucidatis, donavit Academia. Reginam deinceps ad Cœnacula ſua comitatus eſt *Carolus*, atque ipſum inde, illuſtremque Procerum cohortem, ad Eccleſiam Cathedralem confeſtim deduxere Ædis prædictæ Decanus & Canonici. Poſtquam vero precibus privatis ſeorſim aliquantiſper, ad Portam Eccleſiæ auſtralem, vacârat Rex, Doctorem *Morris*, Canonicorum alterum perorantem attendebat, & non niſi collaudatum dimiſit. In chorum poſtea ſe contulit *Carolus*, Sacriſque ſolenniter peractis, ad Decani Ædes ſibi in Cœnacula aſſignatas perrexit, ubi Calicem cum nummis quibuſdam aureis à Prætore & concivibus accepit.

Finitâ eadem nocte cœnâ, Comœdiæ *Anglicanæ*, quam in Aulæ ſuæ Refectorio agebant Ædis *Chriſti* & aliorum Collegiorum Alumni, interfuere Hoſpites auguſti. Illam *Strodus*, quem ſæpe diximus, Orator publicus contexuit, & *Paſſiones pacatæ*, ſeu *Inſula fluctuans in fixam converſa*, nomen fecit; verum ob argumentum ſerium nimis ac tetricum Aulicis æque diſplicuit ac ſtoicæ quædam prælectiones, tametſi eandem tum Actorum induſtria, tum ampliſſima Tabulati ſcenici ſtructura (ſiquidem à ſupremâ Refectorii parte ad focum pene pertingebat) ſub hæc primitus uſurpari cœpta, plurimum commendaret.

Die proximo, qui Martis erat, Concionem coram Rege ad Ædem *Chriſti* habuit Magiſter *Browne*, Procurator ſenior, ſumpto in Theſin Capitis Divi *Lucæ* decimi noni verſu triceſimo octavo, ubi hæc occurrunt; *Beatus Rex qui venit in nomine Domini, pax in cœlis & Gloria in excelſo.* Collaudato viri ingenio, ad Divam *Mariam* (in Eccleſiæ enim Adytô

[a] *Ib. in* R. 129. *a.* [b] *Ib.* 124. *b.*

ſeu

seu Cancello, consilia huc usque agitabant Academici, Domo Convocationis hodiernâ nondum absolutâ) circa horam nonam, præeuntibus Bedellis deducti sunt Princeps uterque, Cancellarius Academicus, & Optimates haud pauci, quibus subsellia pro dignitate cujusque capessentibus, coacti Senatus rationem de more protulit Vicecancellarius, quem Oratione contractiori excepit Cancellarius, in hæc illam verba auspicatus: *Florentes Academici, & hoc tempore florentissimi, quibus* Caroli *Regis*, &c. quâ finitâ concisè peroravit Vicecancellarius, atque Gradu dein Magistrali donantur Principes (quos præsentavit D. *Nathanael Brent*, Eques auratus) Proceribus, quotquot aderant, eodem postmodo ornari haudquaquam recusantibus.

Dimissâ per Cancellarium Convocatione, ad Ædem *Christi* remeârunt omnes, mandata Regia excepturi (dicendum vero obiter Collegia quædam pulchriora primo mane perlustrasse Principes, & annuente Rege *Carolo* in Album *Johannense* relatos fuisse) Rex autem, supellectilis literariæ desiderio adductus, una cum illustrissimo comitatu (nisi quod Cœnaculis sese contineret Regina) Bibliothecam *Bodleianam* invisit, quem à primo statim ingressu salutavit *Gulielmus Herbert*, è Collegio *Exonienſi*, Comitis *Pembrochienſis* ac Domini Camerarii filius secundus, Orationem obiens cui ejusmodi erat Exordium: *Augustissime Princeps, patiaris infantissimam linguam primas quasque voces sacras facere*, &c. Posthæc, latus Biblophylacii noviſſime constructum, Librosq; à munificentissimo Cancellario donatos, lustravit *Carolus*, atque discessurus jam erat cum nunciatum est Reginam adesse, cujus proinde Essedum conscendit, unaque ad Collegium Divi *Johannis* vectus Ædificiis Cancellarii sumptibus nuper erectis oculos pascebat. Hinc ad Sodalitii Bibliothecam Hospites Augustos deduxit Archipræsul, Gradus vero conscendentium animos oblectabat Musicus concentus, rei præsenti omnino accommodatus. Bibliothecam veterem ingressos Oratione breviori detinuit Sociorum alter, inde vero ad novam illam, à *Laudo* nuper extructam, perrexere, splendido epularum apparatu eosdem expectante. Mensæ enim alteri, in transversum ad partem borealem positæ, discumbentibus Rege & Reginâ cum Principe Electore, alteram, secundum Ædificii longitudinem protensam & eidem propemodum æqualem, sortiti sunt *Rupertus* ac Proceres, cum Heroinis bene multis, genere pariter ac formâ prælucentibus. Porro inferioris notæ Aulici ac Generosi in variis passim Collegii Cameris quam lautissime sunt habiti, quibus utiq; Mensæ haud pauciores quam tredecim dapibus instruebantur; deniq; adeo omnia ex voto cessere, ut lætitiam super eâ re suam his verbis [a] profiteretur Cancellarius: *suo quæque ordine* (*Deo gratias*) *dispositа sic erant, ut nemo Portâ sit egressus cui non abunde fuerit satisfactum: quæ quidem felicitas spem omnem superavit.*

Cum pransi hunc in modum essent, Regem ac Reginam, atque Optimates omnes, in conclavia seorsim varia deduxit Archipræsul, ubi horam integram otio & colloquiis impendebant; ipse vero claudendas interea Refectorii fenestras, accensisque lucernis quæ ad operas theatrales pertinerent paranda curavit, ad Comœdiam utique animo intentus, à Magistro *Georgio Wild*, Collegii Socio, maximam, ut perhibent, partem conscriptam, & *Hospitium Amatorum* nuncupatam. Cum omnia essent in promptu Regem ac Reginam, una cum Proceribus & Heroinis, viâ novâ, privatâ plane nullique molestiæ obnoxiâ (siquidem à Regiæ, uti nos loquimur, Præsentiæ Camerâ ad Refectorium patebat) incedentes comitatus est Cancellarius; exclusis, donec Ædes ipsi spectaculis destinatas intrarent, aliis quibuscunq; ne scilicet adaucto ex confluentium multitudine fervore æstivo tantis Hospitibus injuriæ quicquam fieret. Recluso deinceps Ostio inferiori, atque intromissis potioris notæ Spectatoribus, prodibant in scenam Actores, ex unico illo Sodalitio desumpti; qui cum ad Argumentum festivum & jucundum, neque tamen spurcum aut inverecundum (de profano nihil dicam, ante annos enim pauciſſimos inauditum erat Deum ac Religionem Ludos fieri) fabulam edendi peritiam adferrent, magnâ omnes voluptate perfuderunt. Mediis quasi spectaculis Regi ac Reginæ, necnon Dynastis omnibus, dapes conquisitissimas apponendas curavit Archipræsul; peractâ vero Comœdiâ illâ, ad Ædem *Christi* redibant Hospites augusti, & absolutâ privatim cœnâ, circa horam octavam ad Sodalitii ejus Refectorium perrexere, à Ludo altero (Hunc Magister *Gul. Cartwright* conscripserat, & *Captivum Regalem* appellârat) oblectationem longe uberiorem percepturi; quod prædictum & argumento, & ingenio, & theatrico præsertim apparatu superaret. Pone valvas, interius & à tergo Proscenii collocatas (quas quidem tum primitus fuisse usurpatas adnotandum) repagulis autem tam affabre commissas, ut diduci quam citissime possent, latissimus juxta & amœnus admodum patebat despectus: silvæ enim virentes, Templumque spectosum, radiis solaribus desuper collustratum, spectantium oculos pascebant; quibus & Oppidula quædam sese ingerebant, hominibus quibusdam ultro citroque commeare, rerumque suarum satagere visis. Denique quamlibet Ludi partem vividis locorum & personarum Imaginibus, reliquoque apparatu adornandum curârat *Ignatius Jones*, qui quidem spectacula omnigena, maxime vero larvata illa quæ cum choreis celebrantur, Aulicorum ingenio quam optime accommodabat. Pares etiam debebantur gratiæ *Mro Busbeio*; cui *Roscius* palmam in scenâ concederet: vero tantam tum inde, tum ab Actoribus exercitatissimis, & vestitu *Persico* novitatis pleno, voluptatem percipiebant quotquot ibi aderant, ut pulchrius nil quicquam aut ingeniosius oculis auribusve hausisse testarentur. Atque hic ejus diei exitus erat, quem S. *Felici* dicatum fuisse, & quo prospere omnia successisse advertit [b] Cancellarius.

Die proximo, (is mercurii erat & *Augusti* tricesimus primus) horâ quasi nonâ matutinâ convenere cum Doctoribus Cancellarius & Vicecancellarius, & Cœnacula adeuntes augusta Regem ac Reginam præstolabâtur; quibus gratias deinceps ob sudorem impensasque Academicas agebat Rex *Carolus*; cui nominis rogati vice respondit Cancellarius, officia Academica abunde esse pensata, immo novo Academiam debito obrui, quod ipse & Regina tam levia observantiæ specimina æqui boni facere dignarentur.

Post meridiem, frequens habetur Academicorum [c] Senatus, in quo (id à *Carolo* contendente principe Electore, eoq; postmodo jubente) Doctores in Theologiâ XXI. in Medicinâ tres, ac totidem in Jure Civili, Theologiæ vero Baccalaurei decem, Magistri in Artibus complures, ejusdem denique & Facultatis Juriisprudentiæ Baccalaurei aliquot creantur. Eadem nocte Collegiorum & Aularum Præfectos, Doctores

[a] *In Gestis Cancellariatus sui p.* 124. [b] *In Diario suo.* [c] *Reg. R.* 135. *b.*

porro

porro omnes, utrumque Procuratorem, & amicos quosdam suos, quorum utique operâ in dierum præfatarum celebritate usus fuerat, apud Sodalitium San-*Johannense*, ad Mensam utique Proceribus pridie epulis instructam, Convivio excepit Archipræsul; quem una secum discumbentem, sibique & Academiæ gratulantem, quod omnia observantiæ togatæ momenta quam optime vertissent, tacitis animorum præconiis celebrabant Convivæ; nec immerito quidem, cùm id nullo Antecessorum suorum exemplo præstiterit.

Die Jovis à prandio *Cudesdonam* prope *Oxon.* concessit Cancellarius, atque eodem tempore Advenas omnes & Academicorum honoratiorem quemque Comœdiâ suâ excepissent *Johannenses*, nisi turbulenta Tyronum caterva, nec metu pœnarum nec precibus flectenda, subsellia peregrinis præripuissent, omnemque spectaculorum apparatum miris modis interturbassent.

Die veneris post meridiem, in Ædis *Christi* Refectorio coram Togatis, prout mandaverat Cancellarius, agebatur *Captivus Regalis*, dieque proximo exhibitæ sunt *Passiones pacatæ*, &c. sedulo caventibus Magistratibus Academicis ne honoratissimi Cœtus voluptatem seditiosorum conatus interpellarent. Sequente *Novembri* instante Reginâ (quam utique incessit cupido an Histriones sui peritiam togatam assequi possent experiendi) vestitum *Persicum* scenicique prospectus apparatum ad Palatium *Hamptonense* amandandum curavit Cancellarius; verum Spectatorum omnium sententiâ operarum theatralium Professoribus palmam præripuere Academici, tametsi Fabulæ Author eosdem quoque monitis & consilio adjuvabat. Deinceps autem à Rege & Reginâ impetravit Cancellarius, ut neque Ludus ipse, neq; Vestitus, neque reliquus Spectaculorum ornatus Histrionibus traderetur; usu nimirum publico temerandos quodammodo iri arbitratus. Eodem quasi tempore ad Palatium antedictum cum Fabulâ suâ (quam quidem, *Connubium Urbanum* inscriptam, dum *Oxoniæ* agerent Hospites augusti edendam cogitabant Togati) accitus est Magister *Gasparus Mayne*, Ædis *Christi* Alumnus; qui sub natalem *Christi* eodem perrexit, Ludique celebrationem adornavit, tantam vero inde jucunditatem hauserunt Spectatores, ut sæpius postmodo coram Rege & Reginâ ad Palatium *Album*, necnon ab Histrionibus regiis ad veterem *Fratrum Nigrorum* in Urbe *Londinensi* sedem, exhibitus fuerit; annoque tandem Dom. CIↃDCXXXIX. typis mandaretur.

CIↃDCXXXVII.

Recrudescente denuo in variis Regni partibus pestilentiâ, Senatus Academici, ineunte quasi *Julio* habiti, [a] edicto, Comitia in nonum proximi *Octobris*, eorum autem Vesperiæ in septimum mensis ejus diem, prorogantur. At vero cum Pestis majorem quotidie in modum *Londini* grassaretur, Convocatio altera nono *Septembris* habetur, celebritasque retro dicta intermittenda omnino [b] decernitur; atque eodem quasi tempore sancitum est, ut hujus anni Inceptores ad Facultatis suæ professionem admissi (admissi autem sunt Mense *Octobri*, quem ante attigimus) præter impensas consolitas, quas Feudorum nomine denotamus, certam pecuniæ summam fisco Academico persolverent; decem solidis Magistrorum præsentium, viginti vero absentium cuique imperatis, Doctoribus autem *Oxoniæ* tunc temporis comparentibus libris decem, atqui peregre agentibus libris xx. irrogatis; quod proinde ordinatum, quoniam nisi omissa fuissent Comitia, eorum singulis sumptus porro in Epulis facere incubuisset. Cæterum Constitutioni illi reclamitabant Magistri nonnulli eo nomine de Gradu [c] turbati; quales erant.

Eusebius Dormer, ex Aulâ *Magdalenensi*.

Gul. Goulston, *Gul. Adams* } è Collegio *Lincolniensi*.

Olizerus Wallop, è Coll. *Pembrochiensi*.

Gulielmus Holt, è Coll. *Magdalenensi*.

Horum de numero *Wallopius* errorem dein fassus pecuniamque (cujus solutionem reliqui omnes detrectare obstinârunt) deponens, in pristinum locum restitutus est.

Tricesimo *Januarii* (dies ille martis erat) concionandi vice ad Beatæ *Virginis* fungebatur Magister *Richardus Kilbye*, S. Theol. Baccalaureus, è Collegio *Lincolniensi*; in Quæstiones autem *Arminianismum* tangentes temere prolapsus, edictum illud regium jam sæpe memoratum aperte violavit. Quapropter ad Vicecancellarium citatus Concionis quidem exemplar jussus tradidit, delictum vero agnoscere, & quæ inconsiderate effuderat revocare prorsus recusavit; at vero accersitus denuo, & à Doctoribus quibusdam cum Vicecancellario præsentibus errorem suum edoctus, ad bonam sese frugem recepit, & decimo tertio quasi *Martii* Palinodiam [d] cecinit.

Hoc insuper anno referendæ veniunt lites Togatorum acerrimæ, secundâ Quadragesimæ hebdomadâ, circa xx. nempe *Februarii* diem, inter *Exonienses* atque Ædis *Christi* Alumnos coortæ; qui sane eo tandem dementiæ prorupere, ut rixantibus in Scholis utriusque Sodalitii Magistris, in Scholarum Areâ consertis manibus dimicarent Tyrones; usque dum interveniente Vicecancellarii authoritate, quo minus Commissionibus philosophicis (unde nimirum graviores illæ suboriri solent) decertarent, Collegio utrique prohibitum esset.

CIↃDCXXXVIII.

Sexto *Aprilis* hujus anni coram Vicecancellario, Doctore *Prideaux*, Doctore *Thom. Iles*, & Doctore *Francisco Mansell*, in Turri Scholari coeuntibus, præsentem se sistebat Magister *Gasparus Mayne*, ex Æde *Christi*; de Controversiis nempe creberrime dictis palam in Concione, ad Sodalitii sui Ecclesiam Passionis dominicæ die habitâ, tractatis [e] postulandus. Is objecta diluere haudquaquam enixus, nil aliud culpæ obtendebat quam Edictum illud Regium (in quod utique peccasse argueretur) ignorasse penitus, neque *Oxoniæ* egisse cùm per Præcones divulgaretur; operam vero deinceps daturum ne consimili unquam errore laberetur: quâ quidem responsione acquiescendum arbitrati Doctores hominem dimiserunt.

Sub id autem non defuit insolentiæ togatæ (ex quâ plebis *Anglicanæ* ingenia ad seditionem spectantia dignosci, velut retro in hoc opere dictum, haud

[a] *Ib. in* R. 147. *a.* [b] *Ib.* 150. *b.* [c] *Ib. in* R. 151. *a. & in Canc. Gest.* Laud. *p.* 151. [d] *Ib. in R.* 152. *b.* [e] *Ib. fol.* 52. *b.*

raro ſolent) ſpecimen egregium; ſiquidem Procuratorum ſeniorem, munus ſibi in Eccleſiâ Divæ *Mariæ* abrogantem, & Orationem de more habentem, ſibilis ſtrepituque incondito interpellârunt malemeriti haud pauci, ab eodem utique ob delicta aſperius pridem tractati; quorum porro audacia eo demum proceſſit, ut eundem ad Collegium inde ſuum revertentem lapidibus & convitiis inſectarentur. His Cancellario nuntiatis, Vicecancellarium ille & Sodalitiorum Præfectos acerbe [a] corripuit, ad quos nempe ſpectârat tumultus ejus anteſignanos confeſtim explorare, exilioque æterno mulctare; quod tamen factu erat difficilimum, defendente maleficos numero, & ſeditionis propterea præſultoribus ægre admodum comprehendendis, neque enim plures quam duo aut tres, iique plane Tyrunculi, habito demum examine innotuere; qui ſupplicio etiam leviori, corporali ſcilicet, uti loquuntur Statuta, tam grave facinus luebant.

Sed hæc prætervecti, quæ huic inſuper anno adſcribenda ſunt, perſequamur.

I. Primo autem notandum quod, propter Peſtem in variis paſſim Regni locis, maxime vero *Cantabrigiæ*, *Readingi*, *Glocestriæ*, *Northamptoniæ*, &c. denuo ingraveſcentem, decernere viſum eſt, ut Comitia Academica penitus [b] intermitterentur, pecuniâ porro, velut in anno prægreſſo dictum, Inceptoribus imperatâ; Rebus autem novis ſtudentes quidam apud nos factioſi homines, id obtinuerunt, ut ſi Comitia forte hoc anno habita fuiſſent, Quæſtiones permiſcendis rebus noſtris quam optime inſervientes habuiſſemus diſceptandas, ex Domus enim congregationis, non ſatis providæ, decreto, convenerat ut quæſtio hæc. *An addita & alterata in Liturgiâ Scoticanâ juſtam præbeant ſcandali materiam?* eſſet diſcutienda. Revera (quod par erat) Magiſtri regentes negativas partes tuendas decrevere, Vicecancellario quamvis reclamante.

Cancellarius autem, re per literas cognitâ, & Vicecancellarium verbis caſtigavit, & Inceptoribus Propoſitione illâ interdixit; qui ejuſdem præterea authores Juvenes audaciſſimos, immo ſtolidiſſimos Ardeliones [c] appellavit; quaſi vero nihil in Republicâ tranſigi poſſet, quod in Comitiis eorum Scholaſticis eventilandum protenus non eſſet.

II. Regem *Wodſtochiæ*, menſe *Auguſto*, habentem ſalutarunt Vicecancellarius ac Procuratores, una cum ſplendido Doctorum Comitatu eodem profecti; ex more autem peroravit primitus *Strodus* publica illa Togatorum vox (Orationis ejuſmodi erat initium; *Diviniſſime Regum*; *quanquam Radiationis veſtræ*, &c.) & Concionem poſtea, quod etiam fieri antiquitus conſuevit, obivit Doctorum aliquis; quâ finitâ priſtina Benevolentiæ vere Regiæ promiſſa repetebat Rex *Carolus*, & Academicos ſplendide admodum tractari juſſit. Cæterum dimiſſis iiſdem, Cancellario ſignificavit Rex, non adeo ſibi placere ingentem illam Doctorum Catervam, quod ſalutantium utique multitudo plus ſibi negotii faceſſeret, & moleſta quodammodo eſſet: quare ſtatuit ſecum in animo Archipræſul, Doctores tantum quindecim cum Procuratoribus in poſterum tranſmittendos jubere, qui togas porro purpureas laxius manicatas induti, reliquorum Academicorum vice Regem, ſiquando in viciniâ ageret, compellarent, Cultuq; debito & obſervantiâ venerarentur.

III. Hoc etiam anno, die nimirum *Octobris* decimo, executioni [d] mandatum eſt Statutum illud de examinandis Graduum Candidatis priuſquam ad eoſdem admittantur, quo ſane utilius nullum aut rei literariæ ſalutarius in toto Legum noſtrarum Codice deprehenditur; ac proinde pretium operæ facturus videor ſi ſummariam quandam ejus notitiam Lectori exhibuero.

Examinatores numero tres, neceſſariò vel ad placitum Regentes, eſſe oportet; quorum ſingulis incumbit Candidatorum duorum, aut in Artibus Baccalaureorum, aut nondum (uti nos loquimur) Graduatorum, (ad Gradum enim alterutrum aſpirantes ejuſmodi ſeſe examini ſubjiciunt) eruditionem explorare.

Hiſce Examinationibus (Statuti ipſius verba legis) *quemcumque diem* (*modo ne feſtum*) *in Termino ſive extra Terminum* (*ſi numerus Candidatorum hoc ipſum efflagitet*) *aſſignare fas eſto Procuratori. Locus examinandis deſignatus eſto Schola Naturalis Philoſophiæ, Hora vero nona matutina, à quâ uſque ad undecimam in illo ipſo loco perdurabunt: atque iterum ab horâ primâ pomeridianâ, ſi Examinatoribus ita viſum fuerit, quouſque illis placuerit.*

Convenere primitus Academici non aliter admoniti quam ex affixis publice Programmatis quæ Magiſtrorũ & Cãdidatorum nomina, necnon futuri Examinis diem ac horam, referebant, cæterum Vicecancellarius cum eſſet Doctor *Greenwood* in uſum, uſque hodie obtinentem, abire occœpit, ut Campanæ Beatæ *Virginis* minores binæ paulo ante horam nonam pulſarentur.

Qui Baccalaureatum ambiunt, in Grammaticâ, Rhetoricâ, Logicâ, morali Philoſophiâ, & Geometriâ, gradus vero Magiſtralis candidati in Philoſophiâ Naturali, Metaphyſicâ, Aſtronomiâ, Opticâ, Hiſtoriâ denique & ejus pediſſequâ Geographiâ, examinandi ſunt; de utriſque autem explorandum quales in Geometriâ, & Linguâ Græcâ progreſſus fecerint, maxime vero *quâ quiſque polleat facultate* (ex ipſo loquor Statuto) *animi ſui ſenſa Linguâ Latinâ explicandi. Neque enim ad Artium Baccalaureatum niſi qui congrue & prompte; nedum ad Magiſtralem Gradum* (*ſive ſupparem*) *niſi qui commode & apte, in rebus quotidiani uſus, animi ſui ſenſa linguâ latinâ explicare valeat, admitti quenquam vellumus.*

Quo Quæſtiones autem & Reſponſa percipi utrinque melius poſſent, Magiſtris & Candidatis anno proximo eriguntur ſuggeſta; Vicecancellario quoque (qui quidem cum Doctoribus quibuſdam frequentius ea tempeſtate adfuit, tanti diſquiſitiones illæ momenti habebantur) & Procuratoribus ſubſellia extruuntur; poſtquam vero hæc eruditionis examina percrebuere, dici non poteſt quam immenſam Diſciplinæ Academicæ exiſtimationem pepererunt; adeo junioribus malè feriatis formidanda, ut quidam diſcrimen illud morte antevertere non dubitaverit, qui pridie ejus diei quo examen erat ſubeundum præcipitem ſeſe in flumen dedit.

IV. Academiâ propediem faceſſere, curamque animarum in propriis ubique Parochiis agere, Non-

[a] Geſt. Canc. Laud. p. 156. 157. 158.
[b] In lib. Statut. Tit. 9. ſect. 2. parag. 1.
[b] In R. ut ſupra 155. a.
[c] Geſt. Canc. Laud. p. 172.
[d] Ib. in R. 157. a

reſidentes,

residentes, quos vocamus, jussit [a] Cancellarius; Concionibus nimirum mordacibus ad Beatæ *Virginis* creberrime habitis, prædictosque censurâ gravissimâ notantibus, permotus.

CIↃDCXXXIX.

Munificentiæ prorsus immensæ finem hauddum posuerat Archipræsul, quin hoc etiam anno Volumina quædam manuscripta nobis [b] transmisit, in novo illo Bibliothecæ latere adservanda; viz. sexdecim *Hebraica* & *Syriaca*, *Arabica* quinquaginta quinque, *Persica* quindecim, *Græca* viginti sex, *Latina* quadringinta triginta novem, *Gallica* tria cum tribus *Italicis*, *Anglicana* & *Anglo-Saxonica* duodecim, *Germanica* tria cum uno *Chinensi* & *Armenico* uno. His acceptis gratias, ut par erat, colendissimo Patrono per [c] literas IV. *Julii* datas egit Universitas. Aliquanto post, Magistros admonuit [d] Cancellarius ne (quo nihil sub hæc solennius) huc illuc in Convocatione discurrerent dum literas palam recitaret Procurator, aut Orationes à quopiam haberentur; edicto præterea ut incarceratione plecteretur quisquis jure suffragii neutiquam donatus Senatum Academicum intraret.

Ad hæc, in prohibendis Togatorum perpotationibus, lusibusque illicitis, ubi de pecuniâ certaretur, seriò desudatum est; siquidem quotidianâ Vicecancellarii & Procuratorum, popinas & Oenopolia lustrantium, industriâ in Sodalitia sua compulsi juniores, de moribus tamen pristinis nil quicquam remisere, adeo ut novis quibusdam artibus coercendi essent, ac intra temperantiæ aliarumque virtutum limites continendi; quâ tamen ex parte parum admodum profecere Magistratuum nostrorum vigilantia & solicitudo, intervenientibus post paulo intestinis Regni tumultibus, vitiisque omnimodis frœnos laxantibus.

CIↃDCXL.

Hoc anno indiciis frequentibus, intra angustos quoque Provinciæ togatæ fines editis, constare cœpit, matureſcere jam nequissima rebellium consilia, plebisque *Anglicanæ*, seu potius *Calvinianæ*, ingenia ad seditionem satis esse informata. Cancellarii enim authoritatem decrescere festinanter advertentes Togatos injuriis quotidianis lacessunt Oppidani, posthabitâq; Magistratuum Academicorum potestate jura nostra & Privilegia omnigena evertere satagunt; siquidem & Mercatus Clericum suorum de numero instituunt, & in Curiis suis, quas *Letas* nuncupant Legulei, de Platearum purgatione & straturâ cognoscunt, neque Candelis pro arbitrio Vicecancellarii (quod fieri antiquitus consueverat) pretium statuentes, neque viris Privilegiatis comprehendendis & pro Tribunali urbano sistendis abstinentes. In Felonum insuper (sic fures & latrones appellamus) bona involabant, & Procuratores Vigilias nocturnas obeuntes Urbemque lustrantes interturbarunt; porro, haud modice passim excreverat Casularum & Inquilinorum stipem emendicantium (**Inmates** vocant Leges) numerus, sanctioris Concilii jussis, & Academicorum (Cives enim in Conventibus judicialibus quos *Sessiones trimestres* nuncupant, atque alibi sæpius, ut officii hac ex parte sui memores essent, amice sumus adhortati) monitis despicatui prorsus habitis. Ad hæc, animis mirum in modum aucti *Cathari* Cœtus illicitos inire, immò Concionibus ad seditionem commovendam accommodatis classicum canere, plebemque rebus novis studentem, & Magistratuum, maxime vero Togatorum, mandata proterentem, ad bellum & cædes accendere non sunt veriti; Academicorum quoque tyronum aliquorum, in partes aperte nimis declinantium, subsidio freti, pessimeque adversus rem pacemque publicam animati; quæ omnia paucis hisce exemplis abunde constabunt.

Floralia celebrantes Incolæ vici **Halywell** in Suburbiis borealibus Arbores, quas vocant, *Maiales* binas erigebant, alteriusque in fastigio dolium collocabant, quod *Edoardi* cujusdam *Golledge*, Artem musicam exercentis (cujus utique in Ædibus Conventicula creberrime agitabant *Cathari*) effigies occupavit, cremiorum insuper fasciculum tergo habens alligatum, quod is nempe suffurati olim ligni infamiâ laboraret. Exacerbatis hoc spectaculo Togatorum quoque *Catharorum* animis, advolarunt post paulo è *Novo* Hospitio & Aulâ *Magdalenensi* Academici bene multi, armisque instructi Arborem in suorum ludibrium erectam deturbarunt, cujus Authoribus iram inde haud mediocrem colligentibus, tumultus confestim non modicus, nec sine plurimorum fortean cæde reprimendus exarsisset, nisi opportuno Magistratuum aliquorum interventu absterriti utrinq; recessissent. Cæterum brevi post tempore, obortæ sunt gravissimæ Procuratores inter & Vigiles Oppidanos, nullo pridem jure à Civibus constitutos, altercationes; deinde autem Parochiæ Divi *Thomæ* Constabularium, ob excubias quas dixi XXIII. *Junii* institutas, Carceri [e] mancipavit *Allibondus*, Procuratorum Academicorum alter, cui cum *Johanne Nixon*, Aldermanno, acriores adhuc lites interceſſere, de Viris quibusdam in Custodiam à *Nixono* traditis, ab altero vero liberatis motæ, maxime autem de Cursore quodam armillato *Hibernico*, quem scilicet in Carcerem, ab Aldermanno, adversus Jura *Anglicana* (quippe nullâ syngraphâ, crimen designante, in scriptis traditâ) in vincula detrusum exemerat Procurator: eò vero res demum pervenit, ut à Delegatis Parliamentariis *Westmonasterium* citatus Procurator gestorum rationem reddere juberetur, quod tamen morte præventus haudquaquam præstitit.

Die *Septembris* sexto, qui dominicus erat, matutinam concionandi vicem ad Beatæ *Virginis* obiens *Johannes Johnson*, S. Theol. Baccalaureus, è Collegio *Magdalenensi*, Dogmata quædam diffudit distrahendis in partes Academicis accommodata; quam ob rem decimo quarto dicti Mensis coram Vicecancellario, utroque Procuratore, pluribusque Ædium Præfectis, conventus, Edictum Regium violasse deprehenditur, & Palinodiâ his [f] verbis conceptâ damnatur:

Cùm ego *Johannes Johnson*, Collegii *Magdalenensis* Socius, Concionem ad Divæ *Mariæ*, die dominico qui in sextum *Septembris*, noviſſime elapsi, incidit tempore matutino habens, sermonem omnem Universali Redemptioni & Universali gratiæ propugnandis insumpserim, contra sentientibus non sine acerbitate aliquâ impetitis, quo, turbatâ tum Ecclesiæ tum Universitatis pace, in religiosissimi ac supremi Domini Regis Edictum ac mandatum peccavi: Inpræsentiarum ergo delictum

[a] *Ib. in Gest. Canc.* Land. *p.* 168. 169. 158. [b] *In R. ut sup.* 165. *b.* [c] *Ibid.* 166. *b.* [d] *Ibid.* 167. *a.* [e] *Gest. Canc.* Laud. *p.* 225. 230. [f] *Reg. R.* 180. *b.*

„ctum meum agnoſco, animoque ob idem angi pro-
„fiteor, ut hæc mea admittatur recognitio humilli-
„me obſecrans. Spondeo autem Regio me in poſte-
„rum Edicto demiſſe penitus obtemperaturum, ac
„dubiam quamcunque meam & controverſiæ obno-
„xiam opinionem bono publico, Pacique Eccleſiaſti-
„cæ, poſthabiturum.

At vero, eodem quo *Johnſonus* die Concionem, tempore pomeridiano, [a] habuit diverſarum plane partium Sectator *Henricus Wilkinſon*, ſenior S. Theol. Baccalaureus, ex Aulâ *Magdalenenſi* (illum Ædis poſtmodo *Chriſti* canonicatu ob operam ſibi ſtrenue navatam donarunt Viſitatores Parliamentarii) qui ſumto in textum capitis *Apocalypſeos* tertii verſu decimo ſexto (ibi vero hæc legis; *Itaque quoniam tepidus es, nec frigidus nec fervidus, futurum eſt ut te evomam ex ore meo*) in cultus Divini Ceremonias nonnullas acerrime invectus eſt, immo virus *Calvinianum* copioſe adeo evomuit, ut plane conſtaret Buccinatoris ejus ope milites ſibi *Scotiſque* conſceleratis comparandos exiſtimaſſe qui Rebellionem cogitarent; quod ipſum vero attinet una cum *Johnſono* ad Vicecancellarium citatus, errorem fateri, atque eundem ſub ejuſmodi [b] formulâ revocate juſſus eſt:

„ Cum ego *Henricus Wilkinſon*, ex Aulâ *Magda-*
„*lenenſi*, Concionem ad Beatæ *Mariæ*, die domini-
„co, qui in ſextum *Septembris* noviſſime elapſum
„incidit, tempore pomeridiano obiens, temere &
„contra charitatem chriſtianam Superiores paſſim,
„alioſque Eccleſiæ *Anglicanæ* conformes, tanquam
„prætepentes, zeloque vacuos, ac Superſtitioni-
„bus Pontificiis & priſcorum ſeculorum hæreſibus
„faventes, perſtrinxerim; cùmque hodiernum Ec-
„cleſiæ hujus ſtatum obiter ſim criminatus, quaſi
„tempeſtate magis adverſâ uſi nunquam fuerint
„Viri boni, & quaſi Patronum nullibi reperiat, ve-
„rum animo fracta ſpem omnes abjiciat, immo
„male porro mulctetur probitas, &c. Publica hac
„palinodiâ errorem ex animo agnoſco, & ob eundem
„dolere me teſtificor; pollicitus inſuper me publice
„juxta & privatim, tam in Concionibus quam Col-
„loquiis quotidianis, Magiſtratibus deinceps mo-
„rem geſturum, omnique ſtudio operam daturum
„ne aut offenſionis legitimæ, aut Scandali, anſam
„Eccleſiæ aut Superioribus præbeam.

Cæterum oblatam delicti recognitionem detrectare perſtitit *Wilkinſonus*, eamque ob rem Munere ſacerdotali infra limites Academicos interdicitur, eodem, uſque dum Palinodiam prædictam caneret, ex Statutis prohibendus. Is vero querelas eâ de re apud Parliamentum illud *Diutinum*, exeunte quaſi *Novembri*, depoſuit, Vicecancellarii inclementiam vel etiam injuſtitiam criminatus; Ordinum autem Delegati, negotiis Religionem tangentibus expediendis nominati, [c] literas ad Doctorem *Baylie*, Vicecancellarium, tranſmiſere, ut Concionis ſibi Exemplar tranſmitteret mandantes, quod cum ab ipſo aſportatum nonoque *Decembris* traditum evolviſſent, nihil ſupplicio aliquo dignum continere pronuntiantes, & *Wilkinſonum* cenſurâ Academicâ relaxarunt, & Concionem typis mandandum cenſuerunt, quod anno CIↃDCXLI *Londini* præſtitum. Hinc animis in ſpem immenſam erecti *Cathari*, ſeditionem apertius moliri, ac nil quicquam omittere cœperunt quod ad humana divinaque omnia confundenda pertineret; ſanis tamen, Regique & Eccleſiæ fidelibus haud ita perterritis, quin ſedulo obniterentur, & in præfocandis primis quibuſque tumultuum ſpiritibus laborarent: ſiquidem poſt paulo à Gradu Magiſtrorum Regentium ſuffragiis repellitur Magiſter *Franciſcus Cheynell* è Collegio *Merton.* quod Concionem latinam pro Theologiæ Baccalaureatu obiens, ea propalârat quæ offenſionis plurimum haberent.

Decimo ſeptimo *Octobris* coacto frequenti Togatorum Senatu Delegati Academici, in Parliamento illo *diutino* conſeſſuri, nominantur, D. *Thomas Roe*, & D. *Johan. Seldenus* non ſine luctâ quadam in collegam ejus renunciatus; quibuſdam cum Doctore *Prideaux* è Coll. *Exonienſi* ac Doctore *Hood* è Coll. *Lincolnienſi* adverſarum partium Patronis ſentientibus, eoque nomine D. *Nathaneli Brent*, Equiti, Collegii *Mertonenſis* Cuſtodi, id Muneris deferre cupientibus.

Sexto *Novembris* volumina nobis alia manuſcripta [d] tranſmiſit Cancellarius; viz *Hebraica* ſex, *Græca* undecim, *Arabica* triginta quatuor, *Latina* viginti & unum, *Italica* duo, *Anglicana* totidem, *Perſica* quinque, quorum unum, folio digeſtam ampliori hiſtoriam continet ab Orbe condito ad finem Imperii *Saracenici*. Una cum poſtremo illo Benevolentiæ prorſus immenſæ indicio Epiſtolam ad nos dederat Archipræſul, his eandem verbis auſpicatus; *Non datur ſcribendi otium; hoc tamen, quale eſt, accipia lubens, ut pauca ad vos tranſmittam (adhuc florentes Academici)* &c. His vero perceptis, gratias Patrono, longe ante omnes colendiſſimo, agere, perpetuamque Munificentiæ infinitæ memoriam ſpondere viſum eſt; conſcriptis proinde ad Cancellarium e literis, quibus ejuſmodi erat initium; *Æternum Reverendiſſime Cancellarie; quænam hæc lucta indefeſſæ virtutis & prementium anguſtiarum? Dum nutat Orbis nictanty; Stellæ, Academiam firmare cogitas, unicam illuſtrare Academiam*, &c. Dat. *Nov.* IX. Literæ autem illæ, tanquam præſentem rerum *Anglicarum* ſtatum, Ordinumque conſilia, calumniatæ, conjuratis admodum diſplicuere, eamque ob rem in Linguam vernaculam [f] transferebantur; verum quiſquis id negotii in Academiæ & Archipræſulis, atque adeo ipſius Eccleſiæ, invidiam confecerit, falſarium ſeſe indoctiſſimum comprobavit, ob infantiam virgas, ob improbitatem vero colliſtrigium omnino promeritum.

Dimanârat ineunte *Decembri* rumor vaniſſimus de integrâ pene Academiâ Archiepiſcopi technis ac præſtigiis corruptâ, & in Superſtitionem pontificiam inclinante; quare peſſimis ſeditioſorum conſiliis obviandum rati, literis [g] quibuſdam, decimo quarto ejuſdem menſis conſcriptis, teſtificabantur Collegiorum Ædiumque Præfecti (unum *Rogerſium*, *Novi* Hoſpitii Principalem, ſi excipias) ne unum aliquem, quod ſcirent, Togatum, ad *Romanenſes* propendere. Inaniſſimæ auditionis primordia Orationi à D. *Edoardo Littleton*, Equite, in Comitiis Parlamentariis, menſe *Aprilis* præterlapſi, habitæ adſcripſerim; is enim Miſſarum ſolennia *Oxonii* creberrime celebrata perhibuit; nimirum ad Inſigne [h] *Mitræ* (Hoſpitium illud publicum eſt, in *Omnium Sanctorum* Parochiâ ſitum, Pandocheus vero *Romanenſis* erat notiſſimus) ſacra pontificia peragebantur. Quæ res parvi licet momenti ea tempeſtate tanti videbatur, ut à Rege & concilio ejus ſanctiore ſæpius diſcuti meruerit.

Viceſimo ſeptimo præfati Menſis die per Accenſum Parliamentarium (Servientem ad Arma vocant *Angli*) coram Conventu Ordinum inferiori comparere juſſus eſt Doctor *Potter*, Vicecancellarius Academicus; de

[a] *Ib. in R.* [b] *Ib. in Geſt. Canc.* Laud. *p.* 238. *Edit.* Lond. 1641. [c] *Geſt. Canc.* Laud. *p.* 243. [d] *Ibid. in R.* 282. *b.* [e] *Ibid.* 183. *b.* [f] *Geſt. ut ſupr. pag.* 140. [g] *Vide ibid. p.* 219. 222.

rebus

rebus quibusdam (quas quidem haud penitus exploratas agnosco) in Munere obeundo gestis postulatus. Dimissus tunc temporis est, atque *Oxoniam* remeavit; verum à Communium circa utriusque Academiæ negotia Delegatis, *Westmonasterii* in Curiâ *Wardorum* confidentibus mox inde citatus, coram iisdem sexto *Januarii* comparuit, & ad postulationes de Concionibus ab ipso pridem quæstioni subjectis institutas, aliaque ad Universitatis administrationem spectantia, respondit; qualem vero sententiam subierit, aut an indemnis evaserit, ignorare me fateor.

Quinto *Januarii* die, Domûs utriusque Parliamentariæ prodierat mandatum D. *Roberti Harley*, Equitis aurati, nomen subscriptum habens, de statutorum scilicet nostrorum Autographo, necnon exemplari ejus excuso penes Vicecancellarium adservato, necnon antiquis plerisque Annalibus ac Registris, quæ nempe contexendo Codici prædicto inservierant, maxime vero recentiori illo Acta Convocationis quoad versatus in Cancellariatu esset *Laudus* complectente, *Londinum* devehendis. Decimo tertio dicti Mensis die imperata fecere Togati, ac Gestorum nostrorum Monumenta rimati quibus id negotii demandatum est Delegati Parlamentarii, Causas in Archiepiscopum quærebant, Capitis nimirum post paulo postulandum, reumque quo jure quaque injuria peragendum. Atque hic obiter notandum venit, Acta interim Academica Schedis solitariis inscripta fuisse, adeo ut à decimo *Novembris* an. CIↃDCXL. ad undecimum *Julii* CIↃDCXLII. eorum nil quicquam in Librum redigeretur, quorum proinde memoria intercidisset nisi aliis quibusdam rationibus ab interitu essent vindicata.

Inter hæc autem, famam nostram probris innumeris onerare, ac Privilegia malis artibus labefactare adnitebantur indefessi turbarum Academicarum Authores Oppidani, qui decimo octavo *Januarii* Libellum supplicem quidem, sed invidiæ & arrogantiæ plenissimum, Procerum consessui, sive Baronibus, obtulere, quo & gravamina, si diis placet, sua enarrabant, & potestatem nostram coercendam efflagitabant. Siquidem impotentissimi dominatûs Universitatem accersebant; iniquum utique esse ut suis auspiciis, verbisque imperiosis non minus quam quibus Edicta Regia promulgantur, proclamari per Præconem juberet Academia, &c. utque non tantum Leges ad rem literariam spectantes privatim condendi, sed & Cives iisdem (chartam nuper eam in rem impetrasse præ se ferens) subjiciendi, potestatem sibi arrogaret, &c. ut munia publica & Officiarios quos vellet institueret,& stipendiis à Civibus quoq; viritim colligendis alendos decerneret, &c. ut potestatem sibi immensam in Mercatu arriperet, cum juris ei nil amplius competat quam quo Pondera & mensuras moderaretur, &c. denique, ut Telonium à Civibus, eodem antiquitus levatis, exigerent, &c. Hæc inquam præcipua erant accusationis urbanæ Capita, quibus obviabat mature Universitas, Libello etiam supplici Baronibus porrecto, qui sic se partim habuit:

Illustrissimi Domini

» Neque in viâ aliqua prætoriâ jacet, neque com-
» mercii alicujus aut Opificii nomine utilem se Rei-
» publicæ præstat Urbs *Oxonia*. In Togatorum sedem
» extructa videtur, neque habent unde vitam tolera-
» rent Cives Academia si abesset; siquidem Secess-
» sione *Stanfordiam* olim factâ, ut revolarent Scho-
» lares efflagitatum est, ne Oppidum *Oxoniense* peni-
».tus interiret, &c. His præmissis quam cruentas olim Academicorum strages edidissent Cives, quamq; proni essent & parati ad easdem, si occasio ferret, repetendas ostendunt Togati. Querelis hunc in modum utrinque depositis, causæ coram Baronibus disceptandæ vicesimus *Februarii* assignatur; cujus tamen decisio in nonum sequentis *Martii* comperendinata est, Archiva Registraq; Academica accurate interea evolventibus Senatoribus quibusdam Parliamentariis ad id delegatis. Die præstituto novissima Litis cognitio instituitur, ac Procerum consessus in Togatorum partes aperte inclinabat, cùm, instante *Bercheriæ* Comite (Civitatis *Oxoniensis* Senescallus is erat) res integra Sequestris quibusdam permissa est. Comites *Pembrochiensem*, *Dorsetensem*, *Bristoliensem*, Episcopos vero *Lincolniensem* & *Cicestrensem*, nominarunt Academici, Oppidanis *Bathoniensem*, & *Southamptonensem*, Comites, necnon *Sayum* Vice-Comitem & *Robertsium* Baronem, cum aliis quibusdam, deligentibus. Aliquanto post à superiori illo Ordinum Conventu sancitum est, ut utriusque partis bini aliqui vel trini arbitri consilia de pace miscerent, omnemque dirimerent controversiam; quod quidem parvo temporis intervallo aliquâ saltem ex parte præstitum comparet.

Pendente vero, quam prædiximus, lite, ad Seditionem quotidie spectabat plebs urbana, quæ Cætus illicitos ad *Quadrivium* **Quaterbois** omni nocte inibat, neque Academicos convitiis lacessere, immo Magistratuum nostrorum Majestatem probris ac injuriis imminuere, refugiebat; novi quippiam, rem sive publicam sive suam tangentis, qualia *Londino* in horas adferebantur, percipere gestiens. Tumultuum urbanorum teterrimus erat quem, post oblatam Baronibus petitionem suam (*Januarii* utique novissimo, circa horam nonam pomeridianam) concitabant Cives, quorum centeni aliquot in Plateâ publicâ convolantes Procuratori Academico seditiose restiterunt, & meretriculæ cujusdam supplicium interpellabant; immenso illo suorum numero Campanæ S. *Martini* majoris pulsatione convocatis, quod raro admodum, & non nisi furentium animis supra modum concalescentibus (velut ingravescente magno illo *Edoardi III.* temporibus Conflictu) fieri consueverat. Proximæ habendæ sunt quæ die sequenti, circa horam octavam vespertinam, motæ sunt turbæ, quasque Procurator Junior (cui scilicet nuntiatum fuerat Cives ducentos, vel eo amplius, ad *Quadrivium* præfatum tumultuose concurrisse) compescere frustra satagebat, minis monitisque incassum adhibitis, ac multitudine inconditâ sibilis & clamoribus, vel etiam lapidibus, eundem abigentibus.

Discessit itaque Procurator subsidia togata collecturus quibus rebelles in officio contineret, verum re confestim cognitâ Campanam retro dictam pulsabant Oppidani, studiorum suorum participes advocaturi, quod cùm integrâ post ignitegium horâ fieret, haud levem sanis omnibus pacemque appetentibus timorem injecit. Cæterum reprimendum populi furorem authoritate suâ viribusve desperans Procurator, vel potius ne bellum apertum cædesque interveniret male metuens, *Whistlerum* Prætorem urbanum adivit, multisque demum precibus impetravit ut ipse, comitantibus Ballivo altero & Constabulario aliquo, imperium suum interponeret, Civesq; aperte nimis tumultuantes in ordinem cogeret. Comprehensis ergo inque Carcerem conjectis duobus quibusdam Seditionis periculosissimæ antesignanis, una cum tertio quodam qui accensæ fomitem ante alios subministrarat, reliquorum complures passim dilabuntur; haud pauci tamen ibidem dein ad mediam quasi noctem perstitere, dormitantes ut consurgerent bel-

lumque Togatis indicerent, clamoribus adhortati; quod cum ægre poſtmodo ferrent Academici, & injuriam illam ulciſcendi, vel potius graviorem aliquam propulſandi, occaſionem captarent, Gubernatoribus reliquis edixit Vicecancellarius, ut ſuos quiſque intra Sodalitii limites compingeret, neque in Urbem egredi pateretur.

Decimo quaſi *Februarii*, Eccleſiam S. *Martini* intrabant juvenes quidam male feriati, & M^rum *Ægidium Widdowes*, preces veſpertinas obeuntem contumelioſe interpellabant; verum occluſis illico Eccleſiæ foribus ſceleratos (quorum alter è *Novo* Hoſpitio erat) prehenderunt Æditui, ac Magiſtratibus Academicis detulere, tanti flagitii pœnas luituros. Decimo quarto dicti Menſis, tempore nocturno, inter inferioris notæ Togatos nonnullos & Oppidanos obortum eſt diſſidium, irâ in domos effuſâ fractiſq; feneſtris: pugnâ vero utrinque commiſſâ Procuratoris interventu furentium reprimitur inſania, contentionis Authoribus Carceri mancipatis. Atque hunc in modum ſeditionibus continuis turbante *Oxoniâ*, inteſtinis Regni tumultibus malo omine præluſum videbatur; quod ſæpius quidem quam prædixi contigit, diſſenſionibus levioribus brevitatis ſtudio prætermiſſis.

Decimo ſequentis *Martii* Procerum & Antiſtitum, in Parliamento conſidentium, authoritate ſancitum eſt, ut libri bini à Doctore *Johanne Pocklyngton* conſcripti, quibus tituli fuerant *Altare Chriſtianum* & *Dominica minime Sabbathum* appellanda, tum in Academiâ utraque, tum *Londini* flammis à Carnifice publico traderentur; quod nobiſcum, decimo quinto præfati Menſis, in Plateâ Altâ, magnâ hominum celebritate refertiſſimâ, ſecus Eccleſiam Beatæ *Virginis*, præſtitum eſt; perlatis pridem eam in rem ad Vicecancellarium mandatis.

CIↃDCXLI.

Togatis nuper innotuerat, Libellos quoſdam ſupplices de Regimine Eccleſiaſtico & Clericorum ſtipendiis exhibitos Ordinum Conventui fuiſſe. Quapropter & rei divinæ & humanæ, publicæ perinde ac privatæ, conſulendum rati, deque poſteris populoq; futuro anxii ſolicitique (quos utique attingant neceſſe eſt immutati regiminis Eccleſiaſtici mala & incommoda) Senatores demiſſe obteſtabamur, ut conſtabilitam jam olim formam ratam perpetuamque eſſe juberent; utpote quam ab ipſis Apoſtolorum temporibus, non abſque perpetuâ Epiſcoporum ſucceſſione, conſervatam inter *Chriſtianos* tam occidentales quam orientales conſtaret; quod de aliâ nullâ Eccleſiæ cujuſpiam adminiſtrandæ ratione perhiberi poſſet. His inquam aliiſque argumentis uſi Academici, ut, Ordine illo Apoſtolico integro ac illibato perennante, Eccleſias Cathedrales cum Reditibus ac Præſidiis tuerentur Comitia Parliamentaria obſecrabant, Libello quodam ſupplici XXVII. *Aprilis* iiſdem porrecto; quem poſtremo dicti Menſis die Regi obtulit Doctor *Potter* Vicecancellarius (ſiquidem reſponſum dubium plane parumque gratum acceptum à Senatoribus fuerat) atque ab illo, die proximo, ad Palatium *Album*, in Conclavi prope Xyſtum deambulatorium, præſente Doctore *Duppa*, Epiſcopo *Ciceſtrenſi*, ſatis abunde factum habuit; Patrocinium Eccleſiæ in hæc verba [a] addicente Rege *Carolo*.

Sperare quidem ſe, quod nulla ſubeſſet cauſa cur de amore ſuo & gratiâ adverſus Clerum dubitaret Univerſitas.

Ignarum non eſſe damni haud parum feciſſe clerum quod ſibi fidiſſimus fuerat, partibuſque ſuis operam pronior accommodarat; ac proinde eundem ſe pro virili parte defenſurum.

Horrendum ſacrilegii crimen ſibi ſatis innotuiſſe; ac ejuſdem propterea ſe, ope divinâ, immunem præſtiturum.

Malle ſe pane & aquâ vitam tolerare, quam Eccleſiæ ſpoliis Fiſcum replere; quod ſi Patrimonii divini particulam aliquam Poſſeſſionibus ſuis adjiceret, non dubitare quin illa in æruginem eſſet ceſſura, totumque corriperet exederetque cumulum.

Neceſſe eſſe ut bonarum literarum ſtudia exarescant, ſi honores aliaque eruditionis præmia tollantur.

Credere omnino ſe Eccleſiæ direptionem, ac multo magis everſionem, turbas æternas & calamitates Reipublicæ eſſe importaturam; neque dirutâ Hierarchiâ ſtabilem diu firmamve fore Monarchiam, &c.

Mitto chartam illam ineptam & rationis expertem, quâ libelli hujus ſupplicis, hoc anno typis mandati, argumenta, Epiſcopatum propugnantia, refutare nitebatur delirus aliquis & Conſilii inops *Calviniſta*, qui ſtramineum ſuum ſcriptum ſic auſpicabatur. *Grandis Apologia, grande nomen univerſitatis* Oxonienſis *præ ſe ferens; & quod grandius etiamnum audit, Epiſcoporum vindicias inſtituens*, &c. deinceps vero, per calumnias & convitia argumenta noſtra convellere ſatagit. Tertio poſtquam exaratus fuerat libellus antedictus (noſtrum intelligo) die (*id autem in* XXIV. *Aprilis* inciderat) alia quædam hierarchici ordinis Apologia de novo conſcripta eſt, & Graduatorum omnium Academicorum (paucis admodum ex Aulâ *Magdalenenſi* & Hoſpitio *Novo* demptis, qui nempe ſub auſpiciis Doctoris *Johannis Wilkinſon* & Magiſtri *Chriſtophori Rogers* educati, atque adeo *Calviniſmo* imbuti, ut ſaniores imitarentur adduci nullo modo poterant) chirographis munita. Sub idem vero tempus Epiſtolæ quædam ſupplices, Idiomate latino compoſitæ, Regi Ordinibuſque offerebantur, quibus Eccleſiæ *Anglicanæ*, telis jam innumeris impetitæ, & propediem collapſuræ, militantium vota preceſque patuêre; quas tamen *in irritum* cecidiſſe proximorum temporum ſtrages ac ruinæ aperte nimis oſtendebant.

Menſe *Junio*, certis quibuſdam de cauſis alibi reperiendis Cancellariatum ſibi abrogavit Archipræſul; ejuſque in locum ſucceſſit priſtinus competitor, cum quo ante annos haud paucos de munere illo contendiſſet *Laudus*. Archipræſulis vero iſtius in Magiſtratu nobiſcum ſummo geſta, ab anno CIↃDCXXX repetenda, ne poſteros, tanto fortean Exemplo caturos, omnino lateant, hoc ſtrictim in loco enumerare non gravabor. Libertates autem & Privilegia Togatis impetrata & contra cives acerrime propugnata, necnon caſtigatos Academicorum mores ac diſciplinam referre ſuperſedeo, utpote quæ fuſius retro enarravimus; interim omitti nullatenus debet, ſanctiſſimum hoc & Archiepiſcopo digniſſimum, de moribus juniorum ad modeſtiam & ſobrietatem conformandis, inſtitutum nullos magis acres adverſarios habuiſſe quam impuriſſimos illos *Puritanos*, qui ſe unos chriſtianæ pietatis magiſtros profi-

[a] *In pix. V. in Turri. Schol. in 4. a. b. c.*

rebantur.

tebantur. Quo enim moleſtiam *Laudo* crearent, Tyronibus authores erant, ut Academicis inſtitutis malignè obtemperarent, Galeros ocreaſque gererent, & gurguſtiis & oenopoliis depulſi, in Collegiis & aulis perpotationes & bacchanalia agerent. Porro *Laudus* in detegendis ac munere illo interdicendis Tutoribus, qui cum ſanis & catholicis haudquaquam ſentirent, induſtriam exercuit; cujus authoritate, anno CIↃDCXXXIV. Menſe *Maio*, vetitum eſt [a] *Johanni Oxenbridge*, Artium Magiſtro, & ex Aulâ *Magdalenenſi* Commenſali, ne Juvenes poſtmodo in diſciplinam acciperet, quod is nempe exemplo plane novo & inaudito diſcipulos ſuos Capitibus fidei à ſe conditis nomina ſubſcribere, inque verba ſua jurare, adigeret. II. Porro, Sacrificulos *Romanenſes* & *Jeſuitas Oxoniæ* ſeſe occultantes ſedulo exploravit, Juveneſque togatos eorum artibus irretitos & ad ſuperſtitionem pontificiam abductos aſſidue revocavit, Matrique Eccleſiæ in ſinum repoſuit; quorum de numero erat [b] *Henricus* quidam *Birkhead* è Collegio SS. *Trinitatis*, qui à Presbytero quodam *Romanenſi*, *Kempium* ſe appellante, ineſcatus ad S. *Audomarum* (Sodalitii ibidem inſtituti Alumnus erat *Kempius*) una trajecit anno Dom. CIↃDCXXXV. Cancellarii vero operâ Cultui Romano ereptus, inque Socium *Omnium Animarum* cooptatus, eruditionis haud modicæ opinionem nanciſcebatur, & in vivis, ni fallor, etiamnum agit. III. Eccleſiam præterea Pontificiam repudiantes patrocinio ſuo ſublevabat, quod de clariſſimo *Chillingworthio* ſatis [c] conſtat; cui addi poteſt Monachus quidam *Tholoſanus*, *Martinus Weſtcombe* [d] dictus, quem in Collegium *Exonienſe* admiſſum Magiſterio ornandum [e] curavit an. dom. CIↃDCXXXVIII. IV. Conſilium [f] inſuper erat anno CIↃDCXXXIV. Pauperculum quemque *Oxonienſem* in pannis conficiendis occupatum tenere, quod tamen pluribus de cauſis incaſſum eſt meditatus. V. Jus porro typographicum Univerſitati [g] aſſeruit, regioque Diplomate anno CIↃDCXXXII. obtento confirmandum curavit; eo enim uſque in Arte illâ exercendâ ſolâ præſcriptionis jure nixi fuerant *Oxonienſes*. VI. Deniq; obtinuit Libros cl. v. D. *Kynelmi Digby*, Equitis aurati, [h] manuſcriptos, necnon Munera [i] tria in Collegiis variis inſtituenda, tribuſque de Inſula *Cæſarea* & *Ebodia* Togatis aſſignanda, nobis impetravit; utq; alia omittam ab illuſtriſſimo Archipræſule præclare geſta, Prælecturam Arabicam [k] fundavit, atque annuo quadraginta librarum Honorario dotavit.

Viceſimo octavo ſequentis *Junii*, ex occaſione Libelli cujuſdam ſupplicis à Schiſmaticis quibuſdam *Oxonienſibus* eum in finem oblati, edixit Comitiorum Parlamentariorum Conſeſſus inferior, ne Togatus aliquis aſſenſum ſuum tribus illis Articulis, Conſtitutionum Eccleſiaſticarum, in Synodo *Londinenſi* an. CIↃDCIII. celebrari cœptâ conditarum, Canone triceſimo ſexto comprehenſis, ſubſcripto nomine profiteri impelleretur; quod quidem, tanta erat Senatorum eorum veſania, ſalvâ ſubditis Libertate ſuâ fieri poſſe negatum eſt. Sancitum porro ab eodem Conſeſſu, ne Togati in alterutrâ Academiâ reverentiam aliquam, ſive ad *Virginis* deiparæ, ſive in privatis Sodalitiorum Sacellis, inclinato Capite, vel oblatâ pecuniâ, Sacro Altari præſtare tenerentur. Mandatis itaque hanc in rem *Oxoniam* tranſmiſſis, ſextoque *Julii* in Convocatione palam recitatis, haud facile conjeceris quanta exultantium paſſim, & in ſpem immenſam erectorum *Catharorum* lætitia fuerit ſubſecuta. Eodem quaſi tempore ordinatum in Convocatione eſt, quod Comitia Academica penitus intermitterentur; atque arreptâ ibi tum occaſione, Artes contemptui habitas brevi Oratione lugebat, tantique mali cauſas explicavit Doctor *Potter* Vicecancellarius. Id *Catharos* haud parum momordit, qui querelas proinde ad Ordines deferebant; à quibus rei integræ cognitio Senatoribus quibuſdam, ad Libros quoſcunque inſpiciendos & Cenſurâ notandos Delegatis, permiſſa eſt; atque eorum authoritate *Pottero*, XXIV. *Julii*, mandatur, ut Oratiunculæ Apographum *Weſtmonaſterium* tranſmitteret; id quod ipſe feciſſe comparet, tametſi qualem denique ſententiam ſubierit neſcire me fateor.

Proximo *Januario* mirum in modum *Oxoniæ* trepidatum eſt, pectora incolarum percellente rumuſculo, ſed inaniſſimo, de *Romanenſibus* quaſi ducentis conjuratis, & præcipua quæque Academiæ Urbiſque loca pulvere nitrato disjicere paratis; verum evanuit brevi metus ille repentinus, poſtquam innotuerat viros prædictos non alios fuiſſe quam milites regios (qui Equites ſive **Cavaliers** hac tempeſtate dici occœperunt, voce exulcerandis factioſæ plebeculæ, nec dominos ferentis animis accommodatâ) qui quidem cum impedimentis, pulvere pyrio bellicoque apparatu ad Inſigne *Stellæ* in S. *Michaelis* Parochiâ maximam partem depoſitis, incolumes dimittebantur. Sub idem tempus conjurationes nefarias adverſus conſeſſum Parliamentarium, libertates *Anglicanas*, & fundamentalia regni jura prætexentes Senatores Democratici, ſcriptis in publicum miſſis vulgi animos ad res novas incitabant; quoque Juramenti fidelitatis Regi olim præſtiti vim enervarent & ligæ ſive fœderi ſecuturo viam ſternerent, Recognitionem ſolennem, quam *Proteſtationem* vocabant, denuo imperabant; & ſpeciatim Academicos omnes illâ ut obligarentur juſſere.

Comitiorum ergo nomine Vicecancellario Ædiumque Præfectis octavo *Februarii* per literas mandavit Prolocutor Parliamentarius, ut ſponſionem illam ſive recognitionem congregati præſtarent; eodemque dein literatam pubem, quotquot annum decimum quintum attigiſſent, obſtringendam curarent. Juſſis hiſce exequendis Togatos convocant Gubernatores Academici, atque in Proteſtationem prædictam (exceptionibus tamen quibuſdam finitam ac limitatam) aſſenſum profitebantur nonnulli, aliis interim bene multis id facere detrectantibus, utpote quibus nefaria Senatorum conſilia ſubolerent; quos inter Doctor *Kettle*, Collegii SS. *Trinitatis* Præſes, excuſatum ſeſe voluit, quod exactâ jam ætate eſſet, pluribuſque juramentis oneratus. Reverâ Togatorum nemo Sacramento, de *Proteſtantium* Religione contra ſuperſtitionem quamcumque pontificiam tuendâ & propugnandâ, adverſabatur; cæterum id injuſſu regio, immo in Regiorum invidiam, imperari moleſte ferebat Academicorum prudentior quiſque, & tanquam inſidioſis Schiſmaticorum machinamentis annumerandum abominabatur; quare minime mirum eſt eorum haud paucos malis adeo modis habitos poſt ſeptennium, hoc eſt cum Academiæ Viſitationem obirent Rebelles, fuiſſe.

[a] *Geſt. Canc.* Laud. *p.* 76. [b] *Ibid. p.* 91. *vide etiam in p.* 146. 148. 149. 174. [c] *Ib. p.* 148. [d] *Scripſit librum cui Tit. eſt.* Fabulæ Pontificiæ evangelicæ Veritatis radiis diſſipatæ. *Oxon.* 1639. *lat.* [e] *Ibid. in Geſt. p.* 152. 156. [f] *Ib. p.* 85. [g] *Reg. R. fol.* 55. *b.* 57. *a. &c.* [h] *Ib.* 102. *&c.* [i] *Geſt. p.* 114. *&c.* [k] *Ib p.* 120. 221. *&c. & in R.* 130. *b.*

CIↃDCXLII.

Prætermiſſis literis quas ad Univerſitatem dederat Regia Majeſtas (quatuordecim vero plus minus fuiſſe conſtat) Chartas nempe aliquas libroſq; (diſſenſionis ſibi cum Ordinibus coortæ Capita præcipua complectentes) typis *Oxoniæ* mandandos inq; lucem edendos concredens; Tabellas *Carolinas* ad Doctorem *Prideaux* Epiſcopum *Wigornienſem*, & Vicecancellarium Academicum, datas, & in Senatu togato, undecimo *Julii* celebrato, palam perlectas, exhibebo: ſic autem [a] ſe habent ſi latine vertantur.

„ Reverende in Chriſto Pater, fidelis & admodum „ dilecte, ſalutem tibi plurimam impertimus. Cùm „ ſub obtentu falſo & per calumniam excogitato „ (quem utique talem eſſe tam factis noſtris quam „ Declarationibus, & ſpeciatim Declaratione illâ „ Baronum noſtrorum & Conſiliariorum, nobiſcum „ hic loci præſentium apertum fecimus) ſtatuiſſe ni„mirum nos bellum Parlamento noſtro inferre, Equites „ colligantur, vaſaque aurea & argentea necnon pe„cunia contra nos etiamnum ultro deferantur; De„clarationibus noſtris & Edictis, quibus ne id fieret „ prohibuimus, nil quicquam obſtantibus; adeo ut „ ex debito incolumitatis ac dignitatis noſtræ, necnon „ pacis publicæ, intuitu, fidelium noſtrorum ſubdi„torum opem in neceſſariam noſtri defenſionem de„poſcere cogamur: porro, cum non modo pernicio„ſorum eorum & illicitorum Conſiliorum effectibus „ involvendam perinde ac ſubditos reliquos iri conſtet „ Univerſitatem *Oxonienſem*, verum ob ſtudium & „ patrocinium ejuſmodi literarum proſeminiis perpe„tuo præſtitum ſperare oporteat eandem ſaluti invi„cem noſtræ impenſius invigilaturam, operamque „ tuendis nobis & conſervandis peculiarem adhibitu„ram: per has itaque velle nos & præcipere ſignifi„camus, ut Univerſitati noſtræ, eâ quâ rebus noſtris „ conſulturum te maxime credideris ratione, notum „ facias, quaſcunque pecuniæ ſummas vel Collegium „ noſtrum quodvis ex Ærario ſuo, vel Academicus „ aliquis è fortunis privatis, ſponte accommoda„ bit, & Doctori *Rich. Chaworth*, literarum earum „ Tabellario, numerabit, deque numeratis Apocham „ accipiet, officii gratiſſimi loco reponendas à nobis „ fore, necnon cum annuo librarum octo pro ſingulis „ centenis fœnore, ſine dolo malo morâve redden„das, ubi primum Deo videbitur miſeri hujus Regni „ turbas componere, quarum culpam penes nos mi„nime reſidere intemerata eâ ex parte conſcientia „ teſtatur. Quapropter quin fidem & amorem erga „ nos ſuum hac in re patefecerit Academia noſtra, „ tuque gnaviter ſategeris ne officiorum eorum fru„ctus tarditate corrumpatur, haudquaquam dubi„tantes, valere ex animo jubemus.

Dat. ad Curiam noſtram
Eboraci ſeptimo *Julii*.

His palam recitatis uno omnium conſenſu in Convocatione ordinatum eſt, ut pecunia omnis publica, ſive in Ciſtâ illâ Mathematicâ *Savilianâ*, ſive in *Bodleianâ*, ſive denique in Academicâ dictâ, adſervata Regi mutuo daretur. Finitâ Convocatione Ciſtam adeunt Academicam ejuſdem Cuſtodes, libraſque DCCCLX. *Chaworthio* prætato tradunt, atque is ſyngrapham [b] ſtatim de accepto conſcripſit iiſdemque dedit; pecuniæ vero ſummam quod attinet Collegiatim aut viritim Regi *Carolo* accommodatam, nullibi, quod ſciam, commemorata occurrit, officio autem neutiquam defuiſſe vel Sodalitia, vel Togatum quemque opulentiorem, ex edicto illo Ordinum abunde conſtabit.

12 *Julii* 1642.

Quoniam nos Proceres & Plebei in Parliamento congregati cognitum habemus, quod ex fœdere & conſpiratione multorum tum Academicorum tum Civium *Oxonienſium* impeditiones plures & deboramenta uſurpari conſueverunt, quibus pecunia à Parliamento in Regni tutelam colligenda interpelletur; quodque Doctor *Johannes Prideaux*, Epiſcopus *Wigornienſis*, Vicecancellarius Academicus, Doctor *Samuel Fell*, Ædis *Chriſti* Decanus, Doctor *Acceptus Frewen* Collegii *Magdalenenſis* Præſes, Doctor *Chriſtophorus Potter*, Collegii *Reginenſis* Præpoſitus, contra fas & Leges vaſa aurea & argentea, & theſauros Univerſitati & Collegiis ſubtrahere, ac *Eboracum* tranſmittere ſategerunt, fovendo nempe contra Parliamentum atque Regnum inter grum bello, & Religioni populique Libertati in ſummum diſcrimen adducendis; quodque in Conſilii hujuſce, & cogitati nefarii fucum & integumentum, Convocationis ejus conſenſum obtinuerunt, quo dictæ Univerſitatis Theſaurus ad Regem amandetur:

Per hæc itaque declaramus Collegia prædicta ejuſmodi Convocationis Decreto haudquaquam adſtringi, utpote ex naturâ ſuâ illicito, & in Collegiorum Fundationes injurioſo, ac ratione metæ in quam collimat adverſus Deum & Rempublicam infido; necnon participes ejus, authores, & adjutores pœnis gravioribus obnoxios ſe dediſſe, & quæſtioni propterea ex Lege ſubjiciendos iri.

Quapropter, quo Regnum conſervetur, & celeberrima illa Univerſitas ab occaſu & interitu vindicetur, ſtatuimus & mandamus ut Gubernatores ac Socii, in ſuo quiſque Collegio, ab illicitâ illâ & ſceleratâ machinatione ceſſent & abſtineant, & vaſa aurea & argentea necnon pecuniam, in tuto alicubi confeſtim deponant, acceptâ fiduciâ, nobiſque certioribus factis quorum fidei concredantur; utq; prædicti Doctor *Prideaux*, Doctor *Fell*, Doctor *Frewen*, & Doctor *Potter* comprehenſi ad nos deducantur, Flagitii hujus ingentis, inſidiis paci publicæ ſtructis admiſſi, poſtulandi; Sociis & Scholaribus prædictæ Univerſitatis arctius injungentes, ut quo minus vaſa aliqua aurea vel argentea deportentur obſiſtant & prohibeant, volentes autem & Prætori aliiſque Urbis *Oxonienſis* Magiſtratibus edicentes ut iis ſubſidio ſint, quâ in re Parliamenti viribus defendentur.

Decretum porro authoritate prædictâ, quod Excubiæ & exploratores in viâ quavis prætoriâ prope *Oxoniam*, necnon per Comitatus *Oxonienſem*, *Warwicenſem*, *Northamptonenſem*, *Leiceſtrenſem*, *Gloceſtrenſem*, *Darbienſem*, *Nottinghamenſem*, & *Lincolnienſem*, ſedulo inſtituantur, quo ejuſmodi vaſa *Eboracum*, fovendo contra Parliamentum bello tranſmitti deſtinata intercipiantur, & in tuto cuſtodiantur, donec qui eadem interceperint Parlamentum ejus rei certius fecerint, & ulteriora à nobis mandata perceperint. Atque utile hoc officium

[a] *In Reg. Convoc. S. p.* 6. [b] *Ibid. p.* 7.

cumulate

„cumulate habebunt compensatum, & indemnes „Domus utriusque Parliamentariæ viribus ac autho„ritate conservabuntur.

Henricus Elsing Cler. Parliam. Com. *Johannes Browne* Cler. Parliamentorum.

Id Edicti *Oxoniam* detulere *Jacobus Stanforth* & *Richardus Careless*, *Johannis Hunt*, Armigeri (Serviens ille ad Arma, quem vocant, erat, & Confessus Parlamentarii inferioris Lictor) Deputati; unde Regiis fautoribus bene multis negotium haud modicum facessitum est. Suorum itaque curam agens *Carolus* atque Ordinum tyrannidi obviandum ratus, literas plures transmisit, quarum primæ [a] in *Palatio Beverleiensi*, decimo octavo *Julii* conscriptæ ad Doctorem *Prideaux* dabantur (in Senatu Academico deinceps propalatæ sunt) atque sic se summatim habuere. Ab Universitate suâ *Oxoniensi* ampliſſimum se amoris indicium percepisse, pecuniæ summâ plane prægrandi mutuo sponte datâ; ob quam ut prædictæ Universitati gratias Regias suo nomine ageret jubere. Porro inaudisse se Academicos nonnullos de facto illo, fidei & observantiæ pleno, ad Ordines citari; velle itaque se ac edicere ne accersentibus morem gerant; incumbere enim sibi arbitrari illos omni operâ tueri ac protegere, qui non aliâ de causâ pessime habeantur, quam quod partium suarum sequaces, in salute regiâ propugnandâ enixe laborassent.

Literæ [b] secundæ, eodem quo prædictæ die conscriptæ, ad Militiæ Præfectos Agro *Oxoniensi* assignatos dabantur, (illi **The Commissioners of Array** vulgo audiunt) quibus præceptum est ut Academicis ob testimonium fidei præfatum periclitantibus omni studio subvenirent, & ubi primum innotescerent vim aliquam aut insidias *Oxoniæ*, injussu Regio, intentari, eodem illico cum armatâ manu, quanta propugnandæ Urbi inq; Regem bene animatis defendendis & spe haud incertâ erigendis sufficeret, properarent.

Tertiæ [c] à Rege *Carolo Nottinghamiæ* agente, ad Vicecomitem *Oxoniensem*, Vicesimo secundo *Julii*, transmissæ sunt, eodem propomedum tenore ac novissime dictæ; quippe de tuendâ pro virili Academiâ ope illâ quam *Posse-comitatus* appellant præcepta unice complectuntur.

Quartæ [d] ibidem etiam, ac eodem die, ad Prætorem *Oxoniensem* dabantur, protegendos quam maxime sedulo Togatos mandantes; & non tantum ne Edicti alicujus Parliamentarii specie Academicum quemvis ob subministratam Regi pecuniam comprehenderet vetantes, verum ut Subditos fidissimos ab ejusmodi injuriis strenue defenderet, sceleratâ maleficorum tyrannide quoad posset propulsatâ, diserte præcipientes. Sic *Oxoniam* gentis *Anglicanæ* lumen, earam pariter habuit optimus princeps, ac oculos suos. Cujus insuper summæ solicitudinis in res nostras, egregia specimina alia inferius dabuntur.

At vero sub hæc mirum in modum *Oxoniæ* trepidatum est, personam jam (quod sani omnes & prudentes dudum præsenserant) deponente Parliamento; nimirum ficto *Catharorum* ob vacillantem Religionem metu, in Rebellionem apertissimam prorumpente. *Roberti* Comitis *Essexiani* ductu militabant fœderatorum copiæ, quibus mature debellandis Edictum Regium, *Eboraci*, nono *Augusti* excusum, prodierat, quod nobiscum decimo tertio Mensis ejusdem, in quem dies Saturni incidit, per Præconem divulgatum est. Ad arma itaque respiciebant Academici, non nisi sagi præsidio in tuto fore Togam prævidentes, quos ad approperandum belli apparatum urgebat fama constantissima, de Cohortibus Parliamentariis per hunc Agrum propediem ducendis, utpote quæ *Banburiæ* & *Warwico* Militibus jam pressis subsidio mitterentur. Quapropter Privilegiatos omnes ad Scholas convenire jubet Doctor *Pinke*, Provicecancellarius (siquidem Academiæ se clam subduxerat *Prideauxius*, iræ Parliamentariæ rabiem declinandam ratus) ut sua profiterentur nomina, atque ibidem porro Scholarium haud exiguus comparebat globus, sclopetis hastisque è Sodalitiorum passim Armamentariis (quæ quidem vacua jam penitus non erant) desumptis instructus. Decimo octavo *Augusti* (dies ille Jovis erat) à Scholis per Plateam *Altam* ad *Quadrivium* & inde ad Ædem *Christi* progressi (ad quadringentos circiter) in Collegii Quadrangulo in procinctu constitere, Armorum usum, ordinum militarium formas, & decurrendi leges, aliaque tyrocinii munia obire condiscentes, prospectantibus per fenestram ne internoscerentur Militiæ Regiæ Præfectis, quotquot nimirum liberi essent, *Lovelacio* & *Wilmotto*, Baronibus, (Delegatos enim reliquos huic Agro assignatos prope *Watlingtonam* comprehenderant Rebelles, neq; propterea in publico comparere satis tutum fore credebant qui etiamnum superierant) sub horam vero quintam præludiones bellicas interpellabat pluvia, & ad Scholas eadem qua advenerant via regressi dimittuntur Academici.

Die Saturni proximo in Scholis, tempore matutino, convenere copiæ Academicæ, & per vicum **Halywell** ac Mansionis (**the Mannour-House** nuncupamus) Aream anteriorem in *Septum novum* (**New-Park** vulgo appellatur) procedentes, in Cohortes quatuor à Ductoribus, (eorum primus erat *Gulielmus Holland* filius Doctoris *Thomæ Holland*) distribuuntur, quarum binas Sclopetarii, tertiam Hastati, quartam vero Bipenniferi conficiebant, ad imperia dein militaria, & armorum usum informandi. In aciem ergo producti, & decursionibus ad prælii simulachrum aliquamdiu manus conferentes, egregiâ qua fuerant docilitate præditi cito veteranorum propemodum peritiam æmulari videbantur. Demum horâ quasi secundâ pomeridianâ in Urbem reducuntur, secus Ecclesiam S. *Ægidii* & per Portam Borealem ad *Quadrivium* **Quatervois**, atque inde ad Scholas, tendentes; quo scilicet Oppidanis juxta & Ruricolis (frequentes enim distrahendis in Plateâ altâ mercibus illo die aderant) metum incuterent, & à Rebellium partibus absterrerent. Referendum sane venit in æternam fidei erga Principem Academicæ memoriam, nomina graduatos perinde ac recentiores ultro dedisse, sed nec quamcunque militandi conditionem detrectasse; siquidem Artium Magistri bene multi, Theologi autem nonnulli conscripti sunt, & *Thomas* quidam *Read*, Juris Civilis Doctor è *Novo* Collegio, ut alios mittam, gregarius miles inter Hastatos merebat; Tympana vero & Vexilla quod attinet, à ludicrâ illâ, at tamen satis solenni Coquorum pompa quæ in Festo *Pentecostis* celebrari solita est, accepta habuimus.

Secundum hæc, via publica cis pontem Orientalem, ad Angulum nempe Collegii *Magdalenensis* Euro-Australem, Trabes aliaque impedimenta obecimus, Rebellium scilicet Equitibus ingressu prohibendis; fabricatâ etiam Porta Ligneâ, quæ, siquan-

[a] *Ib. in* S. *ut supra* [b] *In Tur. Schol. in pix.* β. [c] *Ibid.* [d] *Ibid.*

do opus esset, inter truncos præfatos ipsumque Collegium catenis firmata erigeretur, aditumque Plaustris & Equis Commeatum Urbi invehentibus præberet. Magna porro lapidum vis in Turris *Magdalenensis* fastigio deponitur, nec enim talibus armis, ubi potiora deerant, uti pudebat, hostium copiis munimenta inferius expugnaturis, si id forte molirentur, desuper infundenda; Portam vero *fabrilem* catena ferrea in transversum acta muniebat. Hisce absolutis, ad extrema *Johannensium* Ambulachra juxta **Newpark** munimentum arcuatum ex transverso viæ publicæ ducitur, Rebellium eâ ex parte insultus repressurum; atq; ibidem juxta & ad Pontem orientalem sedulo admodum singulis noctibus agebantur Excubiæ.

Die Saturni qui *Augusti* vicesimus erat, Scholares & Privilegiati ad quadringentos plus minus & quinquaginta in *Septo*, quod prædiximus, *novo* denuo comparebant, & pugna umbratili, sed ad seria ducenti, in officia quævis bellica exercebantur; quibus tam feliciter assuevere Academici, ut Ductores, aliiq; ibi tum forte præsentes veterani, mirabundi agnoscerent promtam discendi facilitatem; tamque alacres fortissimorum juvenum manipulos neque in *Anglià*, neque alibi uspiam, reperiendos esse solenniter affirmarent. Appetente vesperi, cum ob ingruentem pluviam perstare diutius in Campis non liceret, in Urbem revertuntur, per S. *Ægidii* Parochiam & Candidæ Foslæ (**Canditch**) vicum ad *Novum* Collegium progressi. Fama percrebuerat velitationibus Oppidanos quoque eodem tempore ad prælia fuisse informandos, quo nempe constaret arma Nostrates & reliquum belli apparatum à Civibus nequaquam mutuari (ejusmodi enim suspicio malevolorum quorundam artibus dimanârat) cæterum neq; id una cum Academicis, neque alibi die illo, præstitum est; an quod consultius videretur æmulationi truculentæ inter Copias haud adeo concordes fortean suborituræ ansam præcidere, an quod à Delegatis suis in Parliamento confidentibus admoniti essent Oppidani (id enim, neque incertis autoribus, percrebuerat) ut ab ejusmodi exercitationibus abstinerent, ne Cohortes Regi instruere haberentur.

Augusti vicesimo quinto (dies ille Jovis erat) ab octavâ quasi matutinâ ad meridiem usque muniis militaribus, in Campis jam sæpe dictis, insuescebant Academici; atque postmodo ad Collegium *Novum* remeantes (vexillationes autem octo vel decem numerabantur) & in Sodalitii Quadrangulo ordinati, dimittuntur.

Augusti vicesimo octavo, in quem dies incidit dominicus, *Oxoniam* nocte intempestâ intrabant Equites Regii plus minus ducenti, ductore D. *Johanne Byron*, Equite aurato, qui Baro postea ob merita factus. *Brackleiâ* huc accessisse feruntur, Copiis Parliamentariis ibidem ex mandato Baronis *Brook* collocatis è manibus elapsi, ac tantum duobus vel tribus suorum è numero desideratis, amissis autem libris quadringentis, quas in Equo sarcinario asportabant; ad Urbis nostræ partem Borealem, vallo nuper, velut mox ante dictum, munitam, tantum non pervenere, cum qui in excubiis primis erant displosis sclopetis adventare hostem monebant. Unde ad arma conclamatum, tantaque ex re novâ simul & inopinatâ (Classico enim jam primitus post Belli Civilis primordia territi sunt *Oxonienses*) Academicis perinde ac Oppidanis injecta est trepidatio, ut neque explorato Regios esse & amicos statim evanuerit; vocibus dubiis & inconditis metum adhuc prodente vulgo, undâque populari post pacatos ventos etiamnum fluctuante.

Die proximo post meridiem ad Insigne *Stellæ* in Parochiâ S. *Michaelis* sclopetariis quibusdam & Bipenniferis stipati, proficisci decrevere Provicecancellarius, Doctor *Pinke*, & nonnulli Sodalitiorum Præfecti; dictarum nempe turmarum Ductores compellaturi, & quænam essent Regis mandata edocendi. At vero Togatis prope ipsas Scholas occurrebant illi, unaque in Apodyterium Domui Convocationis conjunctum, atque Cœtibus per hæc tempora militaribus assignatum, contendentes, literas regias explicuere, integramque demandati imperii rationem (quam infra edocebere) aperiebant. Ea nocte præcipua militum statio, **the Court de Guarde** appellata, in *Quadrivio*, ad locum **Pennileſſe Bench** dictum, habita est; excubias consuetas agentibus Academicis, Equitum nonnullos sibi in subsidium adhibentibus.

Die Martis ob imbres continuos ab armis tractandis abstinuerunt Academici.

Die Mercurii (is *Augusti* noviſſimus erat, ac jejunio publico & supplicationibus assignatus) in *Septum novum* post Concionem pomeridianam ducuntur, & ad militarem disciplinam informantur.

Septembris primo Academici aliquot cum Equitum prædictorum nonnullis Pontem saxeum arcuarum in viâ *Botlegiam* deducente positum, ac fluento ad Molendinum *Osneiense* decurrenti instratum, demoliri nitebantur; consilium enim erat pontem versatilem fabricare, copiasque Parliamentarias *Abendoniâ* vel aliunde adventantes aditu in Urbem prohibere. Cæterum id ubi Oppidanis, muniis militaribus ad **Brokenhayes** secus Aulam *Gloceſtrenſem* insuescentibus (pedites autem quadringentos vel etiam plures numerabant) nuntiatum est, Commeatum sibi præcludendum iri causati manipulos quosdam transmisere qui Nostrates operi jam accinctos interturbarunt, ne pontem ullo modo diruerent vetantes. Cessarunt quidem Academici, atque eo lubentius quod id neque ex alterutrius Municipii præcepto aggrederentur, tametsi & Parochiam Divi *Thomæ* & Pontem prædictum extra ditionis urbanæ limites jacere satis constaret.

Eodem die Senatus Academicus à meridie celebratur, in quo literæ Regiæ binæ palam recitantur quarum primæ, decimo octavo *Julii* exaratæ, gratias Togatis propter mutuas quas retro diximus pecunias agebant (hæ typis postea nisi me fallo mandatæ sunt) alteræ vero, è Curiâ Regiâ in Cœnobio *Stonleiensi* habente vicesimo secunda *Augusti* datæ, *Carolum* turmam equestrem sub D. *Johannis Byron*, Equitis aurati, auspiciis transmisisse significabant, firmandæ contra Rebellium insultus Universitati; cujus beneficii memoriam æternam fore spondebant Academici, literis quibusdam latinis primo *Septembris* die conscriptis, & ad Regem amandatis. Eodem tempore nominantur Delegati, qui in commune consulentes de honorario Equitibus colligendo, ac Armis comparandis, (quibus utique Nostrates vires cum prædictis sociantes, instruerentur) consilia agitarent, concessus *bellicus* nuncupati. Eodem die post meridiem in *Septo novo* convenere Cohortes Academicæ, haudquaquam vero decurrebant, habito tantum à *Eyrono* ejusque Locumtenente, necnon Vicecomite *Andover* aliisque Officiariis, Armilustrio. Hinc ad Collegium *Novum*, circa horam sextam vespertinam, regressi in Aciem ordinantur, & positis armis ad suum quisque Sodalitium dimittuntur.

Secundo *Septembris* infra privatos passim Collegiorum muros ad Officia militaria exercentur Academici, velut speciatim Ædis & *Corporis Christi* Alumni in Sodalitii primo dicti Quadrangulo. Eodem die Sagittis barbatis instruuntur Scholares centum,

tum, Equitatum hoſtilem, ſiquando Urbem adoriretur, infeſtaturi.

Septembris nono patuere demum fraudes urbanæ; ſiquidem Academicis nuntiatum eſt, licet polliciti fuiſſent Cives conjunctis propediem copiis impetus quoſcunque Parliamentarios pro virili eſſe propulſaturos, cum Ordinibus tamen clam nuper egiſſe, pœnaſque deprecatos culpam omnem in Togatos deoneraſſe, quorum nempe ſuaſu, contra propriæ Voluntatis motum, in partes regias pertractos ſeſe perhibebant. Fama quoque percrebuit, exercitum, huc brevi miſſuros Rebelles, excuſſiſque Regiis Equitibus Academiam caſtigaturos, in utroque Ordinum Conventu gravi etiamnum ſententiâ damnatam. Tantis itaque malis obſeſſi, neque Oppidanos ſubſidio ſibi, ſi opus eſſet, venturos præſagientes, Equites *Oxonio*, dimittunt Togati, quorum pars non contemnenda unà profiſcebatur ſub *Byroni* auſpiciis omnem belli aleam expertura; inter quos reticendus non eſt Doctor *Johan. Nours* è Coll. *Magdal.* qui dimachorum turmæ ex Academicis præſertim conflatæ præfuit, & paulo poſt in prælio *Keintoniano* fortiſſimè dimicans occubuit. Nominandi etiam *Petrus Turnerus*, & *Thomas Read* itidem Doctores. Qui autem *Oxoniæ* uſque ſupererant, utpote minus conſcii, rerum nuper geſtarum, miſere mox inde ad Vicecomitem *Say Ailesburiæ* cum ſignis quibuſdam (hæc in Academiam duci videbantur) agentem Magiſtros nonnullos, qui Univerſitatem ſuper geſtis nuperis purgantes, armiſque depoſitis Equites ſeſe amandaſſe oſtendentes, Viri animum delinirent; cæterum illo *Ailesburiâ* forte tunc temporis abſente, ab inferiori quovis Ductore verbis acerbiſſimis excepti ſunt, ut *Doctores delinquentes* (ſic enim appellabantur) traderent mandato. Eoſdem propterea poſt paulo adivit Doctor *Pinke*, Provicecancellarius, vel crimen à ſe omne removendum, vel delicti ſaltem gratiam impetrandam, ſperans; at vero res ex voto minime ceſſit, comprehenſus enim & *Weſtmonaſterium* ad Ordines tranſmiſſus Carceri **the Gatehouſe** dicto mancipatur.

Sept. decimo *Oxoniâ* cum ſuis exceſſit Chiliarcha *Byronus*, iter ad Regem una faciẽtibus Volonibus Academicis, *Wodſtochiam* pervenerant cum certiores per nuntios fierent de Inſidiis ſibi prope *Chippingnortonam* ſtructis, quos ibidem opperiebatur cum delectâ Equitum manu Dnus *Fyennes* Vicecomitis retro dicti filius, quapropter ducem viarum peritum nacti iter deflectebant, neque tamen incolumes prorſus evaſere, prope *Stoviam* enim ſuper *Woldam* (ita collem appellant *Saxones*) in Copias hoſtiles inciderunt, & prælio commiſſo ægre alapſi ſunt, capto Doctore *Turner* & *Banburiam*, ac deinceps *Northamptonam* deducto, ibique in cuſtodiam publicam detruſo. Quin nocte illâ ad Vicum **Broadway** dictum dilati in nova adducebantur diſcrimina Regii milites; illic enim tribunus partium Parliamentariarum cui *Stephanus* nomen, domum ſuam præſidio tuebatur; quam tamen expugnabant: & firmandis regiis copiis ad **Boyſk** cum Rebellibus dimicaturis, opportunè adnodum, occupatâ prius *Wigornia* pervenere. Poſt pauo Bona tum *Turneri* tum Doctoris *Nourſe Oxoniæ* relita diripiuntur; captus inſuper *Eveſhamiæ* viarum Dux flagris, ob navatam Regiis operam, punitur.

Septembris duodecimo (dies hic Lunæ erat) circa oram decimam matutinam *Oxoniam* pervenere Equium Parliamentariorum turmæ nonnullæ, *Goodwyno* uodam (is haud procul *Ailesburiâ*, unde ſcilicet ranſmiſſi ſunt milites, habitabat) & Tribuno *Saunders* uctoribus præcipuis; qui cum Pontem Orientalem attingerent, accerſito ad ſe Prætore, diploma ſive chartam utriuſque Domus Parliamentariæ, necnon Comitis *Iſſexiæ*, Archiſtrategi, autoritate munitas protulere; quibus perlectis liberrimus in Urbem datur ingreſſus, Copiis omnibus in Cohortes quinquagenarias diviſis. Apud *Mertonenſes* hoſpitabatur cum Tribunis aliis *Goodwynus*, reliquis per Urbem & ſuburbana paſſim diſpoſitis.

Septembris decimo tertio conſcenſis equis *Oxonio* abſceſſuri videbantur Parliamentarii, verum novorum mandatorum interventu prohibiti, in Prata ſecus veterem Fratrum *Nigrorum* ſedem, extra Portam auſtralem minorem, ad Armiluſtrium progrediuntur, eoq; abſoluto in Urbem remeantes Equos Ædis *Chriſti* Prato pabulatum immittunt. Eodem vero die Collegium modo dictum complures adibant (ſiquidem occluſæ pridem Sodalitiorum Portæ jam ubique patebant) Eccleſiam Cathedralem, pictaſque in feneſtris Imagines, viſendi cupidi, quas tanquam Idololatriæ inſervientes (tales enim Gregi ſchiſmatico habebantur) ſcommatibus innumeris onerabant, à maleficio tamen & injuriâ temperantes; quorum alter, natione *Scotus*, mirari ſeſe perhibebat *poſſe Togatos libris incumbere, à quibus idololatricæ illæ imagunculæ avocarent.* Eadem nocte tumultuatio incidit repentina, nuntiato Copiarum regiarum partem aliquam, ſub Principis *Ruperti* auſpiciis, adventare; quæ tamen confeſtim reſedit, comperto Turmam tantum Parliamentariam adeſſe, *Banburiâ*, vel è locis eidem vicinis, tranſmiſſam.

Septembris decimo quarto (dies ille *Mercurii* erat) *Oxonio* tempore matutino valedixerunt qui primitus advenerant Equites; reliqui autem (ducenti vero plus minus numerabantur) Portâ orientali egreſſi ſunt, Vicecomitem *Say*, Agri *Oxonienſis* Præfectum (nos **Lord Liuetenant of the County** appellamus) ab Ordinibus pridem renuntiatum, excepturi; quibuſcum Urbem ille circa horam quintam veſpertinam intravit, & ad Inſigne *Stellæ* hoſpitatus extemplo edixit, ut complanatis aggeribus (quibus nempe ex tranſverſo viarum ductis *Oxoniam* communierant Academici) Parliamentariis in poſterum obnoxii redderemur. Idem porro, multâ jam nocte, Satellitio ſatis valido cinctus, & prælatis funalibus, ad *Novum* Collegium perrexit, vaſa aurea & argentea bellique apparatum omnimodum exploraturus; inde vero ad *Reginenſes* contendens, Sodalitii portam Cuſtodiâ militari obſepſit, nequis eâdem ante lucem egrederetur.

Septembris decimo quinto, ad *Magdalenenſes* bene mane, ſuorum manipulo ſtipatus, contendebat Vicecom. *Sayus*; eodem quo Collegia prædicta conſilio rimandum deſtinans Sodalitium. Atque ſecundum hæc pulſato per Urbem Tympano volones colligebantur, Regi & Parliamento (velut fronte duriſſimâ præ ſe ferebant Rebelles) Baronis S. *Johannis* ductu militaturi. Eodem tempore *Magdalenenſe*, *Mertonenſe*, *Corporis* ac Ædis *Chriſti* Collegia Armis ſpoliantur; Ciſtaſque Ædis *Chriſti* Decani, penes Dominam *Weekes*, in S. *Ebbæ* Parochiâ, repertas, & vehiculo impoſitas, ad Inſigne *Stellæ* deducunt Sclopetarii. Ad Ædium quoque Doctoris *Thomæ Iles*, ſodalitii noviſſime dicti Canonici, Poſticum, verſus Parochiam S. *Aldati*, collocatur Sclopetariorum manipulus, nequa bona eodem emitterentur prohibiturus. Ad ampliſſimam inſuper illam, è regione Eccleſiæ S. *Aldati*, necnon interiorem quamcunmque Quadranguli latioris Portam, excubias egerunt Sclopetarii; eadem vero nocte in promptuario publico, inque muris pone incruſtationem materiatam reperiuntur vaſa ſodalitii aurea & argentea, & ad Hoſpitium jam ſæpe dictum deportantur. Hinc ad Ædes

do opus esset, inter truncos præfatos ipsumque Collegium catenis firmata erigeretur, aditumque Plaustris & Equis Commeatum Urbi invehentibus præberet. Magna porro lapidum vis in Turris *Magdalenensis* fastigio deponitur, nec enim talibus armis, ubi potiora deerant, uti pudebat, hostium copiis munimenta inferius expugnaturis, si id forte molirentur, desuper infundenda; Portam vero *fabrilem* catena ferrea in transversum acta muniebat. Hisce absolutis, ad extrema *Johannensium* Ambulachra juxta **Newpark** munimentum arcuatum ex transverso viæ publicæ ducitur, Rebellium eâ ex parte insultus repressurum; atq; ibidem juxta & ad Pontem orientalem sedulo admodum singulis noctibus agebantur Excubiæ.

Die Saturni qui *Augusti* vicesimus erat, Scholares & Privilegiati ad quadringentos plus minus & quinquaginta in *Septo*, quod prædiximus, *novo* denuo comparebant, & pugna umbratili, sed ad seria ducenti, in officia quævis bellica exercebantur; quibus tam feliciter assuevere Academici, ut Ductores, aliiq; ibi tum forte præsentes veterani, mirabundi agnoscerent promtam discendi facilitatem; tamque alacres fortissimorum juvenum manipulos neque in *Anglia*, neque alibi uspiam, reperiendos esse solenniter affirmarent. Appetente vesperi, cum ob ingruentem pluviam perstare diutius in Campis non liceret, in Urbem revertuntur, per S. *Ægidii* Parochiam & Candidæ Fossæ (**Canditch**) vicum ad *Novum* Collegium progressi. Fama percrebuerat velitationibus Oppidanos quoque eodem tempore ad prælia fuisse informandos, quo nempe constaret arma Nostrates & reliquum belli apparatum à Civibus nequaquam mutuari (ejusmodi enim suspicio malevolorum quorundam artibus dimanârat) cæterum neq; id una cum Academicis, neque alibi die illo, præstitum est; an quod consultius videretur æmulationi truculentæ inter Copias haud adeo concordes fortean suborituræ ansam præcidere, an quod à Delegatis suis in Parliamento confidentibus admoniti essent Oppidani (id enim, neque incertis autoribus, percrebuerat) ut ab ejusmodi exercitationibus abstinerent, ne Cohortes Regi instruere haberentur.

Augusti vicesimo quinto (dies ille Jovis erat) ab octavâ quasi matutinâ ad meridiem usque muniis militaribus, in Campis jam sæpe dictis, insuescebant Academici; atque postmodo ad Collegium *Novum* remeantes (vexillationes autem octo vel decem numerabantur) & in Sodalitii Quadrangulo ordinati, dimittuntur.

Augusti vicesimo octavo, in quem dies incidit dominicus, *Oxoniam* nocte intempestâ intrabant Equites Regii plus minus ducenti, ductore D. *Johanne Byron*, Equite aurato, qui Baro postea ob merita factus. *Brackleiâ* huc accessisse feruntur, Copiis Parliamentariis ibidem ex mandato Baronis *Erook* collocatis è manibus elapsi, ac tantum duobus vel tribus suorum è numero desideratis, amissis autem libris quadringentis, quas in Equo sarcinario asportabant; ad Urbis nostræ partem Borealem, vallo nuper, velut mox ante dictum, munitam, tantum non pervenere, cum qui in excubiis primis erant displosis sclopetis adventare hostem monebant. Unde ad arma conclamatum, tantaque ex re novâ simul & inopinatâ (Classico enim jam primitus post Belli Civilis primordia territi sunt *Oxonienses*) Academicis perinde ac Oppidanis injecta est trepidatio, ut neque explorato Regios esse & amicos statim evanuerit; vocibus dubiis & inconditis metum adhuc prodente vulgo, undâque populari post pacatos ventos etiamnum fluctuante.

Die proximo post meridiem ad Insigne *Stellæ* in Parochiâ S. *Michaelis* sclopetariis quibusdam & Bipenniferis stipati, proficisci decrevere Provicecancellarius, Doctor *Pinke*, & nonnulli Sodalitiorum Præfecti; dictarum nempe turmarum Ductores compellaturi, & quænam essent Regis mandata edocendi. At vero Togatis prope ipsas Scholas occurrebant illi, unaque in Apodyterium Domui Convocationis conjunctum, atque Cœtibus per hæc tempora militaribus assignatum, contendentes, literas regias explicuere, integramque demandati imperii rationem (quam infra edocebere) aperiebant. Ea nocte præcipua militum statio, **the Court de Guarde** appellata, in *Quadrivio*, ad locum **Pennileſſe Bench** dictum, habita est; excubias consuetas agentibus Academicis, Equitum nonnullos sibi in subsidium adhibentibus.

Die Martis ob imbres continuos ab armis tractandis abstinuerunt Academici.

Die Mercurii (is *Augusti* novissimus erat, ac jejunio publico & supplicationibus assignatus) in *Septum novum* post Concionem pomeridianam ducuntur, & ad militarem disciplinam informantur.

Septembris primo Academici aliquot cum Equitum prædictorum nonnullis Pontem saxeum arcuatum in viâ *Botlegiam* deducente positum, ac fluento ad Molendinum *Osneiense* decurrenti instratum, demoliri nitebantur; consilium enim erat pontem versatilem fabricare, copiasque Parliamentarias *Abendoniâ* vel aliunde adventantes aditu in Urbem prohibere. Cæterum id ubi Oppidanis, muniis militaribus ad **Brokenhayes** secus Aulam *Glocestrensem* insuescentibus (pedites autem quadringentos vel etiam plures numerabant) nuntiatum est, Commeatum sibi præcludendum iri causati manipulos quosdam transmisere qui Nostrates operi jam accinctos interturbarunt, ne pontem ullo modo diruerent vetantes. Cessarunt quidem Academici, atque eo lubentius quod id neque ex alterutrius Municipii præcepto aggrederentur, tametsi & Parochiam Divi *Thomæ* & Pontem prædictum extra ditionis urbanæ limites jacere satis constaret.

Eodem die Senatus Academicus à meridie celebratur, in quo literæ Regiæ binæ palam recitantur quarum primæ, decimo octavo *Julii* exaratæ, gratias Togatis propter mutuas quas retro diximus pecunias agebant (hæ typis postea nisi me fallo mandatæ sunt) alteræ vero, è Curiâ Regiâ in Cœnobio *Stoneleiensi* habente vicesimo secunda *Augusti* datæ, *Carolum* turmam equestrem sub D. *Johannis Byron*, Equitis aurati, auspiciis transmisisse significabant, firmandæ contra Rebellium insultus Universitati; cujus beneficii memoriam æternam fore spondebant Academici, literis quibusdam latinis primo *Septembris* die conscriptis, & ad Regem amandatis. Eodem tempore nominantur Delegati, qui in commune consulentes de honorario Equitibus colligendo, ac Armis comparandis, (quibus utique Nostrates vires cum prædictis sociantes, instruerentur) consilia agitarent, concessus *bellicus* nuncupati. Eodem die post meridiem in *Septo novo* convenere Cohortes Academicæ, haudquaquam vero decurrebant, habito tantum à *Byrono* ejusque Locumtenente, necnon Vicecomite *Andover* aliisque Officiariis, Armilustrio. Hinc ad Collegium *Novum*, circa horam sextam vespertinam, regressi in Aciem ordinantur, & positis armis ad suum quisque Sodalitium dimittuntur.

Secundo *Septembris* infra privatos passim Collegiorum muros ad Officia militaria exercentur Academici, velut speciatim Ædis & *Corporis Christi* Alumni in Sodalitii primo dicti Quadrangulo. Eodem die Sagittis barbatis instruuntur Scholares centum,

tum, Equitatum hoſtilem, ſiquando Urbem adoriretur, infeſtaturi.

Septembris nono patuere demum fraudes urbanæ; ſiquidem Academicis nuntiatum eſt, licet polliciti fuiſſent Cives conjunctis propediem copiis impetus quoſcunque Parliamentarios pro virili eſſe propulſaturos, cum Ordinibus tamen clam nuper egiſſe, pœnaſque deprecatos culpam omnem in Togatos deoneraſſe, quorum nempe ſuaſu, contra propriæ Voluntatis motum, in partes regias pertractos ſeſe perhibebant. Fama quoque percrebuit, exercitum, huc brevi miſſuros Rebelles, excuſſiſque Regiis Equitibus Academiam caſtigaturos, in utroque Ordinum Conventu gravi etiamnum ſententiâ damnatam. Tantis itaque malis obſeſſi, neque Oppidanos ſubſidio ſibi, ſi opus eſſet, venturos præſagientes, Equites *Oxonio*, dimittunt Togati, quorum pars non contemnenda unà profiſcebatur ſub *Byroni* auſpiciis omnem belli aleam expertura; inter quos reticendus non eſt Doctor *Johan. Nours* è Coll. *Magdal.* qui dimachorum turmæ ex Academicis præſertim conflatæ præfuit, & paulo poſt in prælio *Keintoniano* fortiſſimè dimicans occubuit. Nominandi etiam *Petrus Turnerus*, & *Thomas Read* itidem Doctores. Qui autem *Oxoniæ* uſque ſupererant, utpote minus conſcii, rerum nuper geſtarum, miſere mox inde ad Vicecomitem *Say Ailesburiæ* cum ſignis quibuſdam (hæc in Academiam duci videbantur) agentem Magiſtros nonnullos, qui Univerſitatem ſuper geſtis nuperis purgantes, armiſque depoſitis Equites ſeſe amandaſſe oſtendentes, Viri animum delinirent; cæterum illo *Ailesburiâ* forte tunc temporis abſente, ab inferiori quovis Ductore verbis acerbiſſimis excepti ſunt, ut *Doctores delinquentes* (ſic enim appellabantur) traderent mandato. Eoſdem propterea poſt paulo adivit Doctor *Pinke*, Provicecancellarius, vel crimen à ſe omne removendum, vel delicti ſaltem gratiam impetrandam, ſperans; at vero res ex voto minime ceſſit, comprehenſus enim & *Weſtmonaſterium* ad Ordines tranſmiſſus Carceri **the Gatehouſe** dicto mancipatur.

Sept. decimo *Oxoniâ* cum ſuis exceſſit Chiliarcha *Eyronus*, iter ad Regem una faciẽtibus Volonibus Academicis, *Wodſtochiam* pervenerant cum certiores per nuntios fierent de Inſidiis ſibi prope *Chippingnortonam* ſtructis, quos ibidem opperiebatur cum delectâ Equitum manu D^nus^ *Fyennes* Vicecomitis retro dicti filius, quapropter ducem viarum peritum nacti iter deflectebant, neque tamen incolumes prorſus evaſere, prope *Stoviam* enim ſuper *Woldam* (ita collem appellant *Saxones*) in Copias hoſtiles inciderunt, & prælio commiſſo ægre alapſi ſunt, capto Doctore *Turner* & *Banburiam*, ac deinceps *Northamptonam* deducto, ibique in cuſtodiam publicam detruſo. Quin nocte illâ ad Vicum **Broadway** dictum dilati in nova adducebantur diſcrimina Regii milites; illic enim tribunus partium Parliamentariarum cui *Stephanus* nomen, domum ſuam præſidio tuebatur; quam tamen expugnabant: & firmandis regiis copiis ad **Poyth** cum Rebellibus dimicaturis, opportunè admodum, occupatâ prius *Wigornia* pervenere. Poſt pauo Bona tum *Turneri* tum Doctoris *Nourſe Oxoniæ* relicta diripiuntur; captus inſuper *Eveſhamiæ* viarum Dux flagris, ob navatam Regiis operam, punitur.

Septembris duodecimo (dies hic Lunæ erat) circa ioram decimam matutinam *Oxoniam* pervenere Equium Parliamentariorum turmæ nonnullæ, *Goodwyno* uodam (is haud procul *Ailesburiâ*, unde ſcilicet ranſmiſſi ſunt milites, habitabat) & Tribuno *Saunders* uctoribus præcipuis; qui cum Pontem Orientalem atingerent, accerſito ad ſe Prætore, diploma ſive chartam utriuſque Domus Parliamentariæ, necnon Comitis *Iſſexiæ*, Archiſtrategi, autoritate munitas protulere; quibus perlectis liberrimus in Urbem datur ingreſſus, Copiis omnibus in Cohortes quinquagenarias diviſis. Apud *Mertonenſes* hoſpitabatur cum Tribunis aliis *Goodwynus*, reliquis per Urbem & ſuburbana paſſim diſpoſitis.

Septembris decimo tertio conſcenſis equis *Oxonio* abſceſſuri videbantur Parliamentarii, verum novorum mandatorum interventu prohibiti, in Prata ſecus veterem Fratrum *Nigrorum* ſedem, extra Portam auſtralem minorem, ad Armiluſtrium progrediuntur, eoq; abſoluto in Urbem remeantes Equos Ædis *Chriſti* Prato pabulatum immittunt. Eodem vero die Collegium modo dictum complures adibant (ſiquidem occluſæ ptidem Sodalitiorum Portæ jam ubique patebant) Eccleſiam Cathedralem, pictaſque in feneſtris Imagines, viſendi cupidi, quas tanquam Idololatriæ inſervientes (tales enim Gregi ſchiſmatico habebantur) ſcommatibus innumeris onerabant, à maleficio tamen & injuriâ temperantes; quorum alter, natione *Scotus*, mirari ſeſe perhibebat *poſſe Togatos libris incumbere, à quibus idololatricæ illæ imagunculæ avocarent.* Eadem nocte tumultuatio incidit repentina, nuntiato Copiarum regiarum partem aliquam, ſub Principis *Ruperti* auſpiciis, adventare; quæ tamen confeſtim reſedit, comperto Turmam tantum Parliamentariam adeſſe, *Banburiâ*, vel è locis eidem vicinis, tranſmiſſam.

Septembris decimo quarto (dies ille *Mercurii* erat) *Oxonio* tempore matutino valedixerunt qui primitus advenerant Equites; reliqui autem (ducenti vero plus minus numerabantur) Portâ orientali egreſſi ſunt, Vicecomitem *Say*, Agri *Oxonienſis* Præfectum (nos **Lord Liuetenant of the County** appellamus) ab Ordinibus pridem renuntiatum, excepturi; quibuſcum Urbem ille circa horam quintam veſpertinam intravit, & ad Inſigne *Stellæ* hoſpitatus extemplo edixit, ut complanatis aggeribus (quibus nempe ex tranſverſo viarum ductis *Oxoniam* communierant Academici) Parliamentariis in poſterum obnoxii redderemur. Idem porro, multâ jam nocte, Satellitio ſatis valido cinctus, & prælatis funalibus, ad *Novum* Collegium perrexit, vaſa aurea & argentea bellique apparatum omnimodum exploraturus; inde vero ad *Reginenſes* contendens, Sodalitii portam Cuſtodiâ militari obſepſit, nequis eâdem ante lucem egrederetur.

Septembris decimo quinto, ad *Magdalenenſes* bene mane, ſuorum manipulo ſtipatus, contendebat Vicecom. *Sayus*; eodem quo Collegia prædicta conſilio rimandum deſtinans Sodalitium. Atque ſecundum hæc pulſato per Urbem Tympano volones colligebantur, Regi & Parliamento (velut fronte duriſſimâ præ ſe ferebant Rebelles) Baronis S. *Johannis* ductu militaturi. Eodem tempore *Magdalenenſe*, *Mertonenſe*, *Corporis* ac Ædis *Chriſti* Collegia Armis ſpoliantur; Ciſtaſque Ædis *Chriſti* Decani, penes Dominam *Weekes*, in S. *Ebbæ* Parochiâ, repertas, & vehiculo impoſitas, ad Inſigne *Stellæ* deducunt Sclopetarii. Ad Ædium quoque Doctoris *Thomæ Iles*, ſodalitii noviſſime dicti Canonici, Poſticum, verſus Parochiam S. *Aldati*, collocatur Sclopetariorum manipulus, nequa bona eodem emitterentur prohibiturus. Ad ampliſſimam inſuper illam, è regione Eccleſiæ S. *Aldati*, necnon interiorem quamcunmque Quadranguli latioris Portam, excubias egerunt Sclopetarii; eadem vero nocte in promptuario publico, inque muris pone incruſtationem materiatam reperiuntur vaſa ſodalitii aurea & argentea, & ad Hoſpitium jam ſæpe dictum deportantur. Hinc ad Ædes

Thomæ Smyth, in Parochiâ retro dictâ sitas, profecti Rebelles, Arma, reliquumque apparatum bellicum, vasa quoq; & pecuniam, sedulo exquirebant, sive ad Virum illum sive Togatos quoscunque pertinerent perinde habentes, quod de Collegii *Universitatis* Phialis & Calicibus abunde constat, ibidem repertis & à militibus deportatis. Eodem quasi tempore Habitaculum *Johannis Tudball*, *Chilswellæ* prope *Hinxeiam* positum, rimati, vasa quidem quibus inhiabant haudquaquam deprehenderunt, Arma tamen nonnulla viro auferebant.

Septembris decimo sexto, circa horam quartam pomeridianam, in Campis **Brokenhayes** nuncupatis convenere Cohortes urbanæ, inque Aciem ordinatæ à Diribitore militari coram Vicecom. *Sayo* lustrantur. Eodem die in Custodiâ ad Insigne *Stellæ* detentus est Magister *Humphredus Lloyd*, socius *Orielensis*, de verbis ejusmodi postulatus, malle se si facultates suppeterent Regi libras mille quam Parliamento denarium vel unicum mutuo dare. Carceri quoque ob verba quædam in Rebelles prolata mancipati sunt Magister *Gulielmus Cartwright*, Mag. *Gulielmus Stutevyle*, & Mag. *Johannes Castillion*, ex Æde *Christi*; quorum causæ haud parum obfuit, quod Academicorum Arma nuper gestantium bellicisque muniis insuescentium de numero fuerant; tametsi liberatos post paulo omnes constat, præstitâ pro eorum quovis ducentarum librarum fidejussione, vetitoque ne moras in Academiâ traherent, nisi copiam faciente Vicecomite jam sæpius dicto.

Septembris decimo septimo (dies ille Saturni erat, & mercatum concelebrabant *Oxonienses*) disploso sive casu sive deditâ operâ in officinâ tonsoriâ, è regione Insignis *ursini*, sclopeto obvia lanii Pergula ac deinde Hospitii paries glande transverberatur, & mulieris denique alicujus tibiæ vulnus infligitur. Deprehensi statim sunt in Officinâ præfatâ Scholares tres, quibus ad se protractis magnopere succensuit Vicecom. *Sayus*; atque eo magis quod iisdem cum Tribuno quodam jactabundo, *Staggers* appellato, inque Hospitio antedicto diversante, lites pridem intercessisse intelligeret. Quasnam vero pœnas expenderint noxii parum liquet, præterquam quod in Carcerem detrusi memorentur.

Die proximo (dies ille dominicus erat) Concioni tempore matutino, ad Beatæ *Virginis*, habitæ Doctores tantum duo, iique Medici (nimirum Doctor *Johannes Bainbridge*, & Doctor *Saunders* ex Aulâ divæ *Mariæ*) cum Magistris & Togatis inferioribus paucissimis interfuere; etenim vel *Oxonio* se clam subduxerant, vel ibidem delituere Academici pleriq; omnes, ne de arma pridem gestantibus quæstio institueretur male metuentes.

Septembris decimo nono, (in illum incidit dies lunæ, ab Ædibus suis *Broughtonæ*, haud procul *Banburiâ*) positis rediit Vicecom. *Sayus*, ac post meridiem Libros, & Picturas Templis passim detractas & *Romanensibus* in urbe & Villis adjacentibus ademptas, Superstitionis autem pontificiæ perperam (plurimam saltem partem) insimulatas flammis adjudicavit; quæ quidem igni, ex adverso Hospitii *Stellati*, alibique corrumpuntur. Eodem die *Thomam Dennis*, Pannorum propolam, in Prætorem sibi cooptabant Municipes, repudiato *Nixono*, Aldermanno, Vicecomitis etiam jam sæpe dicti gratiâ & autoritate suffulto: quod dicerent, velle se Prætorem qui in rebus dubiis Oppido haudquaquam evolaret; *Nixonum* utique perstringentes, qui adventante haud ita pridem Equitatu Regio *Abendoniam* se confestim proripuisset.

Septembris vicesimo *Oxonia* variis itineribus abscesere Equites, plerique Parliamentarii, in plures cohortes distributi. Medio quasi die profectionem instituebant *Londinenses*, quos per Plateam *Altam* descendentes vino præ foribus suis liberaliter excepit anni superioris Prætor, perduellium sane gratiam fœdissimis artibus aucupatus; quorum alter è regione Divæ *Mariæ* positus displosâ in Deiparæ *Virginis* Imaginem, sacri Vestibuli fastigium occupantem, bombardulâ globulis binis oneratâ, ipsius infantuli caput quem brachio dextro gestabat Mater, quin & Matris pariter disjecit. Quod ipsi non impune cessit qui rupto sclopeto graviter vulnerabatur. Quin & alius Salvatoris imaginem affabre efformatam, & supra Portam Collegii *Omnium Animarum* positam, globulis plumbeis bombadra emissis impetebat, Opera ibidem sculptilia confringere dein cum congerronibus adortus, Civium vero aliquorum, ac præsertim *Nixoni* (ut perhibent) Aldermanni precibus & intercessione delinitus, & ægre tandem à maleficio prohibitus; siquidem discedens ille inter commilitones mussitabat, infra expectationem acceptos sese ab *Oxonienſibus* fuisse. Eodem die Arma omnia & apparatum bellicum Academicis ereptum, necnon Ædis *Christi*, ejusque Decani, Phialas *Broughtonam* deportandas curavit Vicecom. *Sayus*; qui vasis non nisi occultatis Sodalitium quodvis spoliaturum sese profitebatur, ac proinde (præterquam Collegio antedicto & *Universitatis*) ademta cuivis reddidit, eâ lege ut mandante Parliamento in promtu essent, nullo autem modo in sumtus Regios contra Ordines erogarentur.

Septembris vicesimo secundo *Oxoniam* pervenere Parliamentarii CDL. Sagis cæruleis (unde **Blew-Coates** vocitabantur) induti, qui cum die proximo ad Armilustrium descenderent, motâ seditione contra Ductores suos tumultuabantur. Cæterum hæc fusius persequi non est nostri instituti. At vero ad Collegium *Novum* de nocte profectus Vicecom. *Sayus*, Musæum Doctoris *Pinck* Custodis rimatus est, Chartisque compluribus expoliavit; militi autem gregario graviſſime succensuit, aut succensêre saltem præ se tulit, quod Statuam Regiam ex lapide Alabastrite fabricatam, auroque oblitam, ausu nefando everti ſſet.

Septembris vicesimo quarto, ante meridiem, Præfectos Ædium, quotquot in Universitate adessent, absentium vero Deputatos, ad Hospitium *Stellatum* accersivit; quibuscum de pace Academicâ multis disseruit, turbatam adeo eorum opera criminatus, ut bellorum studio omnia permiscente, Universitatis ne umbra quidem supereſſet. Subtexuit autem, nisi bonâ fide pollicerentur depositâ prorsus militandi libidine res suas pacatas deinceps habituros, valido sese præsidio Urbem firmaturum quod Oppidanos juxta & Togatos in ordinem cogeret. Respondentibus ad hæc nostratium nonnullis, ejusmodi Custodiâ non esse opus, quippe sibi vires suppetere quibus suos in officio continerent, subjecit ille, deposcere tamen se ut Copias aliunde nullas advocaturos, quin siquæ adventarent pro virili propulsuros, constaret. Interponente autem Togatorum aliquo, id quidem sibi factu difficillimum, quod telis ablatis inermem plane Academiam reddidisset; consurrexit *Rogerſius*, *Novi* Hospitii Principalis, & de milite præsidiario magnopere contendebat, Civium insolentiam causatus, quam usque eo increvisse affirmabat, ut viro probo integrum non esset Plateas emetiri, quin *Capiterotundus* audiret, probrisque ac maledictis onerare tur. Hunc in modum re utrinque disceptatâ concionem circa meridiem dimisit Vicecomes, neque certi quippiam aut deliberati habuit.

Septembris

Septembris vicesimo octavo (dies ille Mercurii erat, & jejunio publico assignatus) *Wodstochiam* concessere milites plerique Parliamentarii. A meridie vero *Johannem* & *Matthæum Richardsonos*, de **Grandpont**, in Parochiâ S. *Aldati*, comprehenderunt eorum aliqui, *Oxoniæ* etiamnum commorati; qui prædictos de verbis ejusmodi (*Capite-rotundos omnes male perdat lues, quotquot in Regem suum arma movissent*, &c.) postulatos, tanquam suspendio statim necandos (utriusque enim Collo laqueum injecerant) ad Prætorium pertraxere, habitoque delicti examine in Carcerem **Bocardo** detrusserunt; de postmodo liberandis haud pauci satagebant, maxime vero Magister *Stephanus Bridges* Medicus, qui apud *Johannem Peto*, Equitem auratum, & Ductorem Parliamentarium, obnixe instabat, ut noxios custodiâ eximeret. Hæc ideo potissimum referenda duxi, quod cum incarceratorum vice supplicem sese exhiberet Medicus, ferocissime respondârit Eques, *Malefactis nuperis & Armorum gestatione juribus suis excidisse Academiam; sed neque Religionem jam aut probitatem in Universitate supereſſe.* Nimirum Latifundiis nostris, Perduellium, ut sperabat, Fisco brevi addicendis, ore aperto inhiabat vir bonus; qui die sequente (in illum incidit S. *Michaelis* Festum) præfatum utrumque reum funibus revinctum, & vehiculo impositum secum, *Woodstochiam* ducente, deportari jussit, ubi *Johannem* integræ Legioni flagris mulctandum tradidit, *Matthæo* circa *Wolvercotam* prius dimisso.

Prætermissis quæ ad Cohortes complures Parliamentarias, *Wigorniam* (ubi scilicet Comes *Essexiæ*, Archistrategus, tunc temporis agebat) contendentes, & *Oxoniam* obiter permeantes attinent; referenda veniunt quæ paulo ante Prælium acerrimum ad Collem **Edge-hill**, seu potius in Campis *Keintonianis* XXIII. *Octob.* commissum munimenta moliebantur Cives. Quippe evocatis jam Rebellium Copiis, armisq; spoliatâ Academiâ, omnia sui fore juris arbitrabantur Oppidanorum primores; Militesq; proin Regios (adventuros enim Ductore Principe *Ruperto* fama percrebuerat) Urbe prohibendos cogitantes, ad Portam quamque & posticum postes erigebant, ductisque in transversum catenis adversus Equitum impressiones firmabant; quibus tamen longe secus atque destinârant illi (id enim haud ambiguis rumoribus pervulgatum fuerat) ad pientissimi Regis conservationem usi sumus, *Oxoniâ* nimirum in Belli totius arcem conversâ demum & communitâ.

Vicesimo nono *Octobris* (dies ille Saturni erat) Peditatum omnem huc perduxit Rex *Carolus*, à Prælio mox ante dicto reversus. Regem comitati sunt *Rupertus* & *Mauritius* Principes, cum Principe *Carolo* & Duce *Eboracensi*; exercitus autem incessu militari Urbem intravit, prælatis quæ de Parliamentariis ceperant signis plus minus septuaginta; adeo ut debellatum jam plane cum perduellibus videretur, nisi cæso ingenti peditatus Regii numero pullata quodammodo comparuisset victoria. Regem in *Quadrivio*, ad Sedile **Pennilesse-Bench** dictum, exceperunt, & vi pecuniæ haud exiguâ in fidei & obsequii pignus donarunt Cives; at illum in Æde *Christi* præstolabantur Academici, ubi oratione haud inelegante cum Principibus aliquandiu detentus est, à Doctore *Richardo Gardiner*, ejusdem Ædis Canonico, ac Oratoris publici Deputato, habitâ. *Oxonii*, inque vicos passim finitimos diribiti sunt milites, tormenta autem bellica majora (viginti septem numerabantur) cum Carris vectoriis aliisque impedimentis, in Collegii *Magdalenensis* **Lucum** deferebantur.

Primo *Novembris* (Festum *Omnium Sanctorum* est) Convocatio pomeridiana celebratur, ac Principe *Carolo* in Album Academicum relato, is Magisterio donari dignatus est ut & Dux *Eboracensis*; deinde autem (hoc est die illo proximoque) volente Rege & præcipiente, Doctores in Theologiâ quindecim, Baccalaurei XLVIII. Doctores in Jure Civili (eorum plerique Proceres, Aulici, & Generosi erant) triginta quatuor, Baccalaurei vero quatuordecim; Doctores denique in Medicinâ quinque, Baccalaurei octo; necnon Artium Magistri septuaginta sex, creantur, & Reipublicæ nostræ literariæ participes fiunt, quam quidem insititii quoque postremo dicti egregie cohonestabant, utpote quorum perplures vel Patricii, vel saltem haud vulgaris notæ generosi, erant. Duodecim omitto Baccalaureatu in Artibus donatos; reticendum tamen non est, prædictorum haud paucos, ex occasione tenebrarum, appetente jam nocte ingruentium, fucum Togatis fecisse; quippe cum præsentantium sese manibus ingesserint quorum nomina in Schedulâ Regio sigillo munitâ reperienda non essent.

Die *Novembris* tertio (Jovis is erat) *Readingum* una cum Principe *Carolo* ac Duce *Eboracensi* profectus est *Carolus*, Equitum & Dimacharum (nos **Dragoons** appellamus) turmâ stipatus; Comitibus *Bristoliensi* & *Dorsetensi*, necnon Vicecomite **Andover** & Barone *Digby*, cum copiis nonnullis in Universitatis Urbisque defensionem nobiscum relictis, loci tutelâ fidei Domini *Caroli Gerard* Chiliarchi fortissimi, qui nuperâ in pugnâ vulnus honestissimum ore acceperat, commendatâ. Die proximo, inter quartam & quintam pomeridianam, Arma, Oppidanis auferuntur, Sclopetis, pulvere pyrio glandibusque plumbeis (quibus utique plaustra bina onerabantur) ad Scholas deportatis, inque supremâ Turris Camerâ depositis. Porro in Delectibus habendis & Urbe communiendâ à militibus Regiis desudatum est abunde; in quibus tamen referendis hærendum non duco, cùm ab instituti Operis tramite nonnihil deflectant.

Novembris vicesimo nono (dies hic Martis erat) *Oxoniam* remeavit Regia Majestas, comitantibus Principibus *Carolo* (è variolis ille nuperrime convaluerat) & *Ruperto*; quippe huc ante biduum vel triduum amandatus fuerat Dux *Eboracensis*. In Æde *Christi* dictorum quisque (*Rupertum* si demseris) cum famulitio aulico hospitabatur, quo honore superbivit Sodalitium illud quamdiu *Oxoniæ* ageret Rex *Carolus*. Dies proximus numini precibus ac jejuniis placando destinatus erat, nocte autem insequente Bibliothecæ publicæ januam propemodum expugnabant fanatici quidam tenebriones, in cineres redigendam cogitantes. Sub idem tempus Portâ materiatâ denuo firmatur Pons orientalis, ducto ab eâdem ad Hortum usque *Botannicum* Propugnaculo, in quo collocata postmodo sunt Tormenta bina majora, Rebelles eâ ex parte accessu prohibitura. Vallo quoq; & Fossâ haud procul nuperis Academicorum Munimentis, ultra Ambulachra nimirum *Johannensia* & secus *Septum Novum* aditum Urbis borealem præstruxerunt Regii.

Decembris quinto Plateas obibat Præco feralis Academicus, & Privilegiatos omnes, quotquot familiam alerent, commonefecit, ut virum singuli aliquem ad *Septum novum* amandarent, qui in Aggeribus moliendis operam navaret, qui quidem officio eâ in re neutiquam defuere. Civibus quoque præceptum Munimentis ad Septentrionale S. *Ægidii* latus, Ruricolis vero secus Collegii S. *Johannensis* Ambulachra, insudare; verum Rege propugnacula die

proximo obequitante, non plures duodecim Oppidanorum penſa procurantes deprehenduntur, quorum nomine Centum viginti & duo tranſmittendi erant; qua de re iiſdem ut par erat, haud modice ſuccenſuit Rex *Carolus*, & præſentes propterea objurgavit.

Decembris decimo quinto (in diem tunc Jovis incidit) Edictum Regium calamo exaratum promulgatur, quo Arma de integro, offenſiva (quæ vocant) & defenſiva, Civibus detrahuntur; inque Collegii *Novi* Clauſtris ac Turri reponuntur, ubi ſcilicet magna bellici apparatus copia, velut Bombardæ, Glandes plumbeæ, pulvis pyrius, funes igniculares, &c. adſervabantur. Omne genus frumenti in Scholis Logicæ ac Juris Civilis, reliqua vero res cibaria in Prætorio urbano; Pannus & Saga in Scholis Muſicæ & Aſtronomiæ reconduntur. Pulvis militaris ad Monaſterium *Oſneienſe* confiebat, officina autem Monetaria in Hoſpitio *Novo* collocata eſt. Sed his omiſſis, haud ita multo poſt *Oxoniam* revolarunt Doctor *Fell*, Doctor *Potter*, Doctor *Richardus Baylie*, & Doctor *Frewen*; qui nempe vim interminantibus pridem ob Cauſæ Regiæ defenſionem Parliamentariis latebras quæſiverant.

Decimo *Januarii* (dies ille Martis erat) ad Sodalitia ſingula mittuntur literæ Regiæ, ut Phialas ſuas traderent, in monetam cudendas, præcipientes; quibus morem alacres gerebant reliqui Togati, unico *Novo* Hoſpitio imperium detrectante.

Decimo ſexto *Januarii* Senatus habetur Academicus, in quo palam recitantur [a] literæ, ut libras porro trecentas mutuas Regi *Carolo* daret Univerſitas contendentes, interpoſitâ cautionis loco quæ neminem unquam fefellit quoad facultates ſuppeterent fide Regiâ. Poſtulationi auguſtæ nemo repugnabat, die vero ſequente pecunia è Ciſtâ publicâ deſumta *Johanni Aſhburnham* Armigero in uſus Regios tradita eſt, velut ex [b] Apochâ quæ uſque hodie ſupereſt compertum habeo; die autem primo dicto, monente *Carolo*, Doctores, Magiſtri, & Baccalaurei nonnulli creantur.

Viceſimo tertio *Januarii*, ſecundum Proclamationem regiam (eo nomine Edictum denotant *Angli*) *Oxonii* fervere cœpit Terminus forenſis; Curiâ Cancellariæ, cui jure Cuſtodis magni ſigilli præfuit Baro *Littleton*, in Domo Convocationis habitâ ubi lites nonnullæ diſceptatæ. Curia vero *Requeſtarum* quam vocant in Scholâ Naturalis Philoſophiæ celebrata eſt, ubi in ſpeciem tantum aliquandiu conſedit *Thomas Aileſbury*, Eques auratus, Magiſtrorum alter; neque enim Cauſæ aliquæ eventilandæ tunc temporis comparuere.

Primo *Februarii* die, qui Mercurii erat, *Oxoniam* veſperi intrabant Eſſedis quatuor aut quinque vecti *Northumbriæ*, *Pembrochiæ*, *Hollandiæ*, & *Sarisburiæ* Comites, cum aliis quibuſdam octo, Plebis in Parliamento Delegatis. Hi vero ineundæ cum Rege *Carolo* pacis Articulos adferebant, quos horâ quaſi octavâ veſpertinâ accerſiti tradiderunt. Die proximo eorum nemo vel in Aulâ Regiâ vel alibi comparuit, an quod à Feſti *Purificationis* celebritate abhorrerent non dicam; cæterum à meridie convenerunt Doctores Academici, & Cancellarium noſtrum *Pembrochienſem*, in Ædibus Doctoris *Bainbridg*, è regione Eccleſiæ Collegii *Mertonenſis*, habentem adibant; quibuſcum collatis ſermonibus, velle ſe ajebat ut Vicecancellariatu in alterum annum fungeretur Doctor *Tolſon*. Addidit etiam, peſſime quidem literatum eſſe ſe, ſed neque propter turbantem tunc temporis Rempublicam operam ipſi utilem navare poſſe, preces tamen addicturum, & compoſitis demum Regni tumultibus momentis omnibus invigilaturum quibus Academiæ prodeſſet; precatum quoque ferunt, *ut Regios oculos aperiet Deus, quo Lucem Parliamentariam intueretur.* Eodem tempore ſupplicem virō Libellum obtulere Togati, ut ſuâ vice apud Regem ſuper hiſce Capitibus inſtaret efflagitantes. 1. Ut Regimen Epiſcopale & Eccleſiæ *Anglicanæ* Diſciplinam contra Schiſmaticorum omnium aggreſſiones & inſidias tueri, ac Epiſcopis Eccleſiiſque Cathedralibus Latifundia & Proventus ſartos tectos reddere vellet *Carolus*. 11. Ut Privilegiis Academicis, à Deceſſoribus illuſtriſſimis jam olim indultis, ſuoque nuper Diplomate confirmatis proſpiceret; quippe quæ à Municipio vicino proculcata pridem, vel ſibi eſſent arrogata. Petitum deniq; ut Senatus conſultum in Academicæ gratiam impetraret ipſe, quo nempe declararent Comitia Statutum nuperum, ne factis ordinibus initiati juriſdictionem quam vocant ſecularem exercerent edicens, ad Academicos haudquaquam pertingeret; quoniam ſcilicet poteſtatem ſuam non diplomate aliquo, ſed ex Chartis plurimis, Regum multorum authoritate Scitoque Parliamentario corroboratis, acceperant Vicecancellarius & Procuratores; aliter enim Univerſitatis adminiſtratione, Theologos quibus erat antiquitus permiſſa, ſpoliandos iri. Hæc inquam petitionis togatæ ſumma erat, quam tamen Regi nunquam porrexiſſe *Pembrochienſem* argumenta quædam è criminibus eidem proximo anno intentatis (tunc enim quaſi diuturnioris Imperii mala præſentirent Academici, depellere de Cervicibus ſuis Cancellarium nitebantur) deſumta ſuadent.

Tertio *Februarii* gratias Numini, in Eccleſiâ Ædis *Chriſti* Cathedrali, inter preces veſpertinas concelebrandas, ob *Cirenceſtriam* (*Corinium Ptolemæo* nuncupatur) à Principe *Ruperto* expugnatam, jubente *Carolo* Regum piiſſimo egimus. Ibidem vero *Tolſonus* Vicecancellarius, ob majorem rei ſolennitatem; vix enim deinceps factum, magnâ Doctorum purpurâ ſplendentium frequentia interfuit; non aliis autem verbis quam haud ita pridem ob victoriam *Keintonianam* Deum collaudavimus, Antiphona tamen ſolennis interpoſita eſt in hæc Regii Pſalmiſtæ verba; *Collocabis in Capite ejus Coronam ex auro puriſſimo, &c. & ſuper Caput ipſius Corona ſua florebit*; &c.

Quotidianis eorum quos regiæ commendarent literæ ad Gradum quemcunque promotionibus laſſata demum Univerſitas, frequentem viceſimo primo *Febr.* Senatum coegit, in quo Vicecancellarii & Præfectorum [d] libellus ſupplex, Regi contra Gradus temere & quaſi fortuito conferendos porrigendus, palam recitatur. Hi vero damna nobis neceſſario facienda *Carolo* ob oculos ponebant; Actibus utique & Exercitiis quibuſque Scholaſticis in deſuetudinem abeuntibus, vel etiam omnino deletis, Ærarium Academicum exinanitum fore, reſtinctis quoque magnorum Ingeniorum ſtudiis, ſummâ Univerſitatem infamiâ laboraturam edocentes: accepto autem ſupplici illo Togatorum Libello tunc quidem oſtendit Rex quam vere & animitus bonarum literarum curam ageret, quamvis enim & opibus & authoritate haud adeo abundanti percommodum videretur fidem ſuorum & officia Honoribus Togatis remunerare, ſtatuit tamen & edixit nequis Gradum Academicum in quæſtum ambiens literas ſuas commendatrices deinceps expe-

[a] *In Reg. S. p.* 14. [b] *In Pix. β. ut ſupra.* [c] *Ib. in β.* [d] *In S. ut ſup. p.* 21. *& in B.*

ctaret

ctaret; quod si cuiquam concederentur, ad locum inter Academicos quem expeteret habilem sese & idoneum secundum Statuta probaret, cautionem de præstandis exercitiis interponeret, & feuda consueta persolveret; aliter nullam literarum suarum habendam esse rationem.

Vicesimo quinto *Februarii* Vicecancellarium *Tolsonum* adiit Doctor *Richardus Steward*, gratias Regio nomine propter operam in Aggeribus Fossisque absolvendis strenue navatam Academicis acturus, utq; continuatâ industriâ segnitiem eâ in re urbanam resarcire maturarent efflagitaturus; quâ postmodo ex parte vota regia vel superasse comparuerunt assidui nostratium sudores.

CIↃDCXLIII.

Septimo *Aprilis* (dies hic veneris erat) ad Regem in Ædе *Christi* agentem citantur *Oxonienses* tum Privilegiati tum Oppidani, qnotquot nimirum familiam alerent; intromissisque, ad eundem, in sanctiori Senaculo (id apud Domum Canonicorum Capitularem celebrabatur) cum Baronibus confidentem, Prætore, Aldermannis, & eorum Assessoribus, propositum est consilium Regium de Urbe utriusque Municipii impensis præsidio satis valido firmandâ, siquando *Carolum* abscedere contingeret. An haud gravate assenserint Cives minus quidem constat, militibus tamen præsidiariis stipendia dein constituta non dubito, cum lites inter eosdem (tributum privilegiatis irrogantes) & Nostrates postmodo intercesserint; quæ cùm Baronibus aliisque ad res bellicas consiliariis regiis dijudicandæ permitterentur, argumentis pluribus & Chartarum nostrarum indiciis palam fiebat, privilegiatum neminem ejusmodi taxationibus obnoxium esse; quibus à consessu illustrissimo approbatis secundum Togatos ferebatur sententia; quod in *Maii* decimum sextum cadit.

Aprilis decimo sexto (dies ille dominicus erat) dum ad sacram Concionem solenni Campanæ pulsu convocarentur Academici, chartula quædam *Virginis* deiparæ ostio boreali affixa est, Quæstiones hasce, una cum Inscriptione, characteribus *Italicis* pulchre exaratas complectens:

Quæstiones discutiendæ in Schola [a] *Jurisprudentiæ die* XIX. *hujus Mensis.*

An militia Regni sit malitia Parliamenti? neg.

An Protestatio Parliamentaria sit deterior juramento cum &c. neg.

An Ecclesia pura Scoticana debeat esse moderatrix corruptæ Ecclesiæ Anglicanæ? aff.

Respondente Alexandro Henderſono Scotorum *Commissario.*

Opponente quicunque vult.

Cæterum schedulam illam infamem, probi cujusque sobriique animum exacerbantem, à meridie detraximus, quo tempore Verbum annuntiavit Doctor *Johannes Oliverus*, è Coll. *Magdalenensi.*

Aprilis decimo nono [b] Programma, Regio nomine munitum, publicis passim Portis murisque affigitur, quo cujuscunque conditionis *Oxonienſibus* mandatur, ut Bombardas, Hastas, funes igniculares, & siquam Pulveris bellici vim possiderent Armamentario confestim inferrent, accepto de allatorum copiâ Syngragho præfecti fiduciario. Cum huic Edicto perpauci obtemperarent, proclamatum [c] per Præconem, XXII. dicti Mensis nomine Regio est ut *Gladios*, Loricas, Galeas, &c denique, quicquid sibi ad apparatum bellicum pertinens suppeteret, ad Collegium quisque *Novum* deportaret, quo scilicet *Readingum* brevi (quod jam cogitabat) ducente *Carolo*, *Oxonienſium* incolumitati & à Rebellium aggressionibus defensioni tempestive consuleretur; atque mandatis hisce morem plerique omnes gesserunt, Armis velut præceptum erat in Sodalitio prædicto propediem depositis.

Propugnacula sub hæc ad fastigium spectabant; aliis porro quibusdam in Parochiâ S. *Clementis* hac tempestate inchoatis; quorum omnium Author erat ac Delineator *Richardus* quidam *Rallingsonus*, Artium Baccalaureus, è Collegio *Reginensi*, qui Typo Munimentorum omnium accurate depicto, Regiq; oblato, Magisterio, allatis eam in rem [d] literis *Carolinis*, Mense *Octobri* ornatus est. De primis loquor munimentis; quæ enim postea extruebantur *Beckmannum* Architectum habuere.

Quinto *Junii* Vicecancellario præcepit Rex, sanctiusque ejus Concilium, ut coactis Sodalitiorum Præfectis denuntiaret, habito Academicorum omnium censu suis quisque, annum decimum sextum attingentibus nec sexagesimum supergressis, ediceret, uno aliquo cujuslibet hebdomadæ die in fossis & Aggeribus laborandum esse; solido uno operis ejus vices detrectantibus in delicti cujusque pœnam irrogato. Eodem die Plateas vicosque urbanos Luto ac Sordibus oppleri advertentes Delegati regii, consultissimum habebant à Vicecancellario deposcere, ut Cœnivectoris publici stipendium duplicaret, quod illi utiq; ex immensâ tum hominum tum Jumentorum frequentiâ opera esset geminata; præcauto nimirum opus esse arbitrabantur, ne vitiato à stercore urbano aere morbus Epidemicus, prorumpere jam tum occipiens, incrementa sumeret, viruſque passim diffunderet. Traditum quoque eodem tempore est mandatum [e] alterum, quo Præsidibus Academicis injungitur, ut Togatorum qui Regi sponte militarent nomina describerent; id autem à Comite *Bristolienſi* Vicecancellario primitus significatum, scriptis vero dein propalatum comparet, appositis Procerum aliquorum nominibus. Cæterum quo delectus ille majori cum fructu haberetur, literæ [f] Regiæ, septimo dicti mensis datæ, Vicecancellario deferuntur, quarum hæc erat summa:

Ex maturâ nimirum deliberatione *Carolo* videri quod ad Comitatus, Academiæ, Urbisque *Oxonienſis* defensionem majori bellatorum manu quam quæ ab ipso suppeditari commode posset opus foret; quapropter decrevisse ipsum, Agri, Universitatis, Urbisque securitati simul operæque compendio consulentem, ut Vicecancellarius, Æ-diumque Præfecti Academicorum numerum inirent, qui, si quando necessitas exigeret, apti essent & habiles ad Urbem istam propugnandam, non aliò utiq; contra perduelles ducendi. Atque velle propterea se & edicere, ut primo quoque tempore Academicos ejusmodi in Catalogos referrent, subductis etiam armorum quæ possiderent calculis; etenim quæ ad bellicum deessent apparatum à se fore submini-ſtranda, ipsis ad munia militaria opportune exercitatis, &c.

Hæc autem post paulo executioni sunt mandata, concenturiatis brevi Togatis & in cohortes ordinatis.

Diebus decimo quinto, & decimo sexto præfati

[a] Repositorium tunc temporis frumentorum & caseorum erat. [b] *Ibid. in β.* [c] *Ibid.* [d] *S. p.* 37. [e] *Ibid. in β.* [f] *Ibid.*

Mensis

CIↃDCXLII.

Prætermiſſis literis quas ad Univerſitatem dederat Regia Majeſtas (quatuordecim vero plus minus fuiſſe conſtat) Chartas nempe aliquas libroſq; (diſſenſionis ſibi cum Ordinibus coortæ Capita præcipua complectentes) typis *Oxoniæ* mandandos inq; lucem edendos concredens; Tabellas *Carolinas* ad Doctorem *Prideaux* Epiſcopum *Wigornienſem*, & Vicecancellarium Academicum, datas, & in Senatu togato, undecimo *Julii* celebrato, palam perlectas, exhibebo: ſic autem [a] ſe habent ſi latine vertantur.

„ Reverende in Chriſto Pater, fidelis & admodum „ dilecte, ſalutem tibi plurimam impertimus. Cùm „ ſub obtentu falſo & per calumniam excogitato „ (quem utique talem eſſe tam factis noſtris quam „ Declarationibus, & ſpeciatim Declaratione illâ „ Baronum noſtrorum & Conſiliariorum, nobiſcum „ hic loci præſentium apertum fecimus) ſtatuiſſe ni„mirum nos bellum Parlamento noſtro inferre, Equites „ colligantur, vaſaque aurea & argentea necnon pe„cunia contra nos etiamnum ultro deferantur; De„clarationibus noſtris & Edictis, quibus ne id fieret „ prohibuimus, nil quicquam obſtantibus; adeo ut „ ex debito incolumitatis ac dignitatis noſtræ, necnon „ pacis publicæ, intuitu, fidelium noſtrorum ſubdi„torum opem in neceſſariam noſtri defenſionem de„poſcere cogamur: porro, cum non modo pernicio„ſorum eorum & illicitorum Conſiliorum effectibus „ involvendam perinde ac ſubditos reliquos iri conſtet „ Univerſitatem *Oxonienſem*, verum ob ſtudium & „ patrocinium ejuſmodi literarum proſeminiis perpe„tuo præſtitum ſperare oporteat eandem ſaluti invi„cem noſtræ impenſius invigilaturam, operamque „ tuendis nobis & conſervandis peculiarem adhibitu„ram: per has itaque velle nos & præcipere ſignifi„camus, ut Univerſitati noſtræ, eâ quâ rebus noſtris „ conſulturum te maxime credideris ratione, notum „ facias, quaſcunque pecuniæ ſummas vel Collegium „ noſtrum quodvis ex Ærario ſuo, vel Academicus „ aliquis è fortunis privatis, ſponte accommoda„ bit, & Doctori *Rich. Chaworth*, literarum earum „ Tabellario, numerabit, deque numeratis Apocham „ accipiet, officii gratiſſimi loco reponendas à nobis „ fore, necnon cum annuo librarum octo pro ſingulis „ centenis fœnore, ſine dolo malo morâve redden„das, ubi primum Deo videbitur miſeri hujus Regni „ turbas componere, quarum culpam penes nos mi„nime reſidere intemerata eâ ex parte conſcientia „ teſtatur. Quapropter quin fidem & amorem erga „ nos ſuum hac in re patefecerit Academia noſtra, „ tuque gnaviter ſategeris ne officiorum eorum fru„ctus tarditate corrumpatur, haudquaquam dubi„tantes, valere ex animo jubemus.

Dat. ad Curiam noſtram
Eboraci ſeptimo *Julii*.

His palam recitatis uno omnium conſenſu in Convocatione ordinatum eſt, ut pecunia omnis publica, ſive in Ciſtâ illâ Mathematicâ *Savilianâ*, ſive in *Bodleianâ*, ſive denique in Academicâ dictâ, adſervata Regi mutuo daretur. Finitâ Convocatione Ciſtam adeunt Academicam ejuſdem Cuſtodes, libraſque DCCCLX. *Chaworthio* præfato tradunt, atque is ſyngraphan [b] ſtatim de accepto conſcripſit iiſdemque dedit; pecuniæ vero ſummam quod attinet Collegiatim aut viritim Regi *Carolo* accommodatam, nullibi, quod ſciam, commemorata occurrit, officio autem neutiquam defuiſſe vel Sodalitia, vel Togatum quemque opulentiorem, ex edicto illo Ordinum abunde conſtabit.

12 *Julii* 1642.

Quoniam nos Proceres & Plebei in Parliamento congregati cognitum habemus, quod ex fœdere & conſpiratione multorum tum Academicorum tum Civium *Oxonienſium* impeditiones plures & dehortamenta uſurpari conſueverunt, quibus pecunia à Parliamento in Regni tutelam colligenda interpelletur; quodque Doctor *Johannes Prideaux*, Epiſcopus *Wigornienſis*, Vicecancellarius Academicus, Doctor *Samuel Fell*, Ædis *Chriſti* Decanus, Doctor *Acceptus Frewen* Collegii *Magdalenenſis* Præſes, Doctor *Chriſtophorus Potter*, Collegii *Reginenſis* Præpoſitus, contra fas & Leges vaſa aurea & argentea, & theſauros Univerſitati & Collegiis ſubtrahere, ac *Eboracum* tranſmittere ſategerunt, fovendo nempe contra Parliamentum atque Regnum integrum bello, & Religioni populique Libertati in ſummum diſcrimen adducendis; quodque in Conſilii hujuſce, & cogitati nefarii fucum & integumentum, Convocationis ejus conſenſum obtinuerunt, quo dictæ Univerſitatis Theſaurus ad Regem amandetur:

Per hæc itaque declaramus Collegia præfata ejuſmodi Convocationis Decreto haudquaquam adſtringi, utpote ex naturâ ſuâ illicito, & in Collegiorum Fundationes injurioſo, ac ratione metæ in quam collimat adverſus Deum & Rempublicam infido; necnon participes ejus, authores, & adjutores pœnis gravioribus obnoxios ſe dediſſe, & quæſtioni propterea ex Lege ſubjiciendos iri.

Quapropter, quo Regnum conſervetur, & celeberrima illa Univerſitas ab occaſu & interitu vindicetur, ſtatuimus & mandamus ut Gubernatores ac Socii, in ſuo quiſque Collegio, ab illicitâ illâ & ſceleratâ machinatione ceſſent & abſtineant, & vaſa aurea & argentea necnon pecuniam, in tuto alicubi confeſtim deponant, acceptâ fiduciâ, nobiſque certioribus factis quorum fidei concredantur; utq; prædicti Doctor *Prideaux*, Doctor *Fell*, Doctor *Frewen*, & Doctor *Potter* comprehenſi ad nos deducantur, Flagitii hujus ingentis, inſidiis paci publicæ ſtructis admiſſi, poſtulandi; Sociis & Scholaribus prædictæ Univerſitatis arctius injungentes, ut quo minus vaſa aliqua aurea vel argentea deportentur obſiſtant & prohibeant, volentes autem & Prætori aliiſque Urbis *Oxonienſis* Magiſtratibus edicentes ut iis ſubſidio ſint, quâ in re Parliamenti viribus defendentur.

Decretum porro authoritate prædictâ, quod Excubiæ & exploratores in viâ quavis prætoriâ prope *Oxoniam*, necnon per Comitatus *Oxonienſem*, *Warwicenſem*, *Northamptonenſem*, *Leiceſtrenſem*, *Gloceſtrenſem*, *Darbienſem*, *Nottinghamenſem*, & *Lincolnienſem*, ſedulo inſtituantur, quo ejuſmodi vaſa *Eboracum*, fovendo contra Parliamentum bello tranſmitti deſtinata intercipiantur, & in tuto cuſtodiantur, donec qui eadem interceperint Parlamentum ejus rei certius fecerint, & ulteriora à nobis mandata perceperint. Atque utile hoc officium

[a] *In Reg. Convoc. S. p. 6.* [b] *Ibid. p. 7.*

cumulate

„cumulate habebunt compensatum, & indemnes „Domus utriusque Parliamentariæ viribus ac autho„ritate conservabuntur.

Henricus Elsing Cler. Parliam. Com. — *Johannes Browne* Cler. Parliamentorum.

Id Edicti *Oxoniam* detulere *Jacobus Stanforth* & *Richardus Careless*, *Johannis Hunt*, Armigeri (Serviens ille ad Arma, quem vocant, erat, & Consessus Parlamentarii inferioris Lictor) Deputati; unde Regiis fautoribus bene multis negotium haud modicum facessitum est. Suorum itaque curam agens *Carolus* atque Ordinum tyrannidi obviandum ratus, literas plures transmisit, quarum primæ [a] in *Palatio Beverleiensi*, decimo octavo *Julii* conscriptæ ad Doctorem *Prideaux* dabantur (in Senatu Academico deinceps propalatæ sunt) atque sic se summatim habuere. Ab Universitate suâ *Oxoniensi* amplissimum se amoris indicium percepisse, pecuniæ summâ plane prægrandi mutuo sponte datâ; ob quam ut prædictæ Universitati gratias Regias suo nomine ageret jubere. Porro inaudisse se Academicos nonnullos de facto illo, fidei & observantiæ pleno, ad Ordines citari; velle itaque se ac edicere ne accersentibus morem gerant; incumbere enim sibi arbitrari illos omni operâ tueri ac protegere, qui non aliâ de causâ pessime habeantur, quam quod partium suarum sequaces, in salute regiâ propugnandâ enixe laborassent.

Literæ [b] secundæ, eodem quo prædictæ die conscriptæ, ad Militiæ Præfectos Agro *Oxoniensi* assignatos dabantur, (illi **The Commissioners of Array** vulgo audiunt) quibus præceptum est ut Academicis ob testimonium fidei præfatum periclitantibus omni studio subvenirent, & ubi primum innotesceret vim aliquam aut insidias *Oxoniæ*, injussu Regio, intentari, eodem illico cum armatâ manu, quanta propugnandæ Urbi inq; Regem bene animatis defendendis & spe haud incertâ erigendis sufficeret, properarent.

Tertiæ [c] à Rege *Carolo Nottinghamiæ* agente, ad Vicecomitem *Oxoniensem*, Vicesimo secundo *Julii*, transmissæ sunt, eodem propomedum tenore ac novissime dictæ; quippe de tuendâ pro virili Academiâ ope illâ quam *Posse-comitatus* appellant præcepta unice complectuntur.

Quartæ [d] ibidem etiam, ac eodem die, ad Prætorem *Oxoniensem* dabantur, protegendos quam maxime sedulo Togatos mandantes; & non tantum ne Edicti alicujus Parliamentarii specie Academicum quemvis ob subministratam Regi pecuniam comprehenderet vetantes, verum ut Subditos fidissimos ab ejusmodi injuriis strenue defenderet, sceleratâ maleficorum tyrannide quoad posset propulsatâ, diserte præcipientes. Sic *Oxoniam* gentis *Anglicanæ* lumen, earam pariter habuit optimus princeps, ac oculos suos. Cujus insuper summæ solicitudinis in res nostras, egregia specimina alia inferius dabuntur.

At vero sub hæc mirum in modum *Oxoniæ* trepidatum est, personam jam (quod sani omnes & prudentes dudum præsenserant) deponente Parliamento; nimirum ficto *Catharorum* ob vacillantem Religionem metu, in Rebellionem apertissimam prorumpente. *Roberti* Comitis *Essexiani* ductu militabant fœderatorum copiæ, quibus mature debellandis Edictum Regium, *Eboraci*, nono *Augusti* excusum, prodierat, quod nobiscum decimo tertio Mensis ejusdem, in quem dies Saturni incidit, per Præconem divulgatum est. Ad arma itaque respiciebant Academici, non nisi sagi præsidio in tuto fore Togam prævidentes, quos ad approperandum belli apparatum urgebat fama constantissima, de Cohortibus Parliamentariis per hunc Agrum propediem ducendis, utpote quæ *Banburiæ* & *Warwico* Militibus jam pressis subsidio mitterentur. Quapropter Privilegiatos omnes ad Scholas convenire jubet Doctor *Pinke*, Provicecancellarius (siquidem Academiæ se clam subduxerat *Prideauxius*, iræ Parliamentariæ rabiem declinandam ratus) ut sua profiterentur nomina, atque ibidem porro Scholarium haud exiguus comparebat globus, sclopetis hastisque è Sodalitiorum passim Armamentariis (quæ quidem vacua jam penitus non erant) desumptis instructus. Decimo octavo *Augusti* (dies ille Jovis erat) à Scholis per Plateam *Altam* ad *Quadrivium* & inde ad Ædem *Christi* progressi (ad quadringentos circiter) in Collegii Quadrangulo in procinctu constitere, Armorum usum, ordinum militarium formas, & decurrendi leges, aliaque tyrocinii munia obire condiscentes, prospectantibus per fenestram ne internoscerentur Militiæ Regiæ Præfectis, quotquot nimirum liberi essent, *Lovelacio* & *Wilmotto*, Baronibus, (Delegatos enim reliquos huic Agro assignatos prope *Watlingtonam* comprehenderant Rebelles, neq; propterea in publico comparere satis tutum fore credebant qui etiamnum supererant) sub horam vero quintam præludiones bellicas interpellabat pluvia, & ad Scholas eadem qua advenerant via regressi dimittuntur Academici.

Die Saturni proximo in Scholis, tempore matutino, convenere copiæ Academicæ, & per vicum **Halywell** ac Mansionis (**the Mannour-House** nuncupamus) Aream anteriorem in *Septum novum* (**New-Park** vulgo appellatur) procedentes, in Cohortes quatuor à Ductoribus, (eorum primus erat *Gulielmus Holland* filius Doctoris *Thomæ Holland*) distribuuntur, quarum binas Sclopetarii, tertiam Hastati, quartam vero Bipenniferi conficiebant, ad imperia dein militaria, & armorum usum informandi. In aciem ergo producti, & decursionibus ad prælii simulachrum aliquamdiu manus conferentes, egregiâ qua fuerant docilitate præditi cito veteranorum propemodum peritiam æmulari videbantur. Demum horâ quasi secundâ pomeridianâ in Urbem reducuntur, secus Ecclesiam S. *Ægidii* & per Portam Borealem ad *Quadrivium* **Quatervois**, atque inde ad Scholas, tendentes; quo scilicet Oppidanis juxta & Ruricolis (frequentes enim distrahendis in Plateâ altâ mercibus illo die aderant) metum incuterent, & à Rebellium partibus absterrerent. Referendum sane venit in æternam fidei erga Principem Academicæ memoriam, nomina graduatos perinde ac recentiores ultro dedisse, sed nec quamcunque militandi conditionem detrectasse; siquidem Artium Magistri bene multi, Theologi autem nonnulli conscripti sunt, & *Thomas* quidam *Read*, Juris Civilis Doctor è *Novo* Collegio, ut alios mittam, gregarius miles inter Hastatos merebat; Tympana vero & Vexilla quod attinet, à ludicrâ illâ, at tamen satis solenni Coquorum pompa quæ in Festo *Pentecostis* celebrari solita est, accepta habuimus.

Secundum hæc, via publica cis pontem Orientalem, ad Angulum nempe Collegii *Magdalenensis* Euro-Australem, Trabes aliaque impedimenta obecimus, Rebellium scilicet Equitibus ingressu prohibendis; fabricatâ etiam Porta Ligneâ, quæ, siquan-

[a] *Ib. in S. ut supra* [b] *In Tur. Schol. in pix. β.* [c] *Ibid.* [d] *Ibid.*

do opus esset, inter truncos præfatos ipsumque Collegium catenis firmata erigeretur, aditumque Plaustris & Equis Commeatum Urbi invehentibus præberet. Magna porro lapidum vis in Turris *Magdalenensis* fastigio deponitur, nec enim talibus armis, ubi potiora deerant, uti pudebat, hostium copiis munimenta inferius expugnaturis, si id forte molirentur, desuper infundenda; Portam vero *fabrilem* catena ferrea in transversum acta muniebat. Hisce absolutis, ad extrema *Johannensium* Ambulachra juxta **Newpark** munimentum arcuatum ex transverso viæ publicæ ducitur, Rebellium eâ ex parte insultus repressurum; atq; ibidem juxta & ad Pontem orientalem sedulo admodum singulis noctibus agebantur Excubiæ.

Die Saturni qui *Augusti* vicesimus erat, Scholares & Privilegiati ad quadringentos plus minus & quinquaginta in *Septo*, quod prædiximus, *novo* denuo comparebant, & pugna umbratili, sed ad seria ducenti, in officia quævis bellica exercebantur; quibus tam feliciter assuevere Academici, ut Ductores, aliiq; ibi tum forte præsentes veterani, mirabundi agnoscerent promtam discendi facilitatem; tamque alacres fortissimorum juvenum manipulos neque in *Anglia*, neque alibi uspiam, reperiendos esse solenniter affirmarent. Appetente vesperi, cum ob ingruentem pluviam perstare diutius in Campis non liceret, in Urbem revertuntur, per S. *Ægidii* Parochiam & Candidæ Foslæ (**Canditch**) vicum ad *Novum* Collegium progressi. Fama percrebuerat velitationibus Oppidanos quoque eodem tempore ad prælia fuisse informandos, quo nempe constaret arma Nostrates & reliquum belli apparatum à Civibus nequaquam mutuari (ejusmodi enim suspicio malevolorum quorundam artibus dimanârat) cæterum neq; id una cum Academicis, neque alibi die illo, præstitum est; an quod consultius videretur æmulationi truculentæ inter Copias haud adeo concordes fortean suborituræ ansam præcidere, an quod à Delegatis suis in Parliamento confidentibus admoniti essent Oppidani (id enim, neque incertis autoribus, percrebuerat) ut ab ejusmodi exercitationibus abstinerent, ne Cohortes Regi instruere haberentur.

Augusti vicesimo quinto (dies ille Jovis erat) ab octavâ quasi matutinâ ad meridiem usque muniis militaribus, in Campis jam sæpe dictis, insuescebant Academici; atque postmodo ad Collegium *Novum* remeantes (vexillationes autem octo vel decem numerabantur) & in Sodalitii Quadrangulo ordinati, dimittuntur.

Augusti vicesimo octavo, in quem dies incidit dominicus, *Oxoniam* nocte intempestâ intrabant Equites Regii plus minus ducenti, ductore D. *Johanne Byron*, Equite aurato, qui Baro postea ob merita factus. *Brackleiâ* huc accessisse feruntur, Copiis Parliamentariis ibidem ex mandato Baronis *Erook* collocatis è manibus elapsi, ac tantum duobus vel tribus suorum è numero desideratis, amissis autem libris quadringentis, quas in Equo sarcinario asportabant; ad Urbis nostræ partem Borealem, vallo nuper, velut mox ante dictum, munitam, tantum non pervenere, cum qui in excubiis primis erant displosis sclopetis adventare hostem monebant. Unde ad arma conclamatum, tantaque ex re novâ simul & inopinatâ (Classico enim jam primitus post Belli Civilis primordia territi sunt *Oxonienses*) Academicis perinde ac Oppidanis injecta est trepidatio, ut neque explorato Regios esse & amicos statim evanuerit; vocibus dubiis & inconditis metum adhuc prodente vulgo, undâque populari post pacatos ventos etiamnum fluctuante.

Die proximo post meridiem ad Insigne *Stellæ* in Parochiâ S. *Michaelis* sclopetariis quibusdam & Bipenniferis stipati, proficisci decrevere Provicecancellarius, Doctor *Pinke*, & nonnulli Sodalitiorum Præfecti; dictarum nempe turmarum Ductores compellaturi, & quænam essent Regis mandata edocendi. At vero Togatis prope ipsas Scholas occurrebant illi, unaque in Apodyterium Domui Convocationis conjunctum, atque Cœtibus per hæc tempora militaribus assignatum, contendentes, literas regias explicuere, integramque demandati imperii rationem (quam infra edocebere) aperiebant. Ea nocte præcipua militum statio, **the Court** de **Guarde** appellata, in *Quadrivio*, ad locum **Pennileste Bench** dictum, habita est; excubias consuetas agentibus Academicis, Equitum nonnullos sibi in subsidium adhibentibus.

Die Martis ob imbres continuos ab armis tractandis abstinuerunt Academici.

Die Mercurii (is *Augusti* noviissimus erat, ac jejunio publico & supplicationibus assignatus) in *Septum novum* post Concionem pomeridianam ducuntur, & ad militarem disciplinam informantur.

Septembris primo Academici aliquot cum Equitum prædictorum nonnullis Pontem saxeum arcuatum in viâ *Botlegiam* deducente positum, ac fluento ad Molendinum *Osneiense* decurrenti instratum, demoliri nitebantur; consilium enim erat pontem versatilem fabricare, copiasque Parliamentarias *Abendoniâ* vel aliunde adventantes aditu in Urbem prohibere. Cæterum id ubi Oppidanis, muniis militaribus ad **Brokenhayes** secus Aulam *Glocestrensem* insuescentibus (pedites autem quadringentos vel etiam plures numerabant) nuntiatum est, Commeatum sibi præcludendum iri causati manipulos quosdam transmisere qui Nostrates operi jam accinctos interturbarunt, ne pontem ullo modo diruerent vetantes. Cessarunt quidem Academici, atque eo lubentius quod id neque ex alterutrius Municipii præcepto aggrederentur, tametsi & Parochiam Divi *Thomæ* & Pontem prædictum extra ditionis urbanæ limites jacere satis constaret.

Eodem die Senatus Academicus à meridie celebratur, in quo literæ Regiæ binæ palam recitantur quarum primæ, decimo octavo *Julii* exaratæ, gratias Togatis propter mutuas quas retro diximus pecunias agebant (hæ typis postea nisi me fallo mandatæ sunt) alteræ vero, è Curiâ Regiâ in Cœnobio *Stoneleiensi* habente vicesimo secunda *Augusti* datæ, *Carolum* turmam equestrem sub D. *Johannis Byron*, Equitis aurati, auspiciis transmisisse significabant, firmandæ contra Rebellium insultus Universitati; cujus beneficii memoriam æternam fore spondebant Academici, literis quibusdam latinis primo *Septembris* die conscriptis, & ad Regem amandatis. Eodem tempore nominantur Delegati, qui in commune consulentes de honorario Equitibus colligendo, ac Armis comparandis, (quibus utique Nostrates vires cum prædictis sociantes, instruerentur) consilia agitarent, concessus *bellicus* nuncupati. Eodem die post meridiem in *Septo novo* convenere Cohortes Academicæ, haudquaquam vero decurrebant, habito tantum à *Eyrono* ejusque Locumtenente, necnon Vicecomite *Andover* aliisque Officiariis, Armilustrio. Hinc ad Collegium *Novum*, circa horam sextam vespertinam, regressi in Aciem ordinantur, & positis armis ad suum quisque Sodalitium dimittuntur.

Secundo *Septembris* infra privatos passim Collegiorum muros ad Officia militaria exercentur Academici, velut speciatim Ædis & *Corporis Christi* Alumni in Sodalitii primo dicti Quadrangulo. Eodem die Sagittis barbatis instruuntur Scholares centum,

tum, Equitatum hoſtilem, ſiquando Urbem adoriretur, infeſtaturi.

Septembris nono patuere demum fraudes urbanæ; ſiquidem Academicis nuntiatum eſt, licet polliciti fuiſſent Cives conjunctis propediem copiis impetus quoſcunque Parliamentarios pro virili eſſe propulſaturos, cum Ordinibus tamen clam nuper egiſſe, pœnaſque deprecatos culpam omnem in Togatos deoneraſſe, quorum nempe ſuaſu, contra propriæ Voluntatis motum, in partes regias pertractos ſeſe perhibebant. Fama quoque percrebuit, exercitum, huc brevi miſſuros Rebelles, excuſſiſque Regiis Equitibus Academiam caſtigaturos, in utroque Ordinum Conventu gravi etiamnum ſententiâ damnatam. Tantis itaque malis obſeſſi, neque Oppidanos ſubſidio ſibi, ſi opus eſſet, venturos præſagientes, Equites *Oxonio*, dimittunt Togati, quorum pars non contemnenda unà profiſcebatur ſub *Byroni* auſpiciis omnem belli aleam expertura; inter quos reticendus non eſt Doctor *Johan. Nours* è Coll. *Magdal.* qui dimachorum turmæ ex Academicis præſertim conflatæ præfuit, & paulo poſt in prælio *Keintoniano* fortiſſimè dimicans occubuit. Nominandi etiam *Petrus Turnerus*, & *Thomas Read* itidem Doctores. Qui autem *Oxoniæ* uſque ſupererant, utpote minus conſcii, rerum nuper geſtarum, miſere mox inde ad Vicecomitem *Say Ailesburiæ* cum ſignis quibuſdam (hæc in Academiam duci videbantur) agentem Magiſtros nonnullos, qui Univerſitatem ſuper geſtis nuperis purgantes, armiſque depoſitis Equites ſeſe amandaſſe oſtendentes, Viri animum delinirent; cæterum illo *Ailesburiâ* forte tunc temporis abſente, ab inferiori quovis Ductore verbis acerbiſſimis excepti ſunt, ut *Doctores delinquentes* (ſic enim appellabantur) traderent mandato. Eoſdem propterea poſt paulo adivit Doctor *Pinke*, Provicecancellarius, vel crimen à ſe omne removendum, vel delicti ſaltem gratiam impetrandam, ſperans; at vero res ex voto minime ceſſit, comprehenſus enim & *Weſtmonaſterium* ad Ordines tranſmiſſus Carceri **the Gatehouſe** dicto mancipatur.

Sept. decimo *Oxoniâ* cum ſuis exceſſit Chiliarcha *Byronus*, iter ad Regem una faciẽtibus Volonibus Academicis, *Wodſtochiam* pervenerant cum certiores per nuntios fierent de Inſidiis ſibi prope *Chippingnortonam* ſtructis, quos ibidem opperiebatur cum delectâ Equitum manu Dnus *Fyennes* Vicecomitis retro dicti filius, quapropter ducem viarum peritum nacti iter deflectebant, neque tamen incolumes prorſus evaſere, prope *Stoviam* enim ſuper *Woldam* (ita collem appellant *Saxones*) in Copias hoſtiles inciderunt, & prælio commiſſo ægre alapſi ſunt, capto Doctore *Turner* & *Banburiam*, ac deinceps *Northamptonam* deducto, ibique in cuſtodiam publicam detruſo. Quin nocte illâ ad Vicum **Broadway** dictum dilati in nova adducebantur diſcrimina Regii milites; illic enim tribunus partium Parliamentariarum cui *Stephanus* nomen, domum ſuam præſidio tuebatur; quam tamen expugnabant: & firmandis regiis copiis ad **Poyik** cum Rebellibus dimicaturis, opportunè admodum, occupatâ prius *Wigornia* pervenere. Poſt paulo Bona tum *Turneri* tum Doctoris *Nourſe Oxoniæ* relicta diripiuntur; captus inſuper *Eveſhamiæ* viarum Dux flagris, ob navatam Regiis operam, punitur.

Septembris duodecimo (dies hic Lunæ erat) circa horam decimam matutinam *Oxoniam* pervenere Equitum Parliamentariorum turmæ nonnullæ, *Goodwyno* quodam (is haud procul *Ailesburiâ*, unde ſcilicet tranſmiſſi ſunt milites, habitabat) & Tribuno *Saunders* ductoribus præcipuis; qui cum Pontem Orientalem attingerent, accerſito ad ſe Prætore, diploma ſive chartam utriuſque Domus Parliamentariæ, necnon Comitis *Iſſexiæ*, Archiſtrategi, autoritate munitas protulere; quibus perlectis liberrimus in Urbem datur ingreſſus, Copiis omnibus in Cohortes quinquagenarias diviſis. Apud *Mertonenſes* hoſpitabatur cum Tribunis aliis *Goodwynus*, reliquis per Urbem & ſuburbana paſſim diſpoſitis.

Septembris decimo tertio conſcenſis equis *Oxonio* abſceſſuri videbantur Parliamentarii, verum novorum mandatorum interventu prohibiti, in Prata ſecus veterem Fratrum *Nigrorum* ſedem, extra Portam auſtralem minorem, ad Armiluſtrium progrediuntur, eoq; abſoluto in Urbem remeantes Equos Ædis *Chriſti* Prato pabulatum immittunt. Eodem vero die Collegium modo dictum complures adibant (ſiquidem occluſæ pridem Sodalitiorum Portæ jam ubique patebant) Eccleſiam Cathedralem, pictaſque in feneſtris Imagines, viſendi cupidi, quas tanquam Idololatriæ inſervientes (tales enim Gregi ſchiſmatico habebantur) ſcommatibus innumeris onerabant, à maleficio tamen & injuriâ temperantes; quorum alter, natione *Scotus*, mirari ſeſe perhibebat *poſſe Togatos libris incumbere, à quibus idololatricæ illæ imagunculæ avocarent.* Eadem nocte tumultuatio incidit repentina, nuntiato Copiarum regiarum partem aliquam, ſub Principis *Ruperti* auſpiciis, adventare; quæ tamen confeſtim reſedit, comperto Turmam tantum Parliamentariam adeſſe, *Banburiâ*, vel è locis eidem vicinis, tranſmiſſam.

Septembris decimo quarto (dies ille *Mercurii* erat) *Oxonio* tempore matutino valedixerunt qui primitus advenerant Equites; reliqui autem (ducenti vero plus minus numerabantur) Portâ orientali egreſſi ſunt, Vicecomitem *Say*, Agri *Oxonienſis* Præfectum (nos **Lord Liuetenant of the County** appellamus) ab Ordinibus pridem renuntiatum, excepturi; quibuſcum Urbem ille circa horam quintam veſpertinam intravit, & ad Inſigne *Stellæ* hoſpitatus extemplo edixit, ut complanatis aggeribus (quibus nempe ex tranſverſo viarum ductis *Oxoniam* communierant Academici) Parliamentariis in poſterum obnoxii redderemur. Idem porro, multâ jam nocte, Satellitio ſatis valido cinctus, & prælatis funalibus, ad *Novum* Collegium perrexit, vaſa aurea & argentea bellique apparatum omnimodum exploraturus; inde vero ad *Reginenſes* contendens, Sodalitii portam Cuſtodiâ militari obſepſit, nequis eâdem ante lucem egrederetur.

Septembris decimo quinto, ad *Magdalenenſes* bene mane, ſuorum manipulo ſtipatus, contendebat Vicecom. *Sayus*; eodem quo Collegia prædicta conſilio rimandum deſtinans Sodalitium. Atque ſecundum hæc pulſato per Urbem Tympano volones colligebantur, Regi & Parliamento (velut fronte duriſſimâ præ ſe ferebant Rebelles) Baronis S. *Johannis* ductu militaturi. Eodem tempore *Magdalenenſe*, *Mertonenſe*, *Corporis* ac Ædis *Chriſti* Collegia Armis ſpoliantur; Ciſtaſque Ædis *Chriſti* Decani, penes Dominam *Weekes*, in S. *Ebbæ* Parochiâ, repertas, & vehiculo impoſitas, ad Inſigne *Stellæ* deducunt Sclopetarii. Ad Ædium quoque Doctoris *Thomæ Iles*, ſodalitii noviſſime dicti Canonici, Poſticum, verſus Parochiam S. *Aldati*, collocatur Sclopetariorum manipulus, nequa bona eodem emitterentur prohibiturus. Ad ampliſſimam inſuper illam, è regione Eccleſiæ S. *Aldati*, necnon interiorem quamcunmque Quadranguli latioris Portam, excubias egerunt Sclopetarii; eadem vero nocte in promptuario publico, inque muris pone incruſtationem materiatam reperiuntur vaſa ſodalitii aurea & argentea, & ad Hoſpitium jam ſæpe dictum deportantur. Hinc ad Ædes

Thomæ Smyth, in Parochiâ retro dictâ sitas, profecti Rebelles, Arma, reliquumque apparatum bellicum, vasa quoq; & pecuniam, sedulo exquirebant, sive ad Virum illum sive Togatos quoscunque pertinerent perinde habentes, quod de Collegii *Universitatis* Phialis & Calicibus abunde constat, ibidem repertis & à militibus deportatis. Eodem quasi tempore Habitaculum *Johannis Tudball*, *Chilswellæ* prope *Hinxeiam* positum, rimati, vasa quidem quibus inhiabant haudquaquam deprehenderunt, Arma tamen nonnulla viro auferebant.

Septembris decimo sexto, circa horam quartam pomeridianam, in Campis **Brokenhayes** nuncupatis convenere Cohortes urbanæ, inque Aciem ordinatæ à Diribitore militari coram Vicecom. *Sayo* lustrantur. Eodem die in Custodiâ ad Insigne *Stellæ* detentus est Magister *Humphredus Lloyd*, socius *Orielensis*, de verbis ejusmodi postulatus, malle se si facultates suppeterent Regi libras mille quam Parliamento denarium vel unicum mutuo dare. Carceri quoque ob verba quædam in Rebelles prolata mancipati sunt Magister *Gulielmus Cartwright*, Mag. *Gulielmus Stutevyle*, & Mag. *Johannes Castillion*, ex Æde *Christi*; quorum causæ haud parum obfuit, quod Academicorum Arma nuper gestantium belliciscque muniis insuescentium de numero fuerant; tametsi liberatos post paulo omnes constat, præstitâ pro eorum quovis ducentarum librarum fidejussione, vetitoque ne moras in Academiâ traherent, nisi copiam faciente Vicecomite jam sæpius dicto.

Septembris decimo septimo (dies ille Saturni erat, & mercatum concelebrabant *Oxonienses*) disploso sive casu sive deditâ operâ in officinâ tonsoriâ, è regione Insignis *ursini*, sclopeto obvia lanii Pergula ac deinde Hospitii paries glande transverberatur, & mulieris denique alicujus tibiæ vulnus infligitur. Deprehensi statim sunt in Officinâ præfatâ Scholares tres, quibus ad se protractis magnopere succensuit Vicecom. *Sayus*; atque eo magis quod iisdem cum Tribuno quodam jactabundo, *Staggers* appellato, inque Hospitio antedicto diversante, lites pridem intercessisse intelligeret. Quasnam vero pœnas expenderint noxii parum liquet, præterquam quod in Carcerem detrusi memorentur.

Die proximo (dies ille dominicus erat) Concioni tempore matutino, ad Beatæ *Virginis*, habitæ Doctores tantum duo, iique Medici (nimirum Doctor *Johannes Bainbridge*, & Doctor *Saunders* ex Aulâ divæ *Mariæ*) cum Magistris & Togatis inferioribus paucissimis interfuere; etenim vel *Oxonio* se clam subduxerant, vel ibidem delituere Academici pleriq; omnes, ne de arma pridem gestantibus quæstio institueretur male metuentes.

Septembris decimo nono, (in illum incidit dies lunæ, ab Ædibus suis *Broughtonæ*, haud procul *Banburiâ*) positis rediit Vicecom. *Sayus*, ac post meridiem Libros, & Picturas Templis passim detractas & *Romanensibus* in urbe & Villis adjacentibus ademptas, Superstitionis autem pontificiæ perperam (plurimam saltem partem) insimulatas flammis adjudicavit; quæ quidem igni, ex adverso Hospitii *Stellati*, alibique corrumpuntur. Eodem die *Thomam Dennis*, Pannorum propolam, in Prætorem sibi cooptabant Municipes, repudiato *Nixono*, Aldermanno, Vicecomitis etiam jam sæpe dicti gratiâ & autoritate suffulto: quod dicerent, velle se Prætorem qui in rebus dubiis Oppido haudquaquam evolaret; *Nixonum* utique perstringentes, qui adventante haud ita pridem Equitatu Regio *Abendoniam* se confestim proripuisset.

Septembris vicesimo *Oxonia* variis itineribus abscessere Equites, plerique Parliamentarii, in plures cohortes distributi. Medio quasi die profectionem instituebant *Londinenses*, quos per Plateam *Altam* descendentes vino præ foribus suis liberaliter excepit anni superioris Prætor, perduellium sane gratiam fœdissimis artibus aucupatus; quorum alter è regione Divæ *Mariæ* positus displosâ in Deiparæ *Virginis* Imaginem, sacri Vestibuli fastigium occupantem, bombardulâ globulis binis oneratâ, ipsius infantuli caput quem brachio dextro gestabat Mater, quin & Matris pariter disjecit. Quod ipsi non impunè cessit qui rupto sclopeto graviter vulnerabatur. Quin & alius Salvatoris imaginem affabre efformatam, & supra Portam Collegii *Omnium Animarum* positam, globulis plumbeis bombadra emissis impetebat, Opera ibidem sculptilia confringere dein cum congerronibus adortus, Civium vero aliquorum, ac præsertim *Nixoni* (ut perhibent) Aldermanni precibus & intercessione delinitus, & ægre tandem à maleficio prohibitus; siquidem discedens ille inter commilitones mussitabat, infra expectationem acceptos sese ab *Oxoniensibus* fuisse. Eodem die Arma omnia & apparatum bellicum Academicis ereptum, necnon Ædis *Christi*, ejusque Decani, Phialas *Broughtonam* deportandas curavit Vicecom. *Sayus*; qui vasis non nisi occultatis Sodalitium quodvis spoliaturum sese profitebatur, ac proinde (præterquam Collegio antedicto & *Universitatis*) ademta cuivis reddidit, eâ lege ut mandante Parliamento in promtu essent, nullo autem modo in sumtus Regios contra Ordines erogarentur.

Septembris vicesimo secundo *Oxoniam* pervenere Parliamentarii CDL. Sagis cæruleis (unde **Blew-Coates** vocitabantur) induti, qui cum die proximo ad Armilustrium descenderent, motâ seditione contra Ductores suos tumultuabantur. Cæterum hæc fusius persequi non est nostri instituti. At vero ad Collegium *Novum* de nocte profectus Vicecom. *Sayus*, Musæum Doctoris *Pinck* Custodis rimatus est, Chartisque compluribus expoliavit; militi autem gregario gravissime succensuit, aut succensêre saltem præ se tulit, quod Statuam Regiam ex lapide Alabastrite fabricatam, auroque oblitam, ausu nefando evertisset.

Septembris vicesimo quarto, ante meridiem, Præfectos Ædium, quotquot in Universitate adessent, absentium vero Deputatos, ad Hospitium *Stellatum* accersivit; quibuscum de pace Academicâ multis disseruit, turbatam adeo eorum opera criminatus, ut bellorum studio omnia permiscente, Universitatis ne umbra quidem supereset. Subtexuit autem, nisi bonâ fide pollicerentur depositâ prorsus militandi libidine res suas pacatas deinceps habituros, valido sese præsidio Urbem firmaturum quod Oppidanos juxta & Togatos in ordinem cogeret. Respondentibus ad hæc nostratium nonnullis, ejusmodi Custodiâ non esse opus, quippe sibi vires suppetere quibus suos in officio continerent, subjecit ille, deposcere tamen se ut Copias aliunde nullas advocaturos, quin siquæ adventarent pro virili propulsuros, constaret. Interponente autem Togatorum aliquo, id quidem sibi factu difficillimum, quod telis ablatis inermem plane Academiam reddidisset; consurrexit *Rogerius*, *Novi* Hospitii Principalis, & de milite præsidiario magnopere contendebat, Civium insolentiam causatus, quam usque eo increvisse affirmabat, ut viro probo integrum non esset Plateas emetiri, quin *Capiterotundus* audiret, probrisque ac maledictis onerare-tur. Hunc in modum re utrinque disceptatâ concionem circa meridiem dimisit Vicecomes, neque certi quippiam aut deliberati habuit.

Septembris

Septembris vicesimo octavo (dies ille Mercurii erat, & jejunio publico assignatus) *Wodstochiam* concessere milites plerique Parliamentarii. A meridie vero *Johannem* & *Matthæum Richardsonos*, de **Grandpont**, in Parochiâ S. *Aldati*, comprehenderunt eorum aliqui, *Oxoniæ* etiamnum commorati; qui prædictos de verbis ejusmodi (*Capite-rotundos omnes male perdat lues, quotquot in Regem suum arma movissent*, &c.) postulatos, tanquam suspendio statim necandos (utriusque enim Collo laqueum injecerant) ad Prætorium pertraxere, habitoque delicti examine in Carcerem **Bocardo** detrusserunt; de postmodo liberandis haud pauci satagebant, maxime vero Magister *Stephanus Bridges* Medicus, qui apud *Johannem Peto*, Equitem auratum, & Ductorem Parliamentarium, obnixe instabat, ut noxios custodiâ eximeret. Hæc idèo potissimum referenda duxi, quod cum incarceratorum vice supplicem sese exhiberet Medicus, ferocissime respondârit Eques, *Malefactis nuperis & Armorum gestatione juribus suis excidisse Academiam; sed neque Religionem jam aut probitatem in Universitate supereſſe.* Nimirum Latifundiis nostris, Perduellium, ut sperabat, Fisco brevi addicendis, ore aperto inhiabat vir bonus; qui die sequente (in illum incidit S. *Michaelis* Festum) præfatum utrumque reum funibus revinctum, & vehiculo impositum secum, *Woodstochiam* ducente, deportari jussit, ubi *Johannem* integræ Legioni flagris mulctandum tradidit, *Matthæo* circa *Wolvercotam* prius dimisso.

Prætermissis quæ ad Cohortes complures Parliamentarias, *Wigorniam* (ubi scilicet Comes *Essexiæ*, Archistrategus, tunc temporis agebat) contendentes, & *Oxoniam* obiter permeantes attinent; referenda veniunt quæ paulo ante Prælium acerrimum ad Collem **Edge-hill**, seu potius in Campis *Keintonianis* XXIII. *Octob.* commissum munimenta moliebantur Cives. Quippe evocatis jam Rebellium Copiis, armisq; spoliatâ Academiâ, omnia sui fore juris arbitrabantur Oppidanorum primores; Militesq; proin Regios (adventuros enim Ductore Principe *Ruperto* fama percrebuerat) Urbe prohibendos cogitantes, ad Portam quamque & posticum postes erigebant, ductisque in transversum catenis adversus Equitum impressiones firmabant; quibus tamen longe secus atque destinârant illi (id enim haud ambiguis rumoribus pervulgatum fuerat) ad pientissimi Regis conservationem usi sumus, *Oxoniâ* nimirum in Belli totius arcem conversâ demum & communitâ.

Vicesimo nono *Octobris* (dies ille Saturni erat) Peditatum omnem huc perduxit Rex *Carolus*, à Prælio mox ante dicto reversus. Regem comitati sunt *Rupertus* & *Mauritius* Principes, cum Principe *Carolo* & Duce *Eboracensi*; exercitus autem incessu militari Urbem intravit, prælatis quæ de Parliamentariis ceperant signis plus minus septuaginta; adeo ut debellatum jam plane cum perduellibus videretur, nisi cæso ingenti peditatus Regii numero pullata quodammodo comparuisset victoria. Regem in *Quadrivio*, ad Sedile **Pennileſſe-Bench** dictum, exceperunt, & vi pecuniæ haud exiguâ in fidei & obsequii pignus donarunt Cives; at illum in Æde *Christi* præstolabantur Academici, ubi oratione haud inelegante cum Principibus aliquandiu detentus est, à Doctore *Richardo Gardiner*, ejusdem Ædis Canonico, ac Oratoris publici Deputato, habitâ. *Oxonii*, inque vicos passim finitimos diribiti sunt milites, tormenta autem bellica majora (viginti septem numerabantur) cum Carris vectoriis aliisque impedimentis, in Collegii *Magdalenensis* Lucum deferebantur.

Primo *Novembris* (Festum *Omnium Sanctorum* est) Convocatio pomeridiana celebratur, ac Principe *Carolo* in Album Academicum relato, is Magisterio donari dignatus est ut & Dux *Eboracensis*; deinde autem (hoc est die illo proximoque) volente Rege & præcipiente, Doctores in Theologiâ quindecim, Baccalaurei XLVIII. Doctores in Jure Civili (eorum plerique Proceres, Aulici, & Generosi erant) triginta quatuor, Baccalaurei vero quatuordecim; Doctores denique in Medicinâ quinque, Baccalaurei octo; necnon Artium Magistri septuaginta sex, creantur, & Reipublicæ nostræ literariæ participes fiunt, quam quidem insititii quoque postremo dicti egregie cohonestabant, utpote quorum perplures vel Patricii, vel saltem haud vulgaris notæ generosi, erant. Duodecim omitto Baccalaureatu in Artibus donatos; reticendum tamen non est, prædictorum haud paucos, ex occasione tenebrarum, appetente jam nocte ingruentium, fucum Togatis fecisse; quippe cum præsentantium sese manibus ingesserint quorum nomina in Schedulâ Regio sigillo munitâ, reperienda non essent.

Die *Novembris* tertio (Jovis is erat) *Readingum* una cum Principe *Carolo* ac Duce *Eboracensi* profectus est *Carolus*, Equitum & Dimacharum (nos **Dragoons** appellamus) turmâ stipatus; Comitibus *Bristoliensi* & *Dorsetensi*, necnon Vicecomite **Andover** & Barone *Digby*, cum copiis nonnullis in Universitatis Urbisque defensionem nobiscum relictis, loci tutelâ fidei Domini *Caroli Gerard* Chiliarchi fortissimi, qui nuperâ in pugnâ vulnus honestissimum ore acceperat, commendatâ. Die proximo, inter quartam & quintam pomeridianam, Arma, Oppidanis auferuntnr, Sclopetis, pulvere pyrio glandibusque plumbeis (quibus utique plaustra bina onerabantur) ad Scholas deportatis, inque supremâ Turris Camerâ depositis. Porro in Delectibus habendis & Urbe communiendâ à militibus Regiis desudatum est abunde; in quibus tamen referendis hærendum non duco, cùm ab instituti Operis tramite nonnihil deflectant.

Novembris vicesimo nono (dies hic Martis erat) *Oxoniam* remeavit Regia Majestas, comitantibus Principibus *Carolo* (è variolis ille nuperrime convaluerat) & *Ruperto*; quippe huc ante biduum vel triduum amandatus fuerat Dux *Eboracensis*. In Æde *Christi* dictorum quisque (*Rupertum* si demseris) cum famulitio aulico hospitabatur, quo honore superbivit Sodalitium illud quamdiu *Oxoniæ* ageret Rex *Carolus*. Dies proximus numini precibus ac jejuniis placando destinatus erat, nocte autem insequente Bibliothecæ publicæ januam propemodum expugnabant fanatici quidam tenebriones, in cineres redigendam cogitantes. Sub idem tempus Portâ materiatâ denuo firmatur Pons orientalis, ducto ab eâdem ad Hortum usque *Botannicum* Propugnaculo, in quo collocata postmodo sunt Tormenta bina majora, Rebelles eâ ex parte accessu prohibitura. Vallo quoq; & Fossâ haud procul nuperis Academicorum Munimentis, ultra Ambulachra nimirum *Johannensia* & secus *Septum Novum* aditum Urbis borealem præstruxerunt Regii.

Decembris quinto Plateas obibat Præco feralis Academicus, & Privilegiatos omnes, quotquot familiam alerent, commonefecit, ut virum singuli aliquem ad *Septum novum* amandarent, qui in Aggeribus moliendis operam navaret, qui quidem officio eâ in re neutiquam defuere. Civibus quoque præceptum Munimentis ad Septentrionale S. *Ægidii* latus, Ruricolis vero secus Collegii S. *Johannensis* Ambulachra, insudare; verum Rege propugnacula die

proximo obequitante, non plures duodecim Oppidanorum penſa procurantes deprehenduntur, quorum nomine Centum viginti & duo tranſmittendi erant; qua de re iiſdem ut par erat, haud modice ſuccenſuit Rex *Carolus*, & præſentes propterea objurgavit.

Decembris decimo quinto (in diem tunc Jovis incidit) Edictum Regium calamo exaratum promulgatur, quo Arma de integro, offenſiva (quæ vocant) & defenſiva, Civibus detrahuntur; inque Collegii *Novi* Clauſtris ac Turri reponuntur, ubi ſcilicet magna bellici apparatus copia, velut Bombardæ, Glandes plumbeæ, pulvis pyrius, funes igniculares, &c. adſervabantur. Omne genus frumenti in Scholis Logicæ ac Juris Civilis, reliqua vero res cibaria in Prætorio urbano; Pannus & Saga in Scholis Muſicæ & Aſtronomiæ reconduntur. Pulvis militaris ad Monaſterium *Oſneienſe* confiebat, officina autem Monetaria in Hoſpitio *Novo* collocata eſt. Sed his omiſſis, haud ita multo poſt *Oxoniam* revolarunt Doctor *Fell*, Doctor *Potter*, Doctor *Richardus Baylie*, & Doctor *Frewen*; qui nempe vim interminantibus pridem ob Cauſæ Regiæ defenſionem Parliamentariis latebras quæſiverant.

Decimo *Januarii* (dies ille Martis erat) ad Sodalitia ſingula mittuntur literæ Regiæ, ut Phialas ſuas traderent, in monetam cudendas, præcipientes; quibus morem alacres gerebant reliqui Togati, unico *Novo* Hoſpitio imperium detrectante.

Decimo ſexto *Januarii* Senatus habetur Academicus, in quo palam recitantur [a] literæ, ut libras porro trecentas mutuas Regi *Carolo* daret Univerſitas contendentes, interpoſitâ cautionis loco quæ neminem unquam fefellit quoad facultates ſuppeterent fide Regiâ. Poſtulationi auguſtæ nemo repugnabat, die vero ſequente pecunia è Ciſtâ publicâ deſumta *Johanni Aſhburnham* Armigero in uſus Regios tradita eſt, velut ex [b] Apochâ quæ uſque hodie ſupereſt compertum habeo; die autem primo dicto, monente *Carolo*, Doctores, Magiſtri, & Baccalaurei nonnulli creantur.

Viceſimo tertio *Januarii*, ſecundum Proclamationem regiam (eo nomine Edictum denotant *Angli*) *Oxonii* fervere cœpit Terminus forenſis; Curiâ Cancellariæ, cui jure Cuſtodis magni ſigilli præfuit Baro *Littleton*, in Domo Convocationis habitâ ubi lites nonnullæ diſceptatæ. Curia vero *Requeſtarum* quam vocant in Scholâ Naturalis Philoſophiæ celebrata eſt, ubi in ſpeciem tantum aliquandiu conſedit *Thomas Aileſbury*, Eques auratus, Magiſtrorum alter; neque enim Cauſæ aliquæ eventilandæ tunc temporis comparuere.

Primo *Februarii* die, qui Mercurii erat, *Oxoniam* veſperi intrabant Eſſedis quatuor aut quinque vecti *Northumbriæ*, *Pembrochiæ*, *Hollandiæ*, & *Sarisburiæ* Comites, cum aliis quibuſdam octo, Plebis in Parliamento Delegatis. Hi vero ineundæ cum Rege *Carolo* pacis Articulos adferebant, quos horâ quaſi octavâ veſpertinâ accerſiti tradiderunt. Die proximo eorum nemo vel in Aulâ Regiâ vel alibi comparuit, an quod à Feſti *Purificationis* celebritate abhorrerent non dicam; cæterum à meridie convenerunt Doctores Academici, & Cancellarium noſtrum *Pembrochienſem*, in Ædibus Doctoris *Bainbridg*, è regione Eccleſiæ Collegii *Mertonenſis*, habentem adibant; quibuſcum collatis ſermonibus, velle ſe ajebat ut Vicecancellariatu in alterum annum fungeretur Doctor *Tolſon*. Addidit etiam, peſſime quidem literatum eſſe ſe, ſed neque propter turbantem tunc temporis Rempublicam operam ipſi utilem navare poſſe, preces tamen addicturum, & compoſitis demum Regni tumultibus momentis omnibus invigilaturum quibus Academiæ prodeſſet; precatum quoque ferunt, *ut Regios oculos aperiet Deus, quo Lucem Parliamentariam intueretur.* Eodem tempore ſupplicem viro Libellum obtulere Togati, ut ſuâ vice apud Regem ſuper hiſce Capitibus inſtaret efflagitantes. I. Ut Regimen Epiſcopale & Eccleſiæ *Anglicanæ* Diſciplinam contra Schiſmaticorum omnium aggreſſiones & inſidias tueri, ac Epiſcopis Eccleſiiſque Cathedralibus Latifundia & Proventus ſartos tectos reddere vellet *Carolus*. II. Ut Privilegiis Academicis, à Deceſſoribus illuſtriſſimis jam olim indultis, ſuoque nuper Diplomate confirmatis proſpiceret; quippe quæ à Municipio vicino proculcata pridem, vel ſibi eſſent arrogata. Petitum deniq; ut Senatus conſultum in Academicæ gratiam impetraret ipſe, quo nempe declararent Comitia Statutum nuperum, ne ſacris ordinibus initiati juriſdictionem quam vocant ſecularem exercerent edicens, ad Academicos haudquaquam pertingeret; quoniam ſcilicet poteſtatem ſuam non diplomate aliquo, ſed ex Chartis plurimis, Regum multorum authoritate Scitoque Parliamentario corroboratis, acceperant Vicecancellarius & Procuratores; aliter enim Univerſitatis adminiſtratione, Theologos quibus erat antiquitus permiſſa, ſpoliandos iri. Hæc inquam petitionis togatæ ſumma erat, quam tamen Regi nunquam porrexiſſe *Pembrochienſem* argumenta quædam è criminibus eidem proximo anno intentatis (tunc enim quaſi diuturnioris Imperii mala præſentirent Academici, depellere de Cervicibus ſuis Cancellarium nitebantur) deſumta ſuadent.

Tertio *Februarii* gratias Numini, in Eccleſiâ Ædis *Chriſti* Cathedrali, inter preces veſpertinas concelebrandas, ob *Cirenceſtriam* (*Corinium Ptolemæo* nuncupatur) à Principe *Ruperto* expugnatam, jubente *Carolo* Regum piiſſimo egimus. Ibidem vero *Tolſonus* Vicecancellarius, ob majorem rei ſolennitatem; vix enim deinceps factum, magnâ Doctorum purpurâ ſplendentium frequentia interfuit; non aliis autem verbis quam haud ita pridem ob victoriam *Keintonianam* Deum collaudavimus, Antiphona tamen ſolennis interpoſita eſt in hæc Regii Pſalmiſtæ verba; *Collocabis in Capite ejus Coronam ex auro puriſſimo, &c. & ſuper Caput ipſius Corona ſua florebit*; &c.

Quotidianis eorum quos regiæ commendarent literæ ad Gradum quemcunque promotionibus laſſata demum Univerſitas, frequentem viceſimo primo *Febr.* Senatum coegit, in quo Vicecancellarii & Præfectorum [d] libellus ſupplex, Regi contra Gradus temere & quaſi fortuito conferendos porrigendus, palam recitatur. Hi vero damna nobis neceſſario facienda *Carolo* ob oculos ponebant; Actibus utique & Exercitiis quibuſque Scholaſticis in deſuetudinem abeuntibus, vel etiam omnino deletis, Ærarium Academicum exinanitum fore, reſtinctis quoque magnorum Ingeniorum ſtudiis, ſummâ Univerſitatem infamiâ laboraturam edocentes: accepto autem ſupplici illo Togatorum Libello tunc quidem oſtendit Rex quam vere & animitus bonarum literarum curam ageret, quamvis enim & opibus & authoritate haud adeo abundanti percommodum videretur fidem ſuorum & officia Honoribus Togatis remunerare, ſtatuit tamen & edixit nequis Gradum Academicum in quæſtum ambiens literas ſuas commendatrices deinceps expe-

[a] *In Reg. S. p.* 14. [b] *In Pix. β. ut ſupra.* [c] *Ib. in β.* [d] *In S. ut ſup. p.* 21. *& in B.*

ctaret; quod si cuiquam concederentur, ad locum inter Academicos quem expeteret habilem sese & idoneum secundum Statuta probaret, cautionem de præstandis exercitiis interponeret, & feuda consueta persolveret; aliter nullam literarum suarum habendam esse rationem.

Vicesimo quinto *Februarii* Vicecancellarium *Tolsonum* adiit Doctor *Richardus Steward*, gratias Regio nomine propter operam in Aggeribus Fossisque absolvendis strenue navatam Academicis acturus, utq; continuatâ industriâ segnitiem eâ in re urbanam resarcire maturarent efflagitaturus; quâ postmodo ex parte vota regia vel superasse comparuerunt assidui nostratium sudores.

CIↃDCXLIII.

Septimo *Aprilis* (dies hic veneris erat) ad Regem in Æde *Christi* agentem citantur *Oxonienses* tum Privilegiati tum Oppidani, qnotquot nimirum familiam alerent; intromissisque, ad eundem, in sanctiori Senaculo (id apud Domum Canonicorum Capitularem celebrabatur) cum Baronibus considentem, Prætore, Aldermannis, & eorum Assessoribus, propositum est consilium Regium de Urbe utriusque Municipii impensis præsidio satis valido firmandâ, siquando *Carolum* abscedere contingeret. An haud gravate assenserint Cives minus quidem constat, militibus tamen præsidiariis stipendia dein constituta non dubito, cum lites inter eosdem (tributum privilegiatis irrogantes) & Nostrates postmodo intercesserint; quæ cùm Baronibus aliisque ad res bellicas consiliariis regiis dijudicandæ permitterentur, argumentis pluribus & Chartarum nostrarum indiciis palam fiebat, privilegiatum neminem ejusmodi taxationibus obnoxium esse; quibus à consessu illustrissimo approbatis secundum Togatos ferebatur sententia; quod in *Maii* decimum sextum cadit.

Aprilis decimo sexto (dies ille dominicus erat) dum ad sacram Concionem solenni Campanæ pulsu convocarentur Academici, chartula quædam *Virginis* deiparæ ostio boreali affixa est, Quæstiones hasce, una cum Inscriptione, characteribus *Italicis* pulchre exaratas complectens:

Quæstiones discutiendæ in Schola [a] *Jurisprudentiæ die* XIX. *hujus Mensis.*

An militia Regni sit malitia Parliamenti? neg.

An Protestatio Parliamentaria sit deterior juramento eum &c. neg.

An Ecclesia pura Scoticana debeat esse moderatrix corruptæ Ecclesiæ Anglicanæ? aff.

Respondente Alexandro Hendersono Scotorum *Commissario.*

Opponente quicunque vult.

Cæterum schedulam illam infamem, probi cujusque sobriique animum exacerbantem, à meridie detraximus, quo tempore Verbum annuntiavit Doctor *Johannes Oliverus*, è Coll. *Magdalenensi.*

Aprilis decimo nono [b] Programma, Regio nomine munitum, publicis passim Portis murisque affigitur, quo cujuscunque conditionis *Oxonienſibus* mandatur, ut Bombardas, Hastas, funes igniculares, & siquam Pulveris bellici vim possiderent Armamentario confestim inferrent, accepto de allatorum copiâ Syngragho præfecti fiduciario. Cum huic Edicto perpauci obtemperarent, proclamatum [c] per Præconem, XXII. dicti Mensis nomine Regio est ut Gladios, Loricas, Galeas, &c denique, quicquid sibi ad apparatum bellicum pertinens suppeteret, ad Collegium quisque *Novum* deportaret, quo scilicet *Readingum* brevi (quod jam cogitabat) ducente *Carolo*, *Oxonienſium* incolumitati & à Rebellium aggressionibus defensioni tempestive consuleretur; atque mandatis hisce morem plerique omnes gesserunt, Armis velut præceptum erat in Sodalitio prædicto propediem depositis.

Propugnacula sub hæc ad fastigium spectabant; aliis porro quibusdam in Parochiâ S. *Clementis* hac tempestate inchoatis; quorum omnium Author erat ac Delineator *Richardus* quidam *Rallingsonus*, Artium Baccalaureus, è Collegio *Reginensi*, qui Typo Munimentorum omnium accurate depicto, Regiq; oblato, Magisterio, allatis eam in rem [d] literis *Carolinis*, Mense *Octobri* ornatus est. De primis loquor munimentis; quæ enim postea extruebantur *Beckmannum* Architectum habuere.

Quinto *Junii* Vicecancellario præcepit Rex, sanctiusque ejus Concilium, ut coactis Sodalitiorum Præfectis denuntiaret, habito Academicorum omnium censu suis quisque, annum decimum sextum attingentibus nec sexagesimum supergressis, ediceret, uno aliquo cujuslibet hebdomadæ die in fossis & Aggeribus laborandum esse; solido uno operis ejus vices detrectantibus in delicti cujusque pœnam irrogato. Eodem die Plateas vicosque urbanos Luto ac Sordibus oppleri advertentes Delegati regii, consultissimum habebant à Vicecancellario deposcere, ut Cœnivectoris publici stipendium duplicaret, quod illi utiq; ex immensâ tum hominum tum Jumentorum frequentiâ opera esset geminata; præcauto nimirum opus esse arbitrabantur, ne vitiato à stercore urbano aere morbus Epidemicus, prorumpere jam tum occipiens, incrementa sumeret, viruſque passim diffunderet. Traditum quoque eodem tempore est mandatum [e] alterum, quo Præsidibus Academicis injungitur, ut Togatorum qui Regi sponte militarent nomina describerent; id autem à Comite *Bristoliensi* Vicecancellario primitus significatum, scriptis vero dein propalatum comparet, appositis Procerum aliquorum nominibus. Cæterum quo delectus ille majori cum fructu haberetur, literæ [f] Regiæ, septimo dicti mensis datæ, Vicecancellario deferuntur, quarum hæc erat summa:

« Ex maturâ nimirum deliberatione *Carolo* videri quod ad Comitatus, Academiæ, Urbisque *Oxonienſis* defensionem majori bellatorum manu quam quæ ab ipso suppeditari commode posset opus foret; quapropter decrevisse ipsum, Agri, Universitatis, Urbisque securitati simul operæque compendio consulentem, ut Vicecancellarius, Æ-diumque Præfecti Academicorum numerum inirent, qui, si quando necessitas exigeret, apti essent & habiles ad Urbem istam propugnandam, non aliò utiq; contra perduelles ducendi. Atque velle propterea se & edicere, ut primo quoque tempore Academicos ejusmodi in Catalogos referrent, subductis etiam armorum quæ possiderent calculis; etenim quæ ad bellicum deessent apparatum à se fore submini-strranda, ipsis ad munia militaria opportune exercitatis, &c.

Hæc autem post paulo executioni sunt mandata, concenturiatis brevi Togatis & in cohortes ordinatis.

Diebus decimo quinto, & decimo sexto præfati

[a] Repositorium tunc temporis frumentorum & casearum erat. [b] *Ibid. in β.* [c] *Ibid.* [d] *S. p.* 37. [e] *Ibid. in β.* [f] *Ibid.*

Mensis

Menſis, libras ab Academiâ bis mille, necnon totidem à Civibus, mutuas efflagitabat *Carolus*; quod nempe, exinanito jam pene fiſco regio, non aliunde ſuppeteret pecunia, in iis quæ ad utriuſque municipii firmamentum & incolumitatem pertinerent collocanda. Summam expetitam detuliſſe opinor Academiam, de Togatis eorumque famulis ſecundum Sodalitia collectam; quod idem præſtitere Cives, additis in obſequii mantiſſam libris porro quingentis. Enimvero haud modica *Carolum* premebat nummorum penuria; utpote qui per literas viceſimo ſeptimo Menſis ejuſdem ad Collegia ſingula datas â Præfectis ſociiſq; contenderit, ut, quilq; quotquot viſum eſſet peditibus, hebdomadarium quatuor ſolidorum ſtipendium, in Menſem integrum perſolverent, addito incitamenti loco, id ſe officii inter præcipua partium ſuarum adjumenta poſiturum. His vero perceptis, ſocii Collegiorum opulentiorum ſinguli binos, vel etiam trinos, reliqui autem unum aliquem expetitâ pecuniæ ſummâ ſuſtentaturos ſeſe pollicebantur; velut ex eorum ſubſcriptionibus, ad Regem (id quod ipſe præceperat) tranſmiſſis, abunde liquet.

Viceſimo primo *Junii*, maturandis propugnaculis incumbens regia Majeſtas, Præfectis Academicis edixit, ut uni alicui, pluribuſve Sodalitii cujuſque Officiariis, aut famulis, demandarent, Collegii ſui Togatos & Inquilinos diei quo laborandum in munimentis eſſet, (de quo nempe ipſi certiores per Delegatos ad Operas propugnatrices fierent) commonefacere. Juſſi porro ſunt laborantium Catalogos Commiſſariis regiis tradere, & pecuniæ ob intermiſſam operam irrogatæ Collectores inſtituere, denique eorum quoque nomina deferre qui *Carolo* neutra ex parte inſervientes Ligonem pariter & militiam detrectabant. Bifariam autem diviſa ſunt Sodalitia omnia, quorum pars altera die Lunæ, altera Jovis, ab horâ ſextâ matutinâ ad undecimam, atque à primâ pomeridianâ ad ſextam occupata eſt; ferramenta vero ſibi comparare, ac ſecum advehere tenebantur Academici, vallum ad Ædis *Chriſti* Pratum, quâ ad vicum **Grand-pont** vergit, abſolvendum ſortiti. Munitionum omnium Quæſtor erat Dominus *Marſh*, ex oppoſito Hoſpitii *Urſini* hoſpitatus, Commiſſarii autem, ſeu Præfecti, *Edoardus Ford* in Collegio, *Elliſius Criſp* & *Daniel Colwall* in Aulâ *Magdalenenſi* commorantes.

Viceſimo tertio *Junii* Prætorem & Aldermannos de conſcribendis, & ad munia bellica informandis Civibus admonuit *Carolus*; dieque proximo nuntios eandem in rem ad Vicecancellarium Ædiumque Rectores amandavit. Atque edoctus illico Togatos in procinctu eſſe ac juſſa Regia alacres expectare, ut die Martis proximo circa decimam matutinam in, prædicto Ædis *Chriſti* prato comparerent præcepit, præluſionibus bellicis ad veras pugnas erudiendi. Ibidem die præſtituto ad quadringentos, vel eo plures, convenere, tantâque facilitate ac generoſo decore arma tractabant (tametſi iiſdem, quod retro diximus, aliquandiu nuper inſueviſſe diſſimulandum non eſt) ut Spectatores omnes pulchrius nil quicquam aut jucundius oculis ſeſe unquam percepiſſe agnoſcerent; Proceribus præſertim & Heroinis, qui eòdem Decurſionum cupidine ducti convolarant, mirâ perfuſis voluptate.

Viceſimo nono *Junii* (in quem nempe Divi *Petri* Feſtum quotannis cadit) in Ædibus Vicecancellarii apud *Orielenſes* convenere Sodalitiorum Præfecti, de poſtulatione urbanâ, ſibi à Rege & Commiſſariis ejus necnon Concilio bellico tranſmiſſâ, deliberaturi. Siquidem petiverant Cives ut militibus quadringentis aut quingentis, ex Ærario ſuo in Urbis defenſionem alendis, Privilegiati accederent, coacti autem, velut mox ante dictum, Rectores Academici petitionem tam iniquam rebuſque noſtris perniciosam averſati ſunt omnes; nullo modo permittendum iri decernentes ut aliter quam inter Noſtrates militarent Privilegiati; utpote quos Urbem quidem incolere, Togatorum vero famulos eſſe omnino conſtaret. Eadem nocte ſupplicem Regi Libellum vice nominis togati porrexit Vicecancellarius, quem Sodalitiorum Præfecti tres aut quatuor comitabantur; ſumma vero precum Academicorum erat, ut Juribus noſtris & Libertatibus Privilegiatorum taxatione labefactatis, mirumque jam in modum periclitantibus, illibatis deinceps uteremur, de quibus benigne admodum & ex re Scholaſticâ reſpondit *Carolus*, tametſi exitum negotii ejus ſupremum quod attinet, nullibi quod ſciam, reperiatur.

Decimo tertio *Julii*, (is dies Jovis erat) Reginæ à Plagis aquilonaribus adventanti obviam perrexit, ſtipantibus Equitum Turmis quotquot *Oxoniæ* ſuppetebant, regia Majeſtas; quæ & chara ſibi cælitibuſque pignora Principem *Walliæ* Ducemque *Eboracenſem* Comites aſſumſit. Illuſtriſſimam tori conſortem ad collem **Edgehill**, cæde nuperâ etiamnum rubentem, excepit, & *Oxoniam*, quam proximo veſperi attigit, exultantibus ſuis pompamque ſolennem adhibentibus, quaſi tum demum triumphatum de Rebellibus eſſet, deduxit. Plateas utrinque cinxit armatus miles, feneſtras vero proſpectantium Civium, & Heroinam auguſtam intueri geſtientium, turba replevit. Præmiſſis impedimentis regiis auliciſque, ſubſequebatur famulorum turma, Ductore *Gulielmo Killegrew*, Equite aurato; incedebant poſtmodo Penſionarii, quos vocant, *Carolini* generoſi, una cum utriuſque Majeſtatis famulitio, & Officiariis domeſticis; dum omnia interim Tubarum & Lituorum clangore reſonarent. Proximi erant feciales, tunicas caduciatorias induti, quorum poſtremus inceſſit *Garterius*, cujus latus dextrum claudebat Prætor *Oxonienſis*, purpuratus, humeroque Magiſtratus portans Geſtamen. His vicini comparebant Servientes ad arma, ſua quoque Sceptra ferentes, proximique ante Currum regium Comes *Forthenſis*, Copiarum auguſtarum Archiſtrategus, & Comes *Dorſetenſis* Familiæ Reginæ Dominus Camerarius. Ad eſſedi partem qua conſidebant Rex & Regina adequitabant *Rupertus* & *Richmondiæ* Dux, Comitatum autem ſplendidiſſimum claudebant ex regiâ Turmâ generoſi. Deventum ad *Quadrivium* cum eſſet, oratione *Anglicanâ* Reginam aliquandiu detinebat *Timotheus Carter*, Clericus urbanus; eiq; in obſequii teſſeram, marſupium dein, aureis refertum, detulere Cives quam â Vicecancellario & Sodalitiorum Præſidibus ad Ædem *Chriſti* ſalutatam, in *Mertonenſium* Arboretum deduxit *Carolus*, viâ per Hortulos binos, quorum alter ad Ædis præfatæ Canonicum, alter ad Collegium Corporis *Chriſti* ſpectabat, patefactâ. Cuſtodis inde Cœnacula ingreſſam Oratione facundâ excepit publica illa Togatorum vox *Strodus*; quâ finitâ Poematum latinorum & vernaculorum [a] Libellum (quo ſcilicet de appulſu ejus in *Angliam* gratulatæ fuerant Muſæ *Oxonienſes*) una cum magni pretii chirothecis, tanquam obſervantiæ profuſus immenſæ leviſſima pignora, Academicorum omnium nomine obtulimus.

[a] *Edit.* Oxon. 1643.

Decimo

Decimo quinto *Augusti* coram Delegatis regiis disceptata [b] lis est, Academicos inter & Oppidanos de Privilegiatorum taxatione, in libris bis mille (quas utiq; Cives mutuas *Carolo* accommodasse prædiximus) colligendis coorta. Factâ enim eam in rem per literas Regias potestate, tributum suis irrogârant Cives. Sed cum neque Nostrates, Privilegiatos nempe, prætermisisse deprehenderentur, inspectis Oppidanorum computis Libras tantum quadraginta de summâ prædictis imperatâ detrahendas censuimus, ne scilicet jure nostro abscedere videremur; quod quidem omnino fieret, si integrum Civibus esset potestatem in alienâ provinciâ exercere. Cæterum ne rationibus interim Regiis obesset Ditionis togatæ assertio, non recusare sese affirmabant Vicecancellarius Ædiumque Rectores, qui cum Consiliariis ibi tum aderant, quin ad summam expetitam complendam pecunia per Præfectum Urbanum aut alium quemvis eo quod ipse decerneret *Carolus* pacto colligeretur. Quapropter, ex utriusque Municipii consensu corrogandam illico pecuniam reliquam pronuntiabant Proceres; cauto tamen ne id exemplo ita cederet, ut in lite aliquâ deinceps emersurâ alterutræ parti fraudi esset.

Eodem die de Legione *Oxonii* mature conscribendâ & alendâ consilia miscebant Optimates, quam utique ex Incolis, Oppidanis juxta & Privilegiatis, confieri oportebat; exclusis Tantum togatis, eorumque Famulis & Officiariis, qnotquot nempe quotidianis Sodalitiorum negotiis destinandi necessario essent. Convenientibus in hæc utriusque Municipii Magistratibus, Vicecancellario & Prætori mandatur, ut de pecuniâ hunc in usum erogandâ primo quoque tempore deliberarent; & coeuntibus tandem sententiis, colligendam prout vectigalia solent alia tributim curarent. Expedire porro videbatur ut Edictum Regium, à priori quodam formâ non absimile, efflagitarent, quo scilicet Vicecancellarius ac Prætor ad id negotii sedulo magis transigendum impellerentur; illo tamen impetrato moras adeo ducebant Oppidani, ut necesse *Carolo* fuerit eosdem haud semel per literas corripere, & ad accelerandam eâ in re operam incitare.

Parvo temporis intervallo de Propugnaculis novis (neque enim munitiones hoc annoque prægresso absolutæ rei bellicæ peritis placebant) consultatio incidit; quibus extruendis grandes pecuniarum summæ Togatis & Oppidanis, ad imam pene inopiam redactis, subinde expendendæ erant. Utcunque, quod fore quidem præsenserant omnes, decimo octavo *Januarii*, habitâ prius inter Proceres aliosque Regis Delegatos & Sodalitiorum Præfectos deliberatione, convenit ut octingentæ aliæ libræ largitionibus superioribus Academicorum adderentur. Quadraginta nimirum libris, hebdomadatim, per viginti septimanas pensitatis.

Per hæc tempora rem partibus regiis non prorsus inutilem aggressus est *Knightleius* quidam, Armiger & Chiliarcha; siquidem hic sagittariorum volonem manum, ad mille ducentos, conscribendam inq; Legionem ordinandam suscepit. Literas [b] ergo ad Academiam primo *Octobris* hoc anno dedit regia Majestas, petens à nobis quibus hoc negotium commendabat ut viro prædicto liberum esset delectum eam in rem Togatos inter & Privilegiatos facere, utque rationem porro excogitaret Universitas quâ eorum stipendia promoveret quotquot militiam illam ultro amplecterentur. Atque literæ quidem istæ cum Senatoribus Academicis de more sunt communicatæ, qualem vero effectum sortitæ fuerint minus constat. Hac autem tempestate affectis *Athenarum* nostrarum rebus, quoad saltem liceret ac tumultuantis Reipublicæ mala paterentur, subveniendum rati, de novo Cancellario agere occœpimus; *Pembrochiensem* nullâ nobis in re operam præstantem, sed potius Togatorum commodis pro virili obnitentem, Magistratu deturbandum existimantes; quem proinde gravissimorum delictorum reum peregimus, totius accusationis Capitibus in hanc demum formam redactis.

I. Objicitur quod Universitatis curam & administrationem ex quo in Cancellarium cooptatus fuerat omnino prætermisisset; velut perturbata ejusdem disciplina & regimen satis dilucide testarentur. Quodq; per integros quinque menses nil quicquam curaverat. Tribunali Cancellarii forique Academici omnimoda administratione Assessori per diploma commissâ, qui inconsulto Vicecancellario jus diceret, contra Statuta & Consuetudines Academicas (de quibus tamen observandis ac tuendis juramentum dederat;) quæ quidem perpetrata non fuerant sine egregio Facultatis supremæ dedecore ac damno, utpote cui ab omni ævo concredita sunt Universitatis & rerum nostrarum gubernacula.

II. Quod Togatorum Privilegia deditâ operâ prodidisset; cùm in Procerum domo, ubi authoritate tunc temporis aliquantum valebat, ne unicum verbum nostri in gratiam rogatus interposuerit.

III. Quod ante annum & quantum à Mense *Septembri* defluxerat, Academiam, in manus Perduellium jamjam deventuram, opemque proin ejus implorantem, repudiarat, ac res sibi suas habere jusserat; fidem adversus Regem & Arma contra Parliamentum gestata in supplicem (quod ex literis ejus abunde constaret) impingens.

IV. Quod Academicos probris & maledictis onerârat, *corruptissimorum nebulonum gregem* appellitans; quodque famulo nobis infensissimo, & facultatibus nostris ac latifundiis inhianti, *Mich. Oldsworth* in omnibus auscultârat.

V. Denique quod Ecclesiæ direptioni, immo eversioni; atque adeo Academiæ reique literariæ, necnon Religionis & celeberrimæ Monarchiæ interitui studuisset.

Horum utique criminum virum postulavimus, & compertum habuimus; Perduellium vero partes secutum indignum pronuntiavit *Carolus* qui manipulo subditorum fidissimo præesset; abrogatur itaque malemerito Magistratus, ejusque in locum sufficitur *Hertfordiæ* Marchio, qui XXIV. *Octobris* Cancellarius renuntiatur; qua de re plura legas in Cancellariorum & Procuratorum catalogo, ad calcem secundi libri reperiendo.

CIↃDCXLIV.

Sago Togam & quadrata rotundis commutârunt sub id Academici plerique omnes, demtis nimirum quos vel senium inhabiles ad res bellicas reddiderat, vel quorum timiditati aut ignaviæ integumento erat Tunica sacra. Reliqui autem in aciem ordinari ac decurrere, excubias nocturnas ac diurnas agere, eruptiones expedire, neque quicquam prætermittere quod militis esset strenui & exercitati, aut ad Urbis defensionem quoquo modo pertineret. Quare prædixisse sufficiat, gestis à re literariâ prorsus alienis tunc insudatum (nisi quod non aliter asserendæ Artes ingenuæ) duplicique nomine commendatam *Oxoniam*; quod Mu-

[a] *Ut in pix. β. ut supra.* [b] *In S. ut supra p.* 36.

 sarum

farum, & *Caroli* ſedes; neque enim memoratu indignum quibus procellis conflictati fuerint cum à *Minervâ* exauthorati ſub *Pallade* mererent *Oxonienſes*.

Decimo quinto *Aprilis* Comitia *Oxoniæ* celebrabant Proceres ac Plebei, Pſeudo-Senatu quidem numero pauciores, authoritate vero regiâ muniti, & pro legitimo propterea Regni Parliamento habendi. Scitum autem ibi tum eſt, quo validiori præſidio firmatum Oppidum Rebellium aggreſſiones haudquaquam perhorreſceret, I. Ut Legio ſubſidiaria conſcribererur ſub *Dubris* Comite militatura, ex Academicis vero juxta & aliis quibuſque conflanda, neque Urbe, niſi ſiquando obſidione cingeretur eruptiones repentinas facere oporteret, educenda; porro die Jovis, vel etiam ſæpius veluti Ductoribus videretur, ad rem bellicam hebdomadatim exercitanda; prohibito tamen ne vigiliis maceretur, aut alia quævis munia obiret, niſi hoſtilibus copiis circumvallatâ *Oxoniâ*, aut inopinatis Belli momentis operam ejus efflagitantibus, licet hac excuſatione minime fuerint uſi Academici, qui omnia deinceps præſidiarii militis munia, perpetuo obibant. II. Siquis Arma ſibi comparare atque militiæ nomen dare, vel ſi minus valeret ipſe, vicarium ſubſtituere detrectaret, Commercio omnimodo prohibitus clientelâ regiâ, necnon Academiâ & Urbe (demtis tamen Scholaribus) ejiceretur; cauto interim, jure armorum proprietario, quod vocant, ſpoliandos non iri qui in Legione illâ militarent; ſed neque Generoſo cuivis vetitum fore *Oxoniâ*, ſiquando rei domeſticæ uſus poſtularet, abſcedere, modo Chiliarcham prius faceret certiorem, ne ſcilicet expeditionem aliquam ſuſcepturus ille abſentes fruſtra expectaret. III. Ut quotquot conſcriberentur Generoſi, ſub ipſo Chiliarchâ, vel Chiliarchæ Locumtenente, vel denique Legionis Inſtructore militarent; Scholares autem eorumque Famuli in Vexillationes ſeorſim ab hoſpitibus redigerentur. Denique præceptum ut quantâ fieri poſſet celeritate Legio compleretur; quem in finem prodiit XXVIII. *Aprilis* Edictum Regium, juſſique ſunt *Oxonienſes* omnes, tam urbem incolentes quam Suburbana, Comitem *Dubrenſem* aut ab ipſo deputatos, infra triduum adire, nominibuſque reſpondentes quo genere armorum uterentur profiteri, apparatum quoque bellicum, quoad facultates ſuppeterent, ſibi comparare; poſtremo, pugnæ præluſionibus ac ſimulachris informandos ſeſe ad prælia ſiſtere. Porro ſiquis hæc aut cunctanter aut non omnino præſtaret, animi à Partibus regiis alieni poſtulandus, graviterque proin mulctandus decernebatur.

Imperata quam maxime ſedulo fecere Togati, atq; ſub auſpiciis Collegiorum majorum, viz. Ædis *Chriſti*, *Magd.*, *Novi*, &c. in vexilla diſpoſiti ſunt decimo quarto *Maii* die, qui Martis erat, in Arboreto *Magd.* una cum hoſpitibus qui in Collegiis convenerunt, ubi ad triginta ſupra ſexcentos in Cohortes ordinati ſunt, deinceps plus mille confecerant, & arma Legionis Inſpectori luſtranda exhibuere; velitationibus autem voluptariis magnam ſui opinionem excitabant Academici, tantâ eaſdem peritiâ obeuntes, ut muniis militaribus à teneris ſtatim unguiculis aſſueviſſe viderentur. Die Martis proximo in Campis *Bullingtonianis* & *Cowleienſibus* copiarum tum noſtrarum tum urbanarum inſtituitur Armiluſtrium, præſente utrobiq; Regiâ Majeſtate; Cohortes vero Academicas ductabat Comes *Dubris* vel *Doverenſis*, Oppidanis autem tanquam Chiliarcha præfuit *Thomas Smyth*, coctor cerevifiarius, Prætor hoc anno *Oxonienſis*.

Viceſimo nono *Maii*, in quem incidebant Feſti *Aſcenſionis* Vigiliæ, cum Agmine Parliamentario *Abendoniâ* abſceſſere Comes *Eſſexiæ*, & *Gulielmus Waller*, Eques auratus, ſuperatoque trajectu *Sandfordiano* per *Cowleiam* Campoſque *Bullingtonianos* *Iſlepiam* verſus ducebant, & loca Urbi finitima provocantium ad inſtar horas aliquot obequitabant, occaſionem interea nacti impedimenta ſine diſcrimine aliquo ab extremo exercitus latere præmittendi. Trepidatum enimvero nobis tunc temporis eſt; adeo ut precatiunculis a binis, juſſu Regio ex re natâ conceptis in Eccleſiis omnibus & Sacellis uteremur, alterâ *Caroli* ipſius, alterâ Univerſitatis ac Urbis vice Deum obteſtati. A meridie vero Propugnaculis ad S. *Clementis* manu factâ erumpebant Academici & Oppidani, levique velitatione cum Speculatoribus quibuſdam Parliamentariis dimicantes, prima virtutis bellicæ, neque contemnenda quidem, dedere documenta, nonnullis utrinque cæſis & vulneratis.

Sexto *Octobris* die (dominicus is erat) funeſtum *Oxoniæ*, neque Annalium noſtrorum memoria æquandum, graſſabatur Incendium; quod in tuguriolo quodam ad auſtralem vici *Thameſini* (hic à Portâ Boreali ad Pontem quem vocant *Altum* proficiſcentes excipit) partem, horâ quaſi ſecundâ pomeridianâ, ex militis gregarii Porcellum furto comparatum aſſantis incuriâ prorupit. Vehementior erat ab Aquilone ventus, flammaſque eâ celeritate diffudit, ut obnitentibus fruſtra mortalibus, quicquid Ædificiorum inter latus occidentale Vici *Boreа-Portenſis*, & *Ballivam* quam vocant borealem vulgo **Newinne Lane** interjaceret, præter unicum ædificium quod B. *Mariæ* Collegium dicebatur, repentè conflagrârit. Hinc *Macellum*, ſeu Vicum *Laniorum*, pervaſit Incendium, ac Domiciliis inter Templum S. *Martini* & Divi *Petri* in *Ballivâ* collocatis penitus exhauſtis, hortos areaſque ædium poſticas mirâ pernicitate ſupergreſſum eſt, & Plateam *Penverthingianam* vocitatam, partem ejus Orientalem ſi excipias, in cineres redegit. Arſere demum vicus à carne bovinâ (**Beef hall Lane**) cognominatus, præterquam quà ad S. *Aldati* Eccleſiam vergit, & vicus à ſtrage aliquâ veteri **Slaying-Lane** dictus, necnon habitacula quædam inter Templum S. *Ebbæ* Pontemque *Prædicatorum* ſita; ibi autem gradum ſiſtebant flammæ prædâ quodammodo ſatiatæ, intactis plane & illæſis ex divinâ clementia Collegiis, Aulis, Eccleſiiſque, frumenti quoque & Apparatus bellici Reſpoſitoriis. Hæſit quidem, nec immerito, in Perduellium Copiis *Abendoniæ* habentibus cladis illius ſuſpicio, quam & temporis opportunitas (ventus enim, quod prædiximus, violentior erat, & *Oxonienſes* plerique omnes Cultui divino in Eccleſiis parochialibus paſſim vacabant) & flammæ pluribus in locis prorumpere ſimul viſæ, Cohortes etiam Parliamentariæ haud procul *Oxoniâ* in procinctu ſtantes, quaſi perdomitis ignibus ſuccenturiandæ eſſent, mirifice augebant; quibus acceſſere *Richardi Browne* (Exercitûs ille Inſtructor, & Præfectus *Abendonenſis* erat) minæ, qui Viris haud vulgaris notæ nonnullis pridem denuntiârat, ſi non Urbem noſtram integram partem utcunque quantam poſſet flammis brevi traditurum, quique proximo poſt cladem illam mane molendinum *Botleienſe* incendio delevit, & Pagos circumcirca ſitos populatus annonam proventumque omnimodum, ſupellectilem etiam Agreſtium domeſticam, vel corrupit illico vel in jumentis deportavit.

[a] *Edit.* Oxon 1644.

CIↃDCXLV.

Geſta *Oxonienſium* perpauca hoc anno occurrunt, Annales enim noſtri ſolâ Graduum largitione, perceptis eam frequenter in rem à Cancellario literis, turgeſcunt. Comitia integro jam quadriennio prætermiſſa fuerant, neque variis poſt annis celebrata comparent: Exercitia minus ſolenniter præſtabantur, Scholis pleriſque, velut retro dictum, in granaria, & apparatus bellici Repoſitoria converſis, aut Senatorum Regiorum uſibus inſervientibus; ſed & in Sodalitio quovis rara admodum erant Gymnaſmata Scholaſtica. Hoc autem anno memoranda potiſſimum venit Obſidio quâ Noſtrates diebus quindenis premebat D. *Thomas Fairfax* Eques auratus, & Archiſtrategus Parliamentarius. Is enim decimo nono *Maii* prope *Cowleiam*, modicâ Equitum manu ſtipatus adfuit, unde Peditum juxta & Equitum acceſſione fretus per Campos *Bullingtonianos Merſtonam* contendebat, Copiis obiter in Colle *Hedingtonenſi* oſtentatis. Viceſimo ſecundo dicti Menſis Urbem occœpit circumvallare, ductâ ex ulteriori *Cherwelli* ripâ Loricâ, ipſoque Flumine haud procul Merſtonâ Ponte inſtrato. Viceſimo tertio *Maii* Ædibus *Godſtovienſibus* flammas injecit egregius vir *David Walter*, earundem Dominus, ne Perduellibus utique in Propugnaculum cederent præcavendum arbitratus; dieque proximo quatuor Peditum Legiones cum Tormentis tredecim ponte quem dixi trajecit *Fairfaxius*; cujus ſtativa primaria *Merſtonæ* erant, *Cromwellianis Witehamiæ*, *Brownianis* autem *Wolwercotæ* collocatis. *Maii* ſeptimo Legiones binæ, Albata nimirum & Ruſſata, cum Tormentis totidem, *Botleiam* prætergreſſi *Hinxeiam* auſtralem perrexere, tranſmiſſâ imprimis ad Pontem *Godſtovienſem Iſide*; Tormentis vero præfatis in Ædes *Oliveri Smyth*, ultra Fratris *Rog. Baconi*, quod vocamus, Muſæum ſitas, regioque Præſidio firmatas, perpetuo effulminatum eſt; *Oxonienſes* eâ ex parte laceſſentibus frequenter Copiis parliamentariis, ſed infelicem belli aleam ut plurimum expertis.

Cæterum urbem tantum non eminus huc uſque impetitam, & ſpecie ſaltem obſidione cinctam advertens Præfectus *Oxonienſis*, *Leggius*, danda virtutis noſtræ ſpecimina, eruptione in Hoſtem factâ ſtatuebat: & proinde ſecundo *Junii*, albeſcente luce Equites Pediteſque, ad Mille circiter, in Collem *Hedingtonenſem*, ubi Excubias agebant Copiæ Parliamentariæ eduxit. Adventantes convitiis proritabant Perduelles, & vibratis provocantium ritu telis congredi ſecum Regios haudquaquam auſuros ſignificabant; dum noſtri interea pedites, per ſilentium rectâ in Collem tendebant, Academicorum manipulos ducente *Roberto Mede*, Ædis *Chriſti* cohortis duce fortiſſimo: Equitibus ſub vexillis *Walteri* chiliarchæ, *Thomæ Gardiner*, Equitis aurati, & *Gracæi*, flexo itinere cum expeditis quibuſdam procedentibus; qui per *Hocleiam* clam præmiſſi & ad vici *Cheyneienſis* partem extremam circuitu pertingentes, cum pedites manus conſerere inciperent, tanto impetu Parliamentariorum terga cædebant ut verſo in fugam hoſtium Equitatu, pedites de ſalute ſtatim deſperarent, adeo ut ex ducentis fere vix unus cladis inſperatæ nuntius incolumis evaſerit; cæſis enim plus quam quinquaginta, ad nonaginta & binos capiuntur (edixerat enim Præfectus ut à contribulium ſanguine quantum fieri poſſet abſtinerent *Oxonienſes*) quorum de numero Equites erant ſeptem; cum uno Rebellium Ductore, *Gibbons* nuncupato, ejuſq; Locumtenente, *Catharo* nequiſſimo, in conſceleratis utique animandis Buccinatore evangelico. Hac partim clade abſterriti duces Parliamentarii, obſidionem inanem quinto *Junii* ſolvunt, dieque proximo ad Domicilium *Borſtalienſe* ſecus **Brehill** exercitum duxit *Fairfaxius*, quod aggreſſione repentinâ expugnare fruſtra nitebatur, acriter qui in præſidio erant Ædes defendentibus, ac præſertim *Gulielmo Campion*, Equite aurato, earundem Præfecto.

Aliquanto poſt obſidione longe graviori premendam brevi fore *Oxoniam* præſentiens Rex *Carolus*, Urbis Præfecto edixit ut Vicecancellarium, Sodalitiorum Rectores, Prætorem quoque urbanum, Aldermannos, ac Ædiles mandatorum ſuorum commonefaceret; ſiquidem divulgatum haud ita pridem per Præconem fuerat, explorandum ſedulo Magiſtratibus incumbere, an *Oxonienſi* cuivis ſive Municipi ſive Privilegiato (de militibus enim publice proſpectum) Annonæ ſatis in ſex Menſes ſuppeteret. His autem præſtitis quicquid frumenti reive cibariæ defuit in Urbem aſſidue ſubvehebatur; ne tamen ex paucorum forte aliquorum neglectu incommodi quicquam paterentur obſeſſi, promulgantur denuo (hoc eſt duodecimo *Januarii*) juſſa Regia, ſimulque ſignificatur decimo nono Menſis ejuſdem, exquirendum quam maxime ſedulo iri, ſiquis imperata facere prætermiſerit; quod utique delictum laturi impune non eſſent immorigeri.

CIↃDCXLVI.

Haud ineptus jam tandem comparuit qui *Oxonienſes* inceſſerat Obſidii arctioris metus: rebus enim Regiis poſt *Naſebeienſem* cladem retro fluentibus, à partibus Regni occidentalibus victricia ſigna ducens *Fairfaxius*, ineunte *Maio* huc pervenit, Urbis noſtræ oppugnationem ſerio demum aggreſſurus, quam tamen perdifficilem reddebat præſidium regium, militibus aliunde elapſis firmatum; maxime vero invictus *Ruperti* animus; is enim, *Carolo* Perſonam obſcuriorem induto & ante quadriduum clam dimiſſo, una cum fratre *Mauritio*, ac illuſtri *Anglorum* Procerum & Generoſorum manu in ſtatione manebat.

Locus jam poſtularet, ut ex quo *Oxonia* præſidio Regio teneretur, Præfectorum urbis ad invicem (ceu Magiſtratus Academici) ſucceſſiones ordine ſubtexerem, & eorundem res geſtas ſcriptis conſignarem; nimirum quid *Gerardus*, *Pennimannus*, *Aſhlæus*, *Gagæus*, *Aſtonus*, *Leggius*, *Glenhamus*, magna belli nomina, domi foriſque geſſerint, præſertim cum Academicorum virtus ubique emicuerit; niſi quod hoc eſſet in alienam meſſem falcem immittere, & civilis belli commentarios adornantium ſcrinia compilare. Interim cognoſcant Annalium noſtrorum lectores, cum *Baſingam* obſidione liberatam didicerint per tam longinqua itinera, & interpoſitas undique hoſtium copias; Volonem togatorum manum præſto illic adfuiſſe. Cum Occupatam legerint *Abendonam* & protenus amiſſam, *Medi* ſciant noſtri virtuti imprimis ſucceſſum referri oportere; aliorum ignaviæ imputandam turpem quæ ſtatim ſequebatur repulſam. Pariter dicendum de reductis *Demingtona* tormentis majoribus, & omni apparatu bellico ibidem depoſitis, poſtquam ad *Newburiam* malè eſſet pugnatum. Et ne in ſingulis hæream, cognoſcendum

utiq; *Campsfeildum*, ~~*secus Wadsworthiam*~~ (quæ postquam ferè omnia in Rebellium potestatem perveniſſent cum Equitatu *Oxonienſi* hiemem totam per media hoſtium præſidia tranſegit, iſtis vi doliſq; perpetuis nequicquam ſatagentibus) periculorum omnium participem habuiſſe *Medum* ſuperius memoratum, cum ſuis Academicis. Porro memorare fas fuerit, quod non in *Oxonii* & regionis circumcumjacentis tutelâ ſe continuit Academicorum virtus; illi ſiquidem Exercitibus regiis quocunq; locorum ducerentur perpetuo intererant. Tot certe peregre militabant, ut quis jure miraretur, aliquos urbis præſidio ſuperfuiſſe; & vice verſa, tanta hic merentium copia, ut non facile quis in animum induxerit dari poſſe aliquos qui alio proficiſcerentur. Ex centum qui in Eccleſia *Chriſti* habentur alumnis, (convictores ſi adderem ingens eſſet numerus) viginti militiæ Regiæ cum imperio præfuere; reliqui pene ad unum omnes hic loci gregariorum munia impigrè ſubierunt: pariter de aliis Collegiis dicendum. Certè ſagaciſſimus rerum omnium æſtimator *Carolus* eam de Academicorum ſuorum fide, & fortitudine opinionem habuit, ut ſi quando per civilium armorum decurſum *Oxoniâ* evocaretur, ſolenne habuerit, non ante decedere quam legionis Academicæ Duces coram advocaſſet; peculiari eorum curæ Præſidium hoc, & Cariſſima illa quæ hic loci depoſuit pignora commendaturus.

His obiter adnotatis, ad Tragœdiæ noſtræ, & *Anglicanæ* gentis, quam non alia unquam fata manent, quam quæ habet Academia, Epitaſin pervenimus. *Fairfaxius Maii* primo, Copias *Abendoniam* inter & *Garſingtonam* recenſuit, quarum ad noviſſime dictam Stativa primaria collocavit.

Secundo *Maii* in Campis *Bullingtonianis* univerſi Exercitus Armiluſtrium inſtituitur, militeſq; dein per *Heddingtonam*, *Merſtonam*, Pagoſq; finitimos diribētur.

Die proximo, comitante Ductorum primo quoq; Urbem perluſtravit Archiſtrategus, crebriſque munimentorum additamentis firmatam abunde agnovit, ex quo obſidione præluſoriâ eandem cinxiſſet; loci enim poſitione utcunque munitam, Propugnaculis pridem & fluminum alluvione circumſepſerant adeo Regii (poſtquam ſcilicet in Belli Arcem & præcipuum *Caroli* perfugium converteretur) ut pro inacceſſâ jam, neque immerito, habuerint Parliamentarii. Sita quippe eſt inter fluvios *Iſidem* & *Cherwellum Oxonia*, quorum primus ad occiduum, alter vero ad Orientale ejus latus defluit, Urbemque præterlapſi in Alveum unicum ad Auſtrum coeunt; depreſſis adeo Ripis contenti ut Aggeribus & Cataractis paſſim collocatis, ubicunque obſeſſis viſum eſſet intumeſcere cogantur; Campiſque ac Pratis longe late diluvio coopertis, aditu omni propemodum ex parte copias hoſtiles prohibere: Porro cum *Iſidis* undas per alveos juxtâ *Hinkſeiam* longè ab urbe derivaſſent hoſtes *Cherwello* deſertas foſſas inundare inſtituimus. Ab Aquilone autem (ubi ſcilicet intumeſcit terra neque ſtagnantia recipit flumina) Propugnacula comparebant frequentia, tantâ in ſui invicem defenſionem arte conſtructa ut validiora vix alibi in *Anglia* compereris, in quibus perinde ac interjecti muri Loricâ, ſecundum extremos munitionum limites, duplici vallo inſultus hoſtiles arcebantur; extremum vero Foſſæ Labrum, præterquam quod Palis firmatum erat, invium reddebatur, accedentibus porro qui ſparſim effodiebantur ſcrobiculis innumeris, adeo ut vix ſinguli pedites abſque ſummo diſcrimine ad Valli marginem appropinquarent. Ut autem iſta melius intelligantur munimentorum icnographiam apponendam duximus.

Urbem denique ipſam tuebantur Pedites veterani quinquies mille, qui ab ipſo Rebellionis initio Regi militârant; Annonæ porro & apparatus bellici affatim erat; ut verbo expediam, nil plane quicquam defuit quod ab Arte aut Naturâ ſuppeditari poterat. Sed fruſtra hæc omnia, cum acciſis optimi Principis rebus, ſola fere ſupererat *Oxonia*. Loci autem viribus, à *Fairfaxio*, quâ erat militari inſtructus peritiâ, perſpectis, ſubitariis haudquaquam acceſſionibus, verum obſidione urbem diuturnâ expugnandam pronuntiavit, & Concilio, quod vocant, bellico *Heddingtonæ* propterea coacto, in hæc demum convenere Ductores. Stativa prima ad Collem *Heddingtonenſem* collocanda; circumducto quo bellatores ter mille caperentur vallo; deinde *Cherwellum* infra *Merſtonam* Ponte inſternendum; ad Borealem quoque Urbis partem, hoc eſt inter fluvium utrumque, ſtativa alia diſponenda, quem locum Cohortes pene omnes pedeſtres occuparent, quod illâ tantum ex parte Impreſſionibus aliquatenus pateret *Oxonia*. His vero mirâ celeritate abſolutis, Loricam, à Propugnaculo majori in Colle *Heddingtonenſi*, ad Viam prætoriam ſecus Noſocomium S. *Bartholomæi*, atque inde ad Scrobes **Campus pitg** appellatas perducendam, infraque Tormenti majoris ictum ab Urbe diſtantem, inchoarunt Perduelles; quâ demum perfectâ, & ſtativis porro quatuor collocatis, Præſidiis quoque minoribus vicinis (Ædibus nempe *Borſtallenſibus*, Caſtro *Wallingfordenſi*, necnon quæ *Farringdoniæ* ponerentur) circumvallatis, *Thomam Glenham*, Equitem auratum, Præfectum *Oxonienſem*, tranſmiſſo nuntio de Urbe dedendâ his verbis admonuit *Fairfaxius*.

Domine.

Per has ego te monitum volo ut Urbem *Oxoniam* "
in manus mihi dedas, in uſum Parliamenti. Loci "
ejus, eruditione adeo nobilitati, conſervationem ani- "
mitus expeto; ejuſdem excidium, non niſi ex aſſenſu "
tuo præcavendum, omnino averſatus. Conditiones "
tibi, omnibuſque qui in Præſidio illo ſunt, honeſtas "
impetrabis, modo mature admiſeris. Reſponſionem "
hodie tranſmittendam flagito. Sum autem inte- "
rea.

Servus tuus
Thom. Fairfax.

11. *Maii* 1646.

Ad illa vero hunc in modum reſcripſit *Glenhamus*.

Domine

Literas tuas accepi, ut Urbe mihi in rem Regiam "
concreditâ cedam denuntiantes; quoniam vero in "
eâdem commorantur haud vulgaris notæ viri com- "
plures, petere neceſſum habeo, ut Reſponſi loco po- "
ſtulationem admittas, utque tranſmiſſis de libero "
commeatu literis, *Johanni Mounſon*, Equiti aurato, "
& D. *Philippo Warwick*, indultum ſit, tecum, loco "
ac tempore à te ipſo aſſignandis, ſermones conferre, "
à quibus edocebere quænam in præſentia efflagite- "
mus.

Servus tuus humillimus
11. *Maii* 1646. *Tho. Glenham.*

Conceſſis de ſalvo quem vocant conductu teſſeris, Delegatos ſive Commiſſarios parliamentarios, *Rainſburgenſem* nempe, *Harlovium* vel *Harleyum* & *Lambertum*, Chiliarchas, eodem die conveniunt Legati Regii; petere *Glenhamum* ſignificantes ut ſibi liceret

10633332

lib. 1. p. 364

Ichnographia OXONIÆ

una cum Propugnaculis et Munimentis quibus cingebatur Anno 1648

α Porta orientalis.
β Platea alta.
γ Templum D: Pet: in orient.
δ Templum B: Mariæ.
ε Templum omn: Sancto:
ζ Templum S^ti. Martini.
η Templum S^ti. Petri in Bai
θ Templum S^tæ Ebbæ.
ι Templum S^ti. Aldati.
κ Templum S^ti. Michael:
λ Templum S^tæ Magdal:
μ Pons grandis.
ν Vicus occisionis.
ο Platea piscaria.
π Platea quinq; quadrant:
ρ Vicus Ursinus.
σ Macellum.
τ Vicus Novi hospit:
υ Vicus Bovinus.
φ Parochia B: Thomæ.
χ Pons altus et Platea Tham
ψ Platea borealis.
ω Fossa Candida.

A Ecclesia S^ti. Ægidij.
B Via Woodstocham ducens.
C Ecclesia S^tæ Crucis.
D Pons Magdalen:

Occidens

Orient

Dorobernensis Specula

Charwell fl.

10633332

ret *Carolum* ipſum ſuper eâ re per nuntios conſulere, cujus utique perceptis mandatis Reſponſionem Archiſtratego liquidam & expeditam tranſmiſſurus eſſet.

Regerebant Commiſſarii vaniſſimam hanc eſſe poſtulationem, neque enim moras tam diuturnas laturum Archiſtrategum; hortari itaque ſe ut occaſionem præſentem avidiſſime arripiant *Oxonienſes*, ne ſcilicet illâ prætermiſſâ conditionibus longe aliis contenti demum ſint quam quas reportare tunc temporis poſſent; verum cum poteſtate præfinitâ inſtructi accederent *Mounſonus* & *Warvicus*, tranſigere porro cum Rebellibus nequibant, ac proinde ulteriorem negotii diſceptationem in diem proximum relinquentes ad ſuos remearunt.

Duodecimo *Maii* (dies ille Martis erat) rediit in Caſtra qui Legatos Regios *Oxoniam* pridie deduxerat Buccinator parliamentarius, diem longiorem expoſcere *Glenhamum* ſignificans, quæq; tum Incolis ipſis, tum vel maxime Duci *Eboracenſi* & Principibus binis, necnon Proceribus, Equitibus, & Senatoribus, Generoſis porro, Clericiſque haud paucis (Urbe nimirum pariter incluſis & communi aliquâ calamitate involvendis) deditionis ejus neceſſitatem edocendis ſufficeret. His non admodum gravate annuit *Fairfaxius*; ne ſibi autem periret quod regiis conceſſum erat temporis ſpatium, quæ ad obſidionem pertinerent maturanda curavit, Lineâ quam vocant, caſtrenſi, & Suggeſtis Tormentorum, (quorum utique diſploſionibus noſtrorum animos percelleret potius quam Propugnacula laceraret) acceleratis.

Eodem die Equitibus quaſi centum ſtipatus, Munimentis aquilonaribus, auræ tantum liberioris gratiâ, (neque enim vel Ocreas induerat) exceſſit *Rupertus*; quâ quidem ex parte in ſtatione agebat Legio *Rainſburgenſis*. Obequitantium regiorum certiores facti Rebelles, habitos ſeſe deſpicatui exiſtimantes, numero pares obviam prodibant; cæterum levi tantum velitatione commiſſâ receſſere ſtatim, Regiis in Urbem poſt paulo regreſſis, quorum Ductor *Rupertus* Humerum dexterum glande leviter (ipſi ſiquidem Omoplatæ injuriæ nil quicquam fiebat) percuſſum referebat. Triduo autem integro ſuſpenſi admodum ac ſoliciti erant *Oxonienſium* animi, qualem denique tractata cum Parliamentariis deditio exitum ſortiretur lubenter intellecturi; die vero *Maii* decimo quarto, qui Jovis erat, Archiſtratego nuntiari juſſit Urbis Præfectus, cupere ſe ut per Delegatos propediem de pace agatur: quapropter coacto ab Hoſtibus Concilio bellico Domus *Untoni Croke* Generoſi *Merſtonæ* poſita, Colloquio aſſignatur, proximo Lunæ die ineundo.

Decimo ſeptimo *Maii* Delegatorum ſuorum nomina tranſmiſit Præfectus, ut ipſe totidem nominaret à *Fairfaxio* petens, quod quidem haud ſecus præſtitum, Regiorum de numero (quatuordecim autem erant) fuere Academici bini, nempe Doctor *Richardus Zouch* & *Robertus Mead*, centurio, quibus utiq; demandatum eſt Gentis Togatæ commodis ſpeciatim conſulere. His autem peractis, die præſtituto convenere utriuſque partis Legati, tranſmiſſo cum noſtris *Henrico Daviſon* Armigero ipſius Præfecti Secretario, literis aſſertitiis, ſeu liberi commeatus, munito, adhibitoque à Rebellibus *Gulielmo Clarke*; quibus utique id muneris incubuit, ut pactas utrinq; conditiones in Acta referrent. Fœderis demum capita proponebant Regii, quæ per *Richium*, Chiliarcham, & *Watſonum*, Magiſtrum ſpeculatorum generalem, è Commiſſariis vero hoſtilibus binos, Parliamento prius deferenda credidit *Fairfaxius*, quam per ſe rata haberentur; cæterum poſtulationes noſtras tanquam intolerabiles rejecerunt Ordines, ne diſceptandas quidem in Comitiis arbitrati, ac proinde ad Archiſtrategum reſcribentes, ut Urbem quâ maxime viſum eſſet ratione in poteſtatem redigeret.

Conditiones itaque, triceſimo *Maii*, *Oxonienſibus* à *Fairfaxio* feruntur; quæ quamvis prædictis duriores eſſent deliberationi tamen ſubjiciendas exiſtimavimus; viribus noſtris Urbiſve firmitati haudquaquam (ut perhibuimus) diffiſi, verum fati ineluctabilis (cujus nimirum ope Arma ubique victricia circumferebant Perduelles) probe conſcii.

Per hos dies licet ad Pactionem iri veniendum nequaquam dubitaretur, velitationes crebras habuimus, quin & continuis Tormentorum Diſploſionibus Glandes majores in Caſtra & ſtationes hoſtiles libravimus, Apparatum bellicum, priuſquam in manus Parliamentarias traderetur, abſumere magis geſtientes, quam damni multum Obſeſſoribus inferendum ſperantes; peritiam tamen, ut fit, oſtentare cupientes Bombardarii Machinarum ictus ad libellam adeo dirigebant, ut ſtativis *Heddingtonenſibus* (ubi interfectus eſt *Coſtworthus*, Legionis Subtribunus) necnon *Rainſburgenſibus* illis Globos immiſerint, in quorum noviſſime dictis nonnullos contrucidatos in tentoriis liquet. Sed neque ceſſabant interea Tormenta hoſtilia, quin Ædificiis noſtris & Propugnaculis pari ardore intonantia, incolas juxta & Præſidiarios plurimum infeſtabant, uſque dum ſcilicet Machinarum majorum induciæ pangerentur.

Viceſimo *Junii*, (dies ille Saturni erat) de Urbe dedendâ inter Legatos denique conveniebat, Conditionibus nempe in Articulos viginti ſex redactis, quorum aliquos Academicos ac Cives tangentes hunc in locum ſubtexere non pigebit.

Artic. XIV. Cancellarius, Magiſtri, & Scholares "Academiæ *Oxonienſis*, Rectores quoque & Alumni "Ædis *Chriſti*, ex Fundatione *Henrici* VIII. necnon "Præſides reliqui & Gubernatores, Magiſtri, Socii "& Scholares, ad Collegia, Aulas, & Societates "ejuſdem Univerſitatis incorporatas ſpectantes, "Profeſſores denique publici, Prælectores & Orator "Academicus, necnon Perſonæ quæcunque ad præ-"dictam Univerſitatem, vel Collegium ejus, aut Au-"lam aliquam pertinentes, uti potuerint & utan-"tur priſtinâ ſua, ſecundum Statuta, Chartas, & "Conſuetudines ſuas, Regiminis formâ, ditioni "tamen Parliamentariæ ſubjectâ. Jura porro om-"nia, Privilegia, Immunitates, Fundi, Tenemen-"ta, Meſſuagia, Poſſeſſiones, Reditus, Proventus, "Hæreditamenta, Bibliothecæ, Debita, & Bona mo-"bilia ac realia, ad Univerſitatem prædictam, aut "Ædem *Chriſti*, aut ad Collegia quævis Aulaſve in "eadem Univerſitate (demtis tamen Reditibus & "Proventibus ex Edicto Parliamentario pridem col-"lectis) ſpectantia, firma ſingulis, veluti prædictum, "adhæreant; neque ſequeſtrationibus, Mulctis, "Taxationibus, aliiſve quibuſcunque damnis aut o-"neribus, propter, vel ſpecie rei cujuſpiam ad Bel-"lum hodiernum, vel diſſidia inauſpicata ſuam inter "Majeſtatem & Parliamentum gliſcentia, pertinen-"tis, obnoxia ſunto. Eccleſiæ quoque omnes, Ca-"pellæ, Collegia, Aulæ, Bibliothecæ, Scholæ, & "publica quævis Ædificia, ibidem collocata, vel "ſpectantia ad Urbem, Univerſitatem, vel Ædem "*Chriſti*, ad Collegia quoque ſingula & Aulas, à "direptione omnimodâ tuta ſint, & ab injuriâ qua-"cunque prohibeantur. Siquis autem Præſes, aut "Membrum quodvis Univerſitatis, Ædis *Chriſti*, "Collegii cujuſque, aut Aulæ, Munere per Parlia-"mentum amovebitur, idem in ſex integros Menſes "

„ ab Urbis deditione computandos, Muneris ejuſdem „ emolumentis omnibus fruatur, temporiſque abunde „ habeto ad res ſuas componendas ac deportandas: „ cauto tamen ne hæc eo detorqueantur, ut Parlia- „ mento Reformationem inibi aliquam molituro ſuf- „ flaminis quicquam injiciatur, nedum *Oxonienſes* „ animentur ad ſeſe Reipublicæ adminiſtrationi im- „ miſcendos.

„ Artic. XV. Prætor, Ballivi, Municipes, & Con- „ fratriæ quæcunque infra limites urbanos poſitæ, „ priſtino ſuo Regimine, Chartis, Conſuetudinibus, „ Immunitatibus, Libertatibus, Fundis, Bonis ac „ Debitis, necnon quæcunque Municipio Autorita- „ ti ac ditioni Parliamentariæ immediate ſubjacenti „ competunt, fruantur: neque quæſtioni obnoxii „ ſint, aut moleſtiæ ipſis quicquam exhibeatur, ſub „ obtentu rei alicujus, ante Præſidii illius deditionem „ ab iis tanquam à Municipibus factæ aut man- „ datæ, & ad diſſidia Majeſtatem ſuam inter & „ Parliamentum ſpectantis.

Artic. XVI. Cives, Urbiſque Incolæ, Militibus „ Hoſpitio non etiam &. victu gratuito excipiendis „ obnoxii ſint, niſi ex occaſione aliquâ perurgente, „ neque tunc temporis inconſulto Prætore, ejuſve „ Deputato. In Tributis autem imperandis ad pro- „ portionem Comitatus Urbs ipſa taxabitur; neque „ Scholaris aliquis, Civis, aut Incola Univerſitatis „ aut Urbis *Oxonienſis* poſtulabitur, aut moleſtiâ qua- „ vis afficietur, propter arma in Præſidio, & ad „ ejuſdem defenſionem quoad Præſidium ex mandato „ aliquo diſerto ſuſcepta. Scholares vero, Cives, „ & Incolæ, Pactionis hujus fructum percipient in „ rebus omnibus ad ſe ſpectantibus.

„ Artic. XVII. Neque Ductorum neque Militum „ gregariorum aliquis, neque alius quiſpiam, ſive „ Urbem aut Suburbana ſecundum Articulos ingreſ- „ ſurus, ſive iiſdem exceſſurus, Bonis vel Poſſeſſio- „ nibus expoliabit, aut injuriâ quavis afficiet Scho- „ larem, Civem, Incolamve aliquem, vel alium „ quemcumque *Oxoniæ* commorantem; neque quod „ ad eorum quemvis revera pertineat quicquam de- „ portabit ſive eripiet.

Viceſimo quarto *Junii* (Mercurii is erat, dieſque deditioni aſſignatus) urbe circa meridiem egreſſi ſunt regii, inter hoſtium Ordines de more productos à S. *Clementis* ad Collem uſque *Shotoverenſem* (ibidem vero turmatim concenturiatæ ſunt Copiæ Rebellium Equeſtres,) incedentes: ad tria vero millia cenſebantur, qui (quod à militibus ſimul & ſchiſmaticis haud temere expectandum) uno agmine diſcedentes probris nullis aut maledictis onerabantur, tametſi pulſatis Tympanis, ſigniſque erectis & expanſis, triumphum quodammodo ducere viderentur; quam ſane Perduellium humanitatem collaudaſſe deinceps, ut par erat, *Glenhamum* conſtat. Eodem die antedictos aut anteceſſere aut ſubſecuti ſunt alii plus minus quingenti, Equites plerique omnes, quique ſine ſtipendio in Urbe propugnandâ militarant. His addendi qui Portâ Boreali emigrantes in Agros *Gloceſtrenſem* & *Eboracenſem* Plagaſque aquilonares perrexere, firmo Parliamentariorum ſatellitio ab injuriis prohibiti uſque dum ad ſuos pertingerent. Sed neque prætermittendi qui Principes *Rupertum* ac *Mauritium* die Lunæ comitati, quique eoſdem proximo die (quo nempe potioris notæ Regii haud pauci *Oxoniæ* valedixerunt) ſubſecuti ſunt; hi autem quaſi trecenti numerabantur, dignitate & natalitiis clari pene omnes, niſi quotquot de famulitio cujuſque eſſent. At vero pluribus abinde diebus in literis de libero commeatu conſcribendis occupati aſſidue fuere nonnulli; ſiquidem Regii bis mille, vel eo amplius, *Oxoniæ* poſt antedictorum diſceſſum etiamnum perſtitere, velut è nominum Catalogo ſatis conſtat; eorum vero bene multi Proceres, & Equites aurati, vel ſaltem Majoribus haud obſcuris oriundi Generoſi, reliqui autem Ductores erant ac Milites honorarii; præter Academicos nonnullos qui Religionis *Carolique* partes pridem ſecuti ſecedere cupiebant, inque barbarâ illâ Pietatis virtutumque omnium ſtrage, oculos à Diſciplinâ utcunq; Academicâ, Artibuſque moribundis avertere.

Eorum qui die Mercurii emigrârant quaſi nonginti ubi *Thamam* attigere Arma deponebant (Ea *Oxoniam* poſtmodo deportarunt Rebelles) Literiſque aſſertiis muniti in Patriam quiſque ſuam commeabant. Nobiſcum vero Doliola ſeptuaginta, pulvere bellico plena (in eo enim conficiendo *Oſneiæ* duobus in locis Operæ molendinariæ perpetim inſudârant) Tormenta quoque majora triginta & octo, quorum viginti ſex ænea fuere, deprehendebantur. De commeatu omnigeno ſi quæras, priuſquam ſtipendia militibus conquirentes eundem Oppidanis divenderent Ductores Regii, anguſtior non erat quam qui Præſidio in ſex integros Menſes omnino ſufficeret; quam ob rem exarſere mirum in modum Gregarii, manuſque à Proceribus ægre abſtinebant, eorum utique ignaviæ, recte an perperam non dico, feſtinatam validiſſimæ Urbis deditionem tribuentes. Enimvero diſſimulandum non eſt, firmas adeo comparuiſſe Munitiones noſtras, ut Perduellium plurimum interfuerit ſine obſidionis diutinæ aleâ in Ditionem Parliamentariam conceſſiſſe *Oxoniam*; præſertim ſi *Jovem* pluvium nobis propediem ſubſidio venientem reſpiciamus, tanta enim decidit interea dum de pace ageremus imbrium copia, ut ſi vel ad diem tradendæ Urbi deſtinatum perduraſſet ejuſdem circumvallatio, Parliamentariis neceſſe fuiſſet Caſtris quibuſdam ultro abrenuntiare, Campis nimirum longe late diluvio ſtagnantibus. Ut prædicta partim repetamus, dubium non erat quin frumenti, Carnis bovinæ & ſuillæ, ſalis etiam ac Butyri & Caſei obſeſſis ad Natalem uſque Domini affatim eſſet; ſed neque rei cibariæ inopia premebantur quibus molliter & delicate victitandum, tametſi fando accepi jactitare dein ſolitos in Aulicorum ludibrium milites, Urbis deditionem nil aliud ſuaſiſſe quam Butyri recentis, quo utique Piſa præcocia tingerent curiales fœminæ & Ductorum amaſiæ, penuriam. Sed revera jam primum inter *Præsbyterianæ* & *Independentis* factionis anteſignanos quæ poſtea exarſerunt gliſcebant lites; unde milites qui fere à partibus *independentium* ſtabant conditiones æquiores propoſuere; noſtri autem occaſionem illam arripiendam omnino eſſe ſtatuerant; nè *independentium* rebus compoſitis moras luerent.

Permiſſâ, velut retro habes dictum, in Perduellium poteſtatem *Oxoniâ*, alienum non erit luctuoſum ipſius Academiæ, integri pene quadriennii calamitatibus peſſundatæ, ſtatim pauliſper inſpicere. Exinanitis quippe Ærariis tum publico tum privatis, egeſtate graviſſimâ conflictabantur Togati, quorum tanto deploratior erat conditio, quanto à perennantibus Regni turbis damnorum reſarciendorum ſpes nulla effulgeret. "Jam tandem (inquit Vicecancellarius in Literis ad *Langbainium* Archivorum" Cuſtodem *Londini* habentem datis) præſentimus" quam adverſo in loco quoad proventus noſtros futu- "ri ſimus. Occaſiones inauditas ubique captantes," gratiamque cum Delegatis agreſtibus (quibuſcum" utique eorum aliqui eâdem, quod aiunt, navi ve-

huntur

„ huntur) ineuntes, Internecionem Universitati mo-
„ liuntur. Certiorem quæso eâ de re facias colen-
„ dissimum *Seldenum*, Matris Academiæ ornamentum,
„ cui porro inclinatæ & ad interitum vergenti ut suc-
„ currat efflagites. Edocuisse non ignoro æs alienum
„ quam immensum fecere Sodalitia singula; revera pe-
„ cunia neque publica neque privata sumtibus & one-
„ ribus necessariis respondet. " Sic ille. Quod si Belli clades morborumque hic grassantium calamitates quis recogitet, Lecturas & Exercitia penitus quasi intermissa (cedentibus utique in Commeatuum Repositoria Scholis) insuper quod ingenua Pubes quæ perpetuâ successione, ab omnibus regni partibus huc solebat confluere, regni tumultibus & parentum indulgentia per plures annos hinc avertebatur, accisas miserum adeo in modum res nostras vix alio unquam seculo fuisse, ultro fatebitur. Interea tamen, non inter bombardarum tonitrua, & lituorum fragores silebant penitus Musarum Chori. Lucubrationes literatæ vigiliis militaribus sese inseruere; dumq; una hastam intentaret manus, librum tenebat altera; & inter *Martis* certamina, disputationum velitationes usque fervebant. Istius rei insigne dabit documentum Reverendissimus in Christo Pater *Joh. Roffensis* nunc Episcopus, cujus in bello gesta pro summis haberemus, nisi paria in pace gessisset. Pariter de Reverendiss. Præsule *Petro Wellensi* dicendum, cujus gloria militaris *Angliæ* finibus minime claudebatur, sed *Flandriam*, *Galliam*, ultimamque *Thulen* permeavit; qui Academiam nuper tam egregie rexit quam olim defendit; jam vero sacras infulas non minus ornat, quam sagum decorabat. Istis addendi S S. T. P. Regius Eruditissimus *Allestreius*, Medicinæ *Hydeus*, Naturalis Philosophiæ *Willisius*, Historiæ *Lamphirius*, Collegiorum & Aularum ad sexdecem nunc temporis Præfecti digniss imi; porro Doctores in suâ facultate consultissimi, *Petr. Elliotus*, *Rich. Lidallus*, *Sam. Jacksonus*, ut alios plurimos de re literariâ optime meritos qui aut Academiâ, aut è vivis excesserunt præteream: qui abunde testatum faciunt, minimè periisse illas horas, quæ in optimi Principis, & *Oxonii* tutelam impendebantur. Alia certe mercede digni, quam deinceps retulere.

Collegia quod attinet, Aulicorum ac Militum incuriâ passim fatiscebant vitiumque fecere; utpote quæ prædictis in Cœnacula consignabantur, paucis admodum Cameris, Scholaribus reservatis. Ærariа Sodalitii cujusque exhausta, vasa quoque aurea & argentea plane deperdita referre quid attinet? ad perpaucos reciderant ipsi Academici, pauperes abunde & ad mendicitatem pene collapsi, licet paucis post annis eorundem successores frequentibus Colonorum mulctis locupletati quodammodo compareant. Sed neque Aulæ (in quibus perinde ac in Collegiis nonnullis Cerevisia publice tanquam in Popinis vendebatur) earundem calamitatum immunes erant, iisdem ex causis labascentes ac pessum quotidie euntes; quarum nulla (Aulam *Magdalenensem* & *Novum* Hospitium si excipias) in multos inde annos Incolas habuit Academicos, præter solos Præsides quos Principales vocitant, eorumque familias, qui Cameras propterea plures Laicis dimiserunt, non aliâ ratione ab interitu vindicandas. Ut rem ipsam in pauca conferam, quæcunque ex consortio militari, literis moribusque ingenuis perpetim funesto, victorumque Rebellium impotenti dominatu importari in Civitatem captivam solent, eas omnes perpessi sumus calamitates; Academiâ diem prorsus obiisse visâ, dum Alumni ejus probi ac eruditi tanquam pallidi ac silentes oberrabant Manes, à Corporis ejus consuetudine omnimodâ haud facile divellendi cui tamdiu animando inservierant.

Secundo *Julii* per Senatores *Westmonasterienses* ad Academiæ illius negotia Delegatos [a] sancitum est, nequis in Collegii alicujus vel Aulæ Magistrum, Præsidem, aut Gubernatorem, vel in Socium aut Scholarem admitteretur, vel ad Munus quodvis unde fructum aliquem aut Emolumentum perciperet in eâdem Universitate ascisceretur, denique ne codicillos locationis (quibus utique fundi ad Universitatem, aut Collegium ejus Aulamve aliquam, spectantes dimitterentur) vel renovarent vel omninò concederent Togati, priusquam Ordinum hac ex parte arbitrium innotesceret. Hoc autem Edicto in Convocatione palam recitato, Literas [b] ab Oratore *Hammondo* conscriptas ad *Fairfaxium* transmisimus, ut Conditiones nobis in Urbe dedendâ concessas sartas tectas redderet, adeoque Mandata illa revocanda curaret, virum obsecrantes; de quo tamen minime constat an operâ nobis hac in re utilem navârit.

Decimo *Septembris* per Proceres & Plebeios in Parliamento coactos [c] scitum est, ut *Oxoniam* propediem, nisi ipsi repugnarent, amandarentur:

Magister *Rob. Harrys*, Rector de **Hanwell** in Com. *Oxon.* ex Aulâ quondam *Magdalenensi*.

Mr *Edoardus Reynolds*, olim è Collegio *Mertonensi*.

Mr *Henricus Wilkinson*, senior, (de quo supra) haud ita pridem ex Aulâ *Magdalenensi*.

Mr *Franciscus Cheynell* } è Collegio *Merton.*
Mr *Edoardus Corbet* }

Mr *Henricus Cornish*, ex Hospitio pridem *Novo*.

Mr *Henr. Langley*, è Collegio pridem *Pembroc.*

His vero permissa est potestas in Ecclesiâ quacunq; *Oxonienſi* verbum annuntiandi, aditumque visitationi præstruendi; quam in rem ut perpetua illa Concionum ad Beatæ *Mariæ* series abrumperetur, & Doctores Magistrique Academici sacrum prædictis suggestum concederent, mandatum est.

Haud ita diu *Oxoniam* pervenere, & secuturæ visitationi velificabantur, ad Beatæ potissimum *Virginis* conciones habentes: sed cùm de illâ prædicandi methodo cursuq; quibus olim nostri assueverant omnino deflecterent, plerisque ludibrio statim fuere, quibus risum tantum non in ipsis quoq; Ecclesiis elicerent. Ea vero quorum nomine aut contemptui, aut fastidio, aut odio denique tam subitò essent expositi, sic se habuere. I. Concionibus eorum & Precationibus solidi parum suberat, adeo ut Auditores tædio enecarent. II. Oratione Dominicâ Preces suas ad nauseam prælongas haudquaquam claudebant, quod in ordini Apostolico studentium invidiam fieri constabat. III. Frigide admodum pro salute Regiâ, & maturo turbarum intestinarum exitu Deum obsecrabant; pro Parliamento & Exercitu, ac beatis, quæ vocabant, eorum Gestis Consiliisque in vota ardentissima effusi IV. Pietatis antiquæ, Fideiq; cultores verbis asperrimis perstringebant; integerrimos Ecclesiæ *Anglicanæ* & Academiæ Patres *Canes mutos* appellantes, & tanquam formâ quidem pietatis præditos vi autem ejus plane vacuos calumniati. V. Denique ora distorquebant, motibusque musculorum spasmodicis faciem naturali dissimillimam reddebant; quibus accedebant Gestus histrionici, ac vox porro stridula & sonora; adeo ut versam in Theatrum Ecclesiam, damnatosq; pridem & exactos Ludos scenicos arbitraretur aliquis in Templa receptos.

[a] *In Reg. S. p. 124.* [b] *Ibid. p. 123.* [c] *Ib. p. 124.*

Hæc

Hæc inquam Academicos bene multos, maxime autem seniores & prudentiâ pollentes induxere, ut Beatæ *Virginis* nunquam intrarent, quin alio se, speciatim ad Parochiæ *Magdalenensis* Ecclesiam, conferrent, intemerato Numinis cultui verbique annuntiationi interfuturi. Sed neque magnâ discipulorum frequentiâ carebant Apostoli Parliamentarii, quorum dogmata bibulis quidem auribus hauriebant Milites, & qui factioni *Presbyterianæ* adhærerent Cives; quibus solenne jam esse occœpit (id quod ad felicissimum *Caroli* II. cultusque Apostolici Reditum perennavit) conciones integras scriptis mandare, quod quidem haud ita perperam tunc temporis fiebat, cùm tenebris densissimis & amethodiâ adeo turbulentâ laborarint prælongi *Catharorum* Sermones, ut memoriâ facillime effluerent.

Ad conciones hasce in Beatæ *Mariæ* alibique habitas (quarum utique prænuntia muris passim affigebantur Programmata) accedebat hebdomadarius eorum in Parochiâ Divi *Petri* ad Orientem Conventus; ibidem enim, die quolibet Jovis, in Domicilio è regione pene vici ad Ecclesiam ducentis coacti, dubitantium & infirmorum, quos vocabant, Christianorum animis Scrupulos (unde *Scrupulorum Officina* nuncupatæ sunt Ædes ipsæ) eximere, & vacillantium Conscientias onere quovis levare præse ferebant. Clandestino illi Schismatis proseminio prætexebant, corruptelis innumeris coinquinari Civium juxta & Academicorum animos, neque fieri posse ut vel errantes (de quibus tamen spem omnem haudquaquam abjecerant) ad rectum iter admoverent, vel labentium gressus firmarent, nisi præter Conciones publicas, Colloquia quædam familiaria instituerentur, in quibus cum Auditorum multitudine victoriæ gloriolam (cujus utique cupidine ducti errores suos mordicus tenent nonnulli) amoliti, valetudinarios & imbecillos ad sanitatem adhortarentur.

Quo igitur se Patronis suis commendatiores facerent concionatores isti Parliamentarii; longâ narratione novi hujusce inventi rationem reddunt. Nimirum quod non adversus Apostoli monitum, *infirmos in fide ad disputationes dubias admittere vellent*, sed animos potius eo hæc instituere, *quod alii aliorum onera portare tenerentur, nec sibimet ipsis placere, quemadmodum Dominus Christus sibimet ipse non placere satagebat.* Credebant insuper hac ratione consulendum verecundiæ infirmorum, qui ægritudines morbosque suos profiteri publicè in Ecclesia minimè in animum inducerent, nec levis spes suberat, eosdem intra privatos parietes, familiari colloquio delinitos liberius velle agere, & ita in *Christi* Ovile perduci posse.

Institutum hoc porro ajebant Validioribus robustisque in fide viris utile futurum; secundum illud Apostoli *quod mutuâ fide essent consolandi.*

Demum addidere, inventum istud in Academicorum commoda cessurum; plurimi enim illorum ita à teneris imbuti fuerant ut crederent, quosdam in lege morali defectus reperiri à *Christo* tanquam sacerdote *Aaronico* supplendi; quodque non absque sincerâ obedientiâ totius Evangelii præceptis præstitâ, remissio peccatorum foret expectanda; quodque hæc tanquam conditio prævia, justificationem antecederet. Cum ergo superba hominum ita sentientium ignorantia ad Catecheseos methodum descendere fastidiret, & opus esset ut prima rudimenta Doctrinæ Christianæ ponerentur, nil quicquam magis accommodum videbatur quam amico alloquio, & institutionibus Catecheticis illos informare, & beatioribus mysteriis imbuere.

Quin etiam leges quasdam & regulas proponebant, in hac *scrupulorum Scholâ* observandas.

I. Ut à Precibus semper initia sumerent exercitia omnia, iisdemque clauderentur.

II. Ut quæstio discutienda ante hebdomadam innotesceret, ne imparatos offenderet.

III. Ut solidæ veritates, non argutiæ, & sophismata, in medium proferantur.

IV. Ut nihil per contentionem aut inanem gloriam, sed potius spiritu pacis, & mansuetudinis geratur.

V. Ut nemo alium interpellat, nisi forte extrà oleas vagantem reducere sit necesse, quod à disceptationis moderatore tantum præstandum.

VI. Ut hæc non ita provehantur, ac si quicquam concionibus sacris in Ecclesiâ habendis, aliisque pietatis officiis esset derogandum. Profitebantur porro, ad cultum publicum promovendum ista unice fuisse destinata. Nimirum. 1° Ut piorum mentes in fide stabiliantur, doctrinâ scil. semel sanctis traditâ. II° Ut fideles Christianam mutuo colerent caritatem. III°. Ut iidem sacræ synaxeos idonei fierent participes. Quæ quidem omnia ex invento hoc obventura ominabantur ejusdem Artifices: & ut rem ipsam dicamus, per aliquot Hebdomadas successu satis prospero gaudere videbantur, plurimis re novâ & pietatem præ se ferente oblectatis; Usque dum æmulæ *Independentium* factioni, inter milites Glisceni, quæ fierent displicerent. Cumque contingeret *Gulielmum* quendam *Erburium*, è Collegio aliquando *Æneanasensi*, hac tempestate in Militum concionibus hic loci dominari; illum præcipuè hæc *Presbyterianorum* molimina ægrè habuere. Sequacibus ergo suis stipatus, in *scrupulorum officinam* progreditur, ubi de Ministerii in Ecclesia Christianâ munere & dignitate agebatur; hæc ille convellit, & *Presbyterianos* ministerio destitui, eorumque conventus veram esse Ecclesiam pernegat. Lite hinc inde clamoribus & convitiis agitatâ, cum res parum procederet; in hoc uno convenit tandem ut in alium diem XII. nempe *Novembris* Disputatio rejiceretur, ubi de integro discutienda esset hæc Quæstio.

Utrum in Christi *Ecclesiâ ministerium selectis aliquibus hominibus sit concreditum.*

Die præstituto fanatica turba, magna cum expectatione, confluebat. Ora illic lurida, & macie confecta apparuere, spectra & manes quis diceret, nisi quod statim extantes scapuli strigosorum istorum spirituum, fidem feciissent, illos utcunque carne destitutos, ossa nondum exuisse. Attonitæ huic turbæ se primum ingessit partium *Independentium* Pugil *Erburius*, quem sequebatur *Elisius Grimesius*, *Johan. Hewsonus*, aliique non pauci Duces illuminati. Quibus sedilia capessentibus, adventabant *Officinæ scrupulorum* Domini; Mr *Hen. Wilkinsonus* senior, scil. cui tunc temporis Cathedræ concedebatur honos: Mr *Reynoldus*, *Harrisius*, *Tempellus*, *Cornisius*, *Langleius* & *Cheynellus*. Propositâ quæstione, longa gravisque nata est altercatio, immutatam plane illam, aliamque prorsus esse ab ea, de quâ prius convenerat. Clamoribus inde jurgiisque actum usque dum ut iratis militibus satisfieret, quæstio hæc substitueretur. *An illi qui pro Ministris se venditant, majore potestate gaudeant, aut uberiore utantur jure in annunciando Evangelio, quam quilibet ex plebe Christianâ.* Grave hic scandalum fratribus natum, quod ad vanæ Philosophiæ, & syllogismi leges exigenda esset disputatio; nec sanè ex alterutrâ parte magna mediorum

&

& argumentorumve ſeges, quin opponentium reſpondentiumque partes, unà cum certaminis aleâ ſubinde mutabantur. Donec Militum unus argumento ad homines tanquam telo decretorio uſus, importunè inquireret, unde illi qui pro miniſtris ſe venditabant, miniſterium ſuum accepiſſent? an ab Epiſcopis, an aliunde? fateri ſe ab Epiſcopis jura mutuatos pudebat; quos paſſim *Antichriſtianiſmi* poſtulaſſent; quin & male metuebant, ne ſi aliquatenus *Anglicanæ* Eccleſiæ præſules agnoſcerent, publicum Fanaticorum incurrerent odium: Ex altera parte, cum notiſſimum eſſet *Presbyterianos* illos omnes quotquot aderant Ordinibus ſacris ab Epiſcopis fuiſſe initiatos; non auſi erant profiteri aliunde ſe accepiſſe. Cum ergo nihil eſſet quod liquido reſponderent, ſed excuſationes neſcio quas, & ſubterfugia necterent; adſtantium corona ſuffragiis plauſuque ſuis victoriam Militibus decrevere. Quin & malè ſibi conſcii ſcrupulorum Præfecti, à conventibus ſuis aliquantiſper deinceps abſtinuere.

Elatus hoc ſucceſſu *Erburius* ſe unicum jam in terris Apoſtolum exiſtimans; dogmata blaſphema in ſuorum conventiculo XI. *Decembris*, ſequenti effudit; (cujuſmodi erant: *eandem divinæ naturæ menſuram, quanquam non perinde manifeſtam, ſanctis ineſſe, quæ chriſtum inſederat mortales inter agentem.*)

Eodem porro tempore, tanquam Propheta divino afflatus ſpiritu, res futuras prædicere aggrediebatur, nimirum novos *Angliam* manere motus, quemadmodum & *Hiberniam*: fruſtraque ſecuros eſſe *Scotos* graviſſimis tumultibus utique concutiendos. Ita temerè quæ ipſi in mentem venerant effudit vir iſte; quem in ordinem cogendum reputantes miniſtri Parliamentarii ſive ſcrupulorum Propolæ, ad diſputationem in Scholis Theologicis provocabant: Is quanquam conditionem illam ceu iniquam detrectabat, reſpondit, ſi in Eccleſia B. *Mariæ* congredi vellent, præſto ſe in dogmatum ſuorum defenſionem adfuturum.

Die itaque XI. *Januarii* qui & lunæ fuit, in arenam deſcendebatur, *Cheynello* miniſtrorum nomine pugnam ineunte; ubi confertam adſtantium Coronam primum conſalutavit *Erburius* hunc in modum.

„ Chriſtiani amici, Commilitiones optimi, Aca-
„ demici etiam digniſſimi; ſervus omnium ſum hu-
„ millimus, hodierno die ex privato meo receſſu in
„ publicam lucem protrahor, invitus quidem, duplici
„ ſiquidem catenâ tractus; accuſatione, & provoca-
„ tione; quod ad Accuſationem attinet, Hereſeos
„ & blaſphemiæ è ſuggeſto fueram poſtulatus; quod
„ ad provocationem ſpectat, Magiſtri *Cheynelli* lite-
„ ris ad me ſcriptis ut huc accederem ſum requiſitus.
„ Hic ergo adſum, ut me & dogmata mea defendam,
„ hoc unum præfatus, non me externæ vocationis
„ titulo miniſterium mihi arrogare, quanquam olim
„ ordinibus initiato: nec pro viro *illuminato* Chri-
„ ſtumque cognoſcente me vendito, quanquam ab
„ aliis in pretio habitus fuerim, & pridem à me ipſo;
„ jam vero nihil ſcio, nihil ſum, quod etiam ut aliis
„ de me ſentiant velim, inveſtigator ſive quæſitor
„ ſum, qui Deum opt. max. requirit & *Davidem*
„ Regem, &c.

Poſtquam in hunc modum, peroraſſet, Theſes proponebantur numero decem, quarum prima ſic ſe habuit.

„ Plenitudo deitatis, in ſanctis omnibus eâdem
„ menſurâ habitat, quanquam non manifeſtatione,
„ quâ in ipſo Chriſto: quin & deitas eodem modo in
„ ſanctis deinceps erit, quo Chriſto ineſt. Sancti eundem cultum, honorem, thronum, gloriam ſortientur, quibus Chriſtus gaudet, imo præcellentiorem poteſtatem habituri ſunt ad miracula facienda, quam ipſe Chriſtus priuſquam cœlo reciperetur.

Dira hæc dogmata convellebat *Cheynellus*, qui portenta blaſphema, quo digna fuerant modo exagitabat; interim fremente & clamoribus ſæpius eum interpellante vulgo; tumultum porro accendebant Tyrones aliqui Academici, præ *Cheynelli* odio, qui ipſis ingratiſſimus fuerat. Poſtquam per horas quatuor rixæ & clamores perduraſſent, nihilque fere diſputando promoveretur, delaſſati utrinque Pugiles æquo marte diſceſſere. Graviter hæc ferentes Concionatores Parliamentarii prædicti, apud *Fairfaxium Northamptoniæ* agentem querelas ſuas deponunt, *Ingolſbeium* militum tribunum qui hic in præſidio agebant ſugillantes, quod *Erburium* foveret, atq; is quidem brevi hinc avocabatur, quid vero de illo poſtea factum fuerit neſcire me fateor. Poſt ejuſdem diſceſſum, ſequaces ejus conventicula uſque agitaſſe certum eſt in Ædibus primo è regione Eccleſiæ Collegii *Mertonenſis* poſitis; poſtea in Domo inter hoſpitium ad *Stellæ* inſigne, & portam borealem ſitam, cui pridem Collegii B. *Mariæ* nomen adhæſerat: ubi conciones ſuas habuere, quemadmodum etiam quandoque in Logicæ Schola, Armati Apoſtoli; *Hewſonus* tribunus militum, olim ſutor; *Kelſeius* ſub-tribunus, olim ſcrutarius propola; *Grimeſius* legionis procurator; fortunæ jam ſuæ, pridem lignarius faber.

Dum ita ſedulo partibus ſuis promovendis ſtudebant *Independentes*; Miniſtri *Presbyteriani*, in Proſelytis ſibi lucrifaciendis minimè ceſſabant; per aliquot menſes merces *Genevenſes* in prædictâ *ſcrupulorum officinâ* venditantes; quin & quibuſdam miſeris hominibus, inferioris ſortis præſertim artificibus, perſuaſere ut ejurato juramento quod Regi prius præſtiterant, ſolenni fœdere ac ligâ ſeſe obſtringerent: publicamque pœnitentiam in eorum conventibus & jejuniis ſolennibus agerent; capitalis illius flagitii, quòd principem armis protexiſſent: hæc ſcil. prima apud illos pietatis fundamenta; qui vero ita demereri poſſe numen cenſebant, quomodo impii eſſe poterint? Porro hinc dabantur egregia reformationis Academicæ deinceps expectandæ ſpecimina: nec ſanà diſpar Prologo *fabula*; Tragica illa quidem, & cladibus undique funeſta; quam ſoli exhibueret perſonati *Cathari*; & pietatis larvam induti *Hypocritæ*.

CIↃDCXLVII.

Falci viſitatrici (quam quidem votis ardentiſſimis optabat genus quoddam hominum, Expulſorum Munerâ ſperantium, atque inde *Quæſitores*, ſive **Seekers** per amphibologiam dictorum) maturam jam Academiam exiſtimabat Parliamentum beatum (ſic enim ſacro temporum eorum Idiomate appellabatur) ac Decretum proinde primo *Maii* (dies ille Saturni erat) in hæc fere verba condidit:

In meliorem adminiſtrationem & reformationem « Univerſitatis *Oxonienſis*, & Collegiorum ejus ac Au-« larum ſingularum; necnon in debitam Delictorum, « Abuſuum, & Turbamentorum ibidem nuperis præ- « ſertim temporibus motorum caſtigationem: per Pro-« ceres & Plebeios in Parliamento coactos, illiuſque « authoritate, ſcitum eſto quod;

Nathanael Brent, Eques auratus, Custos Collegii *Mertonensis*.

Mr *Edoardus Corbet*, è Coll. *Merton.*

Johannes Pulixton, è Templo medio, Armiger.

Mr *Henricus Wilkinson*, sen. nuper ex Aula *Magdalenensi.*

Gulielmus Prynne, ex Hospitio *Lincolniensi*, Armiger.

Gulielmus Tippinge, Generos.

D. *Gul. Cobbe* Eques auratus,

Georgius Greenwood, Generos.

Doct. *Joh. Wilkinson*, Aulæ *Magdal.* Principalis,

Mr *Edw. Reynolds*, quondam socius Coll. *Merton.*

Mr *Robertus Harrys*, ex Aula quondam *Magdalenensi.*

Mr *Franciscus Cheynell*, è Coll. quondam *Merton.*

Joh. Packer, è Com. *Bercherienſi*, Armiger.

Joh. Wilkinson, ex Agro *Buckinghamensi* Gener.

Mr *Joh. Mills*, ex Æde *Christi*,

Mr *Christoph. Rogers*, *Novi* Hospitii Principalis,

Gul. Cope, Arm.

Barth. Hall, è Templo medio, Arm.

Thomas Knight, ex Hospitio *Lincolnienſi*, Armig.

Joh. Heylin, ex Hospitio *Greyensi* Arm.

Gul. Draper de *Nether-wortonâ* in Com. *Oxon.*
Gabriel Beck, ex Hospitio *Lincolnienſi*,
Johan. Cartwright de Ainoe in Agro *Northampton.*
Samuel Dunch de Pusey in Agro
} Armigeri

„ *Bercherienſi*, erunt, & per præsentes esse decer-
„ nuntur Visitatores dictæ Universitatis, & Col-
„ legiorum ac Aularum antedictorum omnium ac sin-
„ gulorum, necnon omnium & singulorum Magistro-
„ rum, Scholarium, Sociorum, Membrorum & Offi-
„ciariorum dictæ Universitatis ac dictorum Collegio-
„ rum & Aularum, eorumque singulorum respective.
„ Atque scitum insuper esto authoritate prædictâ,
„ quod Visitatores prædicti, vel quilibet eorum quinq;
„ visitare possint & visitabunt dictam Universitatem,
„ Collegia, &c. & inquirent, audient, ac termi-
„ nabunt crimina omnia, delicta, & turbamenta, &c.
„ quæcunque ex Legibus ac Statutis hujus Regni,
„ vel ex Consuetudinibus & Statutis dictæ Universi-
„ tatis legitime constabilitis, vel ex statutis singulis
„ dictorum Collegiorum aut Aularum, vel eorum
„ respective cujuslibet, inquiri, audiri ac terminari
„ jure possint, in modo & formâ visitandi prædi-
„ ctam Universitatem, Collegia prædicta, Aulas,
„ Magistros, &c. quodque in finem omnimodum &
„ intentionem eâ in re procedere possint & procedent
„ quemadmodum è dictis Legibus, statutis, &c. Vi-
„ sitatoribus quibuscunque aliis, authoritate qua-
„ cunque constitutis, respective procedere integrum
„ esset. Atque scitum porro authoritate prædictâ
„ esto, quod Visitatores prædicti, vel quilibet eo-
„ rum quinque, inquirere ex juramento, coram ipsis
„ respective præstando, poterunt, à Magistris om-
„ nibus, Scholaribus, Sociis, & Officiariis, è Fun-
„ dationibus respective dictorum Aularum & Colle-
„ giorum, omnium & singulorum, & ab omnibus ac singulis Officiariis ad eadem, vel ad dictam « Universitatem, spectantibus, de iis qui *Ligâ solen-* « *ni* ac *Fœdere* obstringi, necnon *juramentum negati-* « *vum* præstare prætermiserunt, cùm eadem à pote- « state eam in rem à Parliamento instructis offerren- « tur; ac præterea de iis qui constitutioni Parliamen- « tariæ super *Disciplinâ & Directorio* executioni man- « dandæ obnituntur, quique ejusdem executionem « non promoverint, quemadmodum Munia sua sin- « gula & Officia postularint; necnon de iis qui doctri- « næ articulum aliquem voce aut scriptis impugnâ- « rint, cujus ignari à Sacramento Cœnæ Dominicæ « excludendi sint. Atque decretum insuper esto, quod « Visitatores prædicti, vel singuli eorum quini, in- « quirere poterunt & inquirent, ex juramento coram « ipsis respective vivâ voce præstando, de omnibus & « singulis Magistris, Scholaribus, &c. dictorum Col- « legiorum & Aularum, deque Officiariis ad eadem « vel ad dictam Universitatem spectantibus, qui aut « Arma capessiverunt aut gesserunt contra Parlia- « mentum, aut contra Copias quascunque ejusdem « authoritate conscriptas, aut in adjuvandis vel ani- « mandis Copiis contra Parliamentum collectis fate- « gerunt; quodque ad se respective citare poterunt « & citabunt omnes & singulas ejusmodi personas, « una cum testimonium ejusmodi de rebus perhibitu- « ris; Testesque illos, necnon Testem aliquem vel « Testes à Personâ quavis de ejusmodi delictis postu- « latâ, vel iisdem oneratâ, producendos jurejurando « vivâ voce super præmissis adigent; quodque illi, « vel singuli eorum quini de die in diem Delegatis « Procerum & Plebeiorum, deinceps in Senatus-con- „ sulto isto assignatis, nuntiabunt, quosnam Magi- « stros, Scholares, &c. delicti alicujus præfati com- « pertos habuerint, significatis pariter, cum Crimi- « nis cujusque naturâ, delinquentium loco & condi- « tione; quo scilicet ulteriores porro Processus super « iisdem per Procerum & Plebeiorum Delegatos fiant, « prout expedire videbitur. Atque decretum esto au- « thoritate prædictâ, quod dicti Visitatores potesta- « tem habeant, & Senatus-consulti illius virtute po- « testate donantur, explorandi & perpendendi jura- « menta omnia quæ cùm ex Statutis dictæ Univer- « sitatis, vel Collegiorum aut Aularum omnium & « singulorum, injungantur, præstari tamen minime « debent; necnon sententiam suam super iisdem De- « legatis Procerum & Plebeiorum, in Scito illo no- « minatorum, aperiendi, quo nempe ea hac ex parte « decernantur quæ ad destinatam dictæ Universitatis « Reformationem accommodentur: cauto semper, « atque insuper sancito, quod si dictorum Magistro- « rum, & Scholarium, &c. aliquis per vel ex senten- « tiâ quavis definitivâ à Visitatoribus prædictis, « vel eorum quibusvis, uti præfatum prolatâ grava- « tum se senserit; licitum fuerit, atque esto, Per- « sonæ sic gravatæ causam suam summatim explican- « ti dictam Procerum & Plebeiorum, in Consulto isto « nominatorum, Delegationem appellare, Reme- « diumque ac Vindicias ab iisdem efflagitare; quibus « utique per hæc permissa est potestas Causas ejusmo- « di singulas, ad se velut prædictum ex Appellatione « deductas, postremùm audiendi ac prout æquum « postularit terminandi. Atque sancitum insuper au- « thoritate prædictâ esto, quod *Argernonus* Comes « *Northumbriæ*, *Henricus* Comes *Cantii*, *Johannes* « Comes *Rutlandiæ*, &c. [ibi alii porro viginti no- « minantur ex Domo Procerum]; *Christophorus* « *Telverton* Eques auratus, *Johannes Danvers* Eques « auratus, *Johannes Selden* Armiger, &c. [hic alii « ad hos XLIX. assignantur] ex Domo Plebeiorum Se- «

natores

„ natores, & ſinguli eorum quini erunt, & per ſci-
„ tum illud fore decernuntur, Delegatio continua;
„ atque loco ac tempore ex condicto aſſignandis con-
„ ſidebunt, Cauſaſque ex appellatione velut prædi-
„ ctum accipient, quæcunque nimirum ad ipſos prout
„ antedictum adferentur; atque ſummariè quemad-
„ modum cauſæ cujuſque æquitas poſtulârit proce-
„ dent; necnon ejuſmodi negotia quæ ſibi velut
„ retro dictum, deferentur percipient, & ad eadem
„ terminanda procedent, pro ratione & exigentia cau-
„ ſarum & Perſonarum ſibi ſignificatarum. Cauto
„ præterea, nequid in Conſulto iſto contentum de
„ jure & authoritate Cancellarii pro tempore exiſten-
„ tis quicquam deroget.

Tranſmiſſo ad Academiam, ibique confeſtim promulgato Scito illo Parliamentario; allata parvo temporis intervallo eſt Citatio quædam; quam quidem integram, prolixiorem licet, pluribus de cauſis exhibendam duco:

Nos quorum nomina Literis præſentibus ſubſcripta ſunt, Procuratoribus modernis Academiæ Oxonienſis *necnon univerſis & ſingulis Collegiorum & Aularum ibidem Præfectis, Præpoſitis, Cuſtodibus, Magiſtris, aliiſque quocunque nomine notis Rectoribus, ac Rectorum vices pro tempore gerentibus, ſalutem. Cum Nos (inter alios) authoritate quâ fungitur Parliamentariâ, vigore ſcilicet cujuſdam ſpecialis Ordinationis ſupremæ Curiæ Parliamenti jam ſedentis nuper editæ, gerentis datum, primo die* Maii *anno Dom. CIↃDCXLVII. poteſtatem ſufficientem Nobis in hac parte concedentis, eandem Academiam, omniaque & ſingula ibidem Collegia & Aulas, eorundemque Academiæ, Collegiorum & Aularum reſpectivè Magiſtros, Scholares, Socios, Membra, Officiarios, & Miniſtros quoſcunque, ob Morum correctionem, ejuſdemque Academiæ debitam Reformationem (Vitia extirpando, & Virtutes plantando) propediem (annuente Deo) viſitare ſtatuerimus: Vos igitur, & quemlibet veſtrum reſpectivè, omneſque & ſingulos Scholares, Socios, Membra, Officiarios & Miniſtros Academiæ prædictæ, Collegiorumque & Aularum ibidem reſpectivè, tenore præſentium peremptoriè citamus & monemus, quod compareatis, & veſtrûm & eorum quilibet reſpectivè compareat coram Nobis aut aliis Collegis ſivè Condelegatis noſtris, in publico ejuſdem Academiæ Convocationis domo, die* Veneris, *videlicet, quarto die menſis* Junii *jam proximè futuri, inter horas nonam & undecimam ante-meridianas ejuſdem diei, cum continuatione & prorogatione dierum & tunc ſequentium & loci, (ſi & quatenus oporteat) in ea parte fiendis, Viſitationem noſtram hujuſmodi, authoritate quâ ſuprâ, tunc & ibidem (divinâ auxiliante Gratiâ) actualiter exercendam, in omnibus ſubituri; ulteriuſq; facturi & recepturi, quod natura & qualitas ejuſdem negotii de ſe exigant & requirant, & ſecundum quod Nobis, & cæteris Collegis ſivè Condelegatis noſtris dabitur in mandatis. Vobis Procuratoribus ante-dictis, tenore præſentium firmiter injungentes, quatenus omnium & ſingulorum Bedellorum, Regiſtrariorum, & cæterorum Academiæ memoratæ Miniſtrorum quorumcunque, ditioni veſtræ ſubditorum, Nomina, & Cognomina in quâdam Schedulâ exindè conſcriptâ, & manibus veſtris ſubſignatâ, Nobis, aut aliis Collegis, ſivè Condelegatis noſtris, dictis die horis & loco, debitè ſignificetis. Volentes inſuper, & cuilibet Collegii atque Aulæ intra Academiam antedictam Præpoſito, Rectori, Magiſtro aut Vice-Magiſtro, quocunque nomine noto, mandantes, quatenus ipſe conſimilem Schedulam Nominum & Cognominum omnium & ſingulorum Scholarium, Sociorum, Membrorum, Officiariorum, & Miniſtrorum, proprii cui præſidet Collegii, ſivè Aulæ, tunc & ibidem Nobis, ut præfertur, aut aliis Collegis ſivè Condelegatis noſtris præſentet: Et hoc ſub periculo incumbenti nullatenus omittatis. Datum xv. die* Maii *anno Dom. CIↃDCXLVII.*

Chriſtopher. Rogers. Na. Brent.
E. Corbet. Gul. Prynne.
Henr. Wilkinſon. J. Packer.
Franc. Cheynell. Will. Tippinge.
Joh. Heylyn.
Gab. Becke.

Singulis ea Sodalitiorum Præfectis, necnon Procuratoribus, tradebantur, & Columnis ac Parietibus, publicis ubiq; in locis, affixa ut morem Delegatis gererent quoſcunque juſſa illa tangere videbantur impellebant; ſiquidem quarto *Junii*, die nimirum Inquiſitionis funeſtæ primordiis præſtituto, adfuturos Viſitatores neq; ipſi neque hominum quiſquam dubitabat. At vero in longius præter ſpem protrahebatur eorum adventus, quod Exercitui ſeditionem inopinatam contra Domum utramque Parliamentariam moventi tribuendum, cui acceſſit tumultus periculoſiſſimus *Oxoniæ*, biduo ante deſtinata viſitationis initia, à militibus præſidiariis concitatus; etenim illi non tantum exauthorari recuſabant, verum Libras ter mille & quingentas, arma deponentibus in ſtipendia tranſmiſſas, detinebant. Interea dum *Oxoniam* deferretur pecunia Parliamento innotuerat nolle Præſidiarios ſagum exuere, quapropter amandato ſtatim Veredario ut ad ſe reveheretur edixerant Senatores; fruſtra tamen, antevertenda enim non erant jumenta, verum iis jam in prædam conceſſerant nummi, qui populi ſuâ præſertim operâ expilati opes aliquas ad ſe quoq; pertinere credebant, & quibus certum erat Tyrannorum publicorum ſpolia neutiquam dimittere, minis eorum ac mandatis deſpicatui habitis. Cæterum pecuniam Dominis ſuis aſſerere nitebatur Dimacharum Satellitium (quo ſcilicet ſtipante *Oxoniam* fuerat aſportata) deq; eâdem Vehiculo haudduin exemptâ manus cum Præſidiariis in Plateâ *Altâ* conſerentes, vulneratis ſuorum haud paucis in fugam illico conjiciuntur, Urbeque pulſi Plauſtrum porro & Equos ſeditioſis permiſere.

Hæc inquam, una cum immenſis integri Exercitus poſtulationibus (quæ quidem opportune admodum eadem tempeſtate intervenere) *Nathanaelem Brent*, Equitem auratum, reliquoſque Delegatos induxere, ut ſaluti ſuæ proſpicientes conſultius habuerint *Londini* ſe continere, quam *Oxoniæ* inter *Scholares malignos* (vocibus enim turpiſſimis Regios ſub hæc indigitabant Rebelles) & *Independentium*, cornua jam Parliamento obvertentium, Præſidium periclitari. Præſertim cùm Equitum Turmæ haud paucæ circa Urbem noſtram ab Exercitu eſſent collocatæ; quod eo conſilio factum, ne Tormenta majora *Londinum* deveherentur; etenim id moliri Pſeudo-Senatum militibus jampridem ſuboluerat.

Inter hæc, ad Ædem *Chriſti* & Collegium *Omnium Animarum* frequentius convenere Sodalitiorum Rectores, de iis quæ ad Viſitatores præfatos recipiendos, quæque ad reſponſa ſuper eorum quæſtionibus reddenda ſpectarent, conſilia miſcentes; maxime vero

deliberantes de ſententiâ ſuâ perhibendâ,

I. Circa *Ligam Fœduſque ſolenne*:

II. *Juramentum negativum*:

III. Conſtitutiones de *Diſciplinâ & Cultu*.

Omnibus autem quæ ad prædicta pertinerent mature perpenſis, & in ordinem redactis, primo *Junii* celebratur [a] frequens Togatorum Senatus, in quo Convocationis cauſam primitus aperuit Doctor *Fell*, Vicecancellarius, deque ipſius poſtmodo negotii naturâ diſerte perorâvit. Habitâ dein contractiori deliberatione in unanimi ſuffragio hoc ſtatim cõvenere Academici ut Apologiam ſive Rationes interponerent, quæ *Judicium Univerſit. Oxonienſis* dicebantur, unde argumentis validiſſimis,& ad quæ ex adverſis partibus nemo huc uſque reſponſum adornavit, demonſtratum erat, prorſus eſſe illicitum ſolenni liga ſeu Fœdere, aut Juramento Negativo obſtringi; aut demum ordinationibus Parliamenti circa diſciplinam Eccleſiaſticam, & cultum Divinum, obſequium præſtare: quam quidem Apologiam Æternitate dignam, hic loci ſubjicere opportunum fuerit, appoſitâ primum, ligæ ipſius & juramenti negativi formâ; Directorio Schiſmatico & Ordinatione Parliamentariâ de diſciplinâ & cultu, quoniam prolixiora ſunt, omiſſis.

Pro reformandâ ac tuendâ Religione, Regiâ Dignitate ac Felicitate, triúmque Regnorum Angliæ Scotiæ & Hiberniæ *pace ac ſalute procurandâ*

Solenne Fœdus & Liga.

Nos Proceres, Barones, Equites, Generoſi, Cives, Burgenſes, Evangelii Miniſtri, & cujuſcunque Ordinis infra *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* regna Plebes, Dei providentiâ ſub eodem Rege degentes, & eandem Reformatam Religionem profitentes; Dei gloriam, Regnique Domini noſtri Jeſu Chriſti incrementum, Majeſtatis, ſoboliſque Regiæ honorem & felicitatem, publicamque Regnorum (in qua privata cujuſque fortuna includitur) genuinam Libertatem, Salutem & Pacem, ob oculos habentes; & proditorias ac ſanguinolentas inimicorum Dei adverſus veram Religionem, ejuſque profeſſores ubiq; gentium, ac in hiſce præſertim tribus Regnis, ab initio uſque Reformatæ Religionis, technas, conjurationes, inſidias, & artes; ſimulque quantopere nuper & hoc ipſo tempore aucta ſit & exercita ipſorum rabies, vires, & audacia (cujus rei præſentiſſima ſunt & publica teſtimonia, deplorata Eccleſiæ & Regni *Hiberniæ*, afflicta Eccleſiæ & Regni *Angliæ*, & dubia admodum Eccleſiæ & Regni *Scotiæ* conditio) recogitantes; Ad conſervandum, noſque ipſos & religionem noſtram ab ultimâ ruinâ & interitu (poſt alia tentata Supplicationum, Remonſtrationum, Proteſtationum, & Perpeſſionum remedia) vindicandum, juxta horum Regnorum laudabilem retroactis ſeculis conſuetudinem, & populi Dei apud exteras Gentes exemplum, maturâ prius habitâ deliberatione, conſtituimus tandem & decrevimus ſolennem Ligam & Fœdus mutuò inire; cui omnes ſubſcribimus, & pro ſe quilibet noſtrûm, levatis ad Deum altiſſimum manibus juramus.

I.

Quòd per Dei gratiam ſincerè, ſeriò & conſtanter, pro loci & muneris noſtri ratione conabimur, Reformatam in Eccleſiâ Scoticâ *Religionem, in Doctrinâ, Cultu, Diſciplinâ, & Regimine* [*Eccleſiaſtico*] *contra communes hoſtes conſervare; Religionemque in* Angliæ & Hiberniæ *Regnis, in Doctrina, Cultu, Diſciplinâ, & Regimine, ſecundùm Dei verbum, & Eccleſiarum optimè reformatarum exemplar, reformare: Conabimur inſuper Eccleſias Dei in tribus his Regnis ad arctiſſimam* [*quàm fieri poteſt*] *in Religione, Fidei Confeſſione, Regiminis Eccleſiaſtici forma, Directorio, Cultûs & Catechiſmi, Conſenſionem & Uniformitatem adducere: Ut nos Poſterique noſtri in Fide & Dilectione fraternè degamus, & delectetur Dominus in medio noſtri habitare.*

II.

Quòd eundem in modum, ſine perſonarum acceptione, Papiſmum, Prælaturam, (hoc eſt, Regimen Eccleſiaſticum per Archiepiſcopos, Epiſcopos, eorumque Cancellarios & Commiſſarios, Decanos, Decanos & Capitula, Archidiaconos, & alios Officiarios Eccleſiaſticos ab illâ Hierarchia pendentes quoſcunque) Superſtitionem, Hæreſin, Schiſma, Impietatem, & quicquid ſanæ doctrinæ, & virtuti pietatis contrarium eſſe deprehendetur, extirpare conabimur: Ne alienorum peccatorum participes facti plagarum etiam participes ſimus; & ut unus ſit in tribus his Regnis Dominus, atque unum Nomen ejus.

III.

Pari ſinceritate, ſtudio & conſtantia, Parlamentorum Jura & Privilegia, Regnorumque libertates, cum vitæ & Fortunarum noſtrarum diſcrimine mutuò conſervare; & Regiæ Majeſtatis perſonam atque authoritatem, in veræ Religionis libertatumque Regnorum conſervatione & defenſione, conſervare & defendere, pro noſtri cujuſque muneris ratione conabimur: Ut atteſtetur univerſus Orbis conſcientiis noſtris de noſtra in Regem fidelitate, debitamque Regiæ Majeſtati poteſtatem & amplitudinem imminuendi nullum nobis animum aut intentionem ſubeſſe.

IV.

Omnes inſuper qui Incendiarii, Malignantes, aut Reformationem Religionis impediendo, Regem à populo ſuo aut Regna ab invicem dividendo, populumve in partes aut factiones diſtrahendo, contra præſentem Ligam & Fœdus malorum inſtrumenta fuerunt eruntve omni cum fidelitate detegere conabimur, ut publicam cognitionem & condignas pœnas ſubeant, pro delictorum ſuorum merito & exigentia, vel prout utriuſque Regni reſpectivè ſuprema judicatoria, aut alii ab eis in eum finem delegati judicaverint [b] *expedire.*

V.

Et quandoquidem majoribus noſtris uſque denegata beatæ inter hæc Regna pacis felicitas, nobis ſingulari Dei providentiâ conceſſa & per utriuſque Regni Parlamentum nuper conſtituta eſt & confirmata: dabimus operam ſinguli pro loci & muneris noſtri ratione, ut

[a] *Reg. Conv. S. p.* 132. *&c.* [b] Æquum judicabunt *legit interpres Latinus mala fide cum Anglicè legatur* (Iudge convenient.)

firma

firma pace & unione in omne ævum conjuncta permaneant; utque in pertinaces ejusdem impugnatores juxta modum & formam in præcedenti Articulo expressam animadvertatur.

VI.

Quinetiam in communi hâc causâ Religionis, Libertatis & Pacis Regnorum, omnes eos qui hanc Ligam & Fœdus ineunt, in eâdem tuendâ & exequendâ pro loci & muneris nostri ratione adjuvabimus & defendemus: Neque nos à beatissima hac Unione & Conjunctione, directè vel indirectè, combinatione, persuasione, vel terrore qualicunque distrahi ac divelli patiemur: sive factâ in adversam partem defectione, sive nos detestandæ ἀδιαφορίᾳ & neutralitati in hac causâ, ad Gloriam Dei, Regnorum Utilitatem, Regis Dignitatem tantoperè spectante, permittendo: Sed in eadem animosè & constanter contra omnem oppositionem omnibus diebus vitæ nostræ permanebimus; eandemque adversus omnia cujuscunque generis obstacula & impedimenta pro virili promovebimus; & quod non poterimus ipsi superare, ut ei mature occurratur, notum faciemus. Quæ omnia velut Deo præsente præstabimus.

Porro quoniam Regna ista plurimorum peccatorum adversus Deum & Filium ejus Jesum Christum, ex eorum effectis (præsentibus sc. difficultatibus & periculis) nimis liquidò constat esse rea; coram Deo & mundo profitemur & denuntiamus sincerum cordis nostri desiderium, pro peccatis propriis & pro peccatis istorum Regnorum, nosmet humiliandi: maximè quod Evangelium, quantivis pretii beneficium, prout par erat non æstimavimus, quod ad ejus puritatem & vim non anhelavimus, quodque Christum in corda nostra recipere, atque eo dignè ambulare, non curavimus, quæ reliquorum in nobis tantoperè exuberantium peccatorum ac iniquitatum causæ fuerunt: Simulque pro nobismetipsis aliisque omnibus fidei & curæ nostræ concreditis, cùm publicè tum privatim, verum & sincerum animi nostri desiderium, studium, & conatum, in omnibus officiis Deo hominique debitis, vitam nostram emendandi, & aliis veræ Reformationis exemplo invicem præeundi, quò Dominus à nobis iram suam & tristem indignationem avertat, atque has Ecclesias & Regna in veritate & Pace stabiliat. In hoc autem Fœdus coram Deo Opt. Max. omnium cordium scrutatore juramus, cum verâ intentione idipsum adimplendi; tanquam in magno illo die, cum omnium cordium arcana patefient, rationem reddituri: Humillimè Dominum rogantes, ut in eum finem dignetur nos sancto suo Spiritu confirmare, sicque consilia nostra & conatus benedictione suâ prosequi, ut populo suo cedant in libertatem & salutem, aliæque Ecclesiæ Christianorum Antechristianæ tyrannidis jugum cum gemitu vel expertæ vel metuentes, ad consimilem Associationem & Fœdus ineundum provocentur; ad Dei gloriam, regni Jesu Christi propagationem, Regnorumque & Rerump: Christianorum pacem & tranquillitatem.

Forma Juramenti Negativi.

Ego A. B. *ex animo juro me in hoc Bello sive Causâ contra Parlamentum Regi vel copiis quibuscunque sine authoritate utriusque Domus Parlamenti collectis, directè vel indirectè, non adhæsurum, aut opem sponte laturum. Juro insuper in Parlamenti me potestatem & fidem memet recepisse, sine aliquâ intentione quæ præsenti Parlamento ejusve rationibus præjudicio sit: & sine Regis aut ejus Consiliarii vel ministri cujuscunque (aliis quàm est à me jam indicatum) mandato, conscientiâ, vel consilio. Ita me Deus adjuvet per Jesum Christum hoc sacrosancto Evangelio annuntiatum.*

JUDICIUM

Universitatis Oxonienſis.

DE

Solenni Fœdere & Liga,
Juramento Negativo,
Ordinationibus circa {*Disciplinam, Directorium.*

Quandoquidem editâ nuper Procerum & Plebis in Parlamento congregatorum *De Visitanda & Reformandâ Universitate Oxonienſi* Ordinatione, personis quibusdam *Visitatoribus* ibi dictis potestas concessa est, de iis inquirendi qui in Universitate prædictâ oblatâ sibi *Solenne Fœdus* & *Ligam*, *Juramentum*que quod *Negativum* vocant, susscipere recusaverint; deque iis qui *Ordinationum* Parlamenti de *Disciplinâ* [Ecclesiasticâ] & *Directorio* [Cultûs Publici] executioni semet oppossuerint, earumve executionem pro loci vocationisque suæ conditione non promoverint: Nos *Magistri & Scholares* dictæ Universitatis, aliique ejusdem *Officiarii* & *Membra* (non ut aliorum conscientias temerè judicemus, sed ut, dum propriis cavemus, amoliamur quantum in nobis est coram Deo & hominibus omnem obstinati animi pravam suspicionem) nostram de *Fœdere*, *Juramento* & *Ordinationibus* prædictis sententiam, ejusq; sententiæ veras rationes publicè proponendas duximus: Expectantes speranteſque, è duobus alterutrum nobis pro suâ Justitiâ & Charitate omnes quorum ista rescire intererit concessuros: ut vel ad consentiendum circa prædicta non ulteriùs adigamur, quàm patitur præsens conscientiæ nostræ judicium; vel saltem non illicò condemnemur, si consensum nostrum tantisper abstineamus, dum propositis à nobis scrupulis plenè & solidè satisfiat.

§. I.

De Fœderis Proœmio.

De *Proœmio* sive *præfatione Fœderis introductoria* etsi eo minus laboremus, quod dici fortasse poterit ad ipsius Fœderis substantiam non ita propriè pertinere; inter alia tamen ibi dicta quorum Agnitio à quolibet Fœderato implicitè requiritur.

1. Primo illud veremur ut nobis tuto profiteri liceat, *auctam esse hoc tempore eorum*, qui ibi *inimici Dei* intelliguntur, *rabiem*, *vires*, *& audaciam*.

11. Deinde nec illud verè possumus affirmare, ullas nos unquam *Supplicationes* vel *Remonstrationes* ad effectus ibi memoratos, aut ipsos adhibuisse, aut ut ab aliis adhiberentur, consensum nostrum præbuisse.

111. Neque vero arbitramur mutuam istiusmodi Fœderis contesserationem, medium esse licitum, accommodum, & probabile, *ad nos Religionemque nostram à ruina & interitu conservandos.*

IV. Nec eam denique vel *laudabili istius Regni* retro actis seculis *consuetudini*, vel approbato *populi Dei apud exteras gentes exemplo*, credimus esse consentaneam; Cùm in Gentis nostræ Annalibus Fœderis à populo Anglicano ullâ unquam occasione initi nullibi compareat vel leviſſimum vestigium: nec nobis occurrat initi ubivis gentium ejusmodi Fœderis laudabile exemplum: Imò potius, quod esset *istî par* toto orbe nunquam antehac *Fœdus* extitisse ab ejus [a] Patronis fidenter affirmetur.

§. II.

De Fœdere Generalia quædam.

Imprimis non satis liquet, posse à nobis admitti Fœdus quod sit sub constitutâ pœnâ imperatum: Quia videtur.

1. *Primo*, tale imperium cum *Fœderis naturâ* parum convenire, quod cum sit species quædam *Pacti* sive *Contractûs*, mutuò contrahentium supponit [b] *spontaneum consensum* ad quem sunt homines suasionibus adducendi, non vi aut metu cogendi. Quinimo hoc ipsum Fœdus in *Præfatione*, *Conclusione*, totoq; sui *Corpore*, eâ verborum formâ perscriptum est, quæ consensum significet, rationum potiùs momentis subnixum, quàm metu extortum.

11. Nec id secundo fieri posse, nisi proditâ simul eâ *Libertate*, quam *Protestationis* nostræ vinculo jam antè obligati, & ex ipso isto [c] Fœdere *Juramenti* religione jam denuò obligandi sumus, cum capitis, & fortunarum nostrarum discrimine tueri & conservare; cui Libertati, Juramenti novi nullâ Parlamentariâ lege sanciti impositionem planè adversari, & in notissimo illo Statuto quæ [d] *Petitio Jurium* dicitur diserтim asseritur; & à Proceribus ac Plebe in [e] *Declarationibus* suis agnoscitur.

111. Nec etiam tertio, nisi agnoscere velimus iis qui istoc Fœdus à nobis exigunt, aliquid in nos juris competere amplioris, quàm aut ab eorum antecessoribus hactenùs unquam vendicatum accepimus; aut cum prædictæ *Protestationis* nostræ (si saltem nos eam rectè intelligamus) pluribus nec levioris momenti commatis consistere posse arbitramur.

Neque vero secundo sat nobis liquet (etiamsi nulla accederet jubentium potestas, sed suadentium duntaxat authoritate commendata res nostro demùm ipsorum arbitrio tota permitteretur.)

1. Quî nos pateretur prudentia officiique nostri (subditi qui simus) ratio, Fœdus, in quo de ejus cujus subditi sumus jure agitur, sine ipsius consensu vel expresso, vel tacito saltem, & rationabiliter præsumpto, sponte nostrâ inire. Quum ex æquitate Legis *Num.* 30. penes ipsum esse putemus, quod à nobis sic factum fuerit pro suo beneplacito rescindere & adnullare.

11. Postquam Sereniſſima Regia Majestas [f] *publicato programmate* voluntatem suam hac ex parte abundè jam patefecerit, qui sit nobis porrò integrum *Fœdus ad ipso explicitè prohibitum* admittere, non violato ejus *Observantiæ* jure, quam nobis persuasiſſimum est & nativæ Fidelitatis Lege, & Juris-jurati vinculo, omnibus Regis jussionibus deberi, quæ nullis aut Dei præceptis, aut positivis hujus Regni Legibus manifestè repugnant?

§. III.

De Primo Fœderis Articulo.

I. Imprimis postulant Sacræ Literæ ut *cum Judicio juretur*: quod veremur ut facturi simus, si (quod in primo hujus Articuli membro continetur) de *conservandâ alterius gentis Religione* juraretur;

1. Cujus ut nostrâ non interest esse multùm peritis, ita nos admodum imperitos esse profitemur.

11. Quæ (quatenus eam infelicium horum temporum περιςάσεις ad nostram notitiam perduxerunt, & nos arbitrari valemus) in tribus quatuor illorum quorum inibi mentio fit capitibus (*Cultu* sc. *Disciplinâ* & *Regimine*) aliquantò deterior est, in quarto etiam (*Doctrinæ* sc.) nihilo melior, quàm nostra illa, de quâ tamen reformandâ in proximo hujus Articuli membro tantoperè satagitur.

111. In quâ si quid olim deprehenderimus (quod fortasse penitiùs eam inspicientibus non erit simpliciter impossibile) quod *Papismum*, *Superstitionem*, *Hæresin* vel *Schisma* nobis videbitur sapere, aut esse sanæ doctrinæ vel virtuti pietatis contrarium: tenebimur vi proximi Articuli ei extirpando studere, postquam jam antè præsentis Articuli virtute ad eam conservandam obligati fuerimus.

IV. In quâ denique (ut illud non dissimulemus) videmur nobis nonnulla interim deprehendisse [g] *Superstitioni* & [h] *Schismati* (nostro saltem judicio) adeò finitima, ut illos æquius sit à nobis submoneri sua ut corrigant, quàm nos ab illis ad ea conservanda urgeri.

II. Deinde quantum ad alterum illud hujus Articuli membrum, de Reformandâ, sc. in hoc Regno Religione quoad *Doctrinam*, *Cultum*, *Disciplinam*, & *Regimen Ecclesiasticum*: quum Reformatio Immutationem in sui ratione necessariò & formaliter includat, nondum satis liquet posse à nobis istiusmodi *Reformationem* attentari.

Primò, sine manifesto tum Papistarum tum Separatistarum scandalo,

Isto enim pacto

1. Desertores nos præstabimus justissimæ causæ quam insignes pietate *Episcopi* & *Martyres*, aliique Ecclesiæ nostræ eruditi *Theologi* & *Professores* ab ipso Reformationis initio ad nostra usque tempora, suis

[a] *Juramentum, cui (quantum ad materiam, personas, & alias circumstantias) ullo unquam seculo juramentum simile aliud extitisse in divinis aut humanis historiis nullibi legimus.* Phil. Nye, Covenant with Narrative, p. 12. [b] *Pactum est duorum pluriumve in idem placitum consensus*, l. 1. ff. de Pactis. [c] Art. 3. [d] *Quandoquidem multis eorum* [subditorum sc.] *juramenta delata fuerint nullis hujus* Regni *legibus aut constitutionibus stabilita: Humillime petunt ne quis in posterum ad tale Iuramentum præstandum compellatur--- Quæ omnia humillime petunt — ut jura & libertates suas secundum Leges & Statuta hujus Regni* Petit. of Right 3. Carol. [e] *Declaratum est, non posse Regem quenquam ad jurandum adigere sine Statuto Parlamenti.* Declar. 16. Ian. 1642. *Vide* Exact. Collect p. 859. 860. [f] 9. *Octob.* 19. *Car.* [g] Viz. *Quod Episcopatum judicent esse Antechristianum, & ritus adiaphoros illicitos.* [h] Viz. *Quod disciplinam illam suam, & Regimen Presbyterianum, notam faciant veræ Ecclesiæ, & ut ipsum Regni Iesu Christi thronum venerentur.*

cùm

cùm ſcriptis tùm perpeſſionibus ſtrenuè propugnârant. Qui adverſus utriuſque generis hoſtem Religionem Eccleſiæ *Anglicanæ* verbo Dei conſonam eſſe abundè demonſtrârunt.

II. *Papiſtis* erit, quò ſpecioſius opprobria illa & contumelias in nos jaciant, quibus infamare ſolent *Religionem noſtram.* Solenne illis jamdiu fuit iſta objectare : Quæ tandem ſiet Religio noſtra inter nos nondum convenire. Ex quo Romanam Eccleſiam deſeruimus neſcire ubi ſit conſiſtendum, aut pes figendus: Eſſe Religionem noſtram [a] *Religionem Parlamentariam.*

III. Agnoſcemus (re ipſâ loquente) ſubfuiſſe aliquid in Eccleſiæ noſtræ Doctrina & Cultu (quibus interim ab ipſis rigidè exigebatur ut eſſent conformes) Dei verbo parum conſentaneum : unde utriſque ſuppetat, unis, *Recuſantiæ* ſuæ ; alteris, apertæ ab Eccleſiarum noſtrarum communione *Separationis* juſta excuſatio.

IV. Quin & illud quoque implicitè ſaltem fatebimur, *Leges* contra *Recuſantes Papiſtas* in hoc Regno antehac latas iniquas fuiſſe; omniaque ſupplicia virtute dictarum legum eis illata, injuſta. Siquidem illi nobis eo tantùm nomine pœnas dabant, quòd verebantur nobiſcum in eâ publici cultûs formâ communicare, quæ nobiſmet tandem non minùs quàm ipſis fuerit improbata.

II. *Secundò, ſine manifeſta noſtri ipſorum injuria.* Perhibebimus ſiquidem contra noſmetipſos falſum teſtimonium; multipliceſque aliàs *Conſcientiis* noſtris, *Exiſtimationi* & *Fortunis* laqueos injiciemus : Si operam noſtram interpoſitâ Juramenti Fide, obligemus, ad *Religionem* illam (velut pravam & vitioſam) *Reformandam.*

I. Quam antehac propriarum manuum ſubſcriptione conteſtati ſumus eſſe verbo Dei conſentaneam: cujus facti ut nos poſtea pœniteret, nullis aut proprii cordis obmurmurationibus, aut rationum ab aliis adductarum momentis & pondere hactenus effectum eſt.

II. Quam firmâ animorum perſuaſione non eſſe credimus in quovis dictorum quatuor capitum (prout apud nos legibus conſtituta ſunt) multò minùs in univerſis & ſingulis, verbo Dei Contrariam.

III. Quam ex animo idque idoneis (ut opinamur) rationibus inducti, multis nominibus potiorem eſſe credimus, Deique verbo, & Eccleſiæ Catholicæ praxi magis congruam eâ, quam in priore Articuli membro ſub Juramenti Religione conſervare jubemur.

IV. Cui ut quilibet Clericus ad aliquod Beneficium Eccleſiaſticum admiſſus conſentiat, Legibus Regni nunquam hactenus abrogatis imperatur. Quibus [b] cautum eſt ut Beneficiatus infra certum temporis ſpatium poſt Admiſſionem ſuam, ſub pœnâ Amiſſiouis Beneficii, 39. *Articulos* (qui Religionis noſtræ ſummam continent) in Eccleſiâ tempore ſacri Conventûs coram univerſo populo ibidem congregato legat; moxque lectis ſe ex animo conſentire palam & publice profiteatur.

III. *Tertio, ſine manifeſto Perjurii periculo.* Videtur enim iſtoc hujus Articuli membrum (quantum nos quidem judicando aſſequi poſſumus) ex diametro adverſari.

I. *Proteſtationi* illi noſtræ & *Solenni Voto*, quæ nos ſanctiſſimè obſervaturos, nec ullâ *ſpe, metu, alteriuſve rei intuitu unquam derelicturos* jampridem ſpoſpondimus. In quâ Doctrinam eam, ad quam (ſub nomine veræ Proteſtantium Religionis in Eccleſiæ *Anglicanæ* doctrinâ expreſſæ) tuendam voto nos obſtrinximus; eandem ipſam eſſe arbitramur, ad quam reformandam & immutandam opera nunc noſtra delato Juramento poſtulatur.

II. Præſtito à nobis (juxta *Leges* Regni, & Univerſitatis noſtræ *Statuta*) *de Regio Suprematu Juramento*, In quo, profeſſi priùs conſcientiâ teſte, *Regiam Majeſtatem ſolam eſſe ſummam moderatricem hujus Regni, &c.* tandem Deo teſte ſanctè recipimus nos *quantum in nobis fuerit propugnaturos atque defenſuros omnes & omnimodas Juriſdictiones, Privilegia, Præeminentias & Authoritates quaſcunque, vel conceſſas & commendatas Regiæ Majeſtati ejuſque Hæredibus & ſucceſſoribus, vel Imperiali hujus Regni diademati conjunctas & annexas.* Quarum Juriſdictionum & præeminentiarum una, eaque iiſdem ipſis penè terminis expreſſa Regni Legibus ſic annexa, tota poteſtas eſt *Spiritualis ſive Eccleſiaſticæ Juriſdictionis*, pro corrigendis atque reformandis omnibus & omnimodis erroribus & abuſionibus in rebus Eccleſiaſticis; ut ex dictæ [c] Legis verbis pleniùs intelligi poteſt. Juramenti formulâ, *Propoſitionem* ſuggerente, Legibus Regni, *Aſſumptionem*; quâ ratione commodè vitari poſſit *Concluſio*, fatemur non eſſe noſtri ingenii explicare.

SECT. IV.

De ſecundo Fœderis Articulo.

I. Imprimis antiquam illam Eccleſiaſtici Regiminis formam, quam ex animo, nec uti ſperamus immeritò, veneramur ; (Ut ſub quâ Religio noſtra tam feliciter ſine vi aut tumultu, tamque auſpicatè & ab initio reformata eſt, & longo poſt tempore ſummâ cum veritate & tranquillitate ad honorem & felicitatem Gentis noſtræ, Exterarumque invidiam & admirationem floruit) non poſſumus ſine ingenti animi mœrore & conſternatione intueri, in hoc Fœderis Articulo,

I. Non modo *Extirpationi* devotam; nullâ aſſignatâ rationis vel umbrâ, ob quam expediat, nedum neceſſe ſit, id fieri,

II. Sed & eodem loco habitam cum *Papiſmo*, *Superſtitione*, *Hæreſi*, *Schiſmate & profana Impietate*; quæ omnia profitemur nos tam odiſſe quàm qui maximè.

III. Idque injectâ nonnullâ ſuſpicione, eſſe eam Regiminis formam *ſanæ doctrinæ* vel *virtuti pietatis* adeò *adverſam*; ut neceſſe ſit qui ei extirpandæ manum non admoverit adjutricem, *participem fore alienorum peccatorum* ; quod nondum adduci poſſumus ut credamus.

IV. Quinetiam illud cupimus ut ſeriò expendatur, ſi Fœdus conſimili formulâ Civibus *Londinenſibus* proponeretur, quo ſinguli jurare poſtularentur,

[a] *Nemo nobis vitio vertat quod eam vocemus* Religionem Parlamentariam, *Evangelium Parliamentarium, Fidem Parliamentariam*, Harding. in confut. Apol. Iuel. part. 6. c. 2. [b] *Stat.* 13. Eliz. *chap.* 12. [c] *Quæcunque Iuriſdictiones*, Privilegia, *Superioritates & Præeminentiæ Spirituales & Eccleſiaſticæ -- pro viſitatione ſtatus & perſonarum Eccleſiaſticarum, & pro Reformatione, regulatione & correctione earundem, atque omnium & omnimodorum errorum, hareſium, ſchiſmatum, abuſuum, delictorum, contemptuum, & enormitatum, Imperiali hujus Regni diademati, authoritate præſentis Parlamenti conjunctæ & annexæ erunt in perpetuum.* Statut. reſtit. antiquam Coronæ Juriſd. 1. Eliz. cap. 1.

quo

quo ſinguli jurare poſtularentur, *operam ſe ultimam ſincerè, ſeriò & conſtanter ſine perſonarum acceptione collaturos Extirpationi Perduellionis, Regiminis Prætoriani*, [i. e. Regiminis Urbani] (*per Majorem, Aldermannos, Vicecomites, ſenatum civium, alioſq; miniſtros & Officiarios inde pendentes*) *Homicidii, Adulterii, Furti, Repetundarum, &c. ne participes eſſent alienorum peccatorum.* Utrumne exiſtimari poſſit, quenquam civium, qui non omnem juſtæ libertatis ſenſum, amiſiſſet, delatum ejuſmodi. Juramentum æquo animo laturum, vel ut Actum *Juſtitiæ, Manſuetudinis & Æquitatis agniturum?*

II. Deinde non arbitramur poſſe nos ſalvâ conſcientiâ conatus noſtros ad extirpandum Epiſcopale Regimen ſub Juramento polliceri, ſive *Rem* ipſam, ſive *noſmetipſos*, ſive Eccleſiam *Anglicanam* ſpectemus, ſive debitum Regiæ Majeſtati *Obſequium.*

Primò, reſpectu Rei ipſius. Videtur enim nobis eſſe Regimen Epiſcopale, ſi non *Juris divini* ſenſu ſtrictiore, aſt *Apoſtolicæ* ſaltem *inſtitutionis*; hoc eſt, etiamſi nullibi à Deo explicatè præceptum, ab Apoſtolis tamen in Eccleſiis inſtitutum, ad mentem & exemplum præceptoris ſui Jeſu Chriſti, idque virtute poteſtatis ordinariæ ab eo ipſis ut Eccleſiæ ſuæ Rectoribus ſubſtitutis delegatæ.

Unde affirmare non dubitamus, Epiſcopali *Ariſtocratiæ* potiori jure quàm alteri cuivis Regiminis formæ, Divinæ inſtitutionis vindicias competere; quæ tamen ſingulæ id ſibi juris peculiariter vendicant, idque vehementius quàm ab Epiſcopis fieri aſſolet: viz. *Monarchia* Papalis, Presbyterialis *Democratia*, & novitia illa *Independentium* informis forma *Anarchia* verius pro arbitrio ſingulorum cœtuum, qui in Eccleſiam aliquam communi membrorum conſenſu de novo collectam ſponte ſuâ coaluerint. Illud utcunque ex indubitatis veteris & recentioris ævi hiſtoriarum monumentis locupletiſſimè conſtat, Epiſcopatum ab univerſâ Eccleſiâ primis illis temporibus receptum, in omnibus Dei Eccleſiis, qua Chriſtianus patet orbis, adeò paſſim invaluiſſe, ut per *Annos mille quingentos* Epiſcopi continuâ ſerie invicem ſuccedentes ubique gentium duraverint: Perque tot ſecula vix unus & alter repertus fuerit, qui ſe auſus eſt Epiſcopalis Eminentiæ hoſtem apertè profiteri, præter unum *Aërium.* In cujus tamen hiſtoriâ hæc ferè duo ſunt eximia: *Aërii* illam contradictionem ab animi ambitioſi ægritudine initio exortam eſſe, & authori tandem hæreſis notam inuſſiſſe. Facit profectò Epiſcopatus hæc tam veneranda vetuſtas, ut omninò metuendum ſit, ſi ei eradicando navetur opera,

I. Triumphaturos vehementer *Pontificios*, quibus cordi eſt nos Religionemque noſtram ſpretæ antiquitatis, & invectæ novitatis inſimulare: cum id ab illis objici potuerit, refelli à nobis non potuerit.

II. Ita imminutum iri authoritatem, *conſtanti Univerſalis Eccleſiæ judicio & praxi* (optimo ſc. Scripturarum in his quæ minùs aperta ſunt interpreti) jure debitam, ut in plurimis ad *Fidem & Mores* ſpectantibus, quæque ſecuri uſque & *credimus & agimus*, aqua nobis ſæpè hæreat neceſſe ſit, quoties à *Socinianis*, *Anabaptiſtis*, aliiſque *Sectariis* ad ea probanda urgemur. Qualia ſunt, orthodoxæ quædam de divinarum Perſonarum *Trinitate & Coæqualitate* adverſus *Arrianos* alioſque hæreticos & heterodoxos Explicationes; *Sacramentorum numerus, uſus & efficacia*; *Baptiſmus Infantium*; *Eccleſiæ Nationales*; *Dici Dominicæ obſervatio*; ipſeque adeò *Sacræ Scripturæ Canon.*

II. *Secundò, reſpectu noſtri ipſorum.* Adverſari enim videtur ipſis Juſtitiæ, Æquitatis & Humanitatis principiis, extirpandi Regiminis Epiſcopalis (nondùm ſatis demonſtrato quòd ſit ex ſe illicitum) ſerium & ſincerum ſtudium, à Nobis ſi exigatur.

A Nobis, inquimus, qui omnes quotquot ad gradus Academicos admiſſi ſumus, 39. *Anglicanæ Confeſſionis Articulis* ſubſcribendo, Regimen ſimul Epiſcopale calculis noſtris comprobavimus: In quibus diſertis verbis aſſeritur [a] Librum qui *de forma conſecrandi Epiſcopos* inſcribitur, *nihil quod ſit verbo Dei contrarium in ſe continere.*

II. Quorum plerique (quotquot, ſc. Sacris Ordinibus initiati ſumus) ab Epiſcopis ordinati fuimus. Quibus ſanè nequiſſima talione à nobis reſponſum foret, ſi ob collatos per *manuum* ipſorum impoſitionem ſacros Ordines, nunc viciſſim ipſis eradicandis nos vicarias *manus* noſtras commodaremus; præſertim nullius cauſæ ſatis juſtæ conſcii cur ita facto ſit opus.

III. Quorum non pauci ante aliquot annos Supplicibus libellis pro continuando Regimine Epiſcopali, Supremæ Curiæ Parlamenti exhibitis vel exhibendis, nomina noſtra ſubſcripſimus. Quod ut à nobis ſincerè fuit & ſeriò tunc factum, ſic non minùs ſincerè & ſeriò idem nunc denuò nos facturos profitemur (cùm nemo nos interim edocuerit id perperam eſſe factum) ſi quæ ſpes tunc affulſerat receptionis ejuſmodi Libellorum, ea nunc denuò affulgeret.

IV. Quorum nonnulli Eccleſiæ alicujus Cathedralis vel Collegiatæ membra ſumus, & nominibus illis *Decanorum, Decani & Capituli*, &c. in hoc Fœderis Articulo damnatis, vitam victumque noſtrum in toto vel ex parte debemus. Nec facilè ſuccurrit nobis ab orbe condito aliquod in hoc genere exemplum: in quo homines, cujuſcunque ſtatus vel Ordinis, quamvis de crimine quod *deprivationem* mereretur (quæ tamen noſtra ſors non eſt) juridicè convicti, juramento ſe obligare coacti fuerint, ut *ſincerè ſeriò & ex animo conarentur* id extirpare (quod quidem non eſſet aliter & ex ſe illicitum) cum quo fortunas ſuas & præcipua vitæ ſuæ ſubſidia unà extirpari neceſſe eſſet.

V. Maximè cùm ex Statutis vel conſuetudinibus plerarumque iſtiuſmodi Eccleſiarum, ſoleat ab omnibus earundem membris in primâ ſui admiſſione Juramentum præſtari corporale; ut *honorem, immunitates, libertates & proficua Eccleſiæ ſuæ conſervare, & quoad vixerint, commodum ejus procurare ſtudeant, nec quicquam libenter & ſcienter faciant quod ei detrimento vel præjudicio ſiet, &c.*

III. *Tertiò, reſpectu Eccleſiæ Anglicanæ.* Veremur enim ut Juramento nos obligare liceat ad extirpationem Regiminis publicâ Authoritate conſtituti & longo uſu ſtabiliti ſeriò attentandam, nullâ neceſſariâ vel ſatis idoneâ ejus rei causâ mentibus noſtris aut ſuâ ſponte objectâ, aut ab aliis oblatâ: Quin potiùs,

I. Cùm omnis publici Regiminis mutatio, præter ea quæ præſentia ſunt & manifeſta, multa inſuper alia incommoda neceſſariò ſecum afferat, quæ nullo humano ingenio præcaveri poſſunt, vel etiam prævideri, dum ea dies prodat, & fera nimis experientia. Non poſſumus eſſe certi, ex immutatione hujus Regiminis (quod in hoc Regno tot ſeculis perduravit, in Legibus Regni tam altas radices egit,

[a] *Artic.* 36.

& cum

& cum Regimine Civili tam arctè conjunctum & complicatum eſt, ut ejus immutatio ingentis in Civili quoque ſtatu & regimine immutationis neceſſitatem inferat) non longè & plura & graviora inſecutura eſſe incommoda, quam ea, quæcunque tandem illa ſint, ſive, vera ſive putativa mala, quibus remedium ex iſtâ immutatione parari prætenditur.

II. Cùm Procuratores Plebis (Inferioris ſcilicet Domus Parlamenti) dudum [a] remonſtraverint, non eſſe ſibi vel in animo vel in votis, *Regimen Eccleſiaſticum abolere*; ſed potiùs, ut *omnia Eccleſiæ Anglicanæ membra iis ordinis & diſciplinæ Legibus, quæ Parlamentariâ authoritate conſtitutæ ſunt, regerentur*; imò maligni hominis eſſe ſiniſtram aliquam *in diverſum ſuſpicionem populo infundere*: Summæ eſſet imprudentiæ, conſentiendo ſecundo iſti Articulo, ejus nos *Infuſionis* reos ultro præſtare, quæ nos periculis ex quarto fœderis articulo incurrendis objiceret.

III. Cùm variis [b] ſtatutis Parlamentariis declaratum ſit, *Sanctam Eccleſiam Anglicanam in ſtatu Præſulatûs infra Regnum Angliæ fundatam eſſe*: Nobis religio eſt extirpando Præſulatum, ipſa quaſi fundamenta ſubruere, & florentiſſimæ Eccleſiæ ruinam, quantum in nobis eſt, accelerare; quam officii conſcientiæque vinculo tenemur pro virili legitimis modis quibuſcunque ſuffulcire & ſuſtinere.

IV. *Quarto* denique, *reſpectu Regiæ Majeſtatis.* Quia non videtur poſſe à nobis attentari Regiminis Epiſcopalis extirpationem, ſine ſummarum illarum obligationum, quibus Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati ex officio & præſtitorum Juramentorum religione obſtricti tenemur, multiplici violatione.

I. *Majeſtatem Regiam ſolam eſſe ſummam Moderatricem omnium Eccleſiaſticarum tam Perſonarum quàm Rerum* in *Juramento Suprematus* profeſſi ſumus. Quo eodem Juramento (ut & *Proteſtatione* quoque noſtrâ) *Regiam nos dignitatem, ſtatum, Juriſdictiones & omnimoda jura propugnaturos* ſanctè recepimus. Unde liquet, non poſſe nos ſine gravi Majeſtatis Regiæ læſione atque injuriâ, iteratique perjurii crimine, immutationem aliquam in rebus & legibus Eccleſiaſticis, Rege inconſulto, quaſi jure proprio attentare; nedum Regiminis formam lege conſtitutam ab imis radicibus revellere & extirpare. Niſi eſſet Fœderis iſtius Impoſtoribus jus pariter & intentio (quod utrumque palam diffitentur) *abſolvendi nos à vinculo illius obedientiæ*, quæ poſt unum Deum Regiæ Majeſtati debetur, cujus fidei concreditam eſſe Juris Eccleſiaſtici tutelam non eſt ipſis ignotum.

II. Non poteſt Eccleſiaſtici Regiminis extirpatio à nobis ſincerè & ſeriò attentari, ſine ſincero etiam animi noſtri voto & ſerio conatu, ut iſtiuſmodi extirpationi Regius accedat Conſenſus. Quæ à nobis tantum abeſſe profitemur, ut officii noſtri eſſe putemus, precibus apud Deum Opt. Max. obnixè contendere, ne noſtris peccatis offenſus Regem ſinat cum Honoris & Conſcientiæ naufragio in extirpationem ejus ſtatus conſentire, ad quem pro virili (Deo adjuvante) tuendum & conſervandum in variis [d] *Juramentis Coronationis ſuæ* articulis tam ſolenniter conceptis verbis ſemet obligavit.

III. Legibus hujus Regni [e] *Epiſcopatuum &* [f] *Decanatuum Collationes*; [g] Terrarum redditumque ad eos pertinentium tempore vacantiæ *fructus* univerſi & *proficua*: [h] omnium Beneficiorum & Dignitatum Eccleſiaſticarum *Primitiæ & Decimæ*; cum aliis privilegiis, commoditatibus, & Emolumentis quæ è ſtatu Eccleſiaſtico proveniunt plurimis, in *Coronâ hujus Regni* ſtabilita ſunt: ſuntque *Regiorum reddituum* non exigua pars. Quæ omnia abolito *Regimine Prælatico* (juxta ejus vocis in ipſo Articulo expreſſam & ſubſequente praxi ulterius confirmatam explicationem) à Coronâ in grave ejus damnum & detrimentum abſciſſa erunt & avulſa. Cui rei ne Conſenſum noſtrum præbeamus, ſicut communis æquitatis, atq; ejus quæ ſubditos decet fidelitatis Lege prohibemur; ſic ad Regiæ Majeſtatis [i] *decus & ſtatum tuendum*, & [k] *ad propugnandum atque defendendum quantum in nobis eſt omnes & omnimodas Juriſdictiones -- ad ipſum ſpectantes, aut Imperiali hujus Regni diademati conjunctas & annexas*, ſub voti Juriſque jurandi Religione ſolenniter obligati, cenſemus nos non poſſe ſine manifeſti perjurii crimine conſentire.

IV. Cùm ſit regni hujus conſtitutio ὁμολογημένως *Monarchica &* [l] *Imperialis*, eaque Regiminis commodiſſimè temperati; mente nondum ſatis aſſequi valemus, qui nos decere poſſit, ejus *Regiminis Eccleſiaſtici formæ* extirpationem attentare, vel etiam expetere, quam cæteris formis omnibus tam probè conſtitutæ Monarchiæ conditioni multò accommodatiorem eſſe exiſtimamus, & cum ipſius periculo vel præjudicio aliquo omnium minimè conjunctam. Hinc fœlicis Recordationis *Regi Jacobo* illud crebrò in ore fuiſſe accepimus, quod eum longus rerum uſus docuerat; *Epiſcopus nullus, Rex nullus.* Exagitârunt quidem hoc Prudentiſſimi Regis dictum fidenter ſatis & petulanter, editis ſcripturiente hâc tempeſtate libellulis Bardi nonnulli & arrogantes ſcioli. Cæterum res infra paucos annos publicè geſtas mente recolentibus, pauciſſima nobis occurriſſe profitemur, quæ apud nos ejus Aphoriſmi fidem elevent. Speramus etiam aliquantò nos mitiore cenſurâ notandos, quod ad Epiſcopale Regimen extirpandum activè concurrere ſubvereamur, cum quò tendat ea extirpatio, ne cogitari quidem poſſit, niſi aut alienandis Epiſcoporum terris & redditibus (quod ut poſſit à *Sacrilegio & Injuriâ* dividi, aliis divinandum relinquimus) aut ut alteri cuivis Eccleſiaſtici Regiminis

[a] -- *Anſam præbere malignæ factioni acta noſtra calumniandi. Populo malam ſuſpicionem infundunt, nobis ſc. propoſitum eſſe Regimen Eccleſiaſticum penitus abolere.* 15. Decem. 1641. Exact. Coll. pag. 19. *Proceres & plebs declarant; ſe Eccleſiaſtici Regiminis ac Liturgiæ juſtam & neceſſariam Reformationem intendere, nec quiquam in eorum alterutro tollere, niſi quod malum fuerit & meritò offendere poſſit, aut quod ſaltem minus neceſſarium fuerit & oneroſum,* Decl. 9. April. 1642. Exact Collect. pag. 135. [b] Stat. de Carlelo, 25. Edw. 1. citatum in Stat. 25. Edw. 3. [c] *Infundunt populo ſuſpicionem nobis propoſitum eſſe, ſuæ quemque licentiæ permittere ab illâ obedientiâ eum abſolventes quam ſub Deo Regiæ Majeſtati debet, cui jus Eccleſiaſticum æquè ac Civile concreditum eſſe ſcimus.* Remonſtr. 15. Decemb. 1641. Exact. Collect. pag. 19. [d] *Se conceſſurum, conſervaturum & confirmaturum leges, conſuetudines & libertates à glorioſo rege Sancto* Edoardo *Clero conceſſas, & ſe conceſſurum, & conſervaturum* Epiſcopis *& Eccleſiis eorum curæ commiſſis omnia canonica privilegia, & debitam legem, atque juſtitiam, protecturumque & defenſionem exhibiturum ſicut Rex in ſuo regno unicuique Epiſcopo & Eccleſiis ei commiſſis de jure exhibere debet.* [e] Vide Stat. 25. H. 8. c. 20. & 1. Ed. 6. c. 2. [f] Stat. 39. Eliz. c. 8. [g] Stat. 14. Ed. 3. c. 4. & 5. 17. Ed. 3. c. 14. [h] Stat. 26. Hen. 8. c. 3. & 1. Eliz. c. 4. [i] Vide Proteſtat. [k] Vide Juramentum Suprematus. [l] *Supremam poteſtatem & merum Imperium apud nos habet Rex.* Camden. in Britan. *Quandoquidem variis antiquis atque authenticis Hiſtoriis & Chronicis manifeſtè dicitur & declaratur, Regnum hoc Angliæ Imperium eſſe, itaque toto Orbe habitum fuiſſe, ab uno ſupremo Capite & Rege gubernatum, Imperialis ejuſdem diadematis dignitatem & Regalem ſtatum habente.* Stat. 24. H. 8. c. 12. Vide etiam Stat. 1. El. c. 1. 2. 3. ac paſſim.

 formæ

formæ introducendæ via ſtruatur. Quæ qualiſcunq; demùm futura eſt, eam *Imperio Monarchico* vel prorſus αὐτοκρατορίαν fore auguramur, vel ſaltem tranquillæ, legitimæ & efficaci ejus Imperii adminiſtrationi magis adverſariam, quàm modeſtis finibus circumſcriptum *Epiſcopale dominium.*

SECT. V.

De reliquis Fœderis Articulis.

Hæſimus in ſuperioribus Articulis paulò longiùs; qui, quòd ad Religionem & Sacra pertinerent, ad nos etiam proprius ſpectare videbantur. Qui ſuperſunt Articulos leviore pede percurremus, Contenti è plurimis quæ objici poſſent, iiſque (ut nobis videntur) graviſſimis, pauca quædam eorum quæ magis obvia ſunt delibaſſe.

I. In *Tertio Articulo* moleſtè nos habet, noſtrum de conſervandâ & defendenda Regiæ Majeſtatis perſona & authoritate ſtudium, adjectâ illâ limitationis clauſulâ [*in conſervatione & defenſione veræ Religionis & Libertatum Regni*] ita contrahi & in arctum cogi.

Quandoquidem

1. Nulla officii noſtri hâc ex parte limitatio vel in *Juramentis Supremat⁹ & Fidelitatis*, (quæ Juramenta cum eâ limitatione ne Papiſta quivis præſtare recuſaret) vel in *Solenni Proteſtatione*, vel in *Dei verbo* reperitur.

II. Studium noſtrum pro conſervandis *Juribus & Privilegiis Parlamenti, Regnorumque Libertatibus*, ſine ullâ limitatione in eodem Articulo jurandum exigitur.

III. Iſta Limitatio *Subditi obſequium* ità in vago, *Regis ſalutem* ita in incerto relinquit: ut quandocunq; populo collubitum fuerit debitam Regiæ Majeſtati obedientiam ſubtrahere, deeſſe vel inde non potuerit, quod inobedientiæ ſuæ prætexant.

IV. Poſt contractum ex eo quod noviſſimè à nobis factum eſt (præſtito nimirùm cum hâc limitatione Juramento) *imminutæ* ipſo facto ejus quæ Regiæ Majeſtati debetur *poteſtatis & amplitudinis* reatum; importuna admodum res videri poſſet, eodem quaſi halitu ad univerſum terrarum Orbem provocare, *ut atteſtentur Conſcientiis noſtris nullum nobis eam imminuendi animum vel intentionem affuiſſe.*

V. Videtur eſſe limitata hæc juratio, *fidelitatis in ſubditis Teſtimonium* novæ ſanè & ſtupendæ naturæ; quod, ſalvis cuique Religionis ſuæ principiis, poſſet vel pertinaciſſimi *Papiſtæ*, *Hæretici*, aut *Sectarii* conſcientia ſecurè deglutire; non poſſet *Catholici Proteſtantis* conſcientia ſine *aliqua nauſeâ* deguſtare.

II. In *Articulo quarto*, rogamus ut pauca hæc maturè cogitentur;

I. Annon imponat iſte Articulus filio neceſſitatem, ut ſit patris ſui publicus delator, eumque (ſi fortè ſit *Incendiarius*, *Malignans*, aut alitercunque ejus generis *malum inſtrumentum*, quale iſtic deſcribitur) ad interitum uſque & mortem perſequatur? Quod ab omni *Naturæ*, *Religionis*, *Humanitatis* jure, videtur eſſe prorſus alienum.

II. Annon aperiatur iſto *Parricidiis*, *Uxoricidiis*, aliiſque id genus nefariis facinoribus lata feneſtra? Cùm poſſint Fœderis ſui prætextu *Liberi* Parentibus, *Mariti* Uxoribus, *Cognati* Propinquis, &c. necem ſtruere; ſcilicet ſi *Malignitatis* inſimulare volent eos, qui velut obices ſunt ſuarum cupiditatum; quò conſilia ſua quantumvis impia ſacri hujus Fœderis obtentu, faciliùs & ſecuriùs adimpleant.

III. Quum ſolenni Proteſtatione ad tuendam *Subditorum Libertatem* nos obligaverimus; & Procuratores Plebis Domûs inferioris Parlamenti omne *Arbitrariæ poteſtatis* exercitium publicâ ſuâ *Declaratione* damnaverint, (quam *Declarationem* in ſingulis hujus Regni Eccleſiis & Capellis & publicè legi *juſſerunt, & lectam ibidem affigi atq; remanere, in perpetuam rei memoriam, & in teſtimonium ſinceritatis & integritatis ſuarum intentionum*;) Annon ſubjectio noſtrique ipſorum, fratrumque & popularium noſtrorum, idq; præſtito Juramento, ad quævis ſupplicia perferenda (ſine *lege*, ſine *merito*) pro mero arbitrio Judicum etiam incertorum, (videlicet qui pro datâ occaſione ad id munus eâ vice exequendum, à quibus tamen incertum, deputati fuerint, nullâ prorſus habitâ *loci, conditionis, fortunarum, exiſtimationis* aut *peritiæ* ratione;) ne capitis quidem ſupplicio excepto, *modo id ipſis videbitur expedire*, ſcilicet (nihil enim ampliùs in iſto Articulo ad noxam requiritur) etiamſi delicti modus tam grave ſupplicium non mereatur? Annon ſit, inquimus, iſtiuſmodi ſubjectio, *Libertatis noſtræ* fœdiſſima proditio, inque ejus locum *tyrannidis* καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, *Arbitrariæ* ſubſtitutio?

III. *Articuli quinti* Summa cùm ſit, de *Pace & Unione Trium Regnorum* firmandâ & conſervandâ; quam nos omni legitimâ ratione pro noſtro cujuſque loco & conditione procurare, & ex officio tenemur, & ex animo cupimus: in eam quidem fœderis partem libentiſſime nos juraturos profitemur. Niſi quòd

I. Nobis nondum videre contigit, proinde nec agnoſcere licet, eam cujus in Articulo mentio fit, *beatiſſimæ pacis inter* tria *Regna* (*Hiberniam* enim eſſe apud eos aliquo in numero confidimus) fœlicitatem; cum *Hibernia* bello inteſtino laborat, & eodem bello altera duo Regna implicita manent.

II. Quandoquidem non poteſt ſolidè firmari *Pax*, cujus non ſit *Juſtitia* baſis; Juſtitiæque maximè proprius & adæquatus actus eſt, *Suum cuique tribuere*; nobis vix credibile eſt, tribus hiſce Regnis firmam & ſtabilem Pacem reſtitui poſſe, niſi ex æquo *Regis, Parlamenti*, atque *Subditorum*, *Authoritas*, *Poteſtas* & *Libertas* integræ & inviolatæ conſerventur; juxta cujuſque Regni *Leges* publicas, & indubitatas *Conſuetudines*, prout pacatioribus retrò temporibus, & ante exortas has turbas, uſu receptæ fuerant.

IV. *Articulus ſextus* conſcientiis noſtris nullâ ex parte ſatisfacit.

I. Quia totus Articulus in *hypotheſi* fundatur, quam nullâ ſolidâ demonſtratione hactenus firmatam vidimus, viz. *Cauſam hanc*, (nempè, ſi rectam ejus vocabuli ſententiam aſſecuti ſumus) hoc mutuæ defenſionis fœdus nuperi belli perſequendi gratiâ ſuſceptum, *cauſam eſſe Religionis, Libertatis & Pacis Regnorum, atque ad Dei gloriam, Regnorum commodum, & Regis honorem* tantoperè ſpectare.

II. Quia, ſi eſſet iſta *Hypotheſis* ita manifeſta, ut ei promptè aſſentire poſſemus, non tamen ſatis eſſet in illâ præfidii ad conſcientiæ noſtræ ſecuritatem, ut propterea in reliquam Articuli partem tutò jurari poſſet; niſi liquidò etiam conſtaret, *Media* ad ejuſmodi cauſæ defenſionem adhibenda eſſe indubiè licita. Quum enim non ſint facienda mala, ut inde eveniant bona; nobis nondum perſuaſum eſt ſatis, *Cauſam Religionis, Libertatis & Pacis* ſuſtineri debere, vel *Dei gloriam, commodum Regnorum & Honorem Regis* iis mediis promoveri, quæ non ſunt (judicii

dicio noſtro) iis finibus accommoda & opportuna, quæque ſunt omni quod ſcimus Legum divinarum & humanarum præſidio penitùs deſtituta.

V, In ipſâ denique *Concluſione*, horrent animi quoties cogitamus, à ſingulis fœderatis Deo preces eſſe offerendas, *cæteræ quæque Chriſtianorum Eccleſiæ noſtro exemplo provocentur ad ejuſmodi aſſociationem & fœdus ineundum, quò ſe à jugo Antichriſtiano liberent, &c.* In quâ Concluſione,

I. Miſſo quòd de *jugo Antichriſtiano*, quo in his Regnis premebatur, & à quo iſtius ſeu *Belli* ſeu *Fœderis* beneficio liberati ſumus, nihil quicquam nobis compertum ſit: (niſi quis fortè eâ appellatione *Epiſcopale regimen* ſignificari putet; quod eorum qui *Veritatis* & *Charitatis* cultores audire amant, ſperamus affirmaturum neminem.)

II. Nihildum domi deprehendere viſi ſumus, inter fructus iſtius Aſſociationis ſive Fœderis, tam venuſtum & amabile; ut propterea ſit exoptandum, multò minus precibus expetendum, ut aliæ Chriſtianorum Eccleſiæ noſtrum hâc in re exemplum imitentur.

III. Imò verò in eam ſententiam Deum precari, perinde nobis eſſe videtur, ac ſi Deum Opt. Max. *pacis & Dilectionis Deum* obſecrare velimus,

1. Ut vulſo radicitùs è Cordibus Chriſtianorum omni pacis & dilectionis ſtudio, toto Chriſtiano Orbe bellorum & ſimultatum incendia paſſim graſſentur.
2. Ut *Religio Reformata*, cum ipſo *Proteſtantium* nomine, univerſo orbi exoſa reddatur.
3. Ut admoneantur Principes Europæi, *Proteſtantes* durius tractandos; vel etiam potiùs (ſi ſe incolumes eſſe velint) ditionibus ſuis penitus exigendos.

IV. *Antichriſti jugum*, ſi à legitimis Poteſtatibus Subditorum cervicibus fuerit impoſitum, non vi & armis, & divinæ ordinationi reſiſtendo excutiendum eſſe cenſemus, ſed Chriſtianâ fortitudine (quæ in *veritatis* intrepidâ *confeſſione*, & *Tolerantiâ Crucis* conſiſtit) perferendum.

SECT. VI.

De fœderis Senſu, ſive Interpretatione, Dubia quædam.

Rationibus ſuprâ dictis ulterius confirmandis, ex his quæ proximè ſequuntur obſervationibus accedit non leve momentum.

I. *Primò*, non poteſt Juramentum ſine perjurio præſtari, quod continet in ſe Contradictoria; quia *alteram contradictionis partem neceſſe eſt eſſe falſam.* Fœdus autem iſtud vel reverâ continet, vel ſaltem (quod ad conſcientiæ munus perinde eſt) nobis videtur, aliquam-multas continere *contradictiones.* Inque eis, iſtas;

1. Unam eandémque religionem reformatam *conſervare*, id eſt, non mutare; & *reformare*, id eſt, immutare, & non conſervare.
2. Unam eandemque numero rem, (*viz.* præſentem Eccleſiæ *Scoticæ* Religionem) ſimpliciter & abſolutè *conſervare*, & ex hypotheſi tamen *extirpare.*
3. *Regimen Eccleſiaſticum* in Eccleſiis *Angliæ* & *Hiberniæ* legibus conſtitutum, *ad verbi Dei præſcriptum reformare*, & eam tamen Regiminis formam, quam Dei verbo conſentaneam judicamus, *extirpare* ut alia, de quâ non ita perſuaſi ſumus, ejus vice ſubſtituatur.
4. Extirpandis *hæreſibus ſchiſmaticis*, *atque impietati*, ſeriam navare operam, & *regimen Epiſcopale extirpare*, ex cujus intermiſſione præcipuè prædicta mala in tantum excreviſſe, cujuſque reſtitutionem atque exercitium, eorundem malorum commodiſſimum & efficaciſſimum remedium fore, arbitramur.
5. *Libertates Regni*, ſive (ut habent *Proteſtationis* verba) *libertatem ſubditorum, cum capitis fortunarumque noſtrarum diſcrimine conſervare*, & tamen contra eam libertatem, non iſtoc modò *Fœdus* & *Juramentum Negativum*, nullâ lege imperata in nos admittere; ſed & *capita* quoque noſtra & *fortunas* aliorum poteſtati permittere, qui de utriſque *præter jura*, imò & *contra jura*, pro ſuo arbitrio ſtatuere poterint, duntaxat ſi ut ita fiat ipſis videbitur *expedire.*

II. *Secundò*, permultæ occurrunt in hoc Fœdere *voces* & *locutiones* valdè obſcuræ, & *ſenſus ambigui*, in quas jurari non poteſt cum *judicio*, donec de earum ſententiâ certi aliquid conſtiterit. Exempli gratiâ. In primo Articulo? Qui ſint *hoſtes communes?* & quæ *optimè reformatæ Eccleſiæ?* In quarto? Qui ſint pro *Malignantibus* habendi? Quoad extendi debeat & poſſit quod ibidem *de reformatione impediendâ* dicitur? Quod ſit *utriuſque Regni Judicatorium ſupremum?* Et alia hoc genus compluria.

III. *Tertiò*, cùm inflecti ſæpius verba Fœderis animadverterimus, & miris interpretationibus aliorſum quàm nobis ſonare videbantur incurvari, ut quorundam hominum placitis conſiliiſque, non ſemper optimis, inſervirent; metuendum nobis videtur, ne Fœdus ineundo in eos nos laqueos incauti conjiciamus, unde non ſit integrum ubi voluerimus pedem referre.

I, Ubi enim in *primo Articulo* agitur de Religione in hoc Regno reformandâ, *quoad Doctrinam*, *Cultum*, *Diſciplinam*, *& Regimen*, *juxta Dei verbum & optimè reformatarum Eccleſiarum exemplum*;

1. Reformatio *quoad Cultum*, (quâ nihil amplius intendi poſſe & ex verbis ipſis & [a] publicatâ *declaratione* ipſorum adducti putabamus, quam accuratiorem aliquam *publicæ Liturgiæ* perluſtrationem; ut ſicubi opus eſſet *Tranſlationes Biblicæ* emendarentur, in *Officiis* & *Rubricis* quædam immutarentur, aut ad ſummum è *ritibus adiaphoris* aliquot qui ſcilicet parum eſſent ad guſtum populi ex quadam *συγκαταβάσει* prudenter ſummoverentur) exiit tandem in meram *totius formæ* Legibus conſtitutæ *abolitionem*; nulla interim aliâ, quæ in ejus locum ſuccederet, certâ formâ ſubſtitutâ.
2. *Diſciplinæ* & *Regiminis*, quam jamdiu parturiunt, *Reformationem* (quantum ex ſignis earum rerum quæ hactenus geſtæ ſunt divinare fas eſt) ea nec conſona nobis videtur *Dei verbo*, nec eſt certè *cujuſvis Eccleſiæ*, optimæ peſſimæve, à mundo condito, (quod ſcimus) *exemplo* conformis.
3. In *Articulo ſecundò*, minor profectò nos tenuiſſet & dolor & metus, ſi *Papiſmi*, *Hæreſis*, *Schiſmatis*, *& Impietatis* extirpationem, paribus ſtudiis, celeritate, animorumque & nervorum contentione agitari vidiſſemus, atque *Prælaturæ* & ejus rei, quam *Superſtitionem* ſi placet vocari volunt, extirpationem agi vidimus. Cæterum cum animadvertamus ex unâ parte, *Prælaturæ* & *Superſtitionis* tollendæ obtentu, quorundam hominum præmaturam ſatagentiam, in

[a] *Proceres & Plebs declarant ſe Eccleſiaſticæ Liturgiæ juſtam ac neceſſariam reformationem intendere, nec aliquid in eo tollere, niſi quod malum fuerit, & meritò offendere poſſit, aut quod ſaltem minùs neceſſarium fuerit & oneroſum.* Declar. 9. Apr. 1642. Exact. Collect. p. 135.

formæ introducendæ via ſtruatur. Quæ qualiſcunq; deinceps futura eſt, eam *Imperio Monarchico* vel prorſus αὐτάρκη fore auguramur, vel ſaltem tranquillæ, legitimæ & efficaci ejus Imperii adminiſtrationi magis adverſariam, quàm modeſtis finibus circumſcriptum *Epiſcopale dominium.*

SECT. V.

De reliquis Fœderis Articulis.

Hæſimus in ſuperioribus Articulis paulò longiùs; qui, quòd ad Religionem & Sacra pertinerent, ad nos etiam proprius ſpectare videbantur. Qui ſuperſunt Articulos leviore pede percurremus, Contenti è plurimis quæ objici poſſent, iiſque (ut nobis videntur) graviſſimis, pauca quædam eorum quæ magis obvia ſunt delibaſſe.

I. In *Tertio Articulo* moleſtè nos habet, noſtrum de conſervandâ & defendenda Regiæ Majeſtatis perſona & authoritate ſtudium, adjectâ illâ limitationis clauſulâ [*in conſervatione & defenſione veræ Religionis & Libertatum Regni*] ita contrahi & in arctum cogi.

Quandoquidem

1. Nulla officii noſtri hâc ex parte limitatio vel in *Juramentis Supremat⁹ & Fidelitatis*, (quæ Juramenta cum eâ limitatione ne Papiſta quivis præſtare recuſaret) vel in *Solenni Proteſtatione*, vel in *Dei verbo* reperitur.

II. Studium noſtrum pro conſervandis *Juribus & Privilegiis Parlamenti, Regnorumque Libertatibus*, ſine ullâ limitatione in eodem Articulo jurandum exigitur.

III. Iſta Limitatio *Subditi obſequium* ità in vago, *Regis ſalutem* ita in incerto relinquit: ut quandocunq; populo collubitum fuerit debitam Regiæ Majeſtati obedientiam ſubtrahere, deeſſe vel inde non potuerit, quod inobedientiæ ſuæ prætexant.

IV. Poſt contractum ex eo quod noviſſimè à nobis factum eſt (præſtito nimirùm cum hâc limitatione Juramento) *imminutæ* ipſo facto ejus quæ Regiæ Majeſtati debetur *poteſtatis & amplitudinis* reatum; importuna admodum res videri poſſet, eodem quaſi halitu ad univerſum terrarum Orbem provocare, *ut atteſtentur Conſcientiis noſtris nullum nobis eam imminuendi animum vel intentionem affuiſſe.*

V. Videtur eſſe limitata hæc juratio, *fidelitatis in ſubditis Teſtimonium* novæ ſanè & ſtupendæ naturæ; quod, ſalvis cuique Religionis ſuæ principiis, poſſet vel pertinaciſſimi *Papiſtæ*, *Hæretici*, aut *Sectarii* conſcientia ſecurè deglutire; non poſſet *Catholici Proteſtantis* conſcientia ſine *aliqua nauſeâ* deguſtare.

II. In *Articulo quarto*, rogamus ut pauca hæc maturè cogitentur;

I. Annon imponat iſte Articulus filio neceſſitatem, ut ſit patris ſui publicus delator, eumque (ſi fortè ſit *Incendiarius*, *Malignans*, aut alitercunque ejus generis *malum inſtrumentum*, quale iſtic deſcribitur) ad interitum uſque & mortem perſequatur? Quod ab omni *Naturæ*, *Religionis*, *Humanitatis* jure, videtur eſſe prorſus alienum.

II. Annon aperiatur iſto *Parricidiis*, *Uxoricidiis*, aliiſque id genus nefariis facinoribus lata feneſtra? Cùm poſſint Fœderis ſui prætextu *Liberi* Parentibus, *Mariti* Uxoribus, *Cognati* Propinquis, &c. necem ſtruere; ſcilicet ſi *Malignitatis* inſimulare volent eos, qui velut obices ſunt ſuarum cupiditatum; quò conſilia ſua quantumvis impia ſacri hujus Fœderis obtentu, faciliùs & ſecuriùs adimpleant.

III. Quum ſolenni Proteſtatione ad tuendam *Subditorum Libertatem* nos obligaverimus; & Procuratores Plebis Domûs inferioris Parlamenti omne *Arbitrariæ poteſtatis* exercitium publicâ ſuâ *Declaratione* damnaverint, (quam *Declarationem* in ſingulis hujus Regni Eccleſiis & Capellis & publicè legi *juſſerunt, & lectam ibidem affigi atq; remanere, in perpetuam rei memoriam, & in teſtimonium ſinceritatis & integritatis ſuarum intentionum*;) Annon ſubjectio noſtrique ipſorum, fratrumque & popularium noſtrorum, idq; præſtito Juramento, ad quævis ſupplicia perferenda (ſine *lege*, ſine *merito*) pro mero arbitrio Judicum etiam incertorum, (videlicet qui pro datâ occaſione ad id munus eâ vice exequendum, à quibus tamen incertum, deputati fuerint, nullâ prorſus habitâ *loci, conditionis, fortunarum, exiſtimationis* aut *peritiæ* ratione;) ne capitis quidem ſupplicio excepto, *modo id ipſis videbitur expedire*, ſcilicet (nihil enim ampliùs in iſto Articulo ad noxam requiritur) etiamſi delicti modus tam grave ſupplicium non mereatur? Annon ſit, inquimus, iſtiuſmodi ſubjectio, *Libertatis noſtræ* fœdiſſima proditio, inque ejus locum *tyrannidis* καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, *Arbitrariæ* ſubſtitutio?

III. *Articuli quinti* Summa cùm ſit, de *Pace & Unione Trium Regnorum* firmandâ & conſervandâ; quam nos omni legitimâ ratione pro noſtro cujuſque loco & conditione procurare, & ex officio tenemur, & ex animo cupimus: in eam quidem fœderis partem libentiſſimè nos juraturos profitemur. Niſi quòd

I. Nobis nondum videre contigit, proinde nec agnoſcere licet, eam cujus in Articulo mentio fit, *beatiſſimæ pacis inter* tria *Regna* (*Hiberniam* enim eſſe apud eos aliquo in numero confidimus) fœlicitatem; cum *Hibernia* bello inteſtino laborat, & eodem bello altera duo Regna implicita manent.

II. Quandoquidem non poteſt ſolidè firmari *Pax*, cujus non ſit *Juſtitia* baſis; Juſtitiæque maximè proprius & adæquatus actus eſt, *Suum cuique tribuere*; nobis vix credibile eſt, tribus hiſce Regnis firmam & ſtabilem Pacem reſtitui poſſe, niſi ex æquo *Regis, Parlamenti*, atque *Subditorum*, *Authoritas*, *Poteſtas* & *Libertas* integræ & inviolatæ conſerventur; juxta cujuſque Regni *Leges* publicas, & indubitatas *Conſuetudines*, prout pacatioribus retrò temporibus, & ante exortas has turbas, uſu receptæ fuerant.

IV. *Articulus ſextus* conſcientiis noſtris nullâ ex parte ſatisfacit.

I. Quia totus Articulus in *hypotheſi* fundatur, quam nullâ ſolidâ demonſtratione hactenus firmatam vidimus, viz. *Cauſam hanc*, (nempè, ſi rectam ejus vocabuli ſententiam aſſecuti ſumus) hoc mutuæ defenſionis fœdus nuperi belli perſequendi gratiâ ſuſceptum, *cauſam eſſe Religionis, Libertatis & Pacis Regnorum, atque ad Dei gloriam, Regnorum commodum, & Regis honorem* tantoperè ſpectare.

II. Quia, ſi eſſet iſta *Hypotheſis* ita manifeſta, ut ei promptè aſſentire poſſemus, non tamen ſatis eſſet in illâ præfidii ad conſcientiæ noſtræ ſecuritatem, ut propterea in reliquam Articuli partem tutò jurari poſſet; niſi liquidò etiam conſtaret, *Media* ad ejuſmodi cauſæ defenſionem adhibenda eſſe indubiè licita. Quum enim non ſint facienda mala, ut inde eveniant bona; nobis nondum perſuaſum eſt ſatis, *Cauſam Religionis, Libertatis & Pacis* ſuſtineri debere, vel *Dei gloriam, commodum Regnorum & Honorem Regis* iis mediis promoveri, quæ non ſunt (judicii

dicio noſtro) iis finibus accommoda & opportuna, quæque ſunt omni quod ſcimus Legum divinarum & humanarum præſidio penitùs deſtituta.

V, In ipſâ denique *Concluſione*, horrent animi quoties cogitamus, à ſingulis fœderatis Deo preces eſſe offerendas, *cæteræ quæque Chriſtianorum Eccleſiæ noſtro exemplo provocentur ad ejuſmodi aſſociationem & fœdus ineundum, quò ſe à jugo Antichriſtiano liberent, &c.* In quâ Concluſione,

1. Miſſo quòd de *jugo Antichriſtiano*, quo in his Regnis premebatur, & à quo iſtius ſeu *Belli* ſeu *Fœderis* beneficio liberati ſumus, nihil quicquam nobis compertum ſit: (niſi quis fortè eâ appellatione *Epiſcopale regimen* ſignificari putet; quod eorum qui *Veritatis* & *Charitatis* cultores audire amant, ſperamus affirmaturum neminem.)

II. Nihildum domi deprehendere viſi ſumus, inter fructus iſtius Aſſociationis ſive Fœderis, tam venuſtum & amabile; ut propterea ſit exoptandum, multò minus precibus expetendum, ut aliæ Chriſtianorum Eccleſiæ noſtrum hâc in re exemplum imitentur.

III. Imò verò in eam ſententiam Deum precari, perinde nobis eſſe videtur, ac ſi Deum Opt. Max. *pacis & Dilectionis Deum* obſecrare velimus,

1. Ut vulſo radicitùs è Cordibus Chriſtianorum omni pacis & dilectionis ſtudio, toto Chriſtiano Orbe bellorum & ſimultatum incendia paſſim graſſentur.
2. Ut *Religio Reformata*, cum ipſo *Proteſtantium* nomine, univerſo orbi exoſa reddatur.
3. Ut admoneantur Principes Europæi, *Proteſtantes* durius tractandos; vel etiam potiùs (ſi ſe incolumes eſſe velint) ditionibus ſuis penitus exigendos.

IV. *Antichriſti jugum*, ſi à legitimis Poteſtatibus Subditorum cervicibus fuerit impoſitum, non vi & armis, & divinæ ordinationi reſiſtendo excutiendum eſſe cenſemus, ſed Chriſtianâ fortitudine (quæ in *veritatis* intrepidâ *confeſſione*, & *Tolerantiâ Crucis* conſiſtit) perferendum.

SECT. VI.

De fœderis Senſu, ſive Interpretatione, Dubia quædam.

Rationibus ſuprâ dictis ulterius confirmandis, ex his quæ proximè ſequuntur obſervationibus accedit non leve momentum.

I. *Primò*, non poteſt Juramentum ſine perjurio præſtari, quod continet in ſe Contradictoria; quia *alteram contradictionis partem neceſſe eſt eſſe falſam.* Fœdus autem iſtud vel reverâ continet, vel ſaltem (quod ad conſcientiæ munus perinde eſt) nobis videtur, aliquam-multas continere *contradictiones.* Inque eis, iſtas;

1. Unam eandémque religionem reformatam *conſervare*, id eſt, non mutare; & *reformare*, id eſt, immutare, & non conſervare.
2. Unam eandemque numero rem, (*viz.* præſentem Eccleſiæ *Scoticæ* Religionem) ſimpliciter & abſolutè *conſervare*, & ex hypotheſi tamen *extirpare.*
3. *Regimen Eccleſiaſticum* in Eccleſiis *Angliæ* & *Hiberniæ* legibus conſtitutum, *ad verbi Dei præſcriptum reformare*, & eam tamen Regiminis formam, quam Dei verbo conſentaneam judicamus, *extirpare* ut alia, de quâ non ita perſuaſi ſumus, ejus vice ſubſtituatur.

IV. Extirpandis *hæreſibus ſchiſmaticis, atque impietati*, ſeriam navare operam, & *regimen Epiſcopale extirpare*, ex cujus intermiſſione præcipuè prædicta mala in tantum excreviſſe, cujuſque reſtitutionem atque exercitium, eorundem malorum commodiſſimum & efficaciſſimum remedium fore, arbitramur.

V. *Libertates Regni*, ſive (ut habent *Proteſtationis* verba) *libertatem ſubditorum, cum capitis fortunarumque noſtrarum diſcrimine conſervare*, & tamen contra eam libertatem, non iſtoc modò *Fœdus* & *Juramentum Negativum*, nullâ lege imperata in nos admittere; ſed & *capita* quoque noſtra & *fortunas* aliorum poteſtati permittere, qui de utriſque *præter jura*, imò & *contra jura*, pro ſuo arbitrio ſtatuere poterint, duntaxat ſi ut ita fiat ipſis videbitur *expedire.*

II. *Secundò*, permultæ occurrunt in hoc Fœdere *voces* & *locutiones* valdè obſcuræ, & *ſenſus ambigui*, in quas jurari non poteſt cum *judicio*, donec de earum ſententiâ certi aliquid conſtiterit. Exempli gratiâ. In primo Articulo? Qui ſint *hoſtes communes?* & quæ *optimè reformatæ Eccleſiæ?* In quarto? Qui ſint pro *Malignantibus* habendi? Quoad extendi debeat & poſſit quod ibidem *de reformatione impediendâ* dicitur? Quod ſit *utriuſque Regni Judicatorium ſupremum?* Et alia hoc genus compluria.

III. *Tertiò*, cùm inflecti ſæpius verba Fœderis animadverterimus, & miris interpretationibus aliorſum quàm nobis ſonare videbantur incurvari, ut quorundam hominum placitis conſiliiſque, non ſemper optimis, inſervirent; metuendum nobis videtur, ne Fœdus ineundo in eos nos laqueos incauti conjiciamus, unde non ſit integrum ubi voluerimus pedem referre.

I, Ubi enim in *primo Articulo* agitur de Religione in hoc Regno reformandâ, *quoad Doctrinam, Cultum, Diſciplinam, & Regimen, juxta Dei verbum & optimè reformatarum Eccleſiarum exemplum*;

1. Reformatio *quoad Cultum*, (quâ nihil amplius intendi poſſe & ex verbis ipſis & [a] publicatâ *declaratione* ipſorum adducti putabamus, quam accuratiorem aliquam *publicæ Liturgiæ* perluſtrationem; ut ſicubi opus eſſet *Tranſlationes Biblicæ* emendarentur, in *Officiis* & *Rubricis* quædam immutarentur, aut ad ſummum è *ritibus adiaphoris* aliquot qui ſcilicet parum eſſent ad guſtum populi ex quadam *συγκαταβάσει* prudenter ſummoverentur) exiit tandem in meram *totius formæ* Legibus conſtitutæ *abolitionem*; nulla interim aliâ, quæ in ejus locum ſuccederet, certâ formâ ſubſtitutâ.

II. *Diſciplinæ* & *Regiminis*, quam jamdiu parturiunt, *Reformationem* (quantum ex ſignis earum rerum quæ hactenus geſtæ ſunt divinare fas eſt) ea nec conſona nobis videtur *Dei verbo*, nec eſt certè *cujuſvis Eccleſiæ*, optimæ peſſimæve, à mundo condito, (quod ſcimus) *exemplo* conformis.

II. In *Articulo ſecundò*, minor profectò nos tenuiſſet & dolor & metus, ſi *Papiſmi, Hæreſis, Schiſmatis, & Impietatis* extirpationem, paribus ſtudiis, celeritate, animorumque & nervorum contentione agitari vidiſſemus, atque *Prælaturæ* & ejus rei, quam *Superſtitionem* ſi placet vocari volunt, extirpationem agi vidimus. Cæterum cum animadvertamus ex unâ parte, *Prælaturæ* & *Superſtitionis* tollendæ obtentu, quorundam hominum præmaturam ſatagentiam, in

[a] *Proceres & Plebs declarant ſe Eccleſiaſticæ Liturgiæ juſtam ac neceſſariam reformationem intendere, nec aliquid in eo tollere, niſi quod malum fuerit, & meritò offendere poſſit, aut quod ſaltem minùs neceſſarium fuerit & oneroſum.* Declar. 9. Apr. 1642. Exact. Collect. p. 135.

reditibus Ecclesiasticis & *vasis sacris* (Superstitionis non alio nomine reis, nisi quòd alicujus pretii sint) inuncandis & converrendis; ex alterâ parte ferocium istorum Reformatorum, in *hæresi*, *schismate* & *impietate* (ut minoris compendii rebus) extirpandis, miram lentitudinem & supinam indiligentiam, ut in illo opere ferveant, in hoc frigeant; Dissimulare profectò neutiquam valemus mentis nostræ suspicionem, *habuisse* Fœderis hujus Architectos aliud quidpiam *ob oculos*, præter ea quæ initio *Præfationis* ab eis memorata sunt: & in hoc Articulo latitare aliquid, quod *Sacrilegio* tam sit affine, ut tutissimum esse putemus ab eo utcunque abstinere.

Ad *Articulum tertium* quod attinet

1. Etsi quo quidque eorum quæ ibi recitantur ordine collocetur, nobis videri posset alias magni nec momenti res, nec periculi; postquàm tamen (in oratione suâ Parlamentariâ) *Chalonerus* cum aliis, tanti eam rem fecerint, ut inde argumentum extuderint; ex eo probare conati *Regiæ personæ & authoritatis* defensionem, conservationi *Jurium & Privilegiorum Parlamenti*, *& Libertatum Regni* posthabendam esse, quòd hæc in Fœdere [a] priorem locum obtineat, illa posteriorem: Condonabunt nobis, uti speramus, omnes boni, si in illa Fœderis verba ita intellecta jurare pertimescamus. Præsertim si cogitent, si obtinere debeat argumentum à mero ordine ductum, non minus validè ex adversâ parte deduci posse, *Regis personam Dignitatem & statum* primo loco tuenda esse, altera illa secundo tertiove; nimirum sic postulante eo ordine, quo in *Protestatione* recensentur. Unde etiam ulterius sequetur, quum *Protestatio* illa hoc *Fœdere* antiquior sit, validiorem esse illius quam hujus obligationem; quia *Obligatio prior semper præjudicat posteriori.*

11. Quandoquidem aliquos noverimus ad Fœdus hâc ex parte suscipiendum eò faciliùs adductos fuisse, quòd diceretur illa *Limitatio* [*in conservatione & defensione veræ Religionis, & Libertatum Regnorum*] non esse exclusivè intelligenda; quoties tamen animadvertimus consessum *domus* inferioris Parlamenti *in responsione suâ ad quædam Scotorum scripta*, hanc Limitationem [b] aliquoties urgere, ut clausulam inprimis necessariam, & sine quâ *Regiæ personæ & Authoritatis defensio* ne nominanda quidem sit; absterreri nos par est ab hoc *Articulo Fœderis*, hoc saltem sensu, admittendo.

111. Maximè cùm in nuperrimè edito libello rotundè asseratur, Regem ob non conservatas uti debuit Regni libertates, &c. in *Tyrannum* degenerasse & *Regem esse* desiisse: proinde & *Subditos* ejus desiisse esse *Subditos*, nec ei Observantiam aliquam ultra debere. Quam *Assertionem* cùm ex animo detestemur, ut in Suppositione *falsam & calumniatricem*, in Illatione verò *Seditiosam & Diabolicam*: abfit ut in hæc verba jurando, tam impiæ assertioni vel in minimo faviisse videamur.

Sed enim *Quarti Articuli* de Malignantium, &c. punitione verba, meminisse piget, & recogitantibus horrescunt animi, quantâ cum audaciâ in atrociissimorum facinorum patrocinium inclinârint, cum alii aliter, tùm is Maximè, qui edito sub [c] *Correctoris* titulo libello, *Chaloneriana orationis* defensorem agit. Is γυμνῇ τῇ κεφαλῇ Parlamenti utriusque domus Consessui denunciat, teneri eos virtute Fœderis (quâ nimirum parte *malorum se instrumenta ad dandas commeritas pœnas adducturos* spospondérunt) Regem & universam Regiam sobolem funditus delere: nec posse idoneâ aliquâ ratione defendi, *Strafford*ium & *Cantuariensem* ob *Delinquentiæ* (quod vocant) crimen jure capite plexos, quamdiu *delinquentium coryphæum* permittant esse impunitum.

SECT. VII.

De Salvis sive Effugiis.

Habent tamen viri, quàm nobis licet esse, aliquantò prudentiores, quibus se adversum scrupulos prædictos universos vel saltem graviissimos tueantur, sua quædam σοφὰ φάρμακα & Effugia. Sed quæ post debitum examen non deprehendimus esse ejusmodi, ut in eis tutò acquiescere possint conscientiæ nostræ.

I. *Primum* χρησφύγετον generale est: *posse quemlibet in verba Fœderis jurare sensu proprio.* Atqui in juramento promissorio ἐπακτῷ, in quo adimplendo & aliorum ratio habenda sit, id nullatenus videtur admittendum: sive *Rem* ipsam intueamur, sive quod inde oriri possit *scandalum.*

1. Imprimis *Res ipsa* apertò repugnat

1. *Jurisjurandi fini & usui.* Cui nisi adsit simplicitas, non potest in *veritate* & *justitiâ* jurari: nec inserviet tale juramentum terminandis litibus, & *tollendæ contradictioni*, qui Juramenti finis proprius est. *Hebr. 6.*

11. *Fini sermonis* proprio. Deus enim hominibus usum Sermonis eo fine concessit, ut esset animorum interpres. Ergo oportet, sicut in omni conversatione & contractibus, ita vel maximè ubi Juramenti intervenit fides, sic uti Sermone, ut ii quorum interest animi nostri sensa ex verbis intelligant.

111. *Fini istius ipsius Fœderis.* Quæ cùm sit stabilis inter partes conjunctionis assecuratio, ut ex mutuis promissis confirmatior sit invicem mutuæ defensionis & auxilii fides: si cuique liberum fuerit *suo sensu jurare*, nempè uni hoc sensu, alteri diverso; nihilo major erit inito jam fœdere, quàm nondum inito fuerat, mutui auxilii certitudo.

IV. Solenni denique *professioni cujusque fœderati:* Qui in ipsius formulæ conclusione disertis verbis pronuntiat, idque *coram Deo Opt. Max. omnium cordium scrutatore, se in illud fœdus jurare cum sincerâ intentione id ipsum adimplendi, &c.*

II. Quin & *scandalum* hic oritur non leve, data adversariis Religionis nostræ infamandi eam occasione, objiciendique

1. Id ipsum à nobis fieri, quod in *Pontificiis* damnamus: *viz.* eludi Juramentorum fidem Jesuiticis *æquivocationibus* & mentalibus *reservationibus.*

11. Tremendum Dei nomen in vanum assumi, & *Juramenta* nobis rem ludicram esse; quibus quod *uno sensu* hodie Juratum est, cras alio sensu, quod ei planè contrarium sit jurare licebit.

111. Omninò verissimum esse, quod *Presbyterianis* specialiter à [d] *Jesuitis* pariter & [e] *Sectariis* objicitur

[a] *Unde liquidissimè constat, Jura & Privilegia Parlamentorum, & Regnorum Libertates, esse primo loco conservandas.* Answ. to Scottish Papers, 18 Nov. 1646. p. 21. [b] *Observamus vos Regiæ defensionis bis meminisse ex verbis Fœderis, omissâ utrobique illâ clausulâ,* IN CONSERVATIONE, &c. pag. 39. 40. — *Summi momenti clausula, sine quâ reliqua Articuli pars citari non debet,* p. 56. [c] *The Corrector of à speech without doors.* [d] *Hæretici nec Deo, nec hominibus servant fidem --- Speciatim hoc addo, Calvinistas in hac re deteriores esse Lutheranis. Nam Calvinista nullam Servant fidem. Jura, perjura --- Lutherani moderatiores sunt* Becan. 5. Manual. Controv cap. 14. num. 4 & 6. [e] -- *Invenire Iuramenta & fœdera, in eisdem pro libitu suo dispensare, pii, presbyteri instar Jurare & Pejerare* -- Arraignment of Persecut. in Epist. dedic.

citur

citur ; Lubricam esse fidem Protestantium ; quia aliud *verbis* palam prolatis, aliud *sensu* intus in pectore reservato, jurare sibi licere putant.

II. *Secundum* χρησφύγετον est etiam generale. Posse jurari cum adjectâ tali aliquâ clausulâ, *Quatenus licitè potero ; Quatenùs Dei verbo & Legibus Regni consentaneum est ; Salvis Juramentis prius à me præstitis, &c.* Verùm enimverò

I. Crassam hanc Dei illusionem, ab eo tantùm abesse ut nos *perjurii* crimine liberet, arbitramur, ut potiùs novo nos crimine implicet, fœdæ scilicet & execrandæ *hypocrisis.*

II. Nobis pariter hoc absurdum videtur (posito quòd sit res ipsa aliàs & ex se illicita) ac si quis juraret, se *homicidium, furtum, adulterium, perjurium,* aut aliud peccati genus, *quatenus licitè poterit* admissurum.

III. Si in ejusmodi *Salvis* acquiescere posset Conscientia ; liceret nobis liberâ conscientiâ non solùm proposito jam Fœderi consentire, sed & Concilii *Tridentini* decretis, vel etiam *Turcarum Alcorano* subscribere, & ad utriusvis observationem defensionemque Juramento nosmet obligare : nimirùm adjectâ clausulâ, *Quoad licebit ; Quatenus cum Dei verbo congruunt ; Salvâ fide Christianâ, & voto in Baptismate emisso, &c.*

III. *Tertium* χρησφύγετον *Articulum secundum* peculiariter respicit, quâ parte *de Regimine Prælatico extirpando* agitur. Scilicet intelligendum esse Articulum de totâ Hierarchiâ Ecclesiasticâ *collectivè* sumptâ & *in sensu composito.* Ita ut si tollendis solum *Apparitoribus*, alteriusve cujusvis (quantumlibet infimi) ordinis Officiariis ab illâ Hierarchiâ quomodolibet pendentibus, opera daretur, salvo interim *Episcopatu* ; data tamen ex Articuli Sententiâ fides utcunque exolveretur.

I. Atqui Fœderis istius nec *Latores* verbis, nec *Delatores* factis suis aliquod animi sui vei leve indicium dederunt, unde verisimile fiat, ex ipsorum Sententiâ ad perimplendum quodhic juratur nihil ulteriùs à jurante postulari.

II. Quin potiùs existimandum videtur, (quantum ex effectibus de causis judicari potest) id illis fuisse constitutum, ut *Universa Hierarchia Ecclesiastica* cum omnibus & singulis ejus membris radicitus extirparetur. Nam

I. Primum de Fœdere contrahendo consilium, aut *Scotis* authoribus initum, aut à nostris ad promerendam *Scotorum* gratiam & auxiliares copias susceptum fuisse, nulli dubitamus. Omninò ergo debuit eam sententiam continere, quæ *Scotorum* votis & voluntati esset consentanea. *Scotorum* autem quæ fuerit mens, cum ex ipsorum publicatis [a] scriptis satis appareat, non patitur ratio ut credamus, ex sublatis *Apparitoribus*, aut aliâ re qualibet, absque extirpato penitus Episcopatu, eorum expectationi satisfieri potuisse.

II. Quin etiam quæ postquàm hoc Fœdus initum attentata sunt, ut sc. authoritate Ordinationis utriusque Consessus Parlamenti, *Episcoporum Potestas omnis*, & *Reditus*, atque adeò ipsum *Nomen*, & (si fieri posset) Memoria penitus tollerentur ; tristi documento sunt, quæ fuerit eorum in isto Articulo mens, quod consilium.

IV *Quartò*, ad ea quæ à supremâ authoritate Regiâ, & Subditorum officio petuntur argumenta, *duplici modo*, respondent ; sed neutra responsio nobis satisfacit.

I. Aiunt *primò* (quæ nobis nova videtur & subtilis, admodùm Theologia) *Protectionem* & *Subjectionem* in mutuâ invicem relatione consistere ; & proinde cum Rex jam *Protectionem* nobis ultrà præstare non valeat, nos vicissim *Subjectionis* vinculo non ultrà obligari. Sed enim cogitandum erat,

I. *Jus Subjectionis* à *Protectionis jure* ortum esse, & ad ipsum referri, non autem ad *protegendi actum* sive exercitium. Ex quo utroque Jure, utraque pars ad ea præstanda quæ sui sunt muneris obligantur ; *Subditi* scilicet ad *obtemperandum* Regi, *Rex* ad *protegendum* Subditos. Quæ obligatio ut ei incumbit, ex officii conscientiâ, ubi id ipsum in ejus potestate fuerit, præstanda ; sic quæ isti obligationi relative respondet obligatio, nobis incumbit ex officii conscientiâ itidem præstanda, ubi id ipsum in nostrâ potestate fuerit. Illius ergo impotentia ad id præstandum quod sui muneris est, nos obligatione id faciendi, quod & debemus & possumus, non liberat.

II. Imò etiamsi *Rex protectionem* nostri, cum tueri nos posset & deberet, immemor officii sui negligeret ; non tamen ex eo neglectu, quantumvis voluntario, solvi vinculum illud quo tenemur in conscientiâ id quod nostrarum est partium fideliter præstare. Quantò ergo minùs putandum est, nos à *Subjectionis* obligatione liberari, cum is à nostri *Protectione* impediatur culpâ, non suâ, sed alienâ ; nec *voluntatis* defectu, sed *potestatis* ?

II. Aiunt *secundò* (in quo tantum non triumphare videntur nonnulli) *Parlamentum* supremum esse Regni tribunal ; Regem ubicunque *personaliter præsentem*, præsumi tamen semper in *supremâ illâ Curiâ* (ut & in aliis *inferioribus Curiis juridicis*) *præsentem* adesse *virtualiter*, & per præsentiam potestatis ; quod igitur ab Ordinum Conventu in Parlamento fit, non *sine Rege*, sed *ab ipso* factum censeri debere.

Sed petitâ primo loco imperitiæ veniâ, si indoctis formularum & apicum juris (quæ sunt extra sphæram studiorum nostrorum) aliquid fortè exciderit impropriè aut incommodè enunciatum ; venia proximè petenda est, tantisper ut nobis liceat idem sentire quod prius, quoad intellectui nostro liquidum fiat Regem ibi præsentem esse *præsentiâ potestatis*, sicut sensui nostro liquet eum ibi non esse præsentem *præsentiâ Corporis.* Quod sanè (quantum pro ingenii nostri & experientiæ modulo judicando sumus) nunquam efficere poterunt, quæ hactenus in eam rem dicta reperimus.

Ad *Præsentiam* enim quod attinet,

I. Majorum nostrorum perpetuâ quâdam traditione imbuti sumus eâ fide ut credamus [b] ad

[a] *Vinculo Fœderis utriusque domus Parlamenti consessus, multaque millia Regiorum in* Angliâ *&* Hibernâ *Subditorum, pariter ac nos, Regiminis Episcopalis in Regno* Scotiæ *erectionem impedire obligantur. Similiter & nos, æquè ac illi, ejusdem in* Angliâ *&* Hiberniâ *extirpationem conari obligamur.* Declar. Scot. ad Ordines Belgii 5. Aug. 1635. citat in Answ. to Scottish papers. p. 23. [b] Sic olim habebant antiquæ Legum & Actuum Parlamenti formulæ, *Rex vult, mandat, præcipit, sancit, concedit, &c. assensu Parlamenti.* Vide Stat. usque ad 1. Hen. 4. Exinde sic : *Rex de consensu Baronum Spiritualium & Temporalium, & ad instantem petitionem plebis hujus Regni, constituit, &c.* Vide Stat. à 1. Hen. 4. ad 1. Hen. 7. Exemplum istiusmodi petitionis Plebis. v. 1. Ric. 3. cap. 6. *Orat universitas plebis in præsenti Parlamento congregata, quatenus, &c. --- Placeat igitur Celsitudini vestræ de consilio & assensu Baronum --- in hoc præsenti vestro Parlamento* Congregatorum, *& authoritate ejusdem constituere, &c. Nulla billa est Actus Parlamenti, Ordinatio vel Edictum Juris, etiamsi Consessus utriusque Domus in eam unanimiter consentiat, donec Regio assensu comprobata fuerit.* Ancient Customs, pag. 54. *Assemblee de ceux trois Estats est appellee un Acte de Parlement, car sans tous trois n'est aucun Acte de Parlement.* Finch Nomotechn. fol. 21. b. *Concedimus nullos Actus Parlamenti completos esse, vel formaliter obligare sine assensu Regis.* H. P. Answ. to Dav. Jenkins, pag. 6.

Leges condendas *assensum Regis actualem* simpliciter esse necessarium, & non virtualem assensum solum, qui scilicet in utrâque domo Parlamenti inhærere putetur. Aliàs Regii *Suffragii Negativi* quis poterit esse usus? Aut quorsum opus esset in Lege rogandâ [a] *Regium assensum* expectari, si absque tali ejus assensu totum negotium non minùs validè confici posset?

II. [b] Statuto provisum est, *Regium absentis assensum alicui Billæ* sive schedulæ *propositæ sub Magno suo Sigillo significatum*, ad omnem Juris effectum non minùs validum fore, quàm si coram & personaliter præsens adesset. Manifesto argumento, ad effectum Legis ferendæ, *Regiam Potestatem* in Comitiis Parlamentariis non præsumi posse realiter esse præsentem; nisi quatenus Rex vel *in propriâ suâ personâ* coram & corporaliter adest, vel absens præsentiam suam supplet per *Delegatos* quosdam (sive *Commissarios*) suos Magni Sigilli authoritate ad hoc deputatos. Quævis alia *præsentiâ realis* ænigmatis instar est, *Transubstantiationis* monstro haud absimilis: spectrum scilicet & phantasma, & quod scenæ serviat, excogitatum potius quàm vel iis ipsis creditum, quibus utile est ut credatur.

III. De *virtuali* istâ Regis in Consessu utriusque domûs Parlamenti *præsentiâ*, quamprimum nobis vel ex *Brevibus Summonitionum*, (i. e. Rescriptorum Regiorum, quorum virtute Membra utriusque domus respectivè convocantur, formulis;) vel ex receptis & agnitis *Regni Legibus*; vel ex constanti Majorum nostrorum prisci & recentioris ævi *judicio & praxi*, vel ex Regiæ mentis per suum aliquod *rescriptum* clarâ significatione, constare contigerit: tum demum nos eam, uti par est, promptè & alacriter agnituros pollicemur.

Illud verò alterum argumentum, quod *ab aliorum Tribunalium analogiâ* ductum est, in quibus semper *Potestas Regia* præsumitur esse virtualiter præsens; nobis sanè (salvo peritiorum judicio) videtur esse non multum efficax.

I. Primò enim, Argumenta loci Topici *à Comparatis* infirma ferè sunt, multisque fallentiis & exceptionibus obnoxia: ita ut nisi inter res comparatas (quod non sæpissimè fit) in omnibus ad collationem rite instituendam requisitis ratio sit usquequaque par, nulla sit probatio. *Constabulario* alicujus villulæ licere ferunt, quod *Justiciario ad pacem* non licet: & *Senescballus* exigui Manerii Jus habet deferendi Juramentum, quod Juris *inferiori Parlamenti domui* competere negant.

II. Deinde quod *Curia Parlamenti* supremum Regni Tribunal dicatur & sit, id *Regiæ* ibidem *Præsidentiæ* jure factum accepimus: ut qui sit [c] supremus in eâ Curiâ Judex, Membra verò utriusque Domus ipsius ad summum non nisi *Consiliarii*. Quæ si ita sint inter Parlamentum & alia Tribunalia, ratio discriminis ex his quæ sequuntur facilè constabit.

1. Primò *Inferiorum Tribunalium Judices*, sunt à Rege deputati, omniaque ut ipsius *Ministri* & *Vicarii* ejus nomine & autoritate faciunt. In illis itaque Curiis (quæ sunt *Ministerialis* tantum & *Vicariæ Jurisdictionis*) sufficit ut Rex sit præsens *præsentiâ Potestatis suæ*: nec enim necesse est ut sit ibi personaliter præsens, ubi nullus est personalis sui suffragii necessarius usus: At in *supremâ Curiâ Parlamenti*, in quâ Rex ipse supremus Judex pro Tribunali sedet, suo ipsius nomine, & immediatâ autoritate omnia transigens, potestas ejus non potest præsumi *realiter* esse præsens, sine aut actuali *præsentia personæ suæ*, aut *virtuali* saltem ejusdem *repræsentatione* magno suo sigillo attestatâ.

II. Secundò, *Inferiorum Tribunalium Judices*, quibus omnia Regio nomine & autoritate peragenda sunt, Regi propterea de jure in suis Curiis ritè administrando, fidem suam solenni Juramento obligant. Nec enim ibi sedent jus dicturi aliquo proprio suo Jure, sed Jure fiduciario & à Rege sibi delegato, ὡς ὑπ' αὐτῦ πεμπόμενοι. Quâ de causâ *Regii Judices* dici solent, & *Regii Ministri*. At in *supremâ Curiâ Parlamenti*, Proceres & Procuratores Plebis Regi supremo Judici, quasi in consilio assident, de arduis Regni negotiis pro communi utilitate consilium suum Regi ubi opus est impensuri; quâ de causâ non *Judices Regii*, sed *Regium consilium* audiunt. Habentque sua utrique propria & peculiaria Jura & Privilegia, tam inter se, quàm à Juribus Regis distincta & divisa. Unde fit ut sint tres quasi distincti *Gradus*, sive [d] ui à paucis Annis (hoc solo uteremur sensu) dici cœperunt [e] *Ordines* vel *Status*, REX, PROCERES, PLEBS. Quorum ordinum (quoniam supponitur esse quilibet suorum Jurium optimus custos & conservator) æquum est ut singuli, & debitis sibi privilegiis gaudeant, & intra debitos se limites contineant. Quod si cujusvis *trium ordinum potestas* in duobus reliquis præsumeretur esse *virtualiter præsens*; non posset is *Ordo* prohibere, ne sibi juribusque suis ab illis fieret præjudicium. Quod toti Reipublicæ tandem foret exitiale, cum pendeat totius salus & incolumitas, ex singularum principalium partium vigore, juriumque & privilegiorum singulis debitorum conservatione; ut sc. sua singulis Ordinibus Jura (*Regi, proceribus, Plebi*) integra maneant & inconcussa.

3. *Tertiò*, *Inferiorum Tribunalium Judices*, eò quod vicariâ tantum eâque *merè Judiciali potestate* præditi sunt; in Jurisdictionis suæ exercitio definitis propterea limitibus, quos ipsis excedere sit nefas, circumscripti sunt; hinc, latis à Principe *Legibus*; illinc, latis à se *Sententiis*. Ita ut in Jure dicendo, nec eis liceat à constitutis *Legibus* recedere, nec *placita* sua revocare. At *suprema Curia Parlamenti* (virtute supremæ illius potestatis, quæ Regi Curiæ Præsidi inhæret) non *Judiciali* modo, sed & *legislativâ* potestate prædita est; nec ullis humanis definitionibus ita concluса est, ut non ei liceat cum *leges* ipsas, tum sua *placita* pro Jure & arbitratu suo immutare, atq; revocare. Regius itaque *consensus personalis* non est in illis Curiis necessarius, ubi ex earum *legum* præscripto, quibus ferendis Rex jam antè consensum suum præbuit personalem, omnia gerenda sunt. Cæterùm ut validus sit aliquis potestatis Actus, *præter, ultra, supra*, vel *contra constitutas leges*; ab istarum rerum peritis edocti sumus (& profectò nobis videtur sanæ rationi valdè consentaneum) Regium con-

[a] *Quod si Majestati vestræ placuerit Regiæ Majestatis vestræ assensu ornare, sine quo nec perfectum & completum esse potest, nec --- &c.* Stat. I. Jac. cap. 1. [b] v. Stat. 33. H. 8. c. 21. [c] *Dominus Rex habet ordinariam Jurisdictionem, dignitatem & potestatem super omnes qui in Regno suo sunt. --- Ea quæ Jurisdictionis sunt & pacis ad nullum pertinent nisi ad Coronam & dignitatem Regiam, nec à Corona separari possunt.* Bracton citat Stamford. lib. 2. cap. 2. [d] Etenim in Jure nostro Rex in Regni Ordinibus nunquam censetur, sed omnium Ordinum, totiusque adeo *Regni Caput* habitus est semper, Tres vero *ordines* sive *status Regni* sunt, Clerus, Nobilitas & Plebs. *Nos Regiæ vestræ Majestatis* --- subditi (viz. Domini Spirituales & Temporales, & Procuratores Plebis) *repræsentantes tres* (Ordines sive) Status Regni vestri *Angliæ*. Stat. 1. El. c. 3. --- Status Cleri è præcipuis Regni Statibus unus. Stat. 8. Eliz. cap. 1. [e] V. *Finch* supra ad Lit. d.

sensum

ſenſum perſonalem eſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſarium. Siquidem eſt omnis ejuſmodi Actus exercitium poteſtatis *Legumlativæ* potius quam *Judicialis*. Et communi omnium Gentium uſu atque conſenſu receptum eſt, nullum *Legiſlativæ poteſtatis* Actum in aliquâ Communitate validum eſſe, niſi ab eâ perſonâ ſive cœtu confirmetur, qui ſit *totius Communitatis* caput, & penes quem ſit *ſummum* in eo populo *Imperium*. Summum autem Imperium in hoc Regno penes *Regem* eſſe, tam eſt extra omnem controverſiam, ut eum in communi ſermone, tum in ipſis Juris paſſim formulis, Rex ubique audiat [a] *Supremus Dominus*, *Rex noſter*, & in juramento Suprematus conceptis verbis profiteri jubeamur, *Majeſtatem Regiam ſolam eſſe ſummam Moderatricem hujus Regni*. Permittimus itaque aliorum Prudentiæ, ut ſeriò exiſtiment, quanta mala, quæ pernicies publicæ rei inde creari poſſent, ſi unius cujuſve *trium Ordinum* jus & poteſtatem à reliquorum utrovis vel utroque contingeret abſorberi, atque ſub *poteſtatis* Judiçialis nomine & obtentu, reipſâ tamen *Poteſtas legumlativa* & *Imperialis*, ab uno vel utroque (reliquo excluſo) exerceretur.

IV. *Quartò*, cum ſit omnis *Juriſdictio* & *Judicialis Poteſtas* originaliter in *Rege* velut in *Fonte* & *radice* (qui propterea Juris noſtri Scriptoribus [b] *Fons Juſtitiæ* appellatur, & non in aliâ quacunque Perſonâ vel Cœtu, niſi per derivationem ab illo Fonte; videtur nobis res manifeſta, neque *Judices Inferiorum Tribunalium* Miniſterialis & Vicariæ Juriſdictionis, neque *conceſſus Procerum & Plebis* in Supremâ Curiâ Parlamenti, vel conjunctim vel diviſim, *Jus* aliquod ſive *Juriſdictionem* in Subditos hujus Regni exercere oportere, quod non planè conſtiterit fuiſſe ipſis *à Rege* collatum, permiſſum, aut aliâ aliquâ emanatione legitimâ derivatum. Nec legitimè derivatum cenſeri poteſt, niſi quod aut ex formis *Regiorum Diplomatum*, *Brevium*, *aliorumve Reſcriptorum*; aut ex Receptis, & Notoriis Regni, vel *Legibus ſcriptis* expreſſo, vel *non ſcriptis Conſuetudinibus* tacito *Angliæ* Regum Conſenſu ratificatis & confirmatis, apparet fuiſſe *Regiâ* authoritate conceſſum. Quæ *Leges*, *Conſuetudines*, & *Reſcripta*, cùm ſint omnium *Jurium* & *Juriſdictionum* cuilibet eorum reſpectivè competentium juſti quaſi Carceres & Cancelli; nobis nondum ſatis demonſtratum eſſe profitemur, vel ex *Legibus* & *Conſuetudinibus* hujus Regni, vel ex Formulariis eorum *Brevium*, ſive *Reſcriptorum* quibus Membra Parlamenti convenire jubentur; *Conſeſſum duorum Ordinum*, alterum, amboſve jus habere, & Authoritatem ſine Rege *ſtatuendi*, *jubendi*, vel *tranſigendi*, ſed *una cum Rege ſuper arduis* Regni Negotiis [c] *Colloquium habendi*, *tractandi*, *& Conſilium impendendi*. Unde etiam factum exiſtimamus, ut in Supplicationibus, Remonſtrantiis, & Declarationibus, ſuis aliiſque publicis Scriptis, *Magnum Regis Conſilium* ſe paſſim appellare ſoliti ſunt. Sunt autem *Leges* illæ, *Conſuetudines* & *Reſcripta* (noſtro quidem Judicio) Loci Topici, maximè proprii & idonei, è quibus ampliſſimorum conſeſſuum utriuſque Domûs juſta Authoritas demonſtrativè & cogenter colligi poteſt; & non exiles ex, atque incertæ deductiones, quas ex Analogia rum quâdam ſpecie, & inſtitutâ rerum ſimilium diſſimiliumque comparatione elicere fortaſſe poterit, vel etiam extorquere, humani Ingenii importuna ſolertia.

SECT. VIII.

De Juramento Negativo.

Juramentum Negativum ſubveremur ut à nobis præſtari poſſit,

I. Non proditâ eâ libertate, ad quam tuendam, & *Juramenti* & *Officii* vinculo jam antè obligati ſumus. Cui Libertati adverſari arbitramur impoſitam Subdito *ſine Lege* jurandi neceſſitatem.

Non abjuratâ [d] nativâ *Subditorum Ligeantiâ* (ſive fidelitate) violatiſque *Suprematus & fidelitatis* Juramentis à nobis prius præſtitis. Quibus omnibus ad Regem quantum in nobis eſt defendendum obligati, jurare nunc jubemur (idque ex animo) nos eum nolle defendere, vel ei opem ferre.

Non imminutâ plurimum (contra verba fœderis Articulo tertio) *Regiæ Majeſtatis juſtâ poteſtate & amplitudine*, agnoſcendo ſc. in conſeſſu utriuſque Domus Parlamenti poteſtatem Regiæ poteſtati oppoſitam. Quum profiteamur nos neutiquam intelligere poſſe, qui poſſit in hoc regno *Poteſtas* aliqua legitimè exerceri, quæ non ſit *Regiæ poteſtati* ſubordinata.

SECT. IX.

De Ordinationibus ad Diſciplinam (Eccleſiaſticam) *& Directorium* (*Cultus publici*) *ſpectantibus.*

Imprimis *de utriuſque conjunctim*. Non certum eſt poſſe nos ſine peccato *Ordinationibus* Conſeſſuum utriuſque Domus parere, Regio conſenſu nondum comprobatis.

I. Præſertim eis, quæ non ſolùm *Legibus* hujus Regni, & *Statutis*, unanimi *Regis*, *Procerum*, *& Plebis* in Parlamento conſenſu ſtabilitis contraria imperant;

II. Verùm etiam ejuſmodi *Leges* & *Statuta* refigere & in perpetuum abrogare profitentur: cùm enim *ejuſdem ſit poteſtatis deſtruere*; *cujus eſt conſtruere*, nobis nondum perſuaſum eſt, inferiori poteſtati licere, quod à ſuperiori poteſtate legitimè factum eſt, reſcindere & adnullare.

III. Maximè cum [e] tota *Poteſtas Juriſdictionis* circa res Eccleſiaſticas expreſſiſimis Legis verbis, *Imperiali hujus Regni Diademati in perpetuum conjuncta ſit & annexa*. Et cujus Capitis ſit illud Diadema geſtare, nemini ſubdito fas eſt ignorare.

Proximè, quod ad *Diſciplinam Eccleſiaſticam* attinet;

I. Si *Diſciplinæ* appellatione contineatur & *Regi-*

[a] *Corona* Angliæ *ita libera ſemper fuit, ut ſub nullâ Terrena poteſtate unquam fuerit, ſed immediatè ſub Deo in omnibus ad Regalitatem dictæ Coronæ ſpectantibus.* Stat. 16. Ric. 2. cap. 5. *Omnis ſub eo eſt, & ipſe ſub nullo niſi tantum ſub Deo. Parem autem non habet Rex in Regno ſuo, quia --- Item nec multo fortius ſuperiorem aut potentiorem habere debet, quia ſic eſſet inferior ſuis Subjectis.* Bracton Centenar. 1. Rubric. 36. *Cui* [illegible] *Legibus ipſis Legum vim imponendi poteſtatem Deus dedit.* Finch Nomotechn. in Epiſt. dedicat. ad R. Jacobum. [b] Bracton & alii --- *Bello Legum immutationem aliquâ ex parte intendere eſt Bellum contra Regem concitare, & conſequenter læſæ Majeſtatis crimen, ex Statut. 25. Ed. 3. eo quod* Regis *Leges ſunt. Ille Fons eſt unde per varios ſuos canales ad Subditos derivantur.* Saint-John in his Speech concerning the Earl of *Strafford*, pag. 12. [c] *Et ibidem nobiſcum* Colloquium *habere tractare --- ſuper dictis negotiis tractatur. Veſtrumque conſilium impenſuri.*--- Breve Summonit. Magnatibus, &c. [d] *Tenetur quilibet Subditus virtute Ligeantiæ ſuæ ad ſerviendum & auxiliandum Principi ſuo & Domino Supremo, omni tempore quoties opus fuerit*, Stat. 11. Hen. 7. cap. 18. [e] Vide Stat. 1. *Eliz.* cap. 1.

men

men *Ecclesiasticum*, non possumus Ordinationi eâ de re parere, nisi extirpandæ venerandæ Antiquitatis regiminis formæ consentire velimus. Quæ sub quibuscunque Temporum conversionibus, religionisque in hoc Regno mutationibus, per omnes tamen Seculorum Successiones non modo inviolata perduravit, sed publicis quoque *Regni Legibus* firmata, *Regumq; Chartis*, Diplomatis & dotationibus ornata fuit. Amplissimo sanè Testimonio, eam Regiminis formam, & *Administrationi Civili*, *& libertati Subditorum*, accommodatissimam, communi hominum judicio semper esse habitam. Quam etiam singuli *Reges Angliæ* continuâ serie sibi invicem succedentes, sub Regni sui initium, solenni præstito Juramento conservaturos se & propugnaturos polliciti sunt. Cujus denique continuationem [a] ob rationes supradictas ex animo cupimus & exoptamus.

II. Quòd si restrictiùs aliquanto accipiatur *Disciplinæ* vocabulum (prout in secundo Fœderis Articulo, ubi *Regimini* contra-distinguitur, accipitur) adhuc tamen erit, quod nobis non usquequaque satisfaciat: *viz.* permitti tot hominum (eorumque fortassis imæ sortis plurium) arbitrio, Christianorum non malorum myriadas à S. *Cœnæ* participatione arcendi potestatem. Austeritatis genus nullo quod scimus Dei mandato præceptum; sed quod potius & regulis *Prudentiæ* ac Christianæ dilectionis in genere, & in specie B. *Pauli Consilio* atque *Exemplo* repugnare videtur. Is enim in Ecclesiâ, errorum & corruptelarum, quà in *fide*, quà in *moribus*, refertissimâ, postquam [b] de *excommunicando* viro quodam singulari, qui cum magnâ Christiani nominis infamiâ incestam sine pudore vitam usque agebat, mandasset; sufficere tum ratus [c] *indignæ manducationis* grave periculum sub generali docendi formâ Ecclesiæ proposuisse, conscientiarum particularium scrutinium *proprio cujusque examini* permittendum censuit: nullâ factâ cuiquam aut *Pastori Ecclesiastico*, aut *Presbytero Laico* potestate alios examinandi, & pro suo arbitratu à sacræ Cœnæ communione excludendi.

Quoad *Ordinationem* denique illam quæ circa *Directorium* (divini Cultûs publici) versatur; abolendæ *Liturgiæ Ecclesiæ Anglicanæ* (hoc est, tollendo *Libro Precum Ecclesiasticarum*) non possumus liberâ conscientiâ, quamdiu præsens mentis nostræ judicium & præsentium Legum vis obtinuerint, ullatenus consentire.

I. Quem Librum plerique nostrum propriis *Subscriptionibus* comprobavimus, cum adjectâ etiam solenni *promissione*, nos aliâ formâ, quam quæ in eo Libro præscripta est, in publicis Officiis non usuros.

II. Quo juxta *Subscriptionem* & *promissionem* prædictas, & pro debiti (vi [d] Statuti eâ in parte editi) Officii nostri ratione, in *Ecclesiis* & *Capellis* nostris, aliisque publicis, ac privatis Oratoriis constanter hactenus usi sumus, magno cum animarum nostrarum fructu & solatio.

III. In quo nihil credimus contineri, *Quod* (cum eo interpretandi candore, quem æquum est omne genus scriptis concedi) non sit justæ defensionis capax: *Quod* non est à viris doctis, & piis, ab importunorum hominum cavillationibus dudum & abundè vindicatum: *Quod*que non confidamus, posse nos (Deo opitulante) adversus *Pontificios* & alios quoscunque ejus Impugnatores & Calumniatores, cum res postulaverit, tueri & defendere.

IV. Qui *Statuto Parlamenti*, (idq; temporibus tranquillis) publicâ & plenâ autoritate, & quâ sub Cœlo nullam agnoscimus majorem aut sanctiorem, stabilitus est & confirmatus. Quod *Statutum* tanti apud nos ponderis est, ut non solùm nos omni necessitate liberet ea proponendi, quæ contra *Directorium* ejusve aliquam partem jure objici posse videntur: sed è contra summam nobis imponat necessitatem Liturgiæ formulam observandi, nec admittendi in ejus præjudicium aliquod publici Cultûs sive *Directorium*, sive *Formulam*, donec *Statutum* prædictum, quam justâ & plenâ autoritate conditum est, tam justâ & plenâ authoritate abrogetur.

Quo *Statuto* non solum omnibus Ecclesiarum Pastoribus, & verbi Dei Ministris, ejus *Libri usus* disertim imperatur; sed & sub gravissimarum pœnarum sanctionibus cautum est; [*Ne quis eorum formulam inibi præscriptam observare recuset: Neu pro Concione, vel alias quicquam pronunciet aut loquatur in dicti Libri Precum publicarum, aut alicujus in eo ejusve aliquâ parte contenti derogationem sive depravationem.*] Pœnis insuper constitutis in alios quoscunque (ne *Baronibus* quidem Parlamenti exceptis) qui contra Librum prædictum similiter pronunciaverint aut locuti fuerint; Vel qui verbi Ministrum aliquem facto, dictove compulerint, aut aliâ quâcunque ratione induxerint vel procuraverint, *Sacramenta* aliave divina Officia alio modo aut formâ quam in Libro prædicto institutum est celebrare, vel qui formæ prædictæ aut Ministro cuiquam usum prohibuerint, aut alias quoque modo impediverint, &c. ut in verbis dicti Statuti plenius apparet.

Quod etiam *Statutum* postquam semel conditum est, tantæ constat fuisse per omnia succedentia Tempora Autoritatis, ut in omnibus [e] *Statutis contra Papistas* (quos *Recusantes* vocant) exinde conditis, proprius & idoneus Character, quâ velut notâ distinctivâ ejusmodi *Recusans Papista* à Catholico Protestante internoscatur, iste semper exprimatur, Si quis nimirum *publicis Precibus interesse*, aut sacram Synaxin *juxta formas & Ritus in Libro prædicto præscriptas* percipere *recusaverit*. Adò ut *pluribus Statutis* hoc ipso Parlamento conditis imperata fuerint *Recusantibus* Papistis Tributa duplâ proportione persolvenda, *ipsissimo hoc Charactare* juxta Literam eorundem Statutorum dignoscendis.

Proposuimus liberè & perspicuè, quæ sit nostra de *Fœdere*, *Juramento & Ordinationibus* prædictis sententia; quam tamen in re qualibet rectius edocti, parati sumus eatenus corrigere & emendare. Unum hoc interim seriò ut expendatur rogamus, si è tot propositis Scrupulis, unus aliquis (reliquis licet penitus exemptis) mentibus nostris hæreat, cui non fit penè satisfactum, Conscientiam interim non posse esse planè securam. Quo supposito neque aliis (nondum *datâ* Conscientiis nostris securitate) æquum erit nos impellere, neque nobis (nondum *acceptâ*) liberum ad *Fœdus Juramentum & Ordinationes* prædictas in nos admittenda nosmet sponte subjicere.

Quis damnavit eum qui duabus potentissimis rebus defenditur jure & mente? QUINTIL.
Beatus qui non condemnavit seipsum, in eo quod approbat, Rom. 14. 22.

[a] Vide supra Sect. 4. par. 4. [b] 1. Cor. 5. 1, *&c.* [c] 1. Cor. 11. 28. *&c.* [d] Stat. 1. *Eliz.* c. 2. & 8. *Eliz.* cap. 1. [e] Vide Stat. 23. *Eliz.* 1. 29. *Eliz.* 6. 35. *Eliz.* 1. & 2. 3. *Jac.* 4. & 5.

Formula

Formula Juramenti Supremat⁹

ex Stat. 1. Eliz. cap. 1.

Ego N. M. *conſcientiâ meâ teſte profiteor atque denuncio, Majeſtatem Regiam ſolam eſſe ſummam Moderatricem hujus Regni, aliarumque ditionum ac Regionum omnium ſibi ſubjectarum, Nec non omnium tam perſonarum quàm rerum tam Eccleſiaſticarum, quam civilium. Adeoque nullum exterum ſive Principem, ſive Pontificem, ſive Statum, ſive Poteſtatem, vel habere in hoc Regno, vel habere oportere ullam omnino Juriſdictionem, Poteſtatem, Celſitudinem, Præeminentiam, autoritatem vel Eccleſiaſticam vel Civilem. Itaque palam ac apertè rejicio atque repudio quaſcunque peregrinas Iuriſdictiones, Poteſtates, Celſitudines, Præeminentias & autoritates: ſanctéque recipio me Regiæ Majeſtati, ejuſque Hæredibus, legitimiſque Succeſſoribus, debitam fidem & obſervantiam perpetuò præſtiturum, & quantum in me fuerit propugnaturum atque defenſurum, omnes, & omnimodas juriſdictiones, privilegia, præeminentias & autoritates quaſcunque vel conceſſas, & commendatas Regiæ Majeſtati, ejuſque Hæredibus & Succeſſoribus, vel Imperiali hujus Regni Diademati conjunctas & annexas. Ita me Deus adjuvet per Ieſum Chriſtum hoc ſacroſancto Evangelio annuntiatum.*

Formula ſolennis Voti & Proteſtationis, 5. *Maii*, 1641.

Ego A. B. *coram Deo Opt. Max. polliceor, voveo & obteſtor, me veram Reformatam Proteſtantium Religionem in Doctrinâ Eccleſiæ Anglicanæ expreſſam, contra Papiſmum & omnes Papiſticas in hoc Regno Innovationes Doctrinæ prædictæ contrarias, quoad legitimè potero, cum vitâ, viribus, & fortunis meis, propugnaturum atque defenſurum; Atque etiam pro debito* [a] *Ligeantiæ meæ Officio, Regiæ Majeſtatis Perſonam, Dignitatem & Statum, nec non Parlamenti poteſtatem & privilegia; juraque & libertates Subditorum, Et ſingulas quaſque Perſonas quæ hac Proteſtatione ſe obligaverint, in re qualibet quamcunque in legitimâ ejuſdem proſecutione eorum quilibet fecerit. Item quoad potero, & licebit, omnes eos qui vi, opera, conſiliis, machinationibus, conjurationibus, aliiſve modis quibuſcunque aliquid quod ſit huic Proteſtationi ejuſve alicui parti contrarium effecerint vel attentaverint, impediturum, & ut ad condignas pœnas perferendas perducantur, omnibus juſtis viis & modis, quantum in me erit, effecturum. Inſuper ut inter tria Regna* Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ *unio & pax conſervetur, juſtis & honeſtis rationibus omnimodis operam daturum: Et nec ſpe, nec metu, neque cujuſcunq; alterius rei intuitu, hanc promiſſionem, votum, & Proteſtationem unquam violaturum aut deſerturum.*

Poſtquam Apologia hæc intra privatos Collegiorum parietes, diligenter fuiſſet perlecta: dein (ut ſupra memoravimus) in Convocatione ſolenni 1. *Junii* promulgata; ſuffragiis communibus nemine contradicente, (obmurmurante quodam *Gothofredo* ex Æde *Chriſti* eoque unico, qui nuper è *Genevâ* redux ſchiſmaticam labem ſecum reportarat) agnita erat & confirmata.

Res ſanè geſta æternæ memoriæ conſecranda; cum Academicorum jugulis parliamentarii milites, & eorundem fortunis viſitatores pariter barbari & rapaces, hic loci imminerent; nemo inter nos reperiebatur, (*Genevenſis* enim ille transfuga, noſtris minimè accenſendus) quem mortis terror, aut rei familiaris cura, tranſverſum ageret; quique cum conſcientiæ jactura ſecuritatem aut lucrum paciſceretur. Tam ſpectatæ fidei, & inconcuſſæ conſtantiæ documentum, fruſtrà quiſquam extrà *Oxoniam* quæſiverit.

Cum ergo legerint exteri cum horrore ſummo, & pari indignatione; parricidia, ſacrilegia, & ſtrages in miſerrimâ hac gente perpetrata; meminerint utiq; apud Fanaticorum colluviem ſcelera hæc ſtetiſſe; quorum omnium Eccleſiæ *Anglicanæ* genuinos filios & literatos univerſos, niſi quod innocentiam & fidem pœnis graviſſimis luiſſent, immunes fuiſſe luculentiſſime conſtat.

Immortale hoc facinus, Sereniſſimo *Carolo* II. feliciter reſtituto, & Parliamentum *Oxonii* Anno CIↃDCLXV. habente, à regni Ordinibus qui in Domo noſtrâ Convocationis tunc forte conſederant, (optimis nimirum illis Civibus quorum egregia pietas Tyrannorum *Weſtmonaſterienſium* qui præceſſerant flagitia diſpunxerat,) decretum obtinuit, quo vix quicquam glorioſius excogitari potuit, niſi quod à talibus viris prodierat, quorum autoritate nihil majus, judicio nihil ſanctius *Anglia* unquam vidit.

Forma decreti Parlamentarii ſic ſe habuit.

Die Martis 31. Octob. 1665.

Scitum eſto.

Quod gratiæ ſolennes publico nomine agantur Cancellario, Magiſtris, & Scholaribus Univerſitatis Oxonienſis, *ob egregiam fidem felicißimæ memoriæ parenti Regio præſtitam in rebellione nuperâ: præſertim ob inſigne illud fidei ſpecimen, quod Perduellibus viſitationem intentantibus fortiter obſtitere, & fœdere ſive ligâ ſe obligare recuſarunt: & demum laudatißimo ſcripto, quod* Iudicium Univerſitatis *appellatur, publicæ luci donato, juſtißima regis arma & cauſam aſſeruere.*

Porro *Laurentius Hyde* Armiger, *Attornatus* Generalis, (ſcil. D. *Heneagius Finch*) D. *Ægidius Strangeways*, & D. *Joh. Birkenhead* Equites Aurati, exorati habentur, ut gratias haſce noſtro nomine deferant.

Quæ quidem mandata viri ſuperius nominati in

[a] Fidelitatis.

Convocatione ſolenni vii. *Nov.* ejuſdem anni habitâ peregere.

In Apologiâ autem iſtâ tam nervoſe tamq; erudite diſcutiuntur Capita præfata, ut eidem fuerint aſſenſi quotquot partium ſtudio haudquaquam abducti probitate & cognitione aliquâ pollerent; unde intereſſe plurimum videbatur ut in Linguas *Gallicanam*, *Italicam*, *Batavam*, &c. transfunderetur: mitto enim quod Idiomate *Anglorum* vernaculo excuſa eſt hoc anno, & iterum an. Dom. CIↃDCLX.

Ad ipſos redeo Viſitatores, quos quidem expectatos tempore præſtituto *Oxoniæ* fuiſſe, & Portæ *Mertonenſium* tertio *Junii* patefactæ, & apparatus in eorum adventum omnimodus ibidem factus teſtabantur; quibus addi poteſt ingens Academicorum tanquam in extremis agentium deſperatio, quam utique tanto majorem eſſe oportebat eo quod ante triduum contra Fœderis *Scoticani* admiſſionem ſuffragia tuliſſent. At vero haud adeo mature ob cauſas retro dictas *Oxoniam* pervenere Tyranni, literarum autem faſciculum ad Miniſtros Parliamentarios nobiſcum commorantes dedere, quibus adventum ſuum in diutinam, quam vocamus, vacationem rejiciendum iri ſignificabant.

Spes inde nova Togatis affulſit, Viſitationem ſcilicet eo ſaltem uſque protrahendam confidentibus quoad prædicti adeſſent; neque injuria quidem, præſentem enim rei Parliamentariæ conditionem reputantibus veriſimile haudquaquam videbatur ut opus tam arduum, tamque periculi plenum, pauci aggrederentur Miniſtri. Atque hic obiter dicendum quod ſi omnes pariter ex condicto adfuiſſent, certum Academicis ac deliberatum erat non aliter ſeſe eorum Viſitationi ſubjicere quam hac ſervatâ cautione [*ſalvis nobis & Academiæ omnibus juribus, Privilegiis, Immunitatibus*, &c.] utpote quam ipſis per Procuratores, Ædiumque Præfectos, tradendam in ſcriptis decrevere. Immo diſceptari cœptum eſt, licet haud penitus eventilatum (gliſcentem utique in dies Rebellium barbariem exhorreſcentibus Togatis) an omnino comparerent Academici; qui quidem firmiſſimo, ſi jus & æquum obtinerent, argumento nitebantur, autoritate nimirum legitimâ neutiquam eſſe inſtructos à quibus citarentur.

Cæterum proximo mane ad opus accinguntur Miniſtri antedicti viz. Mr *Rogers*, *Harrys*, *Reynolds*, *Wilkinſon* ſen. & *Cheynell*. (Quorum maximè intererat ut viſitatio procederet, ſiquidem ipſi, illorum quos dam narent exuviis induendi) numero nonnihil, atque inde animis aucti; etenim D. *Dunch*, D. *Draper* (Eirenarcha ille novitius, & ad expilandos hujus Agri Regios Delegatus, **Committee-man** appellamus, jam erat) & D. *Johannes Wilkinſon* Gen. huc pridem advolârant, de conveniendis ibidem Commiſſariis pleriſque omnibus minime dubii: ſed & alios porro acceſſiſſe opinor; de altero quidem ſatis conſtat, *Oxoniæ* tunc temporis habuiſſe, præfatis tamen ſeſe adjungere detrectaſſe. Sed his omiſſis, Concionem ac Preces Viſitationi prævias ad Beatæ *Virginis* obibat Magiſter *Harrys*, qui ingenti Academicorum, rei potius novitate quam *Presbyterianiſmi* ſtudio ductorum, catervâ cinctus ſermonem negotio accommodavit, Deumque ac homines ut felicem Reformatio illa exitum ſortiretur, id eſt ut ipſi ſpoliatis ſuccederent, votis fatigavit.

His finitis, ad Scholas confeſtim emicuere Academici, ſubſequentibus qui paſſu tardiori incedebant Viſitatoribus, quippe quos ſecundum Citationem ab horâ uſque nonâ præſtolati fuerant fortiſſimus juris Regii & Academici aſſertor Dr *Sam. Fell*, Vicecancellarius, reliquique Doctores, & Procuratores, præter Artium Magiſtros alioſq; haud paucos. Quanquam enim jus & poteſtatem Delegatorum nullatenus agnoſcere, firmiſſimè ſtatuiſſent Togati; è re futurum putabant, ad condictum tempus tanquam coram non Judice ſe præſentes ſiſtere; nè aliter futura omnis periret occaſio, & tanquam in contumaces & confeſſos, ſine morâ procederetur. Verum ſimul ac Scholas attingebant Togati, quos prædiximus, viſitatorum ab Eccleſiâ ſolenni pompâ redeuntium præcurſores, ſonuit undecima; neque dolum quemcunque malum ſubeſſe conſtabat, namque ubi horam illam appropinquare adverteret Vicecancellarius, quo ſe ſuoſque culpâ omnigenâ levaret, Æditui mandari juſſit ut ſedulo curaret ne ſolem leviſſimis momenti minutiis anteverteret Horologium.

Oblatâ tam pulchrâ Viſitationem funeſtam protelandi occaſione (quæ ſane non ſine numine aliquo contigiſſe videbatur) Domum Convocationis intrabant ſtatim Academici (ſiquidem in Apodyterio & præ foribus eo uſque ambulârant) & per vocem Procuratoriam, adhibito etiam Notarii publici teſtimonio, declarabant, ſecundum Ordinationem utriuſque Domus Parliamentariæ ibidem die illo, quarto nimirum *Junii*, inter horas nonam ac undecimam ſe comparere juſſos, comparuiſſe: quoniam vero præterlapſum jam eſſet tempus præſtitutum, non teneri ſe ad inibi diutius perſiſtendum. Poſt hæc Convocatis edixit Vicecancellarius, ut ad ſuum quiſque Sodalitium extemplo remearent.

Interea vero dum præeuntibus Bedellis regrederentur Vicecancellarius & Doctores, in ipſo Proſcholio Viſitatores obvios habuere, quos viam ex occurſu anguſtantes compellavit Bedellorum alter, ut locum Domino Vicecancellario cederent denuntians, quod certe dicto citius præſtitere viri mitiſſimi, paciſque ſtudioſi; quibus Vicecancellarius, aperto humaniter Capite, *Salvete generoſi, præteriit hora undecima.* Hæc ingens Togatorum plauſus excepit, quorum plerique Primores ſuos ſecuti paſſim dilabuntur, reliquis (qui ſane aut pueri fere erant aut ſaltem Tyrones) Viſitatores Parliamentarios ad Domum Viſitationi deſtinatam comitantibus. Horâ quaſi unicâ illo die conſilia miſcebant viri boni, atque ſæpius poſtmodo convenere, Prolocutore uſi Magiſtro *Rogerſio*; quo tamen ſucceſſu nemini conſtat, omnibus enim, tanquam Conciliabulum duplici nomine (Originis nimirum, & præterlapſi in diplomate temporis præſtituti) illicitum faſtidio erant, ſed & ineptiarum inde ſuarum teſtibus carebant.

At vero factum illud Academicorum inique ferentes Miniſtri, contumaciæ inauditæ poſtulandos credebant. Nos autem viſitationis exordium non niſi à juſſis de integro tranſmiſſis ſumi oportere haud incongrue exiſtimavimus, utpote cum ex eorum immani negligentiâ, Citatio priſtina irrita prorſus & antiquata redderetur.

Quinto *Junii* (dies ille Saturni erat) inter Togatorum Delegatos convenit:

I. Nequis præſentem ſe ſiſtat niſi ex citatione quinorum ſaltem Viſitatorum nominibus munitâ.

II. Nequis in die Feſto compareat.

III. Ubicunque aliquis comparuerit, ſciſcitetur illico quanam authoritate accerſitus fuerit; id ſi oſtendere detrectârint Miniſtri citra moram diſcedat.

IV. Si poteſtatis ſuæ indicia protulerint Viſitatores hac ſemper interpoſitâ Cautione reſpondeat Togatus, *Salvis juribus Regni, Academiæ, & Collegii mei, aliiſque*

aliisque quibuscunque mihi qualitercunque competentibus.

v. Spatium adferendæ responsioni petat, suique accusationem in scriptis deposcat Academicus quisq; : quæ si minime concedantur, responsionem utcunque suam in scriptis edat.

vi. Juramentum de responso reddendo ad quæstiones propositas, omnino respuat ; ne scilicet seipsum accusare teneatur. Siquidem intentare juramenta istiusmodi ex lege Parliamentariâ contra juramentum *ex officio* dictum, nuperrimè latâ vetabatur.

Vicesimo sexto *Augusti* (is in diem Jovis incidit) Universitati, & Collegiis Aulisque ejusdem singulis visitandis ac reformandis, per Procerum & Plebeiorum Senatum conditum est rescriptum novum, quod Ordinatio additionalis dicebatur ; in quâ postquam declaratur Ecclesiam Cathedralem, seu Collegium Ædis *Christi Oxon.* una cum Decano, Præbendariis Alumnis, &c. ad idem spectantibus, visitationi non minus quam reliqua Collegia subjici debere : decernitur :

» i. Quod Visitatores primitus constituti vel » aliqui eorum quinq;, pluresve, Ligam solennem ac » Fœdus, necnon Juramentum negativum ministran» di, iisdemque Membra Universitatis quæcunque "adigendi potestate plenâ fruerentur.

» ii. Quod Visitatoribus prædictis licitum sit de» poscere penitusque evolvere Statuta, Registra, » Diaria, Matriculas, chartas Rationarias, Libros ac» cepti & expensi, Constitutiones, & scripta omnimo» da ad Regimen & Negotia quæcunq; dictæ Univer»,sitatis, Collegiorum, & Aularum pertinentia.

» iii. Quod accersere ad se possint, & in Custo» diâ detinere, Virum quemcunque, post Citatio» nem personalem, Scripta præfata eorumve aliqua » proferre, dictisque Visitatoribus tradere contuma» citer detrectantem (nisi causam sufficientem inter» posuerit cur minime protulerit) usque dum ejusmo» di libri prædictis permittantur : quodque perduran» te visitatione in Carcerem pariter compingendi po» testatem habeant Universitatis, vel Collegiorum & » Aularum, eorumve alicujus membra quæcunque, »post Citationem secundam personalem comparere co» ram iisdem aut omittentia aut recusantia.

» iv. Quod membra & Officiarios dictæ Universi»tatis, Collegiorum & Aularum, aliasve quascunque » Personas infra limites ac præcinctus dictæ Univer» sitatis, modo annum ætatis vicesimum primum vel » compleverint vel supergressæ fuerint, quales & quot» quot videbitur congregabunt sive impanellabunt ; ad » inquirendum utique ex juramento corporali de » noxiis quibusq; eorumq; delictis in præfatâ Ordina» tione comprehensis, secundum Inquisitionis ejusmo» di Articulos qui in dictâ Ordinatione fundentur, & » per delegationem perpetuam Procerum & Plebeio»rum, in ipsâ pridem Ordinatione nominatorum, appro» bentur ; & ad eosdem cum criminibus suis in judicio » sistendos : quodque præfati Visitatores in explo» rando delicto aliquo aut maleficio, ex Ordinatione » illâ cognoscendo & puniendo, examen adornantes » Testes quoscunque jurejurando adigent.

» v. Quod ab *Olivero San-Johanneso*, Advo» cato Regio primario [istis enim titulis eo usque » utebantur,] requiratur (eam vero in rem potesta» te donetur ipse) ut Diploma sive *Commissionem* con» scribat, & ad Visitatores prædictos transmittat ; » unde scilicet factam habeant copiam Universitatem » præfatam, Collegia & Aulas, ac membra eorum » quæcunque, libere æque ac plene Visitandi ac in » Ordinatione pristinâ & additionali istâ permissum est, absque potestate sive *Warranto* aliquo ulteriori. Atque magni *Angliæ* Sigilli [falsarii quidem] Commissariis potestas per hæc demandatur, idem Sigillum ejusmodi Commissioni apponendi.

vi. Quod Visitatores prædictos & eorum singulos incolumes & indemnes conservabit autoritas Parliamentaria, quicquid in exequendis præfatæ Ordinationis mandatis egerint aut patrârint.

vii. Quod Visitatores prædicti, vel quilibet eorum quini, potestatem habeant Scribam sive Actuarium, alios que quibus opus in Visitatione fuerit Officiarios sibi assumendi ; qui quidem propter operam eâ in re navatam stipendia à perpetuâ illâ Procerum ac Plebeiorum Delegatione decernenda, atq; è pecuniis quibus visum ipsis fuerit decerpenda percipient.

viii. Quod Vicecomites, Prætores, aliique Magistratus Visitatoribus prædictis, & singulis eorum quinis pluribusve, necnon eorum Officiariis, in Ordinatione istâ uti & priori, executioni tradendis præsto sint ac subsidio veniant.

Hactenus de præcipuis quibusque Ordinationis ejus additionalis Capitibus. Eodem vero die prodibant mandata porro alia, Visitationem tangentia ; qualia erant :

i. De die in diem *Oxoniæ* consideant Visitatores, Universitatis illius inquisitionem procurantes, nil quicquam obstante quod eorum aliqui Visitationem eam in ulteriorem diem rejecerint : eandem vero à Sodalitiorum Præfectorum, Ædis *Christi* Canonicorum, & Magistratuum Academicorum, necnon eorum à quibus plus periculi Reipublicæ intentatur, quæstione auspicentur.

ii. Cùm Visitatoribus incumbat non tantum de Academicis inquirere, sed & eosdem castigare, atq; adeo ipsam Universitatem in meliorem formam redigere ; licitum nemini esto, Articulis in Urbe dedendâ pactis comprehenso (quod utique æquissimum videatur spatium illud semestre, de quo in Conditionibus præfatis convenerat, ante Menses novem elapsum reputanti) Regimini Academico, durante Visitatione istâ, sese immiscere.

iii. Quinam in Convocatione undecimo *Julii* an. CIↃDCXLII. celebratâ interfuerint, & pecuniam Academicam suæ Majestati, bellum contra Parliamentum molienti, transmiserint, explorent.

iv. A personis probis & legitimis, jurejurando quoque adstrictis, inquirant in Ædis *Christi* Decanum, & singula ejusdem Sodalitii membra, necnon Professores & Officiarios Academicos, Collegiorum omnium & Aularum Rectores ac Alumnos, &c. quo scilicet compertum habeant, quænam delicta, & per quos, contra Regni, & Sodalitii cujusq; Statuta admissa fuerint.

Vicesimo quarto *Septembris* (dies ille veneris erat) à Delegatione Parliamentaria ad Academiæ *Oxonienses* Visitationem emanabat decretum ", quod Commissarii seu Visitatores in Ordinatione primo *Maii* conditâ nominati investigare possint, audire, ac terminare, omnia & singula crimina, Delicta, Abusus, Conturbationes, aliaque negotia, quæcunque ex Legibus ac Statutis hujus Regni, vel ex consuetudinibus aut Statutis dictæ Universitatis legitime stabilitis, vel ex Collegii cujusque & Aulæ statutis singulis, investigare, audire, ac terminare licitum sit, in Cursu ac Methodo visitandi Universitatem aut Collegia prædicta, Aulas, Magistros, Scholares, Gubernatores, Professores, Studentes, Socios, Membra & Officiarios, vel eorum seorsim aliquem : quodque ipsis integrum sit ad effectus

„ quoſcunque & propoſita, vel etiam ad ſententiam „ definitivam ſuper Gubernatoribus, &c. prædictis, „ Univerſitatis prædictæ, vel Collegii in eâdem, „ Eccleſiæ collegiatæ, aut Aulæ cujuſque, ferendam „ procedere; quemadmodum ex Legibus, ſtatutis, „ & conſuetudinibus prædictis, vel eorum aliquibus, „ Viſitatoribus quibuſcunque aliis, authoritate qua„ cunque conſtitutis, procedere licitum eſſet: ad Uni„verſitatis nimirum, Collegiorum in eâdem ſingulo„ rum, & Aularum, Reformationem felicius procu„ randam; ad Delicta quoque, Abuſus, & Conturba„ tiones, ibidem nuperis præſertim temporibus ob„ tingentes, debitis pœnis plectendas. Atque Com„ miſſariis inſuper poteſtas fit, iiſdemque injungitur, „ ut de juramentis per dictæ Univerſitatis, Collegii, „ Aulæ, aut fundationis in eâdem cujuſque ſtatuta „ aut Conſuetudines dari conſolitis deliberent, legiti„ ma utique & commoda ſint necne diſquiſituri, ac „ ſententiam ſuper iiſdem ſuam Delegationi præfatæ „ patefacturi.

„ Ad hæc Decretum à prædictis eſt, quod Com„ miſſarii ſeu Viſitatores poteſtate inſtruerentur exa„ men inſtituendi circa Decanum, Præbendarios, „ Alumnos, Scholares & Officiarios Ædis *Chriſti* Ca„ thedralis ſeu Collegiatæ, & circa omnes ac ſingu„ los Gubernatores, Magiſtros, Profeſſores, Socios, „ Graduatos, Studentes, Scholares, & Membra om„ nium & ſingulorum Collegiorum & Aularum infra „ Univerſitatem, & circa omnes & ſingulos Officia„ rios ad Collegia vel Aulas, vel ipſam Univerſita„ tem ſpectantes:

„ I. Utrum omnia vel aliqua eorum Membra offi„ ciarii (velut prædictum) Ligâ ſolenni ac fœdere, „ vel Juramento negativo, vel eorum alterutro, „ obſtringi omiſerint.

„ II. Utrum antedicti omnes, vel eorum aliqui, „ in ſuo quiſque Munere aut Loco, prohibuerint quo „ minus Ordinationes Parliamentariæ circa Diſci„ plinam ac Directorium, vel circa eorum alterutrum „ executioni maturæ traderentur.

„ III. Utrum eorum aliqui (velut prædictum) Ar„ ticulum quemvis Doctrinæ voce ſcriptiſve impu„ gnârint, cujus ignari à Sacramento Cœnæ Domini„ cæ arceri debeant: ac ſpeciatim utrum errores ali„ quos *Arminianos*, *Socinianos*, aut *Pontificios*, præ„ dictos Articulos labefactantes, tradiderint, appro„ barint, aut propalârint.

„ IV. Utrum omnes vel aliqui è præfatâ Univerſi„ tate Arma capeſſiverint, vel geſtârint, contra „ Parliamentum, vel contra Copias aliquas ejuſ„ dem authoritate conſcriptas; aut in adjuvandis vel „ animandis Copiis quibuſcunque adverſus Parlia„ mentum collectis ſategerint; ac ſpeciatim, utrum „ aliqui ex prædictâ Univerſitate pecuniam aliquam, „ aut Vaſa aurea vel argentea Regi tranſmiſerint, „ quæ utique ſubſidio ei & incitamento eſſent, bel„ lum contra Parlamentum molienti: aut à Regiâ „ Majeſtate flagitârint, ut Copias aliquas *Oxoniam* „ amandaret, prohibituras nempe quo minus in De„ linquentes per Parliamentum jure agatur; aut Regi „ perſuaſerint ut in Urbe illâ præſidium collocaret, „ aut Delegati fuerint ad eandem contra Parliamen„ tum muniendam, vel ad pecunias colligendas quæ „ in eadem defendendâ erogarentur, à menſe *Junio* „ anni CIↃDCXLII. ad Menſem eundem anni „ CIↃDCXLVI. vel aliquando intra ſpatium tem„ poris prædictum.

„ V. Quænam Crimina, Delicta, Abuſus, Contur„ bationes, vel olim, vel nuperis temporibus perpe„ trârit Officiarius aliquis aut Membrum Univerſi„ tatis (velut prædictum) contra Leges aliquas & „ ſtatuta hujus Regni, vel contra ſtatuta aliqua aut „ Conſuetudines dictæ Univerſitatis legitime ſtabi„ litas, vel contra ſtatuta ſingula Collegiorum ſingu„ lorum aut Aularum. „

His ita peractis & conſtitutis nil aliud ad Viſitationem auſpicandam defuit quam Diploma ſive *Commiſſio* magno *Angliæ* Sigillo firmata; quod licet authenticum & genuinum minime habuerint Senatores democratici, ſpuriâ tamen & adulterinâ ludificandis imperitorum animis utebantur; ac proinde Advocatum quem vocarunt Generalem, Viroſq; alios ſuarum partium (ad quos utiq; id negotii pertineret) maturare jubebant: quod quidem opus viceſimo ſeptimo *Septembris* hoc anno abſolutum eſt, & cujus initium (ab Ordinatione enim retro exhibitâ plurimam partem nil quicquam diſcrepat) ſic ſe habet:

Carolus Dei gratiâ, &c. fidelibus & admodum „ dilectis *Nathanaeli Brent*, Equiti aurato, M^ro „ *Edoardo Corbet*, &c. [hic reliqui omnes eodem quo in Senatus-conſulto ſupra dicto ordine recenſentur] Sciatis quod nos attendentes ac deſignantes Re„ gulationem & Reformationem Univerſitatis noſtræ „ *Oxonienſis*, & Eccleſiæ noſtræ Cathedralis ſeu Col„ legiatæ, ſeu Collegii Ædis *Chriſti*, necnon alio„ rum omnium Collegiorum & Aularum intra dictam „ Univerſitatem, &c. „

Quis ita *Stoicus*, & ad apathiam inſtitutus, ut cum hæc legerit, non ſuperum protenus inclamet fidem, & frontem rebus periiſſe conqueratur? Boni iſti viri, lætæ majeſtati, perduellioni, & impotentiſſimæ tyrannidi, ſereniſſimi Principis auctoritatem prætexunt; *Carolique* nomine & auſpiciis, Academiam perditam eunt, quia eidem *Carolo* fidem illibatam, & perpetuum obſequium, illa præſtitiſſet; ſic utique Tragœdiæ quam acturi erant Epitaſi proluſere; optimi Principis quem imperio exuiſſent cervices amputabant, ſcilicet ut quod fœdere ſolenni ſpoſponderant, glorioſiſſimum demum Regem efficerent.

Sed procul abſint querelæ; ſiquidem ſummo rerum moderatori ita viſum, fidem & conſtantiam Univerſitatis *Oxonienſis* illuſtrare, & impudentiſſimis pietatis Mimis, qui ſe ſolos ſanctos perhibebant, & in clade noſtrâ hiſtrioniam uſque exercuere; flagitiorum graviſſimorum compertis, perſonam atque larvam detrahere; & generis humani odio exponere.

Viceſimo nono *Septembris* (in quem nempe S. *Michaelis* Feſtum, necnon jejunia publica incidebant) Concionandi, preceſque vere effundendi vices obibant Mag. *Hen. Corniſh* & Mag. *Henr. Wilkinſon*, ſenior, (Viſitatorum de numero is erat, & Ædis *Chriſti* Canonicus poſtmodo evaſit) quorum poſtremo dictus convitiis & calumniis innumeris auditorum ſobrium quemque & à Schiſmate alienum illico abegit, quod quidem eventurum præſentientes Vicecancellarius, plurimique Ædium Præfecti, conſultius duxerunt domi ſe continere quam talibus ſacris intereſſe. Eodem die interea dum pulſaretur Campana ſacrorum eorum prænuntia, Beatæ *Virginis* oſtio affixa eſt chartula, viſitationem de die in diem inſtituendam ſignificans, nullis tamen nominibus aſcriptis munita.

Tricesimo *Septembris* die (Jovis ille erat) ad ſingulos Ædium Præfectos miſſa eſt [a] Citatio, quâ utique mandatur ut ſtatuta omnia, Regiſtra, Diaria, Codices rationarios, Libros accepti & expenſi, nec-

[a] *Ut in Regiſtro Viſitatorum, MS. p. 1.*

non

non Constitutiones omnimodas, scriptaque alia, Sodalitiorum suorum Regimen ac negotia quæcunq; tangentia, traderent, Visitatoribus nimirum ad Custodis *Mertonensis* Cœnacula considentibus deferenda. Eodem die Doctori *Fell* dignissimo Ædis *Christi* Decano, & Vicecancellario Academico [a] edictum est:

1. Ut coram Visitatoribus apud *Mertonenses* considentibus præsentem se sisteret, & Inquisitioni seipsum subjiceret; ad ea quæ ipsi proponerentur responsiones editurus.

11. Ut ad eosdem per *Johannem Langley*, Mandatarii partibus fungentem, confestim transmitteret Libros omnes, Acta Convocationis, & reliqua Scripta Universitatem spectantia; quæ scilicet penes Registrarium Academicum adservata fuerant usque dum, ut traderentur deposcentibus Visitatoribus, Actuario abstulerit præfatus Doctor *Fell*. Eodem die Libros suos, Claves, &c. proferre jubentur Procuratores; cæterum neque illi, neque Vicecancellarius, neque Ædium Præfecti dicto erant audientes, quin Codices aliaque fidei suæ concredita Rebellium Delegatis permittere detrectabant.

Eodem die Delatores Collegiatim & Aulatim (in singulis utique Sodalitiis binos, trinos, vel etiam quaternos) [b] instituebant Visitatores; gesta Gubernatorum, Professorum, Officiariorum, & Academicorum omnium quotidiana sedulo inspicienda, sibique aperienda demandantes. Neque sane Tyrannorum rebus id modice profuit, siquidem delectis eam in rem viris qui cum regiis familiariter congrederentur, & proditionem amicitiæ specie promoverent, qui etiam quæcunque didicissent (additis porro unde gratiam sibi apud Dominos conciliarent Delatores mendaciis frequentibus) continuo renuntiarent, ob operam vero sibi hac ex parte navatam Speculatores suos in Collegiorum deinceps (absoluto nimirum infando illo bonorum exterminio) socios cooptarunt, vel muneribus aliis abunde cumulârunt Visitatores.

Primo *Octobris* (dies hic Veneris erat) [c] ordinatum à Visitatoribus est, quod à Magistro *Cheynell* (eorum ille de numero fuit) peteretur, ut Delegatos quos retro diximus Parliamentarios, *Londini* agentes, ac Dubiis quæ ex Articulis in Urbe *Oxonienſi* dedendâ pactis oritura videbantur solvendis constitutos adiret, eorumque responsionem ad Quæstiones quinque, à Visitatoribus propositas, acciperet; quo scilicet offendiculis quibuslibet è medio sublatis in reformandâ Universitate alacrius ac liberius procederе liceret.

Quarto *Octobris* die Doctori *Fell* denuo mandarunt Visitatores, ut coram se die Mercurii proxime sequenti compareret, Codicesque omnigenos Ædis suæ aut Academiæ negotia complectentes dederet: quod idem die proximo transmissâ Citatione præcipitur, ipso repugnare etiamnum obstinante, ac Perduellium jussa cum Delegatis Academicis communicante, à quibus datæ sunt postridie ejus diei ad Visitatores literæ, Actuarii publici nomine munitæ, quânam illi authoritate Statuta, Registra, &c. deposcerent exponendum flagitantes; de quibus tamen minus constat quid demum responsi à Cœtu sacerrimo extorserint.

Sexto *Octobris* (in hunc dies Mercurii incidit) comparebant quidem Ædium Præfecti, verum Codices ac Registra, à Visitatoribus expetita, nequaquam adferebant, de authoritate tantum quâ accersiti fuerant ut certiores fierent, postulantes; quibus sane prolatum protenus est Diploma falsarium nomine Regio corroboratum. Eodem tempore emanavit, datumq; est Sodalitiorum Rectoribus (quos inter *Æneanaſenſis* ille à probis descivit, fidemque fefellit) [d] mandatum in scriptis quoddam, ad præfati Mensis diem undecimum de Libris, Statutis, &c. tradendis, aut minime traditorum causis & rationibus in scriptis adferendis; quibus peractis evocatur de integro Doctor *Fell*, Vicecancellarius, cui ut à meridie præsentem se sisteret denuntiatur.

Septimo *Octobris* Clerico, quem vocant, Academico mandatur ut Scholarum Domusque Convocationis Claves proferret; à quo responsum, penes dominum Vicecancellarium adservari, quod etiam à Bedellis eodem tempore perhibitum, jussis nimirum iisdem Baculos confestim tradere. Hinc citatur iterum Vicecancellarius, sed illo haudquam comparente, Terminum (postridie Festi Sancti *Dionysii*, decimo utique hujus Mensis inchoari consolitum) in decimum quintum *Novembris* [e] prorogarunt Visitatores, decretum hoc suum Columnis ac Parietibus, publicis passim in locis, affigendum curantes. Eodem die præsentem se dedit Collegii *Pembrochienſis* Magister, sive Præses, ac Responsionem suam, his quasi verbis conscriptam exhibuit:

Compareo ego secundum Citationis jussa. Diploma sive *Commissionem* vestram inspexi penitusque perpendi. Nomen quidem Regium, una cum Regni anno magnoque Sigillo, appositum offendo, cæterum an Commissio hæc à suâ Majestate impetrata ex consensu augusto prodierit scire gestio, ac proinde Majestatem suam adeundi copiam efflagito, idque eo ardentius, quoniam si vel inscio Rege vel repugnante prodierit, eidem salvâ & intemeratâ conscientiâ morem nequeo gerere; utpote unde juramentorum & Regi, & Academiæ, & proprio denique Collegio datorum violatio consequeretur.

Et sic habetis animi mei sententiam.

Henr. Wightwicke.

Die *Octobris* octavo, tempore matutino, coram Visitatoribus comparuere Procuratores Academici, Togatorum omnium, præfatos pro Visitatoribus legitimis minime agnoscentium, nomine in hæc [f] verba protestantes:

Cùm è Citationibus variis, nomen *Gul. Newhouse* Cler. Com. subscriptum gerentibus, Vicecancellarius ac Procuratores (qui quidem Magistratus Academici publicique Officiarii sunt) sistere se præsentes coram Commissariis, in Collegio *Mertonensi* considentibus, jussi fuerint; cùmque id ipsi nobiscum, Academiæ nimirum Delegatis, communicârint: præmissis mature perpensis, habitisque super iisdem deliberatione & examine, nos prædicti Delegati, una cum Vicecancellario ac Procuratoribus, Togatorum omnium nomine (Reverentiam interim omnimodam adversus honoratissimam utramque Parliamenti domum præfati, debitamque observantiam Personis eorum quibuscunque, & Muneribus, quibus exequenda utriusq; jussa demandantur præstituri) demisse sententiam nostram interponimus, non posse utique nos Visitatorem alium quam ipsum Regem agnoscere, vel cui ab eo potestas immediate concedatur; cum inter jura suæ Majestatis indubia (quibus nempe tuendis tum ex obligationibus pluribus legitimis, tum præsertim ex

[a] *Ib. in eod. Reg.* [b] *Ibid. p. 2.* [c] *Ibid. p. 3.* [d] *Ib. p. 3.* [e] *Ib. p. 3.* [f] *Ut in Reg. Convoc. T p. 1.*

„ nuperâ illâ Proteſtatione noſtrâ adſtringimur), & „ inter potiſſima Univerſitatis Privilegia (ad quæ pa„ riter defendenda ſtatutis variis ac juramentis tene„ mur) recenſendum ſit, quod ſuæ Majeſtati, atque „ alteri præterea nemini, poteſtas competat Acade„ miam Viſitandi: ac proinde abſque multiplicis, „ ut opinamur, perjurii periculo manifeſto, Viſita„ tioni iſti noſmetipſos ſubjicere, aut à Conſeſſu „ utroque Parliamentario tranſmiſſos pro Viſitatori„ bus legitimis agnoſcere non poſſumus. Atque ſi„ cut perſuaſum nobis eſt, quod ſi per graviora Re„ gni negotia Comitiis licuiſſet obligationem hanc „ noſtram accuratius expendere, in anguſtias haſce, „ (quibus utique aut ipſis diſplicere, aut Conſcientiis „ noſtris vim inferre cogamur) haudquaquam com„ pellendos duxiſſent; ita credimus & ſperamus, quod „ ſi eorum Delegatis viſum fuerit Reſponſionem hanc „ noſtram, una cum ejuſdem rationibus, candide & „ ex chriſtianâ charitate iiſdem ſignificare (id quod „ ut facere dignentur enixe obteſtamur) Reſponſio„ nem hanc noſtram admiſſuræ ſint Domus honora„ tiſſimæ, nobiſque porro indulturæ ut iis fruamur „ quæ per Leges Regni (& hæ quidem ſubditi cujuſq; „ jus natalitium merito ſunt appellandæ) ac Privile„ gia pariter Academica nobis competant; tantiſper „ ſaltem dum coram Judicibus propriis & idoneis „ (coram illis autem ſiſtere nos præſentes, & ſuper „ Criminibus ac Delictis, quæcunq; nobis impingen„ tur, reſpondere nunquam recuſabimus) conſtet „ iiſdem nos jure excidiſſe.

Colendo admodum *Nathanaeli Brent*, Equiti aurato, reliquiſque Commiſſariis, in Collegio *Mertonenſi* confidentibus.

Barnab. Love Notarius Publicus ad hoc teſtificandum ſpecialiter requiſitus.

Eodem die Refectorii Collegii *Pembrochienſis* parietibus affixa eſt [a] Ordinatio quædam, quâ Collegii ejus membris omnibus præcipitur ut perſonaliter ſeſe, die proximo inter horas ſeptimam & octavam matutinas, ibidem ſiſterent; percipiendo nimirum Viſitatorum circa Sodalitii illius Præfecturam decreto. A meridie Scholarum Portæ affixa eſt [b] Ordinatio altera, quâ nempe Doctori *Fell* Vicecancellariatus abrogatur; frigido prætextu quod ſub auſpiciis Marchionis *Hartfordienſis*, ad munus admitteretur, reipſa autem quod ſingulari fide & magnanimitate nefariis viſitatorum conatibus obviaret, ut ſe parum admodum effecturos adverterent dum ipſe ditionis Academicæ gubernacula moderaretur. Ab inde vero tranſmiſſo ad eundem per Mandatarium ſuum [c] Edicto, diſertè præcipiunt ut ſtatutorum Codices, Claves, Sigilla, reliquaque Cancellariatus & Vicecancellariatus Inſignia, una cum Scriptis aliis, Bonis, publiciſque Academiæ Inſtrumentis actutum dederet; cumque is Tyrannorum juſſis hauddum obſequeretur, Ordinatione eodem die promulgatâ Vicecancellariatu exutus declaratur; Provicecancellariis, Doctoribus, Procuratoribus, ſinguliſque Togatis rem illam pariter condocefactis; quorum tamen plerique mandatis Rebellium ſuſque deque habitis, ita ſe deinceps geſſere ac ſi ejuſmodi nil quicquam prodiiſſet.

Nono *Octobris*, ejecto *Wightwickio*, Magiſtrum *Langley*, ſub anno proxime prægreſſo inter Miniſtros *Presbyterianos* memoratum, in Collegii *Pembrochienſis* Præfectum cooptarunt Viſitatores, injuriæ apertiſſimæ cauſas ejuſmodi prætexentes:

I. Quod prædictum *Langleium* Collegium ejus Magiſtrum (ita Præſidem appellitant) renuntiarant Comitia Parliamentaria XXVI. *Aug.* noviſſime præterlapſi.

II. Quod contra fas & æquum electus à Sodalitio fuerat *Wightwickius*; ſpretis nimirum quæ à Parliamento ſæpius tranſmiſſa fuerant mandatis, ne id fieret prohibentibus.

Eodem die Magiſtrum *Johannem French*, Regiſtrarium Academicum, ad ſe accerſivit Vicecancellarius, traditoque Actorum Convocationis codice, ut Delegatorum, primo *Junii* noviſſime prægreſſi lectorum [quibus nempe demandatum fuerat *ut nomine Univerſitatis reſponderent de omnibus ad rem Academiæ publicam pertinentibus*] nomina deſcriberet præcepit. Is ad Cameram ſuam in Collegio *Mertonenſi* illico perrexit, juſſa Vicecancellarii facturus; verum cum eadem jam pene abſolviſſet intervenit prædictus *Langleius*, Viſitatorum mandatarius, utque coram iiſdem extemplo compareret edixit; ſiquidem per Delatores jam inaudierant illi, Vicecancellarium modo adiiſſe *Frenchium*, Librumque aliquem Togâ obductum ab eo retuliſſe. Præſenti affirmabant Commiſſarii, Delegatorum antedictorum catalogum à Procuratoribus Academicis depoſcentes, ab ipſo, Regiſtrario nimirum publico, poſtulare admonitos; quibus ille, operam quidem daturum ſeſe ut ejuſdem copia ipſis fieret. Subjiciunt ſtatim *Rogerſius*, *Novi* Hoſpitii Principalis, & Mag. *Johannes Mills* (quorum uterque Viſitatorum de numero erat) congruum non eſſe ut Regiſtra cuſtodiret Vicecancellarius; ac propterea velle Conſeſſum ut *Frenchium* Sacramento confeſtim adigeret Prolocutor *Brentius*, ad reſponſiones ſuper Quæſtionibus ei proponendis reddendas; id quod ipſe præſtitit, interpoſito juramentum eſſe *torturam ſpiritualem*. A jurato dein quæſivit *Brentius*, utrum Liber ſeu Regiſtrum præfatum penes ipſum tunc temporis eſſet; ad quæ à Viro reſponſum, nomina ſeſe Delegatorum, Actumque illud Convocationis, propediem allaturum. His neutiquam contenti Viſitatores, in eo non verti quæſtionis cardinem perhibebant, cæterum confidere ſe Codicem præfatum ab ipſo cuſtodiri; quibus ille, minime vero, atqui eundem apud Dominum Vicecancellarium depoſitum fuiſſe. Inſtante Magiſtro *Mills*, ac rogitante porro, annon apud ſe impræſentiarum eſſet liber ille; faſſus eſt, eundem ſibi hoc eodem mane tradidiſſe Vicecancellarium, atque conficiendum Acti illius Convocationis Apographum demandaſſe, quod quidem ipſis fore deferendum nullus dubitaret. Ut omnia paucis complectar, cameræ ſuæ Clavem à viro depoſcit *Brentius*, Collegii Cuſtos, & ad eandem illico, una cum *Gulielmo Cobbe*, Equite aurato, *Beckio*, *Millſio*, Cœtuſque Regiſtrario & Mandatario, profectus, Librum antedictum literâ S. notatum, & ſtatutorum inſuper Codicem, necnon Vicecancellarii & Procuratorum computos, deprehendit, & ad Cœnacula ſua deportandos curavit; ex eorum nempe uſu felicius promovendam Viſitationem cauſatus.

Octobris undecimo (in hunc incidit dies Lunæ) à *Brentio* & *Hen. Wilkinſono* petebant [d] Viſitatores ut Delegatos *Londini* agentes adirent, & eorum quæ in Viſitatione etiamnum geſta fuerant certiores facerent; adducto ſecum Notario, una cum Actis chartiſque omnibus eòdem ſpectantibus, ſibiq;

[a] *Reg. Viſitatorum ut ſupra* p. 4. [b] *Ib.* p. 5. [c] *Ibid.* [d] *Ibid.* p. 5.

eâ

eâ in re usui futuris, Iisdem præterea demandatum; Comiti *Pembrochiensi*, Cancellario Academico, nuntiare quod Munere jam exutus esset Doctor *Fell*, qui se pro Vicecancellario gessit; ac propterea ut amoti in locum Virum aliquem idoneum propediem sufficeret efflagitare. At vero eodem die Regentium Congregationem, secundum Statuta, juramenta, & solennem *Oxoniensium* consuetudinem coegit Vicecancellarius, posthabitâque quam prædiximus prorogatione Visitatoriâ terminum de more inchoavit; Baculos denique, quod fieri antiquitus consuevit, deponentibus Bedellis, eosdem oratiunculâ concinnâ ob fidem & diligentiam egregie collaudavit.

Tempore pomeridiano coram Visitatoribus comparebant Sodalitiorum Rectores, & rationes singuli cur Libros à prædictis frustra toties expetitos minime traderent adferebant, formâ quidem diversas, sensu autem parum admodum discrepantes; quarum hæc fere summa erat: „ ejusmodi nimirum esse Co„dices illos ut Sodalitiorum arcana, nec ab iisdem „ alieno cuipam sine Præsidum perjurio aperienda, „ complectantur: secundum Statuta enim, Sodalitio„ rum Regimen ac Negotia eorundem tangentia „ mortalium nulli cujuscunq; sortis, esse inspicienda; „ demptis tantum Visitatoribus singulis à Fundatore „ quovis institutis, eorumq; Delegatis: nequid vero „ secus fiat ipsis prospiciendum incumbere, jurejuran„ do utiq; eam in rem viritim adactis. His præmissis, ne ad statuta, adeoque juramenta quibus adstringerentur, & quorum vinculis potestate quavis humanâ laxari se non posse arbitrarentur, violanda impellantur humillime flagitabant, &c.

Eodem die, inter horas secundam & quartam pomeridianas, Citationi nono *Octobris* ad se transmissæ obtemperantes, coram Visitatoribus præsentes se sistebant Prælectorum publicorum nonnulli; quibus edicunt illi ne Doctori *Fell*, tanquam Vicecancellario morem deinceps gerant; significato pariter opus non esse ut Lecturas de more obeant, utpote Termino ab ipsis prorogato.

Octobris duodecimo (dies hic Martis erat) proximum suum conventum in Mensis ejusdem vicesimum sextum prorogarunt Commissarii sive Visitatores. Eodem die Doctori *Fell* denuntiatur ut coram Procerum consessu *Londini* propediem adesset; siquidem eam in rem Ordinatio quædam octavo hujus Mensis facta Optimatum Accenso tradita fuerat; quorum imperio instructus, Vicecancellarium ille manu cepit, & postridie *Londinum* in custodiam deduxit.

Octobris vicesimo tertio (in hunc incidit dies Saturnii) Convocationem [a] celebravit Doctor *Potter*, Collegii S.S. *Trinitatis* Præses, absentis nempe Doctoris *Fell* vice functus; atque ibidem Delegatorum Academicorum gesta, necnon Responsio integræ Universitatis nomine, *Octobris*, velut prædictum, octavo, ad Visitatores Parliamentarios per Procuratores Academicos delata, comprobantur rataque habentur.

Octobris vicesimo sexto in Condelegati cujusdam (D. *Gulielmus Tippyng* is erat) Ædibus, ad *Fossam*, quam vocant, *Candidam* sitis, convenere Visitatores; atque Consessum inde proximum in diem veneris, vicesimum nempe nonum dicti Mensis, prorogarunt.

Octobris vicesimo nono, horâ secundâ pomeridianâ, in Camerâ Magistri *Cheynelli*, super publicam Collegii *Mertonensis* Portam collocatâ, coibant Visitatores; & postquam disceptatum eâ de re aliquandiu esset, Prorogationem ulteriorem haudquaquam interponendam decrevere. Eodem vero tempore Doctori *Potter*, Provicecancellario, diem indicebant, ut coram se postridie compareret, & ad ea quæ sibi objicerentur responderet, præcipientes.

Octobris tricesimo præsentem se minime sistebat *Potterus*, verum Responsionem his quasi verbis conceptam tempore præstituto transmisit: Chartulam accepi hunc in modum subscriptam [à Consessu Visitatorum ad reformandam Academiam *Oxoniensem* dat. xxix. *Oct.* CIↃDCXLVII.] appositis etiam verbis istis [*Mich. Wells* Regist. Comm. Deputat.] quâ nimirum denuntiatum est mihi ut decurrentis *Octobris* tricesimo, horâ nonâ matutinâ comparerem; ad quam sic ego demisse respondeo.

Collegii S.S. *Trinitatis Præsidem* memet agnosco, atque illo sub titulo Responsionem vice tum propriâ tum (quorum nempe id interfit) moderamini meo subditorum, etiamnum interposui; cùmque super Academiæ contra jurisdictionem vestram, & circa obligationes arctissimas (quibus utique ne eidem nos submittamus vetitum est) argumentis mihi satis hauddum sit factum:

Humillime peto, ut rebus iis quæ ad Academiæ Visitationem spectant coram honoratissimâ utraque Comitiorum Domo pendentibus, nostrorum nemo Citatione aliquâ ulteriori interpelletur.

Eodem die viz. *Octobris* tricesimo, factâ enarratione apud Proceres & Plebeios, in Parliamento congregatos, (sic enim passim audiebant, licet Majestatis rei jure omni excidissent,) per *Nathanaelem Brent*, Equitem auratum, & Magistrum *Wilkinsonum* sen. eorum quæ à Visitatoribus gesta fuerant; decretum est quod res tota Delegationis Parliamentariæ (superiorem illam volo *Westmonasterii* agentem) judicio permitteretur; cui scilicet integrum esset negotium omne audire ac terminare, remediis prout usus flagitaret mature adhibitis.

Secundo *Novembris* (dies ille Martis erat) Togatorum Senatus per Provicecancellarium & Magistros habetur; [b] constitutum vero ab eodem est, quod cùm propter fluctuantem & incertum Academiæ statum Congregationes haud ita commode ac frequenter celebrari possent, negotia in iisdem tractari solita in Convocatione transigerentur.

Novembris tertio coram Visitatoribus comparuit Collegii *Orielensis* Præpositus, pridie citatus; qui Responsione antedictis haud absimili suorum nomine redditâ, statutorum Codices aliaque quæ expetebant Rebelles dedere porro recusavit. Eodem die mittuntur ad Doctorem *Jacobum Masters* reliquosque Collegii *Novi* Socios Visitatorum mandata, quibus utique interdictum est ne Programmatis de more publicatis ad Custodis, Socii, aut Officiarii cujusque electionem descendant. Interdictum hoc ex occasione obitus Doctoris *Pinke*, Sodalitii ejus Custodis, intervenerat; is enim de Cœnaculorum suorum Gradibus haud ita pridem collapsus, hoc eodem, vel, ut alii perhibent, die novissime prægresso, è vivis excesserat.

Novembris quarto Ædium Præfectos, Doctores, & Magistros quorum nomina subjecimus ad se evocabant Visitatores, nimirum:

Doctorem *Potter* Provicecancellarium,

[a] *Reg. Convoc. T. ut supra p.* 1. [b] *Ib. in T. p.* 5.

Radcliffium

Doctores { *Radcliffium*, Principalem *Æneasensem*. *Walkerum*, Coll. *Universitatis* Magistrum. *Newlinum*, Coll *Corporis C.* Præsidem. *Oliverum*, Coll. *Magd.* Præsidem. *Langbainium*, Coll. *Reginensis* Præpositum.

Doct. { *Rich. Gardiner* / *Rob. Payne* / *Thomam Iles* } Ædis *Christi* Canonicos.

Mag. { *Waring* / *Hunt* } Procuratores.

Mag. *Henricum Tozer*, Collegii *Exonienſis* Subrectorem.

Novembris quinto, coram Visitatoribus in Collegio *Mertonensi* considentibus, (Prolocutoris munere fungebatur *Gul. Cobbe*, Eques auratus) inter horas secundam ac tertiam pomeridianas, comparebant prædicti; viritim vero intromissi, ad quæstiones singulis propositas non iisdem plane verbis, sensu autem nullatenus diverso, responsabant hunc in modum omnes:

„ I. *Qu.* An authoritatem nostram Visitatoriam „ legitimam agnoscis, & visitationi isti te submittes?

„ *Resp.* super eâ re ad Universitatis, & Sodalitii mei, Responsionem, etiamnum editam, refero, vosque remissos volo.

„ II. *Qu.* An Academiæ Judicium in Convocatione primo *Junii* editum ipse comprobas?

„ *Resp.* Rationes illæ Convocationis calculis tunc „ temporis confirmatæ sunt, & ad Actum illud Convocationis refero.

„ III. *Qu.* An Academiæ Responsionem, per Procuratores nuper traditam, probas?

„ *Resp.* Id Responsi per actum quoque Convocationis approbatum fuit, & ad illud refero.

His ita peractis, accersitorum cuilibet, à Visitatoribus dimisso, Gradibusque descendenti (siquidem ipsi in Custodis Triclinio considebant) per Accensum eam in rem transmissum tradita est citatio quædam, his verbis conscripta.

Nov. 1. anno Domini 1647.

„ A delegatione Procerum & Plebeiorum „ ad Academiam *Oxonienſem* reformandam.

„ Tibi cujus nomen subscriptum est mandatur ut „ coram Delegatione, in Camerâ *pictâ Westmonasterii* die Jovis abhinc secundo, qui quidem decurrentis *Novembris* undecimus futurus est, compareas, „ & ad ea quæ tibi objicientur respondeas.

Franciscus Rous.

Doctori ..... vel Magistro .....

Ejusmodi Citatio Doctorem *Baylie*, Collegii S. *Johannis* Præsidem, & Doctorem *Georgium Morley*, Ædis *Christi* Canonicum, manebat; cæterum illi in Academiâ tum forte haudquaquam agentes Quæstiones Rebellium ac Tyrannidem in præsentia devitabant.

Sexto *Novembris* (dies ille Saturni erat) Consessum suum proximum in decimum octavum ejusdem Mensis distulere Visitatores. Eodem die Doctori *Pinke* justa funebria, cum solenni, quâ par erat, pompâ persolvuntur; postmodo autem ad Aulam *Cervinam*, in Ædibus Principalis, conveniunt Delegati Academici, & Præcepta quædam condunt ad Visitatorum Quæstiones respondentibus usui futura, quorum primum erat, quod ab examen instituentibus quærat imprimis Togatus quisque, utrum *Commissionem* aliam quam pristinam illam acceperint, si accepisse affirmârint, inspiciendam petat, spatiumque deliberandi flagitet.

Septimo *Novembris Oxoniam* remeabant ques ad Vicecomitem *Say*, ac D. *Nathanaelem Fiennes* amandarant Collegii *Novi* Socii; obsecratum scilicet ut Sodalitio liberam Custodis electionem expetenti operam suam apud Ordines accommodarent. Fundatorem enim Collegii cognatione attingere gloriantes, ad se ejusdem patrocinium pertinere venditabant: responderunt vero illi, liberum ipsis fore (Fanaticorum acumen quis non demiretur) Mag. *Johannem White* (hic Patriarchæ *Dorcestrienſis* nomine vulgo innotuerat) in Custodem sibi ascisere, sin alium quempiam cooptarent, factum illud probandum neutiquam iri aut condonandum.

Novembris octavo ac nono, *Westmonasterium* versus contendebant Doctores quos prædiximus & Procuratores, atque eosdem aut comitati sunt aut post paulo subsecuti Visitatorum nonnulli; ne causam scilicet propediem dicturis Accusatores deessent. *Novembris* octavo Civibus *Oxonienſibus* denuntiabant Delegati ad hujus Agri negotia Parliamentarii, ut Diplomata Scriptaque alia Municipium tangentia sibi deferrent; quâ de re coacto Senatu urbano, vi Ordinationis à Delegatis iis allatæ suffragandi jure spoliantur, Concilioque in posterum excluduntur, eorum qui partibus regiis adhæserant bene multi.

Novembris undecimo (hic in diem Jovis incidit) Academici retro dicti omnes, unum D^rem *Walkerum* si excipias (is enim adversæ valetudinis excusationem, attestante Medico, transmiserat) præsentes sese *Westmonasterii* in Camerâ *pictâ* sistebant, considentibus ibidem Comite *Manceſtriæ*, D. *Francisco Rouse* (cui cathedræ obtigit honos, quique, respondentibus viritim Togatis, singulos per nomina citavit) D. *Johanne Selden*, ac Delegatorum porro tribus quibusdam aliis aut quatuor. Ampliati postmodo sunt in proximi diei horam secundam pomeridianam Academici, tum autem *Westmonasterii* in Curiâ, quam vocant, *Reginensi* comparere jubentur; spondente *Manceſtriæ* Comite, & in se recipiente, Doctorem *Fell* (hic *Londini* jam, ex edicto Procerum supra memorato, in Custodiâ detinebatur) simul adfuturum; citandos quoque Doctores *Bayleium* & *Morleium*, *Londini* tunc temporis habentes; quorum tamen primo dictus comprehendi non potuit, verum impotentissime dominantium expectationem elusit.

Novembris duodecimo in diem Lunæ proximum, Mensis utique ejus decimum quintum, comperendinati sunt Academici, quod ex occasione Regis à Palatio *Hamptonensi* clam se proripientis (die id hesterno obtigerat) emersit. Et sane eadem adire discrimina, easdem fortunæ vices experiri Coronam ac Pileum quis non videt, cùm pridie etiam quam Academiæ Visitatio, cui nempe quartum *Junii* assignârant Rebelles, institueretur, ab Ædibus *Holdenbeiensibus* abductus clam fuerit *Carolus*? unde scilicet eandem (obstupentibus Commissariis, neque, vacillante re Parliamentariâ, Opus tam arduum ac difficile aggredi ausis) prorogari contigit. Cæterum noviſſimi, quem prædiximus, regii discessus famâ *Londini* passim

Passim dimanante, Senatûs democratici rationes omnes miris modis conturbantur, adeo ut immutatâ Urbis facie, populoque ad res novas spectante, ampliandos sese haudquaquam dubitarent Academici; quod quidem in propiorem licet quam sperabant illi diem fieret, inde tamen consilia miscendi, Responsiones adornandi, & contra versutas Delegatorum quæstiones sese muniendi spatium lucrabantur.

Novembris decimo quinto in Curiâ illâ *Reginensi*, horâ secundâ pomeridianâ, coibant Procerum & Plebeiorum Delegati. Adfuere Comites *Pembrochiensis* & *Mancestriensis* (quibus addendus, nisi me fallo, *Mulgraviæ* Comes, quem inter prædictos consedisse aliquandiu opinor) *Petrus Wentworth*, *Gilbertus Gerard*, Equites aurati; *Nathanael Fiennes*, *Seldenus*, & *Rouseus* (qui quidem Prolocutoris vicibus fungi videbatur) Armigeri. Postquam subsellia occuparant illi, accersitus est Doctor *Fell*, Ædis *Christi* Decanus (neque enim pro Vicecancellario habendum existimabant) & ab eo quæritur utrum Charta quædam ibidem prolata, quæ scilicet Canonicorum aliquorum nomina, attestante Capituli Actuario, subscripta gerebat, Responsionem suam & Canonicorum, Visitatoribus pridem datam, complecteretur. Respondit vir dignissimus Responsionem plenam & positivam edere non posse nisi ipsi adessent Canonici; cui statim succensuit mirifice *Pembrochiensis*, ac tanquam adversus Deum Patriamque rebellem acerbe corripuit, nimirum aiebat se literis minimè imbutum, optimam scientiæ partem, Deo & Parliamento obedire, melius callere, quam pervicax ille senex qui Doctorem se profitebatur, & tamen nondum didicit Parliamenti mandatis morem gerere. Comite jurgiis delassato, intromittuntur abinde *Gardinerus*, *Ilesius*, *Payneus*, & *Morlæus*, Doctores, Ædisque ejusdem Canonici, qui una cum Decano Chartam illam agnoscebant, & Responsionem suam in eadem contineri fatebantur. His vero dimissis accersiti sunt viritim reliqui Collegiorum Præfecti, *Radcliffius* nimirum, *Potterus*, & *Langbainius*; qui cum Responsiones quoque suas agnovissent, pariter dimittuntur. Adesse deinceps una cum Vicecancellario jubetur Procurator uterq;, iisque Responsio Togatorum omnium *Oxoniensium* nomine Visitatoribus pridem tradita monstratur, quibus ipsissimam esse fatentibus infremuere Delegati, inconcussam hominum fortitudinem ægre admodum ferentes. Abinde autem Chartulam illis porrexit Magister *Waring*, Procuratorum senior, quâ Contumaciæ, animique obfirmati parumve morigeri, opinionem à se procul amoliri nitebantur Academici.

Nov: 15. 1647.

„ Honoratæ admodum Procerum & Plebeio-
„rum Delegationi, ad reformandam Academiam
„*Oxoniensem* constitutæ.

„ Eorum qui ex dictâ Universitate ad ipsos pro
„Tribunali citantur Compellatio humillima peti-
„toria.

„ Agnoscimus Chartas per Procuratores, octavo
„*Octobris*, traditas, & à Senatu Academico com-
„probatas, ipsius Universitatis Responsionem com-
„plecti, & in Senatus ejusdem Consulto implicari
„ Academicorum singulorum approbationem & con-
„sensum; speravimus autem & etiamnum speramus Responsionem illam nil quicquam offensionis habuisse, utpote quæ supplicem in modum (nec nisi præfatis adversus Domum utramque admodum honoratam quanta concipi poterant observantiâ & obsequio) sententiam tantum nostram circa Privilegia propria aperuit, una cum obligationibus, quibus (ut opinamur) ad eadem tuenda ex juramentis variis adstringimur; ita tamen ut à Procerum & Plebeiorum authoritate circumscribendâ vel finiendâ, nedum improbandâ vel contemnendâ, prorsus abhorreamus; à quæstionibus adeo arduis captumque nostrum superantibus deditâ operâ abstinentes, & abstinere deinceps gestientes; quippe cum impossibile non sit quin in errore nos versemur, aliter tamen agere quam etiamnum egimus Conscientiæ vinculis prohibeamur, donec erroris ejus coarguamur. Quodsi Delegationi isti honoratæ Responsione illâ nostrâ satis haudquaquam fiat, humillime flagitamus, ut impræsentiarum à contemptus per eandem studio omnimodo nos liberent, necnon à Consequentiis acerbis aliorum forte ingenio inde eliciendis; quales utique & ipsi in animis neutiquam destinavimus, & confestim sumus reprobaturi. Humillime porro Delegationem hanc honoratam obsecramus, ut cùm in propinquo jam simus acturi, spatium nobis Jurisperitos consulendi, & pleniorum Causæ prorsus novæ, ad res utique tum nostras, tum integræ Academiæ in præsentiâ & in posterum momenti plurimum habentis, notitiam adipiscendi concedatur.

Tam mollibus verbis Senatum democraticum demulcebant Academici:

I. Quia rebus nondum desperatis Rex ipse *Carolus* non aliter eundem tractabat, & pro comitiis Parliamentariis passim agnovit.

II. Ut exacerbatos Senatorum animos, quos visitatores omnimodis artibus incitaverant, aliquantum lenirent, nè fortè Academiam ipsam funditus everterent.

III. Quod palmarium erat, ut moræ usque protraherentur; & occasio aliqua lætior, si fortè daretur, captari posset.

His palam perlectis, apud Delegatos reliquos Academicorum in gratiam instabat D. *Prynne*, ut spatium nempe cum Jurisperitis deliberandi indulgerent efflagitans; quibus dimissis sermones aliquandiu conferebant Delegati ipsique quotquot aderant (qui quidem à prædictis nunquam discessere) Visitatores; voti autem postmodo compotes fiunt intromissi denuo Togati, & in diem Veneris abinde secundum comperendinantur; quod sane *Prynnio* plane tribuendum, utpote qui Condelegatis persuaserat Jurisperitum in *Angliâ* neminem Assertionem illam, in Responso Academico contentam, propugnare posse, *Solum* nempe *Regem esse Universitatis Visitatorem*; immo è contra probare se posse nullum unquam Regem Privilegio illo fuisse fructum, aut idem sibi vendicasse, ac præterea *Carolum* speciatim id sibi juris abjudicasse. Revera circa id temporis Apologia quædam in Academicorum gratiam erat conscripta, & typis emissa; quâ ostendebatur inter primaria haberi Universitatis Privilegia, ut à solo Rege possit visitari: hanc refellendam suo more suscepit *Prynnius*, quem duplici responso redarguendum curabant Academici: proinde ne victus videretur, se pugilem in arenam hanc denuo ingessit. At vero haud modice lætabantur Togati, postquam intellexere Quæstionis propositæ cardinem in hoc versari, utrum *Sola Regia Majestas potestatem Visitatricem habeat?* Sibi enim nequaquam defuturos norunt qui Propositio-

nem illam affirmate vel coram Tyrannorum Subſelliis tuerentur; ſin diſceptandum eſſet (quod male metuebant) mirifica illa theſis quæ tunc obtinebat *an poteſtas Regia Comitiis Parliamentariis virtualiter inhæreret?* reperiri non poſſe Juriſperitum confidebant qui Academicorum partes defendere ſuſtineret. Utcunq, antequam coram Delegatis primitus comparerent, à D. *Matth. Hale*, ex Hoſpitio *Lincolnienſi*, & D. *Chalonero Chute*, è *Templorum* altero, petiverant ut ſe conſilio & patrocinio adjuvarent, modo ampliationem à Delegatis & advocationis copiam impetrarent; quorum tamen operam fruſtra imploravimus: coeuntibus enim proximo mane ſuis authores fuere (velut noſtris nuntiatum eſt) *Cheynellus* & *Henricus Wilkinſonus*, ut D. *Johannem Bradſhaw*, D. *Matth. Hale*, D. *Chalon. Chute* ſibi in Advocatos aſciſcerent, quod eo revera conſilio factum, ut Patronos nobis eriperent, non ut ſibi conciliarent; poſtquam enim de operâ ſibi accommodandâ mandata tranſmiſerant, commercii cum ipſis nil quicquam interceſſiſſe fertur. Porro famâ conſtanti percrebuit ſtatuiſſe Delegatos, *Cheynelli* & *Wilkinſoni* hortatu adductos, Juriſperitos conſulendi, & Patronos ſibi aſſumendi, copiam Togatis indultam revocare; niſi inopinato clariſſimi *Seldeni* (quem ſcilicet ejus rei certiorem occulte fecerat D. *Osbaldeſtonus*) interventu prohibiti fuiſſent.

Eodem tempore Vicecancellario, Procuratoribus ac Doctoribus viſum eſt, ſuorum de numero aliquos nominare qui *Londini* perſiſtentes Advocatos res noſtras edocerent, neque quicquam prætermitterent quod ad Cauſam Academicam felicius procurandam pertineret. Id negotii *Morlæo*, & *Langbainio*, Doctoribus, ac Procuratorum ſeniori demandatum, qui in eodem tutius adminiſtrando ſatagere cupientes, ut Senatus Academici ſuffragiis deſignarentur poſtulabant, Codices etiam & Regiſtra, ſiquæ ſibi uſui fore viderentur, *Londinum* aſportanda poſcentes; atque eam in rem *Oxoniam*, die *Novembris* undecimo nono (Veneris is erat) remeavit *Langbainius*.

Novembris decimo octavo notandum venit, *Oxoniæ* ſub hæc neutiquam conſediſſe Viſitatores; utpote quorum plerique aut occupationibus ad Terminum forenſem, aut ad inſtruendam Togatorum accuſationem ſpectantibus *Londini* diſtinerentur. Eodem die poſthabitis interdicto Viſitatorio, monitiſque ac hortatibus Vicecomitis *Saii* prædicti (is enim duodecimo ejuſdem Menſis literas commendatitias *Whiti* jam ante dicti in gratiam tranſmiſerat, ſubinnuens illorum plurimos quæſtioni graviter obnoxios, non aliter præteritorum veniam ſperare poſſe, niſi ſancti illius viri patrocinio uterentur) Doctorem *Stringer* in Cuſtodem ſibi cooptabant *Novi* Collegii Socii, paucis quibuſdam reclamantibus, & animum Vicecomitis, qui in comitiis Parliamentariis dominabatur neutiquam exacerbandum contendentibus.

Novembris viceſimo ſecundo, horâ conſuetâ matutinâ, prælectionem publicam obivit doctiſſimus *Sanderſonus*, Regius in Theologiâ Profeſſor; ſumpto in Textum Axiomate illo *Salus populi*, &c. quod quidem argumentum in Prælectione noviſſimâ ſtrictim attigerat, nunc autem Amicorum (ut ipſe perhibuit) ſuaſionibus permotus accuratius eventilavit, non ſine ſummo Auditorum pene omnium plauſu fructuque. Cæterum interea dum ad Cœnacula inde ſua reverteretur, ipſi pariter & Præpoſito *Orielenſi* ac Doctori *Hammond*, virum utique comitantibus, traduntur per Viſitatorum Mandatarium Schedulæ trinæ, decimo ſexto *Novembris* datæ, & nomine *Franciſci Rouſe* munitæ; quarum nempe tenore *Londinum* evocantur præfati; ut coram Delegatis ſecundo *Decembris* proxime ſequentis (is autem Cauſæ Academicæ poſtremum audiendæ ac terminandæ aſſignabatur) præſentes ſe ſiſterent denuntiato. Eodem die citati quoque ſunt Dr *Oliver*, Coll. *Magdalenenſis* Præſes; Dr *Baylie*, è Coll. San-*Johannenſi*; Dr *Edwards*, Philoſophiæ Naturalis; Dr *Stringer*, Linguæ Græcæ; Dr *Morris* Linguæ Hebraicæ, Prælectores; Dr *Newlin*, Coll. *Corp. Chriſti*; & Dr *Manſell*, Collegii *Jeſu* Præfecti.

Novembris viceſimo tertio, (dies ille Martis erat) Togatorum Senatum [a] coegit Dr *Newlin*, Provicecancellarius, cujus decreto noſtratibus, negotia Academica *Weſtmonaſterii* procurantibus, adjiciuntur Mag. *Thomas Barlow*, è Coll. *Reginenſi*, & Mag. *Timotheus Baldwin*, è Collegio *Omnium Animarum*; quorum uterque *Londini* tum forte agebat. Scitum porro quod codices, chartæ, ac munimenta (qualia nempe juriſperitis uſui viderentur futura) Archivis deprompta *Londinum*, ſi opus, eſſet, tranſmitterentur; atque eorum nonnulla eòdem poſtmodo amandavit *Langbainius*, aliis penes Provicecancellarium depoſitis, quæ nempe ſiquando commodum eſſet *Londinum* quoque deveherentur. Eodem porro die Ædium Præfectis ac Doctoribus, hauddum citatis, denuntiatur, ut ſecundo *Decembris* una cum prædictis *Weſtmonaſterii* compareant.

Novembris XXV. iter *Londinum* verſus inſtituit *Langbainius*, Autographa quædam Academica ſecum deferens: atque die proximo cum Primoribus reliquis Togatis conſilia miſcebat; à quibus in Conſiliarios aſciſcuntur, modo patrocinio Domini *Hale* & Domini *Chute* uti non liceret, Dominus *Hearne*, ex Hoſpitio *Lincolnienſi*; Dominus *Johannes Latch*, & Dominus *Franciſcus Philipps*, è Templorum altero (ita nuncupantur, ducto ab Equitibus Templariis nomine, Ædificia in quibus Juri nuncupali ſtudet *Anglicana* pubes) in Advocatum vero aſſumitur etiam Dom. *Leigh*, è Templorum pariter altero.

Novembris XXVI. *Londinum* quoque evocantur Delegati Academici (ad viginti vero & octo cenſebantur) ut die præſtituto, ſecundo nimirum *Decembris*, in procinctu eſſent mandato; qui quidem diebus proximo, atque inde ſecundo iter ſunt ingreſſi.

Decembris ſecundo (hic in diem Jovis *incidit*) coram Delegatione illâ Parliamentariâ præſentes ſe ſiſtebant Togati; verum bifariam prohibitos quo minus conſilio inſtruerentur cauſati ſunt.

I. Quoniam eorum qui in Cauſæ ſuæ advocationem accerſiti fuerant nonnullos ad partes adverſas abduxerant Delegati.

II. Quoniam reliqui juriſperiti ad rerum ſuarum defenſionem ſuſcipiendam aliàs paratiſſimi eandem detrectarent, niſi ab ipſis quoque Delegatis demandatam habeant. His de cauſis humillime flagitabant Academici ut authoritatem ſuam interponerent, & Patronos aſſignarent quos illi nominaſſent; indulto etiam ipſos inſtruendi, & res noſtras iiſdem aperiendi ſpatio, quo ſcilicet pleniori earum cognitione in diem Litis cognitioni aſſignandum præmuniti, Gentem togatam ex æquo bono tuerentur.

Super poſtulatis hiſce ſententiæ ultro citroque aliquandiu agitantur, verum cùm conſurgeret interea D. *Bradſhaw*, Advocatus Parliamentarius, deque Academiâ inconſulto Rege protenus viſitandâ

[a] T. ut ſupra p. 61.

more

more ſuo acriter perorare occiperet, virum interpellavit *Seldenus*, iniquum eſſe oſtendens ut præcipuum integræ litis caput diſceptandum prius veniret, quam conſilio & Patrocinio expetitis inſtruerentur Togati, quod ut imprimis concederetur ſuadebat. Foras inde dimiſſis Noſtratibus, binis tantum ſuffragiis potiores erant poſtulata indulgentium partes; Advocati vero nobis aſſignantur D. *Hale*, D. *Hearne*, D. *Chute*, D. *Latch*, & D. *Philipps*, cauſaque ipſa in *Decembris* nonum, diem nempe Jovis proximum, dijudicanda prorogatur. Petitum porro eſt & conceſſum, ut qui præſentes ſeſe tunc temporis ſtitiſſent, *Oxoniam* remearent, per Patronos die præſtituto reſponſuri: atque hæc negotiorum illo die geſtorum ſumma erat, in quibus adminiſtrandis ex parte Academicorum Oratoris vices obibat *Morleius* (Reverendiſſimum hodie *Wintonienſem* Antiſtitem merito veneramur) quibus tam prudenter tamque diſerte fungebatur, ut magnam ſui apud omnes exiſtimationem concitârit. Neque ſane reticenda clariſſimi *Seldeni* Benevolentia, qui (ne prædictam repetamus operam, nobis navatam) ſiquid in Academiam acerbius diceretur, diluere confeſtim nitebatur.

Decembris nono, Doctorum nonnulli, una cum Advocatis comparuere; cæterum poſtquam in Univerſitatis defenſionem prolata eſſent Argumenta graviſſima (in quibus refutandis parum admodum laborabant viri probi, utpote armis quam rationibus inſtructiores) in eam denique ſententiam venere Delegati:

„ Materiam Reſponſi Præfectorum aliquorum,
„ aliorumque ex Academiâ *Oxonienſi*, Authoritatis
„ Parliamentariæ egregie eſſe contemptricem.

Qua vero ex parte præſertim diſplicuere Academici, non admodum conſtat; bilem moviſſe ferunt verba illa quæ *efficacibus remediis* in reformationis negotio propoſitis, regerebant. Hoc vero tempore nihil aliud gerebatur.

Decembris XXVIII. XXIX. &c. Delegatorum conſulto, Comitiorum ipſorum calculis aliquanto poſt comprobato, tanquam contumaciæ adverſus poteſtatem Ordinum ſummæ reus, Ædis *Chriſti* Decanatu ejicitur Doctor *Fell*, Rebellium in curſu viſitatorio ſufflamen aſſiduum: cui addendi, conſimili ſententiâ damnati, Dr *Oliver*, *Magdalenenſium*, Dr *Potter* S. S. *Trinitatis*, Dr *Bayley* S. *Johannenſium* Præſides, Dr *Radcliff Æneanaſenſium* Principalis; *Gardinerus*, *Ileſius*, & *Morlnius*, Doctores, Ædis *Chriſti* Canonici.

Januarii viceſimo (is in diem Jovis incidit) ordinatum eſt per Delegationem, *Londini*, ad Univerſitatem *Oxonienſem* reformandam, conſidentem; quod, cum Reſponſiones Doctoris *Fell*, Ædis *Chriſti* Decani, aliorumque aliquorum, Ædis ejuſdem Canonicorum, authoritati Parliamentariæ quoad Academiæ illius Viſitationem ſubjicere ſeſe detrectantium, ad præfatam Delegationem audiendæ, ac potentibus adhibitis remediis terminandæ, referantur: prædictus Doctor contemptus egregii & contumaciæ adverſus Parliamentum compertus, à Decani Munere amoveatur; quodque Ordinationem hanc, quo omnibus innoteſcat, in Sodalitio illo promulgandum curet Subdecanus. Conſulto autem altero, eodem tempore condito, Vicecancellariatus quoq; viro digniſſimo abrogatur.

Februarii nono (dies Mercurii erat) à Delegatis conſtitutum eſt ut Doctor *Potter*, Provicancellarius & *Waringus* ac *Huntus*, Procuratores, ſub firmâ cuſtodiâ *Londinum* deducerentur, eorum quæ in illicitâ pridem Congregatione (ita enim nuncupare viſum eſt) in Authoritatis Parliamentariæ contemptum geſſerant rationem reddituri; edicto pariter licitum fore Provicecancellario cuivis & Procuratorum Deputatis, gradus conferre; quod in Academiâ confeſtim propalandum Viſitatoribus demandatum. Actuario quoque Academico denuntiatum, ut coram ſe decimo ſeptimo dicti menſis compareret, Regiſtra ſecum adferens, chartaſque omnigenas Convocationis & Congregationis à *Junio* noviſſime præterlapſo Acta complectentes. Cæterum Ordinationes haſce quod attinet, executioni haud ita feliciter traditas conſtat; ſiquidem ad Doctorem *Fell* Decanatu ſpoliandum ſpectanti neutiquam obtemperavit Subdecanus: alteram vero illam Vicecancellariatum attingentem, & columnis ac parietibus, publicis ubique in locis, Viſitatorum juſſu affixam, detraxere, pedibuſque conterebant Academici juniores. *Oxoniam* quidem pervenit Accenſus Provicecancellarium & Procuratores *Londinum* abreptu-rus, quibus tamen minime deprehenſis ad Tyrannos re infectâ remeavit. Præſentem porro ſe ſiſtebat Actuarius publicus, ſcriptaque nonnulla Delegatis tradidit, codices autem pleroſque occupârat & in tuto collocârat pridem Vicecancellarius.

Februarii decimo octavo *Edoardum Reynolds*, Artium Magiſtrum, Vicecancellarium *Oxonienſem* renuntiabant [a] Comitia Parliamentaria, ut in Menſem *Auguſtum* anni CIↃDCXLIX. illo Munere fungeretur ſancito; utpote quem delegerat *Philippus*, Comes *Pembrochienſis* Cancellariatu nimirum, quo privatus ante annos aliquot ab Academicis fuerat, denuo à Rebellibus donatus. Eodem quoque die in Procuratores ab Ordinibus [b] cooptantur *Joſhua Croſſe*, Artium Magiſter, Collegii *Lincolnienſis*, & *Radulphus Button*, Artium Magiſter, Collegii *Mertonenſis*, Socii; ut ad anni CIↃDCXLIX. diem faſcibus deponendis ſecundum Statuta *Caroli a* (quæ in electionibus deinceps obtinere volebant Comitia) præſtitutum, munus illud gererent mandato; qui qnidem, una cum prædicto *Reynoldſio*, die *Aprilis* proximi duodecimo, ad munia ſunt admiſſi.

Martii octavo (dies hic Mercurii erat) [c] decrevere Proceres, ut haud procul *Oxoniâ* tum forte agens *Pembrochiæ* Comes mox ante dictus, eodem concederet, quo in Magiſtratus Academici ſupremi poſſeſſionem de integro veniret; comitantibus Viſitatoribus, Vicecancellario, & Procuratoribus, adhibitiſque pompâ & celebritate quam maxime ſolennibus. Ordinatum pariter ut Cancellarius ac Viſitatores Magiſtrum *Reynolds* S. Theologiæ Doctorem crearent, eique ſimul & Procuratoribus Academiam, non ſine conſolitarum ceremoniarum honore, gubernandam traderent; utque poteſtatem haberent Cancellarius, Viſitatores, Vicecancellarius, Procuratores, & qui Viſitatoribus operam pridem accommodarant Delegati, (illo nomine Delatores, retro memoratos, cohoneſtandos duxere) ab iis ipſis Delegatis examinatos, eorumque teſtimonio ornatos, ad Gradus quos ambiant admittendi; necnon contemptus erga ditionem Parliamentariam compertos vel ſuſpenſione à ſuffragio ferendo, vel etiam è Senatu Academico expulſione plectendi; quo ſcilicet manifeſtis Ordinum hoſtibus (ita regium quemque ac probum appellabant Rebelles) integrum deinceps non ſit Regimini Academico ſeſe immiſcere

[a] *Ut in Reg. T. p.* 10. [b] *Ibid.* [c] *Ibid.*

immiſcere, aut Reformationi à Parliamento ibidem deſtinatæ moram ac tarditatem afferre; utpote quæ articulis in dedendâ Urbe pactis omnino repugnent. Scitum inſuper quod Cancellario, Viſitatoribus, & Procuratoribus poteſtas deferretur, in Ædium ad Doctorem *Fell* pridem ſpectantium, necnon jurium omnium quibus in Collegio gaudebat poſſeſſionem admittendi Magiſtrum *Reynolds*, jam ſæpe dictum; quippe quem Ædis *Chriſti* Decanum renuntiârant Comitia, quemque Sodalitio illi præficiendum decreverant, juriſdictioni epiſcopali nulla in re ſubjacentem. Ad hæc, ſancitum ut Cancellarii, Viſitatorum, Vicecancellarii, & Procuratorum auſpiciis Ædis ejuſdem Canonicorum nuper proſcriptorum munera adirent Mag. *Chriſt. Rogers*, Mag. *Henricus Wilkinſon* ſenior, & Mag. *Henr. Langley*, atque jura omnia and Canonicos pertinentia acciperent; utque Cancellarius, &c. poteſtatem haberent, Virum quemvis à Delegatione Parliamentaria cooptatum in Sodalitii cujuſcunque Præfecturam, cum ditione, authoritate, juribus, ac Privilegiis omnimodis ad eandem pertinentibus, admittendi.

Quoniam autem, juſſis, quæ retro attigimus, Parliamentariis nullius momenti habitis, munera & dignitates etiamnum retinerent Sodalitiorum Gubernatores atque Ædis *Chriſti* Canonici, per Delegatos ordinatum eſt:

Martii decimo ſeptimo (dies ille veneris erat) quod amandato confeſtim Accenſo ad ſe firmiter cuſtoditi evocarentur antedicti, ſummæ nimirum contumaciæ poſtulandi; quæ tamen Tyrannorum conſilia in caſſum cecidere, Togatis vel in ipſâ Academiâ, vel alibi gentium, latebras ac perfugia tempeſtive quærentibus. Porro nuntiatum Delegatis cùm eſſet, Imperii Academici Inſignia detinere, & Magiſtratibus nuper conſtitutis tradere nolle quorum fidei de more concrederetur; Bedellos quoque haudquaquam comparere, aut munia ſua obire: decretum eſt quod eorum ſinguli, *Londinum* accerſiti, contemptus & pervicaciæ rationem redderent; quodque abſentibus Bedellis Virum aliquem idoneum deligerent Viſitatores qui eorum partibus fungeretur, uſquedum mandata eâ de re ulteriora prodirent. Significato inſuper Doctorem *Oliver*, Collegii *Magdalenenſis* Præſidem, dicto nupero minime obtemperantem Magiſtratu haudquaquam ceſſiſſe, tranſmiſſa ſunt à Delegatis mandata ut eundem illico deponeret præcipientia; quibus utique morem gerere ſi recuſaret, *Londinum* protenus per Accenſum abripiendus erat. Idem quoque *Pottero*, S. S. *Trinitatis*; *Radcliffio*, *Æneanaſenſis*; *Bayleio*, S. *Johannenſis*, Collegiorum Rectoribus; necnon *Ileſio*, *Gardinero*, & *Morleio*, Ædis *Chriſti* Canonicis, denuntiatur; quorum tamen ne unum aliquem juſſa Rebellium feciſſe deprehendo, aliis enim occulte ſe ſubtrahentibus, reliqui imperata præſtare palam detrectabant. Mandata porro eandem in rem ad prædictos [a] dabant Viſitatores, *Oxoniæ* conſidentes, ſed neque illis obtemperatum, ſolus *Radcliffius* valetudinem adverſam cauſatus diem ulteriorem bonis convaſandis popoſcit; quem tamen minime impetravit, verum (tanquam ſi humanitatem omnem exuiſſent uſu quotidiano cum Cœlitibus conjuncti) ſibi non integrum eſſe ajebant ejuſmodi quippiam Viro indulgere, utpote quem juſſis Parliamentariis obſecutum Præfecturâ, ineunte *Januario*, ceſſiſſe oportebat; quod ſi eandem jam ultro deponeret, & Gubernatoris jure omnimodo quoad Cœnacula abſcederet, apud Magiſtrum *Greenwood* (hic in Principalem cooptatus à Rebellibus fuerat) ejus gratiam interceſſuros [b] ſpondebant; ſperare autem dicebant eundem nullo in genere officii quod ad urbanitatem pertineret defuturum.

Eodem die, *Martii* nempe decimo ſeptimo, prodiit [c] citatio, quâ imperatur ut qui dicto Viſitatorio audientes hauddum fuerant, comparere cogerentur; ſub ea juris formula quæ *omnibus viis & modis* dicitur.

Et ſane Viſitatio Leonem minus truculentum, atque humi cubantem, imitari huc uſque viſa, cœdibus & rapinis graſſari jam tandem occœpit; adeo ut appropinquante *Paſchate*, ſævirent atrocius Rebelles, Chriſtoq; Domino angore & cruciatibus conformem aliquatenus redderent Academiam. Porro obſervari poterit quod niſi æquum & iniquum, validum atque irritum perinde habuiſſent, quicquid à noviſſimo illo confeſſu (quem utique de die in diem, prout Commiſſio tum ſua, tum Tribunalis cujuſque conſuetudo poſtularet, prorogaſſe debuerant) peractum fuerat caſſum & abolitum ex legitimæ prorogationis defectu pronuntiaſſent Viſitatores; cæterum quis levioribus juris humani tendiculis detinendos expectabit, qui juramentorum, conſcientiam arctiſſime obligantium, vincula toties perruperant? Boni quidem *Phariſæi*, qui *vitæ Dominum* morti olim dedere; interea, temporis admodum erant ſoliciti, nè Prætorium intrantes Seniorum ſcita, quæ omnipotentis Dei legibus prætulere, violarent: noſtri autem *Sancti*, quibus ordinatio Parliamentaria jus fecit in univerſa Dei præcepta graſſandi; neque vel illa Senatorum ſuorum decreta, per quæ alia omnia contempſerant, obſervare voluerunt.

Martii viceſimo (hic in diem lunæ incidit) *Radcliffium* adivit Mag. *Rogers*, *Novi* Hoſpitii Principalis, ut Præfecturam ſibi ſponte abrogaret (id enim vulgo creditum) perſuaſurus; eâ enim ratione cœnaculorum aliquorum uſum permittendum iri pollicitus eſt uſque dum convaleſceret: conſimili autem lege & habitaculorum ſuorum parte aliquandiu fruiturum Doctorem *Iles*, Ædis *Chriſti* Canonicum, uxori ejus promittebat *Newhouſius*.

Martii viceſimo primo, inter horas ſecundam ac tertiam pomeridianas, præſentes ſe coram Viſitatoribus, in Collegio *Mertonenſi* conſidentibus, ſiſtebant citatorum plerique; quos inter eminebat Doctor *Pitt*, Cuſtos Collegii *Wadhamenſis*, qui ad ejuſmodi [d] Quæſtiones reſpondere jubetur.

I. An Academiæ Judicium, ratum primo *Junii* in Convocatione habitum, comprobaret. "

II. An Reſponſionem Viſitatoribus per Delegatos Academicos, *Octobris* VIII. totius Univerſitatis nomine redditam, probaret. "

III. An Viſitationi iſti, per Commiſſarios, immediatâ Parliamenti authoritate conſtitutos, obeundæ, ſe ultro ſubjiceret. "

Ad ea vero Reſponſiones, à Doctoribus quarto *Novembris* prolatis re ipſâ minime diſſimiles, interpoſuit.

IV. *Qu.* Quænam decreta in conventu aliquo delegatorio, poſt primum *Junii* diem, condita fuere? "

Reſpondenti de iiſdem parum ſibi in præſentia conſtare, ſuper hac & quæſtionibus reliquis deliberandi ſpatium conceditur ad viceſimum uſque ſeptimum dicti menſis.

Illo autem dimiſſo, accerſitus eſt Mag. *Henricus*

[a] *Reg. Viſit. ut ſupra p. 7.* [b] *Ibid.* [c] *Ibid. p. 6.* [d] *Ibid. in Reg. Viſit. p. 8.*

Tozer,

Tozer, Collegii *Exonienſis* Sub-Rector, & ab eo [a] quæritur.

" I. Quænam Locationes per te alioſque Collegii *Exonienſis* Socios ab Urbis *Oxonienſis* deditione factæ ſunt?

" II. Quinam & quot in Scholares, vel Socios, Collegii *Exonienſis*, poſt inchoatam Viſitationem, admiſſi fuere?

" III. Annon uſum Liturgiæ, ex quo prohibita eſt, à te porro deſuetudini aliquantiſper tradita, in Collegio tuo revocaſti?

" IV. Annon Magiſtrum *Johannem Matthews*, è Collegio veſtro, precibus illis publicis intereſſe recuſantem corripuiſti, probriſque oneraſti?

" V. Cur Magiſtrum *Degorium Polewheele*, Virum facinoſorum, & ſanguinarium, muneris in Collegio veſtro fructum percipere ſinis?

" VI. Cur in *Roberti Teige*, Servientis, notiſſimis delictis connives?

" VII. Quam ob rem Sodalitio veſtro pulſus eſt *Thomas Voyſey*, Commenſalis?

" VIII. Cur non pœnas irrogaſti Magiſtro *Arthuro Bury*, Ædis veſtræ Socio, ob libellum famoſum, ſcandali, & periculi plenum, te ipſo audiente Orationis formâ divulgatum?

" IX. Cur *Nicolao Braine*, Juveni ingenioſo, & conſcientiâ teneriori prædito, animos ademiſti, cùm zeli ſuperſtitioni adverſantis indicia daret?

" X. Cur conſtitutionem viſitatoriam de prorogando Termino deſpicatui duxiſti, utque Adoleſcentibus ingenioſis, eidem obtemperantibus, mulctæ pecuniariæ irrogarentur permiſiſti?

" XI. Quænam pecuniæ ſummæ, quam in rem, & per quos, poſt menſem Junium an. CIↃDCXLVII. Delegatorum juſſu erogatæ fuerunt?

His ita quæſitis (quorum ſane notitiam Mag. *Johanni Conant*, Mag. *Antonio Clifford*, Mag. *Johanni Martin*, & Mag. *Roberto Hancock*, delationes in Collegio *Exonienſi* factitantibus, acceptam referebant Viſitatores) ampliandum ſe quoad reſponſionem impetravit *Tozerus*. Eodem vero die [b] Literas à Cancellario, *Ramsburiæ* in agro *Wiltonienſi* viceſimo *Martii* datas, percipiebant Viſitatores; quibus *Oxoniam* propediem perventurum ſeſe, & ſupremum in Academiâ Magiſtratum, prout nempe à Proceribus in Parliamento injungeretur aditurum ſignificavit. Interea vero ut à Provicecancellariis, Procuratoribus & Delegatis, primo *Junii* per Senatum Academicum delectis, majus illud Cancellarii ſigillum, necnon minuſculum ſive manuale, & Vicecancellariatus ac muneris Procuratorii inſignia, claves porro, codices, aliaque ſcripta, depoſcerent flagitavit. Quidnam autem eâ ex parte geſtum fuerit, & an prædictos ad ſe accerſierint Viſitatores, parum liquet; utcunque, ſatis conſtat libros & inſignia pleraque retro dicta Rebellium in poteſtatem tunc temporis neutiquam conceſſiſſe.

Martii viceſimo tertio per Plebeios in Parliamento congregatos ordinatum eſt, quod ab Archiſtratego peteretur, ut, quo feliciores in reformandâ Univerſitate Progreſſus fierent, Viſitatores, alioſq; eâ in re deſudantes, ſatellitio quali opus eſſet muniendos curaret. Ex eorundem quoq; conſenſu declaratum eſt, in deditionis *Oxonienſis* Articulis comprehenſorum nemini, cum Parliamento deciſuro, licere ut pro muneribus imperio donatis, aut fideicommiſſariis, aut pro cenſu inde proveniente paciſcatur.

CIↃDCXLVIII.

Martii viceſimo ſeptimo, qui Lunæ quoque dies erat, ex præcepto comparuit Magiſter *Tozer*, reſponſumque ad Quæſtiones nuper propoſitas ejuſmodi attulit: " A me quæſita diſciplinam & regimen " Collegii attingunt; pridem vero reſponſionem Sodalitii nomine edidi, non poſſe nimirum illud aliis " quam qui per ſtatuta decernuntur Viſitatoribus " abſque perjurio ſe ſubmittere. Eodem tempore intromiſſus eſt inſigniſſimus Vir Doctor *Sheldon*, Collegii *Omnium Animarum* Cuſtos, à quo, præter alia, ſciſcitantur Viſitatores;

Utrùm eorum agnoſceret authoritatem? "

Reſp. Nondum intelligo poſſe me, ſalvâ conſcientiâ, Imperio veſtro meipſum ſubmittere. "

Accerſito deinceps *Henr. Hammond*, Theologiæ Doctore, ab eodem quæritur (præter quæſtionem illam noviſſimè dictam) " Annon Delegatorum Aca- » demicorum de numero fuerit; condendis quoque, " ratiſque habendis rationibus, adverſus poteſtatem " Parliamenti viſitatricem militantibus, & in Convo- » catione primo *Junii* promulgatis, operam accommodârit? An Delegatorum porro Procerum & » Plebeiorum mandata, de Togatis nonnullis ex Æde » *Chriſti* muneribus amovendis, tanquam ejuſdem » Ædis Subdecanus divulgârit? »

Reſp. Mihi neutiquam incumbere arbitror ut ad » quæſtiones haſce, hunc in modum propoſitas, » reſpondeam.

Reſponſionem cautam adeo & reſtrictam interpoſuiſſe virum clariſſimum vulgo creditum eſt, ut accuſationis omnimodæ anſam Rebellibus præſcinderet; etenim ſi in quæſitis quicquam eſſet ad quod reſpondere non teneretur, nullum criminationibus locum relinqui omnino conſtabit.

Martii triceſimo, qui & Jovis erat, per Delegationem illam ſupremam (quam utique tranſmiſſis pridem literis, geſtorum ſuorum certiorem fecerant Viſitatores) ordinatum eſt, quod in contemptus egregii, ſummæque adverſus authoritatem Parliamentariam pervicaciæ, remedium, Sodalitii *Omnium Animarum* Præfecturâ exturbato Doctore *Sheldon*, Collegii ejus cuſtodia (quam vocant) Magiſtro *Johanni Palmer* demandaretur; quodque ejecto *Hammondo* in Ædis *Chriſti* Canonicatu, & Oratoris Academici munere, ſuccederet Magiſter *Edoardus Corbet*, Viſitatorum alter. Porro, quod amotis Doctore *Johanne Wall*, & Doct. *Roberto Payne*, Ædis *Chriſti* Canonicis, eorum in locum ſufficerentur Mag. *Corniſh*, Miniſtrorum ſupra dictorum alter, & Mag. *Johannes Mills*, Juris Cæſarei Studioſus, & in Viſitatorum catalogo reperiendus. Porro cum nuperrime contingeret Doctorem *Morris* Linguæ Hebraicæ Profeſſorem è vivis exceſſiſſe, Rex *Carolus*, Mr^um *Edoardum Pocock*, è Collegio nuper *Corporis Chriſti*, in Ædis *Chriſti* Canonicatu ac Linguæ Hebraicæ Prælecturâ ſucceſſorem nominavit; quod Donum intercedente *Seldeno* regni Ordines ratam habuere, quanquam brevi poſtea Canonicatu mulctarent.

[a] *Ibid. in Reg. Viſitatorum p. 9.* [b] *Ibid. p. 8.*

Quoniam vero ex quadam Procerum & Plebeiorum ordinatione, ſecundo *Martii* an. CIↃDCXLVII. condita, Ædis *Chriſti* Decanatu ſpoliatus erat Doctor *Samuel Fell*, à Viſitatoribus die iſto, *Martii* nimirum triceſimo, prodibant [a] mandata, præcepto ut in cœnaculorum ad ipſum pertinentium poſſeſſione qui eſſent, loco confeſtim cederent, boniſq; omnibus deportatis, Magiſtro *Reynolds* habitacula traderent; quo is nempe præfati vices & in Sodalitii ejus Præfecturâ, & in ipſo Vicecancellariatu, exequeretur. At vero nullius momenti habito ejuſmodi edito, tametſi publico cœnaculorum oſtio affigeretur, pedem nemo proferebat, quin Decani uxor una cum natis & famulis (ipſe autem *Londini*, in cuſtodia detinebatur) concredita ſibi animis præfractis retinebant; ſpretâ plane frementis conciliabuli indignatione.

Eodem die ſuſpenſione à munere ſuo per Viſitatores [b] plectebatur Magiſter *Johannes Webberley*, Collegii *Lincolnienſis* Subrector (exterminatum penitus dein offendo) quod ſcilicet ex pervicaci (ut ipſi perhibuere) Juris Comitiorum immediati contemptu, probris eoſdem & convitiis in binis quibuſdam conceſſibus onerare ſuſtinuerat; adhibito etiam in ſui excuſationem argumento procaci, id à ſe potiſſimum fuiſſe præſtandum, quoniam Graduatos in Academiâ omnes Ædiumque Socios veſtigia ſua ingreſſuros, & exemplum laudabile ſecuturos ſperaret. Diebus eodem & proxime prægreſſo Graduatos alioſque Academicos calumniis variis onerârant Delatores, noctivigationis, intemperantiæ, perturbatæ pacis, necnon violatorum multis modis (ſpeciatim vero Milites Præſidiarios injuriis graviſſimis laceſſendo) articulorum, in deditione *Oxonienſis* præſidii pactorum, inſimulantes; adeo ut criminationibus turpiſſimis pronam fidem habentes Viſitatores, in Togatos novos irarum prætextus ſumſerunt, ejuſmodi ſe delicta pro eo ac eſſent merita [c] ulturos deinceps interminati. Poſt hæc [d] edictum, ut quicunque emolumenti quippiam è conditionibus in dedendâ Urbe pactis ſibi vendicarent, cauſas ſuas cum earum firmamentis in diem *Aprilis* ſextum Viſitatoribus explicarent. Die autem ſupra dicto, moras nectere Togatos, & Reformationem quam vocabant *illuſtrem* retardare, advertentes, cauſarum ſingularum cognitionem in diem proximi menſis octavum rejecerunt Viſitatores, adferendas tunc temporis, & ſubſcripto cujuſque nomine uni cuivis ſuorum de numero tradendas, à quinis vero quibuſque vel pluribus ventilandos decernentes. Atque hæc ideo conſtituta quoniam. I. Academicos plures in ſui defenſionem aſſerere animadverterent, nihil ſemet operæ auxiliive cogendis adverſus Parliamentum copiis contuliſſe; ſed neque coactas ullo modo adjuvaſſe. II. Aliis porro apologiam inde ſumi, quod arma non alibi quam *Oxoniæ* præſidio munitæ, idque ex mandato diſtrictiſſimo, geſtârant; qui articuli propterea decimi ſexti, inter dedendæ Urbis conditiones pacti, fructum ſibi vendicarent.

Martii triceſimo primo (hic in diem Veneris incidit) per Delegatos *Weſtmonaſterii* conſidentes cautum eſt, nequis poteſtatis Parliamentariæ quoad viſitandam Academiam aut impugnatæ aut improbatæ compertus, vel deinceps comperiendus, ſuffragii jure in Convocationibus aut Congregationibus Togatis frui permitteretur.

Aprilis primo (diem in hunc Saturni & *Paſchatis* vigilia incurrebant) circa meridiem, conſulta plurima, *Weſtmonaſterio* tranſmiſſa, de viris quos triceſimo *Martii* memoravimus muneribus exturbandis, accepere Viſitatores; eamque ob rem ad Ædis *Chriſti* Refectorium Sclopetariorum ſatellitio ſtipati properantes, Doctori *Hammond* per Mandaratium ſuum, Militum altero munitum, præceperunt ut ſacro illo ipſo veſpere ſtatim adeſſet, ſeq; Oratoris publici munere atque Ædis prædictæ Canonicatu ejectum coram ab ipſis cognoſceret; ea utique erat Rebellium pietas, ut parum viderentur profeciſſe quod terreſtria invaſiſſent jura, niſi & à cœleſtibus avocarent, & ſacræ ſynaxeos pane non minus quam quotidiano averterent & ſpoliarent. Cæterum ejuſmodi dogmata ex evangelio, quod luculentiſſimis commentariis tunc temporis illuſtrabat, jampridem hauſerat vir clariſſimus, ut nullæ injuriæ tranquillæ mentis pacem potuerint violare, aut à ſtatu dejicere. Poſt hæc vero Togatos porro alios ad ſe accerſebant, quorum tamen ne unus aliquis comparuit præter Doctorem *Wall*, qui animo deinceps turpiter ſuccubuit, & Rebellium ſeſe juriſdictionem agniturum verbis haud obſcuris oſtendit; quapropter munere poſtmodo quo privatus aliquandiu fuerat denuo donatus eſt. His autem peractis, propalato in Refectorio præfato [e] juſſo citatorio Canonicis, Studentibus, & reliquis Sodalitii ejus membris edicunt Viſitatores, ut in Ædibus Decani, die proximo Lunæ, inter horas nonam & undecimam matutinas, comparerent.

Aprilis tertio, qui & prædictus Lunæ dies erat, horâ octavâ matutinâ ad Ædem *Chriſti* contendebant Viſitatorum nonnulli, ac nominatim *Nathanael Brent*, Eques auratus, Mag. *Henr. Wilkinſon*, Mag. *Cheynell*, & Mag. *Harrys*; Decani utique Ædes, in quibus expectandi erant quos eodem nudiuſtertius evocarant, ex condicto intraturi; verum præcluſis foribus ingreſſu ſeſe prohibitos reperientes, *Andreæ Burrough*, Accenſo militari infrâ præſidium *Oxonienſe*, ut adducto ſecum firmo Sclopetariorum ſatellitio è veſtigio adeſſet per nuntium mandabant. Malleis inde aliiſque Fabrorum ferramentis feras diſjecere, Dominamque *Fell* in conclavi ſedentem deprehendentes migrare protenus jubent; porro hortantur ut ſe poteſtati Parliamentariæ morigeram præſtaret, nec Regni ordines adverſus maritum ejus admodum commotos, ſuâ pertinaciâ etiamnum irritaret: ſed illa neque ex minis, neq; ex blandimentis, loco cedere in animum induxit. Proinde militum manipulum in ædibus collocant, non adeo ut domum quam per vim & injuriam occuparunt, munirent ſibi & tuerentur; ſed magis ut fortiſſimæ matronæ animum frangerent, & indigniſſimis injuriis fatigarent. Illa ergo propriis in ædibus exul ſimul & captiva, inter militares rixas & tumultus, perpetuos Nicotianæ fumos, comeſſantium ructus & pædorem, alacri & erectâ mente egit.

Quin egregii Graſſatores, in alterâ negotii quod moliebantur parte, nimirum conveniendi Collegii Alumnos, quemadmodum admonuerant, luſerunt operam. Poſtquam ergo aliquandiu fruſtrà expectaſſent, nemine excepto delatore uno aut altero adveniente, ad *Mertonenſes* receſſere. Eundem diem infamem reddidit Doctoris *Sheldon*, Cuſtodis *Omnium Animarum* digniſſimi, ejectio, Cœnaculorum ſuorum foribus affixa; publicatâ pariter Mag. *Johannis Palmer*, in Medicinâ Baccalaurei, & è Domo Parliamentariâ inferiori Senatoris, ad id Muneris Electione. Cæterum quota hæc pars malorum noſtrorum! & tamen rei literariæ quam abunde funeſta! enimvero ſi editas poſt paulo Artium ingenuarum (pulſis nimirum Patronis earundem & Profeſſoribus

[a] *Ib. in Reg. Viſitatorum p.* 10. [b] *Ib. p.* 11. [c] *Ib. p.* 12. [d] *Ib. p.* 12.

eruditis

eruditis ad unum quasi omnibus) strages inspiciamus, leves hasce pugnasque umbratiles dixerimus.

Aprilis quarto Cœnacula Doctoris *Newlin*, Collegii *Corporis Christi* Præsidis, ac Provicecancellarii nuper Academici, unà cum Tribuno ante dicto, Militum præsidio, & Mandatario suo adibant Visitatores; foribusq; expugnatis (præclusas enim reperiebant) Codices, Claves, Sigilla, Scriptaque omnia & Insignia ad Munus Vicecancellarii spectantia, necnon Bedellorum Baculos sedulo explorabant; irritâ tamen operâ, præter Gladium enim & sclopetorum equestrium par (quæ quidem famulis suis deportanda tradidere Prædonum publicorum ministri) nil quicquam deprehenderunt. Eodem die ad Doctorem *Saunders*, Collegii *Orielensis* Præpositum, transmissæ sunt Quæstiones binæ, sic se habentes:

„ I. An Visitationi præsenti teipsum submittis?
„ II. An Comitem *Pembrochiensem* hujus Univer-
„ sitatis Cancellarium, ac Magistrum *Reynolds* Vi-
„ cecancellarium agnoscis?

His autem, unà cum spatio Responsioni adferendæ concesso, ad Virum perlatis, *Oxoniâ* se illico proripuit, neque coram Rebellibus comparuit.

Aprilis sexto, Portæ Scholarum utriusque valvis, aliorumque passim Ædificiorum Parietibus & Columnis affixum est Visitatorum Programma, quo nempe in Domo Convocationis, die proximo, inter horas secundam ac tertiam pomeridianas, adesse jubentur,

I. Quicunque suffragia ibidem ferendi potestatem sibi vendicent;

II. Doctor *Potter* Collegii S. S. *Trinitatis* nuper Præses (siquidem Tyrannorum Edicto exturbatus inde jam fuerat) & Doctor *Newlin*, Collegii *Corporis Christi* Præses, Provicecancellarius utique Academicus:

III. Magister *Waring* & Mag. *Hunt*, Procuratores:

IV. Delegati in Convocatione illâ spuriâ (sic maxime veram & genuinam appellant) primo *Junii* an. CIↃDCXLVII. coactâ, cooptati; ac demandatum habentes Argumenta quædam & scrupulos totius Universitatis nomine Visitatoribus deferre.

Prædictos autem eo in unum consilio compellendos decrevere Tyranni, ut Vicecancellariatus & muneris Procuratorii Insignia, necnon Bedellorum Baculos, detinentibus extorquerent.

Aprilis septimo, pulsatâ de more Campanâ, domum Convocationis intrabant Visitatores quotquot *Oxoniæ* agerent, frequentiam Academicam ibidem comparituram frustra sperantes; etenim præter Doctorem *Hood*, Collegii *Lincolniensis* Rectorem, ac Magistros decem (Baccalaureos enim, Non-graduatos, aliosque eódem confluentes, ut rei novæ interessent, & Subsellia nullo jure occupantes referre quid attinet?) Togatum neminem reperiebant, cui Suffragium ferendi jus competeret. Utcunque, Scita quædam & Ordinationes de abrogato Vicecancellario, Provicecancellariis, & Procuratoribus Magistratu, de Insignibus tradendis, &c. palam recitandas curabant; quibus perlectis, consurrexit Mag. *Thomas Smyth*, Clericorum *Magdalenensium* alter summâq; animi præsentiâ *quo jure ibidem considerent, & cur academici nulli contra singula eorum gesta protestarentur* Idiomate latino rogitabat; de Responsione vero (quam quidem haud ita pronum erat adornare) minime laborandum arbitrati, sibi invicem insusurrabant rei nostræ publicæ direptores *mente turbatum esse hominem.*

Aprilis undecimo (dies hic Martis erat) iter *Oxoniam* versus instituit *Pembrochiæ* & *Montis-Gomeri* Comes; deducentibus *Caernarvoniæ* Comite, nepote suo; *Jacobo* & *Johanne*, filiis; aliisque loco haud obscuro ortis, quales erant *Alexander* ac *Edoardus*, *Pophami*, chiliarcha uterque, &c.

Comitem primo dictum Cancellarii Munere multis de causis exutum, atque eodem denuo à Regni Ordinibus donatum prædiximus. Hunc *Ramsburiæ* agentem Procerum consessus iter huc maturare peculiari rescripto admonebat, scil. ut potestatem sibi asereret; quâ ob egregia erga Rempublicam merita injuste fuerat depulsus, invadente interim Marchione *Hartfordiæ* ejusque impudentissimo Deputato, (sic enim ipsis loqui placuit) Doctore *Fell*; qui pro immani & ferreâ suâ fiduciâ post *Oxoniam* armis diu receptam, & Senatus consulta frequenter interposita, se etiamnum pro Vicecancellario gerere non dubitaret.

Sed his omissis *Abendoniam* usque perrexere Visitatores, Cancellarium excepturi. *Nathanael Brent*, Eques auratus, Doctor *Johannes Wilkinson* Aulæ *Magdalenensis* Principalis, Mag. *Reynolds*, & Mag. *Corbet*, eodem Essedo vecti sunt. Mag. *Rogers* & reliqui Visitatores, Ædium quoque Præfecti nonnulli, & Procuratores à Parliamento constituti, una cum Parochis quibusdam agrestibus (hi filios suos, munerum Academicorum spe allectos, *Oxoniam* perduxerant) & Scholaribus aliquibus (qui Rebellium freti patrocinio exterminii funesti, propediem futuri, fructum captabant) Equis insidebant, quorum numerus centenario minor non erat; in foro autem *Abendonensi* ampliissimo militarem in modum ordinati bina quasi cornua efficiebant, Cancellarii Essedum utrinque stipantia, quem ibidem adeuntes Prætor & reliqui Municipii ejus primores, vini cyatho dum curru adhuc veheretur donabant. At vero cùm *Oxonienſibus* se adjunxissent qui Comitem prosequebantur, Ruricolas bellorum illico metus haud levis incessit, confertam nempe clientum multitudinem pro Copiis equestribus habentes, atque è pagis undique vicinis advolantes, ut tantæ hominum frequentiæ quid consilii subesset explorarent.

Hoc eodem die Consessus judiciales, tertio quoque Mense celebrari consoliti, *Oxoniæ* habebantur, quibus cum interessent Agri illius Eirenarchæ (qui scilicet inter Delegatos *Westmonasterienses* locum obtinebant, & quorum nonnulli Visitatorum porro de numero fuere) obviam Cancellario incedebant; quales erant *Gulielmus Cobbe*, Eques auratus, D. *Gul. Typping*, & D. *Johannes Cartwright*; quos aliquanto post subsecuti sunt Præsidii *Oxonienſis* Præfectus, cohortibus aliquot stipatus. In pompæ hujus cumulum præsto aderat, Mr *Smyth* Artium Magister è Collegio *Magdalenensi* suprà memoratus, qui Asellum probe instratum comparans, ad deducendum Cancellarium se accinxit, cumque ex amicis nonnulli monerent ut à facto tam ridiculo abstineret joco respondit, *Asellum suum propediem Comites benè multos habiturum.*

Cohortes quas dixi in procinctu stare jusserat Præfectus, & Cancellarii adventum præstolari; Urbem vero ingressum postquam excepere milites, ex utroque Plateæ latere incedentes, pulsatis Tympanis Signisque erectis & expansis honorifice deducebant; quod quidem opus omnino tunc temporis erat, neque enim vel genuflectendo vel caput aperiendo expectatam prætereunti reverentiam præstabat Spectatorum quisquam; sed & illi pauciores longe erant quam qui in expetitum Cancellarii cujuspiam adventum effundi solent. Campanarum tamen Parochialium

chialium plurimarum pulsatione exceptus est, quod *Nixono* Prætori, Viro Rebellium partibus nimis addicto, potissimum tribuendum. Quod alios attinet, (& hi sane pro eorum qui aderant numero haud infrequentes erant) Pompam funebri quavis magis lugubrem torvis oculis prosecuti tacitis Dominos impotentes obmurmurationibus execrabantur, quos stercore & lapidibus obruendos iri nemo dubitabat, si validum quo cincti erant Satellitium abfuisset.

In Plateâ *Altâ*, ad Portam Ædis *Christi* amplissimam, (ibi vero Togati quoque, quotquot Parliamento studerent, neque Equos modo comparare poterant, consistebant, lætis Comitem acclamationibus excepturi) Cancellarium præstolabatur Academicorum aliquis, quem tamen Equo jam vectum detinere non est ausus, prohibente quo minus id fieret quæ sub id ingruebat pluvia; cæterum ne prorsus intereat Viri ejus Eloquentia, en tibi Lector ipsam oratiunculam, ex Anglicano transfusam, tuque dixeris annon pulchros in re saltem literariâ progressus fecerit Gens togata cùm in fanaticam abiret Universitas.

Domine

„ Circumseptus undique es, & ne inter Ædem „ *Christi* & Collegium *Pembrochiense* officiis delas„ seris brevis ero ac dilucidus:

Domine

„ Absque proœmio & Ceremoniâ gratus nobis „ est adventus tuus. Loci Genius Te Cancellarium „ salvere jubet. Musæ ante alias severæ frontem „ corrugatam explicant, Gratiæque renidere occi„ piunt. Musæ & Gratiæ succlamitant, salve *Pem„ brochiensis*. Audi, ut resonat Collegium tuum! „ Ab Ædificiis edocti Scholares laudes tuas remit„ tunt, & advenienti gratulantur. Audi quemadmo„ dum remugiunt, ter gratus ades nobilis Cancellarie, „ gratus ades *Pembrochiensis*.

Exhibere porro lubet ejusdem farinæ Oratiunculam aliam, Idiomate & Argumento præmissæ haud absimilem; quæ tamen, interveniente quem prædiximus imbre, palam non est prolata.

Domine

„ Mihi perinde ac Dominationi vestræ festinandum, „ neque propterea incivilis adeo fuero ut te civilita„ tibus diutius detineam. Accendi Juvenes, amore „ licet, animadverto, Amor autem ipse & Gaudium, „ cùm Gaudio abripiuntur Juvenes, inurbana sunt „ ac turbulenta. Aspice, ut sursum jactari occipiunt „ eorum Pilei, & revera nisi te præsente Capitibus „ nudatis procurrere in animo esset, Capita ipsa & „ Crura abjicerent. Aspice motu præ gaudio luxatum „ brachium; Tibia illa loco proprio turbata est, ad „ Corpus vix unquam regressura. Cæterum immu„ tandus nobis est stylus & habitus, iisque ceden„ dum quorum prudentia & gravitas ad negotia in„ stantia, & apud cogitationes tuas quam maxime „ serias majoris momenti, ipsos evocarunt.

Sed de his hactenus. Ad *Quadrivium* **Quatervois**, atque inde ad Collegium *Mertonense* perrexit Cancellarius; comitantibus, præter antedictos, ipsius Urbis fœce & colluvie. Ad portam vero Sodalitii publicam appropinquanti obviam, Togâ indutus, processit *Cheynellus*; & salutem Dynastæ Visitatorum reliquorum nomine comprecatus, hunc in modum Idiomate Anglicano, peroravit.

Honoratissime Cancellarie

Mihi incumbit Dominationi vestræ significare « quid de pulchris vestris Insignibus, antiquis Mu- « neris tui proprii ornamentis, factum sit. Claves, « sigilla, & Codices emphatica sunt honoris indicia, « & ad felicis hujus diei celebritatem plurimum desi- « derata; & tamen cogitationes quam maxime serias « recolenti persuasum est, non aliâ Dominationi vestræ « gratissimæ opus esse Clave quam Integritate pro- « priâ, ut in pectora nostra admittaris. At vero neq; « diffitemur alias esse claves, claves utique Potesta- « tis; en tibi Domine Civilis Potentiæ [a] clavem, « cujus ope ad Curiam Cancellarii celebrandam, « necnon ad Suffragium in Convocatione ferendum, « intrabis; en etiam sigillum quo suffragia per Domi- « nationem vestram aliosque, quotquot è Convo- « catione semet suffragando haudquaquam ejecerint, « ferenda munientur.

Domine. Visitatores & qui Loci hujus, erudi- » tione clari, Doctorum [b] senior, Sigillum istud ad « instar pretiosissimi Ceimelii habent, atque apud « dominationem præsertim vestram tutò deponen- « dum arbitrantur, utpote quem ad summam cele- « berrimæ hujus Academiæ utilitatem, secundum « Ordinum præcepta, eodem confidunt usurum. «

In confesso est, Domine, Bedellorum nostrorum « Baculos alios *duplici reatu* imbutos esse, alios metu » *expallescere*; atque iisdem *Grallarum* loco usos « nonnullos, quibus utique res sua inclinata aut cau- « sa imbecilla niteretur: at vero de his satis, mihi « enim festinandum.

Domine: à me petitum est, ut Pietatis & Erudi- « tionis nomine gratias tibi publicas & solennes age- « rem, pro beneficiis quibusque insignissimis quæ in « magnum istud Religionis juxta & Doctrinæ Profe- « minium contulisti.

Domine: optime advertit Dominatio vestra, Aca- « demiam nullam florere posse, quæ Statutis salutari- « bus, Legibusque æquis neutiquam administretur; « & revera Domine agnoscamus oportet Dominatio- « nem vestram nobis transmisisse optimos Statutorum « Codices, Dei nimirum potentis Statuta regalia, Lin- « guis primigeniis exarata.

Hujus Urbis Agrique Incolæ eximium Libri tui « pretiosi tegumentum demirentur; Literati autem « probe norunt thesaurum intus esse reconditum.

Domine: à Te docti qui Notionibus & Judicio « altissimo præditi sunt, veram Religionem esse rem « eruditam fatentur. En [c] vobis Scholares omnium « Artium & Scientiarum quintam Essentiam & Medul- « lam, necnon, excelsissimæ Prudentiæ Ethicæque di- « vinæ præcepta. Hic Calathus est gemmis refertus, « Hoc Cœlum stellis consitum, Hic Liber Deo ple- « nus.

Domine: Majestatem sancti Spiritus infallibilem, « Linguis bisulcis & quasi ignitis, in sacrâ paginâ « eloquentem veneramur; sed mehercule Domine *An- « glos* Linguâ Anglicanâ compellare præoptamus; ac « proinde, quod Protestantium eruditorum Acade- « miam decet, Paginam eandem sacram Linguâ ver- « naculâ donatam Dominationi vestræ reddimus.

Domine: Scripturas hasce tanquam necessariam, « puram, perspicuam, perfectam, omnibusque nume- « ris

[a] *Clavem Domus Convocationis & Sigillum fictitium tradit.* [b] *Dr* Joh. Wilkinson. [c] *Biblia sacra auro speciosum in mi- dum oblita integra Academiæ nomine porrigit.*

„ris unice absolutam fidei & morum Regulam am-
„plectimur: & in Professione, Praxi, ac Defensio-
„ne salvatricis hujus fidei tecum vivemus tecum
„moriemur.

Hac finitâ Oratione Portam Collegii Equo vectus intravit Cancellarius, quem alterâ mox, eâque latinâ, excepit Magister *Radulphus Button*, Procurator electus, Sociusque *Mertonensis*; his eandem verbis auspicatus (integram enim referendam non duco, brevitati studens) *Faveas quæsumus (Honoratissime Cancellarie) genti nostræ jam denuo togatæ, &c.* Deinceps vero sese ad Custodis Cœnacula conferente Cancellario; per Plateam *Altam* remeârunt qui eundem deduxerant Munerum Academicorum captatores; quos quidem, ut par erat, sibilis & Clamoribus mirum in modum exercebat vulgus. Demerendo tamen Comiti neutiquam defuere Municipes, quippe vixdum confederat ille cùm Prætor urbanus fratresque Aldermanni ad *Mertonenses* advolarent, & impetrato à Sociis priusquam Collegii Portam subirent, ut erecto de more Magistratus Gestamine progrederentur, ad *Pembrochiensem* perrexere, à quo perbenigne sunt excepti; qui ut gratiam rependerent, Virum & oratione per Recordatorem, quem vocant, suum habitâ, & (quæ longe jucundior) summâ pecuniæ haud contemnendâ donarunt.

Aprilis duodecimo (dies ille Mercurii erat) tempore matutino ad Ædem *Christi* contendebant Cancellarius ac Visitatores, manu militum haud invalidâ & frequentiori hominum multitudine stipati. Decani autem Domum ingressus *Pembrochiensis* Dominam *Fell*, conjugem Decani *Londini* in custodia detenti admonuit, ut iisdem ædibus excederet, rem Deo Patriæque gratam eâ ratione facturam subjiciens; jussa vero facere detrectantem convitiis prosequebatur, porro Milites cathedra in sublime raptam foras extulere, quod idem de matronæ filiabus fœminisque aliis honesto loco natis referendum, quarum altera nil quicquam contristata, non dubitare se aiebat quin Ædes illas pedibus denuo intraret, neque præsagientem expectatio denique fefellit. Dominam autem primo dictam per injuriam summamque Tyrannidem Ædibus suis exturbatam ad *Quadrivium*, atque inde ad Pharmacopolæ cujusdam domicilium, è regione *Omnium Animarum* situm, deducebant *Morleius*, *Payneus* & *Hammondus*, Doctores; ubi ipsa cum famulatu aliquando est commorata. His vero peractis ad Collegii Refectorium proficiscuntur Visitatores, & allatâ Sodalitii matriculâ, deletoque nomine Doctoris *Fell*, ejus in locum *Reynoldsium* substituunt. *Hammondi* quoque, Canonici & Subdecani, Muneribus donatur *Corbettus*; & *Gardinero* suffectus est *Rogersius*. Eodem jure Doctorem *Payne* Magister *Johannes Mills*, Judicis Advocati partibus in Exercitu functus; Doctorem *wall* Magister *Cornish*; Dorem *Iles* Magister *Henricus Wilkinson* sen. Doctorem *Morley* Magister *Langley*, Collegii *Pembrochiensis* Præfectus, exceperunt. Doctorem *Robertum Sanderson* quod attinet, tunc temporis dispunctum non est nomen ejus; utpote quem in ulteriorem diem ampliandum censebant Rebelles, quod peregre abesset cùm citatio novissima prodierat. Post hæc Convocationem in horam secundam pomeridianam Collegiatim indixit *Johannes Langley*, Scissor, & Bedellorum inferiorum alter; sed neque Baculum argenteum, quod fieri antiquitus consueverat, gestabat, neque eo pollebet ingenio ut formulam quâ Senatores Academici convocari solent memoriter condisceret; quin & in perlegendâ turpiter lapsus, dum extremam clauderet, loco *per fidem, per fidem, per fidem*, **provided, provided, provided**, ingeminavit; quo errore risum Togatis haud modicum excussit.

A meridie, horâ quasi secundâ, Collegio *Mertonensi* egressi ad Scholas tendebant Cancellarius, &, præter alios potioris notæ haud paucos, *Caernarvaniæ* Comes; comitantibus Equitibus, Generosis, Doctoribus, Artium Magistris, aliisque è Collegio potissimum *Pembrochiensi*, Hospitio *Novo*, & Aulâ *Magdalenensi*, Graduatis; quippe quos Regiorum prolectabant spolia, ac Tyrannorum observantissimos reddebant. Præibant viri quinque Togis quidem induti, Baculis autem neutiquam instructi; quos utique Bedellos haud ita pridem renuntiarant Ordines. Prædictos vero, rerum plane novarum (neq; enim ejusmodi quippiam post fundatam Academiam obtigerat) cupidine ducti, subsequebantur Tyrones Academici, & Servientes, una cum Dynastarum ac generosorum famulis, & Colluvie urbanâ. Cancellarium in Proscholio comparentem oratione latinâ aliquandiu detinuit Magister *Corbet*; Visitatorum alter, & publicus Universitatis Orator; quæ prolixior cum sit quam ut locum sibi in hoc opere vendicet, omittendam censeo: ejusdem vero initium sic se habuit;

Honoratissime Cancellarie

Ne mirum videatur si Munus hoc oratorium, & aura Academica parum jam spirêt Oratoris, parum Academia, &c. Pembrochiensem vero ab animo ad rem nostram literariam sublevandam paratissimo, à Bibliis quoq; retro memoratis, & Universitati donatis collaudavit; eâ quidem ex parte Fratrem *Gulielmum*, Academiæ olim Cancellarium, secutum perhibens, qui Codices *Græcos* Manuscriptos, aliosque cujusvis pretii Libros Bibliothecæ publicæ consignavit; adeo ut eorum familiæ hæreditarium quodammodo videretur Universitatem *Oxoniensem* beneficiis cumulare. Domum inde Convocationis ingressus Cancellarius, pulcherrimâ ejusdem specie ac structurâ oculos aliquandiu pascebat, Cathedramque dein, considentibus una Visitatoribus, Doctoribus, & Magistris, occupavit; ipso autem poscente Convocationis causam in hæc ipsa verba declaravit *Brentius*:

Causa hujus Convocationis est, ut negotia ad publicum bonum Universitatis tractarentur & discuterentur.

Subsellia vero potioris notæ Academicis vacua tunc temporibus erant, Doctorem *Richardum Zouch*, Aulæ S. *Albani* Principalem; *Herbertum Pelham* L.L. Doctorem Magistrum *Robertum Williamson*, inter seniores Collegii *Magdalenensis* Socios; denique Magistrum *Johannem Rouse*, Bibliothecæ *Bodleianæ* Custodem; si excipias. Non-Graduatis autem sive Tyrunculis (quibus utique Concilio Academico interesse ab omni ævo vetitum) Servientibus etiam ac Generosorum famulis, &, quod maximè nefas, Oppidanorum Mancipiis scatebat Senaculum; & his quidem, nemine interpellante, Sedilium Magistralium copia fiebat. Ab inde vero, Consultum Parliamentarium, de Magistro *Reynolds* Decano Ædis *Christi* renuntiato, & in Vicecancellarium Academicum cooptato, deque eodem Theologiæ Doctoratu donando, (quod jus Reges & Imperatores sibi non arrogant) jussus recitavit *Gulielmus Newhouse*, Visitatorum Actuarius. Cumque consultum illud Idiomate *Anglicano* conscriberetur, quo Senatum hunc nostrum illumque supremum expeditius intercederet commercium, & *Sanctis* prospiceretur quibus non adeo promptum loqui lingua meretricis *Babylonicæ*, scitum imprimis est quod Acta Convocationis linguâ itidem vernaculâ

vernaculâ ederentur. Executioni post hæc tradita est Ordinatio quâ jussi sunt Togati Magistrum *Crosse*, è Collegio *Lincolnienſi*, & Magistrum *Button*, è Collegio *Mertonenſi*, sibi in Procuratores assumere. *Reynoldſium* quod attinet, priusquam Cathedram Vicecancellarii capesseret, ejusmodi Sacramento adactus est: „ Fidem tuam astringes ad observanda statuta, „ Libertates, Privilegia & Consuetudines hujus „ Universitatis, rite stabilita, ita tamen ut Authori„tati & Potestati Parliamentariæ subjaceant; atq; „ id præstabis quoad ex Munere & Officio ad quod „ nunc admissus es evocabere. „ Consimili sub formâ jurejurando dein onerantur, & Magistratum inferiorem suscipiunt Procuratores: atque Orationem postmodo facundam & perpolitam habuit *Reynoldſius*, quam in hæc verba inchoavit:

Nobiliſſime Cancellarie, clariſſimi Academici, Viri, Patres, & Fratres in Chriſto dilectiſſimi; ſi mihi res meæ ex voto cederent, ſi ad privati affectus Normam vitæ ſtudiorumque rationem componere licuiſſet, non ego hodierno die in doctiſſimorum hominum conſeſſu comparuiſſem, &c.

In Oratione vero illâ modestiam egregiam ostentabat, prudentiæ nimirum suæ derogans. Quippe querebatur cùm muniis pridem civilibus seipsum subduxerit, quam difficile sibi foret, tempestate præsertim tam asperâ & turbulentâ, Gubernaculum quodcunque moderari. His autem subtexuit, quod, quoniam ad eorum nihilo secius nutum qui cum Imperio essent se totum accommodârat, ex animo cuperet, ut in Reformatione illâ Exemplis salubribus & Consilio plus valerent quam pœnis & severitate. Eruditè porro peroravit Magister *Crosse*, Procurator senior, Muneris ejus cupiditatem omnimodam & ambitionem à se amolitus. Magistratibus autem & Officiariis per impotentissimam Tyrannidem instructo Senatu, Visitatoribus haud incongruum videbatur, ut pulsorum emolumentis aucti Gradus quoque Academicos eodem jure invaderent; quapropter, ut *Caernarvaniæ* Comitem, D. *Jacobum*, & D. *Johannem*, *Herbertos*; *Gulielmum* quoque *Cobbe*, Equitem auratum, & *Gulielmum Typping*, Gen. ac *Johannem Cartwright*, Arm. cum aliis nonnullis, ad Gradum pariter Magistralem per *Brentium* præsentatis, prætermittam; Theologiæ Doctores creantur Mag. *Harrys*, Magist. *Corbet*, &c. Visitatores, per Dⁿᵉᵐ *Johan. Wilkinſonum*, Aulæ *Magdalenenſis* Principalem præsentati, & per *Reynoldſium* Vicecancellarium admissi. Medicinæ quoque Doctoratu insignitus est Mag. *Palmer*, ad Collegii *Omnium Animarum* Præfecturam à Rebellibus nuper evectus; quem, quia Facultatis ejus Doctores omnes aberant, ad Gradum præsentavit *Nathanael Brent*, Eques jam crebro memoratus.

Eodem tempore Theologiæ Baccalaureatu ornatus est *Cheynellus*, quem quidem Gradum consecutus an. CIↃDCXLI. fuisset, nisi contra Edictum regium, Prædestinationem inter concionandum attingendo, gratia excidisset. Supplicavit autem ille & impetravit ut, quoniam Exercitia ad Theologiæ Baccalaureatum requisita ante septennium præstitisset, eodem quoad senioritatem in loco esset ac si Gradu tunc temporis auctus fuisset. Ejusdem insuper Facultatis Baccalaureatu cohonestantur Magister *Langley* & Magister *Corniſh*, Ædis *Chriſti* ex Tyrannide nuperâ Cannonici, necnon Magister *Johannes Wilkins* ex Aulâ *Magdalenenſi*; per Doctorem *Johan. Wilkinſonum* præsentati, & per Vicecancellarium admissi. Gradibus hunc in modum collatis, Senatoribus Academicis, significatum est, verba quædam in Diplomate quo Cancellariatu pridem donabatur Marchio *Hertfordienſis* reperiri, quibus Cancellarii hodierni animus gravissime offenderetur; quæ proinde palam recitata cum essent uno omnium consensu delentur. Declaratum insuper à *Brentio* quod ex Consulto quodam Parliamentario *Johannes Blagrave*, Artium Magister, in Theologiæ; *Richardus Campion* in Artium & Medicinæ; *Bernardus Hore* in Juris Civilis Bedellum Armigerum, sive superiorem; *Antonius* autem *Fido* in Theologiæ, & *Johannes Langley* in Artium & Medicinæ Bedellum inferiorem cooptatus fuerat. Felicem se postmodo deprædicavit Cancellarius, cui tam illustris tamque ad vices suas obeundas idoneus obtigerat Deputatus; eique Sigillum statim in manus tradidit, una cum potestate eâdem, quatenus id ex æquo & bono facere liceret, Instrumentum quodlibet muniendi. His ita peractis, Gradibus per creationem donantur alii nonnulli, Literæque super iisdem testimoniales conscribuntur; & Senatu ab inde dimisso, ad Collegium *Mertonenſe* deducitur Cancellarius.

Eodem die in Collegii *Magdalenenſis* Refectorio publicatum est Programma, quo singulis ejusdem membris denuntiatur ut ibidem die proximo, horâ nonâ matutinâ, coram Visitatoribus comparerent. Atque hic obiter monendus es Lector, quod solenne Visitatoribus erat, integri Sodalitii Conventum hac ipsâ ratione indicere, quoties Dominum novum in ejusdem cervicibus imposituri essent. Adeo enim periisse ipsis pudorem constabat, ut turpissime gestorum Testes quam plurimos accersere non erubescerent.

Aprilis decimo tertio, horâ præstitutâ, Collegii *Magdalenenſis* Refectorium, validâ Sclopetariorum manu stipati, intrabant Cancellarius & Visitatores; atq; dempto Magistro *Johan. Dale* jun. neminem Sodalitii ejus Alumnum præsentem se stitisse indignabantur. Cæterum subsellia vixdum occuparant Tyranni cùm Magister *Thomas Smyth*, retro memoratus, interveniret, & à Cancellario audacter deposceret *quanam ille authoritate ibidem consideret?* quâ quæstione exacerbatum gravissime Magnatis animum advertens *Cheynellus*, insani rationem nullam habendam interposuit; quibus à *Smythio* quoque inauditis, læsæ mentis vitium in impingentem retorquebat, furere magis ipsum perhibens. Deinde autem allatâ Collegii Matriculâ, dispunctoque Doctoris *Oliveri* (is vero peregre tunc temporis agebat, Sodalitii fundos ex statutis lustrans) nomine, Doctorem *Johannem Wilkinſon*, Aulæ *Magdalenenſis* Principalem, ejus in locum substituunt Visitatores; quem & in Præsidis illico Cœnaculorum possessionem admittunt, eorum Fores Malleis & ferramentis aliis fabrilibus (præclusas enim reperiebant) perfringentes, Viri famulum Sclopetariis tradentes; in Custodiam nempe, quod ingressu Rebelles prohibuisset, abripiendum.

Post meridiem ad *Omnium Animarum* Collegium profecti, Sociis ex præcepto haudquaquam comparentibus mirum in modum succensuere. Dein autem Doctorem *Sheldon*, Custodem, ad se accersunt, qui voce animoque tranquillis, quanam se authoritate evocârint quæsivit, cùmque Commissionem suam recitandam palam curassent, eandem se neutiquam attingere ostendit, utpote quæ circa *Martii* octavum concessa & exarata, Cancellario ac Visitatoribus potestatem faceret eorum tantum qui tunc temporis Muneribus essent amoti in locum alios substituendi; inde enim ad se minime pertinere colligebat eorum imperium, quod non ante diem prædicti Mensis tricesimum Magistratu, Delegatorum suffragiis turbatum constaret.

conſtaret. Atque id ſane reſponſi ſolicitos quam maxime Tyrannos habuit, adeo ut rogitante Cancellario quo pacto eidem eſſet obviandum, conſilii inops aliquandiu obmutuerit ipſe *Prynnius*. Diſcedente poſtmodo *Sheldono*, rationes integrâ pene horâ conferebant Viſitatores, quorum denique animis ſcrupulum omnem exemit *Prynnius*, cujus ejuſmodi tandem ſententia fuit; » poteſtatem ſibi Cuſtodem » illum Præfecturâ exuendi expreſſe quidem deman- » datam non fuiſſe; at vero fucum Ordinibus fieri non » oportere; ac proinde licitum eſſe ut multa *ex officio*, »eorumque mente agant, quæ in *Commiſſione* ſuâ neu- »tiquam comprehendantur.

Hinc itaque ad rem ipſam denuo accinguntur, & allatâ Sodalitii Matriculâ, ac *Sheldono* deleto *Palmeri* nomen inſcribunt, cui & Cuſtodis Ædes per vim aperiunt, primo dictum ob denegatas earundem Claves Carceri adjudicantes. Cum eorum vero juſſa, ſcriptis eam in rem mandata, perlegeret *Sheldonus*, convitiis ſeſe & calumniis oneratum moleſte ferens, Cancellario oſtendit; & an ejuſmodi probra in Virum urbanum & modeſtum, qualem ipſum crebro appellare dignatus fuerat, quadrarent rogitabat; quæ quidem procul abfuit ut comprobaret Cancellarius, multa in literis iis acerbius dicta profeſſus; inque re ipſâ diſceptandâ, per vim geſtorum excuſationes aliquas interponens. Ad Ædes nihilo ſecius *Cheſtermannianas* in Parochia S. *Martini* è regione Hoſpitii *Crucis* Inſigne geſtantis, in Cuſtodiam amandatur *Sheldonus*, ingenti Academicorum numero ſtipatus, & creberrimis populi, fauſta omnia & felicia comprecantis, votis cumulatus. Illum Collegio diſceſſurum his fere verbis ſalutaſſe perhibetur Comes *Pembrochienſis*; » Doctor *Sheldon*, fama narrat te virum „ eſſe eruditum & bene moratum ſed tamen me » parum humaniter tractaſti: ſoles enim quoties ex iti- »nere redis curare ut Portæ omnes tibi pateant, mihi »vero ingreſſuro per janiculum anguſtior fuit aditus. »Domine Doctor ego quidem non ſum eruditus, nec in »Logicâ veſtrâ exercitatus, probe tamen intelligo quid »ad ſenſum communem, & bonos mores pertineat; ſed „quandoquidem me intrare quodammodo prohibuiſti, „ne ægrè feras quod ipſe exeas. Admiſſum in Cuſtodem *Palmerum* prædiximus; quem utique, (haud ſecus ac reliquos Collegiorum Præfectos) juramento plane nullo de operâ Sodalitio fideli navandâ, deque eodem ſecundum Statuta gubernando, adſtrictum liquet; ita boni illi viri qui adverſus poteſtatem arbitrariam olim invehebantur, apertiſſima tyrannide, in Collegiis quæ per vim obtinuerant, lege omni ſoluti graſſabantur.

Ad *Wadhamenſes* inde avolant Viſitatores, ejectoque Doctore *Pitts*, Collegii Cuſtode, id Muneris Magiſtro *Johanni Wilkins*, ex Aulâ *Magdalenenſi* (is Principi, quem vocant, Electori, ſeu Comiti *Palatino*, à ſacris erat) conſignant; quem in ejuſdem illico poſſeſſionem inducunt.

Hinc ad S. S. *Trinitatis* Collegium perrexere, & Sodalitii ejus Præfecturâ officia & ſudores Doctoris *Harrys*, Commilitonis, aliquatenus compenſabant.

Ad Collegium San-*Johannenſe* poſtmodo contendentes obvium in Area vel Quadrangulo habuere Doctorem *Baylie*, ut debitam Optimati obſervantiam præſtaret foras prodeuntem: quem ſe in Refectorium publicum comitari, & ſententiæ quâ ipſe condemnandus erat intereſſe juſſerunt Viſitatores. His autem conſidentibus, bina eſſe perhibuit Cancellarius quæ viro injungerentur; primo nempe ut ſeipſum Viſitatoribus, Academiam ejuſque ſpeciatim Collegium luſtrantibus, ſubjiceret; ac deinde ut quamprimum eorum mandata in Scriptis adferrentur Præfecturâ ipſoque Sodalitio actutum abſcederet. Ad ea vero reſpondit Præſes, priora illa imperata quod attineret, abſque perjurio facienda non eſſe; ſed neque ut poſtrema ſponte exequatur adduci poſſe, quippe quæ calamitates innumeras, immo perniciem ſibi extremam, certiſſime adferant; quin à Ratione omnino abhorrere ut quis jugulo ſuo feriendo Gladium aut Brachium accommodare cogatur. His porro ſubjecit, opinari quidem ſe Reſponſionem quam Viſitatoribus in ſcriptis tradiderat honoratiſſimis Regni Ordinibus nunquam innotuiſſe, utpote in quâ ex octo diverſis Statutorum locis palam fecerat, juramento, quod vocant, corporali ſe Socioſque teneri ad Viſitatorem neminem alium quam qui à Fundatore aſſignetur, ſub pœnâ perjurii & perpetuæ è Sodalitio expulſionis, admittendum; quæ ſi ad Senatores perlata, riteq; fuiſſent perpenſa, non dubitare aiebat quin de ſe Præfecturâ ſpoliando ſuffragia minime tuliſſent. Ad hæc, à Viſitatoribus flagitaſſe perhibuit, ut operam ſui & Sodalitii in gratiam apud Comitia Parliamentaria interponentes, ad Forum quodvis *Angliæ* remittendos, aut ſuper lite quacunque ſibi intentatâ aliâ quavis ratione quam per viſitationem examinandos & adjudicandos impetrarent.

Ne ſingula perſequar, poſtquam vindicias chriſtiano nemini denegandas, ac jura ſpeciatim Subdito cuivis ingenuo ex *Chartâ* illâ *Magnâ* competentia fruſtra petiverat (futiles interim reſponſiones, & adſtantium riſu plerumque exceptas, nectentibus Tyrannis) ad Præſidis Cœnacula perrexere Viſitatores, in eorum utique poſſeſſionem *Cheynellum* intromiſſuri, quibus in Atrio ſtatim occurrit Doctoris Conjux, liberos ſecum tenellos adducens, utpote quorum ætatem Rebellium animos, niſi ferrei plane eſſent, flexuram ſperabat. Illam protenus adivit *Brentius* (ſermones interea cum Cancellario conſerente Marito) utq; rei domeſticæ convaſandæ, ſibique ac familiæ alio transferendis, binas acciperet hebdomadas admonuit; cui reſpondit matrona Menſe integro ad ea præſtanda opus eſſe, tum alias ob cauſas, tum quia filii febribus intermittentibus confligarentur. His à Cancellario partim perceptis, Colloquio ſe ſtatim immiſcuit ille, habitoq; tantiſper cum Dominâ ſermone ad Doctorem converſus animum erga ipſum quam maxime propenſum ſpoſpondit; cum Viſitatoribus proinde deliberaturum pollicitus, & quoad fieri poſſet ejus rationibus conſulturum. Gratias, ut par erat, Dynaſtæ agebat Præſes, & immeritam erga ſeſe Benevolentiam agnovit; at vero favorem ſibi nullum à Viſitatoribus perhibuit expectandum, utpote quem non niſi conditionibus iniquiſſimis eliciendum norat. Denique in Muneris illius & Cœnaculorum poſſeſſionem admiſſus pronuntiatur *Cheynellus*, & *Bayleio* aliò ſe ſuaque conferendi ſpatium in Menſem indulgetur.

Ex Colloquiis autem iis in Refectorio habitis adnotandum porro venit, quod cùm rogitaret *Brentius* an ſicui viſitandum demandaret Collegium Archiepiſcopus *Cantuarienſis* eidem ipſe obtemperaret, reſpondit prompte & audacter *Bayleius* minime quidem; cùmque interponeret illico *Prynnius*, quid ſi Collegium veſtrum Rex ipſe viſitaret? num illi repugnares? reſpondit, ſcire ſe id Regi nunquam in animum inducendum iri; quo tamen Reſponſionis diverticulo opus haudquaquam erat, quid enim lucraturos inde Rebelles credamus ſi Regi plane obſequendum agnoviſſet, utpote cujus juriſdictioni Sodalitium illud neque eximere voluiſſe Fundatorem, neque (ſubditus cùm fuerit) ſi vellet potuiſſe omnino

nino conſtaret. Concaleſcente vero poſt hæc ſermone, cùm in re aliquâ aſſeverandâ *bonâ fide* perhiberet Præſes, interpoſitâ morâ exiguâ, tanquam ſi rem accuratius expendiſſet, exclamavit velut mentis parum compos *Gulielmus Cobbe*, Eques auratus, *Blaſphemia! horribilis Blaſphemia!* obſtupentibus ad hæc quotquot aderant, rogitavit Præſes quid rei eſſet quod eam colloquentibus moleſtiam crearet, aut quid demum Blaſphemiæ protulerat ipſe? Reſpondit ineptus blaſphemaſſe quidem illum, quoniam *per fidem*, quæ ſua non eſſet, juraſſet. „ Itane, inquit „ Præſes? immo vero, bonâ tuâ cum veniâ, Domine „ *Gulielme*, fides mea revera mea eſt; tibique, ſi ſa„ lutem expectas æternam, fides omnino propria com„ paranda eſt; ſiquidem difficile invenies fide alienâ „ ſalvari. „ Minime quidem, reſpondit Eques; fi„ des tua ex dono Dei eſt, ac proinde haudquaquam tua; „ cui Præſes, " ſane autem eo magis mea eſt, „ quid enim pleniori jure cuiquam obtingit quam quod „ dono datur? erras enimvero hac in re, toto cœlo „ erras, Domine *Gulielme*. Fateor (ait Eques) „ Doctorem non eſſe me; recte (ſubjicit Præſes,) „ ſed neque Medicus es.

His autem peractis, ad Collegium *Æneanaſenſe*, appetente jam nocte perrexere perduelles, & expugnatâ Sodalitii Portâ (præclufam enim deprehendebant) ſcita varia, de *Radcliffio* exturbando ac Magiſtro *Greenwood* in Principalem admittendo, recitanda palam in Refectorio curabant; atque nomen poſtremo dicti Collegii protenus Matriculæ ſub hac formulâ inſeruit *Cheynellus*:

„ Nos Cancellarius, Viſitatores, & Procuratores „ hujus Academiæ; ſecundum Ordinationem Pro„ cerum in Parliamento congregatorum, *Danielem* „ *Greenwood*, S. Theologiæ Baccalaureum, in Col„ legii *Æneanaſenſis* Principalem per Procerum & „ Plebeiorum Delegationem ad Academiam *Oxonien„ ſem* reformandam, cooptatum, omnibus & ſin„ gulis Juribus, Privilegiis, & Emolumentis, dicti „ Collegii Principali jure competentibus, donamus. „ Cuius in rei teſtimonium nomina noſtra hoc decimo „ tertio *Aprilis* an. Dom. CIↃDCXLVIII. ſubſcribimus.

Pembroc. & Montgom.
Gul. Prynne Cancell.
Fr. Cheynell *Gul. Cobb*
Rob. Harrys. *Na. Brent*
Joſhua Croſſe Procur.

Poſt hæc in Cœnaculorum ad Principalem pertinentium poſſeſſionem *Greenwoodum* admittunt, nihil morati quod ex morbo graviſſimo decumberet *Radcliffius*. Hinc vero ad *Mertonenſes* remeabant Viſitatores, ſpoliis quam laudibus oneratiores, à quibus hoc eodem die, circa meridiem, prodierat Edictum, quo ſingulis Collegii *Magdalenenſis* Membris vetitum eſt, ne Muneris alicujus fructum perciperent, donec præmiſſâ ſatisfactione Viſitatores ſibi conciliarent. Mandati tam acerbi occaſionem compertam ſane non habeo.

Aprilis decimo quarto, tempore matutino, ad Ædem *Chriſti* denuo perrexere Perduelles, Decanum & Canonicos ſubditicios in Sodalitii Matriculam (eorum utique nomina ab intrepidis quibuſdam Collegii Alumnis exciſa pridem fuerant) de integro relaturi. Interea dum id fieret ad Sclopetarios, publicam Refectorii Portam cuſtodientes accedens commenſalium unus (is Dni *Galfredi Palmer*, viri digniſſimi, Advocati nuper regii filius erat) intromitti poſtulabat, cùmque id neutiquam concederetur, " adeone (inquit) geſtorum veſtrorum teſtes exhorreſcitis?" quibus prolatis comprehenditur illico Juvenis, Carcerique dein mancipatur. Viſitatoribus mox inde valedixit Cancellarius, iter *Londinum* ingreſſus; quem in ſuburbana deducebant milites præſidiarii aliique haud pauci partibus Rebellium ſtudentes.

A meridie [a] celebratur Togatorum Convocatio, in quâ creantur:

Doctores in Theologiâ bini, quorum alter *Rogerſius* erat, inter Viſitatores Parliamentarios reperiendus.

Medicinæ Doctores tres (præter alios tres, incorporatos, uti nobis loqui ſolenne.)

Juris Civilis Doctor unus.
S. Theologiæ Baccalaurei tres.
Medicinæ Baccalaurei bini.
Juris Civilis Baccalaureus unus.

Magiſtri in Artibus triginta & ſeptem, eoſque inter *Thomas Kelſey*, Præſidii *Oxonienſis* Præfectus; mitto enim alios quatuor ad dignitatem Magiſtralem, quam alibi gentium obtinuerant, nobiſcum admiſſos. Prædictorum vero ſeptemdecim ex Aulâ *Magdalenenſi* & Hoſpitio *Novo*, quatuor autem ex Collegio *Pembrochienſi* erant; quorum plerique Munerum Academicorum ſpe ducti *Cantabrigiâ* huc nuper acceſſerant. In Jure porro Civili Incipienti nomen erat *Samuel Aneley*; qui quidem Magiſtri *Georgii Lough*, è Collegio *Reginenſi*, diſcipulus olim fuerat; vir ſtupidus adeo ac hebes, ut in Sodalitio illo (eidem vero jam ante octennium valedixerat) Baccalaureatum in Artibus ægre, utque perhibent, vix abſque Præſentantis perjurio, conſequeretur; in eo unice laudandus, quod Ingenio parum felici vulgaria morum vitia neutiquam adjunxerit; ſobrius enim adeo fuit, ut ſolâ aquâ pro potu quotidiano uteretur. Schiſmaticorum ille partes amplexus, & Rebellionis æſtum ſecutus, Rectoriam in *Cantio* annuo ter centum librarum Reditu æſtimatam ſortitur, ejecto inde viro probo, meritiſque ipſum longe ſuperante. Eccleſia illa exemptæ juriſdictionis (Peculiare vocant) cum eſſet, & ad ipſum propterea ſpectaret judicium proprio in Foro ſuper re teſtamentariâ, cauſis matrimonialibus, aliiſque id genus exercere, opus viſum ut Juris Civilis Doctoratum, cognitionis inſtar futurum, adipiſceretur; tametſi ejuſdem perinde ac Scientiarum omnium ignarus adeo habebatur, ut Collegii ejus Socii nonnulli, reliquis ætate & prudentia antecellentes, ſuffragiis ſuis in Doctoratu conſequendo adjuvandum iri ſponderent, ſi vel ipſam vocem *Pandectæ* explicaret. Utcunque tamen pecuniâ, Rebelliumq; patrocinio fretus, ad ſupremam in Facultate prædictâ Dignitatem promovetur; quod idem de aliis haud paucis conſimiliter eruditis referendum, qui Gradibus Academicis per hæc tempora ornati ſunt, vel potius eoſdem deturparunt; non aliâ meritorum habitâ ratione, quam quod Regem & Eccleſiam oderunt.

Aprilis decimoquinto, Collegiorum & Aularum Portis affigitur [b] Programma, quo Liturgiæ *Anglicanæ* uſu Togatis omnino interdicitur, mandato ut ejus in locum ſuccederet Directorium Presbyterianum; quod utique Academicos huc uſque perpaucos amplexos adverterant Rebelles. A meridie Convocatio altera [c] celebratur, in quâ creantur,

[a] *Ut in Reg. T. p. 16.* [b] *Reg. Viſitatorum ut ſupra p. 15.* [c] *In T. ut ſupra p. 17.*

Medicinæ

Medicinæ Doctor unus.

Artium { Magiſtri quatuordecim. / Baccalaurei viginti ac duo.

Eorum vero plerique ex Academiâ *Cantabrigienſi* huc nuper advolârant.

Aprilis decimoſeptimo (dies hic Lunæ erat) mulierem lymphaticam flagris miſerum in modum cædi jubebant Viſitatores, quod ipſos Rebelles & *Capite rotundos* nuncupârat ; edicto pariter ut Magiſter *Smyth* è *Magdalenenſi*, & Magiſter *Webberly*, è Collegio *Lincolnienſi*, in Piſtrinum **Bridewell** compingerentur. Mandatur inſuper, (divulgato [a] programmate) Aerariorum Academicorum Cuſtodibus, Burſariis (ita Diſpenſatores appellant Academici) reliquiſque ejuſmodi munia obeuntibus, ut Reditus omnes, Rentalia, Sigilla, Libros accepti & expenſi, &c. Ædium Præfectis, authoritate Parliamentariâ conſtitutis, intra triduum deferrent.

Hoc eodem die Iter *Londinum* carpebant *Cheynellus* & *Wilkinſonus*, Procerum & Plebeiorum Delegationem rerum *Oxoniæ* geſtarum certiorem facturi ; atque animos Delegatorum criminationibus graviſſimis adeo adverſus Academiam accendebant, ut ipſi ratum imprimis habuerint quicquid ultra poteſtatem ſibi diſerte factam, velut in exturbando *Sheldono*, patrarant Viſitatores ; deinde poteſtate eoſdem novâ donârint ; poſtremo, ſanciendum ab Ordinibus, viceſimo primo *Aprilis* (dies in eum Veneris incidit)

„ Quod ex occaſione contemptus nuperi, quo Socii,
„ Officiarii, aliaque Collegiorum *Oxonienſium* Mem-
„ bra, in Authoritatem Parliamentariam peccarunt,
„ ad Socios, Officiarios, &c. Scripta citatoria denuo
„ tranſmittant Viſitatores ; ſiqui vero eorum aut mi-
„ nime deinceps comparuerint, aut comparentes Po-
„ teſtati Parliamentariæ in Viſitatione illâ ſeipſos
„ neutiquam ſubmiſerint, Viſitatoribus licebit eoſ-
„ dem ſuſpenſione à Muneribus plectere, uſque dum
„ Delegationi res omnis denuntietur ; ipſi autem in-
„ tegrum erit eâ ratione delinquentes Muneribus qui-
„ bus in Collegio aliquo vel Aulâ fruuntur privare,
„ & perpetuo inſuper ex Academiâ exterminio pu-
„ nire. Ejuſmodi vero ſententiâ à Delegatis prolatâ,
„ Ædiumque Præfectis per literas ſignificatâ, ipſi, in
„ ſuo quiſque Sodalitio, ſuffragantibus Viſitatoribus,
„ amotorum in locum alios cooptabunt.

„ Scitum porro, quod Burſarii, & Aerariorum Aca-
„ demicorum Cuſtodes Sodalitii cujuſque pecuniam
„ detinebunt, & ne inter Togatos dividatur curabunt,
„ donec à Delegatione ulteriora prodierint mandata :
„ quodque Coloni omnes, aliique quibus pecuniam
„ vel debita quævis alia Collegio cuivis infra Uni-
„ verſitatem perſolvere incumbit, ſingulis ac ſolis
„ Ædium Præfectis, à Parliamento conſtitutis, vel
„ viris quibuſcunque aliis ab iiſdem nominandis, penſi-
„ tabunt.

Eodem tempore ſupplicem Delegatis Libellum porrexit Doctor *Wall*, in quo ſe judicii errore lapſum nomen quidem Decani & Canonicorum Reſponſioni appoſuiſſe perhibuit ; nunc autem rem ipſam plenius edoctum Authoritati Parliamentariæ ſubjacere omnino velle. His perlectis, à Delegatis conſtitutum ut ad Viſitatores remitteretur, qui commodis utique ejus proſpicerent, Munere in Academiâ *Oxonienſi* aliquo donantes. Decretum porro quod à Viſitatoribus peteretur ut *Cheynelli* in gratiam apud Senatum Academicum inſtarent ; quo ei nempe Prælectura Dominæ *Margaretæ* deferretur : quodque Codices Academici, *Roberto Harley*, (vel *Harlow*) Equiti aurato, per Vicecancellarium ex ſyngrapho traditi, ab eodem depoſcerentur.

Aprilis viceſimoſeptimo omiſſum aliquandiu confeſſum integrabant Viſitatores, in Collegio *Mertonenſi* conſilia de more nefaria miſcentes. Numerum illi quinarium haudquaquam ſuperabant, coibant quippe *Reynoldſius*, *Johannes Wilkinſonus* & *Rogerſius* Doctores, ac Magiſter *Henricus Wilkinſonus* ſen. fraterque ejus *Johannes* ; qui Ordinationem imprimis promulgandam [b] curabant, quâ Burſariis omnibus præcipitur, ut inter horas octavam ac nonam matutinas craſtini diei Regiſtra omnia, Rentalia, Computorum Libros, Codices annonarios, Sigilla, &c. apud ipſos deponerent. Ergaſtulo poſtea [c] eximitur Magiſter *Webberley*, ſuſpenſione tamen à Munere deinceps mulctabatur. Carcere itidem [d] liberatur *Ludov. Palmer*, Ædis *Chriſti* commenſalis, nondum (velut nobis loqui ſolenne) Graduatus, qui ob verba quædam ad contemptum & ludibrium Cancellarii ac Viſitatorum prolata traditus in Cuſtodiam fuerat ; nunc autem veniam erroris deprecabatur, dolore ſe correptum profeſſus quod verba edidiſſet quæ offenſionis haud parum haberent. Eodem tempore coram Viſitatoribus accerſiti comparuere, & eorum ſe Tyrannidi [e] ſubmiſere *Gulielmus Taylor* & *Gul. Ray*, Collegii San-*Johannenſis* Promi ; qui per teſtes, quos ſecum adduxerant, contemptûs (prius enim evocati præſentes ſeſe haudquaquam ſtitiſſent) ſuſpicione liberati, dimittuntur.

Die *Aprilis* viceſimo octavo (qui & veneris erat) Burſariis neutiquam comparentibus, iiſdem perquirendis Collegiatim [f] diſcurrunt Viſitatorum Mandatarius & Accenſus militaris (id enim negotii obituros ſeſe negabant Bedelli, niſi Sclopetariis cingerentur) fruſtra tamen, nam *Magdalenenſes* (ubi Magiſtrum *Gualterum Blandford*, colendiſſimum hodie *Wigornienſium* Antiſtitem, irrito ſtudio inveſtigabant) adeuntes, Sodalitia dein pleraque alia in caſſum pariter ſunt rimati. Interea vero præſentem ſeſe coram Viſitatoribus ſiſtebat Burſariorum San-*Johannenſium* alter, qui Codices, Claves, &c. penes ſe neutiquam eſſe cauſatus, ad horam ſecundam pomeridianam ampliatur ; quo tempore Mag. *Antonium Chibnall*, & Mag. *Johannem Harrys*, Burſarios *Magdalenenſes*, comparere juſſerunt Viſitatores, tranſmiſſo ad eoſdem Edicto citatorio quod *Omnibus viis & modis* nuncupatur.

Poſt meridiem adfuere Burſarius San-*Johannenſium* uterque, & Mag. *Georgius Gisby*, Sodalitii ejuſdem Decanus (quem vocant) ſenior ; quærentibus autem Tyrannis an Codices, claves, &c. attuliſſent, reſponderunt (audacter vero præ aliis duobus noviſſime dictus) nequaquam, ulteriorem Reſponſioni pleniori diem flagitantes ; cui tertium *Maii* aſſignarunt Rebelles, in Cœnaculis Vicecancellarii apud *Mertonenſes* (ita enim perhibuere ipſi, iiſdemque verbis mandata g Regiſtro inſeruit Actuarius, cum Dominis ſuis oſcitandum ratus, tametſi ad Ædem *Chriſti*, cujus Decanus erat, habitaret *Reynoldſius* Vicecancellarius.) Comparuit vero die ac horâ retro dictis Mag. *Robertus King*, Burſariorum *Æneanaſenſium* alter, à quo quæritur an Rentalia, Codices accepti & expenſi, &c. ſecum attuliſſet ; illo profitente ſe non attuliſſe, interrogant Viſitatores, Quam ob rem id factum ; reſpondit ille, Quoniam apud Mag. *Johan-*

[a] *Rsg. Viſit. p.* 16. [b] *Ibid. p.* 17. [c] *Ibid. p.* 18. [d] *Ibid.* [e] *Ibid.* [f] *Ibid. p.* 19. [g] *Ibid.*

nem

Houghton, Burſarium ſeniorem adſervantur; quærunt itaque viſitatores; Ubinam agit ille? ait demum Burſarius, quod Ruri ſe contineret. Atque ita ſatis quodammodo in præſentia interrogantibus fecit *Kingus*, & indemnatus propterea dimiſſus eſt.

Eodem die de Conciones Academicas obeundi methodo inter Viſitatores [a] convenit; quibus expedire viſum, ut tranſmiſſis paſſim literis, qui peregre agerent Theologi de vicibus quiſque ſuis commonefierent.

Maii primum (hic in diem Lunæ incidit) interpellandis feſtivis Juvenum luſibus, diſcerpendis utiq; Corollis floreis, & viridantibus arborum ramuſculis (quibus nempe Ædes ſuas, & Atria earundem illo antiquitus die exornarunt *Angli*) proterendis inſumpſere. Superſtitionem ſcilicet non ferebant Viri boni, qui cum *Israelitas* ſeſe (quorum utique perſonas jam olim ſuſtinuerant) comprobare non aliâ ratione poſſent, reliquos omnes pro ſtolidiſſimis *Ægyptiis*, pariterque expilandis, Deorum nempe ſuis in Hortis creſcentium Cultoribus, habendos decrevere.

Maii ſecundo (dies hic Martis erat) Sociis Collegii *Magdalenenſis*, affixo Refectorii Parietibus [b] Programmate denuntiatur, ut in Præſidis Cœnaculis tempore pomeridiano comparerent, deſcriptis eorum qui citarentur (quindecim vero fuere) nominibus. Ibidem ex condicto poſt meridiem convenere Viſitatores, & præſentem poſt paulo ſe ſiſtebat (viritim enim adfuere citati) eorumque poteſtati ſubmiſit Doctor *Pelham*. Proximus intravit Magiſter *Edwardus Drope*, eoque ſpatium deliberandi efflagitante Conſultum quoddam perlegit Mag. *Henricus Wilkinſon* ſen. quo nullam plane comperendinationem indulgendam eſſe declaratum eſt. Reſpondit [c] *Dropeus* „ Quæſtionem ex naturâ ſuâ arduam eſſe ac difficilem „ (ſcitatum utique ab ipſis cum eſſet “ an Poteſtati „ Parliamentariæ quoad hanc Viſitationem ſemet „ ſubjicerent) & proinde neque juris adeo peritum, „ neque aliunde prudentiâ ſatis inſtructum, ut Reſpon- „ ſionem extemporaneam adornaret. „ Ne ſingula perſequar, dempto Magiſtro *Gulielmo Hobbs* (qui turpiter ſuccubuit & Rebellium Authoritatem, ſeu magis Tyrannidem, approbavit) reliqui ad unum omnes vel poteſtatem eorum verbis diſertis rejecerunt, vel Reſponſionibus dubiis moras nectebant. Eodem tempore à Viſitatoribus [d] decretum, quod quoniam Quæſtionis ejus [Authoritati Parliamenti Viſitatoriæ ſubmitterent ſe necne Academici?] Summa propoſita pridem Doctoribus: ipſa vero ex occaſione Reſponſionis Delegatorum Academicorum condita, necnon coram ordinum Parliamentariorum Delegatis eventilata per Juriſperitos fuiſſet: porro, quoniam Ordinum prædictorum Ordinatio, viceſimo primo *Aprilis* data ea de re prodierat, Reſponſioni ad Quæſtionem prædictam edendæ ſpatium ulterius haudquaquam concederetur.

Die *Martii* tertio, qui & Mercurii erat, in Ædis *Chriſti* Refectorio propalatur [e] Edictum, quo Sodalitii ejus alumnis haud paucis imperatum, ut in Ædibus Decani, horâ ſecundâ pomeridianâ comparerent; Magiſtrorum Studentium, aliorumque qui evocati eſſent (ad viginti autem quatuor numerabantur) ſubſcriptis nominibus. Horâ præſtitutâ haud plures quam novem Reſponſiones attulere, deque illis unus tantum Rebellium ſeſe Dominatui expreſſe ſubjecit. Eodem tempore Viſitatores in Collegio *Mertonenſi* quæſivit Magiſter *Gisby*, (ibidem enim in Vicecancellarii Cœnaculis comparere, ut prædictum, juſſerant oſcitabundi) & craſſiſſimo Sanctorum errore ſuum in commodum uſus, ad Ædem *Chriſti* confidentes adire detrectavit.

Maii quarto (dies in hunc Jovis incidit) Mandatarium ſuum [f] tranſmiſerunt Viſitatores, ut Magiſtros quoſdam, Ædis *Chriſti* Alumnos, comparere etiamnum recuſantes, evocarent imperantes; ipſi autem, re per Promum (quem utique Mandatario ſuo in juſſis illis exequendis adjuxerant Rebelles) nuntiatâ, Prandio confeſtim abſceſſere (diſcubuerant enim) verbis acerbiſſimis Tyrannidem tam gravem aliquatenus ulti. Eodem tempore Doctori *Mayne* arctius [g] mandatum, ut præſentem ſe ſiſteret, quem tamen obtemperaſſe neutiquam reperio.

Hoc eodem die Academici omnes ex Aulâ *Magdalenenſi* quò *Cantabrigienſes* profugi confluxerant (ad quadraginta vero ac novem cenſebantur, quorum decem Magiſtri, octo Baccalaurei, reliqui vero Non-Graduati, quos vocamus, erant) [h] comparuere, ſeque Ditioni Rebellium ſub hac formâ ſubjecere; „ Ego--- Authoritati Parliamentariæ in hac Viſita- “ tatione meipſum ſubmitto. „ Mox autem intromit- “ tuntur *Novi* Hoſpitii Togati, ejuſdem furfuris viri, qui quaſi quadraginta fuere, & *Magdalenenſium* veſtigia ingreſſi idem omnino [i] præſtiterunt.

A meridie adfuere *Omnium Animarum* Socii, Citatione [k] tempore matutino tranſmiſſâ accerſiti; quos tamen inter unus tantum aliquis Poteſtatem Parliamentariam agnovit. Magiſter *J. P.* ex capite *Job* XXVII. verſ. III. IV. & V. Reſponſionem edidit. Illis vero dimiſſis, Typographis & Bibliopolis *Oxonienſibus* defertur [l] Edictum, quo ne Libellos quoſcunque ex licentiâ publicâ neutiquam prodeuntes, maxime autem famoſos, Virique alicujus exiſtimationem lacerantes, imprimerent, aut divenderent, aut quovis modo diſtraherent ac propalarent, vetitum eſt. Id ex occaſione Libellorum plurimorum ſub hæc divulgatorum fiebat; quorum operâ aliis ludibrio, aliis odio eſſe ſe probe intelligebant Perduelles, potiſſimum vero Cancellarius ac Viſitatores. Eorum itaque, quotquot in manus meas devenere, titulos & Exordia Lectori duco exhibenda, ſic autem ſe habent.

I. *Mercurius Academicus* nova perferens *Oxonienſia*, &c. à die Lunæ in Hebdomadâ *Paſchatis* “ ad diem Saturni, qui decimus quintus *Aprilis*, ann. dom. CIↃDCXLVIII. *Initium*, Si “ re ſuâ emunctis “ [quemadmodum proverbio dici ſolet] loqui per- “ miſſum, Academico non opus eſt Apologia, &c. “ Schedulâ unicâ in quarto prodibat, quales ſex vel ſeptem eodem titulo & ejuſdem argumenti deinceps editi ſunt. Scripſiſſe perhibetur Doctor *Thomas Swadlin*, è Collegio Divi *Johannis* Baptiſtæ.

II. *Pegaſus*, ſive *Eques alatus*, *Oxonienſis*; à “ Viſitatoribus aliiſque lymphaticis ibidem, ex man- “ dato Comitis *Montisgomeri*, geſta adferens. *Initium*; “ Die Martis, qui *Aprilis* undecimus, *Oxoniam* hono- “ rifice deducendus erat Sceletus ille ſtrigoſus & “ enormis quem Cancellarium perperam vocitant, &c „ Libellus iſte Schedulas tres in quarto complectitur, in Epiſtolas binas diviſus, quarum altera XVIII. *Aprilis* (authore Mag. *Thomâ Barlow*) altera XVII. ejuſdem Menſis, an. CIↃDCXLVIII. data fingitur.

III. *Pegaſi*, à Manibus *Bankeſianis* modo Dorico “ ſaltare edocti, ad tonum *Lachrymæ*, Pars tertia & “ quarta; binis Literis *Oxoniâ* I. *Julii* ann. Dom. “

[a] *Ibid. in Reg. Viſit. p.* 20. [b] *Ibid. p.* 21. [c] *Ibid. &c.* [d] *Ibid. p.* 22. [e] *Ibid. p.* 23. [f] *Ibid. p.* 25. [g] *Ib. p.* 24. [h] *Ib. p.* 27. 28. [i] *Ib. p.* 29. 30. [k] *Ib. p.* 26. [l] *Ib. p.* 26.

„ CIↃDCXLVIII. missis comprehensæ. *Initium*; „Domine, spatium tibi aliquandiu respirandi concessi, &c. Schedulâ unicâ in quarto continentur. Scripsisse vero fertur Mag. *Thomas Pierce* è Collegio *Magdalenensi*.

„ IV. Nuntia *Pembrochiâ* & ex *Monte Gomerico* allata, sive *Oxonia* [a] *Mancestriata* per *Michaelem Oldsworth* Dominumque suum, qui Cancellarium sese *Oxonienſem* esse juravit, & Oratione ad Visitatores novos in novâ eorum Convocatione XI. *Apr*, ann. Dom. CIↃDCXLVIII. habitâ probavit. „*Initium*; Domini Visitatores vos lætus hodierno die conspicio spero quidem nunquam fore terminandum; ego enim Cancellarius vester sum. Aliqui dicunt Cancellarium non esse me; atqui dispeream si non mentiantur, Frater enim meus Cancellarius erat ante me, & soli nebulones jure hæreditario me spoliabunt, &c. Typis bis mandatus est Libellus iste an. CIↃDCXLVIII. Schedam unicam in quarto complectens. Scripsisse ferunt Magistrum *Johannem Birkenhead*, ex Collegio *Omnium Animarum*; ad [illegible]um Equestrem à *Carolo*. II. merito deinceps evectum.

„ V. *Noctua Athenis*; sive Ingressûs Comitis *Pembrochiensis* in *Oxoniam* XI. *Apr*. CIↃDCXLVIII. „vera narratio. *Initium*.

„ Cavete vos Togati; periistis, ilicet,
„ Venit *Pembrochiensis* Comes, scilicet.

Schedâ unicâ in quarto continetur.

„ VI. *Tragicomœdia Oxonienſis*. Cui *Initium*;

Devictas Aquilas, geminamque in Clade ruinam,
Subversamque Aciem, querulæ suspiria Musæ, &c.

Schedâ unicâ in quarto. Scripsit *Adamus Littleton* ex Æde *Christi*.

„ VII. *Jus Halifaxianum Oxoniæ* invectum; sive „Visitatorum nuperorum nova Justitiæ methodus in Epistolâ ad Amicum propalata, &c. *Initium*; ex „postremis tuis literis (Domine humanissime) cognitum habeo te antiquum prorsus retinere, &c. Schedâ unicâ in quarto. Edit. CIↃDCXLVIII.

„ VIII. † *Dominus nostri misereatur*, sive Visitatio [eo nomine Pestem frequenter denotamus *Angli*] *Oxoniæ* grassata; exorta undecimo *Aprilis* an. „CIↃDCXLVIII. *Initium*; Scena *Oxonium* est, „jamque inflentur Buccinæ, &c. Schedâ unicâ continetur in quarto. Edit. CIↃDCXLVIII.

„ IX. *Luna-æstiva-solstitialis*, sive Lunatio [sit „verbo venia, sic enim Insaniam appellamus] furibunda; hoc est, Magistri *Cheynell* Archi-Visitatoris *Oxonienſis*, & Collegii Divi *Joh.* Baptistæ Præsidis adulterini, characterismus; una cum Sociorum trium transfugarum *Webbii*, *Inkersselli*, & *Lowndsii*, imaginibus vivide depictis. *Initium*; *Cheynellus* domus *Bethlemetica* supremum tabulatum, quodque septimo supereminet, &c. Editus est liber unicâ Schedâ in quarto CIↃDCXLVIII.

X. *Rustica Academiæ* Oxonienſis *nuper Reformatæ descriptio*, &c. Initium:

Rumore nuper est delatum,
Dum agebamus ruri,

Oxonium *iri reformatum*
Ab his qui dicti puri.

Libellus ille rhythmicus in alterâ Schedæ amplioris expansæ paginâ an. CIↃCDXLVIII. ac postmodo in octavo (uti loquuntur Bibliopolæ) excusus est. Eundem vero conscripsit Doctor *Johannes Allibond*, Rector de **Bradwell** in Agro *Glocestrensi*, qui quidem è Collegio *Magdalenensi* aliquando fuerat.

Atque sic habes Lector Libellorum eorum qui tunc temporis prodibant Catalogum, qui quamvis Satyram plerumque profiterentur, à rei tamen ipsius veritate nunquam aberrabant, maculas non tam Gestis Rebellium aspergentes quam easdem luce donantes; cujusmodi quidem alios perplures prodiisse fateor, quos mihi videre hauddum contigit; hi autem specimini loco esse poterunt, unde scilicet pronum erit conjecturam de reliquis facere.

Maii quinto (dies ille Veneris erat) tempore matutino, Responsionem Visitatoribus apud *Mertonenses* confidentibus [b] detulere Togati XXVI. è Collegio S. S. *Trinitatis*; quorum duodecim *Harryssii* sequaces Tyrannorum potestati apertè se submiserunt. Cùm à Tyrunculo quodam, Discipulo Magistri *Johannis Lydall*, è Sodalitio prædicto, quæsitum esset, utrum se authoritati Parliamentariæ subjicere vellet; respondit ille, „velle quidem animitus, modo Parliamentum authoritati Regiæ subjaceret.“ Importunè quærebant Grassatores quis juvenis tutor esset; in quem pupilli fiduciam severè vindicabant, illo protenus proscripto. Comparuere [c] deinceps Academici novemdecim, ex Collegio *Pembrochiensi*, altero *Cantabrigiensium* transfugarum asylo, qui quidem omnes Rebellium sese dominatui submisere, præter *Franciscum Brikenden* Artium Baccalaureum; is enim deliberandi spatium flagitavit, criminationes protenus interponente Vice-præfecto *Pembrochiensi*, Juvenemque contemptus erga se egregii insimulante; unde is Suspensione à muneris emolumentis [d] damnatur, usque dum satisfactione præmissâ ejusdem Vice-præfecti gratiam denuo iniret. His vero dimissis, [e] accedunt è Collegio *Magdalenensi* Togati triginta & unus (qui nempe præsentes se, jubentibus licet Tyrannis, haud antea dederant) cæterum eorum nemo in Rebellium se Ditionem expresse tradidit; quorum singuli aut Imperium vi ac flagitiis comparatum palam improbarunt, aut responsis dubiis sententiam acerbissimam protelare aliquandiu nitebantur. Eodem tempore prodiit à Visitatoribus [f] Edictum de *Joh. Dale* sen. & Magistro *Joh. Duncumbe*, Collegii *Magdalenensis* Bursario, in Carcerem compingendis; ob Reditus nempe Sodalitii aliquos contra Ordinum jussa (ut ipsi aiebant) & Collegii istius Statuta collectos. Eosdem itaque quæsivit sedulo Accensus Perduellium militaris, invenerit autem necne parum constat. Diem porro integrum explorandis collegiatim Armis impendebant milites præsidiarii; hortantibus ut id facerent Oppidanis quibusdam in *Athenas* nostras pessime animatis, qui occasionem assidue captabant Lites nos inter & prædictos serendi. Eorum ergo suasionibus impulsi, Sodalitia rimati sunt milites, adductisque secum Malleis, vectibus ferreis, & Fabrorum scalpris fores, Cistas, Pluteos, &c. nisi statim patefierent vi expugnabant, non tantum Hastas; Sclopeta, &c.

[a] *Viz. eodem modo quo Universitas* Cantabrig. *reformata (vel potius deformata) nuper fuit per* Mancestriæ *Comitem, ejusdem Cancellarium.* [b] *Ib. in Reg. Visit. p.* 30. 31. [c] *Ib. p.* 31. [d] *Ib. p.* 32. [e] *Ib. p.* 35. 36. 37 [f] *Ib. p.* 32.

verum

verum Arcus, Arcu-balliſtas, Pugiunculos, Gladios deniq; quibus non niſi iter facientes cingeremur, immo Cultellos longiuſculos pro Armis habentes. Cùm Ærarii *Wadhamenſis* Claves reperire non poſſent (variæ enim ſunt & à pluribus, tum forte abſentibus, adſervantur) Oſtium Malleis perfringere nitebantur, fruſtra vero, munitiſſimum enim deprehenderunt. Hinc ſcalpris quæ prædiximus uſi (tametſi tactis Evangeliis perhibituri eſſent tres Collegii ejus Socii, nil quicquam armorum ibidem reponi) aditum tandem puero fecere, qui cùm intromitteretur nullam apparatus bellici partem reperiebat.

Maii Septimo (hic in diem dominicum incidit) concionandi ad Beatæ *Mariæ* vices obivit Doctor *Rogers*; interque preces ad Deum effundendas, „ ut „ Regis ille oculos aperiret, quo ſanguinis à ſe fuſi „ pœnitentiam ageret „ &c. petivit.

Maii octavo, tempore matutino, [a] comparuere qui citati pridem à Viſitatoribus fuerant ex Collegio Divi *Johannis* Academici triginta & quinque; quorum tamen de numero haud plures tribus Tyrannorum poteſtati ſe ſubmiſerunt. A meridie [b] acceſſere è Collegio *Novo* Togati LII. eorum vero unus tantum authoritatem Rebellium agnovit; quanquam recuſantium nonnulli Muneribus deinceps fruebantur.

Maii nono (dies ille Martis erat) [c] comparuere *Exonienſes* XXIV. (quorum decem turpiter ſuccubuere) & è Collegio *Corporis Chriſti* XXV. è quibus unus aliquis Rebellium Tyrannidi ſe ſubmiſit. Præſentes ſe poſtmodo ſiſtebant *Orieleníes*, quorum haud ita multi Sodalitio ſunt exturbati, licet, petito fruſtra ut *ſubmiſſionis* quæ ab ipſis exigebatur ſenſus dilucidaretur, vel reſponſionibus apertiſſimis, poteſtati Parliamentariæ refragarentur, vel incertis, ſpatioque ulteriori lucrando adornatis, uterentur.

Die *Maii* decimo, qui & mercurii erat, præſentes ſe coram Viſitatoribus [d] dedere (evocati vero pridie per Citationem fuerant) *Æneanaſenſes* duodeviginti, è quibus unus tantum ſe palam ſubmiſit, tametſi reliqui omnes Sodalitio non ſunt exturbati. Poſt meridiem [e] adfuere qui ex Æde *Chriſti* hauddum comparuerant (ad quinquaginta vero & quatuor numerabantur) quos inter quatuor tantum reperti ſunt qui juris Regii ſimul & Academici fœdam facerent deditionem. Vitioſam Citationis formulam arguebat Magiſter *Richardus Howe*, quod ipſe reliquique Ædis ejus Alumni ſub Scholarium non autem Studentium (hæc enim vox eos proprie denotat qui de Collegii illius fundatione ſunt) nomine accerſerentur. Virum vero compellans Mag. *Cheynell*, annon itaque Scholaris eſſet rogitavit; cui ille, " immo quidem, „ cæterum vox ea Tyrunculo etiam cuivis competit, „ voſque appello Doctor *Wilkinſon* & Doct. *Rogers*, „ annon moleſte ferretis ſiquis vos Scholares nuncu- „ paret. Reſponſionem hanc attulit *Robertus Hampton* (Pater ejus Præfectus *Uxbridgenſis* erat) ex eadem Æde:

„ *Carolus* Dei gratia *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* „ Rex unicus eſt Academiæ hujus Viſitator; ac „ proinde ſubmittere me Viſitationi iſti nequeo.

Id ille Reſponſi ſuâ manu conſcriptum & munitum tradidiſſe fertur, tametſi [f] Regiſtro iiſdem plane verbis haudquaquam inſereretur. Ejuſmodi porro [g] Reſponſionem edidit *Robertus Whitehall*, dicti Sodalitii Alumnus: „ Ædis *Chriſti* Studens citatus cum „ ſim, ipſum [h] nomen pro me loquitur: non poſſe „ nimirum aliam quam à Rege *Carolo* inſtitutam Viſitationem agnoſcere.

Denique alius quidam illius Collegii Alumnus, Tribuni militum Parliamentarii filius, in hæc verba Reſponſionem adornavit.

Viſitationi iſti me neutiquam ſubjiciam, immo [i] „ revera Viſitationi iſti me neutiquam ſubjiciam. „

Johan. Carrike.

Maii undecimo (dies ille Jovis quem ſanctum κατ' ἐξοχὴν vocamus erat) Togati [k] *Reginenſes* quaſi quadraginta & unus, [l] *Lincolnienſes* autem viginti quinque coram Tyrannis comparuere, atqui ex illis haud plures quam quatuor, ex his vero quindecim Rebellium ſe poteſtati omnino ſubmiſere. *Nicolaus Pitt*, Collegii *Reginenſis* Commenſalis, hanc in ſcriptis [m] Reſponſionem tradidit.

Ad Citationem ab illis qui Academiæ hujus Viſitatores ementiti ſunt tranſmiſſam negative reſpondeo; neque velle ſcilicet me, neque poſſe abſque injuriâ Regi meo, atque adeo conſcientiæ meæ, inferendâ eiſdem tanquam Viſitatoribus ſubjacentem agnoſcere, quos jure merito Hoſtes denuntiat ſua Majeſtas. Atque ſic ſe habet Conſcientia

Nicolai Pitt.

Maii duodecimo (dies in hunc Veneris incidit) ad Viſitatores protrahitur Mag. *Antonius Chibnall*, S. T. B. Collegii *Magdalenenſis* Socius ac Burſarius, qui nempe citatus pridem comparere recuſarat. Illo autem adducto examen hunc in modum [n] inſtituitur.

Viſit. Num te Viſitationi iſti ſubmittis? "

Chibn. Viſitatoribus præſentibus ſubmittere me " nequeo; utpote cùm (contra quam ex Parliamenti " hodierni conſulto cautum) clerici ſint.

Viſit. Num præſenti Univerſitatis adminiſtratio- " ni te ſubmittis? "

Chibn. Spatium Reſponſioni adornandæ flagito. "

Viſit. An te ſubmittis, aut ſubmiſſurus es Docto- " ri *Wilkinſon*, Collegii *Magdalenenſis* Præſidi? "

Chibn. Submittere me nequeo, quoniam nec ele- " ctus, nec ſacramento adactus eſt, quemadmodum " ſtatuta Collegii exigunt. "

Viſit. An ea traditurus es Doctori *Winkinſon*, " quæ per Warrantum, XVII. noviſſimi *Aprilis* datum, " poſtulabantur? "

Chibn. Tradere nequeo quæ in Edicto illo con- " tinentur; quoniam id præſtare vetant Sodalitii Sta- " tuta. "

Examinis ejus hæc ſumma fuit, quo finito Ordinationem • quandam, præſente adhuc *Chibnallo*, condiderunt Graſſatores, ſic ſe partim habentem: Quoniam *Antonius Chibnall*, ſuſpenſione tum à " Socii tum à Burſarii Munere, ex Ordinatione Can- " cellarii & Viſitatorum noviſſimo *Aprilis* factâ, mul- " ctatus, Claves & Libros (quos ex *Commiſſione* " noſtrâ depoſcere tenemur, &c.) traditurum ſe negat; " quoniam etiam noſtræ Academiæ adminiſtrationi & " viſitationi ſubmittere ſe abnuit, per has itaque tibi " præcipimus ut prædictum Magiſtrum *Chibnall* in " cuſtodiam veſtram accipias, & eo uſque detineas do- " nec ſatis Viſitatoribus fecerit, aut ulteriora à Viſitatoribus mandata prodierint.

Accenſo militari
Præſidii *Oxonienſis.*

[a] *Ib. in Reg. Viſit. p.* 41. 42. 43. [b] *Ib.* 45. 46. [c] *Ib. p.* 53 54. 55. [d] *Ib. p.* 62. [e] *Ib. p.* 65. [f] *Ib. p.* 67. [g] *Ib. p.* 65. [h] *Ad præcipuum illud Regum* Anglorum *Palatium* (Whitehall *enim, h. e. Aula* Alba *vocitatur*) *alludit.* [i] *Ineptam illam Sanctorum noſtrorum tautologiam imitando ludos facit.* [k] *Ib. in Reg. Viſit. p.* 71. *&c.* [l] *Ib. p.* 84. [m] *Ib. p.* 76. [n] *Ib. p.* 78. • Ibid.

Chibnallum

Chibnallum hunc quod attinet, in Carcere ad octavum sequentis *Octobris* diem asservatus est; tunc enim interpositâ ducentarum librarum fidejussione, de comparendo nimirum quandocunque citaretur coram Visitatoribus, libertate donatur.

Die autem supra dicto, præsentes se [a] sistebant è Collegio *Mertonensi* Academici triginta & tres, quorum de numero quasi sexdecim expresse se submisere, reliqui vero Responsionibus dilatoriis (quas vocant) moras nectebant. His dimissis accedunt *Wadhamenses* tredecim, è quibus bini tantum verbis sese apertis Tyrannidi visitatoriæ subjecere. His ita peractis, à Visitatoribus decretum, quod à se inter XXI. *Aprilis* & XII. *Maii* gesta Delegatis Parliamentariis, *Westmonasterii* considentibus, aperiret Magister *Wilkinson* sen. quodque super casibus quibusque dubiis eosdem consuleret, speciatim vero scisciteretur utrum Academici, quorum Responsiones incertas & conditionales ad Capita quædam retulissent ipsi, non-submissionis (quam vocabant) rei essent. Is ergo *Westmonasterium* extemplo profectus nomina eorum, diversis in Catalogis descripta, tradidit qui:

„ I. Regi simul & Parliamento se submisissent.

„ II. Responsionem multis de causis distulerant, „ spatiumque temporis ulterius petiverant, quod satis „ nondum liquido de re ipsa constaret.

„ III. Non submisissent, vel submittere non audere, „ posse, velle, aut debere perhibuissent, ob metum „ perjurii, aut propter Statutorum & Conscientiæ „ vincula.

„ IV. Ad Academiæ Judicium, vel Delegatorum, aut „ Collegiorum Responsiones, Visitatores remisissent.

„ V. Ignorantiam in sui excusationem attulissent, „ aut submittere se recusassent quod Visitatores è Cle„ ro essent.

His vero perlectis & expensis, inter Delegatos *Maii* decimoquinto convenit; se neutiquam submisisse Togatos quotquot ejusmodi Responsiones edidissent; qui proinde Collegiis singulis ipsâque Academiâ pellendi pronuntiantur. Trecenti triginta & quatuor numero erant, quos tamen omnes haud statim [b] exterminarunt Visitatores, moderatione aliquâ & lenitate, si diis placet, uti præ se ferentes; licet stragem inde sensim carptimque instituentes, eorum perpaucos, velut infra dicetur, prætermiserint.

Maii decimosexto (dies hic Martis erat) comparuit Magister *Duncomb*, retro memoratus, Collegii *Magdalenensis* Oeconomus, sive Senescallus, ac Responsiones à Tyrannis quoque probatas, ad [c] quæstiones de Curiis ab ipso post decimum tertium *Aprilis* celebratis, pecuniâ perceptâ, fundisque dimissis (quæ utique fieri vetebantur) interposuit; quoniam autem se minime submitteret, Munere post paulo exturbatur. Hoc eodem die perlata est ad Visitatores Delegatorum Ordinatio, pridie condita, quâ scitum est ut Academici omnes qui se (prout ipsi à Visitatoribus edocti fuerant) potestati Parliamentariæ neutiquam submisissent, muneribus in Collegiis singulis & Aulis privati, Academiâ ejicerentur; utque Visitatoribus demandaretur ordinationem illam executioni tradere; qui, si opus esset, milites sibi præsidiarios in subsidium adjungerent.

Maii Decimoseptimo (dies hic Mercurii erat) coram Visitatoribus [d] comparebant Academici reliqui è Collegio *Magdalenensi* (novemdecim vero fuere) qui scilicet Responsiones suas nondum attulerant. Cæterum eorum quinque tantum Ordinum Tyrannidi directe se submiserunt.

Maii decimo octavo præsentes se [e] sistebant Academici è Collegio *Jesu* septemdecim, qui summâ animi præsentiâ Dominatum Parliamentarium improbare obstinabant, ne uno aliquo Rebellibus succumbente. Eorum alter, *Johannes Hughes* appellatus, Responsum liberrimum his quasi verbis attulit: "Quoniam conscientiâ non sum instructus quæ cru-" dam quamque doctrinam admittat, notum sit vobis" nolle me (etiamsi vitæ discrimen in eo verteretur)" neque posse tanquam hujus Academiæ membrum, " aut Collegii *Jesu* Alumnum, Parliamentum hodier- " num agnoscere, nedum eidem, Vobisve potestatem" fictitiam ab eo mutuantibus, meipsum submittere." Eodem tempore ob Responsionem (ut opinor) illam, Accenso militari, jam sæpe dicto, in custodiam [f] traditus, ac vicesimo secundo mensis ejusdem Collegio & Universitate, jussu Delegationis Parliamentariæ, in perpetuum eliminatus est. Post præfatos autem [g] intromittuntur *Balliolenses* sexdecim, è quibus solus Coquus se submisit. Adfuere dein è Collegio *Universitatis* Academici octo, eorumque quatuor Rebellium semet Tyranni subjecere.

Maii XXII. (hic in diem lunæ incidit) Doctorem *Mansell*, Collegii *Jesu* Principalem, [h] ejecerunt Delegati Parliamentarii, suffecto ejus in locum Mag. *Michaele Roberts* ex eodem Sodalitio. Eodem tempore Academicis XLV. Expulsionem [i] irrogabant, referente Mag. *Henrico Wilkinson* sen. eosdem authoritati Parliamentariæ in hac Visitatione se neutiquam submisisse.

Maii XXVI. consedere Visitatores, ac [k] decrevere:

I. Quod nemo Togatus, aliudve Universitatis " Membrum, cujuscunque sortis Graduve sit, Aca-" demiâ, sub expulsionis pœnâ, excedat nisi impe-" tratâ prius Doctoris *Wilkinson*, Provicecancellarii," licentiâ. "

IV. Quod singula Universitatis membra, quocunq; " Loco aut Gradu sint, infra spatium septem dierum, " sub pœnâ Expulsionis, Responsionem ad Quæstio-" nem illam [utrum se authoritati Parliamentariæ " quoad hanc Visitationem subjiciant?] in scriptis, cujusque nomine firmatis adferant, prædictoque Do- " ctori *Wilkinson* tradant.

III. Quod Prælectores omnes ac Professores *Oxo-* " *niæ* adsint, suisq; fungantur muneribus; id quod Ter- " minis tribus novissime præterlapsis minime præsti- " tum.

IV. Quod Mag. *Henricus Tozer*, è Collegio *Exo-* " *niensi*; M. *Johannes Lee*, è Coll. *Mertonensi*; &- " Mag. *Gul. Walwyn*, Collegii San-*Johannensis* Socius " ac haud ita pridem Bursarius; exterminio plectantur:" quodque sententiam hanc executioni mandent " Milites præsidiarii, si præfati dicto non sint au- " dientes.

V. Quod Collegii San-*Johannensis* Socii septem, " nempe Doctor *Joh. Edwards*, Mag. *Georgius Gisby*, " Mag. *Walwyn*, &c. Sodalitio & Academiâ ejician- " tur.

VI. Quod Academici duodecim è Collegio *Mag-* " *dalenensi*, viz. Mag. *Abr. Forman*, Mag. *Edwardus* " *Drope*, &c. expellantur.

VII. Quod Magister *Johan. Bowles*, è Collegio " *Pembrochiensi*, suspensione ab omnibus Socii emo- " lumentis mulctetur.

Maii XXVII. (dies hic Saturni erat,) à Domo utraq; Parliamentariâ scitum in hunc modum est; „ quoniam Doctores multi aliiq; Academici in contemptu adversus

[a] *Ib. in Reg. Visit. p.* 80. [b] *Ib. p.* 122. *&c.* [c] *Ib. p.* 89. [d] *Ib. p.* 91. 92. [e] *Ib. p.* 94. *&c.* [f] *Ib. p.* 93. [g] *Ib. p.* 96. [h] *Ib. p.* 119. [i] *Ib. p.* 136. [k] *Ib. p.* 109. 110. 118. *& 192.*

„authoritatem Parliamentariam etiamnum perſiſtunt, „eaq; agunt quæ ſuffragiis ac mandatis Parliamenta„riis repugnant; (tametſi eorum aliqui convicti jam „fuere, & muneribus exturbati) à quibus utiq; ; ſi in „Univerſitate commorari permittantur, ſeditionis ac „Tumultuum periculum impendet; Delegationi itaq; „poteſtas ſit, eos ad ſe cuſtodiâ ſeptos evocandi, „Carcerique mancipandi, quos authoritatis Parlia„mentariæ contemptu teneri liquebat, &c. Viſitato„ribus quoque licebit Picturas omnes, Imagines, „Cruces, Reliquias, quaſcunque Superſtitioni aut „Idololatriæ inſerviiſſe cenſuerint, demoliri & è me„dio tollere.

Hoc eodem die Programma Collegii *Corporis Chriſti* Portæ affigendum curabant Viſitatores, quo è Sodalitii ejus Præfecturâ turbatus declaratur Doctor *Newlin*; Vice-Præſidi (quem vocant) pariter mandato, ut ſingulis Collegii Membris denuntiaret, ne eidem deinceps, tanquam Præſidi, ullâ in re obſequerentur. Cæterum chartula illa Tyrannica, non ſine indignatione & ludibrio, portæ confeſtim detrahitur. Comparuere [a] illo quoque die è Collegiis variis Academici ſeptemdecim (qui nempe præſentes ſeſe haud antea ſtitiſſent) quorum novem tantum Rebellium poteſtatem expreſſe agnoverunt. Adfuit [b] quoque Doctor *Saunders*, Præpoſitus *Orielenſis*; is autem ſubmittere ſe omnino detrectabat.

Maii XXIX. (dies hic Lunæ erat) ignem feſtivum ſive triumphalem poſt horam nonam veſpertinam, ſuper monticulum qui infra Sodalitii Ambulachra collocatur, accenderunt *Novi* Collegii Clerici puerique ſymphoniaci; diem utique Principis *Caroli* natalem cum ſolitis gaudii indiciis celebrandum arbitrati. Accurrunt illico, conſpectâ flammâ, Milites præſidiarii, verum præcluſas Collegii portas deprehendentes prote nus receſſere. Proximo mane eodem regreſſi M^ros *Rob. Bowman*, & *Joh. Price* (hic in Exercitu regio Legionis nuper Inſtructor fuerat) Collegii Socios, alioſque nonnullos comprehenderunt, ad Stationem ſuam abripientes; ubi detenti ſunt donec mandata de iiſdem liberandis tranſmitterent Viſitatores. Eadem horâ conſimilem ſtruxere ignem Collegii S. S. *Trinitatis* Tyrunculi; quo etiam convolabant milites, Sodalitii Portam expugnare fruſtra laborantes.

Junii primo, allata ſunt juſſa Parliamentaria de Doctore *Sheldon* & Doct. *Hammond* (*Oxoniæ* enim cuſtodiâ adhuc ſepti detinebantur) in Caſtrum *Wallingfordenſe* compingendis; at vero hæc ubi ejuſdem Præfecto innotuere, is *Kelſeio*, Legionis legato, & Præſidii *Oxonienſis* Præfecto, per nuntium ſignificavit, ſi prædicti tanquam Hoſpites ac Amici tranſmittendi ad ſe eſſent, ſibi quidem rem familiarem neutiquam ſuppetere unde viros tam illuſtres commode excipere; ſin vero tanquam noxii deducerentur, haudquaquam admiſſurum; neque enim paſſurum ut Caſtrum ſuum in Ergaſtulum abiret. Hinc factum eſt ut *Sheldonus* in Hoſpitio priſtino, *Hammondus* autem in Ædibus *Timothei Carter*, è regione Inſignis *Teſſellæ* in Parochia *Omnium Sanctorum* deinceps commorarentur. Eodem tempore Doctorem *Payne*, Ædis *Chriſti* Canonicum nuper ac Theſaurarium, *Londinum* abripuit Accenſus; advenientibus quoque duobus aliis, quibus Doctorem *Thomam Iles*, ejuſdem Ædis mox ante Canonicum, comprehendere demandatum eſt, cui tamen valetudine adverſâ laboranti in præſentia parcitum: perceptâ nempe, tanquam laboris ſtipendio, ab eorum alterutro, in dies ſingulos ſolidorum ſex & octo denariorum ſummâ. Eodem die comparuerunt Academici quaſi XXIV. qui ſcilicet Reſponſiones hauddum attulerant; eorum autem octo tantum directe ſe ſubmiſerunt.

Junii ſecundo (dies hic Saturni erat) Cœnacula Doctoris *Baylie* per vim occupavit *Cheynellus*; effractis coram Viſitatoribus quatuor, & Procuratore ſeniori, eorundem foribus.

Junii quarto, jubente militum Præfecto, Magiſtrum *Henricum Tozer* ex Eccleſiâ S. *Martini* ad *Quadrivium* eripuere Sclopetarii quidam, ne verbum ibi deinceps annuntiaret interdicentes; cauſâ aſſignatâ, quod plebi imperitæ doctrinæ male ſanæ peſtem afflaret.

Junii ſexto; in Magiſtratu apud S. *Johannenſes* ſupremo collocatus jam *Cheynellus*, Magiſtrum *Franciſcum Webbe*, virum infamem à pleriſque habitum, in Vice-Præſidem ſibi aſſumpſit. Eodem die, ex edicto Viſitatorum ad Accenſum militarem pridie dato, comprehenduntur Doctor *Johannes Edwards* (Burſarius ille materiarius erat) & Mag. *Georgius Gisby*, Collegii Divi *Johannis* Baptiſtæ Socii. Indulgentibus Tyrannis, Ædes *Joſephi Godwyn*, Bibliopolæ, ad ſupremam vici *Murilegorum*, vulgo **Catſtreet** partem ſitæ in Carcerem ceſſere; ibi autem (opulentiſſimis quibuſdam *Oxonienſibus* fidejuſſionem fruſtra interponentibus) à militibus binis cuſtodiuntur, quibus & victum & ſtipendium porro quotidianum ſuppeditare coguntur. Eorum præterea Cameræ in ipſo Sodalitio ſigillis, manuque Sclopetariorum, firmantur; adeo ut linteis, veſtitu, rebuſque aliis neceſſariis prohiberentur. Eodem quoque die executioni mandatur Ordinatio de San-*Johannenſibus* quibuſdam, velut retro dictum, expellendis; licet eorum nonnulli *Londini* jam agerent.

Poſt hæc ſcita quædam alia [d] fecere Viſitatores, quorum de numero erant:

I. Quicunque ſe aperte, & abſque conditione aliquâ, aut reſervatione, ſubmittere detrectabunt; Delegatis inter authoritati Parliamentariæ neutiquam ſubmittentes deterantur.

II. Magiſter *Wilkinſonus* Viſitatoribus renunciet, quæ & qualia reſponſa fuerint reddita, ex quo ille *Londino* rediit.

III. Quicunque in ipſâ Univerſitate, vel in Collegio ejus aliquo, munus ſibi quodvis vendicant, *Oxoniam* intra dies quindecim perveniant, ſuaque ibidem Officia obeant, necnon Viſitationi ſe præſentiſ ſubjiciant.

Eodem tempore Collegiorum diverſorum Membra ſexdecim [e] comparuere, quorum octo deditionem infamem fecere; mox vero tertiâ quadam citatione, ſub formâ quæ *viis & modis* dicitur, evocatur Doctor *Stringer*, Collegii *Novi* Cuſtos.

Junii decimo quarto (dies hic mercurii erat) Doctorem *Robertum Sanderſon*, Ædis *Chriſti* Canonicum, & Profeſſorem Theologiæ Regium, munere utroque [f] exturbarunt Delegati Parliamentarii; cui Magiſtrum *Robertum Croſſe*, è Collegio *Lincolnienſi*, utrobique ſubſtituunt Viſitatores. Eodem porro die Academicos XXI. è diverſis Collegiis expulſione multabant Delegati prædicti.

Junii XXIV. (in eum Divi *Johan.* Baptiſtæ Feſtum incidit) de Concione & ſacrâ Synaxi (eo nunquam die apud San-*Johannenſes* omitti conſuetis) haud ita laborandum ratus *Cheynellus*, laudabiliorem illum convivandi morem haudquaquam improbavit; Viſitatores enim, & Præſidii *Oxonienſis* Præfectum, Milites quoque Rebellium partibus enixe præ aliis ſtudentes, Dapibus alienâ pecuniâ comparatis, alienis

[a] *Ibid. in Reg. Viſit. p.* 112. [b] *Ibid. p.* 116. [c] *Ibid. p.* 137. [d] *Ibid. p.* 142. [e] *Ibid. p.* 140. 141 [f] *Ib.* 146.

quoque

quoque in Ædibus quam lautiſſime *Cheynellus* excepit.

Junii XXV. (dies ille Dominicus erat) Conciones binas in Eccleſiâ S. *Martini* habuit vir quidem è Collegio *Wadhamenſi*. A meridie ſupplicem ſe Deo vice Regis exhibuit, ſi tamen ſupplex dicendus qui convitia potius quam preces effudit; Principem enim clementiſſimnm, & cultorem Numinis integerrimum, cum Rege *Manaſſah* Idololatriæ dedito conterre ſuſtinens, ut ſanguinis ab ipſo fuſi culpa condonaretur efflagitare non erubuit.

Junii XXVII. Doctorem *Edwards* & Mag. *Gisby* ad ſe accerſebant Viſitatores, in Collegio *Magdalenenſi* conſidentes; ab illo autem Claves & Libros; ab hoc Codices rationarios depoſcente *Cheynello*, reſpondit *Gisbeius* tametſi legitime cooptatus inque Sodalitii Præfecturam admiſſus fuiſſet, ex ſtatutis tamen non teneri ſe muneris rationem reddere donec integer ſibi annus decurreret. Queſtus eſt graviter Doctor *Edwards* quod incarcerati eſſent, aſſignatis etiam in Ergaſtularios militibus binis quibus ſtipendia quotidiana ſolvere juberentur; rejecta, licet criminis nullius poſtularentur, fidejuſſione omnimodâ; quâ in re lege nullâ divinâ vel humanâ ſubnixos crederet. Addidit autem „ hæc ſe animis eo magis patientibus „ ferre, quod ipſi Viros in *Anglià* prudentiſſimos „ maximeque conſpicuos nihilo humanius tractarent. Eodem die [a] cautum à Viſitatoribus eſt ne, pro more jam olim receptiſſimo, Academici alicujus ſepulturam Plateas obeundo denuntiet Præco feralis; an quod Togatos pleroſque ad imam egeſtatem Tyrannide graviſſimâ redegerant, & male proinde metuerent ne fame confectorum numerus innoteſceret non dicam.

Junii XXIX. affixâ Sacelli foribus Citatione Sociorum omnium Conventum indicunt *Æneanaſenſes*, Principalem nempe ſibi (mortuus enim ante triduum fuerat *Radcliffius*, neque *Greenwoodi* in Cervicibus ſuis per vim impoſiti rationem aliquam habendam arbitrabantur) prout Statuta exigerent cooptandum decernentes. His ad ſe perlatis Magiſtrum *Thomam Sixmith* Socioſque alios binos evocarunt Viſitatores, utque omiſſis ejuſmodi conſiliis *Greenwoodo* tanquam Principali obtemperarent edixere; illi autem Reſponſionibus obſervantiæ plenis Rebellium animos permulcentes ad ſuos revertuntur, & paucorum nihilo ſecius dierum intervallo in Socii cujuſdam Camerâ coeuntes Magiſtrum *Thomam Yate*, ſuorum de numero, Principalem communibus ſuffragiis deligunt. Eodem die Magiſtrum *Tozer*, è Collegio *Exonienſi*, accerſebant, & Scholarium quorumcunque Electionibus, poſtridie ſecundum Sodalitii Statuta habendis, immiſcere ſe [b] vetabant; cumque viri conatus eâ maxime ratione infringendos ducerent, Collegio penitus ejecere, Codiceſque & Claves fidei ſuæ concreditas tradere recuſantem in Carcerem amandarunt, nihil morati quod hac ipſis in re morem ſine perjurio gerere non poſſet, quodque eadem depoſcentibus neque juris alicujus vel leviſſima ſuppeteret umbra, cùm Præpoſitum Sodalitio novum hauddum impoſuiſſent. His vero peractis Socios Collegii *Wadhamenſis* ad ſe evocant, ne Electionem die proximo ex ſtatutis habendam obirent interdicturi. Eodem tempore facta eſt à Tyrannis [c] Conſtitutio teterrima de Academicis pluribus quam ſexaginta (quorum novemdecim e Collegio *Magdalenenſi* erant, ſupra partim ſub *Maii* XXVI. memorati) Academiâ in perpetuum exterminandis; quos inter Magiſter *Tozer*, jam ſæpe dictus, & Magiſter *Johannes Lee*; è Collegio *Mertonenſi*, deprehenduntur.

Julii quinto Candidatis *Cantabrigienſibus* (qui quidem *Cheynelli* aliorumque promiſſis allecti huc frequentes convolabant) ſcatere Univerſitatem noſtram advertentes Viſitatores; decrevere [d] quod à Doct. *Joſhua Hoyle*, in Collegii *Univerſitatis* Magiſtrum, ſeu Præſidem, deſignato; Doct. *Edmundo Staunton*, Coll. *Corporis Chriſti*; Magiſtro *Daniele Greenwood*, *Æneanaſenſium*; & M^ro *Johanne Wilkins*, *Wadhamenſium*, Præfectis, aliiſque nonnullis peteretur, ut ipſi vel ſinguli eorum trini, modo Ædis alicujus Præfectus & Procuratorum alter adſit, Delegatio perpetua prædictis examinandis eſſe velint. Eodem die Urbem obivit Centuriæ Inſtructor, manu Sclopetariorum & Tympanum pulſante ſtipatus; præ Sodalitii vero cujuſque Portâ præconizando denuntiavit, ſi Togatorum Academiâ die Saturni noviſſime prægreſſo (tunc enim, *Junii* nempe primo, propalata eſt Ordinatio Viſitatoria) pulſorum quiſpiam *Oxoniæ* etiamnum commorari deprehenderetur, Carceri à Præſidii Præfecto fore mancipandum: ita ſaltem proſpiciebant viri boni, ne Academici fortunis omnibus exuti lare deſtituerentur.

Julii octavo (dies hic Saturni erat, in quem de more incidiſſent Veſperiæ ſi Comitia hoc anno celebrata fuiſſent) affixo Portæ Beatæ *Virginis* [e] Programmate, pridie condito, Academici ſeptuaginta & tres, ob poteſtatem Rebellium Viſitatoriam minime agnitam, Univerſitate exturbantur. Die vero Martis abinde proximo, pulſato Tympano & ſuccedente Sclopetariorum manipulo proclamatum ante Sodalitii cujuſque Portam à Rebellibus eſt, ſi exterminatorum eorum aliquis vel in ipſâ Urbe, vel infra quintum inde lapidem, conſiſtere auderet; pro exploratore habendum, & proinde capitis diſcrimen aditurum.

Diebus *Julii* decimotertio ac decimoquarto, qui Jovis & Veneris erant, Citationi Viſitatoriæ (quâ edictum eſt ut ſingula Univerſitatis Membra quæ hauddum comparuerant Reſponſiones adferrent) obtemperantes, præſentes re [f] ſiſtebant Academici centeni ac plures; quorum tamen perpauci Tyrannidi ſeſe Parliamentariæ ſubmiſere, Famulos Collegiorum & Aularum ſi dempſeris. Menſe autem illo biniſque proxime ſequentibus *Oxonienſes* pauci admodum expulſione plectebantur, ſiquidem tres tantum, iique è Collegio *Corp. Chriſti*, quærenti occurrunt; quod his maxime de cauſis obtigiſſe credo:

I. Quoniam in Decimis colligendis occupati alibi Viſitatores, ab Academicâ meſſe & fatali vindemiâ abſtinuere.

II. Quoniam in Agris *Surreienſi*, *Cantiano*, *Eſſexiano*, &c. ac ſpeciatim *Colceſtriæ*, lacertos denuo movebant Regii; *Scotis* porro Regi, velut præ ſe ferebant, liberando *Angliam* incurſantibus. Unde quidem à Rebellibus adeo trepidatum; ut eorum nonnulli *Oxoniæ* etiamnum commorantes fugam adornarent, aut ſibi prædæque ſuæ, latebras quærerent.

Exeunte vero *Septembri* huc feſtinanter advolabant Viſitatores Evangelici, & Dr *Mills*; adductis ſecum ſubdititiis illis Ædium Præfectis, novâque Sanctulorum Coloniâ, ex Academiâ *Cantabrigienſi* ſcholiſque paſſim agreſtibus corrogata. Hos autem pulſorum ac pellendorum in Munera intrudendos quam citiſſime ducebant, ob has rationes:

I. Quia de pace cum Rege *Carolo*, in *Vectâ* Inſulâ aſſervato, agi per Internuntios cæptum fuerat, quam quidem pacis tractationem die quadrageſimo finien-

[a] *Ib. in Reg. Viſit. p.* 147. [b] *Ib. p.* 151. *&c.* [c] *Ib. p.* 150. *&c.* [d] *Ib. p.* 153. *&c.* [e] *Ib. p.* 156. 157. [f] *Ib. p.* 170. *&c.*

dam norunt; ac propterea in Regiis expellendis, ſuiſque ad opes & honores promovendis maturandum arbitrabantur; quod dubium non eſſet quin ſi *Carolum* inter & Parliamentum conveniret, altera Fœderis conditio foret ut quicquid ipſi geſſerant ratum haberetur.

II. Quia appropinquante S. *Michaelis* Feſto, Reditus Munerum Academicorum opimos, tunc maxime temporis percipi conſuetos, Regiis eripiendos; ſuiſque loculis inferendos cogitabant.

Cæterum licet ruſticantium aliquandiu Viſitatorum intermiſſa fuerint Conſilia, Delegatis tamen Parliamentariis *Weſtmonaſterii* minime feriatum; quippe ſcitum ab illis eſt *Aug.* 1.

I. Quod à Militibus *Oxonienſibus* Præſidiariis peteretur, ut Ordinationem ſuam, de Togatis Academiâ pulſis ultra quintum ab Urbe lapidem amovendis, executioni tradendam curarent.

II. Quod integrum Viſitatoribus eſſet munera quomodocunque vacantia pro arbitrio deferre, infra Sodalitia illa in quibus Electorum, authoritati Parliamentariæ ſe ſubmittentium, numerum minorem eſſe contingeret quam qui ex Statutis ad electionem legitimam requiritur.

III. Quod qui *Oxoniæ* poſtquam citarentur adfuiſſent, neque tamen coram Viſitatoribus comparuiſſent, Contemptûs crimine aſtricti haberentur.

IV. Quod qui *Londini*, vel in locis haud ita procul *Oxoniâ* poſitis egiſſent, ejuſdem criminis rei haberentur.

Eodem tempore haud pauca Viſitationem tangentia Delegatis enuntiavit Mag. *Henricus Wilkinſon*; ſpeciatim vero Academicorum centum & octoginta [a] Catalogum iiſdem porrexit, quorum alios quidem apud exteros, alios autem in variis *Angliæ* Regionibus tum propinquis tum remotis, nonnulli denique in ipſâ Univerſitate agerent; & quamvis Citationes percepiſſent comparere tamen detrectarent. Perlectis itaque eorundem nominibus, brevique interpoſitâ deliberatione, conſtitutum à Rebellibus eſt ut Muneribus ad unum omnes privarentur; quam ſane infandam ſententiam executioni poſtmodo, quoad pleroſque, mandatam reperio. Eodem porro tempore Academiâ exturbandus declaratur Doctor *Henricus Stringer* (hic ad Rebellium Quæſtiones reſponderat, „ quod cum ipſe è Collegio *Novo* eſſet, Reſponſio ſua „ in publicâ illâ Sodalitii Reſponſione contineretur „) qui decimoquarto proximi *Septembris* Græcæ Linguæ Prælectione ſpoliatur.

Auguſti XVII. Virtute Ordinationis cujuſdam, per Procerum & Plebeiorum Delegatos ad Academiam hanc reformandam conditæ, necnon mandatorum à Domino *Fairfax*, Copiarum Parliamentariarum Archiſtratego, ad *Thomam Kelſey*, Præſidii *Oxonienſis* Præfectum, datorum (cui nempe imperatum eſt ut Viſitatoribus aſſidue adeſſet, Scitaque omnia Parliamentaria, rem togatam corrigendam & emendandam ſpectantia, executioni tradenda curaret) Academicis omnibus, ob ſubmiſſionem poteſtati Parliamentariæ minime præſtitam Univerſitate pulſis; denuntiatur, *Oxoniâ* confeſtim emigrent & ultra quintum abinde lapidem ſe conferant, ſed neque proprius unquam accedere ſuſtineant, niſi Vicecancellario reliquiſque Viſitatoribus veniam indulgentibus; atque juſſa hæc infra quadriduum faciant, licentiâ quacunque priſtinâ nil quicquam obſtante.

Septembris XIII. in integrum reſtitutus eſt Doctor *Johannes Wall*, reddito ei per Delegatos Parliamentarios Ædis *Chriſti* Canonicatu, ita ſcl. ut in alienum, non ſuum ſuccederet.

Octobris ſecundo (dies hic Lunæ fuit) Electiones omnes, à primo vel ſecundo *Julii* CIↃDCXLVI. Sodalitii cujuſque ſuffragiis habitas, irritas caſſaſque [b] pronuntiarunt Viſitatores, juxta Ordinationem quandam à Delegatis Parliamentariis, jam ſæpe dictis, factam.

Octobris XI. Conſulta Viſitatorum varia promulgantur, quorum de numero fuere:

I. Cautum [c] eſto ne Non-ſubmittentium aliqui, [ita Regi & Eccleſiæ fidos, & in ditionem eorum tyrannicam concedere ultro recuſantes nuncupabant] ſuffragii jure in ipſâ Univerſitate, vel in Collegio ejus Aulâve aliquâ, fruatur; neve Tutoris officium, vel Scholaſticum quodcunq; aliud, eidem demandetur.

II. Doctor *Triſtram Sugge* è Collegio *Wadhamenſi*, &c. [hic alii porro decem, ex eodem partim, partim ex Collegio *Corp. Chriſti*, nominantur] exterminentur. Id vero Decreti, uti & alia ſub hæc nonnulla, in ipſis Sodalitiis propalantur, contra quam huc uſque fieri conſueverat, quippe Portæ Beatæ *Mariæ* affigi ſolebant.

Eodem quaſi tempore Muneribus ſpoliantur Collegii *Omnium Animarum* Famuli quidam; ob Reſponſionem [d] utique pertinacem v. *Maii* præteriti ad Quæſtionem "An authoritati Parliamentariæ quoad Viſitationem illam ſe ſubmitterent redditam, „ quæ quidem ejuſmodi fuit: "Nos quorum nomina ſubſcribuntur, intelligi minime cupientes de re quam neu-" tiquam intelligimus, authoritati nos Parliamentariæ" quoad Viſitationem hanc ſubjiciemus, quatenus" juramenta a nobis primitus data permittant. "Aliquanto poſt Cuſtodem novum adeunt Collegii ejuſdem Socii nonnulli, & ſubmiſſionem illam nefariam ſuadentem, juramentorum, de juribus Regis & Prærogativis legitimis pro virili tuendis præſtitorum commonefaciunt.

Octobris XVI. Profeſſoris Regii Munus obire cæpit Doctor *Hoyle*, Oratione plane plumbeâ, &, ſi Auditoribus pleriſque fides, eruditionis omnimodæ prorſus experte, idem auſpicatus. Nullâ Regis factâ mentione, à Parliamento ſe, cujus vocem inſtar divinæ haberet, evocatum perhibuit; unde tacitis adſtantium colloquiis percrebuit, Regium utique Profeſſorem non eſſe ipſum. Prætermiſſo *Sanderſono* (cujus nempe Munus per latrocinium invaſerat) in laudibus *Hollandi* & *Prideauxii* plurimus fuit, dimidiatum noviſſime dicti ſpiritum exoptans, tametſi neque tunc temporis neque deinceps unquam quippiam protulerit unde vel quadrantem ejus poſſediſſe collegeris. Eodem die Prælectoris Hiſtorici Munus ingreſſus eſt Dominus du *Moulin*, qui quidem Parliamentum, Vicecancellarium, Viſitatores, turbamque omnem rebellem laudibus cumulavit, fabulas porro perplures ex *Æſopo* enarravit, cùmque tædio Auditores ſeipſum vero labore propemodum enecaſſet, conticuit.

Octobris XVII. è Collegio San-*Johannenſi* Socii octo, è *Magdalenenſi* autem Socii duodecim, Semicominarii bini, & famuli quatuor, expulſione mulctantur.

Octobris XX. Prælectionem alteram Theologicam habuit Doctor *Hoyle*, ſumpto in Textum verſu primo capitis primi Evangelii ſecundum *Johannem*; cumq; nec methodo aliquâ uteretur, nec umbram Rationis leviſſimam adfereret, graviſſimam exiſtimationis, quæ tamen magna nunquam fuerat, jacturam fecit. Enimvero neque vulgares illas argumentandi leges,

[a] *Ibid. in Reg. Viſitatorum, inter p.* 198. & 199. [b] *Ibid. p.* 108. &c. [c] *Ibid. p.* 214. &c. [d] *Ib. p.* 34.

Tyrunculo

Tyrunculo nemini ignotas, calluisse videtur; utpote qui *Christum* æternum esse hunc tantum ineptus in modum probavit.

I. *A principio fuit, ergo æternus est.*

II. λόγος *est, ergo & æternus.*

III. *Non tantum à Patre sed de Patre est, ergo æternus.*

IV. *Filius Patris est, ergo ejusdem naturæ, ergo æternus.* Consequentiam priorem, cùm opus haud adeo esset, inde probavit, *quod è singulis Animantium Generibus, Hominibus, Quadrupedibus, Alitibus, &c. generans & genitum ejusdem sint naturæ; id autem Deo non concedere quod vel Creaturis competit nefas ducendum.* Barbarismos, reliquosque styli errores non refero, utpote qui innumeri fuere, & locum propterea in hoc opere haudquaquam merentur. Eodem, nisi me fallo, die Canditatorum Gradus ambientium examen obibant Magistelli quidam novitii, Quæstionibus stupidis & insulsis risum Auditoribus elicientes, Tyronem enim compellans eorum alter quæsivit:

I. *Pro quo Gradu tu stas?*

II. *Rhetor & Orator quomodo differunt?* correptâ vocis posterioris syllabâ mediâ.

III. *Quis fuit Mater Romuli?* &c. Alia ejusdem farinæ piget referre. Eodem die Universitate pelluntur Collegii *Æneanasensis* Socii quatuor, una cum Clerico (quem vocant) Bibliorum.

Octobris XXIV. (dies hic Lunæ erat) *Sheldonum* custodiâ eximendum [a] pronuntiarunt Delegati Parliamentarii, eâ lege ut citra quintum ab hac Urbe lapidem nunquam accederet, neque in *Vectam* Insulam trajiceret; fidejussione vero interpositâ, quatuordecim dierum spatio, siquando à Delegatis citaretur, compariturum spospondit D. *Richardus Newdigate*, ex Hospitio *Greyensi* Jurisperitus. His autem ad se perlatis, Delegatorum Constitutionem ratam XXVI. *Octobris* habuere Visitatores.

Octobris XXIX. (dies in hunc Dominicus incidit) Concionem ad Beatæ *Virginis*, demandantibus Visitatoribus, obivit novus aliquis è Grege Pharisaico Schismaticus; in eo forte veniam aliquam promeritus quod Sermonem absurdum & ad nauseam prolixum effutiit, in hoc autem flagitii nunquam condonandi reus quod, "ut oculos Regis aperire, sen„suque doloris ob sanguinem à se nuper fusum affi„cere eundem vellet, Deum obsecraret. „ Effrontem Rebellium audaciam quis non obstupescat, qui sacra vix unquam peragebant quin Principem optimum, nimiæque potius clementiæ quam feritatis postulandum, apud Deum ac Subditos calumniarentur. An eorum vero alterum, cui nomen *Thom. Borrace*, commemorabo, cui, in Ecclesiis S. *Martini* & *Omnium Sanctorum*, Catharorum magis Placita quam Evangelium Christi annuntiare sub id consueto solenne erat, multa à Deo *Caroli* in gratiam petere, hac tamen semper interpositâ conditione, "modo is ipsi quicquam adhuc allubesceret „ &c. Theologiæ ille Baccalaureus cum crearetur, Sacramento quidem Fidelitatis, seu Allegiantiæ adactus est, verum hac usus Cautione, " eo se usque juramento illo astringi qua„tenus Fœderi Nationum solenni neutiquam adversaretur. „ Denique referendum quod, præter supra memoratos, Academici Mense illo, maxime autem secundo ejus die, complures expulsione plectebantur.

Novembris secundo, qui & Jovis erat, Alumnos Ædis *Christi* decem Sodalitio, atque adeo Academiâ ipsâ exturbatos reperio; quorum bini Non-Graduatorum (quos vocamus) de numero erant, *Blasius Carrell* & *Adamus Littleton* nuncupati; optimæ quidem spei Juvenes, & Ingenio ætatem longe antevertente. His addendi totidem ejusdem Ædis Capellani, *Conopius* quidam natione non autem fide *Græcus*, & *Thomas Weaver*, à re Poeticâ laudem aliquam promeritus. Hi vero omnes nihil morati quod nomina sua, neque in ipso Refectorio, neque ad Beatæ *Virginis* propalata e Sodalitii Matriculâ eraserat *Reynoldsius* Decanus; una cum reliquis Collegii Membris quotidie victitabant, donec Refectorium ingredi per vim prohiberentur. Porro Mense illo atque inde proximo, Academici seu racematione quadam, trini, seni, &c. Muneribus ejiciuntur; eorum numero Candidatorum sanctulorum frequentiæ accommodato. Hoc eodem die ad Collegium *Orielense* (in quod nempe Socios quinque aut sex, Baccalaureos pene omnes, intruserant Tyranni) transmissum est Edictum Visitatorium, quo advenarum eorum duobus Proventus Collegii omnimodi percipiendi demandantur, tertio quodam Decani (ita Præpositi Vicarium appellitant) in Munere collocato; adeo ut, prætermissis veteranis, Sodalitii negotia probe callentibus, res ejusdem publica Tyrunculis quibusdam, neque illius neque alterius cujuspiam Collegii administrationem cognitam habentibus, concrederetur.

Novembris nono, juxta constitutionem à Visitatoribus tricesimo *Octobris* factam, Academiâ elimi-

nantur Togati bini, eorum qui reliqui tum essent nemini eruditione secundi, nimirum Doct. *Petrus Turner*, & Magister *Johannes Greaves*, Collegii *Mertonensis* Socii, quorum primus Geometriæ, alter autem Astronomiæ publicus erat Professor.

Novemb. duodecimo (dies in hunc Dominicus incidit) Concionem ad Beatæ *Mariæ* habuit Sodalitii cujusdam Præses novitius, cumque sermonem ad erudiendos Auditorum animos de more accommodaret, Visitatores hortabatur (quasi vero segnescerent viri boni, & Calcaribus essent impellendi) " pergerent porro integramque efficerent Reformatio- " nem; nil utique quicquam supereresse oportere quod " ad *Baalem* spectet. Truncum quoque *Dagonis* tol- " lendum, neque Caudicis illius pristini vel ramum " vel radicem relinquendam, &c. Pace nunquam usu- " ros se dum eorum quippiam supereresset, &c.

Novembris decimo octavo, Delegationem clandestinam, & insciis Senatorum plerisque (eorum enim sex tantum aut septem aderant) in Cœnaculis Domini *Rouse* coactam adepti Mag. *Henricus Wilkinson* & Magister *Cheynell*, scita hæc tria, impotentissimæ Tyrannidis tela & munimenta, facienda impetrarunt.

I. Quod prædicti, reliquique Visitatores, po- " testatem haberent Academicos fœdere solenni & " Juramento negativo adigendi. "

II. Quod submissio à primo Septembris noviss- " me prægressi facta nullius momenti haberetur. "

III. Quod quicunque citati non comparuerint, " ubicunque locorum egerint, Contemptus crimine " astricti tenerentur.

Ejusmodi erant Sanctorum nostrorum, Dominatu plane inaudito grassantium, Consulta; quæ an barbara fuerint an Evangelica Lectori permitto dijudicandum. Revera Discipulos suos, & Candidatos opulentiores (largitionibus enim corruptos haud in-

[a] *Ibid. In Reg. Visitat. p.* 218.

frequenter conſtat Viros integerrimos) ad Munera promovendi cupidine ducti, in Togatis exturbandis omni ſtudio ſatagebant, jure id an ſecus fieret perinde habentes; quorum ſane feritas & injuſtitia eo demum proceſſit ut à Congerronibus quoque ſuis, ac ſpeciatim à Doctore *Mills*, apud Regios aliquos damnarentur.

Decembris nono (dies hic Saturni erat) Magiſtrorum Regentium Congregatio celebratur, Vicecancellarii Cathedram occupante *Rogerſio Novi* Hoſpitii Principali, cujus nequitiâ differtur in *Reynoldſii* reditum Academicorum plurimorum ad Gradus præſentatio; quos utique ille juramentis Allegiantiæ & Supremati̇̂s regii, ante plenam ſingulorum admiſſionem ſecundum Statuta præſtandis, obſtringi vetabat. Permiſit quidem deinceps *Reynoldſius* ut Sacramentis iis obligarentur prædicti; cæterum proximo poſt Menſe quo minus eadem ab aliis darentur prohibuiſſe conſtat, quo porro tempore apud Ædem *Chriſti* Preces latinæ & gratiarum pro cibo actiones ſolennes, eodem Idiomate antiquitus habitæ, è medio tolluntur. Nimirum ad Feſtum uſq; Nativitatis dominicæ, Liturgiæ uſus idiomate Latino, furentibus nequicquam Viſitatoribus obtinuit. Tunc autem *Cenſore* qui juventuti eo uſque præfuit munere ſuo exturbato, & Graſſatoribus regiminis gubernacula quemadmodum jura alia & commoda arripientibus; ab Eccleſiâ, cum ſacerdotibus ſacra deinceps fuerant depulſa. Adeo ut, (quod fidem ægre apud poſteros invenerit) per duodecim annorum decurſum egregii iſti Theologi, Chriſtianæ pietatis inſtauratores; qui ſanctitatem ſibi tanquam in peculium vindicarunt, & religionem reformandam ſuſcepere; Euchariſtiæ Myſteria nè ſemel quidem celebrabant, ſed Proſcripti iidem, qui deceſſuri an. CIↃCDXLVIII. ſynaxeos ſacræ viaticum in Eccleſiâ publicè ſumpſere; poſtliminio tandem redditi, poſt tria luſtra, ſacra illa ibi loci proximum obiere.

Atque ſic habes, Lector, funeſtæ Viſitationis primum impetum & inſultum, ex ipſorum Tyrannorum Regiſtro potiſſimum deſcriptum; reliquum quod attinet, languentem deflagrantis Incendii rabiem referebat, poſtquam flammæ Urbi ab hoſtibus immiſſæ omnia latè eſſent populatæ; caput enim ſubinde exerebat ignis, & de integro ſæpe minitabatur; donec defuit tandem flammis materia. Cæterum vel è præmiſſis intelligi poteſt, quanto reliquorum mortalium furores Sanctorum exuperat zelus: quanto alias vincat ruinas, *Presbyteriana* reformatio; quæ graviores longe clades nobiſcum edidit quam quæ turbulenta ea *Henrici* VIII. *Edoardi* VI. immo vel *Mariæ* Reginæ tempora pepererunt; ſiquidem ego, quicquid alii crediderint, mitiorem abunde furorem duxerim qui flammas quibuſdam, quam qui omnibus mendicitatem intentaverit; utpote cum ille paucorum tantum nece; hic ſeculi univerſi pernicie graſſetur. Et certè medicina corpori felicius adhibetur cui membrum aliquod abſciſſum, quam cui ſingula ſunt contuſa. Sed hæc extra curriculum; neque enim noſtri eſt inſtituti obducta Gentis *Anglicanæ* vulnera refricando exacerbare. Addam unice, ut malorum quæ ob fidem Principi & Eccleſiæ præſtitam perpeſſi fuerant memoria nunquam interiret, Nummiſma quoddam procudendum curaſſe Proſcriptos; quod ipſis in teſſeram cederet, per terrarum orbem latè diſpergendis. Facies una cippum ſepulchralem atque Altare referebat; cui inſcriptum:

Piæ Memoriæ, Academia Oxonienſis;

Facies altera hæc habuit verba.

Deo, Eccleſiæ, Principi victima,

Imaginem ipſam Numiſmatis lamina appoſita exhibet.



Ita ſedibus ſuis exturbati Academici, fortunis, ope, lare deſtituti. Pars exteras petebat gentes & ultimos terrarum fines, humanitatem à nobis profugam, profugi ipſi apud barbaros requiſituri: alii qua fors tulerat *Europam* pererrabant, aut in *Anglia* latebras quæſiverunt, mendicitatem & infortunium individuos comites undique ferentes. Quippe illi quorum neceſſarii regias ſecuti eſſent partes, à parentibus dudum ſpoliatis vix quicquam præſidii expectare potuerunt: qui nefaria geſſerant arma, Proſcriptos tanquam publicos hoſtes procul arcendos cenſebant. Hinc eruditiſſimi pariter optimiq; viri, viliſſimis conditionibus, pueris informandis, libris prelo Typographico accurandis, aut Medicinæ faciendæ operam elocabant; uſque tamen qua licuit, alloquiis, ſcriptis, concionibus, reformatam Eccleſiæ *Anglicanæ* Orthodoxiam, & Regiæ Majeſtatis jura impigrè propugnaturi. Quinimo ne quid in malorum cumulum deſit, hæc dum aguntur, occidit ingens rei literariæ columen, Potentiſſimus *Britanniarum* Monarcha *Carolus* I. Poſt belli infelicis innumeras clades, fugæ multiplicis varias ærumnas; promiſſæ quandoque, ſæpius denegatæ pacis eluſas ſpes; longam demum contumeliæ omnigenæ pompam, ſuo in regno, ſuâ in metropoli, ad ſui palatii fores, ſuis à ſubditis, obſtupeſcente orbe, fortunis, imperio, diademate, imo capite ipſo mulctatus.

Piget pudetque deinceps geſta literis conſignare; quid nimirum *Cromwelliana* mancipia, transfugarum *Cantabrigienſium* colluvies, & Fanaticorum furiis acta attentaverit lerna; oppreſſis interim, & miſerrimam ſervitutem ſervientibus quotquot ſupererant genuinis Academiæ filiis: uſque dum feliciſſimis auſpiciis redux *Carolus* II. quam genti univerſæ reſtituit vitam, *Oxoniæ* ſuæ donavit. Sed meliora hæc Univerſitatis noſtræ Palilia, & miraculis fætum Poſtliminium, integras ſcriptoris vires, juſtumque volumen merebuntur.

Libri primi finis.